UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Visual Library

Th. 4984.

2 F. III, 81.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

E
186



CONTROVERSIARVM

OMNIVM

HVIVS ÆVI LVTHERO-
CALVINISTICARVM

Libri Tres

EX ILLVSTRISSIMO CARDINALI
Bellarmino in Epitomen redacti & sub diuersis
titulis bis quatripartitis digesti

AVCTORE

R.P. FRATRE IOANNE
ANDREA COPPENSTEIN OR-
dinis Prædicatorum Theologo.

EDITIO ALTERA
Priori correctior. Prodit

MOGVNTIÆ
Impensis Ioannis Theobaldi Schônwetteri.

ANNO M. DC. XXVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LVTHERO-CALVINISTA,
Eiusque

I. *Theomachia:* II. *Ecclesiomachia:*
III. *Misteriomachia:* IV. *Charitomachia:*

Hoc est:

LVTHERANORVM ET CALVINISTARVM CONSENSVS

Aduersus 1. Devm, Diuosque: 2. Ecclesiam: 3. Sacramenta: 4. & Gratiam Iustificantem:

PER

INDVCTIONEM singularum & vniuersarum Quæstionum controuersarum.

COMPENDIOSE

DEMONSTRATVS, ac REFVTATVS potissimum ex Illmo Cardinali BELLARMINO,

PER

F. Ioannem Andream Coppenstein Mandalensem Ordinis Prædicatorum Theologum, Parochum Heidelbergæ.

Tomus Primus.

SVB AVSPICIO

Sereniſſimi

LEOPOLDI

ARCHIDVCIS &c.

Superiorum permiſſu.

MOGVNTIÆ
Sumtibus Ioannis Theobaldi Schönwetteri

ANNO M. DC. XXVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. IGNATIVS

S. Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, Epiſtola ad Magneſios, De appellatione CHRISTIANI.

Dignos exhibeamus nos cognomento, quod accepimus. Qui enim alio Nomine appellatur, præter iſtud; hic non eſt Dei. Non ſuſcipit prophetiam illam, quæ de nobis ait: Vocabitur Nomine nouo, quod Dominus nuncupabit eum: & erit POPVLVS SANCTVS. *Quod & impletum eſt primò in Syria: Nam in Antiochia Diſcipuli CHRISTIANI appellati, Paulo & Petro Eccleſiam fundantibus.*

TERTVLLIANVS
libro de pudicitia,

De appellatione Hæretica.

Quis proprie eſt CHRISTIANVS; & Grex Domini Eccleſiæ Populus; & Paſtor bonus CHRISTVS. Et ideo CHRISTIANVS non intelligendus; qui ab Eccleſiæ Grege aberrauerit.

Ergo

LVTHERO-CALVINIANVS
ecqualis erit
CHRISTIANVS?

NVN-

NVNCVPATORIA

SERENISSIMO

LEOPOLDO ARCHIDVCI AVSTRIÆ. &c.

DOMINO MEO AC PATRONO CLEMENTISSIMO.

AGERE FELICITER.

Omnia tempus habent: Ortaq; Occasum:

ET hæreses suum illud Æui quinti decimi HABVERVNT; quo turbas Ecclesiæ, Imperioque dederunt, ac animarum strages, heu, nimium quantas! Hoc nostro, speramus, desæuient, & occident. Venit iam tempus Messis, quando MESSORES; hi, VERBI Diuini; isti, BRACHII sæcularis, Falce colligent zizania.

Collegi pleraque Controuersiarum Omnia vnum in Fasciculum, compendio quanto minimo: Vt sit Vsui tum vniuersis, tum præsertim ad laboraturis ad animarum, in Seducto Palatinatu, alubique late, Reductionem. Hic finis: Medium, in cæteris illud.

Collegit nuper Manuale Controuersiarum Quæstio-

num R.P.Becanus; Sed carptim, ac saltuatim Aliquas: & has S.ae Cæs. Maiestati consecrauit; ac Principi Iuuentutis etiam Compendium Manualis.

Collegi post ipsum ordine vt singulas, ita fere Vniuersas controuersias Æui huius, ac Orbis: Delegi PATRONVM iis EVM, quem vniuersum spectat æuum hoc, & orbis: vt ad Summa natum, datumque Omnia, TE Germanum S. Cæs. Maiestatis.

Si confutatarum Pars illa Controuersiarum Becaniana, dicata S. Cæs. Maiestati, accidit grata: hæc mea Vniuersarum Epitome Coppensteiniana FRATRI IMPERATORIS ROM. accidere nequibit ingrata. Hæc spes certa mihi: potissimum, quando Clientes ambo in eandem Ill.mi Bellarmini syluam cæduam iuimus lignatum; & in eandem Serenissimam comportauimus DOMVM AVSTRIACAM, qualecunque Munusculum.

Quo mihi dubia minus deligendi esse PATRONI deliberatio debuit, & OPERIS DEDICATIO, ad EVM humiliter deferenda; CVI CÆSAR, DEVS, & Orbis deferunt Omnia: Quem seducto, & bis destructo Palatinatui

DEVS DEDIT DEVM:

Adeo in Sacra Serenitate V.ae verum isthoc: *Homo homini Deus.* Quare

Sic TIBI de nostris annis DEV S augeat annos;

Vt Ser.tas V.ae ORBIS OCVLVS, in oculis est omnium, Dei Gratiâ, suoq; Merito: Vtq; plurium Ordinis nostri Dominicani Conuentuum esse PROTECTOR amat; & plurium ereptorum in Palatinatu RESTITVTOR erit: ita & mei FF. Prædicatorum minimi, in CÆSAREA Metropoli Palatina HEIDELBERGA Parochi, Operisq; huiusce mei, esse CLEMENTISSIMVS PATRONVS vt dignetur

Sup-

Suppliciter Oro.

Omnibus Oro Tvis Devs vt Conatibus adstet;
Omnes Conatus Summis Heroibus æquet:
Deniq; Te Divvm Diuorum Vendicet astris.
Da mihi, da DEVS esse Poëtam posse Prophetam!

Serenᵗⁱˢ Vᵃ

Humillimus in Christo Seruus

F. Ioan. And. Coppenstein.

INDICEM

ANTICHRISTI, GENEALOGIÆ, ET ANTIPAPISTÆ MENDACIS, vnà cum hiſce Tractibus ipſis exhibebit in fronte.

TOMVS SECVNDVS.

LVTHERO-CALVINISMI.

DISCORDANT

Lutherani & Caluiniſtæ potiſſimum in paucis Quæſtionibus ſubiectis; Cætera, ferè

CONCORDANT.

Parte I. Theomachiæ.

QVÆSTIO.

1. De Canone librorum Scripturæ.
21. De Autotheiſmo.
26. De Vbiquitate.
47. De Perdita ab IESV Fide.
48. 49. De deſperationis peccato IESV.
50. 55. De Chriſti ad inferos deſcenſu.
60. De ſatisfactione Chriſti paſſi pro nobis.
61. De noſtrî juſtificatione per Paſſionem.
62. De redemtione prædeſtinatorum.
63. De Chriſti damnatione.
70. De Chriſto Capite & Iudice.
79. De imaginum Vſu.

Parte II. Eccleſiomachiæ.

QVÆSTIO.

2. De regimine Eccleſiæ optimo.
4. De Petra Petri.
33.35. De Perfectis in Eccleſia ſolis.

Parte III. Myſteriomachiæ.

QVÆSTIO.

9. De Sacramentorum Miniſtri qualitate.
17. De Numero Sacramentorum.
21. De Neceſſitate Baptiſmi.
31. De Baptiſmo Ioannis quod ſit & Chriſti.
42.47.48. 49. 50. De Veritate præſentiæ Chriſti in Euchariſtia.

46. De sensu Verborum, *Hoc est Corpus meum*.
56. De materia Eucharistica.
59. De ministro Eucharistiæ.
80. De Pœnitentia an sit Sacramentum.
85. Contritio an sit actio bona.
105. De Ordinationis Sacramento.
118. De gradu dirimente Matrimonium.

Parte IV. Charitomachiæ.

QVÆSTIO.

5.6. De prædestinatis peccatis.
7,8,9,10,11,12,13. De causa peccati.
24. De pœna infantum non baptizatorum.
32.33.34.35. De causa prædestinationis, & reprobationis.
36. De liberi arbitrij definitione.
41. Liberum arbitrium pugnare cum DEI prouidentia.
42. De vero cognoscendo.
58. De fidei separatione à Charitate.
61. 63. De Formali causa iustificationis.
69. Iustificatum manere peccatorem.
85. De Oratione Dominica.

COP.

COPPENSTEINII.

LVTHERO-CALVINISTA.

PARS PRIMA,

THEOMACHIA LVTHERO-CALVINISMI,

Triumphantem Ecclesiam impugnantis, Demonstrata, ac Refutata.

PRÆFATIO.

LVTHERO-CALVINISTA, Nominis, Operis rationem, *Alius quicunque.*

Lectores mihi duo, reposcere duo videntur.

I. RATIO NOMINIS LVTHERO-CALVINISTÆ.

AFFICTA, vt odiosa, Vocabula odi; amo vera & ex re nata. Religionistarum hodie bis gemina fertur appellatio; Vulgarium vna; altera Intelligentium: Vtraque de Vocabulo duplex in publico: ab re autem & veritate quadantenus vna; nec admodùm in publico.

I. VVLGARES ab Luthero LVTHERANOS primùm, heu, nouimus: deinde CALVINISTAS ab Caluino descendere cognouimus: LVTHERO-CALVINISTAS verò neccdum adhuc quidem inaudiuimus. Nimirum, fortè quia nullus hucusque extitit vocabulo Luthero-Caluinus, qui suo hoc sub nomine doctrinam intulisset novam; aut vtriusque conciliatæ Sectæ duxisset familiam. Qui si vsquam apparuisset hactenus; iam dudum, reor, sese nec Germania dixisset Lutheranam, nec pars Germaniæ & Galliæ, Britanniaque tota Caluinianam: sed vnà mecum sese nominarent, aut nominari sinerent à potiore, LVTHERO-CALVINISTAS.

Ita namque *Res* & *Doctrina* vtrorumque Sectariorum ac *Sententiæ*, (paucis exceptis) sunt comparatæ; vt ab iisdem compositis id compositi nominis ferre necessariò debeant: Aut, si nomen id fugerint, Rem prius, vnde vocabulum exstitit, fugisse oporteat: Aut Reipsa sic testante & clamante Nouatoria, ipsi de nemine conqueri iure possint, qui hoc eos nomine Nouo nuncupârit.

Vulgò tamen hactenus suum cuique vocabulum hæsit; istis Lutheranum, his Caluinianum: Nec valdè improprium; vt natutis minus gratum.

II. INTELLIGENTIORES autem EVANGELII titulo speciosiore suam affectant Sectam palliare. Sed & isto geminato & cum discrimine: Quo ipso tamen in Sectariæ reprehensionis discrimen grauius incurrunt Scyllæum, cupientes vitare Charybdin.

EVANGELICI audire omnes ambiunt; simul in istud abeunt diuersi, scinduntque sese discrimen: 1. Vt *Lutherani* solùm audire velint EVANGELICOS. 2. *Caluinistæ* verò, vt altius sapientes, etiam REFORMATI EVANGELICI.

Id tum cœptarunt; Cùm ab anno ∞ Io. LIX. Heidelbergæ seipsos, ex Lutheranis factos Caluinistas, dictitarunt in publico REFORMATOS EVANGELICOS: (huc sapientiæ profecerant post SAPIENTIÆ titulum octennio antè impositum Heidelbergensi Academiæ) Cùm Palatinum, Reformatorem Euangelicum primum, cognominarunt PIVM: Cùm Canonicorum Collegium extinctorum Heidelbergæ, dictum aliàs semper ad SANCTVM SPIRITVM, instituerunt appellare AD SPIRITVM, omisso prænomine SANCTI:

III. Ego tertio vtrosque nomino calo, LVTHERO-CALVINISTAS. Nec me huiusce vocabuli inuentorem facio; etsi frequentatorem primum, & istius Operis mei titulatorem. Neque hoc abs RE, aut RATIONE; aut vllius cum INIVRIA.

I. NON ABS RE: Quia perpetuâ quâdam Inductione per singulas quà Controuersias, quà particulares Controuersiarum Quæstiones eundo, manifestum reddo, ac irrefutabile, ecquibus in quæstionibus, & quatenus Lutherani & Caluinistæ inter sese Contra Romano-catholicos consentiant aut Omnes, aut Plerique, Potiores, aut Pauciores. Vnde necesse est, vtrosque sibi ipsis nomen parere isthoc, LVTHERO-CALVINISTARVM. Quia autem à potiore fieri denominatio rerum assolet; quantò non iustior tantum, sed magis etiam necessaria, planeque propria Vtrisque vna est illa Nomenclatura? Præsertim cùm adeò in vnaquaque quæstione totis animis ac votis, re tota, ac sæpe verbis conceptis & sententiis Synodaliter definitis, velut coniurati contumaciter conspirent vnam omnes contra Romanam, primæuam & Catholicam Ecclesiam.

I. Testis HARMONIA CONFESSIONVM FIDEI *Orthodoxarum*, scilicet, *& Reformatarum Ecclesiarum, quæ in præcipuis quibuscq; Europæ Regnis, Nationibus, & Prouinciis sacram Euangelij doctrinam* PVRE *profitentur*: Sic eam Geneuenses inscri-

scripserunt, ac euulgarunt anno 1581. Redduntque ibidem *Cathalogum Confessionum, ex quibus ea Harmonia est concinnata juxta seriem temporum, quo singulæ scriptæ sunt & editæ.* Et has accensent vndenas: 1. *Augustanam* anno 1530. articulorum 21. 2. *Helueticam priorem* anno 1536. capitum 21. 3. *Basileensem* anno 1532. articulorum 11. 4. *Helueticam posteriorem* anno 1566. capitum 30. 5. *Saxonicam* anno 1551. articulorum 23. 6. *Wirtembergensem* anno 1552. capitum 36. 7. *Gallicã* anno 1559. articulorum 40. 8. *Anglicam* anno 1562. articulorum 21. 9. *Belgicam* anno 1579. articulorum 37. 10. *Bohemicam* Capitum 20. 11. *Sueuicam* cap. 23. Quæ Confessiones cùm tam Lutheranæ sint, quàm Caluinianæ; manifestum euadit, earum Confessionistas esse Luthero-caluinistas oportere.

2. Testis sit iuxta Confessiones *Cursus Theologicus Ioan. Scharpii Scotobritanni, compositus, & Genevæ excusus anno 1620.* qui iuxta prædictas Confessiones Luthero-caluinisticas disceptat, atque decidit Communes Lutheranis & Caluinianis quæstiones; proprias paucas.

3. Testis est Abraham Scultetus, Palatini Electoris postremi infelix Concionator aulicus & Consiliarius, suis in Decadibus historiæ Reformatarum Ecclesiarum, quarum inde ab Lutheri Apostasia repetit origines, ducitque per præcipuos eiusdem Sectatores, ordine temporum consecutos.

4. Testis, (vt complures omittam domesticos Heidelbergæ) accedit ipse Fridericus III. Palatinus, Caluinismi in Palatinatum inuector ac protector: in sua ad Catechismum Heidelbergensem Præfatione, his verbis: *Ab iis, qui nos proximè antecesserunt, Cognatis nostris, Palatinis ac Electoribus,* (qui Lutherani fuerant inde ab Friderico II.) *varia vtiliter & piè instituta sunt: tamen non ea adhibita est diligentia in illis exequendis, &c.* Lutherana commendat instituta; ad quæ acciuit & Caluiniana; Vt Luthero-caluinistas, etsi minus de nomine, at re ipsa dicendos eos nemo non videat.

II. Nec abs Ratione Luthero-caluinistas appello. 1. Quia sicut Lutherani, ab facta in Comitiis Spiræ, anno 1529 Principũ nonnullorũ Protestatione, Protestantivm sibi suisque nomen pepererunt: Sicut ab oblata in Comitiis Augustæ, anno 1530. Confessione Confessionistæ vocari cœperunt: Sicut ab Euangelii iactatione sese Evangelicos appellarunt: Ita Friderico III. in Augustanis Comitiis pro hæretico proclamato; verùm ab Lutheranis, (vt infirmo in fide) susceptо in sortem partemque Confessionis suæ; continuoque pòst toto Palatinatu Reformationem vrgenti (pulso Lutheranismo) ab Confessionis Augustanæ communione sese Palatini Evangelicos; ab inuecti Reformatione Caluini Reformatos dictitarunt: & sic audire hodieque amant. Verùm quid *Euangelici Reformati* reipsa sunt aliud, quam *Luthero-caluinistæ*?

2. Nouimus Lutheranos esse dicique velle *Protestantes, Euangelicos, Confessionistas*: At ambiunt & Caluinistæ videri, dicique iidem. Et iam diu Lutherani hos pro talibus agnouerunt, & acceperunt in & Synodis, & nupera rebellium Vnione;

teste Anhaldina Cancellaria, & Consiliis Heidelbergensi in Cancellaria repertis. Quodque caput est; communes Vtrorumque Opiniones fidei pleræque, compluraque Synodalia Decreta communia tenentur. Transeant igitur in commune nomen *Luthero-caluinistarum*; qui in & Nominum, & Titulorum, & Originum, & Synodorum, & Dogmatum, & Vnionis Communionem iam diu concesserunt: Qui in parem Ecclesiæ Christi, Imperiique perniciem conspirarunt, in vtriusque euastationem irruperunt: Et perrupissent; nî DEVS illorum conatus euertisset. Hæc ratio appellationis *Luthero-caluinistarum*.

III. AN INIVRIA? Nulla inquam. Docet id facta relatio: docet Sententiarum hoc in Opere meo Luthero-caluinisticarum Inductio & demonstratio: docet Luthero-caluinisticarum consultationum communio, coniurationumque Reuelatio facta. Si tamen Iniuriam irrogari clament; eam sibi imputent: qui, vt rursus, ipsi malum sibi cacarunt, dum & Scholasticè, & Ecclesiasticè, & Politicè discordes concordant in euersionem Theologiæ, Ecclesiæ, ac Politiæ Romanæ.

DICES. Discordes sunt, vt qui maximè, Lutherani & Caluiniani.

Noui, inquam: Idque & hoc in Opere Luthero-caluinistico doceo: Verum ita, vt in perpaucis discordes; concordes autem in plerisq; esse demonstrentur; indice teste à me confecto.

II. OPERIS HVIVSCE RATIO HÆC EST.

I. *Non scribo hæc Lectoris oblectandi gratiâ; sed causâ vel Informandi nescientem Veræ; vel Confirmandi recta sentientem; vel Infirmandi pertinaciter vtrisque repugnantem.*

Sed pugnas hoc in campo iam diu, sæpeque pugnatas iteratò pugnare videbor.

AT, nemini pugno: pugnas solum recolo; & spolia lego: breuique in Synopsi collecta propono.

II. *Deinde* PATRIÆ SERVIRE *meæ studeo Palatinæ*; & in hac tum Pastoribus, tum Ouibus.

1. PASTORIBVS compendiosum paro subsidium ad Controuersias Synoptice recolendas animo: ad efficaciter proponendas populo: ad minuendas in Magna Volumina impensas, & has seu vigiliarum in euoluendo, seu pecuniarum in coëmendo.

2. OVIBVS, præsertim Palatinis: vt, (quæ ad Catecheticas controuersiarum conciones adsuefactæ, eas altè combiberunt) habeant in hisce meis sui speculum Luthero-caluinismi; & nostræ Orthodoxæ Fidei: in quo vel ab Pastoribus audita recolant; aut elapsa memoriæ reuocent; aut minus intellecta penitius perspiciant; aut ignorata discant.

3. Nî fallor, obstupescet, cohorrescet omnis Electa anima, natioque Luthero-caluiniana ferè omnis: & vix credet ipsa sibi, vix mihi; se ita credere; aut Luthera-

theranam cum Caluiniana, aut hanc cum illa Sectam sese sectari. Adeo collecta hæc compendio, & intellecta, animos ferient acrius; & altius penetrabunt; & perspicua breuitate efficacius demonstrabunt.

AGE BONE PASTOR ouium Palatinarum:

Ecce Tibi, secundum Deum, laboraui; præsertim vt cui Volumina grandiora seu parare pretio, non suppetit: aut euoluere lectu, minus vacat; aut contrahere fusa; aut sparsa colligere; aut ad tales Consimilium rerum Titulos reuocare non licet, libetue. Si vis; vtere *Partis* ab Illustrissimo Bellarmino; *Paratis* à me; sicque *Partitis*, & *Contractis*. Vtere Compendio; senties, quod absque dispendio; quin perutili impendio ad multorum salutem, & maiorem Dei gloriam.

III. *MODVM hunc teneo, talem.* 1. *Luthero-caluinismos Vtrorumque sæpius verbotim; subinde summatim propono: Orthodoxam subiungo doctrinam, & hanc Demonstratam:* Idque in Luthero-caluinista & Genealogia *ex Variis; in illo tamen, quàm in hac, diligentius*: in Antichristo *ex S. Scripturis solis:* in Antipapista Mendace, *ex notoreitate, sine seipso notis.*

2. *Luthero-caluinisticæ firmamenta causæ, SVASIONES appello, vt quibus Veri nil inest: Ideoque refello; straminea, aut plumbea eleuo, aut despicio: Vel quòd Obgannitum expectem Luthero-caluinisticum, (si cui: se talem profiteri allibuerit) Vel, quòd tanta subinde per seipsam elucescat hic* Absurditas; *isthic* Impietas; *alubi* Futilitas; *plerumque* Falsitas *aut calumniosa, aut blasphema; non rarò* contradictoria eiusdem Varietas; *sæpè plurium, alia opinantium Andabatarum*, Diuersitas: *Vt quæ seipsa confodiant, velut in gladium proprium incubuissent Saulina. Hic interim.*

Do Multa Magna Paucis.

3. Antiluthero-caluinismos, *hoc est, in quibus Lutherani & Caluiniani dissident; & digladiantur, solum indico; non discepto: Suas ipsi Antagoniis antagonizent; etsi vel in tartaro.*

IV. HOC SPERO ET SPECTO: quòd multi qui in meo *Luthero-caluinista*, Falsitatem & Veritatem iuxtà Demonstratam synopticè conspexerint: 2. Qui in *Genealogia*, nostratium hæreticorum originem ab damnatis olim Hæresiarchis descendere perspexerint: 3. Qui in *Antichristo*, quæ Christi, quæque Luthero-caluinismi sunt, esse contraria intellexerint: 4. Qui in *Antipapista Mendace* calumnias, sycophantias, & blasphemias sectariorum vel attigerint: 1. Qui in *Theomachia* blasphemam Impietatem: 2. In *Ecclesiomachia* virulentam Diritatem: 3. In *Mysteriomachia* sacrilegam Temeritatem: 4. In *Charitomachia* desperatam Fidem, simul & præsumtuosam cognôsint: SPERO, inquam,

quòd

quòd multi *S*entire, Viuere, Facereque cum talibus, (nî ſeipſos deſperârint) exhorreſcent.

V. QVO certior Labori meo fructus; animarum conuerſioni ſalus; Gratiæ Dei Gloria reſpondebit. ITA VOVEO. Vtere: Fruere; Vale, & *Viue diu*; *ſed Viue DEO*: Nam viuere Sectis, Mors eſt.

VIVE DEO.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

COPPENSTENII LVTHERO-CALVINISTICA THEOMACHIA,

DE TRIVMPHANTE
ECCLESIA;
HVIVS SVNT VERBVM
DEI, CHRISTVS, SANCTI, ET
ANIMÆ PVRGATORIÆ.
PRÆFATIVNCVLA.

INSTITVENTI *mihi vniuersam æui nostri inclinati Nouatorum*, LVTHERI *inprimis ac* CALVINI *Assectarum, Theologiam, seu verius Theomastygiam, perbreui comprehensam Synopsi, dare sub aspectum, ac in* VSVM *familiariorem; ad hæreticorum reductionem allaboraturis Parochis, cæterisque compendio sine dispendio gaudere solitis; quò cuique manifestior euadat impia* VTRORVMQVE DISCORS CONCORDIA; *quæ vnum ipsis commune, hac ætate nostra, parit nomen* LVTHERO-CALVINISTARVM; *Deinde vt perpetua Romanocatholicæ Fidei Constantia atque Concordia emineat illustrior: Is mihi* PARTIVM ORDO *visus est commodior, vt exequerer ista;*

I. De Ecclesia Triumphante; in *Theomachia.*
II. De Militaribus Ecclesiæ statibus; in *Ecclesiomachia.*
III. De Militantis Ecclesiæ Sacramentis; in *Mysteriomachia.*
IV. De Militantis Ecclesiæ Coronide, seu gratia: in *Charitomachia.*

De singulis autem dabo libellos quatuor.
I. Luthero-caluinistam.
II. Antichristum Luthero-caluinissimi.
III. Genealogiam Luthero-caluinismi.
IV. Antipapistam Mendacem.

HVC TV ME DEVS ADIVVA: FAVETO MARIA, COELITVMQVE cæteri Fauete. Vobis milito; Ecclesiæ mea Scripta SVBMITTO.

I. DE VERBO DEI SCRIPTO, TRADITO, AC INCARNATO.

QVÆSTIO I.

Qui ſint Canonici S. Scripturæ libri: quæque Vulgatio proba?

LIBERTINI, ex Luthero prognati, autoribus Coppino & Quintino Picardis Sutoribus; itemque Gaſpar Schvvenckfeldius nouum orbi monſtrum hæreſios effuderunt iſtud, teſte *Frid. Staphilo lib. de Concordia diſcipulorum Luth. & Petro Palladio lib. de hæreſibus*: Dei Verbum Scriptum, vt Literam occidentem, repudiari oportere; ſolius quæ interni Spiritus Critirio ſuo quemque ſubauſcultare. Idemque Scripturis palliant ſpecioſè.

LVTHERVS & inprimis CALVINVS *lib. contra Libertinos cap. 9.* ſicut ſtylum in hos certatim exacuerunt: ita vnanimi libidine calumniandi Eccleſiam Dei, eandem fanatici Spiritus ſacrilegam veſaniam nobis Romano-catholicis impudentiſſimè impingere nihil erubuerunt. Vt qui. ait CALVINVS initio lib. aduerſus Anabapt. *dicamus, ſacroſanctas Scripturas miſſas fieri oportere, vt Autoritate hominum acquieſcamus.* LVTHERVS lib. de Conciliis. *Papa Sacram Scripturam in puluere ac cœno ſepeliit, & Doctrinam Chriſtianam panè integram deleuit.* Vide meum *Mendacem Antipap. p. 1. quæſt. 1.*

SVADENT Libertini iſtis præcipuè; 1. Ex 2. Cor. 1. *Fecit nos Miniſtros Noui Teſtam: non Literæ, ſed ſpiritus.* 2. Ier. 3. *Dabo legem meam in mentem eorum, & in corde eorum ſcribam leges meas.* 2. Cor. 3. *Epiſtola vos eſtis ſcripta in cordib. veſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus.* 1. Ioan. 2. *Vnctio ſpiritus docebit vos de omnibus.* 3. Iſa. 54. *Dabo omnes filios tuos doctos à Domino.* Et factum eſt ita: 1. Theſ. 4. *De caritate Fraternitatis non neceſſe eſt ſcribere; ipſi enim à Deo didiciſtis.* Ioan. 6. *Erunt omnes dociles Dei. &c.*

AVTOR. Eccleſia Orthodoxa, id eſt, Romano-catholica Verbum Dei ſcriptum ſacroſanctè, ex quo accepit, ſemper retinuit, ſub Cuſtode S. TRADITIONE; & illud juxta mentem ſenſumque orthodoxum, S. Spiritus via Magiſterio, explicauit ac prædicauit vnanimi ac vniuerſali cum conſenſu. Verùm quæ duo inſunt vni Verbo ſcripto, ea ſeparari non debent: Litera & ſpiritus. *Litera* namque ſola multos *occidit* Nouatores: *Spiritus* verò in Litera *viuificat*, vt verè ſint *verba vitæ*: ipſaque ſtabilis ac certa Fidei Regula; ſed Partialis: Conſenſus vniuerſalis Eccleſiæ Docentis vt SIC, ſiue TRADITIO ſi acceſſerit, vti acceſſit, iam continuò Opus Dei perfectum conſtitit, vt nec portæ inferi aduerſus illud valuerint vnquam prævalere.

Quò vanior, ne dicam inſanior, eſt Libertinorum iactantia: certior autem Eccleſiæ doctrina & Conſtantia negantis habendum illud pro DEI Verbo, quod priuatim cuiq; ad cor loquitur ſpiritus: Sed hoc ſolum quod à DEO Reuelatum conſiſtit tum in ſcriptis Propheticis, Euangelicis, & Apoſtolicis; tum in Traditis ab Eccleſia, ex infallibili S. ſpiritus Aſſiſtentia promanantibus. 1. Quia Prophetæ, Chriſtus, Apoſtoli ad tribunal S. Scripturæ prouocarunt, non ad interni ſpiritus judicium. *Deut. 7. Iſ. 8. Mal. 2. Luc. 4. v. 21. Mar. 12. Mat. 22. Ioan. 5. &c.* 2. Quæ prophetata accipimus, certa e-

euenis-

uenisse tenemus: at priuati spiritus criteria, vt alicui in se certa quædam forent; nobis tamen incerta manerent; nisi diuinitus confirmarentur: Sicut quæ iam prophetica tenemus, certissimè euenisse Deus est testatus: vt docet *S. Aug. l. 18. Ciu. c. 41.* 3. Consensum quoque mirificum & Scriptorum, & seculorũ, videmus, vti vno ex spiritu. 4. Accedit vindex Deus S Scripturæ contra profanos illius abusores ac temeratores, dirè de cœlo punitos. 5 Et verò cum omnis Respub. legibus scriptis regatur; planè conuenit & Remp Christianam diuinis Decretis, scripto declaratis, gubernari.

6. Demum vide age Lutheri in S. Scripturam reuerentiam; quam ei pro sua in nos alumnia repono; (nã de Calvino inferius.) Parce mihi Deus in fanda referenti! His ornat TITVLIS illam profanus Hæresiarcharum Centonista Lutherus.

a. S. Scriptura merum est Venenum, b. Liber hæreticorum, c. Charta luxoria, d Larua, e Præstigiatorius sacrum, f Nasus cereus, g. Incerta, h. Inutilis, i. Biblia sunt bublia, Babylonica, k. Biblia rationis, Iudæorum, Mahumetis, fumibularia, Biblia sub podice suillo, in lecto meretricio, l. Est liber seruus, m. Sathan, n Merda Sarana, o. tersus in laterna &c. a. Tom. 2. Wittenb. f. 111. a b. In postilla de falsis proph c. Tom. 2. Wittenb. f. 169. b d Tom 4 f. 135. e Tom. 2 f. 313. f Tom. 6 f. 48. g Tom 1. f. 115. h Tom. 2 f. 204. i. ibid. f. 61. k. To. 5 f. 162. l Tom. 1. f. 155. m. ibid. n. Tom. 2 f. 391. o. Tom 2. Ienens f. 410.

DICO AD I. *Litera* solum dicitur Lex incisa lapidibus; cuius Minister Moyses: quæ occidit dans mandatum, sed non gratiæ auxilium; sicque, *Rom. 4.* præuaricatores constituit, facitque peccatum supra modum peccans & augens concupiscentiam, *Rom. 7. Aug. l. de Spir. & lit. c. 4.* Itaque lex ex se sancta est; at occasione accepta occidit. Nouũ Testam. verò nil pertinet ad Literam Veteris Test. confertque gratiam & à peccato liberat &c. AD II. Ista non tollunt S. Scripturam; sed docent quæ per gratiam, & Spiritum Christi, & Consensum Ecclesiæ sint ad Fidem necessaria. AD III. S. Aug. intelligit illa de fide in Deum & Christum, vt cuius futuri sint omnes capaces, Deo fidem infundente.

II. De Canonicis libris Veteris Testam.

LVTHERANI. & Magdeburgenses lib. 2. Centuria. 1 cap. 1 col. 51 & Lutherus, & Cinglius in Præfationibus conuersorum ab ipsis Bibliorum. *libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici. & Machabæorum à sacro Canone auellunt.* Sic & Kemnitius in Exam. Trid. sess. 4. Ioan. Brentius in Confessione Wirtemb. cap. de Scrip. sacra, *eos solum libros agnoscunt canonicos, quos Hebræi recipiunt. Hi vero, traditos refutant,* ait S. Hieron. in Prologo Galeato. Lutherus quoque inasserit. art. 37. de Purgat. pertendit, *Libros Machabæorum nullius prorsum esse autoritatis.*

Kemnitius prædictos libros esse bonos ac sanctos asserit; non tamen infallibiles sic, vt ex iis firma duci argumenta queant. Itaque

LVTHERANI & CALVINIANI simul exauctorant Tobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum, & Machabæos.

SVADENT istis, 1. Quia Iudæi reiecerunt eos ab Canone, 2. Quia & S. Patrum quidam eosdem repudiarunt.

CALVINVS Instit l. 1. c. 11. §. 8. *Arguit mendacii librum Sapientiæ:* tantum abest vt eum amplectatur. Instit. l. 2. c. 5. §. 18. *librum Ecclesiastici solidæ esse negat autoritatis* Idem & de libris Machabæorum iudicat *Inst. 3. c. 5. §. 8.* In *Antidoto autem Concilij Trid. sess. 4.* Tobiam, quoque & Iudith repudiare videtur. Inque his suum sequitur Caprum grex Caluinistarum.

AVTOR. Sacrorum Librorum classis est triplex. I. Cunctis certissimæ autoritatis: Vt *Pentateuchus, Iosue, Iudicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo: Esdræ & Nehemiæ duo, Iob, Psalterium 150. Psalmorum: Prouerbia, Ecclesiastes: Cantica, Prophetæ maiores IV. Minores XII. Euangelia IV. Acta, Epistolæ Paul. XIII. Canonicæ duæ, Petri vna, Ioannis altera.*

II. Classis, Minus exploratæ autoritatis, cunctis, vbique, semper: Vt *Hester, Baruch, Danielis pars, Thobias, Iudith, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæorum, 1. & 2. Marci, Lucæ & Ioannis partes: Ad Hebræos, Epistola Iacobi, Petri secunda, primæ Ioannis particula: secunda, tertia Ioannis.*

III. Classis Librorum ab aliquibus agnitorum pro sacris; sed non publico Ecclesiæ judicio approbatorum: Vt *Oratio Manasse, 3. & 4. Esdræ, tertius & quartus Machabæorum, Psalmus 151. Appendix libri Iob, Pastor Hermetis.*

DICO AD LVTHERANORVM Exauctorationem Veteris Testam. 1. quòd ipsis contraria militant sacra veterum Concilia inde ab Concilio Carthigin. III. Itemque S. Patres. 2. Figmẽtum verò Kemnitii implicat contradictionem, statuentis esse Canonicos, & tamen non infallibiles; cùm ideò sint norma, qua imperitiæ nostræ fallibilitas regatur, ne aberret: At, quî erunt regula nobis, si sint fallibiles ipsi? Obiectiones aduersariorum triuiales, vide apud *Bell. l. 1. c. 13. 14.*

DICIT AD I. *S.* Aug. 18. Ciuit c. 36. *Machabæorum libros non Iudæi; sed Ecclesia pro Canonicis habet. Dein*: tempore Esdræ factus est Canon; at tunc libri Machabæorum nondum erant scripti. Ad II. Innocentius Papa Canonem primus definiuit in Ecclesia; quem S. Augustinus, cæterique sunt secuti: non igitur reiecerunt.

III. De lib. Canonicis Noui Test.

II. LVTHERVS, Brent. Kemn. Magdeb, Epistolam Iacobi & Iudæ penitus contemnunt, de secunda Petri, de 2. & 3 Ioannis, dubitant: alii variant.

CALVINVS & CALVINISTÆ, *in Confessione Posiacensi art. 3.* eadem recipiunt omnes.

AVTOR. Verè Apostolicas ac diuinas esse declarauit Conc. Carthag. III. Et porrò cætera: Sanctique Patres. Neque obiectiunculæ Lutheranæ robur habent vllum. *Bell. lib. 1. cap. 18.*

LVTHERVS *in Præfat. Noui Testamenti* Apocalypsin nec pro libro Prophetico, nec pro Apostolico recipit, eò quod beatos dicat, qui seruant ea quæ scripta sunt in ea; cùm eam nemo sat intelligat.

CALVINVS eam propugnat acriter, & cum eo, desciscentes à suo Luthero Magdeburgenses *Cent. 1. l. 2. c. 2.* Erasmus in fine annotationum in Apoc. anxiè conquirit argumenta, vt eam S. Ioanni abiudicet.

AVTOR. Apocalypsis verè est Ioannis: testibus Conciliis Ancyrano, Carthag. III. &c. & S. Patribus quà Græcis quà Latinis. Neque obscura solum vaticinia, sed præcepta etiam moralia continet; vtpote cuius scopus est nos hortari ad perseuerantiam & patientiam in persecutione. Verè S. Augustin. 1. debono perseuer. c. 1. *Scripturas sic accipiunt, vt suo quodam priuilegio, imò sacrilegio, quod volunt, sumant; quod nolunt, reiiciant.*

LVTHERANI *Epistolam ad Hebræos nec esse Pauli, nec vllius Apostoli contendunt; quòd quædam contineat contra Euangelicam & Apostolicam doctrinam.* Ita Lutherus in Prologo ad Hebr. Brentius, Kemn. Magdeburgenses.

CALVINISTÆ verò, *esse Apostolicam pertendunt; Eccuius tamen, addubitant.* Ita Caluinus Instit. cap. 8. §. 216. impressa anno 1554 & cap. 10. §. 83. &c. Quocirca Ministri in Confessione Pissiaci oblata art. 3. *Canonicam asserunt; sed autoris incerti.*

AVTOR. Sed vtrique in hoc, aduersantibus SS. Patribus, secuti sunt hæresiarcham Marcionem, iam olim ob idipsum condemnatum: teste *S. Hieronymo in Præfat. ad Titum.* Sequuntur & Arium, apud *Theodoretum* in præfat. ad Hebr. *Bell. lib. 1. cap. 13.*

IV. De

IV. De Vulgata Editione.

LVTHERANI; vt Kemn. *ad Trid. Sess. 4.* Et CALVINIANI, vt Caluinus *in Antid. ibid. & Instit. l. 1. cap. 6. §. 11.* Vulgatæ, seu Hieronymianæ, odio editionis, omnia examinari, emendarique volunt ad textum Hebræum; vt quem fontem esse purissimum appellent. Hinc innumeræ, & pugnantes sunt eis versiones; vt Lutheri, Oecolampadii, Bibliandri, Castallionis, Iunii, Tremellii, Munsteri, Bezæ, &c. vide *infra quæst. 3.*

AVTOR. At ipse Caluinus ibid. coarguit Iudæos, vt qui Lectionem inuertant: quare & iste fons subinde turbidus manat. 2. Quin meliorem esse Latinam versionem ipse fatetur; eò quod Rabbini, cùm addiderunt puncta, plusçula seu odio, seu imperitiâ, deprauarunt. 3. Lutherus in Comment. de nouiss. verbis Dauidis ait: *Omnino melius esset retinere versionem vsitatam, quam tot nouas cumulari*, &c. Inlibr. prophetiarum suarum collecto per VValterum Hall. *Paulatim tam multa futura sunt Biblia, quam multi scioli in Hebraica Magistros se profitebuntur.* Nimirum Genes. 11. *Quia ibi confusum est labium terræ, vocatum est nomen eius Babel.* Iuxta illud: *Confundamus linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.* At è contrà Romano-catholicis, *Ecce vnus est populus, & vnum labium omnibus.*

V. De Autoritate Versionis.

LVTHERANI volunt Lutheri versionem haberi pro autentica. Sic in Decreto Lipsiensi Melanch. Pomer. &c. subscripserunt.

II. ZWINGLIANI, Anabaptistæ & Caluinistæ nullam habere volunt autenticã: teste præfat. Tigurinæ editionis.

III. Lutherani tamen & Caluiniani iunctim, vt Kemnit. & Caluinus exagitant Cõc. Trid. sess. 4. quod solam vulgatam iubeat esse adprobatam. Sic & plures alii: quorum mendacia vide *in meo Mendace Antipap. meo p. 1. quæst. 1.*

SVADENT istis 1. Quia potius credendum fontibus Hebr. & Græcorum, quam riuulis interpretum. 2. Huc plura coaceruant loca, quasi deprauata.

AVTOR. Hieronymiana versio probatur in Conc. Tridentino, ab vsu probato plus mille annorum continuo: & ob testimonia S. Patrum. 2. Hebræi Hebræam, Græci Græcam suam obseruarunt autenticam: quò magis & Latini latinam habeant oportet. 3. Hebræa lingua vix paucorum est in Cõciliis; Latina, omnium. 4. Solenne autem est hæreticis, vt velent suas corruptelas, ad fontes sese Hebræos, Græcosue referre.

DICO AD I. Fontes turbarunt tum Hebræi tum Græci: Latina autem Ecclesia vt in fide constantior; sic in sana versione custodienda fuit obseruantior, quam Græca, &c. Ad 2. Vide *Bellarm. libr. 2. cap. 11. & 12.* Particularia enim prætereo: cùm ex vniuersæ genere quæstionis constare queunt.

VI. De Vulgatis Linguis S. Scriptura.

LVtherani, *Caluiniani*, cæterique Nouatores; vt Brentius *In Confess. VVirtemb.* Caluinus *Inst. 3. cap. 20. §. 33.* Kemn. *ad Sess. 4.* conclamant, In omni lingua edi licere, & debere S. Scripturam legi, atque cantari.

SVADENT istis. 1. Quia, 1. Cor. 14. *Si incertam vocem det tuba quis parabit se ad bellum? Ita & vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id, quod dicitur? Eritis enim in aëra loquentes.* Infra *Si orem lingua, spiritus meus orat; mens autem mea sine fructu est, &c.* 2. Caluin. Isa. 29. Mat. 15. *Hic populus labiis me honorat.* 3.

Kemnit. Præcipit innocentius III. vt procuret episcopus officia diuina linguis diuersis celebrari vbi diuersarum fuerit linguarum populus. 4. Finis Diuinorum est Instructio, Consolatio, Ædificatio: quæ nulla sunt in linguæ vsu ignotæ, &c.

AVTOR. Vulgares versiones non prohibet Ecclesia; sed earum vsum cuilibet prostitui non probat. Hebræam tamen puramque Græcam, & Latinam oppidò colit, & obseruat. 1. Quia ab tempore Esdræ vulgaris esse desiit Hebræa lingua per 70. annorum captiuitatem Babylonicam: attamen Lex in sola Hebræa prælegebatur populo. 2. *Esd. 8.* Sic etiamnum hodie assolet Iudæis. 2. Quia Apostoli omnibus linguis prædicarunt; at solum Hebræâ & Græcâ scripserunt; forsan & Latinâ. Et Paulus Romanis Græcè scripsit. 3. Cõmunicatio nationum vnitasque fidei rectius seruatur in communissimis linguis. 4. Quia Inconuenientia plura sedant ex vulgarium vsu linguarum. *Bell. cap. 15.*

DICO AD I. Ibi agitur de Exhortatione spiritali: non præcipuè de Officiis diuinis. Ita *S.* Patres, Cypr. Aug. Bas. Ambr. &c. *Deinde* Officia sat est si vnus, aut pluiculi intelligant, & respondere sciant. *Demum* de Canticis spiritualibus ibi potissimus est sermo, de laude Dei, oratione gratiarum actione: hæc popularia sunt; Officia verò Clericalia sunt.

Ad II. Non labiorum solorum, nec intellectus solius oratio; sed cordis puri & affectus deuoti, honorat Deum; etsi non intelligatur ab orante seu audiente illam.

Ad III. De sola Hebræa & Græcâ ibi fit sermo; non de vulgaribus.

Ad IV. Finis præcipuus Diuinorum officiorum est cultus Deo debitus ab Ecclesia: at Cleri est populum docere, solari. &c.

QVÆSTIO II.

Sitne S. Scriptura per se ipsam intellectu facilis & aperta?

LVTHER VS in præfat. assert. artic. *Scriptura per se certissima, facilima, apertissima est sui interpres, omnium omnia probans, iudicans* &c. Dicit ibid. clarorem esse omnium Patrum scriptis. Addit amen alibi 1. Si quid hic sit obscurum, explicari alibi: 2. Item clara per se, obscura fit suis & infidelibus, obstinatum affectum; 3 Brentius *in proleg. contra Soto*, obscuram subinde vocari ob phrases Hebraïsmi & Graecismi. Sic plerique Lutherani.

CALVINISTÆ, apud Ioan. Scharpium in cursu Theol. controu. 7. de Scriptura, ad Iacobum Angliæ Regem anno 1620. *In verbis sæpè difficultas: at in rebus articuli fidei sunt manifesti. 2. In se scriptura est perspicua; at nobis difficilis, ob cæcitatem, & ignorantiam, aut curiositatem, quòd expressis in ea non contenti curiosa indagemus. 3. Dogmata quædam in se sunt obscura, ut de Deo Trinuno. &c. Quatenus tamen expedit, ut ea cognoscamus: sunt manifesta. 4. Scriptura claritas, respectu nostri, Interna cordis, oget illuminatione Sp. Sancti; cùm naturali acumini omnia sint obscura: Et ea claritas est fidei, & solida notitia. Externa, in verbis est posita; Sic dogmata in Scripturâ exposita sunt omnia, vt ea vel impii, imò & dæmones ex scriptura intelligant, historicè solum.*

SVADENTISTIS. 1. Deut. 30. *Mandatum quod præcipio tibi, non supra te est, &c.* Brentius, addit, *Vt non sit opus ire Romam.* 2. Psal. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos &c.* 3. *Habemus* 2. Pet. 1. *firmiorem propheticum sermonem; cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* 4. *Quod si opertum est Euang.* 2. Cor. 4. *in iis, qui pereunt, opertum est: in quibus Deus huius sæculi excæcauit oculos infidelium.* 5. Vetus Test. erat liber signatus, *Isa. 29.* at in Nouo est apertus

pertus ab Agno, *Apoc. 5.* Ideo Mat. 27. *velum templi scissum est*, in signum, &c.

AVTOR. Scriptura 5. hîc facilis est; obscura isthic. 2. Pet. 3. *In* epistolis Pauli *sunt quædam difficilia intellectu; quæ indocti, & instabiles deprauant; sicut & cæteras Scripturas: ad suam ipsorum perditionem.* Difficilia, ait, absolutè; non solum indoctis, vt hæretici volunt. 2. Sic S. Patres apud *Bell. l. 3. c. 1.* 3. Ratio *S. Chrys. hom. 44. in Matt. op. imper.* Quia Deus voluit alios esse Magistros, alios discipulos. *Deinde* Ne clara non tam vtilis, quam contemtibilis foret. *Item* quò ad Res, obscura est in altissimis mysterijs: Quoad Modum, sæpe videntur contraria loca; Verba sunt & orationes ambiguæ; Imperfectæ; Præposteræ in ordine; Hebræismi. 4. Si clara; cur Lutherus, Caluinus, &c. tot tantaque Commentaria in eam fuderunt? Vt Osiander contra Melancht. dicat, de sola Iustificatione secundum Scripturas vltra XX. sententias versari diuersas. Vnde Lutherus lib. contra Zvving. & Oecolamp. *Si diutius steterit mundus, iterum fore necessarium, vt propter diuersas interpretationes, quæ nunc sunt, ad conseruandam Fidei Vnitatem, Conciliorum Decreta recipiamus.* Idem in præfat. ad Psalmos: *Nolim id de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit sanctissimorũ & doctissimorum, id est, Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere & docere. Multa sibi reseruauit Spiritus, quò nos semper discipulos habeat: multa solum ostendit, vt alliciat: multa tradit, vt afficiat.* Infra. *Scio esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri, vnum Scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum.* Similia Brentius, Kemnitius, &c.

DICO AD I. De tota Scriptura quæritur; non de sola Mosaica lege: vnde ex parte malè de toto concluditur. Deinde S. Patres id capiunt de facilitate implendi mandata Decalogi: *Tert. Orig. Ambr. Chry. &c.* Alij de facilitate Intelligendi id accipiunt; vt *Abulensis &c.* Ideo subditur: *Prope est sermo in ore, in corde tuo*: nam Decalogus est legis naturæ. Dauid, vbi difficilem sibi legem dicit, respexit ad totam Scripturam.

AD II. Idem è contrà orauit, Psal. 118. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* Psal. 135. *Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me justificationes tuas.* Clara igitur lex Moysis est per se, quoad literam, sensum literalem, & Omnem sensum per accidens, si illuminatio DEI accesserit. Sensus enim literalis iam est expressus; vt, *non occides*: iam implicitus, dum idem prohibetur.

AD III. Scr. intellectæ illuminant: ideo Eunuchus ait: *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Euntes in Emaus illuminati facilè Scripturas intelligebant. Deinde à Prophetiis veteris Testam. malè infertur de tota Scriptura: Neque illa semper clara est; teste Eunucho: quia *2. Cor. 3.* sub ænigmate prophetabant de Christo: ideo jubet, Ioh. 5. *Scrutamini scripturas.*

Apocalypsin, Danielem, Ezechiel quis sat vnquam intellexit? Ideo laudantur *Attendentes*: Iubentur *Scrutamini.* Monẽtur, *Quòd omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. &c.* Rom. 11. *Quis enim cognouit sensum Domini?* 1. Cor. 12. *Nũquid omnes Doctores. &c.*

AD

AD. IV. Agitur ibi de Euangelio Prædicato infidelibus: non de scripto. Vnde 1. Cor. 1. *Nos prædicamus Christum crucifixum; Iudæis scandalum; Gentibus stultitiam. Deinde*; Clara prædicatio; sed incredulis obscura Fides: quia Scripturam vel non intelligunt, vel ei non credunt. Indicabat id velamen, Moysis faciei oppansum. *Demum*: Mysteria credentibus sunt certa omnibus; multis clara: Scripturæ tamen non multis; minus omnibus liquent.

AD. V. Iam liquet scriptura credita, quoad verba, sensum literalem, & mysteria præfigurata aut prophetizata. Ipsa Apacolypsis cui aperta est? At credita est, & exposita Ecclesiæ sat liquet.

QVÆSTIO III.

An sit cuiusuis Biblia legere, & Interpretari?

LVTHERANI & CALVINIANI iuxtà, cæterique, 1. Sibi sumunt Scripturam è quauis in quamlibet linguam vertendi licentiam: item Hebræam, Græcamque, Latinamque interpretandi ad libitum. Hinc à vera lectione ac Interpretatione in diuersa abeunt, ac obscænè discrepant in & verbis, & sententiis, quin & libris quoq; Scripturarum mutatis, mutilatis, omissis, eiectis, additisque nouis. Liquet è iusta superius allata eorum querela: Cui addit Lutherus ibid: *Istis nihil proficitur, nisi quod discrepantia lectionum turbat memoriam, remoratur studium, ac in multis locis incertiorem dimittit legentem, quam fuerat.* Rauchlinus in Concord. hebræ. *Multæ translationes Bibliorum prodeunt; quas melius fuisset non natas esse, vel statim interijsse.*

SVADENT istis communem vulgo lectitationē fieri Scripturarum. 1. Quia Mandat omnibus Dominus, Ioan. 5. *Scrutamini Scripturas.* 2. Beroënses *Act.* 17. quotidie scrutabantur scripturas. 3. Dominus oratione sua ostendit, plus inesse luminis diuini paruulis & abiectis, quam sapientibus & elatis. *Matth.* 11. Ergo.

AVTOR. I. Prælegere, & exponere Scripturas proprium est ad hoc deputatis & instructis. 1. Quia in Vet. Test. Sacerdotum erat, Tuba canere, docere populum, consulere Deum, responsa Dei ferre etiam ad sanctissimos. *Iosu. 6. Deu. 24. 2. Reg. 14.* Malac. *1. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam.* In nouo Test. Eph. 4. *Constituit Deus.* QVOSDAM, non omnes, *Doctores et Pastores, ad consummationem sanctorum, in ædificationem Corporis Christi.* Proinde, Act 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit* VOS præ omnib. *Deus &c.* 2. Tim. 4. *Attende lectioni, adhortationi, doctrinæ. 25.* 2. S. Hieron. *l. 1. contra Pelag.* queritur hæreticos; quò plebis sibi colligant fauorem; scientiam legis quibuslibet, etiam mulierculis, tribuisse. Idem insinuatur factitatum, Iac. 3. *Nolite fieri plures Magistri, nec Scientes; quoniam maius iudicium sumitis.* 3. S. Patres, ut *S. Hilar l. 2. de trinit: et. l. 2. ad Constantiam: S. Hieron. in Gal. 1. S. August. l. 12. Confess. c. 25. &c.* docent; Non aliunde tot ortas hæreses, & schismata proseminata; quam quòd quiuis Scripturam legeret, iudicaret, & sua ad commenta accommodaret.

II. Vnum demus in Exemplum Lutherum, Magistrum vulgaris Magisterij super Sacras Scripturas, quem ipse in interpretando deferat honorem Scripturis. 1. Blasphemat subinde: Vt Tomo 2. Wittembergensi fol. 226. b. *In principio creauit Deus cœlum & terram:* id est: *vorauit cuculus currucam cum plumis*

mis & omnibus: **Der Guckgaug hat die Graßmuck gefressen.** Idem to. 2. Ienen. f. 404. b. *Vos estis lux mundi*: id est: *stercus in laterna*. 2. Verba depravat: testis Georgius Dux Saxoniæ in præfat. ad Nouum Test. Embseri, vbi notat vltra sexcenta loca ab Luthero depravata: vt Isa. 9. est *Deus fortis*; is ponit, *Virtus Patris*: quasi Christus non esset Deus. *Gal. 5.* Omisit in donis Sp. sancti, Patientiam, modestiam, continentiã. 3. Sententias omisit: vt 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant. &c.* 4. Partes omisit: vt Dan 3, versus 66 & partem Esther. 5. Capita omisit: vt Danielis duo vltima. 6. Libros exautorauit, vt Iudiht, Sapientiæ, Tobiæ, Ecclesiasticum, Baruch, Machabęorum lib 1 & secundum, Epistolam ad Hebræos, Iacobi, Iudæ, Acalypsin, *to. 5. fol. 515. 6. to. 2. f.* 188. *a.*

III. Vt omninò iustè quærat P. Becanus in Manuali controu. lib. 1. c. q. 1. 4. *An Lutherani & Caluinistæ habeant Veram Scripturam?* Negat. Sicque probat. In Scriptura tria spectantur, Canon, Versio, Interpretatio.

1. *Canonem* non habent; quia in hoc dirè & procul inter sese dissident, ac digladiantur: nec vtrorumque Canon est ab Ecclesia vnquam adprobatus: adeò is diserepat etiam à S. Patrum Canone prisco ac primæuo.

2. *Versionem autenticam* non habent: patet supra; multas numerant, nullam undique omnes probant; alij alias culpant: *Lutheranam* carpunt Tigurini, Osiandrini, Bucerus, Munsterus. Lutherus post annos XX se errasse crebrò, fatetur. *Bezanã* damnat Castalion, Huberus &c. *Castalionæã* dãnat Beza, ridet, &c. *Munsterianã* Tigurini, Pelicanꝰ, &c. respnũt, &c.

3. *Sensum & Interpretationem autenticam* non habent, nisi quam à nobis accipiunt: vbi abeunt, errant. Vt Isa. 41. *Benè aut malè, si potestis, facite*: id est Luthero, homo non habet amplius liberum arbitrium, quia id per peccatum Adæ perdidit. Item, Mat. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: hoc Caluinus vult ironicẽs dictum, q. d. *Ne serues mandata*. Sic pleraque vult dicta à Christo, Inst. 3. c. 24 § 13. *Ecce, vocem ad eos dirigit; sed vt magis obsurdescant: Lumen accendit; sed vt reddantur cœciores: Doctrinam profert; sed quam magis obstupescant: Remedium adhibet: sed ne sanentur.* Item, Math. 26. *Hic est Sanguis meus noui Test.* id est, Lutheranis, *hoc vinum est meus Sanguis*: Caluinistis, *hoc vinum significat meum sanguinẽ*: Plessæo l. 4 Euch c. 2. *hæc est illa mors & passio, quam paulò pòst sustinebo.* Idem Act. 2. *Non derelinques animã meam in inferno*, id est, Bezæ: *cadauer in sepulcro*. Item Heb. 9. *Honorabile Connubium in omnibus*, id est Caluino & Bezæ, *est honoratum & licitum in omnibus cuiuuis Ordinis.* Malũ! Quæ ista hæc tanta hominum in Diuinis est audacia ac theomachia?

4. Neq; possunt habere sensum Scripturæ verum: 1 Quia donum interpretationis datur tantùm in Catholica Ecclesia, *1. Cor. 12* At ipsorum non est verè Catholica. Liquet seipso, patebit & inf. p. 2. 2 Ibi id reperitur, vbi est donũ miraculorũ: Sed hoc nõ est apud sectarios: ergo nec illud Hæc ex R. P Becano.

DICO AD 1. Solis Legisperitis dictum, *Scrutamini*. nõ omnibus. AD. 11. Vtinam Beroënses sat imitaremur, perscrutantes, quam dissona S. Scriptu-

ris comminiſcantur Nouatores. AD III. paruuli dicuntur humiles doctique; non tumidi Rabini, captiuare nolentes intellectum in obſequium fidei.

QVÆSTIO IV.

Controuerſiarum fidei quis Iudex ſummus in terris?

LVTHERANI & CALVINIANI volunt Iudicem ſolum eſſe Sp. Sanctum in Scripturis loquentem.

Sic LVTHERVS in præfata aſſert. art. 175. *Capite hoc Euangelium; Quia neque Papa, neque Conciliis, neque vlli hominum commiſſum eſt, vt conſtituat & concludat, quid ſit fides. Ideo debeo dicere: Papa, tu concluſiſti cum Concilio; nunc habeo ego iudicium, an acceptare queam, nec ne. Quia non ſtabis pro me, quando debeo mori. Et falſam doctrinam nemo iudicare poteſt, niſi ſpiritalis homo. Ideo res eſt inſana, quod Concilia concludere volunt, quid credendum, cum ſæpe nullus vir ſit ibi, qui diuinum Sp. vel modicum olfecerit.* MELANCHT. in Locis c. de Eccleſia. *Cum de Scriptura ſententia diſſenſio oritur; tunc ipſum verbum Dei eſt Iudex; & accedit Conſeſſio vera Eccleſiæ* i. e. paucorum, ait, cum Verbo Dei conſentientium. Sic & Brentius in Confeſſ. Wittemb. *Ad quemque priuatum pertinet, de doctrina religionis iudicare.*

CALVINVS *Inſt. 4. c. 9. §. 8. 12. 13.* etiam Generalium Conc. & S. Patrum Iudicem facit quemque priuatum.

SVADENT iſtis *1.* Iſa 55. *Dabo omnes filios tuos doctos à Domino.* 2. Ierm. 3. *Dabo legem meam in cordibus eorum. &c. Omnes enim ſcient me.* 3. Math. 23. *Vnus eſt omnium Magiſter veſter Chriſtus.* 4. Iohan. 5. *Ego teſtimonium ab hominibus non accipio.* 5. Ioan. 7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, qui miſit me, agnoſcet de Doctrina mea, vtrum ex Deo ſit.* 6. Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt.* 7. *Spiritalis autem,* 1. Cor. 2. *diiudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur.* 8. *Omnia probate,* 1. Theſſ. 5. *quod bonum eſt, tenete.* 9. *Non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos,* 1. Iohan. 2. *Sed Vnctio docet vos de omnibus.* 10. Epheſ. 2. *Eſtis Ciues Sanctorum, & dom. Dei, ſuperædificati ſupra Fundamentum Apoſt. & Proph.* 11. Alioquin Papa foret ſupra Scripturam; hæcque ab eo robur acciperet. 12. Fides noſtra ſi penderet ab iudicio Eccleſiæ, nimium debili nititur fundamento. &c.

AVTOR. Cùm eo *Spiritu Sancto, quo inſpirati, locuti ſunt Sancti,* 2. Pet. 1. ſit interpretanda Scriptura; iſque omninò infallibiliter aſſiſtat Papæ & Concilio, ſeu Eccleſiæ: idem idcirco Papa cum eâdem ſummus Scripturæ Interpres, Iudexque eſt controuerſiarum: juxta *Conc. Trid. Seſſ. 4.*

I. Quia ſic Scriptura Vetus ac Noua in meo *Antichriſto. p. 1. q. 1.* Et *Exod. 18.* Moyſes ſedit Iſraëliticæ Caput Eccleſiæ Iudexque dubiorum circa legem exortorum decernebat; non ad priuatum ſpiritum remittebat: Inferiores quoque Iudices cauſarum minorum maiora ad vnum cum negotia referebant. Fuit autem Moyſes Iudex, & Pontifex, Sacerdote Aarone maior, extraordinarius ſupra ordinarium, vereque Sacerdos, *Pſal. 98. Exod. 28. 29.* Deut. 17. *Si ambiguum apud te, &c. venies ad Sacerdotem & Iudicē, qui fuerit; indicabuntque tibi iudicij veritatem. Sequereque ſententiam. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio; morietur.*

Hic ineptiunt cum Brentio: 1. Eſſe præceptum conditionatum: 2. Remitti ad politicum Iudicem; 3. Idque in cauſis politicis: AT ibi abſolutè jubetur, pro Sacerdote ſummo, in cauſis religionis ac Legis: Liquet è textu cui vim faciunt Nouatores ex cauſæ bonæ deſperatione.

II. Sic praxis Eccleſiæ; quæ omnes omnium retrò ſæculorum nouatrices controuerſarum quæſtionum hæreſes per Papas, Conciliaque, condemnauit, ſuſtu-

sustulit. 1. *Sæculo*; Act. 15. Ceremoniis Iudaicis antiquandis, contra Iudaizantes. 2. *Sæculo.* De Paschate celebrando contra Quartodecimanos. 3. *Sæculo.* De non rebaptizandis hæreticis, & de absoluendis post Baptismum lapsis, contra Nouatianos. 4. *Sæculo.* De homousia, cõtra Arium in Nicæno. 5. *Sæculo.* In Ephesino, contra Nestorium: in Chalcedonensi Conc. contra Eutychetem. 6. *Sæculo.* in Synodo V. contra plures. 7. *Sæculo.* In Synodo VI. contra Monotelitas. 8. *Sæculo.* In Synodo VII. contra Iconomachos. 9. *Sæculo.* In Synodo IIX. contra alias hæreses. 10 *Sæculo.* Schisma Græcorum. 11. *Sæculo.* In Vercellensi Conc. & Romano, contra Berengarium. 12. *Sæc.* in Rhemensi, contra Abailardum. 13. *Sæculo.* In Constant. contra Ioachimum. 14. *Sæculo.* In Vienn. contra Begaodos. 15. *Sæculo.* In Constant. contra Wickleff & Huss. 16. *Sæculo.* In Trident. contra Luther. Calv. Cinglianos, &c.

Eundem prorsus ad modum in Veteri Testamento, idem sacrum summumque judicium, Legem concernens, Pontificium fuit atque Sacerdotale. *Exod. 18. & 20. Eccl. 12. Malach. 2. Paral 19. &c.*

III. Accedit vnanimis S. Patrũ, ac Imperatorũ consensus apud *Bell. l. 3. de Verbo Dei. 6. 7. 8.* ita decernẽtiũ teneri oportere.

IV. RATIO item pugnat inuicta per sufficientem Inductionem. Quia sicut in Repub. humana, ex Lege naturali, controuersiæ ad Iudicem deponuntur: ita potius in Lege sacra apud Iudicẽ sacrum: Atqui hic ipsa esse nequit S. Scriptura, non priuatus Spiritus; nec sæcularis Potestas: Ergo supremus Ecclesiæ Pastor.

1. *Non Scriptura S.* Quia, vt Lex & Iudex sunt distincta; sic & Scriptura & Iudex. Atque tametsi Scripturæ per collationem Scripturarum conciliari queant; non tamen id sine Iudice: ne lis ex lite nascatur & nectatur, citra finem modumque: Ceu patet in isto: *Hoc est Corpus meum.* Vide *Staplet. in c. 13. Act.*

2. *Non Priuatus Spiritus* cuiusque: vt doceo *in Mendace Antipapistæ par. 1. q. 1. nu. 6. Et in Antichristo. p. 1. q. 1.* Adde, Si in diuinis sufficeret ad dirimendas quæstiones Priuatus cuiusque Spiritus; & in humanis quoque Legibus interpretandis sat foret cuiusque lumen naturale; vt cum quali sunt sancitæ: At hîc coactiua opus est authoritate. Quid, quod olim quoque plures Priuatum Spiritum iactitarint; & falsi, tamen prophetæ fuerunt? *2. Paral. 18.*

3. *Non potestas secularis* esse Iudex potest: Quia hic nequit excedere suam virtutem dictaminis naturalis. Vide *Bellar. l. 3 De Verbo Dei, c. 9. 10.*

Ergo Papa vel Solus, vel cum Ecclesia, legitimus est Iudex sacer Controuersiarum, Plura infrà *par. 2. quæst. 17. 18. &c.*

DICO AD I. *A Domino* scilicet Christo; non à priuato spiritu. *Vel:* Non quòd omnes sint omnia diuinitus intellecturi; sed futuros tales, vt corde credant, quod aure audierint, mouente eos Spiritu Dei. Sic *Augustinus.* AD. II. *Legem*, id est Augustino, gratiam Fidei per caritatem operantis.

AD III. Ibi arguit ambitionem Magisterij; non ipsum Officium.

AD IIII. *Ego non &c.* propter me: at propter alios tamen accepit à Ioanne, 1. Ioan. 15. *Vos testimonium perhibebitis.*

1. Actor. *Eritis mihi testes. &c.*

AD V. Docet bonos carere impedimento vitiorum; ob quæ improbi nec per se, nec per alios intelligere possint.

AD VI. Id est, ait *S. Aug.* Prædestinati audiunt ante mortem vocem DEI. Neque ibi fit sermo de intelligentia S. scripturæ.

AD VII. Cùm certi non simus certitudine fidei, qui verè sint *Spirituales:* Cùm etiam hi non semper illuminentur, quin quædam aliquando nesciant: idcirco non ad eos pertinere potest definitiuum & vltimum judicium fidei. Qui tamen judicet omnia, cum esse spiritalem necesse est, id est, regi à DEI spiritu.

AD IIX. *Omnia*; non *Omnes:* ideò soli Pontifices *judicant omnia*, sc. dubia. Nam de definitis in Conc. Ierosol. Paulus non ait, *probate;* sed, *Act. 15.* præcipiebat seruari.

AD IX. Loquitur, non de omni diuinorum cognitione; alioquin hic frustra doceret eos quædam: sed de sola accepta doctrina, quam ab Apostolis cooperante gratia Dei cõdidicerant: At verò de nondum accepta docet vnctio.

AD X. Verbum Dei, per Apostolos & Prophetas ministratũ, est Fũdamentũ primum: at secundarium quoque est Ecclesiæ testificatio; cuius Lapis Angularis Christus: huius veritati primæ reuelanti Principiò per se; nunc vt SIC scil. per Ecclesiam testantem & docentem, adhæremus.

AD XI. Iudicare de Scriptura æquiuocum est: sc. 1. Verum ea, an falsum doceat: 2. Quæ illius sit interpretatio; quæque sit ipsa verè Canonica, aut apocrypha. Hoc secundo modo; non illo, iudicat Papa vel Ecclesia Scripturam: nam illo priore modo foret supra Scripturam.

AD XII. Pendet à Verbo ipsi⁹ Sancti Spiritus assistentis Ecclesiæ vsque ad consummationem. Plura infrà *part. 2. quæst. 15.*

QVÆSTIO V.

Quatenus Verbo Tradito standum, vel abstinendum?

LVTHERO-CALVINISTICA concordia ab nobis discors est in tribus. I. In Scripturis omnia contineri pertendunt ad Fidem & Mores necessaria: ac proinde non opus vllo Verbo Non Scripto. Ita LVTHERVS in Gal. 1. *Nec aliam doctrinam in Ecclesia tradi & audiri decet, quam purum Dei Verbum; Doctores, vel auditores aly cum sua doctrina anathema sunto.* Brentius in prologo cap. de Trad. *Nulla traditio contra, vel præter testimonia Scripturæ, pro dogmate necessaria ad salutem est.* CALVINVS Inst. 4. c. 8. §. 8. *Esto hoc firmum axioma: Non aliud habendum esse Dei Verbum, cui detur in Ecclesia locus, quam quod Lege primum, & prophetis; deinde & Apostolicis Scriptis continetur.* Sic communis similium.

II. Apostolos quædam, præter Scripturam, instituisse ad Ritus & Ordinem pertinentia; at minimè necessaria, minus præcepta, sed libera: Quæ ad fidem, Moresque necessaria fuerant, scriptis comprehendisse. Ita *Kemnitius* LVTHERANVS, vbi agit *de septimo genere Traditionum.* Et CALVINVS *Instit. lib. 4. c. 10. §. 20. idem.*

III. Kemnitius ibid, *Nullis certis & firmis documentis probari potest, Qui sint Ritus ab Apostolis traditi: qui etiam ex Scriptura astrui non possunt.*

SVADENT triplici genere Scripturarum.

1. Quibus jubetur nil addi Verbo Dei oportere. Vt Deut. 4. *Non addetis ad Verbum, quod*

quod ego præcipio vobis; nec auferetis ex eo. Gal. 1. *Licet Angelus de cœlo Euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema sit.*

2. Quia Scriptura sufficienter omnia continet. Ioan. 20. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quod IESVS est Filius Dei; & vt credentes salui fiant.* 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura. &c. vtilis est ad docendum, & arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo DEI.*

3. Quia Scriptura damnat Traditiones. Isa. 29. *In vanum colunt me docentes mandata & doctrinas hominum.* Math. 15. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Col. 2. *Videte ne quis vos decipiat. &c. Secundum Traditionem hominem.*

4. Ratio. Quia Scriptura data est vt habeamus regulam fidei, ait *Aug. 19. Ciu. c. 18.* At *Dei perfecta sunt opera*: ergo ea regula perfecta est, & adæquata fidei.

AVTOR. I. Hic duo aduerte: 1. Mendacia, quæ nobis affingunt: De his in meo *Mendace Antipapist. par. 1. q. 2.* Alterum: Contradictionem, qua seipsos iugulant. 1. Nam Brentius & Kēnit. locis notatis apertè dicunt; *Nihil æquari posse Scripturis sacris.* Kem. *Insignis audacia est, Maiestati & Autoritati Scripturæ Canonicæ aliquid æquare.* At è contrà Brentius ibid. *Negari non debet, neque potest; quin tàm Christus multa dixerit, & fecerit; quàm Apostoli multa tradiderint, & instituerint; quæ non sunt ab ipsis literis cōprehensa.* Kemnitius ibid. *Apostolos Ritus quosdam ordinasse & tradidisse Ecclesiis, ex eorum scriptis certò constat: Et verosimile est quosdam alios externos, qui in Scriptura annotati Non sunt, ab Apostolis traditos esse.* Atque ita suopte peculio sibi laqueum parant insuspendium isti.

II. Ipsa NECESSITAS Traditionum docet ipsas, euincitque probas. 1. Quia Scripturæ sine iis non fuissent necessariæ, nec sufficientes: Nam Traditio fuit Autor condendæ, tradendæq; Scripturæ: jam traditæ verò Custos & ipsa fuit, est, erit. 2. Quia Trad. quædā sunt Apostolicæ tàm de Fide, quàm de Moribus necessariæ. 3. Quia de veris Traditionibus esse certi possumus viâ certâ; ideo salutares sunt. Singula nunc doceamus.

DE 1. Scripturas sine Traditionib⁹ non fuisse sufficientes, nec simpliciter necessarias, probatur trifariam: 1. Ab Veteri Testam. 2. Ab Noui Scriptione & prædicatione. 3. Ab partium enumeratione.

DE 1. Ex quo homines fuerunt, ab Adam ad Moysen, aliqua fuit in mundo Ecclesia colentiū DEVM Fide, Spe, Charitate, ritibusque externis. Ideo *S. Aug. lib. 11. Ciu.* inde ab Adam deducit Ciuitatem Dei. Et tamen ante Moysen nulla extitit Scriptura sacra; sed sola de cultu Dei Traditio. Vnde Genes. 18. *Scio, quod Abrahām præcepturus sit filiis suis, & Domui suæ post se; vt custodiant viam Domini.* Cū igitur annis bis mille fuerit illa primogenia conseruata Ecclesia: etiam Christiana potuisset stare absque Scriptura ad 1600. annos sub eadem custode Traditione.

2. A Moyse ad Christum erat quidē lex scripta, sed solum Iudæorum: reliquas inter gentes etiam erat Religio colentium Deum verum; at in Traditione sine Scriptura sacra. Ita de Iob, eiusque amicis docet *Aug. l. 2. de pecc. orig cap. 24. & l. 18. Ciu. c. 47.*

3. Inter Iudæos, etsi Lex scripta esset, potius tamen Traditione vtebantur,

quam Scriptura. Vnde Exod.14. *Narrabis filio tuo, dicens: hoc eſt, quod fecit Dominus.* Deut.32. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Iob.8. *Interroga generationem priſtinã, &c.* Scriptorum vltimus Eccleſiaſticus cap.8 *Non te prætereat narratio Seniorum: ipſi enim didicerunt à patribus ſuis.*

4. Eſdras primus diſperſos antè diu libellos Scripturæ collegit in vna Biblia poſt captiuitatem, teſte *Theodoreto præfat. in Pſalmos. Beda in Eſdræ 9.*

De II. A Chriſti aduentu Eccleſia Chriſtiana diu degit ſine Scriptura Noui Teſt. acquieſcens ad Traditionem. Vt *S. Irenæus l. 3. c. 4* teſtetur, ſuâ memoriâ gentes eſſe Chriſtianas, Scripturæ neſcias; & è ſola Traditione viuere benè. Itaque huius vis eſt potior quàm Scripturæ.

2. Svfficientes Non ſunt Scripturæ. Quia nec Singuli, nec Omnes Euangeliſtæ continent omnia; nec omnes libri ſacri extant: Nam ait Chryſ. hom.9. in Mat. *Multa ex propheticis periere monumentis; quod de hiſtoria Paralipomenon probare poſſibile eſt.* Et epiſtola Pauli ad Laodicenſes perijt; de qua conſtat *Coloſ. vlt.* Et antè diu prædicarũt Apoſtoli; quam ſcribere cœpiſſent.

De III. Traditiones ſunt Apoſtolicæ de Fide & moribus multæ, quas ignorari non licet; quæ tamen in Scripturis non extant. Vt in exemplum, 1. Symbolum Tradiderunt Apoſtoli; & non ſcripſerunt. Ita *Iren. l. 3. c. 4. Hieron. Epiſt. ad Pammachium, Aug. l. de fide & operib. cap. 9. Ambr. epiſt. 81.* 2. In Veteri Teſtam. Circumciſio fuit pro maſculis in remediũ peccati orig. Suũ verò & fœminis fuit; tamẽ neq; id è ſcriptura conſtat. &c. Plura vide apud *Bellar. l. 4. c. 4.* Et in meâ *Genealogia part. 1. quæſt. 2.*

3. Deinde Iacobi epiſtolam iudicat *Lutherus* ſtramineam: *Caluinus* Apoſtolicam. Quis decernet? Traditio: non cuiusque Spiritus. 4. Adde: *Caluinus Inſt. 1. c. 9 §. 1.* contendit Apoſtolos, primæque Eccleſiæ fideles habuiſſe verum ſpiritum: At ij iudicabant librum Sapientiæ eſſe ſacrum; teſte *Aug. l. de præd. c. 14.* Eum tamẽ *Caluinus*, etiam iactans ſpiritum, vult eſſe profanum. Et ſic de cœteris libris. Quis decernet? Traditio. Et hanc ſolam recipi opertere conſtrictus ait *Brentius in Prolegom. & Kemn. in Exam. Trid. ad 2. genus tradit. &c.* Quare ſtandum eſt Verbo Tradito Fidei æquè ac Morum: idque neceſſariò. Liquebit infrà clarius in Appendice ex P. Becano.

Denique Regulæ certæ ſunt quinq;, è quibus ad certitudinem verę cuiusque Traditionis peruenitur: de quibus *in Genealog par. 1. q. 2.*

Dico ad I. Ibi agitur de verbo Tradito, non de Scripto: quia ait, *quod ego præcipio*; non, quod ſcripſi. *Deinde* jubet obſeruari mandata, non deprauari. Nam Prophetæ, Apoſtolique multa Scripturis addiderunt; Prophetas dein & Chriſtus citauit. Ad Gal. verò loquitur de & Scripto & Tradito: *Euangelizauimus* ait, non Scripſimus. Et ibi *Præter* ſignificat *Contra*: quia, ipſemet poſtea alia plura docuit. Sic & *Rom. vlt.*

Ad II. Ibi loquitur de miraculis Chriſti ſcriptis ſolum aliquibus: *Signa fecit* Iesvs. Paulus verò cùm ſcribebat ad Tim, tunc necdum extabat Apocalypſis,

calypsis, nec Euangelium Ioannis: Itaq; *omnis scriptura*, non significat totam, sed quamque etiam partem, esse *diuinitus inspiratam*, & sufficientem quoad ea, quæ expresè continet, & quæ, vnde petenda, ostendit. *Deinde. Vtilis* nunquam significat *Sufficiens:* Nam alioquin non scripsisset idem, 1. Cor. 11. *Cætera, cum venero, disponam.*

Ad III. Non reprehendunt Traditiones à Moyse & Prophetis acceptas; sed nouitates à nouatoribus inuectas. Ita Patres.

Ad IV. Non vt esset regula; sed memoriale rerum per prædicationem acceptarum. Non, inquam, vt regula foret fidei; quia tunc continere deberet & sola, & omnia quæ fidei sunt; ceu Symbolum Apostolicum: at & alia habet, quæ ex se non pertinent ad fidem: creduntur tamen, quia scripta sunt. Est ea autem regula Partialis: nam Totalis, est Reuelatio facta Ecclesiæ; cuius species sunt duæ, Verbum Scriptum, & Traditum.

APPENDIX TRADITIONVM

Ex Manuali R.P. Becani huc reddita in Testimonium Facti.

Veteris Testamenti Traditiones sunt duplices: 1. Pharisaicæ illaudatæ: vt Lotio manuum ante mensam, *Matt. 15.* Sub mensa, *Mar. 7.* & Venientium è foro, *Marc. 7.* Abstinentia à mensa peccatorum, *Matth. 9* à tactu eorum. *Luc. 7.* à curatione ægrorũ in sabbatho, *Luc. 6.* Sæpè, *Luc. 5.* jeiunandum & orandum. Decimæ omnium minutiarum, *Matth. 23.* Non jurare per aurum, &c. templi. *Matth. 23.* De his seu malis, seu bonis, seu mediis, reprehẽdebantur. 1. Quia, Matth. 23. *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* 2. Quia ibid. *comeditis domos viduarum, orantes longas &c.* 3. Quia ibidem, superstitiosè *erant colantes culicem &c.*

2. Mosaicæ laudatæ: vt de Canone librorum sacrorum certo: De remedio pec. orig. pro fœmellis ad salutem necessario: Deque cruentis Sacrificiis, quod Christi mortem significarent, indeque vim expiatoriam haberent, non ex sese, & verò necessariam ad salutem. *D. Th. 2. 2. q. 2. a. 7.*

Vsvs Traditionum maior fuit Judæis, quàm Scripturæ, in his etiam quæ scripta erant. Vnde Exod. 13. *Narrabis filio tuo: Hoc est quod fecit Dominus &c. Et erit quasi signum in manu tua.* Deut. 23. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: Interroges patrem tuum, & annunciabit tibi; Majores tuos, & dicent tibi.* Psal. 77. *Quanta mandauit Patribus nostris nota facere ea filiis suis; vt cognoscat generatio altera. Filii, qui nascentur, & exurgent & Narrabunt filiis suis.* Ecce Mandatum Traditionum: vt etiam scripta docere & discere per Traditionem potius juberentur, quàm per scripturam. *Tum Quia* Pentateuchi duo solum erant exemplaria, vnum in Arca, sub custodia Sacerdotum; jussorum id septimo quoque anno prælegere populo, *Deut. 31.* quod amissum Helzias reperit, *4. Reg 22.*

Alte-

Alterum aſſeruabatur ſub Regis cuſtodia. *Tum Quia* in ſchedis lex diſperſa erat; quam ſerò Eſdras in voluminis redegit formam.

II. NOVI TESTAM. TRADITIONES ſunt triplices. 1. APOSTOLICÆ GENERALES, non expreſſæ in Scriptura; cum eo tamen parem habentes autoritatem. De quibus vniuerſè 2. Theſ. 2. *State, & tenete Traditiones, quas didicistis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.* Quippe tàm prædicatores Apoſtoli, quàm ſcriptores ſunt eodem ſpiritu inſpirati; hinc par vtriuſque Verbi eſt autoritas. 2 APOSTOLICÆ SPECIALES, de dogmatibus 1. Fidei, Quòd Biblia ſint Verbū Dei: Quòd maneant nobis ſalua & incorrupta: Quòd eorum verum ſenſum habeamus. Quæ tria ſunt Principia Fidei ac Morum ſummè ad ſalutem neceſſaria. 2. Quòd Symbolum fidei ſit verè Apoſtolicum. 3. Quòd *Sp. Sanctus à Patre Filioque procedat.* 4. Quòd *Filius à Patre Solo eſt; non factus, nec creatus; ſed genitus.* 5. Quòd infantes ſint baptizandi. 6. Quòd baptizati ab hæreticis non ſint rebaptizandi. 7. Formam Baptiſmi eſſe; *Ego te baptizo, &c.* 8 Quòd ſeptem ſolùm ſint Sacramenta. 9. Quòd Deipara manſerit Virgo perpetua. Horum aliqua poſſunt ex Scriptura probari; ſed ſi de huius ſenſu conſtiterit: At Caluinus negat verum, verbi gratia, iſtius ſenſum: *Niſi, quis renatus, &c.* ſic & plurium.

2. DE DOGMATIBVS RITVVM: Vt. 1. Exorciſm⁹ in baptiſmo. 2. Merſio trina: 3. Chriſmatis annua renouatio. 4. Mixtio æquæ cum vino in calice Miſſæ. 5. Sumtio Euchariſtiæ ab ieiunis. 6. Sacrificatio pro defunctis. 7. Signatio frontis per crucem. 8. Cōprecatio ad orientem. 9. Aquæ benedictio. *Horum*, ait Tert. l. de Coron: mil. c. 4 *& aliarum eiusmodi Diſciplinarū ſi legem expoſtules Scripturarum; nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur autrix, Conſuetudo Confirmatrix, & Fides obſeruatrix.*

3. ECCLESIASTICAE, poſt Apoſtolorum tempora introductæ, eiuſdem cum Apoſtolicis autoritatis Non ſunt; licet piè obſeruandæ: teſte *Aug. epiſt. 118.* Quia *à plenariis Conciliis commendata aut ſtatuta retinentur.*

III. LVTHERO-CALVINISTAE in rejiciendis peccant quadrifariam. 1. Quòd imitentur priſcos hæreſiarchas hac in re; vt reprobos Traditionum exautoratores & reprobatores Arianos, Macedonianos, Eunomianos, Eutychianos, Pelagianos &c. 2. Quòd diſſentiant inter ſeſe: Nam Alij rejiciunt omnes omnino Traditiones: Vt Caluinus, & Caluiniſtæ *in Synodo Vltraiectina.* Alij quaſdam admittunt; vt Kemnitius. Alij diſtinguūt; eas de rebus adiaphoris admittunt; de neceſſarijs ad ſalutem, reſpuunt. 3 Quòd falsò nobis affingunt plura, vt ſequitur.

1. Nos docere; Scripturam ſine Traditionibus humanis imperfectam ac inſufficientem eſſe.

AT vbi de vero ſenſu Scripturæ non conſtat; non ſufficit: *Deinde*, multa ſunt credenda, quæ non ſunt in Verbo Scripto.

2. Nos docere; quod mereamur per Trad. Hum. gratiam iuſtificationis, & remiſſionē peccatorum. Ita Melanch.

AT

At vtramque gratis nobis conferri per merita Christi docemus.

3. Nos docere, Quod omnes Traditiones nostræ sint Apostolicæ. Ita Caluinus.

At agnoscimus etiam merè Ecclesiasticas.

II. DE VERBO INCARNATO.

LECTOR. *Hoc in Argumento rerum paulò prolixior insisto: idq; in recitandis magè Nouatorum sententiis, quam refellendis; quòd suapte sese immanitate iugulent ipsæ. Sunt autem sententiæ nonnullæ paucorum dũtaxat Sectariorum singulares de Christo, non communes omnium: Quædam, in quibus nec sui earum autores sibi constiterunt; sed ab iis abierunt. Veruntamen autorum* Vox emissa volat; & Litera Scripta manet: *Suoque perit indicio sorex.*

Et inprimis.

DE CHRISTI DIVINITATE.

QVÆSTIO VI.

Qualis est Luthero-caluinistica conclamatio aduersus SS. Trinitatem?

LVTHERVS in Postilla Maiore, Basilææ impressâ apud Heruagium, in Dom. Trinit. *Humanitus tantum inuenta est vox TRINITAS! Vnde & frigidè omninò sonat.* Transyluani Ministri *lib. 2. cap. 9.* gloriabundè hâc parentis sui autoritate vtuntur. Tali digna patre proles! Patebit clarius *infra quæst. 9.*

Idem Lutherus exautorauit è Litaniis istud: *S. Trinitas vnus Deus Miserere nobis.* Tom. 2 Ienen. fol. 79. a Vt de Deo sentit, ita & loquitur; *Noster Dominus non est Vir stramineus* Ibid. fol 215. b. *Non est poreus* Ibid fol. 244. a *Non est Sutor.* Ibid fol 442. 2 *Veruntamen Hæreticus est, hoc iam Verum est, quàm Verum est, quod celeberrima Vniuersitas Ingolstadiana est docta.*

Quocirca, ait in Col. Momp f. 369 b. *Custodiat nos Deus à magnis istis sprimatabulæ tentationibus; in vtrum scire nequit; Deusne sit diabolus; an diabolus sit Deus.* Expertus loquitur. Ibid fol 302. b. *Illa enim tentatio, (si quis faciat ex Deo diabolum) Christum comprehendit, eumque in agoniam redegit, vt Sanguinem sudarit.*

CALVINVS in epist. ad Polonos: *Trinitatis nomen repudiamus.* Immò, idem Instit. lib. 1. cap 1. 3. §. 5. *Sepultum in posterum volumus.* Egregium ex Theologo Vespillonem!

AVTOR. Impietas se iugulat ipsam; quò mihi paucioribus opus 1. Vox TRINITAS in S. Scripturis expressa de nomine non est: at de Re est. Matt vlt. *Baptizate omnes gentes in nom. Pat. & Fil. & Sp. Sancti.* 1. Iohan. 5. *Tres sunt, qui, &c.* 2. Patribus antiquissimis ea vox in vsu est: Vt Dionysio lib. de diuin. Nom c. 1. Iustino de recta Confess. fidei &c. Vide *Bell. l. 2 de Christo cap. 5.* 3 Nec Trinitas significat Trium Vnitatem; vt Val. Gentilis errauit: Sed *Trinitatem in Vnitate veneramur*, ait Symb. Athan.

II. LVTHERVS è Bibliis suis germanicis, Wittenbergæ impressis, eiecit verba illa, 1. Iohan. 5. *Tres in cœlo sunt, qui testimonium perhibent; Pater, Verbum, & Spir. Sanctus.*

1. TIGVRINI CALVINISTÆ Magistrum imitati, eandem suis è Bibliis sententiam expunxerunt. 2. Protinus horum secutus autoritatem, eâ fidenter vsus est Blandrata Arianus, cum sociis *in disputat. Albana, Et in refutatione libelli Georgii Maioris.*

3. Hinc LITHVANIS Ministris, & eorum atro visum spiritui, in Synodo anni 1589. 11. Maij. habita: *Synodi autoritate; ne hoc nomen* Trinitas *in concionibus deinceps vsurpetur, in perpetuum porrò decernimus & sancimus.*

III. Lamberto Danæo Caluinistæ lib. contra Genebrardum Paris. Theol. *Insulsa, inconcinna, periculosa hæc oratio est: Sancta Trinitas miserere nobis.*

2. Caluino epist 2. ad Polonos: *Sapit barbariem.* Hancque Blasphemiam Beza lib. de

Vnit. eſſentiæ adprobat. Defendit Danæus in reſpons. ad Genebrardum.

3. Caluino ibid. *Trinitas eſt Barbarum quiddam; eſt profanum, & inſipidum.*

4. Ochinus lib. 2. Dialogo toto 19. & 20. *Eſt commētum hominum in aëre volitans, nullo nixum ſermonis Dei fundamento: Eſtque Deus Papiſticus, Prophetis & Apoſtolis ignoratus.* Ideò fuit Ochinus Bullingeri & Caluini fidus Achates: ait Schlüſſelburgius *l. 2. fol. 69.* Et tota Italia, ait *Caluinus lib. de ſcādalis*, non habuit ei parem. Mulus mulum.

5. Denique Caluinus epiſt. ad Polonos, ait: *Quis ſine riſu hæc audiat? Vnus Deus, id eſt, Trinitas. Creditis in Deum, id eſt, Trinitatem?*

AVTOR. Athæc ſunt Ariana. Quid plura? Quin & athea?

IV. LVTHERVS denique tom. 2. Wittenb. fol. 266. *Credo Diabolum eſſe Deum noſtrum; & nos cogi ad exequenda omnia eius placita.* Flac. Illyricus, teſte Wigando in ſua Admonitione, impreſſa anno 1574. Ratisbonæ: *Credo dæmonem eſſe creatorem eſſentiæ ac naturæ humanæ.* Vbi Wigandus: *Vox emiſſa volat, Volat irreuocabile Verbum. Impreſſa eſt, haud eorum eam vnquam eraſerint: Diſtorqueat ille vocem hanc, gloſſet, vexet, vt voluerit; excidit, erupit.* Carolſtadius apud Lutherum Tom. 4. Wittenb. fol. 25 a. *Neque ego crediderim, vllum eſſe Deum ſiue in cælo, ſiue in terris.*

CALVINVS Inſtit. l. 1. c. 8. & 10. lib. 2. cap. 4. lib. 3. c. 3. Et Lutherus in Aſſert. 36. & tom. 6. Witt. fol. 526. a Credo, *quod Deus ſit inſtinctor peccatorum, imò cauſa efficiens, impellens, cogens, ac neceſſitans ad omnem malitiam.* Vide infra par: 4.

AVTOR. Heu nimium quam manifeſtè ſunt Athea iſta, ac prorſus indigna ullâ operoſiore refutatione! Præclara tamen indicia præbent, quàm vilipendāt, poſt Deum, alteram in Trinitate perſonam, Dei Filium; quo de propoſuimus; qui de ipſa S. S. Triade tam blaſphemè loquuntur Theomachi. Vide Poſſeuinum *in Notis Verbi diuini aduerſus Chytræum. fol. 66.* Communis tamen hodie ſectariorum ſententia Nobiſcum S S. Trinitatem & Vnitatem in DEO amplectitur ac docet. Nunc alterâ de Deo quæſtiunculâ propius accedemus inſtituto.

QVÆSTIO VII.

Ecquid iſtud Luthero-caluiniſtis eſt: Tres Perſonæ in Vnitate Naturæ?

LVTHERANI ſunt duûmuiri Philippus Melāchthon & Iacobus Schegkius. Et iidem tamen etiam cum Caluinianis militarunt: quare vtrumque ad ſe rapiunt commilitonem. Philippum quidem, *non magis à ſe, quam à proprijs ſcriptis auelli poſſe*, profitetur Caluinus. Contrà velis remiſque contendit Matthias Marbachius, *lib. German. de Verbis Inſtitutionis:* & Lutheranum fuiſſe ſex rationibus omninò apodicticis demonſtrat. Idem de Schegkio eſt litigium. Hunc cùm Caluiniſtæ paſſim diu quietè poſſediſſent primùm, deinde vidimus tandem Tubingenſes, qui repetundarum iſtos arceſſerunt. Equidem hic ambos ad ſigna Lutheranorum adſigno.

I. SCHEGKIVS igitur apud Genebrardum fol. 42. apud ſeipſum p. 485, & 487. *Diuina ſententia teſtē tota de Patre, & Filio & Sp. Sancto ſigillatim prædicari. Aut tres tantum nuda ſunt Proprietates in Energia in Deo: Sicut in carne Candor & Sapor; in anima vis nutricans, ſentiens, ratiocinans; Aut vna Eſſentia diuina tres Partes; quæ in Vnam collecta Vnam Perfectam & integram Dei perſonam extruunt.*

AVTOR. Hic ſe Schegkius putat ſcalmum reperiſſe, aut non quod pueri in faba. Iſtas enim ſimilitudines ſuas ad SS. Trinitatis declarandum Myſterium ita exiſtimat aptas, vt dicat, magis eas hominibus aperire oculos, quam mille Patrum dicta, vel alia teſtimonia. Eiuſdem apud *Genebr. fol. 45.* ipſa hæc ſunt totidem verba: *Vt tota anima ſynonymè & vniuocè de ſingulis partibus non enunciatur. &c. Simili modo nec Eſſentia tota diui-*

na de singulis personis poterit vniuocè, sed de tribus simul comprehensis, prædicari; vt definitio de definito.

II. PHILIPPVS Melanchthon, Phœnix scilicet Germaniæ, (vt eum quidem appellat Lauath. in histo. Sacrament fol. 47.) in Locis suis Theologicis inquit: *Facilè poterit defendi, quod in Christo, sit* ALIQVA *Diuina Natura.* Et: *Necesse est, esse in Christo* ALIQVID *Natura diuina substantialiter.* Et: *Necesse est, Spiritum S. esse Aliquid Dei.*

Stancarus lib. 4 de Trinit. è Philippi verbis euidenter deducit istud: *Singulæ personæ plenus & perfectus Deus non sunt: in Vnum tamen collecta, Deum perfectum & plenum Vnum efficiunt ac constituunt.* Ita apud Cnoglerum in Triymbolo.

AVTOR. 1. At fuit hæc Melanchthonis opinio hæresis antiqua, eaq; dānatissima: de qua *S. Aug. hæresi. 74.*

2. Et verò suum errorem ex his Philippicis tuetur Valentinus re & nomine Gentilis, apud Caluinum *in Explic. perfidiæ Gentilis pag. 912.* Vbi & Geneuenses ita sentire ait: & maximè D. Raymundum *in diuinis suis concionibus.*

3. Lutherus certè Philippi sui Locos Theol. ad instar Enchiridij secum in sinu circumferre solebat; vt testantur *Theologi Ducis Saxon. in Colloq. Altenburg.* Idem eos non immortalitate solùm, sed canone quoq; Ecclesiastico dignos censebat. Certè de ijs ita cecinit Stigelius lib. 3. Poëmatum:

Explicet inuicti, quod sic Oracula Christi,
Nullum hoc in terris sanctius extat opus.

III. LVTHERVS Comment. in Genes. illud: *Dixit Deus, fiat Lux:* ita ait: *Hic primum ponit Moyses Medium & Instrumentum, quo Deus pater est vsus in operando, nempe Verbum.* Atque ita Luthero *Dei Filius est tantum instrumentum Patris.*

AVTOR. 1. At verò hæc ipsissima Arij verba sunt *in libr. Thalia*, teste S. Athanisio in epist. 2. contra Arianos. *Cùm vellet nos condere Deus, Vnum Aliquē fecit, quem Verbum, & Filium, & Sapientiam nominauit; vt per eius operam nos architectaremur.* 2. Vsus hoc Lutheri testimonio est, ad euertendam Christi Diuinitatem, Blandrata *in Act. septimæ diei, in disputatione Albana.*

LVTHERVS iterum, Si quæras; Quid est *Dei Filius?* Respondet: *Est Virtus.* 1 Nam ecce, cum ex illo Esa. 9. v. 6. *Vocabitur nomen eius,* Christi, *Admirabilis, Consiliarius, DEVS fortis:* exaudiasset vocē DEVS, contra, & Hebraei textus, & Græci & Chaldaicæ Paraphrasis veritatem, eius in locum supposuit vocem germanicam Krafft: id est, *Virtus.* 2. Atque vt constaret, nō ignorantiā peccasse, sed nequitiā; ipse fatetur apertè, tomo 4. vvittenbergensi anni 1551 pag. *171. nomen* E L, quod in hebraico est, *nusquam inueniri in singulari, nisi de vero Deo.* 3. Quanquam neque hic stetit eius impietas; Nam alibi, vt Christo taciturus latro planè furaretur gloriam; nomen EL Deo eripit, cumque creaturis communicat. Hæc verbatim scitissimus *Quirinus Cnoglerus in Triymbolo.*

Eiquent Lutherana blasphemiarum monstra: Caluiniana num esse immaniora; oterunt? Et verò sunt etiam plura ac densiora.

IV. CALVINVS vocabuli *Personæ* impatiens est ac insolens, vt ei Pater, Filius, & Spiritus Sanctus PERSONÆ temerè, & sine necessitate dicantur. Verba sunt ipsius Inst. lib. 1. c. 13. §. 5. *Vtinam quidem sepulta essent hæc nomina, Trinitas, Persona, &c.* Item Wolffg. Musculus in Antichlæo ait: *Vocabulum hoc, PERSONA, non ita necessarium, vt sine illo nequeas esse Christianus.*

Rectè exclamat Cnoglerus:

Quid mures facient, cum talia Musculus audet?

Caluinus Harmon. in Ioan. 1. v. 1. Item lib. contra Gentilem: Et in actis Serueti sæpè; & Instit. l. 1. c. 13. §. 5. optat, vt constet inter omnes, *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctū tantùm Proprietate quadam distinctos esse.* subaudi, *Et non in Personis.*

AVTOR. 1. Erras Caluine, tuum si credi velis commentum istud doctrinæ; archihæresios in hoc palmam tibi præripuit Arius, teste *S. August. hæresi 14.* istius Symmista es discipulus: Minerual Ario debes, damnatus in ipso. 2. Deinde

inde iniuriarum te conueniet apud Orci Rhadamantum Valentinus Gentilis; quem tu talium nomine blasphemiarū, vt hæreticum proclamas, exagitas, proscribis: *In Explic. perfidiæ Gentil.* Et tu qui cum ipso pariter erras, eum condemnas? Est tamen hoc aliquid; solatium miseris habere socium in pœnis Lutherum, & assecias vtriusque. De his & sequentibus vide meum *Antichristum Calu. quæst. 3. Et Genealogiam.*

QVÆSTIO VII.

Ministri Transyluani & Hungarici de Deo & Christo quæ doceant?

MICHAEL SERVETVS, nouorum Samosatensium autor, ait *Bell. l. 1. de Christo c. 1.* teste *Surio.* Anno autem 1555. Geneuæ combustus est. Secuti sunt eum, qui nunc precipuè in Transyluania sedem habent: quorum principes Georgius Blandrata, & Franc. Dauid: Qui anno 1580. cùm Christum negaret esse inuocandum, aut Ecclesiæ curam habere; à Principe Transyluaniæ ad perpetuos carceres fuerat damnatus: sed Paulò post phreneſi correptus, exacto biduo extinguebatur.

I. SERVETIANI itaque tria docent. 1. *Nullam esse in Deo Personalem Distinctionē.* Sic ex Serueto suo Transyluani lib. 2. cap. 4. 2. *Christum, ante Incarnationem, Nihil fuisse; nisi in mente Dei per Idæam*: Ita Ministri Hungarici lib. 2. c. 3. ex Serueto. 3. *Homini communicatam à Deo Diuinitatem esse; non per Generationem æternam; sed per Unctionem gratiæ, & Inhabitationem: Proindeque posse dici Christum DEVM; sed DEVM Factum, & Temporalem; Non Æternum.* Ita Blandr. Disput. Alban: & Transyluani lib. 2. cap. 7. Et in his conueniunt Samosateni hi noui.

AVTOR. At verò quàm natiuè ex fonte dogmatico Lutheri & Caluini prorumpant torrentes isti; nemo non videt, planeque perspicit *ex predictis qq. 6. 7.* Ergo Transyluani & Hungari sunt Lutherocaluiniani.

II. DISSIDENT tamen iidem inter se de Inuocatione Christi, tres in sectas scilli. 1. Dauid, & Hungari multi docent: *Christum non esse inuocandum; sed Patrem solum; Quippe qui solus Verus Deus est, curamque gerit Ecclesiæ.*

2. Faustus Socinus in confutatione Thesium illius asserit: *Christum innocari posse: Maioris tamen esse perfectionis, ad Deum Patrem rectà accedere.*

3. Blandrata in Thesib. & Ministri Polani in iudicio de Dauide: *Christum inuocari debere; nec imperfectionem esse, confugere ad Christum.*

AVTOR. Aduertit ibidem Illlustrissimè doctus Bellarm. peropportunè hanc eorum accidisse dissensionem; 1. Non solum, quia ait S. Hilarius, *Bellum hæreticorum, pax est Ecclesiæ*: sed etiam quia pars vtraque miras in angustias redigi cœpit. 2. Nam, qui Christum inuocandum esse docent; proferunt supra 50. testimonia Scripturæ, quibus repugnare aduersarios ostendunt. 3. Qui verò Non inuocandum asserunt; certissima ratione demonstrant, aduersarios secum ipsos pugnare. Quippe, qui Nolunt inuocari Sanctos, quia non sunt Dij veri; & tamen Christum inuocari volunt, quem negant esse Deum verū; sed creaturam. Ista de nouis Samosatenis, siue Serueti anis: porrò de nouis Arianis, siue Valentinianis.

III. VALENTINVS GENTILIS Italus, Geneuæ exustus nuper Serueti exemplo metuens, suum reuocat Arianismum: publicam tamen

tamen effugere nequit pœnitentiam, in solo circum ductus indusio, cum cereo, sub voce præconis : dato insuper iuramento de non deferenda vrbe. At tertiùm periurus, denique morte luit, autore Caluino.

Illius autem innouati Arianismi tres erant. 1. *Tres esse spiritus æternos, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, Essentiali Numero differentes.* 2. *Has Personas non esse æquales ; sed Patrem cæteris eminentiorem ; sicut Pater Essentiater ; alij duo Essentiati debeant dici.* 3. *Filium esse non ex nihilo, neque ex tempore genitum; sed ab æterno, & ex Patris Substantia.*

AVTOR. Hæc de Essentia & Distinctione Personarum vniuersè: nunc singulatim de Distinctione.

IV. VALENTINIANI, etsi cum Ario agnoscunt tria distincta, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; re ipsa tamen in Deo vero intrinsecam distinctionem, ita vt eadem Essentia sit in tribus, non agnoscunt. Ideo nolunt dici Patrem Personam primam: Imò Personam, aiunt, primam esse sophisticam & diabolicam. Vnde rident hæc nomina, *Essentia, Persona, Relatio, Proprietas.*

TRANSYLVANI agnoscunt Patrem à Christo distinctum; vt quem purum hominem faciunt. Ante Incarnationem tamen nullam agnoscunt Distinctionem in Deo; sed dicunt; Verbum & Spiritum Sanctum, quæ in Veteri Testamento leguntur, esse Potentias, seu Virtutes Patris, Non Distinctas ab eo Persona, Relatione, aut Proprietate: quæ Nomina Rident & ipsi toto lib. 2.

Hæc relatio Atheismorum : Porrò Collatio dictorum fiat; & demonstratio, Lutherocaluinianos esse & Seruatianos partim; partim & Valentinianos, id est Samosatenos nouos & Arianos, liquebit,

QVÆSTIO IX.

Luthero-caluiniani an sint Seruetiani, an verò Valentiniani?

LVTHERO-CALVINIANA huc prius in Synopsin redigam prædicta: dein alia subijciam: ad quæstionem denique respondebo.

1. LVTHERI vox est: Dei Filius est *Virtus Patris*: non DEVS 2. *Verbum est Instrumentum Patris in creando & operando.* 3. *Christus est EL, sicut & creatura.* Nam *EL in singulari dicitur in Scripturis tantum de DEO VERO.* Sic & Lutherani: Vt Melanchton: *In Christo Aliquid Naturæ diuinæ est.* Vt Stancarus ex eodem, & Schgkius: *Singulæ Personæ plenæ & perfectæ Deus non sunt; in vnum tamen collectæ Deum perfectum efficiunt.* Vt Schgkius. *Sunt nuda Proprietates. Diuina Essentia non potest tota de Singulis prædicari. Sunt Energiæ tantùm & tres Partes &c.*

CALVINI vox est: *Vtinam sepulta essent hæc Nomina, Trinitas, Personæ, &c.* Item *Pater, Filius, & Sp. Sanctus tantùm Proprietate quadam sunt distincti.* Musculus. *Sine vocabulo,* Personæ, *potes esse Christianus.*

AVTOR. Atqui ista sunt Seruetiana partim & Valentiniana: Patet conferenti : Ergo tales sunt & ipsi Lutherocaluiniani. Porrò liquebit idem euidentius è subiectis eorundem ac Symmystarum ipsissimis totidem Verbis, & Censuris.

H. ERASMVS, LVTHERI calamus, dextera, & anima. in c. 5. Ephes. statuit hoc sibi axioma: *In Scripturis Pater intelligitur, quoties absolutè DEVS appellatur.* Hanc regulam gnauiter sequuntur Transyluani. Idem istud Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset,* sic exponit, id est; *cum opera exteriora faceret, in quibus fulgebat Diuinitas.* Probat. *Quia sicut formâ serui susceptâ specie exteriore, non substantialiter : ita & formâ Dei in exteriore operatione miraculosa.* Hæc summa Erasmiana est, Vide *Bell. l. 1. de Christo c. 7.*

I. AVTOR. Ergo Erasmo Dei filius non est absolutè DEVS, aut Verus DEVS. Vide nostrum *Antichristum Calu: q. est. 3.*

PERKINSVS Anglus Theol. Calu in Explicat. Symboli. ait: *Iuxta vsitatam & vulgarem regulam; Si comparetur DEVS cum Filio & Spiritu Sancto, tum per vocem DEVS solus Pater intelligitur.* Restringit hic arctius, quod vniuersè dixit Erasmus,

MELANCHTHON in epist. ad Elect. Brandeburgicum, & in Locis, editis B. sil pag. 42. *Christus ante Incarnationem Regnū sibi à Deo Patre duripetit* Ergo non ab æterno id cum Patre habuit commune; vt in isto

minor Patre. Ibid. *Secundum diuinitatem restitui sibi gloriam postulat.* Ergo amiserat, vt minor. Idem in Locis Commun. anni 1543. pag. 24. Item Beza in epist. 28. *Christus secundum Diuinitatem obedit Patri; ira eius cedit.* Idem Melanch epist. ad Brandeb. & lib. contr. Stancarum: *Christus Patri Sacrificat, Supplicat, apud eum intercedit.*

II. AVTOR. AT Istæ propositiones olim & Arianorum erant, teste S. Cyrillo *lib. 11. in Ioan. c. 17. & 18.* Sunt autem & Valentinianorum; patet suprà.

1. CALVINVS in *literis ad Polonos* nihil abit ab ijsdem. Tigurini *epist. ad Polonos anni 1560. & 1561.* in omnibus illi suffragantur. Item Fulco *in confutatione criminationum Papisticarum, pag. 64. & 65.* Item Tuellus cõtra Hardingum art 14. & 17. ait: *Duæ in Christo naturæ fuerunt, Deitas, atque Humanitas. Christus Humanâ naturâ immolatus fuit; Diuinâ Sacrificus extitit.*

2. CALVINVS epist. ad Polonos. *Quanquam ab antiquis sententia Christi:* Pater Maior est me: *restricta fuit ad Humanam eius naturam: EGO tamen non dubito ad Totum Complexum extendere.*

3. CALVINVS è cathedra Pinozouiana definiuit: *Filius, etiam in Diuina natura, Officij ratione, Patre minor est.* Stanislaus Sarnicius, cùm idem in publica disputatione largitus Arianis fuisset, eò nomine est à Caluino, *in epist. ad Polonos*, mirificè commendatus: Et à Beza *in epist. Theolog. 14.* audire meruit, Frater plurimùm obseruandus.

4. CALVINVS Instit l. 2. c. 14 §. 3. illud Pauli: *Tunc & ipse Filius Subiectus erit ei:* exponit *quo ad Diuinitatem ratione officij.* Accedit in hoc illi pedarius Senator Melãchthõ: qui in libro contra Stancarum, & Epist. ad Brandeb. appellat sæpius *Christum Patri Subditum, secundum Diuinam quoque naturam; eiusque Ministrum.*

5. CALVINVS in Harm. Matth. cap. 22. v. 44. & in Matth. c. 26. v. 64. *ait, Christus est Patris Vicarius:* In Ioan. c. 17. v. 12. *eiusque Minister.* In Ioan. *1.* v. 18. *& ei ab intimis secretis.*

6. CALVINVS epist. ad Polon. *Verbum, & secunda illa in Diuinis Persona, iam inde ab initio, ante lapsum Adæ, Mediator fuit. Qui & esse certè non potest, quin dispensationis ordine, super Mediatoris Personam Pater emineat.*

7. Theod. Beza epist. 28. *Christus Mediator est inter Patrem & nos, distincte secundum Humanam naturam; & distincte secundum Diuinam: imò præcipuè secundum Diuinam.* Hausit hoc Beza, mali corui malum ouum, ab Magistro suo Caluino in admonitione ad Polonos, sic tonante: *Impium est, imò diabolus, quisquis Negat, Christum secundum Diuinitatem esse Mediatorem.*

8. TIGVRINI epist. ad Polonos anni 1560. hortantur, *vt hoc docere constanter pergant: & si fecerint, ipsis à Domino benedictionem* (scil. orci:) hariolantur. Rursus idem in suo ad Polonos responso inquiunt: *Tres sunt Personales in Uno Deo operationes.*

9. CALVINVS lib. contra Gentilem refut. Prothesios 10. Et Inst. lib. 1. c. 13. §. 23. Pater *Solus in Scripturis* Deus *vocatur* κατ' ἐξοχὴν, *per excellentiam.* Sic & Zanchius de tribus Elohim par. altera. lib. 5. c. 8.

10. CALVINVS Harm. in Math. cap. 28. v. 64. Et in Confess. Geneuen. anni 1564. se clarius explicans ait: *Pater primum, Filius secundum, Spir. Sanctus tertium à Patre obtinet imperij & honoris locum.* Idem Harm. in Ioan. cap. 6. v. 57. & in Marci. c. 13. v. 16 *Pater*, ait, *prima vitæ causa est, & primus Gradus, Filius secunda, Spiritus S. tertia.*

11. BVLLINGERVS, corculum Caluini, in respon. ad lib. Cochlæi, de Scripturæ Canonicæ, & Ecclesiæ Catholicæ autoritate, cap. 7. *Non Statu, sed Gradu tres in Diuinitate Personæ differunt.* Nunc ipsorummet Caluinistarum super istis Censuras audiamus

III. AVTOR. *1.* Num cuiquam adhuc superesse dubium poterit; quin vnanimis Caluinistarum cum Lutheranis

nis sit consensus quoad Diuinitatẽ Christi, censeri eam minorem patris Diuinitate? *Quoad* DEVM, dici solum Patrem; non Filium? *Quoad* Distinctionem Deitatum trium gradualium? *Quoad* Proprietates accidentales, non essentiales in Personis? *Quoad* ipsa vocabula? 2. Cui obscurum; quin eorundem vnus sit idemque sensus ac consensus cum Seruetianis, & Valentinianis? Non obstante, quòd Caluinus vtrorumque autorem ferro, flammis, styloque sit vsque ad neces, ad orcum persecutus.

3. Quòd si quæ tamen vlla cuiquam fibra dubitationis inhæserit; ecce tibi adimunt illam stirpitus, ac elidunt ipsi Caluinistæ. Nam ita.

1. Iosias Simlerus lib. de æterno Dei Filio, disertè testatur ita Valentinum Gentilem docuisse. Liquet *suprà quæst. 8.*

2. Liquet idem apud *Caluinum* ipsum ex Confessione ipsiusmet Gentilis *Prothesi 21. §. 3.* Roserius. (teste *Lanoyo*, Rosetij quondã Comministro, *in Reip. Christianæ lib. 2. c. 4.*) deprehendit hunc fœdum Atheismum in fratribus suis; & arguit, cum adhuc in herba esset, (verba sunt *Quirini Cnogleri*, viri optimi) cumque vixdum in cunis positum Caluini vagiret Euangelium.

4. Fr. Stancarũ, etsi insigniter Zvvinglianum, & Caluini obseruantem; in multis Lutheri admiratorem; exclamare tamen coëgerunt istæ Caluini Propositiones in hæc verba: *Quis diabolus, ô Caluine, te seduxit, contra Filium Dei cum Ario obloqui?* Simul asserere: *Serueti combusti Spiritus, secundum Polonicos, in Caluinum remigrauit.*

5. Idem Stancarus lib. de Trinit. inquit: *Omnes Ecclesiæ, quæ Fidem Genuensem & Tigurinam tenent de Christo, sunt Arianæ: & hoc negari non potest.* Nos domestici testis tot testibus freti, nolumus contemnere testimonium. Præsertim, cùm Arianos ista pleraque omnia docuisse, ex D. Augustini operum *tom. 6. in Sermone de Arianis*, doceamur. De istis vide in mea *Genealogia quæst. 3. 4. 5.* Nec pluribus refellere attinet.

QVÆSTIO X.

Nomina Veri Dei an sint & Christi, per Luthero-caluinistas?

HÆc cum plusscula sint, ibimus per singula strictim: quæ sunt. *Deus, Tetragrammaton, Altissimus, Inuisibilis, Deus gloriæ, Rex Regum.*

I. Christus an DEVS?

1. LVTHERVS *Isa. 9.* vbi Christus dicitur, *Deus fortis*, posuit *Virtus fortis*; & vt nomen, EL, Deus, Christo eriperet fingit id etiam creaturis commune esse; vt, tametsi hic de Christo dicatur; non tamen vt de Deo vero, sed vt de creatura dici persuaderet. Idcirco etiam *1. Ioh 5.* trium Personarum diuinarum nomina exautorauit. Sicuti & è Litaniis suis illud, S. *Trinitas vnus Deus*, eiecit. Vide suprà quæst. 6. Idem in Postilla fo. 41. a to. 2. *Christus non est vacca, neque ex strygibus vnus.* & fol. 302. a. *Christus non est stultus: & sua tamen negotia stultè instituit. Tantus verò inter omnes peccatores peccator est, vt eo maiorem nullum vnquam tulerit hic orbis terrarum.* Hæc verò insignis reuerentia Christi est.

2. ERASMO, in c. 5. *Non Christus in Scripturis; sed Pater intelligitur, quoties absolutè DEVS appellatur.* scil. vt hoc nomen Christo abstraheret.

3. MELANCHTHONI in Locis, *Christus est Aliquid diuinæ naturæ.*

4. Schegkio Christus est *Energia Patris*: Luthero, *Instrumentum Creatoris.*

5. Caluinum istis infandiora blasphemare patet supra *quæst. 9.*

AVTOR. Contrarium constat ex S. Irenæo lib. 3. c. 6. *Neque Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apostoli*, addit c. 8. *neque Propheta, qui non esset Deus, definitiuè & ab-*

& absolutè Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus. Atqui Scriptura vocem, DEVS absolutè ponit pro Christo. Ioan. 20. *Dominus meus, & Deus meus.* Act. 20. *Spiritus Sanctus posuit vos regere Ecclesiam Dei*; Cuius? Illius, qui eam *acquisiuit Sanguine suo.* Rom. 9. *Qui est super omnia* DEVS. Christus dicitur Apoc. 4. *Dominus Deus Omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.* Ergo.

II. IEHOVA, nomen ineffabile seu Tetragammaton, maximè soli Vero Deo conuenire etiam ipsi Transyluani *lib. 2. c. 7.* sentiunt: Cætera verò, Elohim, Sadai, Adonai, &c. etiam Christo & Angelis.

Atqui id etiam tribuitur Christo. Ier. 23. *Suscitabo Dauid Germen Iustum, &c. Et hoc est Nomen quod vocabunt eum*: DOMINVS *Iustus noster.* Nam 1. Cor. 1. *Factus est nobis sapientia, & justitia, & redētio.* Isa. 53. *In scientia sua justificabit ipse Iustus Seruus meus multos.*

1. LVTHERO autem in Rom. 3. ad marginem, *Deus est iniustus*; Et in Assert. art 36. to 2. *autor est peccatorum: Nam & mala opera in impiis regit Deus.* Sed de his infrà.

2. CALVINO *Instit. l. 1. c. 8. §. 1.* Scelerum autor Deus est: Christus in Passione peccauit, desperauit; & Caluino esset *Deus Iustus noster*? Caluino esset Christus DOMINVS; quem pertendit esse *Patri Subiectũ ministrum, etiam secundum Diuininitatem?* Patet supra.

AT ipse de se IESVS, Matt. 21. *Dicite, quia* DOMINVS *his opus habet*: Non Pater in cœlis; Sed Christus in terris ait, Ioann. 13. *Vocatis me Magister & Dominus: & benè dicitis, Sum etenim.*

III. ALTISSIMVS vox propria soli vero Deo est.

1. Melanchthoni apud Stancarum *l. 4. Trin.* Christus est Deus imperfectus. 2. Caluino, est in secundo gradu Deus. Patet suprà: Quare ijs est Deus Mediaster, aut Deaster, aut Deiculus.

AT contrà, Psal. 86. *Homo natus est in ea, & Ipse fundauit eam Altissimus*, id est, Christus ait, S. Hieron. Aug. &c. Hinc Phil. 2. *Dedit ei Nomen, quod est super omne nomen.* Rom. 9. *Ex quibus est Christus, qui est super omnia Deus.*

IV. MAGNVS DEVS, vox solius Veri Dei est.

Erasmum secuti Transyluani eam volunt de solo Patre intelligi.

AT de Christo dicitur, Tit. 2. *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ Magni Dei, & Saluatoris nostri IESV CHRISTI.* Qui est *Dominus Dominantium.*

QVÆSTIO XI.

An Luthero-caluinistæ sint Tritheïtæ?

LVTHERVS lib contra Iac. Latomum to. 2. Wittenb. edition. anno 1551. *Anima mea odit ὁμοούσιον. Et optimè exegerunt Ariani, ne vocem illam profanam & nouam regulis Fidei statui liceret.*

AVTOR. Maluit fortasse bonus ille Arianorum Helias ὁμοιούσιον, quam ὁμοούσιον, Arianis ita placuit; & execrati sunt illud sic, vt orthodoxos etiam Homousianos appellarent. Oderant quippe in Deo Vnitatem naturæ, & Æqualitatem Personarum.

2. Sed LVTHERVS clarè, apud ZWinglium in respon. ad Lutherum, lib de Sacram. *Triplex est Diuinitas & trium generum; sicut sunt tres Personæ.* Exque rectè infert contra eum Zwinglius *Tres eum in Deitate Naturæ statuere, & Tres Deos.*

3. LOSSIVS, Doctor Luneburgensis, in suis Commentarijs ad Alcuni libros de Trin. t. *Tres inquit, Personæ Diuinitatis essentialiter inter se differunt sunt. Earum qualibet habet suas Proprietates, quibus ab alia substantialiter distinguitur.*

4. Melanchthon in Locis anni 1545. de Christo, *Tres sunt Diuinitates, vt tres Personæ.*

Scheg.

3. Schegkius pag. 108. *Non est in trinitate Essentia simpliciter Vna numero: sed Vna est, & dicitur Essentia, quia tribus numero differentiis τῇ περιχωρήσει constituitur.*

Heu! clara nimis liquet blasphemia Lutherana: Caluiniana tetrior.

II. Calvinvs in actis Serueti, pag. 872. & passim. *Filium habet substantiam à Patre distinctam.* 2. Beza in Confes. Geneu. c. 1. §. 2. *Clarè Verbum Dei docet, quod Essentia diuina realiter, & ab æterno tribus Personis distincta sit.* Epidaurius ille & & Lynceus, scilicet, vidit in Scripturis, quod nemo vidit vnquam, nec vsquam apparet. 3. Schegkius apud Genebrardum pag. 98. *Non facilè in tota Scriptura locum reperire erit, qui natura inter Patrem, & Filium & Sp. Sanctum ita adstruat Vnitatem, vt non facilè alio torqueri possit.*

Avtor. At verò Falsum illud de Scriptura in se incorrupta: Nimis verùm de editione Caluiniana. Quis enim locus est, ait *Quir. Cnoglerus in Trisymb.* pro Christi Diuinitate, quem non atrâ Arianæ glossæ caligine Caluinus obfuscârit? Quem non quasi piceo obiecto fumo suorum commentorum obnubilarit? Recurre à capite ad calcem per Biblia; vniuersa testimonia (ait *Vvittenbergensis Prædicans*) per aleatoriam quiduis illudendi versutiam, manib⁹ nobis excussa comperies; ad Arianam hæresim plenis cataractis & imbribus in orbem terrarum effundendam, & regurgitandam. Negas? Blandrata, & Franci Dauidis aduersus Geor. Maiorē, Caluini expositiones adferunt, non sine gratitudinis significatione. Nos è locis plurimis in exemplum pauca adducamus.

III. Calvinvs in Gene. 1. *Ex verbo* Elohim *colligere tres Personas, violenta glossa est.* 2. Idem in Psal. 2. *Qui hunc locum,* Filius meus es tu, ego hodie genui te, *de æterna Christi generatione exposuerunt, (sicut Paulus ad Heb. 1.) nimis argute in verbo* Hodie *philosophati sunt.* 3. Idem Inst. l. 1. c. 3. §. 15. *Ex illo Psal. 33.* Verbo Domini cœli firmati sunt &c. *infirma ducitur ratio pro adstruenda Spiritus Sancti Diuinitate.* 4. Idem in Ioan. c. 10. *Abusi sunt veteres hoc loco:* Ego & Pater Vnum sumus *vt probarent Christum Patri esse ὁμοούσιον. Abripuit eos huc contentio cū Arianis.*

Avtor. Sed non contaminent mihi chartam amplius hæ blasphemiæ. Lege Stancarum contra Caluini epistolas à fol. 97. ad fol. 122. ab I. 2. ad o. 3. Lege Hunnij Caluinum Iudaizantem.

4. Schegkius apud Genebr. pag. 108. *Nulla foret inter Patrem & Filium differentia, si Vna esset vtriusque Essentia.* Supra vidimus cum id difficili & inusitato vocabulo græco τῇ περιχωρήσει inuolueret. Certè nihil magnificum diuinis personis tribuit: Ponit enim contra omnem veritatē περιχωρήσε & Vnitatem (circumincessionis vocant Theologi) distinctam ab Vnitate Substantiæ.

Avtor. I. At hæc talis Vnitas an non in creaturis etiam cernitur? 2. An non lumen solis, per aërem diffusum, hac Schegkij vnitate cum ipso aëre Vnū est? 3. Nonne ita Angeli sibi, juxta Theologos, inesse possunt? 4. Nonne ita cum sepulcri saxo, & ianua clausa, Christi humanitas sese penetrauit? Apage græcule cum insolente vocula græca, rem claram obnubendo; vt mysteria crepare videaris admirandus cuculus. Manet igitur, dictos Luthero-caluinistas facere seipsos, esseque Tritheitas. Neque solum hoc; sed Bitheitas quoque, vt subiecta quæstio insinabit.

D QVÆ-

QVÆSTIO XII.

An circa Personarum in Diuinis AEqualitatem Gentilizent Caluinistæ?

LVTHERO-CALVINISTARVM doctrina communis hodie nobiscũ in hoc consentit, quòd plerique docent Vnitatem in Trinitate; præter Transyluanos.

CALVINVS autem, quem Valentinum re & nomine Gentilem, natione Hispanum, stylo primum confodit; deinde & gladio Magistratus Geneuensis, vel in carcere nexum, canereque palinodiam paratum, est ad necem vsque, & ad orcum persecutus: eiusdem tamen Arianismos demum non abhorruit; sed amauit, ac propugnauit infelix istos:

I. GENTILIS talia Prothesi septima: *Solus Pater est Vnus Deus.* Octauâ *Solus Pater est* αὐτόθεος, id est, *à nullo superiore essentiatus; sed à se ipso Deus.* Nonâ *Qui Vnum Deum in Proprietates, & Personas distinguit; vel sibi Præstigias facit, vel necessariò Vnius Dei Substantiam diuidit, atque discerpit.* Vndecimâ. *Genitus à Genitore numero differt; non Potestate, scientia, aut natura diuersitate.* Duodecimâ. *Vnus Deus, & λόγος eius, duæ sunt eiusdem naturæ substantiæ intelligentes, id est, duo æterni Spiritus consubstantiales, congruo gradu, ordine, & proprietate distincti. &c.*

2 Georgius Niger apud Stancarum libro contra Pinzouianos ait; *Ego cũ Sarnitio & aliis; nolumus credere, quod Filius Dei sit Patri æqualis, sed Minorem Patre asserimus.* Quâ causâ *Symbolum Athanasii*, vocant *Sathanasii.*

3. CALVINVS, inquam, similia sensit & docuit: præsertim Filium Dei Patre minorẽ Deum esse. Sic & LVTHERVS cum Synonymis Vide fusè recitatos ipsos *suprà quæst. 9.* Refutatos quoque obiter in mea *Genealog. quæst. 5.* & *in Antichristo q. 5.* Ergo isti Gentilizant; imò reipsa sunt Gentilistæ, id est, germani Ariani, & Machumetani, ac pene Judæi: teste Hunnio in suo Caluino Iudaizante.

AVTOR. Sic contrà. I. Quem veteris Testamenti complura loca vocant vnum verum Deum Israël; eadem ipsa Nouum Testamentũ exponit de Christo: Ergo Christus est idem vnus verus Deus Israël. At in illo DEO Veteris Instrumenti nihil Inæquale vsquam significatur aut reuelatur: Ergo Christus, quà Deus, Æqualis est Patri, vti & Consubstantialis.

Antecedens testatum reddamus. 1. Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra AEgypti.* Id est, ait Iudas in Canon. *IESVS, populum de AEgypto saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.*

2. Psal. 67. *Dominus in eis in Sinai in sanctis. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.* Id est, Ephes. 4. *Vnicuique nostrum data est gratia, secundùm mensuram donationis Christi. Propter quod dixit: Ascendens in altum. &c.*

3. Isa. 6. *Vidi Dominum sedentem &c.* qualis isthic describitur Maiestas Dei; talis & in Nov. Test. delineatur, *Iohan. 12. & Apoc. 4.* 4. Isa. 45. *Ego Deus, & non est alius: In memetipso iuraui: quia mihi curuabitur omne genu.* Ita Rom. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim, Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu.*

4 Isa. 35. *Deus ipse veniet, & saluabit nos: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, & saliet sicut ceruus claudus. &c.* Id de seipso Christus exponit Matt. 11. *Nunciate Ioanni, &c. cæci vident, surdi audiunt, claudi. &c.*

III. SIBYLLÆ præcinuere IESVM Christum Vnum verum Deum, Patri æqualem, in carne venturum. At *Clemens, lib. 6. Stromatum*, asserit Apostolũ Pau-

Paulum gentiles ad Sibyllarum lectitationem admonuisse. SS. Patres verò, *Iustinus, August. &c.* citant eas percrebrò. Et *Erythræa* canit in Vaticinio, cuius initiales literæ reddunt has voces, *IESVS Christus Dei Filius: Saluator, Crux.* quod istis concluditur:

Vnus & æternus Deus; hic Seruator, & Idem CHRISTVS; *pro nobis passus: Quem carmina signant.*

III. VISIONVM & MIRACVLORVM diuina testimonia super Æqualitate Consubstantiali, seu ὁμοουσίᾳ recitat perillustria Illustriss. Card. *Bellarm. lib. 1. de Christo cap. 12.* Quibus in præsens supersedebit studium breuitatis.

IV. D. THOMAS *p. 1. q. 42. a. 1.* Necesse est ponere Æqualitatem in Personis. Quia, *lib. 9. Metaph. textu 15. 16. 17.* æquale dicitur quasi per negationem maioris & minoris; non autem possumus in Diuinis ponere maius & minus. Quia, ait Boëtius lib. de Trin. *Eos differentia,* scilicet Deitatis, *comitatur, qui vel augent, vel minuunt: vt Arius: qui gradibus numerorum, Trinitatem variantes distrahunt, atq; in pluralitatem deducunt.*

Ratio est: Quia Inæqualium non potest esse vna Quantitas numero: Quãtitas autem in Diuinis non est aliud, quã Essentia: Vnde si esset inæqualitas in Personis diuinis, non esset in eis Vna Essentia: & sic essent tres Personæ Vnus Deus; quod est impossibile. Oportet igitur Æqualitatem ponere in Diuinis.

Vnde S. August. lib. de fide. c. 1. to. 3. *AEqualitas intelligitur in Patre, Filio, & Spiritu S. in quantum nullus horum aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.* &c. Plura in mea *Genealogia quæst. 5.*

QVÆSTIO XIII.

Qualis sit facta Christo Attributorum DEI *Communicatio?*

LVTHERVS in Conc. de Nat. Dom. *Duo* CHRISTI *sunt: Vnus Christus est* DEVS *Omnipotens: Alter Christus est Homo non Omnipotens.* Quocirca, duos habet filios Deus Luthero. 2. Brentius, pag 113. Recognitionis suæ, patri suo Luthero adsilit audacter; *Discrimen,* inquit, *inter Christum & alios homines non propriè Inhabitatione Filij Dei in Filio hominis; sed Communicatione Proprietatum, quibus Filius hominis ab inhabitante Filio Dei ornatur.*

CALVINVS lib. contra Gentilem pag. 917. *Si Essentiam Pater Communicauit, cum Filio, vel ex solido communicauit, vel ex parte: Si ex parte; dimidius Deus est: Si ex solido, in ipso Patre Euanuit.* Rursus ibid. *Si Patris Essentia est in Filio; erit etiam in eo Persona Patris.*

AVTOR Euax; quàm argutæ consequẽtiæ? Eas nec Carneades helleboro purgatus refellat; nedum pransus. Vide, & Ride *Camelum saltantem.*

Atat: 1. Acclamat ei anonymus Caluinista quidam apud Feuardentium in Dialogo: *Incommunicabilis est essentia diuina.* 2. Adnolant Caluino suo suffragatores Samosateni noui, Blandrata *Disput. 6. Albana,* Transyluani Ministri *lib. 2. Cap. 7.* Et hæresiarcha eorum Nestorius, apud Theodoretum *lib 4. hæret fabul.* Quorum ista assertio pauxillò mitior: *Christo homini communicatam à Deo Diuinitatem esse; non per generationem æternam, Sed per Vnctionem gratiæ & Inhabitationem:* Ac proinde, *Posse Christum dici Deum; sed Deum Factum, Temporalem, Non æternum.*

Addo his Bezam. Castallio probauerat ex dicto prophetiæ, *Egone parere faciam, & non pariam? Omnes homines esse creaturis Dei.* Quid Beza? Lib. contra Castallionem: *Dico,* ait, *è contrario: Deum, ex quo Adamus peccauit, desiisse Patrem esse in Adamo generis humani.* Vide Schlüsselburgium, *lib. 1, Theol. Scholasticæ fol. 3.*

AVTOR. Qui igitur *eſſe Pater* Chriſti negatur; vt qui ſuam ei communicare eſſentiam nequierit; is jam etiam negatur *eſſe non Pater*.

Caluinus Inſt. l. 1. c. 13. §. vlt. *Stultè fingitur in Patre continuus actus generandi*. Sed plura de communicatione Attributorum *infrà quæſt. 24. 25.*

AVTOR. 1. Nimirum liberalior Caluino videri voluit Lutherus: hic enim duos; ille nec vnum quidem DEO Filium ſat concedit. An, quia, *Dum vitant ſtulti; vitia in contraria currunt?*

2. Certe ad Brentij verba exclamat Beza in reſpon. ad Colloq. Mompelgatt *Ecce tibi Duos ex Neſtorio* FILIOS! ſcil. vnus Deus inhabitans Chriſtum hominem; alter, Homo inhabitatus.

3. Caluino autem nec Chriſti Pater fuit vnquam Deus *vel ex ſolido, vel ex parte*: ſed duntaxat *Proprietate quadam ſunt diſtincti*. Vidè ſuprà quæſt. 7. Ideò Neſtoriani in hoc ſunt Luthero-caluiniani: contra iſtud Symboli Athanaſiani, *Genitus, non factus, conſubſtantialis Patri, per quem omnia facta ſunt*: Non igitur factus eſt; ſed genitus, ab æterno ex Patre; in tempore ex Matre θεοτόκῃ non ſolum χριστοτόκῃ. Sed diſtinctius ſingula, & ſtrictim.

4. Cùm Diuo Thomæ *1. quæſt. 27. a. 2.* Proceſſio Verbi in Diuinis dicatur Generatio, juxta Pſal. 2. *Ego hodie genui te, Filius meus es tu*. Cùm etiam Chriſtus teſtetur, Ioan. 7. *Ego ex Deo proceſſi*: diſtinguenda eſt proceſſio illa ſiue generatio, ex *D. Th. 1. quæſt. 27. a. 1. Arrius* accepit proceſſionem ſicut effectus procedit à cauſa; & ſic Filium ait procedere à Patre generatum, ſicut primam eius creaturam. Et ita Filius non eſt verus Deus. *Sabellius* accepit eam, ſicut cauſa procedit in effectum, quatenus aut mouet ipſum, aut ſuam ipſi imprimit ſimilitudinem. Et ſic Chriſtum dixit, Filium Dei quatenus è Virgine Carnem aſſumſit.

Errant autem ambo: Quia acceperunt proceſſionem *ad Extra* ſolũ, quatenus procedit ſecundum actionem in materiam exteriorem: At proceſſionem *ad Intra*, quæ manet in ipſo agente, oportuit eos attendiſſe; quale eſt *Intelligere Dei*: quod eſt Concipere mente aliquid, & ex eius notitia procedere; dicturque *Verbum mentis*: quod in æterno Deo fuit ab æterno: Et hæc fuit generatio Filij.

Eſt itaque, ait Auguſt. l. 4. de Trin. c. 10 *Pater Principium totius Deitatis*: Sed &, Ioann. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud. &c.* Et tamen Pſa. 2. *Ipſe inuocabit me* quà homo; *Pater meus es tu*, ſcilicet ab æterno prius; dein & in tempore. Plura D. *Thom. 1. q. 33.*

Neque tamen infitias eo, priuatis iſtis quorundam opinionibus impiis omiſſis, communem hodie Luthero-caluiniſtarum ſententiam concedere in noſtram Orthodoxam. Sicut & in ſequentibus variant.

QVÆSTIO XIV.

An Deus ſit Omnipotens?

LVTHERVS in conc de Nat. Dom, *Duo Chriſti ſunt: Vnus Chriſtus,* DEVS *Omnipotens; alter Chriſtus Homo non Omnipotens.* Idem tom. 2. Wittenb. fol. 188. & in Colloq. menſalibus. fol. 97. 98. 99. *Non credo Omnipotentem Diuinitatem eſſe Immortalem.* Vide in mea Genealogia quæſt. 9.

II CALVINVS Inſt. l. 4. c. 17. §. 3. clarè ſubinnuit iſtud: *Deus nil poteſt efficere aut ſupra, aut contra ordinem à ſe in Natura conſtitutum.*

1. Idem

2. Idem Inst. l. 3. c. 22. §. 3. *Potentia Dei Absoluta commentum est, sicut profanum, ita meritò detestabile.*

3. Theod. Beza, Heshusio teste, lib contra Caluinum & Bezam, credens Deum Patrem Semipotentem, ait, *Quia impossibile est illi facta infecta reddere.*

Idem Beza isthoc Dei Attributum nunquam in eam fidei Confessionem; quam in Conuentu Possiaci obtulit, licet identidem editam; voluit inserere. Alubi autem easdem, quas Plinius Atheus affert, diuinæ Omnipotentiæ exceptiones depromit. Consule *Posseuinum contra Chytræum, Atheismo l. §. 4.*

Idem Beza lib. contra Heshusium ait: *Nec credenda est, nec vniuersaliter recipienda illa propositio Gabrielis Angeli: Non est impossibile apud Deum omne Verbum.*

4. Idem lib. aduersus Brentium: *Deus nõ potest efficere, vt corpus humanum sine suis dimensionibus vnquam existat: Non potest quantitates suis destituere effectis naturalibus, quo minus certa occupent & impleant loca.*

5. Carolstadius in dialogo de Cœna. *Tàm verum est Corpus Christi simul in multis locis esse posse essentialiter; quàm verum est, S. Annam habuisse quinque capita; aut innocentem infantem habuisse barbam duodecim cubitos prolixam.*

6. Brentivs, apud Andreæ in fideli Luthero cap 1. Ego & Iacob Schmidlinus cum Vbiquitariis credimus, *Duos esse Deos. Seniorem qui ab æterno fuit ac permanet: Iuniorem verò esse Humanam Christi naturam, communicatam ac dotatam Diuinis Attributis, sicque in Deum coronatam & exaltatam.*

Avtor. 1. *Si* talia de Deo; quantò minus Omnipotentiam attribuent Christo? Sed presse agam ex *D. Th. p. 1. q. 25. a. 1.* Cùm Deus sit purus Actus, simpliciter & vniuersaliter perfectus; ideòque omnium sit principium actiuum, & non passiuum; relinquitur, quòd in Deo sit actiua Potentia summa; eaque, ait *Hilar l. 8. de Trin.* infinita.

Sub eam tamen, *art. 4. ibid.* non cadunt, quæ contradictionem includunt: Vnde non potest facere de corrupta non corruptam; præterita, vt sint non præterita &c. Hinc August. l. 26. contra Faustu, c. 5. *Qui dicit: Si Deus Omnipotens est, faciat vt, quæ facta sunt, facta non fuerint; is non videt hoc se dicere: Si Deus Omnip. est, faciat vt ea, quæ vera sunt, eo ipso quòd vera sunt, falsa sint.* Arist. 6. Eth. c. 2. *Hoc solo priuatur Deus, ingenita facere, quæ facta sunt.* Cætera, Gen. 17. *Ego Dominus omnipotẽs.* c. 18. *Ego Deus omnip. Cresce. &c.*

Filivs Dei autem est Patri æqualis in Omnipotentia. Quia ait *D. Th. 1. q. 41. a. 6.* in Diuinis non differt Esse, & Posse: Ideo cum Essentiæ ac naturæ perfectione Deus generans Genito dedit quoque Omnipotentiæ perfectionem. *Art. 5.* ita ratiocinatur. *Sicut Deus potest generare Filium, ita & vult: Sed voluntas generandi significat Essentiam: Ergo & Potentia generandi.*

Vera igitur vox Christi, Matth. 19. *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt:* Vide D. Tho. p. 3. quæst. 9 10. 11. 12.

Quò dementius blasphemat Calvinvs Instit. lib. 1. c. 13. §. vlt. *Stultè fingitur in Patre continuus Actus generandi.* De Creatore autem, quòd is non amplius sit Deus, Lvtherani Accidentarij, vt Heshusius, Schmidelinus, &c. id impingunt Lutheranis Substantiariis, vt Flacco Illyr. Amsdorfio. &c. Vide *Vlenbergium causa 17.*

Avtor. At, Apocal. 1. *Qui venturus est Omnipotens.* Et Matth. vlt. *Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.* Omnino consule S. Th. p 3. q 13.

QVÆSTIO XV.

An Deus ſit Iuſtus.

LVTHERVS ad marginem cap. 3. ad Rom. *Deus eſt iniuſtus: nam inprimis impoſſibilia præcipit.* Deinde Idem lib. de Seruo arbit. *Nec in damnandis, nec in ſaluandis merita ſpectat: Spargit gratiam & miſericordiam in indignos, iram & ſeueritatem in immeritos: Indignos coronat; indignos punit: ſine meritis ſaluat; ſine meritis damnat.* Vide infrà quæſt. 17. 32.

ZWINGLIVS lib. de prouidentia cap. 6. *Deus eſt iniuſtus: Punit ob peccata homines, quæ non eorum magis ſunt actus, quam Agricolæ ſunt prouentus.* Idem to. 1. in explicatione art. 20. *Non magis, quam mallei opus vomer, quem conflat faber.* CALVINVS quam Deo tribuat iuſtitiam, liquebit infra, vbi Deum ſcelerum conſtituit autorem.

AVTOR. Ex Pſal. 10. tenemus: *Iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit.* Sed rectè diſtinguit D. *Th. 1. q. 21. a. 1.* Iuſtitia Commutatiua non cadit in Deum: Quia Rom. 2. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Diſtributiua verò propria Dei eſt Gubernantis. Vnde S. Dionyſ. de diuin. nom. lib 8. *Oportet videre in hoc veram Dei eſſe iuſtitiam, quod omnibus tribuit propria.* Ideo 2. Mach. 1. *Solus es bonus Rex, ſolus præſtans, ſolus iuſtus, & æternus.*

QVÆSTIO XVI.

Deus & Chriſtus an ſint immortales & impaſſibiles?

LVTHERANI: Vt 1. Selneccerus in confutatione accuſationis, fol. 129 *Theodoreti illa phraſis: Chriſtus inquantum Deus, impoſſibilis eſt: nunquam ferenda eſt.* 2. Gerlachius in diſput. contra Buſæum: *Veræ ſunt hæ propoſitiones: Diuinitas eſt nata, Crucifixa, Mortua.* 3. Schmidlinus in theſi 136. & in repetit: Wittenberg. *Pati, & Mori nomine & re pertinet ad Diuinitatem.* 4. LVTHERVS lib. de conciliis par. 2. *Neſtoriani ſunt, qui Diuinitatem Pati non potuiſſe pertinaciter diſputant;* Ergo & mori.

Gerlachius contra Buſæum aſſignat rationem. *Quia Proprias ſibi vnâ cum natura humanâ participatione, affectiones eius fecit ſuas Verbi natura & maieſtas.* 5. Islebius & Andr. Muſculus in refut. Simleri: *Si ſola natura humana Chriſti paſſa ſit, Filius inprimis ab opere Redemtionis flagitioſa impietate ſeparatur.* 6. LVTHERVS, in confeſſ. de cœna Dom. *Chriſtus Filius, nec magni pretii Saluator eſt: immò ipſe quoque alio Saluatore opus habet:* ſubaudi, ſi in diuinitate paſſus ac mortuus non fuerit. Plus nimio ſatis iſta.

CALVINVS Inſtit. lib. 1. c. 17. §. 2. *Deus eſt mortalis:* immò verò *aliquando mortuus eſt. Fuit enim ſacerdos noui fœderis Chriſtus, etiam ſecundum Diuinam naturam.* Vnde Iacobus ipſius lib. contra Hardingum art. 14. & 17. *Chriſtus humanâ naturâ immolatus fuit: diuinâ, ſacrificus extitit.* Plura vide ſupra cap. 9. 2. Caluinus ad Hebr. 9. v. 12. *Per proprium Sanguinem introiuit in Sancta: Quia in fœdere nouo ad perfectam ſacrificij rationem mors ſacrificantis pertinet.* 3. Item ibid. v. 14. Quia *Fuit etiam Noui teſtamenti Mediator ſecundum Diuinitatem: Ideo autem Noui Teſt. Mediator eſt, vt morte intercedente redimat præuaricationes.* Quæ quidem, vt de Humanitate Chriſti verè: ita blaſphemè dicuntur omnia de Diuinitate. Vide plura *quæſt. 21.*

III. AVTOR. ex *Cnoglero* cultiſſimo *in Triſymbolo*, 1. Fuit olim imbutus eodem errore Anaſtaſius Imperator: de quo lepida proditur hiſtoria apud *Zonaram in Anaſtaſio to. 3.* Miſerat hic Epiſcopos duos ſuæ ſectæ ad quēdam Orientis Dynaſtam, qui eū erroris ſui de Mortalitate Dei implerent. Is audiit eos humaniter: reſponſum in diem reiecit alterū. Interim ſubornat famulum, qui ſibi cum Epiſcopis colloquēti, neſcio quid, tacitè in aurē inſuſurret. Facit ille exprēſcripto; cum ſubitò frontem dimittere Princeps, & ſuſpirare, & magnam prēſe ferre mœſtitiam. Percunctantur Epiſcopi vehementer iſtam tam ſubiti doloris cauſam. Cùm Princeps: *Nunciatum,* inquit, *eſt mihi, obiiſſe mortem Gabrielem Archangelum.* Epiſcopi in riſum ſoluti, bono animo eſſe iubent, & multis ar-

tis argumentis ostendunt, *Mori non posse Angelos*. Commotior ille statim : *Et vos* inquit, *qua fronte persuadere vultis, Diuinitatem in Christo passam fuisse, & mortuam?*

2. ZVVINGLIVS *tom. 2. in respons. ad Lutheri Confess.* laboriosè hanc Coapostoli sui vesaniam confutat ; seu, vt ipse vocat, *summam, & omniũ longè stultissimam blasphemiam*. Inter cætera, Luthero suo quasi ex diametro oppositus, liberè vniuerso mundo testatur dicens: *Contrà, ego de me illud liberè dico : Si Christus Deus quoque iuxta Deitatem passibilis est ; Deus certè non est ; nec hunc pro Deo meo vnquam sum agniturus.*

3. Frustra vociferaris Zvvingli; Tãtum abest, vt Lutherani hunc sibi Mortalem Deum eripi patiantur; vt etiam in Pandora sua Bergensi, id est, Concordię libro, eundem quater millenis subscriptionibus roboratum, omnibus credendum proposuerint. Belli Antichristiani, quin & Athei, sine Deo viuo! Hæc Lutheranis dixerim.

Eadem & Caluinianis ; queis addo suum Patriarcham Petrum Gnaffæum autorem Theopaschitarum, dicentium, *Vnus ex Trinitate passus est secundùm humanitatem* : apud *Baron. annis 482. 519. 535.*

QVÆSTIO XVII.

An Deus sit Bonus? an verò Peccator?

LVTHERVS lib. de seruo arbitrio : Phil. Melanchthon in Rom. c. 2. *Deus autor fuit Proditionis Iudæ, adulterii Dauidis, sauitiæ Manlii.* 2. Idem in assert. art. 32. *Dubium non est, quin Sathanâ Magistro in Ecclesiam venerit hoc nomen : Liberum arbitrium* ; sci. à Deo solo conditum, inditumque nobis. 3. Lutherus, Tom. 1. Witemb. fol. 161. b. *Christus fuit summus peccatorum, quos vnquam terra tulit* Causam reddit Tom. 4. Witt. fol 363. b. *Nimirum quia non sinè causa, neque de nihilo ab Ioanne baptizatus est.* 4. Idem in assert. art. 36. tom 2. Witemb. anni 1551. *Nulli est in manu sua positum cogitare quippiam boni vel mali : sed Omnia sub Deo sunt ; contra quem nihil possumus, nisi quantum permittit & facit ipse. Quod & peccata voluit, cùm dixit : Certâ stant omnia lege. Quomodo potest sese homo ad bonum præparare ; cum nec in potestate sua habeat vias suas malas facere ? Nam &* MALA OPERA IN IMPIIS REGIT DEVS, sc, ut Autor scelerum omnium. Prô!

AVTOR. Ibidem Lutherus hunc articulum omnium optimum, & rei Christianæ summam constituit : *In cæteris*, inquit, *articulis de Papatu, de Conciliis, &c. magus ferenda est leuitas & stultitia Papæ & suorum : Sed in hoc articulo, qui omniũ optimus est, & rerum nostrarum summus, dolendum ac flendum est, miseros sic insanire*.

1. Atqui Manes idem docuit olim teste *S. Augustin. hæresi 46. & Hieron. in prologo dialogi contra Pelagianos.*

2. Iactitant Lutherani de suo Magistro, quod Velleius de Epicuro suo ; *Eum primum superstitionibus liberasse Germanos.* Sed, quod Cotta Pontifex respondit Velleio ; *Superstitione quidem facilè fuit Epicuro* (dixerim Luthero) *liberare ; cum sustulerit omnem vim naturamque Deorum.* Sanè namque ait Tertull. *Qui Deum esse Bonum diffitentur ; Deum esse nunquam fatentur*. Vide infrà quæst. 31. 32.

CALVINIANA istis pauca subiiciam consona.

CALVINVS Instit. 1. c. 18. §. 3. *Deus autor est omnium eorum, quæ Papistæ otiosè tantum volunt eius permissu contingere :* scil : peccatorum. Sic enim Zwinglius exponit in serm. de prouidentia cap. 5. *Numen ipsum*, ait, *autor est eius, quæ nobis est iniustitia.*

2. Caluinus ibid. §. 1. Confirmat exemplo : *Dei ita opus est incastus Absolonis addit.* Melanchthon in Rom. 8 *& proditio Iudæ : vt Pauli conuersio.*

2. Zwin-

2. ZWINGLIVS ibid. *Deo impulſore latro occidit: Deo motore perpetrantur homicidia & adulteria.*

3 Bucerus in Rom. 1. amplius dicit: *Qui non credunt, Deum omnia tam mala, quam bona in hominibus perficere;* NEGANT DEVM PENITVS. CALVINO *ſunt homines bardi, vertigine ſi, prodigioſè cæci, ac deſperati.*

Idē Inſt. 2. c. 4. §. 2. *Eſt enim Deus cauſa particularis peccati, à qua ſola omnis peccati & peccatoris ratio ducitur.* Et verò *Apparet Dei Specialis Actio in vnoquòque facinore.*

5. Idem Inſt. 1. c. 18. §. 2. *Dicitur Sathan excœcare infidelium mentes; Sed vnde hoc, niſi quia à* DEO MANAT EFFICACIA ERRORIS?

6. Quin, Beza Aphoriſmo 22. in reſponſo. ad Caſtallionem: *Deus creat homines ad eum finem, vt, quæ* CONSTITVIT *ipſe ab æterno* MALA; *per illos agat.*

7. Zwinglius cap. 6. de prouid. *An coactus eſt homo ad peccandum? Permitto coactum eſſe.*

Beza in reſpond ad Caſtal. *At non potuerunt reſiſtere Dei voluntati? Fateor.*

CALVINVS Inſt. l. 3. cap. 22. §. 4. 6. 7. 8. *Voluntate Dei, qua rerum eſt neceſſitas, cecidit Adamus, defecerunt Angeli. &c.* plura talia quæſt. ſequente.

AVTOR. 1. Nubem Atheiſmorum eiuſmodi adducere liceret ex Beza, Martyre, VVitakero. Sed vel hæc pauca cerebri inuerſionem parere poſſunt viro bono. Conſule Cardin. *Bell. lib. 2. de amiſſ. grat. cap. 3. Caluino-turciſmum l. 3. c. 17. & 23. Stapletonum de Iuſtific. lib. 11. c. 4. 5. 6.*

2. Hic verò tam fœdus fuit Atheiſmus, vt ipſi etiam Caluiniani ad eum nauſearint.

3. Certè Caſtallio, Caluino domeſticus, Deum hunc Caluinianum mirificè exagitat, *in lib. ad Caluinum de prouidentia.*

4. Bullingerus & ipſe Caluiniſta, *Decade 3. ſermo 10.* cùm execratione deteſtatur id ipſum.

5. Senatus Bernenſis magnarū etiā pœnarum ſeueritate eum à Deū ſua ditione arcet: Patet *è literis Bernenſium ad Miniſtros anno 1555.* ſcriptis, apud Claudium Sanctesium *in reſpons. ad Apolog. Bezæ.*

6. Fouerunt hoc ouum multi olim hæretici: vt Simon Magus, teſte Lirinēſi *in Commonit. aduerſus profanas vocum nouitates:* Cerdoniſtæ, teſte Tertull. *lib. de præſcript.* Marcioniſtæ, apud Irenæum *lib. 1. aduerſus hæres. c. 29* Manichæi, teſte *Auguſt. hæreſi 49.* Priſcillianiſtæ, teſte *S.* Leone *epiſt. ad Turbium.* Seluciani, apud Auguſt. *hæres. 59.*

Nemo tamen horum omnium illud ita manifeſte excludere auſus fuit. Quid tandem? Peperit vipera, & rupta eſt.

Primus Florinus hydrum hunc per abortum eiecijt: Nutrijt poſt eū Zvvinglius: Ad juſtam magnitudinem & robur prouexit Caludinus. Florinum ob hoc plus, quam hæreticum Irenæus dixit: Caluinum & Zvvinglium quos dicemus nos? Hucuſque *Quir. Cnoglerus.*

Porro *D. Thomas 1. q. 6.* de Deo Bono, Angelico digna Doctore. Proprium Deo eſt, eſſe bonum: iuxta Thren. 3. *Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum; animæ quærenti illum.* Vide *S.* Dionyſ. lib. de diuin. nom. cap. 4. par. 1. *Bonus dicitur Deus, ſicut ex quo omnia ſubſiſtunt.* Ideo *S.* Auguſt. l. 4. de Trin. cap 2. *Trinitas diuinarum Perſonarum eſt ſummum Bonum, quod purgatiſſimis mentibus cernitur.*

QVÆST.

QVÆSTIO XVIII.

An Luthero-caluinistæ sint Theomastyges Mysotheitæ.

PLVS nimio id quidem enarrata hactenus, eorumque similia porro recensenda, testantur. Mihi tamen id hîc quoque pauculis consignandum esse videtur. Neque verò nescio; quod sæpius iam monui; communem hodie Theologiam Luthero-caluinianam ab eisdem nonnullis abhorrere.

CALVINVS lib. contrà Nebulonem, resp. ad propos. 7. DEVM SIMVLATOREM facit. Quia, ait, *Vult fieri; quæ fieri non vult, & fieri vetat.*

AVTOR. Nequiit hoc tam subtile pronunciatum capere Castallio: questusque est. Quid ei Caluinus? *Stultescere oportet*, ait, *& proprio sensu exinaniri.* Papæ, quam benè! Ni sana mente exinaniare, Caluinianæ vesaniæ nunquam intumescès typhone.

Idem Inst. l. 1. c. 17. § 2. *Deus vult peccatum voluntate absconditâ; non voluntate in verbo patefactâ.* Ecce Deum Sycophanticum Caluinistarum! Porrò. *Vult filios Heli patri immorigeros esse; vult eosdem & rebelles esse.* Ibidem cap. 18. §. 3. *Aliter qui docet, cauillum non in Caluinum, sed in Sp. Sanctum intorquet.*

II. TYRANNVS est DEVS Caluini Symmystæ Zwinglio, serm. de prouid. c. 6. Quia *Dominantium more pronunciat & definit: Misericordiam impartior, ait, pro meo placito; non pro implorantium meritis, aut eiulantiũ miseria.*

AVTOR. Puto, ad hoc exemplum *Dei Zwingliani*, conformasse se Neronem, Caligulam, Domitium, Decium, Syllam: qui, vt ostenderent, quam libero in suorum vitas fortuna: que Dominatu potirentur; plurimos militares Præfectos subito interemerunt, & obscuros terræ filios in eorum locum extulere. Ita Sylla, teste *Appiano lib. prima.* in bello ciuili quatuor legiones, in Cãpo Martio, eius misericordiam implorantes, è vestigio mandauit obtruncari.

III. DEVS à DIABOLO num quid differt?

Heshusius, apud *Schlüsselburgium lib 1. c. 6.* clamat, CALVINISTAS *transformare Deũ in Diabolum.*

An verè; ex his collige.

1. CALVINVS contrà Libertinos in Instruct. cap. 14. *Qui Deum*, ait, *faciunt scelerum & flagitiorum autorem; Deum transformant in Diabolum.*

AVTOR. 1. At cui id canit? Nonne sibi? 2. Caluini vox est ipsa, 1. lib. de æter. Prædest. pag. 1005. & 1007. *Idem vult Deus & diabolus.* 3. Sic diabolum, & in diabolo Deum Caluini definit corpus doctrinæ, & Examen ordinandorũ, cap. de definitionibus appellationum. *Nihil est aliud diabolus, quam Persona exercens spiritualem sæuitiam in genus humanum, impellens alios ad alia scelera:* Sicut quæstione præcedente retulit ac censuit Caluinus de Deo peccatorum autore. Vide *suprà quæst. 6.*

IV. DEVS an PEIOR DIABOLO?

CALVINVS. Ita equidem ex præmissis vt statuam, adigi videor.

Nam diabolus adferre peccandi necessitatem haud vlli valet: *Deus autem impellit.* Vnde, Instit. l. 1. cap. 18. §. 4. *Homo, iusto Dei impulsu agit, quod ei non licet. Impellit*, ibid. §. 2. *reprobos in obsequium.*

Idem in responso ad Nebulonis calumnias de æter. Prædest. passim: *Deus summa est causa peccati, & præcipua:* Inst. 2.

cap. 4. §. 2. *Vnde homines efficaciam erroris ducunt*: Inst. 1. c. 13. §. 2. *Est præcipuus Autor.* Ibid. c. 17. §. 8. *Armat diabolum in nos.* Ibid. c. 18. §. 2. *Dæmon tantum minister est Dei.* Ibid. §. 5. *& instrumentum:* Ibid. §. 2. *Eius impulsu suas partes agit*; Idem lib. de æt. Prædest. pag. 1001. *Eius mandato impostoris suis reprobos illaqueat.*

AVTOR. Satin' hæc sapiunt aut proposito testando sufficiunt?

V. DEVS an OTIOSVS sit, Ignauus, aut Epicureus?

CALVINVS in Actor. 22. *Qui sentiunt homini liberum arbitrium esse relictum; Deum fingunt in cœlis sedere otiosum.* Beza lib. aduersus Sycophant. calum. *Si est in Deo tantum simplex peccatorum permissio, non est Deus Omnipotens; Sed Deus Epicuri, otiosus, ignauus, improuidus.*

AVTOR. AT in Deo est simplex permissio: Ergo. Prô!

VI. DEVS AN SIT LIBERI ARBITRII?

BEZA in Confess. Geneuensi. cap. 3. art. 6. & c 4. art. 20. *Deus non est liberi arbitrii in operibus, quæ ad res creatas pertinent: Nec liberum est illi semel nobis datam fidem & gratiam tollere: Nec inferni cruciatibus addictum liberare: Neque beatum æternis supplicijs distorquere.*

AVTOR. Verè Heshusius; teste Beza lib. contra Sycoph. calum. *Caluinistæ nunquam magis extollunt Dei potentiam, quam cum eam volunt euertere.* Sed acclamat eis natura in ethnicis: Nã Plato ait, dialogo secundo de repub. seu Iusto: *Omnibus modis pugnandum est, ne Deus dicatur esse malorum causa. Nec, qui iustis legibus victurus est, verba hæc dicat in sua ciuitate; Nec alium loquentem audiat. Est enim probitatis & vitæ communis, & legum, & ciuitatum extrema corruptio.* Plutarchus similia aduersus Stoicos: *Infinitis*, ait, *partibus tolerabilius est, imbecillitatem Deo tribuere; (quod facit Epicurus) quàm nullam esse libidinem, nullum scelus, quod non ei Autori imputandum sit.* Vt imputat Caluinus, eiusque Syri ac Dani Beza, VVittakerus. &c.

Sed vide age, quanto Caluinistæ sint Barbaris ethnicis infeliciores. Calechutani victimas diabolo faciunt: Sed eò, vt debitam cuique pro benè, malèue gestis mercedem remetiatur. At Caluinistæ ne hoc quidem DEO suo permittunt; vt quem Innocentes puniri asserant. Immane!! Tartari, ait, *Ortelius in Theatro*, stellas colunt; Ægyptij coluere feles, ibides. &c. Milleum prægrandem Lithuani, teste *Guagino de Lithuania*: Americani farinam humano sanguine temperatam, teste *Cortesio in orbe nouo, narrat.* 2. Stultissimè: quia negat? Ad ideo tamen omnes; quia sibi quid Boni ab iis, ob cultum, pollicebantur. Soli Caluinistæ colunt DEVM talem, qui solus immeritos ad tartara mandat: meritos orcum mactat beatitate. Hactenus de vnitate Dei: Porrò de Personarum Distinctione disceptemus. Sed prius de vocibus.

QVÆSTIO XIX.

An de Diuinis sint tolerabiles vocum termini?

VT diuinum, ita celeberrimum est Opus S. Dionysij de Diuinis Nominib⁹: Sunt & Ecclesiæ vsitata de Diuinis Vocabula quædam seu termini, quos distinctè definiteque nouisse interest. Et vero sunt ista: *Essentia, Homousia, Hypostasis,*

Hasis, Substantia, Persona, Proprietas, Relatio, Notio, Circumincessio, Trinitas. De his quid Sectarij?

LVTHERANI iuxtà & CALVINISTÆ quam fastidiosè voces *Trinitas, Persona. &c.* aspernentur, quamque ferant ægrè; docuimus suprà *q. 6. & 7.* Res verò ipsas Diuinas, vocibus designatas, quam infandè blasphement vtrique, quam profanè doceant, sacrilegéque tractent; quæstiones 7. 9. 10. 11. 12. 13. &c. aperuerunt.

1. Fateor, & laudo; Lutherani æquè ac Calviniani illarum sunt patientiores vocum in suo sensu, in vsu frequentiores, temperantiores in vellicatione insectatoria, in earum aspernatione religiosiores: quicquid de rei significatæ veritate senserint, sentiantue.

2. Transyluani autem, Hungaricique Ministri, noui Samosateni ac Ariani dictos vocabulorum terminos acrius insectantur, manifestéq; proscribunt: Rem ipsâ blasphemát.

3. Luthero-caluinistæ quid? Cum Romanodoxis Catholicis Nominũ seruant Vsũ communem quidem; at sensum de Rebus Diuinis ipsis diuersum, planéque auersum à nobis multi: sibi autem vel proprium, vel, vt plurimum, communem cum Transyluanis, id est, Arianis Samosatenis, Nestorianis. &c.

SVADENT. istis. 1. Ex 1. Tim. 5. *Vocum Nouitates deuita.* Eò, quòd hisce minus conuincantur hæretici, qui vix vel Scripturis sat constringuntur. 2. Exemplum Patrum in nouatione vocum est perspe erroneum. Ergon' amplectendum? 3. *Stultum est loqui* voce noua, *vt nil dicas*, ait Aug. 4. Nomina illa de diuinis sunt peregrina & obscura. 5. Nec vel Synonyma ipsarum vocum reperiuntur in S. Scriptura. Sunt igitur deuitandæ.

AVTOR. 1. RESPON. AD. I. Cogitur Ecclesia ob hæreses nouas noua nomina adinuenire, quibus & illæ damnentur, & Orthodoxi ab heterodoxis discernantur. Aug. autem *Tract. 97. in Ioh.* ostendit *vocum nouitates* vitandas esse; sed *profanas*: & nõ ipsa nomina noua, quę nouas contra hæreses sunt inuenta?

AD II. Errarint aliqui in aliquibus; at omnes simul in vllo nunquam erraruntCum igitur vocum harum vsus sit communis; sequendi sunt potiores.

AD. III. Cùm ait *S.* Aug. l. 4. Trin. c. 9. *dici tres Personas in Deo, non vt dicatur; sed vt non taceatur*: indicabat, nullum nomen humanæ linguæ sat explicare, quid tria illa sint in Diuinis; tamen dici *Personas*, ne muti simus.

AD. IV. Per totam recepta Ecclesiam tot retrò sæculis, exotica dici, nefas.

AD. V. At inueniri, testimoniis docendum est, simul hæreses detegendæ. Atque istud nunc agamus.

AVT. II. Consueta jam diu de Diuinis vocabula sunt perutilia. 1. Ad Oppugnationem hæreticorum, exemplo & autoritate S. Patrum: Ne scil. nihil dicamus. 2. Ad explicationem Mysteriorum Scripturæ, vt in quibus eæ voces sunt Reipsa, etsi minus de vocabulo. Liquet id eundo per singulas. Nam

ESSENTIA DEI & Coëssentia, seu οὐσία, & ὁμοουσία.

LVTHERVS, suprá quæst. 11. *Anima mea odit* HOMOVSION.

Atqui & Ariani oderant; amabant ὁμοιούσιον, aut συνυπάρξιον.

Similiter & Luthero-caluiniani. Tum quia non est in Scripturis: Tum quia nouum. Sic apertè, Transyluani.

AVTOR. 1. Epiphan. hæresi 73. *Essentiæ nomen nudo modo in Veteri & Nouo Test. non habetur; sensus autem & significatio vbique habetur.* Vt Rom. 1. *Sempiterna quoque Virtus eius & Diuinitas.* Phil. 2. *Forma Dei* 2. Pet. 1. *Diuinæ consortes Na-*

turæ, id est, essentiæ. S. Cyrillus *l. 1. de Trin.* deriuat vere οὐσίαν ex c. 3. Exo. *Ego sũ ὁ ὤν qui sum*: ab ὤν autem οὐσία est. Aug. *tract. 97.* in Ioan. 10. *Ego & Pater Vnum sumus*: hic sensum vocis Essentiæ & ὁμοούσιος ait contineri. *Ambr. l. 3. de fide c. 7.* ait similibus vti vocibus Scripturam: *vt Luc. 6.* τὸν ἄρτον ἡμῶν ἐπιούσιον, *Deut. 16.* λαὸν περιούσιον.

2. De Novitate & Ariani querebantur olim: sed iniuriâ. Nam & iam tum vox antiqua fuit S. Dionysio vsitata, Origeni, Synodis Arimini & Seleuciæ. Quò mendaciores sunt Transyluani, id in Nicæno natum ac nouatum cœpisse asserentes, *lib. 1. cap. 3.*

Nota. Vox vna ὁμοουσία tres iugulauit hæresiarchas 1. *Sabellium*, dicentem: Pater & Filius eandem habent essentiam; sed vnus non est ab alio. 2. *Arium* dicentem: Filius est à Patre; sed non habet eandem essentiam. 3. *Samosatenum* eam corporaliter intelligentem: quò significet duas substantias; sed eiusdem speciei: velut Petrus & Paulus sunt eiusdem speciei homines. Itaque ὁμοούσια denotat tria: Vnitatem essentiæ, contra Arium; & Distinctionem personarum, contra Sabellium: & differentiam numericam, non specificam, contra Samosatenum.

II. Hypostasis est essentiæ existẽtia in se, non in alio. Vnde Essentia est communicabilis; hypostasis non. Nam quod est in se, non est in alio: Additque essentiæ modum & proprietatem. Vnde vno in Deo tres sunt hypostases, seu existendi proprietates. Hebr. 1. *Qui cum sit splendor gloriæ & figura* ὑποστάσεως. Etsi hypostasis significet variè in scriptura; nunc substantiam, nunc Essentiam. Transyluani pertendunt solam significare essentiam. Malè.

III. Persona theologicè significat substantiam intelligentis naturæ: grammaticis etiam denotat qualitatem personæ.

IV. Proprietates sunt Paternitas, Filatio, Processio. Hæc, quatenus distinguunt personas, dicuntur Notiones.

V. Circvminsessio est intima vnius personæ in alia inhabitatio mutua.

VI. Trinitas solum personas signat; non enim est Trium vnitas.

Qvæstio XX.

Qualem in Diuinis Distinctionem agnoscunt Luthero-caluinistæ?

Lectorem hîc moneo, recolat Lutheriana & Caluiniana pronũciata; quæ superius *quæst. 7. 9. 11. 12.* in medium attulimus: conferatque cum Transyluanis, *quæst. 8.* Intelliget manifestè, à plerisque *solum Patrem appellari Deum verum*: At *Filium, Virtutem, Energiam; Tres gradu distingui: Hos tres esse Deos subordinatos; istos Vnum. sed tres Proprietates alijs aliud videri*: Adeo, vt *negent trium in Essentia Vnitatem, Æqualitatem, Consubstantialitatem.* &c. Vtq; Distinctionem inferant alij realem in Essentia & æqualem; gradualem alij; alij in hypostasibus distinctionem fingant rationis solius: Quaternitatem alij inducere videantur; fingere alij Christum Deum temporalem: Coniunctionem alij accidentalem in Christo: Bipersonalem alij: Alij Humanitatis deificatæ Vbiquitatem: aũ alijs alia monstris monstra pariuntur; vt Satan nulla in re mage varius ludat, quã in

in Vna Summa ac immutabili Diuinitate, Christique Humanitate. Nos hic solum de distinctione in Deo.

I. LVTHERO-CALVINIANI, quidam initio; at nunc vix pauculi: potissimum verò & Transyluani. cum Samosatenis *distinctionem negant Personalem.*

AVTOR. AT Negarunt olim & hæresiarchæ Hermogenes, Praxeas, Noëtus, Sabellius, teste Augustino *lib. 1. de hæres c. 41.* Paulus Samos. & Photinus apud Hilar. *lib. de Synodis.*

II. Iisdē se Tritheitas esse reipsa placuit.

AVTOR. AT Placuit prius olim, apud *Niceph. l. 18. hist. c. 48.* Philopono hæresiarchæ sub annum 535. Gallo, sub annum 1090. teste *S.* Anselmo *lib. de Incarn.* 2. Placuit Ioachimo Abbati, sub annū 1590. 3. Raym. Lullo. sub annū 1290. 4. Demum Val. Gentili: *Tres aternos esse spiritus, seu mentes, essentiali numero differentes.*

III. Eisdem visum, *tres esse inæquales.*

AVTOR. AT ita visum prius Ario, sub annum 324. apud Theodoretum l. 4. hæret. fabul Epiph. hæresi 69. Visum & Gentili, *Vnum esse Essentiatorum, Essentiatos duos, imperfectos.*

IV. Rursus idem, (cum Ario.) *tria distincta agnoscunt; re tamen ipsa non agnoscunt intimam distinctionem sic, vt vna tribus insit Essentia.* Vnde rident voces prædictas *quasi* 19 dicuntque in Deo Personam esse phantasticam & diabolicam: ita GENTILIS.

V. Transyluani, *à Patre Christum distingunt eo, quod Christum purum asserant hominem, & ante Incarnationem in Deo distinctionem agnoscant nullam.* Patet eorum l. 2 c. 4. Vbi addunt, *Cū in Veteri Test legitur de Verbo, de Spiritu S.; tunc intelligi potentias seu virtutes ei, nil ab eo distinctas:* prædictaque rident nomina.

AT ea odit Lutherus cum suis: sepultaque vult Caluinus.

VI. CALVINVS ait, *Dei Filius non est purus Actus; sed Compositum quid, & ex diuersis tanquam partibus coagmentatum: Quarū vna est à semetipsa, altera à Patre: Vna genita, altera ingenita: Essentiam à seipso habet, Personā à Patre: Quatenus Filius, est à Patre: quatenus Deus, ex seipso.* Ita Inst. l. 1. c. 13. §. 23. & in explic. perfid. Gentilis, pag. 916. 919. & passim ad nauseam.

AVTOR. AT quis, nisi Chorabus aliquis, dixerit: Dauid est pater Salomonis, quà persona est, non qua homo? Parum hoc impio: en amplius.

CALVINVS *Harm. in Ioh. c. 1.* Christus ab aterno non fuit: *Tùm fuit, cum Deus à populo suo inuocari nomine Patris cœptus est.* Nec verò putes, id temerè sibi excidere calamo passum; adeò triumphat in hoc: *Mihi,* inquit, *vnum hoc argumentum, ad confirmandam de Filij Dei aternitate conscientiam, instar mille semper erit.* Putes Batti Sylphiū, inuenisse; ita in verbis magnificus est ampullator.

AVTOR. AT similiter sub Apostolorum tempora docuerunt Ebion & Cerinthus, teste Irenæo *lib. 1. c. 25. & 26.* & Paul. Samosatenus ac Photinus, teste Aug *hæresi 44. 45.* Sic & Seruetus, quem Caluinus exussit, *lib. 3. Trin. pag. 92.* Sic & Ministri Hungarici *lib. 2. c. 3.*

BEZA lib. de hypost. vnione in Christo ait: *Duæ personales sunt Vniones in Christo: Vna inter corpus & animam: altera inter Diuinitatem & Humanitatem.* Vide q. 22. infr.

Verùm Doctrinā nos Orthodoxam stabiliam⁹ cum symb. Athan. *Trinitatem in Vnitate veneramur.* 1. Demonstratio. Qui accipit Esse ab alio, necessariò reipsa distinguitur ab eodem: Quippe fieri nequit, vt quis producatur à seipso: Sed Filius accipit Esse à Patre, Sp. Sanctus ab vtroque: Ergo realiter inuicem distin-

guuntur. *Rursus*: In Deo nil potest fingi inhærens, seu non subsistens per se; quia in DEO nullum est accidēs, compositio nulla: Ergò hæc tria cum sint re distincta, sunt tria subsistentia, ac proinde hypostases tres. Hæc ratio de fide.

2. Testimonia en, quod Filius accepit Esse à Patre &c. Prou. 8. *Dominus possedit me*, id est, generando accepit me: hominem? Non: sed Deum de Deo: quia *cum eo eram cuncta componens.* Eccl. 24. *Sapientia primogenita ante omnem creaturam.* Col. 1. *Primogenitus Dei, & imago eius.*

An æternus idem? Col. 1. *in ipso & per ipsum condita sunt vniuersa.* Heb. 1. *Per quem fecit & sæcula*: Ergo æternus est. &c. Vide Bell. l. 2. de Christo c. 6.

De Sp. Sancto, Ioan. 15. *Cum venerit Paracletus, quem Ego Mittam vobis à Patre, spiritum Veritatis; qui à Patre Procedit.* Mitti, procedere, est distingui ab alio: Et tamen adhuc, Ioh. 15. *Ego sum in Patre, & Pater in me est.* &c.

I. CONRADI VORSTII Caluinistæ Atheismos ex ipsius lib. de Attributis refert, & refutat R. P. Becanus in Manuali lib. 3. tales. I. *Deus non est actu simpliciter infinitus, neque essendo, neque operando.* ET. *Est quidē purus Actus, sed hoc non vetat, quin simul in-se sit finitus.* SVADET istis. Quia 1. Scriptura Deum non vocat infinitum. 2. Substantia Dei videtur ab Angelis. 3. Nulla materia, numerus, creatura est infinita: ergo nec Deus. 4. Potentia Dei non est infinita; cum ad Impossibilia se non extendat.

AVTOR. BECAN. AT, Ps. 144. *Magnitudinis eius non est finis.* Baruch. 3. *Non habet finem excelsus, immensus*, & Ens habens omnem gradum perfectionis: Cuius Potentia dicitur solum respectu Possibilium; sicut scientia dicitur respectu scibilium. Ergo.

II. VORSTIVS. pag. 235. In Scripturis affiirmatur, Deum in substātia in cœlo habitare; in terra verò sua virtute & sapientia nobis adesse. 2. *Alij Caluinistæ dicunt*; Christum in terris verum fuisse Deum, non ratione substantiæ Deitatis; sed Personæ Verbi: quod huic, non illi, Humanitas immediatè fuerit iuncta. 3. *Alij dicunt*, Verum fuisse Deum in terris ratione substantiæ diuinæ: quod hæc manens in cœlo potuerit efficere, vt Humanitas Christi in terra diuinitus subsisteret absque humana subsistentia. 4. *Alij dicunt*, Substantiam Dei ordinariè esse tantū in cœlo: tamen Christo in terris degente fuit etiam in carne eius, & non alibi.

BECAN. DICIT AD I. 1. Temerè Vorstius: Quia Ierem. 23. *Cœlum & terram ego impleo.* Cypr. *Dei templum totus est mundus.* 2. Impiè: Quia si Deus solum in cœlis; Ergo Christus in terris, non erat Deus. AD. II. Is error supponit Personam diuinam in terra posse existere sine Essentia diuina: at hæc duo sunt vnum quid simplicissimū ac inseparabilia. Vnde, Col. 2. *In Christo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* AD. III. Si nec Deitas, nec Persona Dei inerat Christo in terris, ergo Deus non erat; quia nihil Dei inerat ei. Siq; Deus vellet nos ita sustentare, Dij esse pariter possemus. Neq; Christus fuisset filius Dei magis, quā Sp. Sanctus; quia ea sustentatio fuisset opus Dei ad extra; sicque Christus fuisset tàm Pater, & Spiritus *S.* quàm filius. AD. IV. Ergo Deus substātialiter de loco in locum moueretur: Tunc degissent in terra Personæ tres; cum nequeant separari. Quomodo igitur, Mat. 18. *Angeli eorum*

eorum in cœlis semper vident faciem Patris? Itaque secundum substantiam Deus est vbique in mundo; secundum hypostasin Filius Dei erat in Christo.

III. VORSTIVS pag. 207. In Deo *Accidentia sunt ab ipsius Substantia longè diuersa.* Quia Decreta Dei sunt 1. Multa, 2. Libera, 3. Non sunt ab æterno: AT substantia Dei est 1. Vnica, 2. Necessaria; 3. Ab æterno. Ergo Decreta Dei sunt Accidentia, non substantia.

AVTOR. AT substantia Dei est infinitè perfecta, vt in se vlterius perfici nequeat; excluditq; omnẽ defectũ: at modò perficeretur inse, si reciperet Accidẽtia. 4. Quicquid Bonitatis est in creaturis, id omne inest Deo per modum simplicissimæ formæ: at in illis est aliquid perfectionis substantialis, & accidentalis: ergo totum ineſt Deo per simplicissimæ formæ modũ incõpositum.

DICO AD. I. Decreta DEI non sunt multi actus Volũtatis; sed vnus simplex: & in Deo non sunt *multa*, sed omnia vnum: actus enim intelligendi & volendi in Deo sunt ipse Deus. Vnde *Esse, Posse, Operari* nil differunt in Deo. AD. II. Libera sunt quoad terminationem ad obiecta: at necessaria in se: Vt, Persona Verbi necessariò existit; at liberè terminatur ad Humanitatem.

AD. III. Deus non producit nouas in se actiones, vt nos & Angeli; quia non recipit accidentia perfectissimus: solum terminatio Dei ad obiecta dat denominationes; vt quæ in tempore facta sit & fiat. Neque in Deo causa libera necessariò præcedit suum effectum; cũ actiones intellectus & voluntatis sint indiuisibiles, inque instanti producantur ab æterno; at terminantur ad obiecta in tẽpore.

IV. VORSTIVS pag. 226. *Vulgò putant, Æternitatem totam simul existere, & omnibus temporum differentijs coëxistere: quæ sententia falsa est.* Quia sequeretur præteritum, præsens, futurum simul coëxistere respectu æternitatis. 2. Posse Deum facere, vt præteritum non sit verè præteritum: vt annus orbis conditi primus esset hic præsens.

BECAN. AT, Æternitas Dei est substantia Dei, ait Vorstius: hęc verò est tota simul & indiuisibilis; ergo & illa. Alioquin foret substantia mutabilis & corruptibilis: Partes autem temporis dùm actu sunt, coëxistunt æternitati.

QVÆSTIO XXI.

An Caluiniani sint Autotheani?

AVTOR. I. Affirmat Genebrardus *l. 1. de Trin.* & suspicatur Fr. Stancarum illius hæreseos autorem extitisse: quem subexcusat *Bellar. l. 2. de Christo c. 19.*

Lindanus in 2. dialogo, Canisius in præfat l. de Ioh. Bapt. Caluinum autorem eius faciunt. Ex errore hoc sequitur *Aut Sabellianismus* hic: *Filium non distingui personaliter à Patre:* Aut Manichęismus ille: *Filium à Patre distingui etiam natura, & non esse Dei Filium, sed aliud Principium.*

II. Negat Bellarminus, quoad sententiam, eum docuisse *Autotheismum.* 1. Probat: quòd *Instit. 2. c. 13. §. 13.* fatetur, Vnam numero naturam esse in tribus distinctis personis. 2. Idem, *Instit. 1. c. 13. §. 19.* Filium asserit genitum à Patre. *Ibid* §. 23. Essentiam Patris Filio cõmunicatam. *Ibid.* §. 15. Essentiam distinguit à Personis ratione solum, non realiter. 3. Idem Beza *in axiomatis de de Trinit.* Et Iosias Simlerus *epist. ad Polon.*

lon. defendit *Autusiam*; Et sanè satis. 4. Adde, Caluinus oppugnat Gentilem, iactantem Deum Patrem solum verum Deum habere à sese essentiam: at Filium & Spiritum S. habere productam à Patre, nec eos esse Autotheos. Sed hisce mox contraria proferemus realia profata ipsius & suorum.

III. *Affirmat* Bellarminus, quoad loquendi modum, Caluinum, negatâ autusia, Christum autotheum docuisse. Inst. 1. c. 13. §. 19. *Cum de Filio, sine Patris respectu simpliciter loquimur; benè & propriè filiū à se esse asserimus.* Ibid §. 23. *Quomodo Creator, qui omnibus esse dat, non erit à seipso; sed aliunde Essentiam mutuabitur?* Idem contra Gentilem sæpè: Et *in Symbolo durè dictum*, ait: *Deum de Deo.* &c. IV. Ego eum sic reuera sensisse existimo. Id ita doceri videtur.

Calvinvs Inst. 1. c. 13. §. 23. *Christus nisi* Deus *sit à se, sed à Patre, precaria eius erit Diuinitas, et ab alio mutuata. &c. Essentiam à seipso habet; Personā à Patre &c.* Piget adducere plura 2. Ita & Galli plerique, Caluinistæ, qui primitas Spiritus eius hausērūt. Vide Lauoiū *in replic. lib. 2. c. 4. §. 8.* 3. Beza lib. contra Heshus. *Dei Filius nullo modo ex Patris substantia genitus est.*

4. Ratio anonymi apud Feuardentium dialogo. 1. *Incommunicabilis est essentia diuina.* Quia Caluinus ait lib. contra Gentilem pag. 917. *Si essentiam Pater communicauit cum Filio, vel ex solido communicauit, vel ex parte. Si ex parte, dimidius Deus est: Si ex solido, in ipso Patre euanuit.* Rursus: *Si Patris essentia est in Filio, erit etiam Persona Patris.*

Avtor. Ecce quam pugnaciter Caluinus re, mente, lingua, calamoque docuit *Autotheum* Christum. Deinde: quasi verò essentia eadem communis inferat & Personæ communicationem necessariò. Hypostasis enim proprietas est; ideoque incommunicabilis. Si enim communicaretur iam & Proprietas personalis esse desineret, & distinctio personarum cessaret: foretque vna Persona; sicut vna Essentia est: Qui est Iudaismus, & Sabellianismus.

Age; proprius contra Autotheanos: I. Hoc *Caluini* effatum, quòd negaret Gentilis, mortem huic attulit glorianti, apud *Bell. in præfat. de Christo.* Se primum esse martyrem suæ sectæ: cæteros Martyres pro Christi gloria mortuos; se mori primum pro eminentia Dei solius, Patris. Nam, dicebat ille: *Dei Filius à seipso non est, sed ab Essentiatore essentiatu.* 2. In *Synodo* Lausanensi teste Petro Carolo *Epistola ad Card. Lotharingiæ:* Ministri nunquam à *Caluino* impetrare potuerunt, vt plane fateretur, *Christum* esse Deum ex Deo Patre. 3. Ob hanc vocem *Carolus* Molinæus, quamuis impius, teste Lanoio *in replic. lib. 2. cap. 4. Caluinum* principem *Atheorum* proclamauit. 4. Witakerus *ad 6. rationem Campiani*, alijque cum eo, Caluinū mordicus tuentur esse Autotheitam. 5. Beza *in præfat. libel. Athanas. & Cyrilli*, errorem Magistri agnoscit, & leuiter accusat, temporizans: Nam contrarium suprà, 6. Sed age sis: si ignominiosum Christo, mutuari abs Patre naturam; cur honorificum censet eidem, sumere ab eo mutuam Personam? 6 Caluini vox est *Quomodo creator est Christus, si, qui omnib. esse dat, essentiam aliunde mutuabitur?* Et Mahumetis vox est, Azoara 27. Deus *substantia est necessariò existens; cui impossibile est, vt essentiam aliunde mutuetur.* At Chri-

Christus est Deus: Ergo Caluinus & Mahumet consentiunt consciscuntq; blasphemi. Ista philologicῶs: porrò Theologicῶs.

II. SCRIPTVRA Caluino contraria militat. Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. &c.* vide in *Antichristo quæst. 7.*

CONCILIA aduersantur Caluino: Nicænum, Sardicense, Constantinopol. Ephesinum. Quò intolerabilior superbia Caluini, nolentis dicere cum ijs *Deus de Deo Christus:* Sicut nec in Conc. Aquileiensi duo Ariani, licet ferè centies interrogati, respondere, *Deum de Deo Christum*, voluerunt: Nec in Syn. Lausanensi ex Caluino idem valuerunt extorquere Symmystæ.

3. Aduersantur ei S. PATRES S. Iustinus lib. de rectæ fidei Confess. *Pater innascibiliter habet essentiam; Filius nascibiliter.* Cætera in *Genealog. quæst 8.*

SVADENT porrò suum Autotheismum ferè istis 1. Patres dicunt Filium à seipso esse. *Aug. in Psal. 109. Cyril. lib. 7. Trin.* Patrem & Filium esse vnum principium. 2. Nisi Filius haberet à se Essentiam, foret precariò Deus, similis creaturis, quæ aliunde habent Esse. 3. Filius dicitur IEHOVA, sicut Pater: & *Iehoua* significat ipsum ESSE, fontemque Essendi, & Esse à seipso.

DICO AD I. Vnum Principium, sc. creaturarum. Alioquin Aug. tract. 39. in Ioan. ait: *Pater est principium sine principio: Filius principium de Principio.*

AD II. Hoc euincit contra Gentilem, qui ait, Essentiam esse Christo Creatam: At nil id contra nos, qui Increatam & Communicatam Christo credimus.

AD III. Iehoua quidem significat ipsum essendi fontem; nec ideò est à seipso: sed fons de fonte, ait Aug. l. 7. Trin. c. 2. *Deus de Deo, lumen de lumine, Sapientia de Sapientiâ, essentia de essentia: Et tamen Pater & Filius vnus est Deus, vnum lumen, Sapientia, veraque essentia.*

III. DE CHRISTI HVMANITATE.

QVÆSTIO XXII.

An in Christo sint duæ Personæ seu Vniones hypostaticæ?

LVTHERVS in Conc. de Nat. Dom. *Imperiti quidam Christum Hominem Omnipotentem faciunt.* Vide *supra quæst. 14. 20.*

CALVINVS Inst. l. 1. c. 13. § 9. *aut duos in Christo Personas distinguit*: aut amphibologiâ vocabuli *Persona* ludit. Clarè Brentius & Beza: duas ponunt Personas. Vide *Geneal. par. quæst. 9 fusè.*

SVADENT istis ferè sophismatis Nestoriani antiquonoui. 1. Ioan. 2. *Soluite Templum hoc* sc. Humanitatis meæ, domicilium Diuinitatis: et Templum, & habitator eius sunt duo. 2. Phil. 2. *In similitudinem hominum factus, habitu inuentus est homo*: Vt Rex habitu rustico rusticus videtur, nō est. 3. Heb. 2. Christus est *sine matre, sine genealogia*: qua Deus: at qua Homo, non est. Ergo duo. 4. Vox DEVS absolutè posita non significat Vnitum homini Deum, ergo Mariæ Filius non est Deus, sed Alius; qui clamat Deus meus, vt quid Me dereliquisti? 5. Anteriorem se nemo gignere potest. Deus anterior est Maria. ergo &c. 6. Filius debet esse ὁμοούσιος parentibus: IESVS, non est Mariæ filius quà Deus. Ergo.

AVTOR. I. At iste ipsissimus est Nestorianismus: refutatus *in Genealog. ibid.* 2. Deinde Hebr. 1. *Nouissimè locutus est nobis in Filio suo*, Homine; *per quem fecit &*

sæcula, vtpote per Deum. Heb. 2. *Decebat eum, propter quem omnia, & per quē omnia*, vt Deum, *per passionem consummari*, quà Hominem. Ergo in vna Persona duæ naturæ 1. Ioan. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam Ille Animā suam*, Hominis, *pro nobis posuit.*

3. Concil. Rom. c. 1. ait. *Qui non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel*: cap. 2. *Et carni secundum Substantiam vnitum Dei Patris Verbum, vnumq; esse Christum propria cum carne Deum & hominem simul: anathema sit.*

Quia Nestoriani sic argumentabantur: Isa. 7. *Vocabitur Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus*; non autem *Deus*. Nam Deus habitauit in Christo, vt in Templo Ioh. 2. *soluite templum hoc*: ideoque iunctus ei Deus est accidentaliter, non intime substantialiter.

AT. Contrà 1. Iustinus Mar. lib. de recta fidei Confess. *Vnus est Filius, et qui mortuus est; et qui id, quod mortuum erat, excitauit. Cùm autem de Vno Filio contrarias voces audis; ea, quæ dicuntur, Naturis tribue: si magnum, diuinæ: si paruum, humanæ.* Optima regula. 2. S. Athan. epist. ad Epictetum: *De solo Mariæ filio scriptum est: Verbum Caro factum est. In quibus ostenditur, Ad reliquos Sanctos Verbum factum esse.*

3. S. Basil. l. 4. in Eunomium. Dominus creauit me: *Accipiendum est verbum*, Genuit, *de Deo Filio*: Creauit *autem de eo, qui formam serui suscepit.*

DICO AD I. & II. vt ad cætera; pleraque rectè probant duas in Christo Naturas esse; sed Personas duas nō euincunt. Vox *Homo* autem ordinariè significat *purum Hominem*: vt Gal. 1. *Euangelium nō didici ab homine; sed à Christo. &c.*

AD III. *Qui sine matre* est Filius Dei, is *sine Patre* est Filius Mariæ vnus Persona in duabus Naturis: contra Nestorianos.

QVÆSTIO XXIII.

An in Christo duæ sint Naturæ Diuinæ?

LVTHERANI, vt Schvvenckfeldius & Andr. Musculus &c. Eutychetis hæresin, de duabus in Christo Naturis, in se inuicem conuersis in vnam, innouarunt; teste *Staphilo lib. de Concord. discip. Luth.* LVTHERI, Serm. de Sacram. Cœnæ, sunt verba ista; *Supra, & extra omnes creaturas longissimè collocata est in Christi Essentia, quæ est cum* DEO *vna Persona, & omnia implet: imo tam longè, quantum ad dignitatem attinet, à creaturis abest, quam longe abest Deus ipse.* De Humanitate Christi loquitur. Oportet igitur eam affirmet Infinitam esse, æqualem Deo Deam. Et sic in Christo vel duæ naturæ erunt infinitæ; vel Humanitas erit in Deum versa. Et hoc posterius est Eutychianismus. Quem quòd probarit persuadet, quia in sit de *Concilijs* Eutychetem ac Nestorium diligenter excusat.

Disertè Andr. Schmidlinus in Apolog. ad theses Ingolstad. & BRENTIVS in recognitione pag. 279. fatentur. *In Christo duplex est Diuinitas: vna Æterna, altera Humanitatis, communicata in tempore.* Hinc plane est necesse sequi, Diuinitatem esse natam, passam, mortuam. Vide *Genealog. quæst. 10.*

SVADENT istis 1. Si duæ sint naturæ in Christo; erunt & Christi duo; iuxta Nestorianos: eritque Deus quaternitas, non Trinitas. 2. Quia Non dicitur, *Verbum* carnem accepit; sed *caro factū est*: sicut, *Aqua vinū facta est*, sc. per conuersionem vnius in alterum: Sic duo vna fuerunt natura, non duæ, post vnionē. 3. Quia si Diuinitas passa &c. non sit: ergo verè dixit Nestorius, Solum Hominem esse passum, mortuum. &c.

AVTOR. Hasce Diuinitates duas, illam Æternitatis, hanc Humanitatis, audio ex Smidelino & Brentio esse personaliter vnitas: sed Vnionis Brentianæ modum Nestorianum miror. Reddam huc vtrumque.

ANDR. SCHMIDLINVS in Apolog. ad theses Ingolstad. *Christus Homo habet commune cum omnibus Sanctis, imò cum omnibus hominibus, quòd cum Deo Personaliter coniunctus est.*

AT verò Sancti mortales solùm accidentaliter sunt cum Deo coniuncti, secundùm Dei gratiam scilicet, non autē secundùm Dei Personam; sic, vt rursum pos-

possint & disiungi: secus in Christo. Nam 1. Ioan. 4. *Omnis Spiritus, qui soluit Iesum*, vt Cherinthus soluebat & Nestorius; *non est ex Deo: & hic est Antichristus.*

Succinit Schmidl noster suo BRENTIVS. Vbiquetariorum facilè primipilus, in Recognitione sua: & in Thesibus disputatis Tubingæ. thesi 10. *Christus Homo non differt ab Sanctis, nisi per Energiam. Quia plura per eum Deus, quàm per alios homines, operatur. Sicut in eo habitat Diuinitas secundum Essentiam, Potentiam & præsentiam: ita habitat & in Petro. Ratione editionis miraculorum, resurrectionis, ascensionis in cœlum, visionis absentium, Nullum est inter Petrum & Christum discrimen.*

AVTOR. 1. Hæc, inquam, implicant tot tantaque Absurda ac infanda, vt malim ab iis abhorrente anima mea abstinere, eaque nil intelligere; quàm in ea disquirere.

2. De iis rectè Beza, *libro contra Recognitionem Brentij*, ita censet: *Dico intolerabiles has esse blasphemias in Ecclesia Dei. Quod nisi verum sit; Sim ego intolerabilis, & exterminer è terra viuentium.* Ecquia nam?

BEZA in Respons. ad argum. Brentij de omnipræsentia. *Personaliter enim Christus homo à Deo distinctus est*, iuxtà Nestorium; *& duæ in illo sunt Unionis hypostaticæ: Vna inter corpus & animam, altera inter Verbum & Hominem.*

3. AT Contrà blasphemum Brentium Eutychianum ipse blasphemas Beza Nestoriane: ceu suprà liquet, *q. 22.*

4. Eutyches & Dioscorus ab œcumenico Conc. Chalcedonensi condēnati sunt anno 451. teste Bzouio, ab Episcopis 630. sub Papa S. Leone. Act. 5. *Confitemur in nouissimis Filium Dei Vnigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter indiuisè, inseparabiliter agnoscendū; nunquam sublatâ differentiâ Naturarum, propter Vnionem:* Sic plura dein Concilia, & SS. Patres apud Theodoretum in Dialogis.

DICO AD I. Nomina Concreta non multiplicantur nisi multiplicentur & supposita. Vnde vnus plurium gnarus artium dicitur vnus artifex, non plures. At in Christo vnicum est suppositum. Deinde Christi nomen personam significat, non naturam: ideo ait Nazian. dicimus in Diuinitate *Alium* & *Alium*; non *Aliud*: Quia Trinitas est Personarum, non Naturarū.

AD II. *At* subditur: *Et habitauit in nobis*, Assumtione, non Conuersione vnius in alterum, vt aquæ in vinum: sed vt dicitur Dauid factus est Rex: ita, Gal. 4. *Christus factus est pro nobis maledictū.*

AD III. Negatur consequentia. Nam actiones & passiones sunt personarum, non naturarum. Cætera refutationis repete huc ex mea *Genealog. q. 10. & Antichristo quæst. 8.*

QVÆSTIO XXIV.

Vnio hypostatica consistatne in Communione Hypostasios; an attributorum Dei?

LVTHERVS iactat passim credere se vnam in Christo Personam, Naturas duas: Tam in Serm. de Sacram. Cœnæ to 2. *Credimus, ait, quod Christus sit, iuxta Humanitatem, supra omnes creaturas collocatus, & implet omnia; &c. & habeat omnia in sua manu, & sit vbiuis præsens.* Idem in Confess. de Cœna ait se probare, *Corpus Christi esse realiter præsens in Cœna; quòd sit vbique. Vbique autem esse, quia est dextera Dei, quæ est vbique:* Non Creum scripte rè; non Spiritali er, seu penetratiuè, ceu corpora gloriosa; sed essentialiter *Necesse est carnem Christi, quæ est cum Deo extra creaturas collocare, adeoque longè, quam Deus ipse extra creaturas est:* Non distantia loci, sed dignitatis. Hinc reprehendit Zwinglianos, quòd passionem soli tribuant Humanitati, non etiam Deitati: cùm vtraque sit Vnum facta; Et negat Nestorium & Eutychetem errasse, nisi in modo loquendi.

2 BRENTIVS eadem in Tract de Cœna, & ad Eutychianismum illum addit Nestorianismum, *Filium Dei esse in Filio Mariæ*: item, *Filium Dei assumsisse Filium Mariæ.* Sic & Illyricus, Schmidlinus. &c.

3. Sic & CONTRA, an. 1580 edita *in epitome art.* § 5. ab initio carnis aſſumtæ, Hominẽ illũ aſſumtũ fuiſſe in Deum, & exaltatum ad dexteram Dei, omnipotentem, omniſcium &c. factum; ſed non oſtendiſſe Chriſtum, niſi poſt reſurrectionem.

4. SAXONICA. Eccleſiæ tertiùm mutarunt: 1. Cum Luthero viuente Vbiquitatem defenderunt: 2 Hoc mortuo, regnante Melanchthone eam oppugnarunt, & in Synodo Dresdenſi anno 1571. damnarunt. 3. Decennio poſt in Concordia Wittenb. eam reſtituerunt.

5. Volunt autem Attributa communicari non per ſe, ſed accidentaliter; ſicut agens virtutem ſuam actiuam communicat inſtrumento: Vnde Chriſtum à cæteris Sanctis per ſolã differre Energiam aiũt; quòd Deus per Chriſtum omnia, per alios aliqua operetur. Vide *Bell. l. 3. de Chriſto c. 8.*

De CALVINISTIS. Vide *ſuprà quæſt. 13.*

AVTOR. *Vnio hypoſtatica in Chriſto, Hominis ad Deum, conſiſtit in communicatione Hypoſtaſios; & Non Attributorum.*

1. Quia liquet ſuprà, vnam in Chriſto Perſonam eſſe, Naturas duas: & Caro non ſuam Deo, ſed Deus ſuam tribuit carni Subſiſtentiam; ex qua eſt vna Perſona. Sin' duæ conueniſſent ſubſiſtentiæ; duæ forent Perſonæ: Quod Neſtorianum eſt. Quia *Perſona eſt natura intellectualis per ſe ſubſiſtens.*

2. Sic Concilia ſacra vt *Toletanum VI. Concil.*

RATIO talis eſt. Solus Dei Filius eſt incarnatus: Ergo vnio facta eſt per cõmunicationem eius, quod proprium ſolius eſt Filij: At hoc eſt Hypoſtaſis Deitatis: Nam Attributa ſunt communia Perſonis, vti Eſſentialia. Ergo. Sin'; jam tota Trinitas foret incarnata.

3. *Item:* Pater & Filius differunt hypoſtaticè; quia Pater etſi Filio communicarit Attributa omnia vnà cum Eſſentia; non tamen ſuam hypoſtaſin. Nam alioquin ambo forent vna Perſona.

4. Quia ſi vnio hypoſtatica requireret Communicationem Attributorum omnium; jam etiam Carni tribuiſſet eſſe increatum, purum Actum, infinitum, &c. carere principio temporis, creatione. &c. At talia implicant contradictionem.

5. Quia vnio hypoſtatica eſt Subſtantialis, non Accidentalis: quia alias Chriſtus homo foret Dei filius per gratiam, non per naturam. *Item*, Cum Attributa Dei ſint ipſa Eſſentia Dei; facerenõ poſſunt vnionem Accidentalem, ſc. inhærentiæ: nec Inſtrumentalem: Nam vt agens nequit dici inſtrumentum, nec contrà (vt nauta regens nauim ſua vi impreſſam, non eſt nauis; neque nauis eſt nauta) Atqui Chriſtus homo eſt Deus, & è contrà. *Item*: Si Vnio hyp. eſſet ea Attributorum accidentaria communicatio; pariter & nos eſſemus Deo per gratiam hypſtaticè vniti. Neque iſtud: Chriſtũ pluribus eſſe donis prædituũ, nos paucioribus, mutat ſpeciem. Quare illa Vnio & Communio Lutherana, eſt commentitia.

QVÆSTIO XXV.

An ex Vnione hypoſtatica ſequatur illa Attributorum Communicatio?

KEMNITIVS *lib. de duab. naturis c. 21. 23.* Sequeram, non eſt de eſſentia Vnionis: (in quo diſſentit à Brentio & Schmid. &c.) At conſequi tamẽ eã vult, & quidẽ *Realẽ* ſic, vt natura humana verè ſit Omnipotens, Omnipræſens &c. Sic & cæteri: Vt Nic. Selneccerus epiſt. ad Witremb. dicat: *Hoc; Humana natura non eſt, Omnipotens; blaſphemia eſt.*

BEZA *lib. contra Brentium*: Pet. Martyr. *Dialogo de duab. naturis* negant Realem eſſe, ſed Verbalem ſolum. Sicque Caluiniſtæ pletique.

AVTOR. *Ex Vnione hypoſt. conſecuta ſunt in Humanitatem eximia chariſmatum dona: præterea & idiomatum communicatio: Et hæc non Verbalis ſolum; neque Realis re-*

spectu Naturarum: Quia sic Diuinitas esset facta passibilis; & Humanitas omnipotens: *Sed Realis, respectu solius hypostasin Vtriusque naturæ Vnitæ*. Hinc dicimus: Deus est natus, passus, &c. sc. respectu Vnionis hypost. non respectu Essentiæ.

1. Ita Concilia. 2. Quia, si realiter communicarentur Propria cuiusque naturæ; sequetur 1. Confusio proprietatum. 2. Et Propria esse desinerent propria, vti cōmunia facta: 3. Esset contradictio ejusdem; vt esse creatum, & non creatum; finitum & infinitum, esseque vbique & non vbique. Vnde S. August. serm. 191. *Illorum execramur blasphemiam, qui nouo sensu asserunt: Omnia, quæ erant Diuinitatis, in hominem demigrasse: & rursum, quæ humanitatis erant, in Deum esse transfusa.* Vide Bell. l. 3. c. 10.

QVÆSTIO XXVI.

Lutherana Vbiquitas sit ne Biblica, aut Ecclesiastica?

LVTHERVS in Serm. de Sacram. Cœnæ. *Credimus, quod Iesus, iuxta Humanitatē, omnibus impleat & sit Vbiuis præsens.* BRENTIVS in Apolog. pro Confess. Wittemb. *Petri humanitas in vno tantum loco est; Diuinitas, vbique se diffundit. Et cum ob hanc eandem Petrus & Deus, qui est in Petro, sint duæ distinctæ hypostases; quomodo non etiam Filius Mariæ & Filius Dei, qui est in illo, duæ fierent Persona?* Vah Nestorianū! Infra: *Filius Dei implet filium Mariæ sic, Vt communicet eum eo omnem suam potentiam, sap. felic. & præsentiam. Nisi enim hæc sit sententia, non habebitur inter Christū & alios homines discrimen.* Sic & Smidel. &c.

SVASIONES Vbiquitariorum sunt tales è scripturis. 1 Dextera Dei ad quam exaltatus est Christus, vt homo, vbique est: ergo & Christus, vt homo, vbique est. 2. *Christus* Phil 2 *est in gloria Dei Patris*: at hęc talis est: Isa. 40. *Terram pugillo continet, & metitur cœlum palmo.* 3. Matth. 11 *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Matt vlt. *Data est mihi omnis potestas*, id est, Omnipotentia: ergo verè præsens gubernat omnia. 4 Matth: 18 *Vbi sunt duo vel tres congr. &c.* Matt vlt. *Ego vobiscum sum vsque ad consum. sæculi.* 5. Eph. 4. *Ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia.* 6. Christus est vna Persona, id est, indiuidua substantia: sed vna pars personæ esse sine altera nequit: Ergo Christus totus vbique est. &c.

AVTOR. 1. Quàm hoc monstrum sit S. Scripturis inimicum, ostendi in *Antichristo quæst. 9.*

2. Dein aduersatur articulis Symboli de Christi Conceptione, Nat: Morte, Sepultura, Descensu ad inferos. &c. Nā conceptum Christi corpus in vtero Deiparæ, simul in omnium hominum fuisset vteris; simul & extra eosdem; simul conceptum & natum: fuisset sepultum ante, quam mortuum: quia, si vbique; ergo simul in vtero, cruce, sepulcro, inferno, cœlo. &c.

DICVNT: Fuisse simul in his locis, non localiter; sed diuino modo.

AT, in Cœna non est localiter Christus; & tamen Lutherani dicere horrēt; non est hic.

Esse localiter aiunt, est, apparere.

AT sic nec Deus esset in mundo hoc. &c.

3. *Si Corpus Christi est vbique*, quid opus Euchatistia? adire templa? &c.

4. *Agedum*, obijcit sibi Lutherus lib. quod verba, Hoc est corpus meum, adhuc firma stent; *deuorabo eum in omnibus hospitijs, Scutellis, poculis. &c.* Respondet: *Audi porce, canis fanatice, etsi corpus Christi sit in omnibus locis, non tamen tu statim ipsum deuorabis &c. Ablego te in haram tuam* q. d Non potest vbique capi.

Brentius eum sic exponit; Christum in Cœna esse, ex definitione sua, definitiuè, id est, efficaciter sumi in Cœna; licet vbique sit personaliter.

AT hic Caluinismus est, dicens, Nihil sumi in Cœna, quod non etiam extra; nisi *Efficaciam Corporis Christi* solam, quæ extra Cœnam non datur. Atq; ita Vbiquismus infert stabilitque Cœnæ Caluinismum, velint nolint.

DICO AD 1. Hoc est argumentū Lutheri lib. quod verba, *Hoc est Corpus*, firma stent. At & *Animæ Iustorum sunt in*

manu Dei? Sap. 3. Dextera Dei autem est Beatitudo, vt vult Hieron. Aug. &c. Aut est Dei Majestas ac potentia: vt rectius vult Athan. Bas. Cyril. Amb. &c. Psal. 109. *Sede à dexteris meis*, scilic. par mihi Majestate: Quæ tamen data est Humanitati non in se, sed in supposito: Ideo Humanitas non est Dea, sed Dei; nec æqualis Deo naturaliter, vt Filius Dei, sed per gratiam, id est, per participationem.

AD II. Christus, quà Deus, est in gloria in seipso: quà Homo, est in supposito participatiuè.

Sic AD III. Omnia tradita naturaliter vt Deo; communicatiuè vt homini iusto: Sic AD IV.

AD V. *Vt impleret omnia* de se prophetizata: Vel, per effectus suos, non locali impletione.

AD VI. Minor falsa est: nam man⁹ esse sine corpore potest saluâ personâ. Itaque indiuisa est, id est, vnũ subsistens.

QVÆSTIO XXVII.

An Christi Caro, seu Humanitas sit Deificata?

LVTHERANI. non verbis, re tamen ipsa videntur asserere; *Esse Deificatam*: vt cui Deus Attributa sua Omnia impresserit, velut instrumento: At illa sunt Deus ipse; vt in quo nil sit compositum &c.

ANABAPTISTÆ verò & Schwenckfeldiani aiunt ista: Vt Seruetus l. 2. de Trinit. *Caro Christi est diuina, & ex Patris essentia genita.* Memnon Anabaptistarum dux *Ex patris substantia est in vterum Virginis delata.* Proinde cæteri, apud Cochlæum lib. de errorib. Monasteriensium: *Christus non habuit veram carnem ex Virgine assumtam.* Et Schwenckfeldius lib. de diu. Maiest. humanit Christi. *Christi humanitas, post ascensionem est supercraturalis, non craturalis, & est verus Deus.*

LVTHERVS lib. de Cœna. *Necesse habes Christi Carnem; quæ est cum Deo vna Persona; longissimè extra creaturas ponere; adeoque tàm longè, quàm Deus hic extra creaturas est.* Anno M. D. LXXI. teste Canisio *in præfat. l. 1. de Corruptelis Verbi Dei*, propè Heidelbergam data licentia est Anabaptistis hanc disputandi quæstionem: *An Christus ex Virgine carnem assumserit; an aliunde?*

AVTOR. S. Scriptura testatur, natũ ex Virgine muliere Christum verum hominem, ac passum. Gal. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius, qui est Christus.* Et eæ recensentur ex ordine Matth. 1. *Liber generationis Iesu Christi, &c. Act. 2. Dauid Propheta cum esset, & sciret, quia iureiurando iurasset ei Deus, de fructu lumbi eius sedere super. &c.*

2. Clarè sic exponit August. epist. 57. *Quoad Verbum, Christus est Creator; quoad carnem, creatura est.* Idem, Serm. 12. *Natus de Patre creauit & matrem: creatus de matre glorificauit Patrem.* S. Fulgentius l. de Incarn. c. 2. *Creari dignatus est non creatus.* Est itaque Christus totus; Deus; sed non Totum est Deus.

3. Quibus cum sannis CALVINISTÆ Vbiquetarios irrideant, videre dabo forsan alibi. Isti enim adeò nolunt Christo cum Patre esse communia Attributa, *Bell. l. 1. de Christo cap. 8.* vt nec Opera Dei velint Christum omnia participare *Bell. ibid. cap. 9.* Argumenta eorum vide *ibid cap. 15. &c.* Porro de Animæ Dominicę Perfectione quæram⁹. Nam de isto plura inferius, *quæst. 35.*

QVÆSTIO XXVIII.

An qua humanâ Christus laborarit Ignorantia?

LVTHERVS in Postilla maiore, concione de Nat. Dom. *Intempestiuam hic quidam asseruit narrationem, dicentes: Filius nescit, id est, scire noluit. Quid opus est istis commentis? Christus verus homo fuit: quare vt alius purus homo, sed sanctus, non quolibet tempore cogitauit, dixit, voluit, intellexit omnia.* Et infra. *Sicut enim non quolibet tempore omnia vidit, audiuit, ac sensit; ita etiam corde non omnia semper*

per ignotuit; sed quantum illum dixit, & docuit Dominus. Idem Dom. 1. post Epiph Et in epist. Nat. Dom. ex Hebr. 1. *Christus non fuit statim ab vtero Sapientia & gratia plenus. Quantum ei accessit ætatis; tantum & magnitudinis; quantum magnitudinis; tantum & rationis: Vtq; ratione auctior, ita & Spiritu euasit robustior, & Sapientia plenior.* 2. Zvvinglius in Confess. ad Carolum V. art. 1. *Christi sapientia paulatim creuit.* Bucerus *in Matt. 24* similia Melanchthon *in Nat. Dom.* Brentius & Lossius *in Luc. 2.*

Calvinvs in Matth. 24. *Ter & quater insanus foret, qui se grauatim ignorantiæ subijceret; quam ne Ipse quidem Dei Filius nostrâ causa subire abnuit.* 1. Idem similia *in Luc. 2.* & isto Agnoitarum vtitur argumento: *Verbum accepit corruptibile corpus, vt moriendo pro nobis nos à morte liberaret: Ergo accepit etiam nostram ignorantiam, id est, mentem ignorantem, vt nos ab ignorantia liberaret.* Ita apud Bell. l. 4. de Christo. c. 1.

2. Idem in Matth. 24. v. 36. *Palam est, communem illi ignorationem cum Angelis tribui; vt eorum omnium, quæ ad naturam transferenda Ecclesiæ à Iudæis ad Gentes, & per orbem propagandæ pertinent.* & docere nititur ex Eph. 3. v. 10.

3. Idem in Matth. c. 9. v. 2. *Palam est, fidei consciam non fuisse illorum, qui paralyticũ ei obtulerunt; abdita quippe, & intus latentis.*

4. Idem in Matth. c. 21. v. 18. *Nec speciem quidem arboris norat, cui. eò quod fructum non faceret, maledixit.*

5. Nicol. Gallasius, Bezæ in Ecclesia Geneuensi Collega, in annotationibus in Irenæum lib. 2 c. 49. *Ignorauit, vt disceret ipse, & more hominum erudiretur.*

Svadent istis. 1. Hebr. 2. *Debuit assimilari fratribus per omnia, absque peccato.* 2. Luc. 2. *Puer crescebat & confortabatur spiritu, plenus sapientia. &c.* græcè, *qui implebatur.* 3. Ibid. *Iesus proficiebat sapientia, &c.* 4. Marc. 13. *De illo die nemo scit, neque Angeli; neque Filius; nisi solus Pater.* 5. Matth. 26. *Si possibile est, transeat à me calix iste: Sed non quod ego volo; sed quod tu.* Esse possibile sciebat, cur dubitabat? Si ignorabat; ergo aliquid nesciebat esse impossibile. cur enim petebat?

Avtor. 1. Belli sanè discipuli Agnoitarum, & Gnosticorum. Vide in mea *Genealog. q. 11.* 2. Quantum ille Gallasius abest à Gnosticis? qui sub ferula præceptoris cuiusdam Orbilionis finxerunt alphabetum didicisse Christũ; teste *Irenæo lib. 1. c. 13.*

3. An vero hæc fides etiam quicquã discrepat ab eorum opinione; *qui*, vt Iosias Simlerus ait, *Christum Philosophum faciunt?* Quanquam nescio, an, quæ in Christum isti audacissimè conferunt, vel in veteres Philosophos conuenire queant. Haud reor Theophrastum, si folia vidisset arboris, speciem eius ignoraturum fuisse.

4. Quid ego huc congeram, quæ ex *D. Tho. p. 3. q. 9. 10. 11. 12.* & ex Magistro sent. *in 3. dist. 13.* Theologi exactissimè, locupletissimeque exequuntur? Quæque Illust. *Bell. l. 4. de Christo, c. 3. 4.* è SS. Patribus & Ratione producit? *Et nos in Parte secunda Discursuum realium, Dom. 1. Epiph.* non pauca. Item in *Geneal. mea quæst. 11.* Item in *Antichristo quæst. 10.* & in subiecto zytimate: Vbi & patebit ad Svasiones Solutio. Vide & *q. 32.*

QVÆSTIO XXIX.

Num Anima Christi esse prædita debuerit fide infusa?

Calvinvs in cap. 4. Matt. v. 3. Christus *Fide, vt alius homo, fuit præditus.* Idem in Matt. c. 26. v. 39. *Fidem eius rectà Satanas aggressus est. Et fide retinuit sibi Deum propitium.* Idem in Matt c. 27. v. 49. *Fidẽ inconcussam in tentationibus, illæsam in passione conseruauit.* Vide inf. *quæst. 47.*

Avtor. *Fides*, Hebr. 11. *est sperandarum substantia rerum: argumentum non apparentium.* At Christus sciuit, quod re-

posi-

posita esset sibi corona gloriæ, pro eis quæ, vt homo, merebatur: vnde nec *sperandarum* in eo *rerum* inerat fides, sed scientia. Item beatifica visione fruebatur anima eius, vt Comprehensoris: vnde nil opus ei *argumento non apparentium*.

2. Enimuerò, 2. Cor. 5. *Quam diu sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino; Per fidem enim ambulamus, non perspeciem.* At Christus, etsi Corpore, non tamen Anima peregrinabatur à Domino; vti voluisse Caluinus videtur. *Quid enim est Fides?* quærit Aug. serm. 17. de verb. Dom. to. 10. *Credere*, ait, *quod non vides*. In beata visione autem *euacuatur quod ex parte est*: & sic isthic fides beatis desinit. *D. Th. 1. 2. q. 67. a. 2. 3.* Et spes; Nam, Rom. 8. *Quod videt quis, quid sperat?* At verò 1. Cor. 15. *Charitas nunquam excidit.* Hæc de Fide: Porrò de Scientia Christi.

3. Neque tamen, quà homo, se ipsum comprehendit, *D. Tho. 3. q. 10. a. 1.* Quia ait Aug. l. 83. qq. q. 14. to. 4. *Quod se comprehendit, finitum est sibi.* At essentia Verbi infinita est, finitaque Christi anima: ergo. Neque omnia cognouit: Quia Apoc 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere Diuinitatem & Sapientiam*: Gloss. id est, *omnium cognitionem*: Non id tunc primùm; Sed in conceptionis instante.

Infinita verò cognouit; vtpote, ait, *D. Th. 3. q. 10. a. 3.* Anima Christi cognouit totam suam potentiam: at hæc potuit facere emundationem infinitorum peccatorum: iuxta. 1. Ioa. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non autem pro nostris tantum; Sed etiam pro totius mundi.* Et hæc de beata Christi scientia.

4. De Infusa rerum cognoscibilium homini liquet, Isa. 11. *Replenit eum Spiritus Sapientiæ. &c.* vt omnia nosset Iesus, clarius etiam quàm Angeli. *D. Th. 3. q. 11. a. 1. & 4.* At fides est donum Dei infusum: quo, quæ docuit, quà viator Homo & credebat; quà Deus sciebat. Quin quà Comprehensor homo animæ oculo cuncta præclarè intuebatur manifesta; credebat nihil:

Certè est celebrata sententia S. Athanasii serm. 4. contra Arianos: negans Christum, quà Deum, interiore auctu profeciisse, ait: *Estne ille Homo, vt vulgus hominum; an Deus Humanitate & carne indutus? Quòd si vulgaris est homo; est, vt pro conditione aliorum hominum proficius capiat. At istiusmodi est Samosateniæ sententia* hæretica; *quam vos*, Caluinistæ, *tanto animo, & ope fouetis.*

5. De Acquisita Christi scientia affirmat *S. Tho. 3. q. 12. a. 1.* quod omnia cognorit, quæ possunt per actionem intellectus agentis cognosci: non quòd in Christo illius sit actio otiosa, cuius esset intelligibilia facere in actu. Atque in hac profecit; non quidem secundum essentiam qua ipse habitus scientiæ augetur; sed secundum Effectum & experientiam suam ac aliorum de ipso.

Qua causa etiam non decebat eum discere ab hominibus quicquam; vt qui, Ioan. 18. ait: *In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Quin, ait S. Dionysius l. cœl. hierarch. c. 7. *Supremi Angeli ad ipsum quæstionem faciunt, diuinique illius Operis, & pro nobis assumtæ Carnis scientiam discunt, & eos* IESVS *sine medio docet.*

Denique ita *S. Tho. 3. q. 7. a. 3.* Obiectum fidei est res diuina non visa: Christus

stus autem à primo conceptionis instanti plenè vidit Deum per essentiam: quæ visio Fidem excludit.

Existis liquet responsio ad scripturas quas obiiciunt quæstione superiore. Queis respondet Bell. *cap. 5. lib. 1. de Christo.*

QVÆSTIO XXX.

Num quæ Animæ Christi inerat indolis, virtutisque imperfectio?

LVTHERI discipulus Zvvinglius in Confess. ad Carolum V. *Christus ab exordio naturalium minimè omni virtute, animique dotibus cunctis plenus extitit. Profecit indies anima eius; cum ab initio omnia nosset.* Lutherus ipse epist. ad Argentin. *Christum à nobis primò vulgatum audemus gloriari.* At hæc quàm mendax gloriatio, quam blasphema vulgatio? Liquet hactenus; & patebit infrà *quæst. 32.*

CALVINVS in Luc. 2. v. 49. *Adoleuit* IESVS *sicut corpore, ita secundum Animam quoque Creuerunt cum ætate dotes animi.* Quomodo igitur Ioan. 1. *Plenus gratiæ?* Idem in Luc. 4. v. 1. *Vlteriore virtute instructus est & indutus, cum è Iordane egressus fuit.* Idem in Matt. 3. v. 16. *Uberiore, cum ad Redemtionis munus sese accinxit.*

Huc verò etiam cum Agnoitis Scripturas crepat: Vt Luc. 2. *Puer crescebat, & confortabatur Spiritu plenus sapientia; & gratia Dei erat in illo.* In græco autem est πληρούμενον, id est, implebatur: non πλήρης, id est. plenus. Ibid. *Proficiebat sapientia, ætate, & gratia.*

AVTOR. 1. Vox πληρούμενος quandoque idem quod πλήρης, id est, *redundans* significat vt Stephani Lexicon ipsorum nouit, inque ludis pueri. 2. Deinde, esto, passiuè capiatur; sit *Implebatur*, id est, ait *S. Athan. serm. 4. contra Arianos*: indies ad opera maiora aptabatur proficiente corpusculo perficiunda, quã tum illud roborabatur. Itemque *scientia implebatur* Increatâ, & Infusâ, extensiuè in membris, quantum augescebat.

Experimentaliter quoque acquisitâ crescebat: & vt ait *S. Ambr. lib. de Incarn. c. 7.* etsi naturam habuit ab initio perfectam, sensu tamen humano profecit; scil. *Tum* in sese; *Tum* in opinione hominum quibus magis indies sapientiam & gratiam Dei, quæ *erat in illo*, aperiebat: *Tum*, ait *S. Damascenus in Luc. 2.* Sicut Episcopus proficit in Ecclesia sua, Doctor in discipulis proficientibus: ita IESVS apud homines. Ideò additur: *apud Deum* meritis, quà homo: *& homines*, operib. & fructu animarum.

Quid, quod, vt suprà retuli, S. Athanasius simpliciter negat Christum, quà Deum, Sapientiâ profeciss? Consule porrò *D. Thom. p. 3. q. 7. a. 1. 2, 5. 9. 10. 11.*

QVÆSTIO XXXI.

An Christus verè Deus fuerit, sic ab anima carneque imperfectus?

EX LVTHERO suprà accepimus, expunxisse eum voculam Isa. 9. *Deus fortis*, ac supposuisse *virtus*: dicereque IESVM *Patris Instrumentum.* LVTHERANOS cæteros *Energiam &c* Vide suprà *qq. 6. 7. 10. 13. 14. 18. 20.* Tametsi è contrà non defuerint, qui etiam Humanitatem Christi contenderint esse Deificatam: Vt suprà *quæst. 27.*

LIBERTINI & FAMILIANI, *Christum esse nudum Hominem*, verbotim profitebantur. Sunt hi à Quintino & Coppino, sutoribus duobus Flandris, oriundi; quorum in Gallia velut examen quoddam esse Caluinus ait, *in Instruct. aduersus Libertinos* In Hollandia, Brabantia, Flandria magno certe numero volitant. Hi accedunt Familiani, qui in Angl a ad immensam sunt multitudinem amplificati; vt vel ipsi Ministri conquerantur. Vide *præfat lib Londini editi contra Familiam amoris anno 1577.* Porrò Transylvaniam hæc lues peruasit propè vniuersam. Vtrique disseminabant, *Insua quemque fide saluari posse, & omnes in omni fide. Proinde que Liberum esse licitum que cuiuis Christiano credere, quod libitum; dummodò sectarum nullam condemnet.*

CALVINIANI, an Athei, his accedunt, teste Sebast. Franco, vt est, in Caluino-turcismo lib. 3. cap. 9. qui dicunt: *Christus non est*

aliter Deus, quam Socrates olim aut Mercurius Trismegistus dicebatur Deus. 2. Simile Ios. Simlerus, in præfat. lib. de æterno Filio Dei, testatur; *Plurimos suorum ex Christo tãtum facere Philosophum; datum nobis, vt sit rectè viuendi exemplum.* Iuellus, contra Hardingum lib. 1. art. 1. §. 5. affirmat: *Deum esse Christum, & tamen sacrificium obtulisse Deo; dormientis potius animi, quàm cogitantis est sententia.* 4. Cartero Wittenb. in 2. Replica. pag. 191. illi suffragatur, hocque amplius confirmans ait: *Nunquam persuadebis; Iudæos Petrum, Paulum &c. vnquam adeò fuisse stupidos, vt crederent, Vilem aliquem & simplicem* HOMVNCIONEM, *quem oculis cernerent;* DEVM *fuisse viuentem.* Cõmunior tamen est mitior.

AVTOR. Hasce tales blasphemias in pluribus suprà Quæsitis jugulauimus. Quibus hic istud solùm adijcio velut auctarium: PHOTINVS, teste *Bzouio anno 342. § 10.* Sirmianus Episcopus, istius sese Hæresiarcham fecit: vt doceret, *Filium Dei solum nudum esse hominem, ac fuisse.* Vnde sectatores ejusdem dicti sunt *Homunicistæ*: ab ipsis Arianis Synodaliter condemnati: CONTRA quos vtrosque ita Symbolum S. Athanasij habet: *Perfectus Deus est Christus, & perfectus Homo.* Neque hic nos plura de isto.

QVÆSTIO XXXII.

Num in quibusdam Christus culpabiliter defecerit?

LVTHERO in Confess. de Cœna Dom. Christus fuit SALVATOR Infirmus. *Si humanam,* inquit, *tantum naturam pro me passam credo, Christus ille mihi simplex vel infirmus est Saluator: tunc ipse benè indiget alio Saluatore.*

2. BRENTIO, in Euang. Dom. 3. post Pentec. Christus fuit IMPOSTOR. *Videmus,* ait, *Christum sic leguperito respondisse:* hoc fac, & viues: *vt viam indicauerit ad æternam damnationem.*

3. LVTHERVS in Psal. 22. vers. Deus meus, Deus meus: & in Comment. in Gal. 3. tom. 4. Ienen. *De Christo,* inquit, *hoc omnes Prophetæ in Spiritu præuiderunt, quod futurus esset omnium maximus latro, homicida, fur, adulter, sacrilegus, blaspemus. Nisi dixerimus Christum simul summè Iustum, & summè* PECCATOREM; *summè simul mendacem, & summè veracem, simul summè gloriantem, & summè desperantem: simul summè beatum, & summè damnatum: Non videre possum, quomodo à Deo sit derelictus*

Hoccine est quod, Luthere, jactabas Epist. ad Argent. *Christum à nobis primo vulgatum audemus gloriari.* Vinnam neque ex te id vnquam mundus audisset; ne auditu exhorresceret: Vide suprà *quæst. 15. & 17.*

CALVINVS, quæ de Christo agonizante in horto, & in cruce Caluariæ suspenso blasphemet, infrà reddemus. Quantis reum peragat Christum sceleribus, supra, *quæst. 17.* attulimus. Idem certè in Matth. 26. v. 39. Christus ait, *hominum aliorum instar, inordinatis affectionibus, & passionibus inconsiderãtes deceptioni, titillationi sensuum, timoriq; fuit expositus. Vides in horto, vt statim ab ipsis carceribus affectum suum Christus cohibeat, seq; ipsum maturè cogat in ordinem?*

2. Quocirca inquit in Deut. 12. v. 13. *Errant, qui Christum putant illum Prophetam, quem Iudæis Moyses pollicetur.* Rursus idem Ecebolius in Luc. cap. 7. vers. 29. ait: *Euangelij Christi gloriam valdè obscurat, quo discipulos ille non nisi ex quisquiliis & fæce populi colligere potuit.*

3. ZWINGLIO MENDAX est Christus serm. de prouident. 10. *Christus quotis bonis operibus mercedem pollicetur; hyperbolas tantum iactat, & hyperochas.*

4. CALVINVS in Luc. c. 16. *Disserens Iesus, duras & longè petitas adhibet similitudines:* In Luc. 22. v. 13. *Et quæ non ex omni parte quadrant:* Item in Matth. 7. v. 12. *Superuacuas affert illationes;* in Ioan. c. 1. *Nec satis aptas proposito.* in Matth. c. 9. v. 5. Sæpe parum solidè *ratiocinatur.* Idem in Matth. c. 18. *Verba Prophetarum in alienum sensum deflectit.* Idem in Matth. c. 12. v. 25. *Parum solidè refutat aduersarios &c.*

AVTOR. ex Cnoglero: 1. Falleris Paulle, qui in Christo fuisse *omnes thesauros scientiæ & sapientiæ* Colossensibus prędicasti. Nil sapitis, qui dixistis: Matth. 7. *Nunquam sic locutus est homo.*

2. Quis

2. Quis verò hæc talia Peripateticus in suæ sectæ scholis contra Aristotelem dici patienter ferat? Annon hoc est cum apostatis Iuliano, Luciano, Porphyrio, veteres Philosophos ipsi Christo anteponere; quòd longè solidius, q̃ IESVS, sua dogmata confirmassent?

3. Et quantò honorificentius Alcoranus de Christo? Qui à Deo fuisse inspiratum, fuisse verbum, Sapientiam, Spiritum, Mentem Patris æternam, magna contentione propugnat. Vide *Alcoranum* passim, & *Theuet. lib. 6. c. 5.* Item Postellum, Cuspinianum, Cusanum, & alios, qui de Turcarum moribus & religione scripserunt.

4. At Arguere Christum de peccato, nihil insolens est Luthero-caluinistis. Quin hanc impietatem suam S. Scripturis quoq; propugnare sibi athleticè videntur. Sed cum Agnoitis, Photinianis, Nicolaitis, Gnosticis, infandis hæresiarchis, Christi abnegantibus Diuinitatem, merum cæteris similem Hominem peccatorem blasphemantibus.

DICVNT igitur. 1. Hebr. 2. 4. *Debuit assimilari fratribus per omnia, absq; peccato.* 2. Luc. 2 *Crescebat & confortabatur spiritu, plenus sapientia.* Marc. 13. *De illo die nemo scit, neque Angeli, neque Filius, nisi solus Pater.*

RESPON. 1. *Si absque peccato*; cur igitur Dominum Sectarij arguũt de peccatis? At neque solum *absque peccato* vllo, sed etiam absque vllo defectu humano, ad Redemtionis opus perficiundum inutili, *debuit fratribus assimilari*. Cæteroquin si *per omnia* vniuersè; jam tùm oportuisset eum & concipi ex viro, nasci ex corrupta, nil sapere in infantia, pati carnis stimulos, febri, morbisque affligi.

Deinde dicitur Hebr. 2. *Debuit assimilari fratribus per omnia*: non habetur *absque peccato*. Hebr. 4. autem legimus: *Tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato*. Ad cætera responsum superius. Porrò Filius nescire diem judicij dicitur, juxta S. Greg. vel in persona Ecclesiæ eũ nescientis: vel quà Homo est: Vel practicè: vel nesciebat ad dicendum: quod probabilius:

Responsumque satis; sed non doctũ satis in re tali ac tanta, vt est culpatio Christi. Quare breuem accipe lector Synopsin Angelici Doctoris Ecclesiæ *S. Thomæ 3. q. 14. & 15.*

QVÆSTIO XXXIII.

Qui decores, qui indecores Christo defectus humani Catholice?

DE CORPORIS DEFECTIBVS.

1. Decebat Christum humana cum natura humanos assumere defectus. 1. Ob satisfactionem pro nobis, nostras sufferendo pœnas peccati: juxta Isa. 53. *Verè languores nostros ipse tulit*, sc. pœnales, ex originaria culpa manantes. 2. Ad fidem Incarnationis adstruendam. Nam si vacasset ijs, vt siti, fame, somno, morte. &c. potuisset negari aut dubitari veritas Humanitatis: Quam Manichęi negabant. 3. Ob exemplum patientiæ in iisdem tolerandis. Heb. 12. *Sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem; vt non fatigemini animis deficientes.* Hinc Hebr. 2. *In eo, in quo passus est & tentatus; potens est & eis, qui tentantur; auxiliari.*

2. NECESSITATEM verò talium in sese defectuum sibi imposuit ipse: Sed necessitatem consequentiæ naturalis, non coactionis. Nam vt calor naturali-

ter sequitur ad ignem, sic ad culpam pœnalitates defectuosæ. Hinc Rom. 8. *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*, vt cuius ea sit fatalis necessitas patiendi defectus in pœnam.

3. ALIQVOS autem; Non OMNES; à Christo naturæ defectus assumi decebat, sc. idoneos solum ad satisfactionem pro peccatis: quò opus erat *perfectione Scientiæ*, contra ignorantiam; & *Gratiæ*, contra culpam: Nec enim Ignorantia per ignorantiam, neque Peccatum peccato sanatur. Nam contraria non possunt simul fieri in eodem. Itaque defectus quidam repugnant perfectioni scientiæ & Gratiæ; consequentes ex læsa natura: Alij non inde consequentes sūt; sed ex causis accidentariis indiuidui, vt lepra, febris &c. Et illos decebat cum natura assumere Christum, non hos. Ista *D. Tho. 3. quæst. 14.*

II. DE ANIMÆ DEFECTIBVS. Hi sunt Peccatum, Fomes peccati, Ignorantia, Passibilitas; Dolor, Mæror, Timor, Admiratio, Ira. 1. PECCATVM assumere non debuit: 1. Quia id Satisfactioni aduersatur. Nam Eccl. 34. *Dona iniquitatum non probat Altissimus.* 2. Quia veritatem humanitatis non docet, sed contra naturam & Deum militat, duce diabolo. 3. Quia inimicatur exēplo virtutis omnis. Ideo Dominus, 1. Pet. 2. *Peccatum non fecit.* Quia, ait, Aug l. 10. in Gen. c. 19. 20. *Christus non omni modo fuit in Adam, quo nos.*

2. FOMITE caruit Iesus. Quia ad rationem fomitis pertinet inclinatio appetitus sensualis in id quod est contra rationem. Virtus autem; quæ rationi subijcit inclinationem eam, fuit in Christo perfectissima. Dein; fomes non est ordinabilis ad satisfactionem, aut exemplum. Quare, Matth. 1. *Quod in ea natum est, de Sp. Sancto est*: at hic omne excludit peccatum, & pronitatem ad illud.

3. IGNORANTIA caruit. Quia sicut in Christo fuit plenitudo Gratiæ, sic & Scientiæ: sed vtraque excludit cōtrarium sibi, illa peccatum; hæc ignorātiam. Ergo. Vide sup. *q. 28. 29.*

4. PASSIBILITAS erat in Christi anima, tum corporalis, qua corporis passio afficit animam: tum interna propria Affectionum naturalium. Sed hæc triste am habuere esse in Christo, secus, ac in nobis. 1. Obiectum appetunt in nobis plerumque illicitum. 2. Ortum habent passiones in nobis peruertendo rationē. 3. Effectum sortiuntur in nobis non sistendo in appetitu sensitiuo; sed & rationem ad se pretrahendo. In Christo lōgè secus. Hinc, Psal. 78. *Repleta est malis anima mea. Tristis est anima mea vsque ad. &c.* sc. propassione solum.

5. DOLOR afficiebat corpus Christi; quia perfectè habuit omnes potentias naturales: itaque vt læsibile fuit, ita & sensibile. Vnde Ies. 53. *Verè dolores nostros ipse tulit.*

6. MOEROR inerat Christi Animę. Sic enim dispensabat menti visionem beatificam, vt hæc non pertingeret ad appetitus sensitiuos: hinc hi ex obiecto Apprehenso afficiebātur, sicut corporis Sensus ex obiecto læsorio: Vtrumq; iuxta naturam; sed non contra rationem Christi propriam. Et sicut mœror existebat è mali præsentis: sic TIMORĖ mali impendentis apprehensione: Nullus

sus tamen ineſſe timor Chriſto poterat ex incertitudine euentus : vt qui ſciret omnia.

7. IRA cum ſit appetitus repellendi iniuriam; ſed juxta, non contra ordinem rationis; ira fuit Chriſto. Vnde *Ioan. 2.* impleuit illud Pſal. 68. *Zelus domus tuæ comedit me.*

8, ADMIRATIO eſt de aliquo nouo & inſolito; ac tametſi tale nihil accidere quibat Chriſti ſcientiæ Diuinæ, nil etiam Infuſæ cognoſcenti res in Verbo, aut per ſpecies inditas: Experimentali tamen ſcientiæ inſolitum poterat obuenire; ſicque Matth. 8. *Audiens Ieſus* centurionem, *miratus eſt.*

Hæc è D. Thoma ſumma breuis de humanis Animæ Corporiſque Dominici Paſſionibus. Hiſce S. Thomas, Iob. 38. Hæreticum *concluſit oſtiis mare:* & ſtatuit *Huc usque venies; & non procedes amplius; & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

QVÆSTIO XXXIV.

An Perſona Chriſti ſit inuocanda, & adoranda?

LVTHERO, in Iſa. 9. Chriſtus tantum *eſt virtus Patris*, non Deus: 2. Quia, lib. contra Latomum, *Anima mea odit ὁμοούσιον*: 3. Quia eidem, lib. de Conciliis par. 2. *Neſtoriani ſunt, qui Diuinitatem Chriſti pati non potuiſſe, pertinaciter diſputant*: 4. Quia ipſi, in Confeſſ. de Cœna Dom. *fuit Chriſtus ille vilis, nec magni; reſtij Saluator; & alio opus Saluatore habuit*: 5. Quia ei, in Rom. 3. *Chriſtus iniuſtus fuit, quòd impoſſibilia præcepit*: 6 Quia, in Conc. Nat. Dom. *Chriſtus non eſt Omnipotens*: 7. Quia Vbiquitariis *Chriſtus Non differt ab aliis mortalibus, niſi per Energiam*: 8. Quia Luthero *Chriſtus fuit ſummus maleſactor & beneſactor*: Quia Brenzo in Dom 3 poſt Pent. *fuit deceptor. &c.*

AVTOR. Idcirco ſtatue ipſe tecum, An Chriſtum cenſuerint adorandum; niſi ſuo ſeipſos mucrone iugularint Lutherani. Quid? Hocque amplius:

1. Quia LVTHERO, in Poſtilla, Dom. Trin. *FOR TRINITAS frigidè omninò ſonat*: 2 Quia Melanchthon in Locis c. de Chriſto, *tres ſunt Diuinitates*: 3 Quia Lutheranis, *Diuinitas verè eſt paſſibilis*: 4. Quia Luthero, lib. de ſeruo arbit. *Deus iniuſtus eſt*: 5. Quia eidem in aſſert. art. 36. *Mala opera in impijs regit Deus*: 6. Quia Lutheranis, apud Vlenberg. cauſſa 17. *Deus non eſt amplius Creator animarum, poſt lapſum animæ; & diabolus procreat, & in ſe transformat*: 7. Quia Luthero, in aſſert. art. 32. *Dubium non eſt, quin Sathanâ Magiſtro in Eccleſiam venerit hoc nomen, Liberum arbitrium*: Cùm illius tamen autorem eſſe Deum conſtat: 8. Quia Lutherus, ſe teſte ipſo, diabolo magiſtro didicit pleraque; & ZVVinglius ab, albo, an atro, ſpiritu ſua hauſit, &c.

AVTOR. Ideo quiſque ſecum ſtatuat, an Lutherani ſenſerint rectè vel Ipſũ Deum inuocari poſſe aut debere; niſi talium prius cecinerint palinodiam.

CALVINISTÆ quid? Piget ſuperioribus producta Zytimatis huc reducere: alia in rẽ propria reddam paucula.

I. CALVINVS in Harmonia ſua paſſim, apud Feuardentium dialogo 3. *Nusquam Chriſto in Euangelio diuinus honor eſt exhibitus.* Et IESV CHRISTI quiſquam ſibi Numen adoret Caluiniſta?

AVTOR. Procul hinc, procul ite Profani. Enimverò dictitant, *Non aliò, cum precibus operam damus, quam ad Deum Patrem animus intendendus eſt.* Huius ſcilicet Euangelii Tropæum ad mundi vltimas vſque regiones poſuit Caluiniſta *Petrus Richerius, vir*, vt Beza loquitur, *ſpectatæ pietatis & doctrinæ.* Miſſus quippe in Galliam Antarcticam à Caluino, ab hoc ſtatim capite ſuum exorſus Euangelium eſt: *Ne quis Chriſtum incarnatum proponeret Adorandum, obnixè teſtatus eſt auditores ſuos; Vtque ſumma diligentiâ cauerent, ne aliò in precibus, quam ad Deum Patrem animum intenderent.* Lege Villagagnonem ad articulos Caluini in epiſt. ad Magiſtratum Genevenſem.

II. CALVINVS in epist. ad Philipp. c. 2. v. 6. *Plusquam ridiculi sunt Sorbonici Sophistæ, qui ex illo Apostoli*: In nomine IESV omne genu flectetur &c. *flectendum esse genu colligunt, quoties nomen* IESV *pronunciatur*. Rationem promit Richerius apud prædictum Villagagnonem: *Quia periculosum est, ne supplicantes Personæ Christi, Humanitatem eius etiam & carnem diuino honore afficiamus*.

Ecquid enim? Lamb. Danæus blasphemat in Apologia de Adoratione carnis Christi, istis: *Christi caro nunquam religioso cultu adoranda est. Ad quam qui inuocationem dirigunt; ex ipsius Dei ore maledicti sunt & Idololatræ*.

SECRETISTÆ Caluiniani apud Lindanum in Dubitantio, Non credunt, *Filium Dei adorandum esse; sed solum Patrem*. Vide infrà *quæst. 40. & 82*.

AVTOR. 1. Fecerunt istæ, similesq; Caluinistarum voces, vt Ioan. Schütz in lib. 50. causarum, audacter pronunciarit: *Mahumetismus, Arianismus, Caluinismus fratres sunt & sorores; tres caligæ vnius panni*.

2. Quid? An non MAIESTAS Adodoranda tribuitur in Scripturis Christo? Hebr. 1. *Adorent eum omnes Angeli Dei*. Nam, Psal. 95. *Confundantur omnes qui adorant sculptilia*.

3. An non Christus habet templum; quod proprium est latriæ signum? Mal. 3. *Veniet ad templum S. suum Dominator, quē vos quæritis*.

4. An non vel ipsis Sectariis inuocatio absentis, est adoratio latriæ? At Christus inuocari jubetur Ioan. 14. *Si quid petieritis in Nomine meo, hoc faciam*. Vbi Aug. tract. 73. *Sic ergo perrexit ad Patrem, vt non desereret indigentes; sed exaudiret petentes*.

5. Deinde 1. Cor. 1. *Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Dom. Iesu Christo*. Esto, legant Sectarij, *& Domino Iesu Christi*: liquidò tamen dicitur 2. Ioan. εἰρήνη παρὰ θεοῦ, καὶ παρὰ κηρίου Ιησοῦ χριστοῦ.

6. Omnes cecinere Prophetæ, per aduentum Messiæ exterminandam idololatriam: Ecclesia verò Christum vsq; coluit templis, aris, festis, sacrificiis: Ergo vel Christus est verus Deus; aut illi errauerunt. Isa. 2. *Eleuabitur Dominus solus in illa die, & idola penitus conterentur*.

DICVNT Transyluani l. 2. c. 4. Franc. Dauid disput. 3. Blandrata disput. 4. & 6. *Christus est adorandus; Tum quia Deus Pater id jussit: Tum quia in se habet adorandam Diuinitatem*.

AT CONTRA. Si Christus non est verus Deus, non potuit Pater id iubere, quin ipse sibi contradiceret iubenti, Deut. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*. Ies. 2. *Gloriam meam alteri non dabo*. Neque ideo solum adoranda Christi Humanitas est, quod in ea Deitas habitet: quia sic possent Angeli, & justi adorari latreuticōs, ipseque orbis hic; vt quos & quem inhabitet.

FRAN. DAVID respondet: posse Christum adorari non vt Altissimum; sed vt Altissimi filium.

AVTOR. At mox negat debere adorari Christum, aut vocari Deum: & sic argumentatur: *Si Christus est diuino cultu adorandus & inuocandus, vt Deus; ergo cum Papistis dicendum erit, Christum esse vnum Deum cum Patre; & oportebit restituere Trinitatem, quam hactenus impugnauimus*. Item: *Si Christus non est verus Deus, & tamen inuocari potest, ergo etiam Sp. Sanctus; immo & Maria, & Angeli, & Sancti cæteri inuocari poterunt. Quorsum igitur hactenus Papistas accusauimus idololatriæ, quia Sanctos inuocant?*

Sic

Sic ille fortiter argumentatur contra Georg. Blandratam, qui voluit Christũ non esse verum Deum; & tamen adorandum. Planè cõuicit Antitrinitarios.

7. Denique Act. 7. *Lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine* IESV *accipe Spiritum meum.*

1. DICIT Dauidis: Illud esse Stephani factum, & non testimonium Scripturæ.

AT exemplum est viri *pleni fide & Sp. Sancto.*

2. Dicit. *Domine* & Ιησῦ legendum esse, id est, *Pater qui es Dominus Christi.*

AT S. Stephanus, quem *vidit stantem Iesum*, eum & inuocauit.

3. Istud: *Intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dex. Dei*, id est, ait Fr. Dauidis, *tã certò Iesum resurrexisse credo, esseq; in cœlo, ac si nunc aperto cœlo ipsum viderem.*

Prò! S. Scripturam Dicere, *Domine Iesu*, id est, *Pater Iesu*, nonne hoc est cõfundere Patrem cum Filio, more Sabellii hæresiarchæ?

Sed ad amussim decidit, vt omnia, *D. Tho. 3. q. 25. a. 1.* Cùm in Christo sit vna tantum Persona diuinæ & humanæ naturæ; vna quoque adoratio est ex parte adorati; Ex parte autem causæ ob quam adoratur, adoranti esse plures possunt adorationes Christi vnius; quot scilicet in eo suspexerit quis virtutes. Itaque eâdem adoratione est adoranda Christi Humanitas, qua Diuinitas; non separata; quia vna in hypostasi vnus est Christus. Vnde Corpus Christi ob eandem est latriæ cultu adorandum, propter vnitum Verbum, vt ait S. Damasc. l. 4. orthod. fidei c. 3. Et Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius. Vbi glossa; qui adorat Corpus Christi, non terram intuetur; Sed illum cuius scabellum est.*

Denique vnum quæramus velut pro clausula de Deo Incarnato. Postea de Matre eiusdem paucis: plusçula de Passo & Mortuo: demum de Triumphante simul & cum Commilitonibus suis Militante.

QVÆSTIO XXXV.

An Christus sit verè, ac Solus incarnatus?

LVTHERO, *Christi Humanitas caro non est, sed nudus & merus Spiritus. Quia quod natum est ex spiritu, spiritus est.* At, qui non est verus homo natus, nõ est etiã verus homo passus. &c. 1. Ita sentire Lutherum Zvvinglius affirmat in Resp. ad Lutheri libr. de Sacram. to. 1. *Tu*, inquit, *Luthere explicans illud*, Quod ex spiritu natum est, spiritus est; *Christi Humanitatem, contra omnem veritatis fidem, nudum quendam & merũ spiritum esse fingis. &c.* Vocatque ibidem Lutherum ipsissimum Marcionem. Minatur, si pertexerit, eo se illum redacturum loci, vt vel vniuersam Noui Testamenti Scripturam negare cogatur; vel Marcionis hæresin agnoscere. *Hoc*, inquit, *bona fide tibi pollicemur nos præstituros.*

2. Lutherus lib. de Conciliis, parte 2. carni Dominicæ tribuere videtur æternitatem: *Oportet dicere*, inquit, *Hæc Caro, & hic Sanguis Christi condidit cœlum & terram.*

AVTOR. AT verò, An hoc non est cum Eutychete naturas cõfundere? Est.

3. BRENTIVS in Recognitione doctrinæ suæ de Maiestate Christi: *Ex Maria Christus non nisi Accidentalem formam sumpsit; quam & postea in resurrectione deposuit.* Itaque non fuit substantialiter Homo natus.

AVTOR. Etsi communis Lutherocaluinistarum ab istis abhorret: prædictorum tamen, & Primorum archihæreticorum hic error est damnatissimus: demùm sic & Ariani, teste S. Athanasio in capp. ad Eustachium; *Christum, exuta mortalitate formam serui* (id est, Humanitatem:) *in Domini & Dei formam transformauisse.* 2. Idem Mich. Seruetus in dialogo 1. de Trin. pag. 29. *illud*, inquit, *est creaturæ, quod per Incarnationem Christus acquisiuit; ita etsi esset res accidentalis, amissum est in resurrectione. Talis factus est de*

de Homine regreſſus in Deum; qualis olim factus eſt egreſſus è Verbo in carnem. Vide ſupra, quæſt. 27. de deificatoribus carnis Chriſti. Hæc Lutheranè: porrò quid Caluinianè?

CALVINISTARVM de fæce BVCERVS eſt: cuius vox: *An venerit adhuc Meſſias, incertum eſt.* Ita apud Vlenbetgium Cauſa 12. & Poſſeuinum in Notis Verbi Dei:

AVTOR. ATQVI verò ita circulum integrè circinare Bucerum oportuit. Principio enim ex Iudæo Monachus factus eſt; 2. Ex Monacho Cinglianus: 3. Ex Zvvingliano Lutheranus: 4. Ex Lutherano Semicatholicus: 5. Ex Semicatholico Sacramentarius: 6. Ex Sacramentario rurſus Iudæus: 7. Deniq; ex Iudæo Atheus: planèq; nunc tatareus manet, manebit.

2. CALVINVS, Beza, Wittakerus, Tranſyluani, ſimiliſq; farinæ furfures, neceſſariò *coguntur* cum Bucero *Chriſti negare Incarnationem.* 1. Hi enim Chriſtum ex Patris ſubſtantia natum peruicaciſſimè pernegant; ac pertendunt Deum non fore, ſi ex Paterna ſubſtantia potius deſcendiſſet, quàm ex ſeipſo ſit ortus. Vide ſuprà *quæſt. 12.* de Autotheanis. 2. *Coguntur quoq; negare, Hominem eſſe Chriſtum*; cum ex Matris ſubſtantia ſit Homo, non ex ſeipſo.

3. Andreas igitur Ericius in profundius abit barathrum, initio libri de Mediatore Filio: vbi iſta: *Videre non poſſumus, quomodo; cum Vna ſit trium Perſonarum Eſſentia; non Pater ſimul cum Filio incarnatus ſit.*

4. Cùm igitur cauſa omnium grauiſſima tam variè ac vetanè agitata ventillaretur inter Caluiniſtas; denique ita definitè pronunciauit LINDANVS in Dubitantio, pag. 152. *Qui negant Chriſtum incarnatum; in fundamentum Chriſtianæ Religionis minimè impingunt*: quòd ij ponant, dicemus infrà, Fidem ſcilicet ſpecialem.

5. ANABAPTISTÆ, ijſdem animosè ſuffragantur dum dicunt: *Tolerabiles ſunt, & circa parerga tantum quædam, & res ſecundarias morbidè languent.* Tales ij viſi ſunt Muſculo in Locis Communib. c. de hæret. n. 2. Certè *Caluinus in Inſtruct. contra Anabaptiſtas*, affirmat, ipſos ſyllabatim negare, Chriſtum verum hominem eſſe.

QVÆSTIO XXXVI.

Cur, quomodo, quando videatur Chriſtus incarnatus?

DE LVTHERANORVM ſententiis iam plurimo audiuimus: Sed inter ipſos conſenſio nulla.

1. EX CALVINISTIS ſic BEZA in Coll. Mompelgart. pag. 76. *Iam tunc Abrahæ ſæculo Chriſti Corpus extitit.*

AVTOR. AT ex qua matre proſecerat? Seruetus, lib. 2. de Trin. *Caro Chriſti diuina fuit, & cæleſtis; vt quæ ſit ex Dei Patris eſſentia nata.* Memnon Anabaptiſta in Colloq. Wiſmarienſi: *Inde deſcendit in vterum Virginis.*

2. BEZA lib. contra Heshuſium fol. 284. diſertius ſic, ſuorumque ſententiam ſic explicat: *Chriſtus in Veteri Teſtamento piis non Efficaciæ tantum ſeſe; ſed etiam Eſſentiæ ſuæ communicauit.*

AVTOR. AT ijſdem è verbis idem, quod nos, colligit Bern. Schluſſelburgius in Theolog. Caluin. lib. 1. c. 17. Et lib. 2. art. 7. addit è Bezæ ſententia; *Falsò dixiſſe Angelum, Luc. 2.* HODIE *natus eſt nobis Saluator,*

3. Quod

3. Quod si cui adhuc videri dubia Caluinistarum possit sententia; is ex eorum *Orthodoxo Consensu, pag. 118. & 123.* illam vniuersè ab omnibus definitam accipiat: sic eo in libro profitentur.

Christus VERE *incarnatus Nunquam est, sed* TROPICE *tantùm & Figuratè. Necessariò in illo Ioannis*; Verbum Caro factum est: *ad Tropum est confugiendum.*

AVTOR. AT Quis ita Scripturam eos docuit interpretari? Opinor, ille Spiritus, qui Zvvinglium docuit illud interpretari: *Hoc est Corpus meum*, scilic. tropicè. Et verò, *ater an albus fuerit*, ipse nescire sese fatetur. Vtrumlibet, inquã: Nam & ater orci mallifer induere sese in formam Angeli lucis potest.

Conformis illi, ac horribilis ex Anglia vox sese prorupit. Anglos autem quis Caluinistas esse nescit? & quidem multos Puritanos, vti gloriantur.

Atqui idem illud sentiri, Minister quidã, teste Caluino-turcismo libr. 2. c. 2. fol. 141. publicè in Anglia professus est: *Qui è Mariæ sanguinibus prodiisse Christum asseuerant, singularem committunt blasphemiam: Deo Diuinitatem, & æternitatem detrahunt.*

Etsmus Sarcerius in Concione de Nat. Dom. ipsum idem de nonnullis LVTHERANIS affirmat asserentibus: *Ex elementis Christus formatum corpus e cœlo in Mariæ vterum detulit.* Sat hoc Anabaptisticum.

AVTOR. Hæc ita si forent, jam fides Euangelistarum concidisset vt vanissima. Num verò vllum esset Incarnationis meritum, quod in humani generis redundaret bonum?

4. ZWINGLIVS lib. de vera & falsa relig. respondet, prædictæ imponens coronidem impietati. *Nullum*, inquit, *est Christi Incarnationis meritum: Ex ea parte tantum nobis salutaris est, qua ex cœlo descendit; Non quatenus è Virgine natus est.*

AVTOR. AT & istud nil abludit à vero, quòd ex ipsius, atro an albo, certè nocturno spiritu, ipsi fuerit inspiratum.

5. Denique concludit Carolus MOLINÆVS, Reginæ Nauarræ Consiliarius, verè impius: *Errarunt*, inquit, *luculenter Monachi, & Sacrificuli; Doctoresque Papistici, vrgentes merita, tum Incarnationis, tum Natiuitatis, tũ Tentationum, tum Afflictionum Christi. Nihil hæc omnia proderant nobis; nihil poterant.*

AVTOR. ET ita quidem ille blasphemabat Molinæus; quem Germani plerique suspexerunt, adque instaurandum Euangelium esse natum acclamarunt. Boni scilicet, Physiognomones!

Nos refutationes talium jam supr. sat sumus executi: Nunc post Christum pauca de Matre Christi, quæ senserunt profani.

QVÆSTIO XXXVII.

An MARIA verè Mater Christi extiterit?

DE LVTHERANIS Vbiquitariis nos suprà q. 26. Et Illustr. Card. Bellarm. lib. 3. de Christo cap. 12. euidenter euincit Vbiquitarios sentire ac docere istud: *Ab initio statim Incarnationis Caro Christi non solum in vteris fuit omnium mulierum; sed virorum etiam: Ac proinde communis est laus ista omnibus: Beatus venter, qui te portauit &c.*

2. Si quæras: Ecquo modo Christus ex Maria Virgine sit natus? Natum negare cogun ur. Nam *primò statim Conceptionis die extra vterum fuit: & post decimum mensem fuit adhuc in vtero: Immò inde nunquam exiit.*

3. Isto amplius extenuat Deiparam BRENTIVS in Recognitone doctrinæ suæ: *Mirabilius est multò*, inquit, *quòd Adam creatus est manibus Dei è pura terra; Eua autem è costa viri, absq; omni peccato: quã quod Christus conceptus est de Sp. Sancto, è muliere, Virgine quidem; sed ad generationem tamen apta.*

4. CHYTRAEVS in Mat. c. 1. istis adiicit audaciter ita: *Non laditur Christiana pietas, si Virginem Mariam post partum mariti consuetudinem admisisse credamus.*

AVTOR. Atqui istud omnino est Heluidianum, jam olim cõdemnatum.

De Calvinianis ista accipe. Ac primò ab eorum choriphæo. Calvinvs in Isa. cap. 53. v. 8. Generationem eius quis enarrabit? *Locum hunc, ait, ad corporalem ex Virgine natiuitatem Irenæus, Augustinus, Iustinus, cæterique malè referunt. De propagatione regni eius & diuturno tempore, exponendus erat.*

Avtor. Nimirum sanctior erat, & acutior Caluinus, qui plus vidisset in Scriptura, quàm tot SS. Patres: vt *Iren. l. 3. c. 21. Iustinus in colloq. cum Triphone: August. tract. 32. in Ioan. Leo Papa de Nat. Dom.*

2. Nic. Sarcerivs, Christum ex Maria verè natum negans, inquit: *Per illam non decurrit secus, quam per canalem aqua.* Aliaque plura talia Canisius in Mariali congerit disertè.

Avtor. Equidem principes Caluinistas non citra ruborem lego, Natiuitatem Marianam flagitiosè rimantes.

3. Nam ecce ita Molinævs in Harmoniæ parte 3. *Christus natus ex Maria est cum virginitatis iactura. Credendum; quòd naturaliter, ruptis obicibus, locis apertis:*

4. Beza aduersus Schmidelinum *Diuulsis vteri partibus exiuit.*

5. Pet. Martyr in Rom. c. 4. & l. contra Richardum Smithæum sic illud moderatur: *Vel certè inter ea, quæ necessariò credi debent, recipiendum non est.*

6. Calvinvs confirmat in Matth. c. 2. omninò prætorianè ac scepticè; *Sanè, inquit, nõ alia de causa Dominus, quoad tẽpus fugiendi in Ægyptum, pepercit Mariæ nisi vt iter posset facere tantò commodius, vbi ex puerperio convaluisset.*

Avtor. Atqvi liquet obtinuisse apud Pholos hosce impurissimi Iouiniani hæresiarchæ blasphemiam: Itemque spurcissimi istius Iudæi, Pagani, venefici, monstri Africani (vt Græcorum historici appellant) Constantini Copronymi dementiam sic in Deum loquentis: *Ita Christus de Maria Virgine natus est, sicut ego ex matre mea Maria sum natus.* Vide Constant. Manassen in Annalib. p. 114. & Bzouium nostrum anno 763. §. 6. Idem Copronymus Deiparam comparare amabat blasphemus bulgę auro plenæ, cum grauida Christum vtero ferret, at vacuæ similem aiebat bursæ, postquam fuisset enixa. Flammis digna tartarea lingua! Vide quæ prolixè tractaui in mea *Claui prædicandi Rosarium, lib. 1. c. 13. 14. 15.*

QVÆSTIO XXXVIII.

Quàm veneranda Luthero-caluinistis Deipara visa?

Lvthervs in 1. Pet. c. 1. & in Postilla serm. de Nat. Mariæ. Et in Postilla maiore in Dom. Epiphaniæ proxima. *Omnes Euangelica fide renati, pariter Mariæ sumus in honore, tàm sancti sumus, atque Ipsa, dummodo in Christum credamus.* Apud Fran. Costerum in præfat. libelli Sodalitatis: *Maria nihilo fuit sanctior Catharinâ Lutheri.*

Idem in Postilla, Conc. de Nat. B. V. fol. 40. *Nostra Mulier non debet tanti æstimari. Non damnaberis, nisi Mariam nullo vnquam honore affeceris; imò nisi tanquam illius recorderis.* Ibid. *Velim, vt ipsius festum omitteretur.* Ibid. *Collocata est supra omnes choros angelorum: hoc iniustum est.* Ibid. *Si Mater Dei Petrus & Paulus, & hodie in terris versarentur, sese mihi pedibus subiicerent & pro Domino colerent.* Ibid. *Nos omnino æquè sancti sumus, ac Maria cæterique Sancti, quanticunque sint.* Ibid. *Adhæc etiam tuæ preces tam mihi gratæ sunt, quàm istorum. Cur? Quia si credas quod Christus æquè in te, ac in illa habitet, tunc tam tu iuuare me potes, quàm illa.*

Brentivs. hom. 21. in Ioan. *Fuit Maria fœmina non tantum rudis, ignorans, & erroribus obnoxia; sed ambitiosa etiam:* Idem hom. 78. in Luc. c. 8. *Iniuriis, blasphema:* Idem hom. 17. in Luc. *De sperabundis, & aliorum grauium peccatorum rea.* Idem hom. 12. in Luc. *In morte Filij sui fuit scandalizata. Inferni dolores, etiam in hac vita, eam obruerunt.* Talia Lutherani. Vid. *Mendacem Antipap. par. 1. q. 3.*

Calviniani nummitiora? 1. Calvinvs in Harmonia. in Luc. c. 2. vers. 48. *Fuit Maria fœmina superba, Deo sese ipsi præferens:* Idem in Ioan. c. 2. v. 4. *In tempestiuè festinans:*

festimans: Idem in Luc. c. 8. v. 19. *Plus justo satagens*: Idem in Matth. c. 12. v. 48. *Importuna, & præposterè cursum doctrinæ Christi abrumpens*: Idem in Ioan. c. 2. v. 3. *Quæ fines suos sæpè excessit*. Idem in Luc. c. 1. v. 34. *Quæ non malignè minus Dei potentiam, quàm Zacharias restrinxit*. Ista solùm ex Caluino cape in exemplum.

2. LATIMERVS suis in Concionibus, sub Henrico VIII. Anglorum Rege Apostata, non jam manu, verum sacco toto, quod aiunt, fundens blasphemias, ita ait, vt videre est in Caluino-Turcismo lib. 3 c. 13. *Nihil eo dignitatis accessit Mariæ, quod Christum peperit. Fuit enim,* (ecce tibi Copronymi discipulum) *sæculo, crocum vel aurum complectenti, similis: qui, vt oppletus magni pendatur; depletus tamen nullius est momenti vel pretij*.

3. NVNQVID amplius? *Et nostro tempore sunt etiam fœminæ, quæ Christi Matres non minus, quam Maria; esse possent*. Ita nimirum per summam impudentiam fœmina quædam in Scotia. Quam tamen, ait *Quir. Cnoglerus*, tantum abest, vt eo nomine reprehenderint Ministri; *vt etiam eius sententiam*, (Hamiltoni, ministri olim Scotici verbis vtor) *in publicis sacris, & profanis rebus, longè magis, quam Episcopi cuius quam secuti semper sint autoritatem*. Vide Hamiltonum in Calu. Confusionis demonstrat. lib. 2. c. 3.

4. BVNY denique coronidem addit elogiorum scilicet infandorum Caluinianæ blasphemiæ, *in lib. Exercitij Christiani*; quē Ministrorum in Anglia Cayphæ, Eboracensi Archiepiscopo, dedicauit: *Maria eo ipso tempore, quo moriente in cruce Filio, inter turbas militares adstitit; quattuor lethalia in sese crimina admisit, transgressa diuini Decalogi mandata primum, quintum, sextum, nonum, &c.* Vide meam Clauim prædicandi Rosar. l. 1. c. 13. 14. 15.

AVTOR. Præpotentis Dei Manus Deiparam suam omni gratiarum ac virtutum genere cumulauit. Non supremis Angelis, non Patriarchis, non Præcursori, non Apostolis talia tantaque gratiæ dona largitus est Deus; qualia & quanta sacrosancto Virginis Animo impertiuit. Cùm verò gratia in Virgine otiosa non esset; sed negotiosa semper excresceret, & mirabiliter augeretur; quantam eam fecisse putabimus, quæ tales haberet & vires, & causas incrementi?

1. Animam primùm incomparabilis sanctitatis claritas circumfulsit, & cō decorauit.

2. Ea mox ad inæstimabile peruenit augmentum. Nam Christus, verus Elisæus, suo ingressu Hospitium illud muneribus compleuit. His Cœlites, quà singulos, quà vniuersos, teste *Suarez q. 37. art. 4. disput. 18. Sect. 4.* anteiuit. Fons enim ille primus sanctitatis fluminibus ita deinceps augeri perrexit; vt velut infinitum quoddam mare constiterit.

3. Nam opificis sui amātissima, quæcunq; ageret, diceret, cogitaret; omnia ei ad nouæ gratiæ additamenta valebant.

4. Quale illud; quòd Matrem cum primis illis Fidelibus, Petro, aliisque Apostolis, Eucdio teste *apud Nicep. hist. l. 2. c. 3.* suis manibus Filius baptizauit? At quametsi nihil esset, quod baptismus abluere; sacro tamen baptismatis impresso charactere virginalis ille Animus nouo pulcritudinis splendore ac lumine radiauit.

5 Quale, quod iis Deipara sese aggregauerit quibus die Pentecostes Sp. Sanctus dona charismatū dispertiuit? Quis illi nouam accessisse sanctitatem neget? Atque tum etiam, cùm quotidie Sanctissimam Eucharistiam perciperet? Ex his fontibus Deiparæ gratia promanauit,

uit, adeò; vt, tametsi, Prou. vlt. *multæ filiæ congregauerunt diuitias*: ipsa tamen fuerit *supergressa vniuersas*.

6. Quod si quando Christus Matri duriusculè loqui visus; prælato id factũ mysterio S. Patres interpretantur: Nimirum propter adstantes, qui IESVM esse Deum nesciebant; sed merum hominis filium existimabant. Quòd verò concionantem mater importunè interpellarit, aut in nuptiis solicitarit contra τὸ πρέπον; id hæreticorum commentum est.

1. Quò memorabilius est, quod S. Ambrosius præcipit, lib. 2. de Virginib. *Sit nobis*, inquit, *in imagine descripta Virginitas, vitaque Mariæ; in qua, velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis*.

2. Richardi Victorini verba placent, lib. 2 de Emmanuele: *Tota pulcra: meritò: Quia pulcra facie, pulcra mente, pulcra corpore: quæ etiam Principibus tenebrarum terribilis fuit*.

3. Richardus lib. 5. in Cantica: *In omni vita consummata, in omni bono & dono confirmata fuit*. Rupertus lib. 4. Exercitationum: *Illa est, cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. Tu virtutum operatrix, ac totius sanctæ magistra religionis, &c. in omni flore & fructu honoris & honestatis*.

4. De perpetua Almæ Matris Virginis Virginitate hoc solum dicam, illi neminem inimicum vnquam fuisse, qui non ab omni fœditate fuerit contaminatissimus. Quòin luculentiores Deiparæ laudes adnumero illa illaudatissimorum blasphema conuitia. A quib' Marianæ parthenicus splendor gloriæ minus, quam à cœno radij solares, inficiã & anhelari potest. Sed non ego panegyrim hîc texere; Deiparæ magis docere statui innocentiam.

QVÆSTIO XXXIX.

Quàm infidelibus Turcis ac Ethnicis Venerabilis Deipara?

HOstium laus est admirabilis. Nolo tamen illã, q̃ ab ipsismet nostratib' hæreticis huc repetere possem; inexorabili Veritatis vi, atque rigore, immensoque Gratiæ ac Gloriæ Parthenicæ splendore coruscante vel extortam inuitis, aut suæ immemoribus maledicentiæ elapsã. Nolo hanc, planeque respuo in præsens: Neque despicio tamen: abijcio minus. Alios ipsorũ huc judices accersam, quibus se ipsi in religionis sanctimonia plus mille parasangis anteponunt.

Quantò Luthero-caluinistis sanctius de Cœlorum hac Regina, non dico sanctissimi Patres: (illorum enim gemmas ante porcos hos abijcere insania sit) sed etiam ipse Mahumetes? 1. Sic enim ille apud Magdenburgenses; Cent. 8. c. 15. *Spiritus Dei intrauit Mariam, & IESVM ex ea genuit*. 2. Idem Azoara 31. *Omnium mulierum Optimæ MARIAE animam Deus insufflauit, & Illam, Filiumque eius manifestum gentib. MIRACVLVM posuit*. 3. Et rursus Azoara 5. *MARIA fuit omnibus viris & mulieribus splendidior, & mundior atque purior*. 4. Et iterum Azoara 13. *Maria nunquam aliquid mali, siue malitiæ operata est*. Erubescite Caluini Phormiones, erubescite: si vester tamen est virtutis ille natiuus color.

Porrò in Alchorano sic acclamatur:

Azoar

Azoara 5. & 74. *O Maria cunctis viris fœminisque præclarior, solique Deo perseuerantèr studens. O Maria Deus elegit te, puramq; reddidit super mulieres sæculorum.* Plura talia Maurorum ille Catechismus prædicat.

Refert Martinus Polonus, Archiep. Consentinus, *in Chronico, sub annum 618. c. 72.* Induciarum tempore cùm Mahometani Hiereroſolymam tendunt per Syriam, libenter eos hospitio suscipiunt Christiani. At illis, præsertim qui se inter eos Sapientes profitentur, nihil tunc accidit antiquius, quàm Euangeliorum librum à Christianis poscere; quē multa & mira cum reuerentia exosculantur; ac inprimis, cum Incarnationis mysterio, Deiparam Virginem eximiè celebrare amant, mirarique puritatem, quā Christus docuisset.

II. ETHNICA accipite. 1. Refert Dionys. Carthusianus, *lib. 1. de laudibus Virg. articul. 30. Et Viues in Scholiis. ad Aug. l. 1. ciu. c. 26.* de Albumazar, insigni Astrologo, sed ethnico; sic testatum literis ipsum reliquisse: *In prima facie signi virginis, oritur in terra Virgo mūda, puella immaculata corpore, ore venusta, cultu moderato, crine prolixa: quæ Puerum in Iudæa nutriat & pascat; cumque Puerum à quibusdam IESVM vocari, quem nos τὸν χρήστον nominamus.* Hunc locum se testatur legisse Pet. Canisius, l. 3. Marial. c. 7. in Albumazar opere peruetusto.

2. Sybillarum encomia Mariana præterea sciens, apud Ioan. Bonifacium *in Virginali lib. 1. c. 2.* collecta: Sybillarum verò præcipua semper fuit autoritas.

3. Autor sit Metaphrastes, apud *Surium in Vitis Sanctorum Iulij*, S. Procopium Martyrem coram Flauiano Præside quoddam Apollinis Oraculum Iasoni, Argonautarum Duci, factum exposuisse. Huic de templo, in arce Athenis erecto, sciscitanti: *Die Phœbe, cuiusnam erit hæc AEdes*, Pythius respondit: *Quæcunque ad virtutem & honestatem vos incitant, facitote: Verbum in simplice Virginis conceptum, omnes capiens, adducet donum Patri: huius hæc ædes: Maria autem nomen eius.*

4. Batto item percunctanti, ait: *Vnus mihi vim afferet Vir cœlestis. Cum Passus sit, Deus est; & tamen non ipsa Passa Diuinitas est. Deus est à Patre ferens omnia, & omnia Matris habens. &c. Christus est meus DEVS, qui è sepulcro venit ad polum.* Templum ethnici dedicarant Cibelæ Deorū matri: at idem Zenone Imperante consecratum Deiparę est: ita *Cedrenus in Compendio, lib. 36. c. 15. & Th. Boz in Not. Eccl. l. 9. c. 6.*

5. Dorotheo in Synopsi, & Epiphanio, in vita Ieremiæ referentibus, accepimus; Sapientes Ægypti ab Ieremia isthic captiuo de Gentilismi euersione didicisse tunc futura, cùm Virgo in præsepi Filium collocaret, quem salua Virginitate peperisset, inque Ægyptum, iubente Deo, secessura. Ex eo Sophi perpetuū in ritum acceperunt, vt Virgineā imaginem in lecto collocatam, juxtaq; infantem in Præsepio cubantem cœperint venerari.

6. *Cassanaus in Catalogo Gloriæ mundi, consid. 20.* prodit: In vrbe Galliæ Carnuto ædificatum esse templum ad honorem Virginis parituræ.

7. Item apud Heduos, Gallorum populos, sepulcrum esse repertum; & in

hoc Christi imaginem in diuersorio nati ex Virgine; quem & bos & asinus circumstarent, virumque sculptum ad pedes nixum puelli, junctis manibus, tali cum epigrapha: *Credo in Iesum, inter animalia ex Virgine nasciturum.*

8. Romulus, teste S. Antonino *par. 1. tit. 4. c. 6. sect. 11. 20.* perfecto suo Romæ palatio, dixisse lætus fertur: *Domus hæc nostra nõ corruet, nisi Virgo pepererit.* Quod quia fieri non posse credebat, perennitatem operis ipse sibi pollicebatur. At nato nocte Seruatore, derepente corruit: cuius rudera se vidisse Pet. Damianus affirmat, *epist. 4. c. 12.*

Quæ, aliaque talia Marianos, inter barbaras gentes, luculentè testantur honores: quos Christiani, sed hæretici, coque istis peruersitate deteriores, adeò proterunt, despuunt, ac profanè contemerant. Porrò de Christo Passo qualia Hæretici?

IV. DE CHRISTO PASSO.

QVÆSTIO XL.

Quàm honori sit Luthero-Caluinistis Christus Passus & Crucifixus?

LVTHERANI præsertim Vbiquitarii, apud Illust. Bellarm l. 3. de Christo, c. 8 & 12. ita sentiunt, & dogmatisant. *Christus non est passus in regione Iudæorum tantum; sed Vbique: Non est mortuus; non sepultus: Nec enim vel anima eius separata a corpore; (quod mors requirit) vel corpus sine anima positum in terra cœnosa; (quod petit sepultura) cùm Vbique simul fuerint.* Item: *Christi Corpus in triduo mortis Verbo non fuit vnitum hypostaticè.* Hæc duo corollaria, ait Cnoglerus, Diuæ Bergensis sunt: vel, vt Sturmius eam vocat, Dianæ Lestricæ illius mammosæ, illius latrocinatricis: Vbiquitatis inquam Lutheranæ; quæ Realis cõmunicationis idiomatum Diuinitatis, in Humanam naturam factæ, se profitetur assertricem.

CALVINISTÆ quid? BEZA in Colloq. Mompelgart. *Christi Crucifixi imaginem in animo fatemur detestari.*

AVTOR. Prô! odij quæ tanti causa, & irarum?

Pet. Viretus ibid. in Colloq. Momp. pag. 406. ita scribit: *Quia Per vaccam magis, quam per imaginem, Crucifixus ille Christus representatur.*

AVTOR. Dicta mittam, & maledicta istis infandiora: facta his immaniora constant: nec longius huc, altiusue repetenda: cùm, prô dolor, domestica suppetant ætati nostræ.

I. Sub annum M. D. XCIV. jussu aut certè permissu Heidelbergensis Regiminis, hominum audaciâ & impietate sacrilegâ, armatorum globus noctiuagus, per dimidiatam cis Rhenum Spirensis Episcopatus ditionem dispersus, intra vnius spatium noctis, omnes per agrum, peruetusto more Christiano, ponè vias publicas erectos Crucifixos cipposque sacros, saxeos comminuit, ligneosque deiecit, dissipauit. Non paucas paucis pòst dieb. strages nefarias ipse dolens gemensque conspexi. Ecce, inquam innouatam ab Palatinis tunc Iconomachiã Copronymianam, ac Leoninam.

Verùm & euentũ nunc accipe. Quicunque fabri seu lignarij, seu muratiquique opifices, aut quoquo ritulo tribules, illud in facinus operam suam collocarunt; primùm cæteri locorum Cõtribules eos honestorum integræ famæ virorum tribub. exclusos, pro infamib⁹ habuerunt: quicquid Magistratus obniteretur contrà. Fugerunt quoque eorũ consortia ciues & vicini juxtà plerique; abstentosque mensis & commerciis esse voluerunt.

Nec

Nec diuina eam vindicta vindictâ humanâ ac ciuilem refutauit; quin confirmauit magis. Obseruatum enim memoratur; plerosque illos infelicẽ mortem sortitos oppetijsse; hunc repentinâ extinctum corruisse; illum ceruices precipitio fregisse; duello periisse alium; iustum undis haustum; alium alio fœdæ necis mortisue dedecore ex humanis diffugisse.

II. Memorabile pariter ac horribile est, quod pene sub oculis nostris, in Episcopatu Spirensi contigisse, ex viris certis certissimum, atque publicâ Notariatûs autoritate consignatum, accepimus.

Anno M. DC. XXI. cùm Palatinus equitatus per Spirensem Episcopatum prædabundus vagaretur; quædã Obertraudiana turma Caluinisticæ furiæ ad S. Ruperti montem excursione facta R. D. Decanum, loci parochum, quæsiuit vel ad pendendum litrum, aut redimendam depopulationem. Quo minimè domi reperto, penuarium tamen repererunt. Postquam illius se Cereris Bacchique veteris oppleuerunt; dum vertunt viam, proximũ vico Crucifixum è saxo celebrem opere vetusto ac visendo, dirutum, comminutum profanatumque dederunt. Præclaros milites ab strage tali!

Tendũt per Deidesheim, vbi cœmiterium præruecti, & Crucifixum præaltum conspicati habent derisui: inter cæteros quidam Ioannes Gesgen, ciuis Wachenheimensis, exclamat: *Videte, quemadmodum pendeat isthic nudus ille scarificatorius seruus, seu balneator! Et Te tractabimus, sicut modò socium tuum ad Ruperti. Expecta paulisper ad quindenam certus adero tibi.* Vixdum ore blasphemo vox missa exciderat, cũ ecce insolentior equus subsultans galerum capiti sessoris excutit. Ille dexteram versus dum sese inflectit, recepturus ex humo pileum, caballus idem in latus quadrupedali saltu vehementi caput heri aduersũ in murum domus Georgij Wagneri tam validè illidit, vt muro cerebrum cum parte capillitij cruore tabidi inhæresceret. Neque, quod mirabile, ablui, diu abradiue valebat.

Commilitones cohortis captũ mente, intellectu sensuq; omni destitutum, solam animam ægrè trahentem, equo transuersum imponunt, domumque reuectum vxori liberisque reddunt semianimem: Vbi quaternas intra horas, nullo signo visûs, auditûs, rationis, nominisue Christiani dato, animam infelicem exhalauit.

III. Anno exeunte M. DC. XX. quando Fridericus in Boëmię regno tyrannidem inuasit, simul in Principe Ecclesia Pragæ, cum Caluinismi flabello suo Sculteto, iconomachiam sacrilegè exercuit. Hic quanta cum impietate præcipuum spectatissimumque templi Crucifixum deturbari, trahi, temerari, conscelerarique curârit; per vrbem, orbemque juxtà Christianum increbuit vniuersum. Illam in ponte propositam Christi in cruce pendentis imaginem euertisset armatum furiis satellitium; nî ciuiũ armatior manus sese obiecisset. Neque nisi annauit impunè scelus: Nam anni insecuti eodem die annuo, justo Dei vindicis judicio, memorabilis ac mirabilis apud Pragam data Cæsari Victoria sacrilegium vindicauit, regnoque tyrannum exuit, ac profugauit. Qui-

Quibus è paucis ac neophitis liquet, facta dictis Caluiniſtarum reſpondere; & eos vtraque iuratos Crucis & Chriſti crucifixi inimicos teſtari.

IV. Atque iſta ſui ipſos docuere Magiſtri vel Heidelbergenſes; cæteros taceo. Si enim quæras: *An imago Chriſti ſit toleranda?*

DAVID PAREVS, anima Heidelbergici Caluiniſmi, Comment. in Rom. 1. reſpondet: *Mutant gloriam Dei, & idololatræ ſunt, Non noli Gentiles, qui vel homines, boues. &c. fortunam, vel harum rerum imagines pro Deo colunt: Sed etiam inter Chriſtianos, Omnes Illi, qui imaginem Chriſti Crucifixi in templis ad Repræſentandum Chriſtum, & ad docendum rudiores de Chriſto, tuentur.* Blaſphemius Beza in Colloq. Mompelg. *Fateor, Me ex animo Crucifixi imaginem deteſtari.* Vide in mea Genealog. par. 1. quæſt. 24. argumenta talium.

AVTOR. I. Toleranda eſt Imago Chriſti, quatenus Chriſtum repræſentat.

1. Quia, Exod. 25. *Dixit Dominus ad Moyſen*, prius: *Non facies tibi ſculptile*; Et deinde tamen etiam, *Facies duos Cherubin aureos, & productiles, ex vtraque parte Oraculi. Cherub vnus ſit in latere vno, et alter in altero*; Hiſtabant in Tabernaculo, ſuper Arcam fœderis; & paſſis Arcam tegebant alis. Num par, deteriorem hiſce conditionem Chriſti, quàm Angelorum cenſeri?

2. Num. 21. *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno; qui percuſſus aſpexerit eum, viuet.* Num par, eſſe Chriſtianos Rei figuratæ iniquiores, quam Figuræ fuerunt obſeruantiores Iudæi? Atq; hoc hi nil obſtante primo Decalogi; Nos verò etiam tantum non penè jubẽte Chriſto, Ioan. 3. SICVT *Moyſes exaltauit Serpentem in deſerto:* ITA *exaltari oportet Filium hominis;* primum in Perſona ad Redemtionem ſemel: deinde in Imagine ad Commemorationem.

4. Iuſtè autem Rex Ezechias, *4. Reg. 18.* Serpentem confregit eundem; ſicut aureum vitulũ Moyſes zelo pari: Quia ceſſante fine ſerpentis erecti bono; verſoq; deinde in malum idololatriæ; debuit ille aboleri. At quo fine Chriſtus ſemel crucifixus ſtetit; eodem nobis repræſentando, rectè vbiq; ſtatuitur Imago Crucifixi. Cui ſtatuæ dicimus: *Hanc ego non ſtatuam; ſed* QVEM *deſignat*, ADORO. Idque ſanctè, ſic docetur.

II. Imago Chriſti Honoranda eſt. Statuæ namq; Cherubinæ, vt pars præcipua Oraculi, recte honorabatur à Iudæis cum Arca. Nam 1. Ponebantur in Sancto Sanctorum, loco honoratiſſimo, *Hebr. 9.* 2. Dauid, *2 Reg. 6.* arcam mirificè honorauit: Oza tactũ ejus improuiſum morte luente, *2. Reg. 6.* 3. Philiſthæi, *1. Reg. 6.* captiuam detinentes, morbo flagellabantur. Bethſamitæ aſpectum audaciorem morte expendebant.

Quocirca, Pſal. 98. *Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate Scabellum pedum eius; quoniam ſanctum eſt*, id eſt, ad literam, Cherubinos, ſuper quorum alas, ſeu ſolium Majeſtatis ſuæ, Deus ſedẽs reſponſa dabat Pontifici, eum conſulenti: At ſolium Chriſti Crux fuit, & eſt. *Nos igitur gloriari oportet in Cruce D. N. Ieſu Chriſti.*

III. Cauſa venerationis eſt. 1. Quia Imago Chriſti eſt: Rectè S. Ambr. ſerm. 10. in Pſal. 118. *Qui imaginem coronat Imperatoris, vtique illum honorat, cuius imaginem*

ginem coronauit; *Et qui statuam contemsit Imperatoris, Imperatori vtique videtur fecisse iniuriam.* Quantò magis Christo? 2. Quia Beneficia Christi nobis repræsentat; excitatque nos ad debitam gratitudinem. Quaeadem ex causa colimus S. Biblia, festa Paschatis, Penteco. Natiuitatis &c. Plura infrà *quæst. 82. & sup. quæst. 34.* An persona Christi sit adoranda?

QVÆSTIO XLI.

An Christus verè sit Corpore passus: & verane sit historia Passionis?

LVTHERANI quidem veram negare coguntur, ex eo, quòd comminiscuntur, *Christum non verè Hominem verum natum fuisse*; De quo vide suprà *q. 25.* 1. LVTHERVS enim ibidem ita: *Oportet dicere, Hac Caro, hic Sanguis Christi condidit cœlum & terram.* Quippe *Christi Humanitas Caro non est, sed nudus & merus Spiritus. Quia quod ex spiritu Natum est, Spiritus est.*

2. BRENTIO ibidem: *Ex Maria Christus non nisi accidentalem formam sumsit &c*

AVTOR. I, AT iste est Euthychianismus.

CALVINISTÆ pariter ex suismet ipsorum placitis, suprà *quæst. 35.* constringuntur abnegare verè & propriè factam esse Dominicam Incarnationem.

AVTOR. ET verò istud ab eis asseri planè necessarium accidit. Nam quemadmodum ab illis fingitur Christus Homo factus; sic & talis quoque passus fuit: Ideoque rursus, sicut ijsdem intelligitur Euangelium Incarnationis; sic & illud passionis quoque accipi necesse est.

Atqui vox vnà omnium Caluinistarum est in suo Codice, dicto ORTHODOXVS CONSENSVS, pag. 118. & 123. *Christus VERE Incarnatus Nunquam est; sed TROPICE tantum & Figuratè. Necessariò in illo Ioannis, 1.* Verbum Caro factum est; *ad Tropum est confugiendum.*

Ex hisce quidem FAMILIANI Angliæ necessariò inferunt, & euidenter euincunt istud: *Nugæ videntur, quæ de Christo passo & crucifixo in Euangelicis historijs narrantur.* Item: *Historiæ videntur ab hominibus inuentæ & fabulæ.* De Adamitis istis, seu Familianis, siue de Domo amoris; (verè Nicolaitis ac Gnosticis) nos suprà *quæst. 31.* Innocentiam isti arrogabant sibi primogeniam, vitamque protoplastis similem Adæ ac Euæ affectabant se ducere, domi nudos inuicem conuersando, veneremque miscendo promiscuam.

Istorum in Anglia primarii sunt articuli tres. 1. *Christum non esse Saluatorem mundi; Sed merum hominem.*

AVTOR. AT idem docent Gentilistæ, apud Greg. de Valent. *Tom. 1. disp. 2. quæst.* Et Luthero-caluinistæ suprà *quæst. 31.*

2. Dogma. *Hominem peccatorem, à Deo alienatum, eius gratiæ restitui, solâ ipsius misericordiâ, Absque Medio Passionis Christi.*

3. *De Passione, quæ in Euangelio narrantur, esse fabulas & nugas. &c.* Lege Stoum in Elizabetha.

AVTOR. AT 1. Præfatio libri contrà FAMILIAM AMORIS acerbè cõqueritur multos Anglicanos Ministros, jam rejectos imbibisse articulos. Quin ipsam Reginæ aulam hac infectam tabe languere.

2. Neque Anglicanos solum; sed cõsule Theod. Bezam *lib. de hæreticis à ciuili Magistratu puniendis:* ac reperies, cum Familianis ferè consentire & conscisceere CALVINISTAS ACADEMICOS; quorum facilè princeps est Castallio.

LIBERTINI quoque ab iisdem proximè absunt; certe parum dissentiunt. Nam, re-

ſte Caluino in Inſtruct. aduerſus Libertinos: *Hi totam Chriſti paſſi, mortui, Crucifixi hiſtoriam Tropicè explicant: vt nil ſit aliud, Eſſe mortuum Chriſtum, quam peccati in nobis mortem ſignificaſſe: Crucifixum eſſe aliud nil, quàm veteris hominis repræſentaſſe crucifixionem.* Commemorat ibidem inter cætera; Valencenis in Belgio à Papiſtis Libertinorum aliquos extremo ſupplicio affectos, quod negarent, in cruce mortem Dominum obijſſe.

AVTOR. 1. AT verò ecquibus edocti Magiſtris ita Libertini philoſophabantur? Luthero, inquam, & Caluino, ceu ſuprà liquet. Enimuerò ſi Lutheranis nonnullis fas, præſertim Vbiquitariis, Domini in cœlos aſcenſionem Figuratè interpretari: Si Caluiniſtis licet metaphoricè exponere Chriſti ad inferos deſcenſum; cùm in eâdē hiſtoriâ (vt benè Ioſias Simlerus in vita Bullingeri aduertit) deſcribatur Paſſio: quid obſtat, quò minus & ipſam illam Libertini Tropicè accipere poſſint? Verùm apage cum Tropiſtis his.

2. Neceſſitas, Veritaſque paſſionis Dominicæ, item & Incarnationis veræ; tum cordatè creditur; tum luculente docetur. Nam qui, qualis natus; is talis & paſſus eſt: Atqui Verus Homo natus eſt cum verò corpore. Vnde S. Aug. lib. 83. qq. q. 14. tom. 4. *Si phantaſma fuit Corpus Chriſti; fefellit Chriſtus: & ſi fallit, Veritas non eſt.* Et ſic omnia ab Euangeliſtis enarrata Chriſtus fictè peregiſſet: ſicut Raphaël Angelus apud Tobiam.

Atqui hunc in errorem cum aliquando verſi eſſent Diſcipuli, Luc. vlt. *putantes ſe ſpiritum videre*; Dominus eos ad experientiam ſumendam inuitauit: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Cui autem conueniens fuerit, non perſonā, ſed naturam hominis; non Hominem, ſed Naturam humanam ſeu Humanitatem ab Chriſto aſſumi, repete ex *S. Tho. 3. quæſt. 4.*

Quocirca perinde fuit neceſſarium pati Chriſtum verè eodem in Corpore vero, quicum natus erat: Idque, ait *D. Tho. 3. q. 46. a. 1.* non vlla neceſſitate coactionis naturalis; Non definitione diuinæ, vt patereretur; Non ipſiuſmet Chriſti; quippe voluntariè paſſi: ſed ob neceſſitatem triplicem aliam: 1. Noſtram; qui aliter liberari nequibamus. Ideo Ioan. 3. *Oportet exaltari filium Hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat.* 2 Ob ſuam meriti: aliter enim meteri gloriam exaltationis non potuit, niſi per humanitatis paſſionem: Luc. vlt. *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam?* 3. Ob impletionem prophetiarum: Luc. vlt. *Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & Prophetis & Pſalmis de me. Quoniam ſic ſcriptum eſt, & SIC oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis.*

Aug. lib. 13. Trin. c. 16. *Hunc modum aſſerimus diuinæ congruum Dignitati: Verùm oſtendamus, non alium poſſibilem Deo defuiſſe, cuius poteſtati æqualiter cuncta ſubiacent.* Ibid. c. 13. *Sanandæ autem noſtræ miſeriæ conuenientior modus alius non fuit, quàm per Chriſti paſſionem.*

3. Euthychianiſmum eſſe ſacrum & inteſtabilem, dicere: Chriſti carnem nō in veram eſſe carnem verſam; ſed in apparentem: ac proinde Chriſtum ſimulaſſe, ſe vt hominem naſci, pati, mori. Vide in mea *Genealogia quæſt. 10.* Nimirum

rum eodem prædictus reuoluitur Luthero-caluinismus hic. Contra quem Vide *Bellarm. lib. 3. de Christo. c. 3. sub finem ferè.* Et suprà *quæst. 35. 34.* & in mea *Genealog. q. 15.*

QVÆSTIO LII.

An Christus in Anima etiam tota sit passus?

TRIA in homine esse distincta voluit Autor naturæ DEVS: Partem vnam animæ superiorem Rationalem; At alteram inferiorem Appetitū sensitiuū: Et Corporis Sensus exteriores. Docuimus autem *suprà quæst. 33.* ex *D. Tho. 3. quæst. 14. & 15.* sic in animæ parte Sensitiua passum fuisse Christum, vt ad Rationalem tamen dolor nil vnquam adspiratit: vtpote in beatifica visione irretorto intuitu defixam, atque beatam. Hæc Fides. Perfidia quid hæretica?

I. LVTHERANA quidem expressè, quod sciā, nihil: Nisi quòd veritatem assumtæ Humanitatis abnegate sit visa; vt *quæst 41.* reddidimus. Ex quo euidenter consequitur: 1. Christus (iuxta Luthero-caluinistas) putatitium Corpus humanum assumsit; Ergo & Animam similiter non veram. Nam assignari nequit ratio sufficiens, cur ad Corpus non verum verā adsciuisset Animam. 2. Humanitatem totam assumsit, juxta eosdem, non veram: patet ex ipsis suprà: ergo nec alteram quoque partem compositi veram, sc. Animam. Iam porrò: Sicut neutrum partium assumsisse Veram fingitur, ita & in neutra verè passum fuisse dici oportet; at in Corpore nec vero, nec verè perpessum esse IESVM volunt Luthero-caluinistæ: ergo pariter nec in Anima quicquam persensisse passionis dicendus est ab iisdem: Essequedebet ipsis istius Articuli Symbolici: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus*: isthic sensus: *Visus est pati, crucifigi, mori, sepeliri.*

II. Rursus è contrà: 1. Animam Christi totam verè passam sentire videntur. Quia dicunt, *Animam descendere ad inferos*, esse *prorsus emori, interire, & extingui totam*: ergo & totam potuisse Pati, cogentur asserere. 2. Asserunt, vt suprà *quæst. 16.* ipsam Christi Diuinitatem fuisse passibilem atque mortalem, verèque passam ac mortuam: Quanto magis Animam cum corpore passam extinctamque confiteri debent? Id quod vtrumque auris audire, animusque refugit cogitare. Sic de Luthero-caluinistis ratiocinor.

DE CALVINISTIS vnus ad instar sit omnium CALVINVS, *Instit. lib. 2. c. 16. §. 10.* Non tantum corpore mortem Christus pertulit: *Nec enim erat actum quicquam, si corpore à tantum morte defunctus fuisset: maius aliquid et excellentius in pretium redemtionis datum oportuit.*

Ecquid illud tandem? Idem Harmonia in Matth. c. 27. ANIMAM *quoque oportuit reamad Dei tribunal sisti.* At quem in finem & euentum? Idem Inst. lib. 2. cap. 16. & 10. *Diuinæ vltionis seueritatem sentire debuit; cum inferorum copiis, & aeterna Mortis horrore, quasi consertis manibus luctari; & sic scelus nostrum suppliciumque dependere.* Ibid. §. 12. *Hoc nisi ita fit; pudenda mollities Christi fuisset; & magis meticulosus extitisset, quam plerique gregarij homines. Quid clarius?*

DAVID PAREVS, postremus Caluino-Heidelbergensis Papa, in Explic. Catech. q. 37. *Præcipua pars dolorum fuerunt Cruciatus Animæ, in qua sensit iram Dei.* Verum, *Passus est extremos cruciatus Animæ & corporis. 1. Carentiam, seu priuationem Summæ Felicitatis, lætitiæ, & Omnium Bonorum, quibus frui debuit. &c. 7. Grauissimos Animæ cruciatus.* Subijcit: Martyres alios fuisse fortiores: *quia non senserunt Deum percutientem & iratum; sed reconciliatum; nec, sicut Christus, horrores mortis & INFERNI experti sunt. Hinc majori constantia, & animi præsentia fuit Laurentius, quam Christus in suo lytro.* Infrà *Christus corpore & Anima sentit* TOTALEM *Dei iram.*

GVILIEL. PERKINSVS Theologus Anglus in explic. Symboli, voce *Mortuus* sic verbotim. *Christi mors maledicta fuit, & propterea appellata mors crucis; ac comprehendit in se primam & secundam mortem. Prima est, separatio corporis & animæ ab inuicem: secunda, est separatio corporis & Animæ à Deo. Vtraque fuit in Christo, cùm vnà cum morte sentiret*

tiret etiam in anima sua iram Dei, quà digni erant homines propter peccatum Hac ad illos eum commouebat eiulatus; Deus mi, quare me dereliquisti? Mox distinguit: Alios velle quòd mortem Christus subierit primam solum: Alios quoque secundam: At hos nimium, illos minimum dicere: se tenere medium; sc. passum horrores extremos secundæ mortis; non tamen separationem à Deo.

COMMVNIS omnium CALVINISTARVM tenet, Christum Animâ totâ passum esse damnatorum horrores tartareos. Infrà *q. 64. 51. 52. &c. 63.* & Scharpius in Cursu theologico dist. 21. Geneuæ impresso.

AVTOR. An verò potuit quicquam dici in Christi mortem blasphemium magis? Ait alicubi & confingit Antipapista Caluinus: lib. de necess. reform. Ecclesiæ: *Obrutum fuit Redemtionis beneficium in Papatu, & incognitum*: Sanè, inquam, omninò verum est hoc; sed quodam in sensu. Fateor, nesciuit (atque vtinam nesciret etiamnum!) ante Caluinum mundus hosce tales Caluinianos Animæ Christi cruciatus, quibus solis simus redemti.

2. Verùm, vos ego appello Caluini asseclas: tenetis mordicus & peruicaciter vestrum illud Axioma: *Nihil in partem Fidei acceptandum est, nisi in Verbo Scripto fuerit expressè literis consignatum*: dicite agite; eccubi vsquam in sacra pagina vel apex inuenitur, de istiusmodi Animæ Dominicæ discruciatu, aliter, quam nos suprà docuimus *in q. 33?*

2. Deinde, prædicant ac scribunt S. Apostoli, vt 1. Pet. 1. *Redemti estis & liberati per Sanguinem quasi immaculati Agni*: Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis nostris in Sanguine suo.* Et ipsi nos, Apoc. 22. *Lauamus stolas & vestimenta nostra Sanguine ipsius.* Et ea nunc quidem etiam, Apoc. 7. *Dealbauimus in Sanguine Agni.* Hocque amplius; Satanam, Apoc. 12. *Vicimus in Sanguine Agni.* Quocirca etiam, Col. 1. *Christus nos Deo Patri reconciliauit in Corpore Carnis per mortem.* In quibus, aliisque talibus nec γεῦ de morte vel Animæ vel Diuinitatis Dominicæ insinuatur.

3. Huc accedit; Euangelistas paschiographos meras scribere, memorare, testari corporales illusiones, conspurtationes, collaphisationes, mutationes vestimentorum, flagella, spinas, clauos, fel, & acetum: &c. Animæ verò cruciatus illos, quos fingitis, sine quibus nihil actum fuisset, nusquam; nec in marginibus quidem etiam vestræ editionis Bibliorum.

4. Quid multa? Prædixit Christus, quæ erat perpessurus, Luc. 18. *Ecce*, inquit, *ascendimus Ierosolymam, & traditur Filius Hominis gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint eum, occident eum*: Isti vestri Animæ Dominicæ cruciatus, ista damnati & perditi hominis supplicia, vbi hic sunt? Nuspiam comparent; nisi eis, quibus oculi sunt Caluiniani. Consule *D. Tho. 3 q. 46. a. 7. 8.*

QVÆSTIO XLIII.

An Christi quoque Diuinitas passa fuerit?

LVTHERANI suprà *quæst. 16.* talia: *Christus passus & mortuus est secundùm non humanam tantùm, sed Diuinam quoque naturam. Pertinet enim Matris & nomine ad Diuinitatem. Et si sola Humana natura Christi sit passa, Christus ille vilis, nec magni pretij Saluator est; Quin ipse eget Saluatore alio.* Idem Lutherus To. 2 Witt. fol. 188. & in Colloq. mensal. fol. 97. 98. 99. *Non credo quod Omnipotens Diuinitas sit immortalis.* Idem tom. 2. fol. 18. Et Musculus.

2. His adde Pandoram Bergensem, Concordiæ Formulam, *in repetitione art. 9. Simpliciter credimus, Totam*

tam Personam, DEVM & Hominẽ, post sepulturam, ad inferos descendisse. Per Totam Personam verò duas Naturas intelligere seseaffirmat dicens, 3. Christus non in cruce tantum secundum VTRAMQVE NATVRAM; sed post mortem exantlatam, etiam in TOTA PERSONA, hoc est, ait LVTHERVS in Psal 16. tom. 2 Ienensi, anni 1557. pag. 181. Secundum Vtramque Naturam, dolores in inferno, damnatorum loco, vere sustinuit. &c. 3. Similia Schmidelinus in concione habita Augustæ, & impressa Tubingæ anno 1559. Item Æpinus in Psal. 16. Verba eorum recitat Iurgievvicius Canon. Vilnen. in libro Nullus & Nemo. fol. 20.

II. DE CALVINISTIS nimio plus supra q. 16. Addere plura horret animus. Communem tamen omnium opinionem proponit Scharpius in Cursu Theolog. Geneuensi dist. 21. *Materia in qua passa fuit Persona Mediatoris, licet enim passio propriè sit humanæ naturæ; tamen ad λόγον pertinet* Tum quia *humanam naturam sustinebat:* Tum quia *natura humana persona eadem cum λόγῳ* est.

III. AVTOR. Refutare tales quid attinet. Factum id suprà est, cùm ibidem; tum & alibi deinceps. Hic solum istud adiecerim pro auctario, ex *Bzouio nostro annalium anno 260. § 12. ex Tertull. de præscript. c. vlt. Et aduersus Praxeam cap. 1. & Epiphanio hæresi 57.* SABELLIVM Ptolomaidæ in Pentapoli hæresim PRAXEÆ & NOETI Patropassianorum propagasse, Trinitatem negantium & Personarum distinctionem, eaque nomina solùm ad diuersos effectus Diuinitatis significandos composita esse.

Vnde in consequentiam ab eis trahebatur; vt sicut Filius, ita Pater & Spiritus Sanctus ab illis æque dicerentur incarnati & passi. Idem Noëtus Ephesius, contemtor Scripturarum, ex seipso cõmentus est primus; seque Moysen esse jactabat, fratrem Aaronis Eius hæresim consopitam postea resuscitauit Sabellius. Quocirca Luthero-caluinismus prædictus, est rediuiuus Noëtianismus, & Sabellianismus Patropassianorum, sue Theopaschitarum. Horum hæresios occasionem paullò repetemus altius.

Terræmotus, *anno 446.* incomparabilis, qualem nullæ meminerunt historiæ, Orientem, præsertim Constantinopolim, per sex ipsos menses continuus ita concussit, vt in ea sola LVII. turres corruerint, & incolæ cum Patriarcha Proclo, & Imperatore Theodosio, vrbe deserta, in campis habitarent. Hic cùm assiduis precibus, litaniis ac ieiuniis Deo supplicarent; è turba raptum puerum ferri sublimen ex oculis; & mox sensim referri omnes conspicabantur. Redditus is hominibus, Angelos concinuisse *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & Immortalis miserere nobis*; idque se audisse testabatur. Huius inde Trishagij religio sacra solenniſque increbuit per Ecclesiã: vt quod effectus ipse probarit; tanto protinus terræmotu remittente.

Cùm autem vsus canendi Trishagij latè per Ecclesiã manasset, Petrus Gnaffæus *anno 483.* impio illud additamento deprauare ausus adiecit ei; *Qui passus es pro nobis.* Hinc renata serpsit Theopaschitarum hæresis primùm; dein & percrassata vagabatur: dum magnas daret tragœdias. Præsertim *anno 519.* quando Eutychiani Scythiæ monachi Imperatorem peruerterant, ipsumque, sed nequicquam Papam tentabant: vt vniuersalem facerent hæresin hanc: *Vnum de Trinitate passum.*

Cui Ferrandus, Carthagine Diaconus, istis restitit rationibus assignatis: 1. *Ne quadam separatione intercedente, alia esset Trinitas; & Alius, qui vnus esset de Trinitate passus.* 2. *Ne diuina Substantia fieri passibilis videatur.* 3. Ne dicentibus;

Vnus de Trinitate paſſus, inquiſitor acerrimus dicat: *Quis Vnus?* Et reſpondentibus, *Filius*, dicat iterum: *Ergo ſi vnus eſt Filius de Trinitate*, vel, *Vnus eſt Trinitatis; filiorum eſt Trinitas*, aut, *Trinitatis eſt Filius*. Reſpondentibus, *Deus*, dicat: *Quomodo eſt quiſpiam Vnus Deus de Trinitate; cum non ſit Vnus Deus, niſi Trinitas?* 4. Quia in Conc. Chalced. dictum: *Triſhagion ita corruptum dicitur eſſe quaſi panis veneno imbutus.*

Sic confutati ſunt & confuſi Theopaſchitæ: contra quos vide *D. Tho. 3. q. 46, art. 12.* Ad quorum gregem ſcabioſum noſtrates quoque Luthero-caluiniſtæ ſunt aggregandi, in priſcis illis condemnatiſſimi. Porrò alia Nouatorum carcinomata tangamus; ſed manu molliore.

QVÆSTIO LIV.

Num qui defectus Animæ Dominicæ in Paſſione Chriſti interuenerint?

HVc repete, Lector, ſuperiora Zytimata: vt, 14. An Deus in Chriſto fuerit Omnipotens? 15. An juſtus? 17. Bonus, an peccator? 28. An Chriſtus ignorax fuerit? 30. An ab anima defectuoſus? 31. An verè Deus? 32. An in quibuſdam culpabiliter defectuoſus? Quibus rite memori cum animo repetitis, opportunè adieceris huc ſubiecta; planiuſque ſacrilegam impietatem perſpexeris Caluinianam: cum hac enim ſola penè, potiſſimum certè, hac in re & cauſa Chriſti paſſi, negotium nobis intercedit. Serpentinum igitur caput ſi retexero conditum; hoc ipſo mecum cenſebitis refutatum, atque contritum.

Ad duo autem potiſſimum capita Caluinianas de Chriſto Patiente blaſphemias reuocabo: ad Defectus animi, & Peccata Animæ Chriſti.

De Defectibvs animi in Chriſto Patiente. Calvinvs in Ioann. 12. *Chriſtus animi mollitie mortem, quam cæleſtis ei decreti impoſuerat neceſſitas, refugit.* Idem in Matth. c. 26. v. 39. *Æternum Patris conſilium reſcindi poſtulauit: quantum in ſe fuit, Mediatoris ſui iniuncto diuinitus munere defungi renuit & detrectauit.*

2. Et in his omnibus non contentus, ad prauas mentis cogitationes in vocem, voſque abruptum concepta animi eliſit. Nam *Ego*, ait ibid. *abruptum hoc fuiſſe votum fateor, non querimoniam.* Et infrà: *Metu perculſus, & anxietate conſtrictus fuit, vt neceſſe foret, inter violentos tentationum fluctus alternis vicis quaſi vacillare. Hæc ratio eſt, cur mortem deprecatus, mox ſibi Frenum injiciat, Patriique imperio ſubjiciens, votum illud ſubito elapſum Caſtiget a Reuocet. Non fuit igitur Chriſti hæc meditata oratio; ſed vis & impetus doloris ſubitam ei vocem extorſit; cui ſtatim addita fuit correctio: Eadem vehementia præſentem cæleſtis Decreti Memoriam illi abſtulit.* Ibidem: *In primo voto apparet placida illa moderatio, quam dixi: quia Mediatoris officio defungi renuit.* Ita ille Archilogus de Chriſto.

Hanc verò finitam quæſtionem vt lectori probabilem efficiat; ad infinitam cenſuit transferendam. Sic igitur Calvinvs idem Inſtit. lib. 2. c. 8. §. 58. & 59. *Sunt enim vel primi Motus*, (vt nihil de dictis factiſque dicamus) *directè vltimi mandati prauaricationes. Transgreſſores conſtituimur Legis, quibus ſemper incumbit Dei maledictio, ſimulac deſiderium nos aliquod pupugit.* 2. Pet. Martyr in Rom. c. 7. Comment. eidem ſuffragatur alacriter.

3. Bvcervs in Colloq. Ratisbon. pag. 622. ait: *Mortis judicio ne leuiſſimæ quidem cupiditates eximuntur: Æterna à lege condemnamur.*

namur, si vel ad contrarium afficimur; aut eius leuissima cupiditate titillamur.

4. BEZA in 1. Ioan. c. 5. v. 16. suum & ipse calculum adiicit libenter. *Minimi mali qualucunque cogitatio millies æternam mortem promeretur.* Subsume: Quantum igitur Christi hic peccatum?

5. Postquam verò CALVINVS *in Matth. c. 26. v. 39.* abruptum Christi votum affirmasset; moxibid m docet, fidelium preces non semper æquabile temperamentum seruare; sed implicitas atque perplexas secum aliquando confligere.

AVTOR. Verumenimuerò ista, *inconsiderata Desideria, ab upta vota, Vacillationes, Alternationes, subita, immeditatæ orationes, doloris impetus. &c.* ista inquā, dignitate Christi prorsum indignissima sunt, caduntque in peccatores solos, originali veterno deprauatos de quibus nos *suprà quæst. 33.*

I. Age, nonne Isa. 51. *passus est, quia voluit?* Qui igitur liberè mortem adiit, liberè mortis horrorem oculis obuersari voluit; Idem liberè quoque ac meditatè dixit: *Pater mi, si poss. est, transf. &c.* Hocque dicendo minimè celauit naturalia pathemata Sensitiui Appetitus, sensuumque exteriorum; interim ab ijs immuni stante Ratione, atque beata.

II. Ergo voluntate prius Naturali abhorrebat naturaliter à morte, vt Verus Homo: *si possibile transeat*: At voluntate Deliberata eam libens subibat: *Non sicut ego* naturaliter *volo, sed sicut tu vis*, & ego tecum iuxtà deliberatè. Ita Christus liberè tristabatur, naturaliter quidē horrescendo, at deliberatè adeundo. Sic quemque pium decet; docetque S. August. lib 10 Confess. c. 23. *Iubes nos, Domine, ea tolerare; non jubes amare. Nemo, quod tolerat, amat: Etsi Tolerare amat.* Sic, sic duas inter voluntates illas Domino placuit fluctuare, vt vero homini ac passibili; sic Mediatoris officio defūgi; *naturaliter*, supersedendo; *deliberatè*, exequendo.

III. CALVINVS ipse hanc persensit doctrinam nostram, planeque confitetur: *Cùm dictum fuerit, rectè compositos fuisse omnes Christi Affectus*, (sic enim ad Matth. c. 6 dixerat) *Christus communem nobiscum habuit Sensum; non autem Appetitus incompositos.* Idem in Matt. c 26. v. 37. *Christum mansisse*, ait, *compositum ad veram temperantiæ regulam. Quo* igitur *modo nunc seipsum corrigit?* Respondet: *Sic affectum suum subigit in obsequium Dei, quasi modum excesserit. Certè in primo voto non apparet placida illa moderatio. &c.* Et tantò grauius Dominum accusat. Nec Apostata Iulianus tantum ausus in Christum fuit.

IV. QVÆRO: Si quæ insit Christo inconsideratio; quî vera isthæc talia? *Cibus meus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me. Ego non veni, vt faciam vol. meā; sed. &c. Ego sum Pastor bonus. B. P. animā suam p p. o. s. Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam. Ego, quæ coram illo placita sunt, facio semper.* Hæc non sunt detrectantis officium Mediatoris.

RESPONDEO, ait Caluinus ibidem. *In eo nihil fuisse vitij, quòd obiecto mortis terrore, simul oblata est caligo, vt aliis omnibus omissis ad votum illud profiliret.*

AVTOR. AT adeò nihil hic excusat Dominum, vt etiam infanda duo affingat eidem: *Timerem mortis, & Caliginem.* Nihil improuisum Christo, nouum ac repentinum nihil, præcognita omnia, præter experientialem notitiā.

Quò

Quò deteſtabilior illa vox Caluini eſt: *Vehementia doctoris præſentem cœleſtis decreti memoriam illi abſtulit; vt non reputaret in ipſo momento ſe hac lege miſſum eſſe humani generis Redemtorem.*

V. Pugnantia loquitur Caluinus, Deo memoriam ipſi auferente. Nam in Matt. 26. obiectum mortis timorē abſtuliſſe mentem Chriſto loquitur ac memoriam officij: At in *Luc. c. 22. v. 42.* acerrimè contendit; Chriſtum intēſiſſimè de metu & horrore diuinæ maledictionis cogitaſſe, ac deprecatum fuiſſe.

VI. Deſperat cauſam Caluinus denique ipſe dicens in Matt. c. 26.

Neque hic ſubtiliter diſputare neceſſe eſt, An illi obrepere potuerit ſalutis noſtræ obliuio. Quia hoc vnum ſufficere nobis debet; cum in mortis deprecationem erumperet, de aliis non cogitaſſe, quæ viam clauſiſſent, ſcilic. deprecationi mortis. Ergo obrepſit obliuio.

Ideo ſibi obiicit ipſe, quæſito ſcil. effugio: *Si quis excipiat; Primum motum, (quem frenari, antequā longius excurreret, oportuit) non fuiſſe temperatum, vt decebat. Reſpondeo*, inquit, *non poſſe in hac naturæ noſtræ corruptione perſpici Affectuum feruorem cum temperie, qualis in Chriſto fuit. Sed hunc dandum eſſe honorem Filio Dei; nec eum æſtimemus in nobis.*

Avtor. At tecum ipſe pugnas, Caluine. Negas, intelligi *Perſpicique poſſe affectuum feruorem cum temperie:* Quomodo igitur affirmas, quod non intelligis ipſe? Ecquî culpas Chriſtum in eo, quod non perſpicis? Quomodo ſententiam hanc Euangeliſtæ exponis; quam perſpicere nequis? Cœcus, duxque cœcorum es: vt verſus in ſenſum reprobum re reprobus.

Manet itaque, Iesvm 1. *Necinconſideratum prorupiſſe votum* (ſic enim Sapiens non fuiſſet.) 2. *Nec correctione dignum aliquid dixiſſe:* (ſic enim peccaſſet.) 3. *Nec preces non meditatas obtuliſſe Deo:* (ſic enim temerarius foret.) 4. *Nec vocem vi doloris extortam profudiſſe:* (ſic enim appetitui ſuo dominari nequiuiſſet.) 5. *Nec placida vnquam moderatione caruiſſe:* (ſic enim paſſionibus vitioſis, quæ rationem anteuertunt, obnoxius egiſſet.) Hactenus de impoſita Chriſto obliuione ſui ac inconſiderantia: (de Ignorantiâ ſuprà.) Porrò de Peccatis eidem affictis diſquirendū eſt.

QVÆSTIO XLV.

An Chriſtus Paſſurus de ſalute ſua Dubitarit, vel ſibi Timuerit?

Calvinistæ, in horto dubitaſſe; in cruce Dominum deſperaſſe, blaſphemant. Ideo

Calvinvs in Galat. c. 3. ita ſcepticè: *Chriſtus verè reus Maledictionis æternæ peccatus fuit.* Idem in 1. Cor. c. 5. *Quomodo ſummus iuſti coram Deo? Certè, vt Chriſtus* Peccator *Iuſtus fuit.*

Avtor. Ita vniuerſim iſte Rhadamantus. At ordine nos; ac primum de hortenſi Peccato? dein, de Cruciario, quæſt 46.

De hortensi delicto Domini. *Cœpit pauere, & tædere, & mœſtus eſſe.* Quia locus hic Arianis fauere, Chriſtique derogare Diuinitati videbatur, ſimul & Charitati, pro nobis liberandis patiendi mortem, qualem plures adiere intrepidè martyres: Idcirco eum SS Patres diligenter expoſuerunt; tametſi aliter alij variè diuinando.

At Calvinvs, eiuſque ſequaces, locum hunc; non de mortis tempori is horrore; ſed de æternæ horrore ſupplicioque nil exhor.

exhorruit interpretari: Ipsius huc verba reddamus noua hominis noui, seu portenti: certe nulli retrò hæresiarcharum vsurpata.

1. *Vnde*, inquit, in Mat. c. 26. v. 37. *Christo mœror, & anxietas & formido; nisi quia in morte tristius aliquid & magis horribile concepit, quã separationem animæ & corporis?* Pauloque post: *Non mortem horruit simpliciter, quatenus transitus est è mundo; sed quia Formidabile* DEI TRIBVNAL *illi erat ante oculos. Quare nihil mirum, si horribilis exitij abyssus, metu & anxietate duriter eum cruciauit.* Rursum ad illa ibidem v. 38. Tristis est anima. &c. *Animum Filij Dei mors per se non cruciasset; nisi eum* DEI IVDICIO *sensisset sibi esse negotium.*

2. Deinde ad hæc: Pater si vis. &c. QVÆRITVR: *Quid orando Christus fecerit? Apostolus ad Hebr. 5. dicit, exauditum fuisse à suo metu,* (sic enim legi vult; non *pro Reuerentia sua.*) *Id porro non quadraret, si mortem simpliciter timuisset Christus: Quia ab ea liberatus non fuit. Vnde sequitur, Grauioris mali timore ad deprecandum mortem fuisse adactum. Nempe cum* IRAM DEI *sibi propositam videret, quatenus ad eius Tribunal, totius mundi peccatis oneratus se sistebat; necesse illi fuit Profundã Mortis Abyssum exhorrescere.*

3. Mox diri huius *horroris certum argumentum*, ait, *Sudorem Christi sanguineum fuisse. Si cui enim mortis timore hoc contingat, pusillo ac muliebri eum animo esse dicemus.* Hæc ibi, & in Luc. 22. v. 42. Luculentius verò blasphemiam hanc, *in Instit. lib. 2. cap. 16. §. 10. &c.* explanat, vt quod Christi horror in horto fuerit descensus eius ad inferos exordium. Tunc enim ait, *cum inferorũ copijs, & æterna Mortis horrore consertis manibus luctatus, diros in Anima cruciatus Damnati ac perditi hominis pertulit: tunc pœnas omnes, à damnatis expetendas in Anima persoluit: Hoc vno excepto; Quòd non poterat in illis detineri.*

4. Tunc Christus *orauit, non vt immunis esset à morte; sed ne absorberetur, vt Peccator: Quia formidabilem illam abyssum sentiebat, se à* DEO *derelictum & alienatum esse: Omnia Irati Dei signa expertus est; Maledictionem & Iram Dei timuit. In quo timore diros & horribiles cruciatus perpessus fuit, videns* SE AD TRIBVNAL DEI REVM STARE, *nostrà causâ. &c. Hoc nisi ita sit, Pudenda mollities Christi fuisset; & magis meticulosus extitisset, quam plerique gregarij homines.* ibidem §. 12.

II. Cæterum NON hic per omnia CONVENIT inter se CALVINISTIS. 1. CALVINVS enim & BEZA pœnas has pertulisse Christum existimant Ante mortem, cum in cruce clamauit: *Deus meus, Deus. &c.* 2. Alii apud Fulconem, in defensione Trãslationis Bibliorum, & Latimerus Anglus, etiam post mortem aiunt, eas ipsum in inferno expendisse. Quo de nos inferius disceptabimus.

III. LVTHERANI in vtroque consentiunt. 1. CONCORDIÆ FORMVLA, (Pandora Bergensis illa, an Lupa?) in Repetitione art. 9. sic loquitur: *Simpliciter Credimus* TOTAM PERSONAM, *Deum & Hominem post sepulturam ad inferos descendisse.* Per totam autem Personam duas se Naturas intelligere asserit.

2. LVTHERVS in Psal. 16. Tom. 2. Ienensis, anno 1557. pag. 181. *Secundùm vtramque Naturam dolores in inferno, damnatorum loco, verè sustinuit: Ignem infernalem expertus est: Gehenna gustauit flammas: Damnatorum pœnas pertulit.* Hæc est variata & copiosè loquens phrasiologia partim *Lutheri*, partim *Schmidelini* in concione habita Augustæ, impressa Tubingæ, anno 1559. partim Æpini in Psal. 16. Sic & Melanchthon in Locis Commun. c. de Filio: Brentius Comment. in Act. cap. 2. & in lib. de Christi Maiestate, parte 2. &c. Communis igitur blasphemia hæc est Luthero-caluinistis censenda.

AVTOR. Permiscean illi hortẽsem horrorem horrori cruciario; ego non illud egerim. Audiuimus de hortensi

tensi; hunc quoque in præsens discutiamus: de Horrore in cruce singulatim inferius. Tria autem conspicor explicanda: 1. Quid Christus timuerit, ac deprecatus fuerit? 2. Quomodo? 3. Quare? I. OB MORTEM TEMPORALEM solam instantem Christus fuit mœstus, Patrem orauit, agonizauit. 1. De Mœrore: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, id est, adeò, vt à morte parum absit temporaria illa, de qua prius dixerat: *Væ homini illi, per quem tradetur*, scilicet ad mortem.

2. Quid deprecatus fuerit, liquet: *Transfer à me calicem istum*: de quo scilic. Petro dixit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Non intellexit in Calice Iram & Maledictionē Dei; Quia tunc ista, *Non mea voluntas fiat, sed tua*, significarent, voluntatem Patris fuisse, & ei se Christum conformasse, vt Iram Dei incurreret, eâque ceu peccator absorberetur, vt gehennam pateretur. Deus autem non vult mortem peccatoris. &c.

II. QVOMODO Christus mortem deprecatus est?

1. *Voluntate Naturali*, inquam; non Deliberatâ: qua de nos in quæstione pręcedenti. Affectus enim habuit Christus humanos ac naturales; sed non, vti nos, inuoluntarios, aut rationem præuertētes: liberè eos in se suscepit, quantum, quando, quoties voluit: teste *Aug. tract. 49. in Ioan. & lib. 14. Ciuit. Dei cap. 9. Gregor. Moral. lib. 3. c. 13. Hieron. in Matth. c. 26.* Sic Ioan. 11. *Infremuit spiritu, & turbauit se ipsum.* Sic, quia voluit, *cœpit contristari & Mœstus esse.*

2. *Voluntate Deliberata*, quæ pœnas ac mortem cum Circumstantiis, (sc. opere obedientiæ, redemtione mundi, merito, &c.) attendit; eas prorsus alacriter optauit, acceptauit &c. Vide suprà.

III. CVR MORTEM exhorruit Iesus? Corn. Iansenius affert CAVSAS quatuor. 1. Passionis generalitas; quia in omnibus, in quibus, pati homo potest, est passus. 2. Passionis qualitas, quæ est Crucifixio. 3. Complexionis nobilitas; cui dolores erant sensibiliores. 4 Doloris puritas, omni eū cōsolatione destituit. Adde: Futurorum præsciētia, & Patientis Dignitas. Vnde Heb. 12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem.* Item persecutorum ingratitudo: Ioa. 10. *Multa bona opera operatus sum inter vos; propter quod eorum vultis me interficere?*

Timor autem maledictus ille Caluinianus, in Christum nequaquam cadebat; iuxta Psal 15. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: à dexteris est mihi, ne commouear.* Non igitur de salute sua timuit sibi Christus, minus dubitauit: de quo nunc satis; inferius pluscula. Porrò de desperatione.

QVÆSTIO XLVI.

An salutem suam funditus desperarit IESVS?

LVTHERO-CALVINISTÆ pertinaciter affirmant.

LVTHERVS in Collop. mensal. fol. 102. b. *In agonia sua nesciuit Christus an pater suus cœlestis Deus esset, an diabolus. Hæc tentatio expressit et sudorem sanguineum.* Nicolaus Gallus, apud Andreæ in Fideli Luthero, cap. 4. *Christus non solum sub Pontio, sed etiam sub diabolo & matre eius in inferno pati debuit.*

LVTHERANI quidam, vt Melanchthon in *Locis Commun cap. de Filio*; bis dicit, *Christum luctatum grauissimè cum tentatione de sui abiectione.*

BRENTIVS in Actor. c. 2. ait disertè: *Christum dolores*

lacet inferni passum. Idem lib. de Maiest. Christi, part. 2. nihil ferè docet aliud, quam *Inferos non esse locum aliquem certum; sed Statum damnatorum*. Immò addit; *Ibique esse inferos, vbi sunt impij qui tentantur de aterna sua damnatione*. Sed & in aliis capitibus ijdem Caluinizarunt.

CAVLINVS lib. 2. Instit. cap. 16. § 12. conquetitur quidem: *Hic Nebulones quidã, licet indocti, malitiâ tamen magis, quam insciti impulsi, clamitant Me atrocem facere Christo iniuriam: Quia minimè consentaneum fuerit, Eum de Animæ salute timere. &c.*

AVTOR. Audiamus igitur pronũciata ipsius verbis totidem, & de iniuria, sc. liquebit.

1. Sicille Goliath: in Matth. c. 27. vers. 37.

In morte Christi Desperatione plenum occurrit spectaculum. Idem in Ioan. c. 14. vers. 1. *In morte Christi nihil est, quam extrema Desperationis materia.*

2. Adhuc ne quereris de nebulonũ iniuria? An non ipse tibi nequam es Caluine? Ipse dixisti, in epist. ad Gal. c. 3 *Christus verè peccator fuit, qui promeruit æternam maledictionem.*

Nimium hoc, quam horribile; sed blasphemum; sed Caluinisticum.

3. Perge negare Cayn Caluine, trucidator Christi. Tu dixisti, Instit. lib 2. c. 16. §. 10. *Christo diros in Anima cruciatus Damnati & Proditi hominis pertulit.*

Si pertulit pœnam; quæro ob culpã, an per innocentiam? Profectò illud quidem justè, vt vis culpabilem: at si hoc; iniustè.

Perge conqueri, iniuriam irrogari tibi de facta acta iniuria Christo. An non hæc iniuria est atrox, gehennæ addicere Christum? Tu addixisti.

Nam doces impiè, Instit. lib. 3. c. vlt. Et in Psychopannychia: *Nihil aliud esse damnatorum pœnas, quam terrorem & anxietatem cõscientiæ cogitantis, Deum esse iratum sibi ac infestum.*

At de Christo scribis, *Inst. lib. 2. c. 16. §. 11.* eum salutis minimè securum fuisse. *Christus ergo*, ais; *cum lachrymis & clamore valido orãs à Metu Suo exauditur: Non; vt à morte sit immunis; sed vt Non Absorbeatur, vt peccator: Quod illic personam nostram gerebat.*

Ergone, inquam, idcirco Deus cũ Ira Filium suum dereliquit sic, velut alium quemque deserit peccatorem? Ita quidem sentit Caluinus, cum protinus subiungit:

Et certè nulla potest fingi magis formidabilis abyssus, quam sentire te à Deo Derelictum, & Alienatum: Et, cum inuocaueris, non exaudiri. Perinde ac si in tuam perniciem ipse conspiraßet.

Atque hanc talem tribuit cogitationem Christo Caluinus: Et talis est dãnatorum pœna. Fitne igitur adhuc iniuria Caluino, vt qui iniuriam inferre dicatur Christo, tanquam desperato, ac pœnas damnatorum perpesso?

Sed vide serpentis ingenium, vt veris falsa permiscens concludat, ibidẽ; Tria dicit:

1. *Ita cum diaboli potestate*: Verum hoc:
2. *Cum mortis horrore*: Certum & isthoc: 3. *Cum inferorum doloribus*; (Hoc b'asphemũ) *manus conferendo factum est, vt referret de illis victoriam.*

5. Atque ne quisquam ambigat sentire Caluinum ac docere; quod Christus vere statum damnatorum in Orco pertulerit; tale testatur istis Instit lib. 2. c. 16. §. 10. *Diros in Anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit.*

Clara & certa isti ista. Idem in Harm. ad Matth. 27. Deus meus. &c. *Videmus*, ait, *Christum sic ex omni parte vexatum fuisse, vt* DESPERATIONE *obrutus, ab inuocando Deo abstineret; quod erat saluti renunciare.*

Rationem dat alibi: Quia nos ob peccata obnoxii eramus damnationi: at nostram

Christus personam sustinebat: ergo pendere debita nobis omnia debebat: in quibus desperatio. Ita Instit. 2. c. 16. §. 10. *Ex prophetæ retulimus, fuisse propter scelera nostra à Patre percussum. Quibus significat, in locum sceleratorum, Sponsorem, Vadem, adeoque instar rei submissum, quod penderet ac persolueret* OMNES, *quæ ab illis expetendæ erant pœnas. Vno hoc excepto, Quòd doloribus mortis non poterat detineri.* Ibid. §. 11. *Manu Dei percussus,* OMNIA *irati & punientis Dei signa expertus est:* Ergo & Desperationem. In Catechismo paruo quærit: *Quomodo fieri potest, vt Iesus Christus in tali fuerit Damnatione?* Respondet: *Non in ea fuit, vt in ea permaneret.*

BEZA in Matth. 27. *Iesus in inferorum gurgitem immersus eiulat.*

PERKINSVS Anglus Theol. in explic. Symboli: mitigat ista. *Cum dormit homo, tũ non separata est anima à corpore, sed velut mortua quiescit, nec animaduertitur. Sic conquieuit Deitas, nec suas in Humanitate exeruit vires: Atque ita deserta videtur Humanitas:* Deus mi, Deus mi: *Hæ sunt verba Fidei, aut spei in Deo.* Cur me deseruisti? *Videntur fuisse verba diffidentiæ; sed non sunt: gemebat tantum ob magnitudinem supplicij. Ex quo Religionem non in sensu consistere discimus; sed in Fide.* Dissimulat sui Caluini excusationem; statuitque propriam expositionem: quam tamen hodie plerique Caluinistarum tenent fere communem.

AVTOR. 1 Blasphemat Caluinus & Complices sui. 1. Quia Christus non pertulit pœnam Damni, id est, priuationem visionis beatificæ: ergo non OMNES pœnas luit damnatorum. Fuit etiam ante passionem contemplator Essentiæ diuinæ, id est, in statu beatitudinis: at hic est immutabilis: ergo & in passione, & post hanc perstitit in illa. Non ergo desperauit vnquam. 2. Non desperauit in cruce: 1. Quia Voci, *Deus meus,* &c. subiunxit hanc: *Pater, in manus tuas. &c.* 2. Beatitudo est vita æterna, ergo amitti nequit: ecqui desperauit igitur Dominus?

3. Quia post illa, non desperantis, sed Admirantis derelictionem tantam, *Deus meus. &c.* continuò subiungitur Psal. *Longe à salute mea* Beatitudinis, *verba Delictorum meorum,* quæ scil. in me suscepi; ob quæ, vt corpus & anima sensitiua sic & *Verba mea* sunt plena doloris. Vnde 1. Pet. 2. *Peccata nostra ipse portauit in Corpore suo super lignũ:* nõ in Anima Rationali.

4. Quia Lutherani ob hæc talia Caluinianos dirè exagitant: certè permouerunt & Heshusium, apud Schlüsselburgium *Theol. Calu. lib. 1. c. 6.* vt tragicè exclamaret: *Caluinistæ non tantum Deum transformant in diabolum: quod sine horrore vix cogitari potest: Sed Christi Meritum ita etiam eleuant, vt digni sint, qui etiam infra inferos ablegentur.* Horribilis accusatio hæc: quæ multum quoque negotii facessit Bezæ, in Abstersione calumniarum Heshusii. Sed absque successu. Plura vide *infrà q. 48. & 49.*

QVÆSTIO XLVII.

An, qui Salutem amiserat, Fidem quoque perdiderit Iesus?

CALVINVS quidem, vt *suprà quæst. 19.* adnotauimus; tria Christo tribuit quoad Fidem. 1. *Fide,* ait, *vt alius homo fuit praditus.* 2. *Fidem eius rectà Satanas aggressus est:* Sed *Fide retinuit sibi propitium Deum.* 3. *Fidem inconcussam in tentationibus, illæsam in Passione conseruauit.*

AVTOR. Primum est hæreticum; merum indicans Hominem esse Christum: Alterum est falsum: nam *Obediens*

fuit

fuit Patri vsque ad mortem. Tertium hîc qui ait; ipse negat alibi.

Verè hoc quidem; sed non benè. *Verè*, cum Orthodoxis; vt feci liquere suprà *quæst. 29.* Nam Fide Christum vacasse, pro eiusdē Honore Diuino asserimus maiore ac gloria: Quòd ita necesse factu intelligimus.

Non benè autem negat idem Caluinus; quia ad iniuriam Christi negare conuincitur, 1. Nam, si qua Fides infusa inhæsisset Christo, ipsam fuisse eandem planè cum Christiana oportuit; cum vna solum esse vera debeat: Atqui verò de nostra Christiana sic Caluin' in Matt. c. 16. v. 21. ait:

Non reperit Fides nostra in Cruce, quo se sustentet vel erigat: Adeò in ea nulla fuit.

Ergo. 1. Gal. 5. *Euacuatum est scandalum Crucis?* At infidelibus *Iudæis, est scandalum*, 1. Cor. 1. *Gentibus autem, & pereuntibus* Hæreticis, *stultitia est*. Ideò Caluiniana fides nihil in cruce reperit.

2. Ecce contraria, per antitheses huc inducam, syllabatim collectas, & transcriptas ex CALVINISTIS hac super re.

I. BEZA in Confess. fidei Geneuens. c. 4. §. 20. *Vel sola Fidei Scintilla nos de salute securos reddit.* Similiter CALVINVS Inst. lib. 3. c. 2. §. 19. *Cura primum vel Minima fidei Gutta mentibus nostris instillata est; tam faciem placidam certo intuitu incipimus contemplari.* Age, totum illud caput pellege sis, cui licitum ac libitum.

At è contrà CALVINVS; (hic semel pro semper singulos allegabo) in Harm. in Mat. c. 26 & 27. Instit. lib. 2. c. 16. §. 10. 11. 12. Beza in Matth. ibid & in epist. ad Hebr. 5. v. 7. Marlorat. in Psal 22. *Christus ita se sentiebat à Deo esse relictum, quasi in eius conspirasset perniciem: Torquebatur anxietate conscientiæ, acsi infensus ei esset Deus.* Vbi hic fides Christi?

II. Antitheſis.

BEZA; Calu. *Fidei guttam qui habent, de sua salute securi sunt.* At è contrà Calu. Beza, Mar. *Christus metuit, ne absorberetur, vt peccator: ne malis obrutus succumberet: Profundam mortis abyssum exhorruit.* Hic vbi fides Christi?

III. Antitheſis.

CALVINVS, BEZA: *Fidei guttam qui habent, ijs per Sp. Sanctum obsignatur, & reuelatur de Dei beneuolentia certitudo.* At è cōtrà, ijdem, *Christus Dei consiliorum ignorationem adscribere sibi non veretur: & elapsa Desperationis voce id palam testatur.* Hic vbi fides Christi?

IV. Antitheſis.

CALVINVS, BEZA: *Fidei guttam qui habent, confidenter Mortiː & diabolo insultant.* (*Ex fide enim Apostolus deducit audaciam*) At è contrà (iidem) *Christus inopi consilij, horrore diuinæ maledictionis percussus & propè attonitus fuit: in vno Dolore ita occupatus, vt nihil cogitarit aliud; Sic deiectus fuit animo, vt vrgente necessitate coactus fuerit clamare desperabundus*, Deus meus. &c. *Non fictè vtique aut theatricè, sed verè. Desperatione denique obrutus, ab inuocando Deo destitit.* Hic vbi fides Christi?

Et tamen Caluinus clamat: *Christus illæsam in Passione fidem conseruauit.* At è contrà, Christus in omni vita sua ab Fide, vt debuit, vacauit.

QVÆSTIO XLVIII.

An desperando salutem peccârit Iesus?

CALVINISTAS inprimis sua ipsorum scripta & commenta probant esse Antitheitas, Tritheitas, Autotheitas, Mysotheitas, Theomastygas, ac tātum non Atheos. Eos verò dicere ac facere peccatorem Deum & Christum eius, vt proprium ijs, ita & solenne est. Vide sup. *q. 17.*

OBIICIT Caluino Bellarminus, *lib. 4. de Christo c. 8.* vnde transsumsi sequentia. Si Christus emisit verba desperationis; certe videtur grauissimè peccasse. Quomodo autem à peccato per peccatum nos redimere potuit?

RESPONDET Caluinus: Christum emisisse verba desperationis, & timuisse de sua salute, quantum ad sensum carnis; tamen nunquam fuisse destitutum Fide & Spe in Deum: quæ illum erigebat contra tentationem desperationis. Nam etsi dixit: *vt quid dereliquisti me*, quæ sunt Verba desperationis: Tamen etiam dixit: *Deus meus, Deus meus*, quæ sunt verba Fidei, & Spei. Sed verba ecce ipsius Caluini in Matt. c. 27. *Sed* DICES, *absurdum videtur Christo elapsam esse desperationis vocem.* SOLVTIO *facilis est: Quanquam Sensus carnis exitium apprehenderet; fixam tamen stetisse Fidem eius in corde.* Scilicet, vt allatæ docent Antitheses. Et infrà. *Quòd satis clarè patet ex duobus querimoniæ membris. Nam antequam tentationem exprimat, præfatur se ad Deum confugere tanquam Deum suum.* Rursus infrà: *Cum desperatione luctatus est; non tamen victus.*

AVTOR. Sic verbo quidem purgat à peccato Christum; at non re vera. Vnde eum dicere ac facere Iesum peccatorem, sicà Bell. constringitur.

I. Christus verè pertulit statum damnatorum, juxta Caluinum Inst. lib. 2. c. 16. §. 10. *Diros in Anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit.* Et ibidem. *Propheta in locum sceleratorum Sponsorem ac Vadem, adeoq; instar Rei submissum, qui dependeret ac persolueret omnes, quæ ab illis expetenda erant, pœnas: Uno hoc duntaxat excepto, quòd doloribus mortis non poterat detineri.* Idem excipit in Catechismo patuo.

AVTOR. ATcontrà: Pœna damnatorum includit essentialiter desperationem salutis; sicut felicitas, certitudinem salutis nunquam amittendæ. Spes autem cum desperatione consistere nequit: Ergo Christus vel simpliciter desperauit; aut verè non pertulit damnatorum pœnas: ac proinde (iuxa Caluinum) nos non liberauit.

II. Christus emisit verba desperationis Vel deliberata voluntate: Ergo tunc verè desperauit, & peccauit: Vel non deliberatâ: Ergo fuit in Christo passionũ inordinatio præuenientium rationem. AT hoc est contra Caluinum, qui ait, *Inst. l. 2. c. 15. §. 12.* Christi naturam fuisse perfectam, & nullam in eo passionũ inordinationem.

III. Cogitari sat nequit; quomodo eâdem in sententia sit pars prior deliberata Fidei; *Deus meus*: altera indeliberata desperationis, *Quare me derel.* Tamne imperfectus Christus, vt non posset ex fide pauca verba continuare? *Vis*, ait, *doloris extorsit.* Et nunquid non dolebat cum diceret, *Deus meus?* Cur ergo & ista non sunt extorta?

IV. Caluinus in Ps. 22. dicit ista, *Deus meus* esse correctionem horum, *Quare me derel.*

AT quis vnquam audiuit correctionem præponi errori? sequi hunc illa debet. Non igitur verba illa exciderunt indeliberatè; ideoque deliberatè Caluino desperauit Dominus, & peccauit.

V. Christus de salute desperauit Caluino *Inst. l. 2 c. 16 § 12.*

AT eidem, *lib. 3. Instit. c. 3. §. 16.* dubitare de salute sua est peccatum contra virtutem Fidei. Ergo Christus contra fidem peccasset.

DICIT, *Instit. l. 3. c. 2. §. 17.* in Christo non fuisse dubitationem deliberatam; sed à tentatore immissam: Sicut fideles cum fide patiuntur tentationes.

RE-

RESPON. Dicit etiam *ibid* §. 18. Eas dubitationes, licet non extinguant fidē, oriri tamen ex imperfectione fidei, quæ est diffidentiæ morbus. Ergo vel isto laborarit Christus Hactenus euidenter ac fortiter Bellarminus.

QVÆSTIO XLIX.

An suam Caluinistæ de desperatione blasphemiam propugnare nitantur?

CALVINVS haud segniter tela mouetque, jacitque varia: sed ficulnea. Reddam compendio.

I. Isa. 53. *Videmus eum percussum* à Deo: Ego irato.

RESPON. 1. Deus permisit eum percuti; ex charitate; non odio vel ira. Rom. 8. *Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Vt Abraham, *Genes. 22.* quem amabat, Isaacum duxit immolandum. 2. Morte temporali percussum ait S. Hieron & Patres; non æternæ damnationis, vt fingit Caluinus. 3. Figmentum Caluini est, ab irato Deo percussos pati pœnas inferni. Hîc enim *multa flagella peccatorum sunt*: non tamen infernus est.

II. CALVINVS Isa. 53. *Correctio pacis nostræ super eum:* Ego luere debuit, quæ merebantur peccata nostra, scilicet gehennam.

RESPON. Tunc æternùm luere deberet. At sicut Christi pœna temporalis satisfecit pro æterna nostra; sic & corporalis pœna Christi, pro nostra animarū. Itaque corporum simul & animarum Redemtor est.

III. CALVINVS. Aut infirmior fuit multis martyribus, & latronibus Christus, aut non solum timuit corporis mortem, sed & animæ periculum.

RESPON. Timorem hunc S. Patres variè interpretantur; nullus verò ad Christi desperationem, vt Caluinus. 2. Christus timuit voluntariè, non coactus; cæteri hominum inuiti timent: Sique non timeant, fit ob inditam eis vel à Deo consolationem, vel à dæmone obstupefactionem, aut aliter: at Christ⁹, quò *copiosa* esset *redemtio*, nec sensum suū obstupefecit; & Consolationem suspēdit, & mentem volens in tormenta intendit. Vnde Aug. tract. 49. in Ioann. *Non est dubitandum, eum non animi infirmitate; sed potestate turbatum.*

IV. CALVIN. Videtur Christus non potuisse in hæc, *Deus meus. &c.* prorumpere; nisi Deum, vt iratum, apprehendisset.

RESPON. Derelictionis fit mentio, non iræ. Humanitati autem subtraxit se Deus citra culpam Christi: Vnde clamat Homo: QVARE *me. &c.* q. d. causa est, non culpa, in me.

V. CALV. Actor. 2. *Quem suscitauit solutis doloribus inferni. &c.* Ergo.

RESPON. Græcè est ᾅδου, id est, mortis, scil. destructæ; vt esset porrò immortalis. Latinè est rectius *Inferni*. Aug. epist. 99. dupliciter exponit istud, *solutis dol. inferni*: 1. id est, irritis factis: *Quomodo solui possunt laquei venantium, ne teneant; non, quia tenuerunt.* 2. Id est, non quibus ipse, sed alii tenebantur, quos norat liberandos Iesus.

VI. CALV. Heb. 5. *Preces. &c. offerens, exauditus est pro sua reuerentia:* pro quo legit Caluinus, *à suo metu.*

RESP. Græcè est ἀπὸ τῆς εὐλαβείας & significat Reuerentialem metum, id est, pietatem, religionem: Teste ipso Beza negante significare *metum pœnæ*: Sic & Erasmus; Sic ante omnes, SS Patres græci.

AV-

AVTOR. S. Hilarius ita contra Caluinum ait, lib. 10. de Trin. *Lazarum in Abrahæ sinibus latantem, infernum chaos Christus timeret? Hæc stulta atque ridicula sunt. 2. An tibi metuere infernum credendus est, dicens latroni: Hodie mecum eris in paradiso?* 3. *Dominus communionem ei paradisi pollicetur; tu Christum in inferis sub pœnali tortore concludis,* Caluine?

1. Conuociferetur jam Caluino suo Beza in Matt. c. 26. & 27. in Luc. c. 22. *Christus ingenti onere obrutus iræ diuinæ; flammis inferni addictus; profundo inferni sepultus, demersusque perijt.*

2. Conclamet cum Caluino, & Beza, etiam Marloratus in Ps. 22. *Christus inops consilij,* &c. vt suprà reddidimus. *quæst. 43.*

3. Vna in re & causa desperantis, infernaque patientis Christi, duas in factiones se scindant Caluinistæ, de tempore desperationis dissidiosè discrepantes: Nam Caluinus & Beza desperationis seu damnationis gradus sibi fingunt; 1. Cœpisse eam in horto; 2. Ruisse mersam altius in cruce, ad clamorem, *Deus meus. &c.* 3. Ad vltima ablorptam ruisse, quando Christus æternæ mortis reus peragebatur ante tribunal Dei, sustinens irati Numinis judicium omniũ seueriſſimum. Ita *Caluin. Instit. lib. 2. c. 16 § 12.*

Alii, vt Latimerus; &c. apud *Fulconẽ in defensione translationis Bibliorum,* aiunt, etiam post mortem in pœnis infernj desperationẽ durasse ad vsq; resurrectionẽ.

AT hoc, an illud dicant blasphemi, fictum & falsum vtrumque est. Nunquã sese à peccato purgabunt, qui Christum vltimo de peccato arguunt. Quomodo non eum potius in sceleratissimorum hominũ classem coniiciunt? Enimuero talis qui est; desperatissimis pœnis qui addictus est; prorsus inanissimus ab omnibus Sp. S. donis est, destitutus omni fide, Spe, charitate, nudus ab omni virtutis præsidio vel ornamento: E contrà, aduersus diuinam Maiestatem diabolicâ superbiâ plenus; aduersus justitiam, blasphemiâ; aduersus gloriam, invidiâ, & peruicaci in his omnibus obstinatione: hoc est; nihil diabolo melius. Adeò, vt Heshusius scribit, *Caluinistæ diabolum transformant CHRISTVM.*

LVTHERANI verò consentiunt Caluinistis; vtpotè docui ex Concordiæ Formula, *in repetit. artic. 9.* Exque Luthero, Schmidlino, Æpino &c.

Hactenus de Passo: cæterum de Mortuo Christo: præsertim, quæst. 62.

QVÆSTIO L.

An, & Quid sit Descensus Christus ad inferos?

CALVINISTÆ quidam articulum hunc Symboli Apostolici permolestè ferunt. BEZA in magna fidei Confessione tàm Gallica, quàm Latina: GALLI Hugonotæ in Confess. anno 1560. HOLLANDI in Confessione Belgica, comprehensâ XXX. articulis; cui SYNODVS Dordracensis anno 1578. omnes Hollandiæ Ministros subscribere præcepit: &c. Hi, inquam', omnes censuerunt ita: *De Descensu ad inferos articulum extra Symboli fines penitus ejicere optimum fuerit.*

Rationes huius tres afferunt. 1. BEZA in Apolog. ad Claudium Sanctens. *Quia per oscitantiam in illud irrepsisse videtur.* 2. Caluinus Instit. lib. 2. c. 16. §. 8. *Olim in Ecclesia non fuit vsitatus.* 3. Carililet Academicus Cantabrigiensis lib. quem de hac quæstione edidit Londini anno 1582. *Quia hæresim pe-*

sti-

sferam continet, quocunque modo explicetur. Vbi fusè id probare conatur.

Richardus Chænius Londini in quodam Anglorum conuenticulo se interfaisse narrauit Edmundo Campiano Martyri; in quo tentarunt Ministri illum de Descensu articulum è Symbolo ejicere, præscribere, penitusque extinguere. Vide in Rationib. Campiani. 8 Sed conatus caruit euentu.

LVTHERVS Tom. 2. Ienen fol. 49 a. Quicquid Isaias. c 11. dicit de gloria sepulcri Christi: non credo *tantiesse Deo sepulcrum Christi, quanti est vacca helueuica.* Proinde, *Non solum secundum animam, sed etiam corpore & anima descendit ad inferos.* Tom. 6. Ienens. fol 78. Sic & liber Concordiæ in repetit. art. Et Gallus in Catechismo. BRENTIVS de Anima negat descendisse; extinctam ait.

AVTOR. Articulorum Fidei Christianæ vnum esse, nec infimum, de Christi ad inferos descensu controuertere, nefastum est; adeò certa S. Scriptura teste, Act. 2. *Non derelinques Animam meã in inferno.* Eph. 4. *Descendit ad inferiores partes terræ.*

De Modo tamen descensus à Theologis disceptatur apud *D. Thom. 3. quæstio 52.*

De Articulo autem Symboli ita accipe: 1. Irenæus, *lib. 1. c. 2.* Origines *initio Periarchõn*, Tertullianus initio *lib. contra Praxeam, & lib. de velandis Virg.* explicantes Symbolum, à sepultura tanseunt ad resurrectionem, omisso Descensu.

2. Deinde Rufinus *in explic. Symb.* legit eam particulam & explicat; Sed monet, non haberi in Symbolo Romano, nec apud Orientales: implicitè tamen contineri: Quia *vt corpus ad locum corporum, ita anima descendit ad locum animarum.*

3. Cyrillus *Catech. 4. & 14.* Chrysostomus *hom. 2. de Symbolo*, eam legunt, & explicant.

4. Hodie recepta vbique est; etiam in Lutheri, Caluini, Brentij. &c. catechismis. Caluinus, vbi supra, hunc articulum in præcipuis ponit; sic & Centuriatores, Martyr. &c.

Quare tametsi S. Aug. Symbolum quinquies exposuerit, libris quatuor ad Catechumenos, nec Descensus meminerit; tamen, ait S. Anshelmus *lib. de proceff. Sp. S.* summo consensu ab Ecclesia recipitur.

II: CALVINISTÆ variè Descensum interpretantur. 1. CALVINVS in Psychop. & Brentius in Catechismo anno 1551. *Descendit ad inferos*, inquit, *id est, absorptus est ab inferno*: hoc est, *Anima prorsus est extincta.* Quod tamen de Christi Anima haud quaquã dictum intellectum ue volunt. 2. CALVINVS Instit. lib. 3. c. 25. §. 12. *Descendit, id est, horrore conscientia iratum sibi Deum co_itantis absorptus fuit.* 3. CALVINVS Inst. lib 2. c. 16. §. 10. 11. 12. *Descendit ad inf. id est, pœnas damnatorum sustinuit:* Sic & Lutherus. 4. ZWINGLIVS in epist. tertia. *Descendit ad &c id est, nec corpore nec anima; Sed effectu solo descendit, vt quòd captivos in tartaro liberarit.* 5. BEZA in Act. 2. & Bucerus in Matth. c. 27. *Descendit. &c. id est, sepultus fuit.* 6. BVCERVS in Ioan. apud Schlüsselburg. in Theol. Caluin. libr. 2. art. 27. & Wittakerus contra Duræum: *Descendit. &c. id est, secundum spiritum recessit in paradisum.*

AVTOR. Nos singula prædicta singulis quæstionibus discutiemus. Interim in tanta Variatione, hæc Caluinistarum sententiarum est summa.

1. Descendisse Christum in ipsum inferni barathrum realiter post passionem. 2. Descendisse in infernum, id est, sepulcrum. 3. Solum cruciatus inferni pertulisse; orcum verò non intrasse. 4. Angustias perpessum in Anima sua, QVALES damnati perpetiuntur partim in hac, partim in altera vita. Hæc Parei; illa Perkinsi opinio est; qui & cæteras refutant.

Primam esse dicunt falsam: Quia de eo nusquam vllus Euangelista. 2. Quia non descendit *Diuinitas* in orcum; erat enim, estq; vbiq;: Non *Corpus*; quia requieuit triduo in sepulcro; vnde & resurrexit: Neque *Anima* Christi descendit: 1. Quia nil de hoc Scriptura: Sed fuit in Paradiso: Iuxta id, *Hodie mecum eris in par.* Ideò ait: *Pater in manus tuas commendo Sp. meum*, Luc. 23. id est, animam: secundùm quam fuit in paradiso, & Non in inferno: *quia* Non vt in eo pateretur: Non vt Patres liberaret: quia hoc fecit patiendo in terra; fecit efficaciâ suæ Diuinitatis ab initio mundi, non locali descensu ad inferos: Et Patres non erant in inferno, cum *Iustorum animæ in manu Dei sint, id est: in sinu Abrahæ.*

Quidam statuunt descensum ad inferos post mortem; non vt pateretur, aut liberaret Patres; sed vt victoriam ostentaret, terrorem incuteret diabolis. Sed hoc nusquã in Scriptura. Et post mortem dicto, *Consummatum est*, anima Christi quieuit in manu Patris, &c. Hæc PAREVS. Demum sententiam quartam statuit suam: SVADET, 1. ex Agonia, ex clamore, *Deus meus. &c.* 2. Ratione: 1. Christus animas & corpora debuit redimere; ergo & corpore & anima pati: 2. Debuit nos ex cruciatibus inferni liberare: ergo eo ipso prius tolerare. 3. Tacerentur ij cruciatus in Symbolo, nisi in hoc de descensu articulo subintelligerentur. &c.

Hæc ferè Theologia est ac sententia Pareana, hoc est, Caluiniana. Refero hæc strictim; omitto multa; refuto nulla: reseruo ad singulas quæstiones singula. SVASIONES reddam, ac diluam *quæst. 52.*

QVÆSTIO LI.

An descendentis ad inferos Christi Anima fuerit Extincta?

LVTHERANI quidam disertè, dicunt, vt BRENTIVS in Catechismo anni 1551. *Descendere ad inferos esse penitus interire.* Idem in Actor. c. 2. Christum facit ita loquentem: *Descendam in infernum: sentiam dolores inferni, & planè Periisse videbor.* Idem tametsi in *Recognitione. pag. 18.* de inferno sciens deliret, & eum *in Catech. anni 1552.* Sepulcrum esse vel *ibidem* tamen *pag. 175.* ita Christi Descensum distinguit cum Vbiquetariis, quorũ ipse princeps est *Christi ad inferos descensus duplex fuit: 1. Cum adhuc corporalem in terris vitam agens, suscepit dolores inferni. Hoc autem præcipuè factum est, cùm in cruce clamauit, Deus meus. &c. Hic enim clamor significat, Christum doloribus inferni obrutum, & flammis eius accensum fuisse. 2. Cùm mortuus depositus est de cruce, & in terram in sepultum, vt* VIDERETVR PRORSVS INTERIISSE: *Hoc autem est Descendere ad inferos, videri prorsus & omnino* EXTINGVI.

CALVINISTÆ iuxtà cum LVTHERANIS sentiunt, vel *ipsam Christi Diuinitatem passa ac mortuam fuisse:* Quantò minus vitæ quicquam relictum Animæ tribuerint? Vide suprà *quæst. 16.*

ANABAPTISTAE sentiunt, *Descendere ad inferos esse interire, extingui:* Et *Christi animã interisse* docent; *Verum postea resuscitatam reuixisse.* Ita apud Bayum lib. 1 Institutionũ religionis. c. 214. At 1. Vtar id Atheismo aperit; pugnat Conciliis, & S. Patribus *Fell. l. 4. de Christo c. 14.* 2. Democritus, teste *Lactantio lib. 7. Diuin. Instit. c. 7.* animas cum corporibus dissolui ac perire asseruit; Quem Plato reuincit de animæ Immortalitate disserens. Anabaptistæ ergo sunt Democratistæ; Eorumque affines Luthero-Caluinistæ.

CALVINVS in sua Psychopannychia, ab Anima Christi mortui semper viuente docet Iustorum quoque animas non dormire, id est, non extingui morte: euidenterque Anabaptistas conuincit, dicentes, dormire animas, id est, extingui. Verum ita argumentatur, vt sentire cernatur, *ab inferno animam absorberi*, esse *animam extingui*. Sic enim ait: *Anima Christi vitam suam nunquam perdidit*; Cur? *Quæ Patri commendata, non poterat non salua esse.* Verum est. *Id voluntista: Non derelinques animam meam in inferno.* Act. 2. *Nam anima eius diuina virtute suffulta est, ne in perditionem rueret.* Ergone quæ non sic suffulta fuerit; perit: vt reprobi anima?

AVTOR. Negat quidem Caluinus sub finem libri, Animas impiorum in-

teri-

terite, vel extingui post solutionē à corporibus: Verum tunc *Aut* non efficaciter conuincit Anabaptistas, dicens, Animam Christi ex eo immortalē fuisse, quòd coniuncta Deo non sit permissa ruere in infernum: *Aut* certè sequitur; Animas impiorum extingui, &, quod ruant in infernum.

2. Deinde, Quia dicit Animā Christi non interisse, quia *diuina virtute suffulta fuit*: Ergo sensit CALVINVS, quod ex Seipsa fuerit extinguibilis; sed inextinguibilis ob Dei virtutem. Cùm autem Dei virtus ea, seu gratia, procul absit ab impiis animabus; necesse fuerit eas extingui, juxta Caluinum.

3. Istud declarant producti ab eo typi. 1. *Præbet argumentum immortalitatis animæ suæ, cùm Ionam triduo immersum in ventre ceti, mortis suæ typum constituit. Venter ille mors est. Animam igitur saluam in morte habuit*: modo scilic. quo Ionas, *virtute diuina suffultam*: Sine hac Ionas perisset, perisset & anima Christi. 2. Item ibidem: *Quid est quòd Isaac non moritur; nisi quia, quod proprium est homini, immortale Christus præstitit, hoc est, Animam? Aries verò, animal irrationale, qui in eius locum ad mortem substituitur, corpus est.* Sicut igitur Isaac erat ex natura morte delebilis, ita Christi anima ex Se, (iuxta Caluinum) dici videtur extinguibilis, nisi diuina virtute suffulta perdurasset.

4. *Non absorberi Animam ab inferno*, sed *suffulciri à Deo*, est Caluino, *Non extingui eandem*: Ergo Absorberi eam, esse debet illi, extingui: Nec enim datur medium. Atqui suprà ex ipso sæpius accepimus, Animam Christi absorptam fuisse: Ergo & extinctam fateri cogitur: quantumcunque id contra Anabaptistas negat. Quare istud? *Descendit ad inferos*, erit Caluino idem quod, *extinctus interijt*.

QVÆSTIO LII.

An Christi Descendisse ad inferos, sit gehennam pertulisse; Sicque nos Redemisse?

LVTHERANI, ex Luthero in Psal. 16. Schmidelino, Æpino, vbi suprà &c. affirmant talia: *Christus verè ad infernum damnatorum secundùm* TOTAM PERSONAM, *post crucis mortem descendit; & ibi peccatorum nostrorum in anima & corpore pœnas luit; ignē infernalem expertus est, & gehennæ flammas degustauit.* MELANCHTHON in Locis Communis cap de Filio, bis dicit, *Christum luctatum grauissimè cum tentatione de Abiectione sui.* BRENTIVS in Act. 2. *Christus inferni perpessum esse dolores* ait. &c.

CALVINISTÆ; nominatim CALVINVS Instit. l. 2. c. 16. §. 8. 9. 10. 11. 12. Et in Catechismo paruo: In Psychopanny: Et in Matth. c. 27. docet, *dici Christum ad inferos descendisse: quia passus est dolores animarum damnatarum. 2. Hosce nil esse, nisi anxietatem conscientiæ co itantis iratum sibi Deum. 3. Christum sibi Deum infensum apprehendisse, tum propter nos, tum ob metum propriæ salutis amittendæ; indeque ineffabilem animi anxietatem perpessum, qualem, qui sciat æternùm sese periturum. 4. Sic in orco versari cœpisse Christum in horto. In cruce clamantem abisse profundius: In morte profundissimè absorptum æternæ mortis reum irato Deo. 5. Huic tali ad inferos Christi descensui totam nostram tribui Redemtionem: vt sine qua Christi mors in cruce nullius pretij extitisset.* Inst. l. 2. c. 16. §. 10. *Nihil actum erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus: Sed operæ simul pretium erat, vt diuinæ vltionis seueritatem sentiret.* Et infrà: *Vnde etiam eum oportuit cum inferorum copijs quasi consertis manibus luctari.* Similia fusius in Matth. 27. Præmissa carptim ex illo perstrinxi: Verbotim liquent suprà.

Summatim ergo, *Christum ad inferos descendisse nihil aliud est, quam, 1. Diuinæ vltionis sensisse seueritatem: 2. In locum sceleratorum submissum fuisse instar rei: 3. Mortem pertulisse, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur: 4. Pertulisse in anima cruciatus hominis damnati. 5. Implicitum fuisse doloribus, quos parit maledictio & ira Dei. 6. Cum inferorum copijs fuisse luctatum. 7. Hæc expositio non sancta modò est & pia*, Caluino; *sed plena etiam eximiæ consolationis*, sic, vt in qua ponat omnem vim redemtionis. Vide infrà *quæstio. 63.*

SVADENT istis, 1. Isa. 53. *Vidimus eum percussum à Deo:* ergo irato. 2. Isa. 53. Correctio pacis *nostræ super eum:* Ergo luere debuit pœnas damnatorum nobis debitas. 3. *Matth. 26.* Mœror, metus, & agonia Christi insolita insolitæ pœnæ sunt indicia; aut Christus martyribus, maleficisque fuisset infirmior. 4. Matth. 27. *Deus meus. &c.* In hæc erupit, quia Deum iratum apprehendit. 5. Act. 2. *Quem Deus suscitauit* SOLVTIS *Doloribus inferni: iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eis.* 6. Heb. 5. *Preces ad eum, qui posset eum saluum facere à morte, & c. offerens, exauditus est.* 7. Sic Hilarius lib. 2. de Trinitate docet.

AVTOR. Duo hîc: Respondebo: & Refutabo.

I. DICO AD I. Percussit eum Pater, id est, occidi permisit non ex ira, sed gratia sui, Christi, nostri. Vt Abraham occisurus filium charissimum. Deinde, ait Hieron. temporali morte, non gehennali percussus est.

AD II. Ergo æternùm pati debuisset, vt damnati. At patientis Christi Dignitas & Charitas dant pretium passioni.

AD III. Nullus Patrum dicit eam tristitiam fuisse de suæ animæ salute. 2. Tristis timuit, quia sic voluit; non coactus; ideò fortior erat cunctis. Hinc *pia est redemtio.*

AD IV. Clamore hoc id indicauit, Deitatem Potuisse fragilem suâ Humanitatem eripuisse; sed Noluisse, ex gratiâ.

AD V. *Solutis doloribus Mortis* legunt græci Patres: nam Christus vicit mortem, eiusque dolores: quin & mortui mortifuit, & infernum confregit, iam glorioſus, non pœnoſus amplius: nam *mortuus est semel* corporaliter: *mors* infernalis *non illi dominabitur.* 2. Latini legunt *inferni* vel *inferorum.* q. d. soluit dolores, ne porrò detineretur in eis. Sic *Iren. Aug. &c.* 3. Item, soluit eos, quod ipse teneri nequisset ab eis. *Aug. epist. 93.*

AD VI. Exauditus est ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, id est, ait Caluinus, *à metu suo.* at Beza contra eum docet εὐλαβείαν significare pietatem, reuerētialem timorem: vrget igitur vocem ἀπὸ, id est, *ex*, non *propter:* q. d. ex reuerentia Dei in Christum liberatus est à metu *damnationis* perennaturæ. At Chryſ. Oecum. Theophy. aiunt, *Exauditus est, quia* MERETVR *exaudiri.* Sic & Eraſmus ibid.

AD VII. At laboramus in defensione S. Hilarij, quod non omnino negarit dolores Christi: & inferni dolores tribuisset Christo?

II. REFVTATIO inauditæ impietatis Caluinianæ jam facta est.

1. Ab Caluinistarum ipsorummet Dissensione apud Perkinsum in explic. Symboli: & apud Schlüsselb. Partim ab Lutheranis. Quin ipsa illa sententia Caluini in ortu suo visa est Bullingero, dictaque *Indignissima blasphemia*: Bellarmino & Orthodoxis, *Noua & inaudita impietas.*

2 Scri-

1. Scripturæ, omnia, quæ pertulit Christus, singulatim referunt sparsim; de inferno perpesso silent: Eædem totam redemtionem nostram tribuunt obedientiæ, charitati, Sanguini & morti Dominicæ: inferni pœnis nihil. Vide in meo *Antichristo q. 12.*

3. Si inde ab agonia hortensi cœpit in orco versari IESVS; ecquî salutis securus ait Caiphæ: *modò videbitis Filiũ hominis venientem in nubibus cœli?* Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo?* Latroni: *Hodie mecum eris in. &c.* Ecquî orat pro crucifixoribus: Animam Patri commendat? Hæc non sunt desperantis; sibi metuentis, aut saluti diffidentis suæ.

4. Quomodo Ecclesia, celebrans memoriam Passionis in cruce, non celebrasset vnquam memoriam passionis infernalis?

5. SS. Patres descensum Christi describunt, non vt damnati, sed vt Victoris glorioſum.

6. Si Christus desperasset; grauissimè peccasset: Ecquî peccato nos à peccatis redemisset?

7. Falsum est Caluini fundamentũ: scilic. *Esse in inferno, aliud non esse, quam iratum timere Deum.* Nam hæresis ea est in Origine damnata; teste, *S. Hier. epist. ad Auitum.* Dein sequeretur, Multos in viuis, esse simul in orco damnatos; id quod statui vitæ huius repugnat.

QVÆSTIO LIII.

An Christi descensu Aerni sit antrum sepulcri?

LVTHERANIS Vbiquitariis esse infernus vbique debet, Aut nusquam, Aut in eum non descendisse Christum.

1. Vbique, Quia vbi descendens erat Christus, ibi erat & infernus; quippe *descendit ad inferos.* Sed Christus erat vbiquistis vbique: ergo & infernus pariter: &c. *Item*; Simul Christus erat in cœlo; ergo cœlum infernus erat: erat & in vẽtre cæti, ac matris, iuxta eosdẽ: &c. Quare qui erat vbique in locis, loca eadem quoq; cum ipso, & omnino in omnibus fuisse videri possunt.

2. Quòd si descendit ad inferos; certè prius apud eos non fuisse necesse est; aut infernum non extitisse vsquam; vt in quo non apparere, existens, vbique Christus potuerit.

3. Denique existenti Vbique, nihil est sursum, deorsum; rursum, prorsum; horsum aut illorsum nihil; sed vnus omnia locus: non igitur eidem esse motus vllus vsquam potest. Et tamen *descendit ad inferos* Lutheranis Christus. Quo pro descensu nobiscum eatenus sentiunt contra Caluinistas. Nisi quod Brentius dicat in Catechesi sua anni 1551 & 1552. *Descendisse Christum ad inferos, tautologia est; & idem significat, quod, Sepultum esse Christum.* Vide suprà quæst. 51. Brentiũ accerrimè impugnat Beza: vt subiecta docent.

CALVINISTÆ, vt BEZA in Actor. c. 2. Bucerus in Matth. c. 27. *Descendit ad inferos*, id est, aiunt, *ad sepulcrum*: eò, quod *Infernus* iis in Scripturis significet *Sepulcrum*: Volũtq; istud, *Sepultus est*, id est, *Descendit ad inferos*, explicari. 2. CALVINVS, *in Psal. 15. & Institit. lib. 2. c. 16. §. 9.* istis pleraque assentitur loc. Scripturæ ita interpretari posse.

2 At diffitetur in Symbolo istud, *Descendit ad inferos*, sepulcrum notare; sed tartarũ. eoque caput dissentit ab istis, licet dextra siniſtraque manibus suis. 3. Inquit ibid.

cum Bucero; *Fabulæ ſunt, loca inferni dicti ſubterranea.* 4. Aſſerit cum Beza, Iuſtorũ animas ante Chriſti aſcenſum in cœlo degiſſe, ſed nec vid. iſſe, nec viſuros Deum ante extremi diem iudicij.

3. Wittakerus ita pronunciat: *Non fuerit inconueniens*, Infernum *interpretari* Sepulcrum, *in quod deſcenderit, id eſt, illatum ſit Chriſti Cadauer.* Sic impio latinè, quàm Chriſtianè, loqui collibuit.

4. Bullingerus ibid. in Act. 2. *Totum hoc de Deſcenſu nihil aliud eſſe videtur, quam eius expoſitio, quod obſcurius erat dictum*: Mortuus & ſepultus eſt. *Cùm enim non ſatis clarum videretur in Symbolo*, Mort. & Sep. eſt: *protinus, ad euidentiorem expoſitionem rei, adiecerunt Apoſtoli*, Deſcendit ad inferna, *hoc eſt, verè mortuus. & ſepultus eſt.*

AVTOR. Vah, profanos Metamorphitas! Iam diu Caluinus imò in tartari barathro deſperatum damnatũque verſauit Chriſtum infandè; nunc in deſcenſum Chriſti ipſe ad ſepulcrum aſcendit ſemper Chriſto in contraria tendens.

I. Verùm, te appello Beza: Quid in mentem venit tibi vocem ἅδης vbique per Scripturam interpretari ſepulcrum? 1. In ſepulcrum igitur tibi an ad infernũ ruit è cœlis tuꝰ ille Lucifer? 2. Quò minæ remittebant Capharnaum? Iſa. 4. *Dixiſti: in cœlum conſcendam, &c. veruntamen vſq; ad infernum detruderis.* Luc. 8. 3. Rogant dæmones, ne mitteret eos IESVS in Abyſſum. 4 Num ſepulturis egebant ſpiritus? Gen. 37. *Deſcendam lugens ad filium meum in infernum?* A fera peſſima deuoratum rebatur Iacob: non ſepulcro conditum ſeu corpus, ſeu animam gnati. 5. Matt. 11. *Et tu Capharnaum vſq; ad cœlum exaltaberis? Vſque ad infernum deſcendes.* Quod vrbis tantæ capax ſepulcrum eſt?

II. Deinde Caluinum audito tuum; cui in Pſychopannychia placet, ἅδης ſub. inde quidem pro ſepulcro capi; at pluriмùm pro damnatorum ſtatu. Qua cauſa Caluinꝰ haud, vt Beza, adeò id acriter vrget contra Scripturam. Increpitus igitur à Caluino, *Inſtit. lib. 2. cap. 16. §. 1.* & conuictus erroris Beza, ſeſe correxit; inque ſequenti librorum ſuorum editione emiſit id expunctum. Expunxit in libro, non in cerebro vel animo.

III. BEZA ſe iugulat ipſum Commẽtar. Act. 2. Non derelinques animam &c. dicens: *in meridie cæcutiunt, qui per infernum non intelligunt ſepulcrum.* Atque idcirco iſtud, Luc. 16. *Et ſepultus eſt in inferno, &c. crucior in hac flamma*: vult exponi oportere figurate: *Quaſi inflammis, ſic crucior in hoc ſepulcro: Proinde Erebus, Orcus Poëtarum ſunt fabellæ.*

ATQVI verò idem libro contra Brẽtium ait, *in meridie cæcutiunt, qui ex hiſtoria Epulonis non deducit locum inferorum damnatorum.* Ibidem defendit Bullingerum, vera inferorum loca eſſe ſubterranea docentem ex *Num. 16.* Ergo contra Brentium vbiquiſtam quod adſtruit; deſtruit idem contra orthodoxos gallus bifaux.

VERE autem ad inferos deſcendiſſe Chriſtum luculentè docet *Bellarm. lib. 4. de Chriſto c. 12 14.*

QVÆSTIO LIV.

An Chriſtus ſola vi & effectu deſcenderit ad inferos?

ZWINGLIVS lib. epp. Epiſt. 2. *Deſcenſus Chriſti ad inferos fortè quaſi potentialiter intelligendus eſt, quòd ſcilic. mors eius etiam eos, qui apud inferos erant, redemerit.* 2. BVLLINGERI in Act. c. 2. illa diatypoſis eſt. *In verbo*, Deſcendendi, *capienda eſt Beza-*

nallagt; & quod de Persona Christi dici videtur; hoc de reipsa, id est, Redemtionis vi intelligatur. Quo modo non aliter ad inferos descendit; quàm ad nos è cœlis quotidie descendit, spiritu nimirum & virtute.

3. CALVINVS Instit. lib. 2. cap. 16. §. 9. *Christi Animam illuc descendere, vt mortuorum animas manumitteret, quid opus fuit?* Ecce negat realem, vt substantialem descensum, adeoque Personalem. *Libenter equidem fateor, Christum ipsis illuxisse* VIRTVTE *sui spiritus; vt gratiam, quam sapè gustauerant duntaxat, mundo tunc fuisse exhibitam agnoscerent.* Et infrà. *Vim mortis inde amplificat Petrus, quod ad mortuos vsque penetrarit; dum Piæ animæ eius visitationis præsenti aspectu sunt potitæ. Contrà, Reprobis clarius patuit, se excludi ab omni salute.* Subditque: *Petrus docere voluit, Communem Vtrisque fuisse mortis Christi Sensum.*

LVTHERANI plerique quo ad talem descensum, tenent contrarium.

AVTOR. Nota hîc Lector, Caluinũ; 1. Fingere descensum Christi per dolores gehennæ toleratos: patet suprà. 2. Negare inferos reales: patebit infrà. 3. Locare eum sanctorum animas in cœlo etiam ante Christi aduentum. 4. Negare, animas sanctorum à Christo beatificatas. 5. Suam de virtuali descensu sententiam vult esse certissimam.

Durandus noster in 3. d. 22 q. 3. eandem suam esse putat probabilem; communẽ minimè reiicit. At cætera omnia Caluino contraria asserit. Isto solum errat; sentiens, non esse creditu necessarium realem Christi descensum secundùm essentiam.

Quem ideò, vt verè Durum, reiicit *Bellarm. l. 4. de Christo c. 15.* neque audiendus est tuendus minus: vti S. Scripturis, Symboli Apostolici articulo, (quem S. Augustinus Apost. Thomæ tribuit) Ecclesiæ Conciliis, Sanctorumque Patrum contrarius Traditioni. Vnde Cõcil. Lateran. ait: *Descendit in Anima; resurrexit in Corpore; ascenditque pariter in vtroque*: Hypostasi tamen nunquam separata siue à Corpore in sepulcro, siue ab Anima in inferno.

Effectu sanè pluribus tunc Christus in locis erat; In cœlo, Angelos lætificando; In terra, compunctionem operando apud pios: Sub terra, illuminando Sanctos in Limbo præsens: In tartaro, damnatos terrificando.

QVÆSTIO LV.

An descendisse ad inferos, sit spiritu recessisse in Paradisum?

CALVINISTÆ hîc scilicet argutantur devoti: Sed deridiculi.

BVCERVS in Ioan. apud Schlüsselburgium in Theol. Caluin. libr. 2. art. 27. Et V. Vittakerus contra Duræum, aiunt: *Inferni nomine Paradisus accipiendus est: vt descendisse Christum ad inferos, sit, Spiritum eius, relicto Corpore, concessisse in Paradisum.*

CAVLINVS huic errori præbuit ansam, aperuitque fenestram: idque duobus: 1. Abnegando Limbum, detentosque in eo Patres aduscque Liberatorem. 2. Asserendo, patres ante Christum Incarnatum in cœlis degisse Cœlites sub Altari; non autem vidisse Deum.

Isthoc se assecutus Caluini sat probauit commentum: ideo tertium excogitarunt, locum paradisi.

Nos de Limbo postea; nunc de Paradisianis deque cœli Subaltaristis. Sed breuissimè, vt quibus alubi locus sit proprius pertractandis, *infrà q. 73.*

I. DE PARADISO. In hunc descendisse Christum quidã Caluinistę fabulantur; sed an, quid, vbinam sit Paradisus, vt pi-

fces

ſces muti ſilent. 1. Voluntne Paradiſum, & quæ in eo, per allegoriam interpretari, cum Philone Iudæo *lib. 1. Allegoriarum*, cum Valentino hæreſiarcha, apud *Irenæum lib. 1. c. 1.* At iam olim damnata fuit hæc hæreſis.

2. Cùm igitur eum eſſe locum terreſtrem omnes conſentiant; Vbinam eũ conſtituunt? In, aut ſub terra? extra, an ſupra eam? In terra? Vt Ioſephus *lib. 1. Antiq. c. 1.* putat orbem totum eſſe Paradiſum. Extra terram? Nimirum in terra ea, quæ Oceanum ambire fingitur à Bar Cepha, *apud S. Ephrem.* Supra terram? Vt *Bedæ* placet eſſe proximum orbi Lunari. An in Meſopotamia? Vbi multi & graues paradiſum ſeruari ſuperſtitem autumant, apud *Bellarm. tom. 4 l. 1 de gratia c. 12.* Quem iidem euaſtatũ diluuio arbitrantur, ſimilem cæteris orbis oris ac terris.

At iuxta iſtarum nullam opinionũ Chriſtus deſcendiſſet ad inferos: ſed migraſſe dicendus foret, vel aſcendiſſe.

3. In rem eſt, eritque gratum audire S. Auguſtinum Epiſt. 57. tom. 2. de hoc diſſerentem: Quomodo Chriſtus ſit vbique, & non vbique. *Hodie mecũ eris in Paradiſo. Hinc fortaſſe intelligendum dicis, paradiſum quaſi in aliqua cœli parte compoſitum: Aut quia vbique Deus ſit, Hominem quoque illum, qui in Deo ſit, vbique diffuſum. 1. Agnoſco, quemadmodum accipias Hominem Chriſtum. Non vtique, ſicut quidam hæretici, Verbum Dei & Carnẽ, hoc eſt, ſine anima humana, vt Verbum eſſet Carni pro anima; vel eſſet anima pro mente humana. &c. Sed ita Vt Deum non crederes, niſi perfectum etiam Hominem credidiſſes.*

2. Si ergo ſecundùm Hominem putamus dictum eſſe, Hodie mecum eris. &c. *non ex his verbis in cœlo exiſtimãdũ eſt eſſe Paradiſus. Neque enim ipſo die in cœlo futurus erat Homo Chriſtus Ieſus, ſed in inferno ſecundum Animam. Et de Carne quidem, quod eò die in ſepulcro ſit poſita, manifeſtum eſt Euangelium: Quòd verò illa Anima in infernum deſcenderit, Petrus prædicat*, Act. 2. Non derelinques. &c.

3. Sed in ſepulcro nemo Paradiſum intelligit. Et ſi quisquam eſſet ita Absvrdvs, *vt hoc ſapere conarctur, eò quòd ſepulcrum in Horto erat; certè ab iſta opinione reuocaretur, quod ille, cui dictum*, Hodie mecum eris, *non illo die fuit cum Chriſto in illo ſepulcro. &c.*

4. Reſtat igitur vt in inferno intelligatur eſſe Paradiſus, vbi erat eò die futurus ſecundum animam Chriſtus. Vtrum autem Sinus Abrahæ vel paradiſi vocabulo ceuſendus, vel ad inferos pertinere exiſtimandus ſit, non facilè dixerim. &c.

Porrò ſi vtraque regio, & vbi diues torquebatur, & vbi pauper lætabatur, in inferno eſſe credenda eſt; quis audeat dicere, Dominum Ieſum ad pœnales inferni partes veniſſe tantum; Nec fuiſſe apud eos, qui in Abrahæ ſinu requieſcunt? Vbi ſi fuit: ipſe intelligendus eſt paradiſus, quem latronis animæ illo die dignatus eſt polliceri. Quæ ſi ita ſint, generale nomen paradiſi eſt, Vbi feliciter vituitur. Abundè appoſite que reſpõſum Caluiniſtis eſt. Huc facit *Bell. tom. 4. l. 1. de gratia c. 10. 11. &c.*

II. De Svbaltaristicis Calvini animabus quas ipſe *in Pſychopannychia*, & Beza *lib. contra Brentium de Aſcenſ. Chriſti, parte 2.* confingit à corporibus abiiſſe ad cœli atrium; dormireque animas ſub altari, idque ad vltimum vſque iudicium; nequedum vidiſſe Deum: Eſſe tamen prædictas fide

fide & charitate, & nobiscum in ijsdem conjunctas: *Instit. lib. 4. c. 20. & c. 26. §. 6.* prolixe disserit CALVINVS. ET LVTHERVS *praelect. in Genes.* teste Staphilo.

AVTOR. I. AT primus idem inuenit & docuit Tertullianus *libr. 4. in Marcionem.* Post hunc Vigilantius, teste Hieronymo *in lib. contra Vigil.* apud *Bellarm. tom. 2. l. 1. de Beatit. cor.* Idem tamen illud, Ante Christum Sanctos in cœlum receptos fuisse, *est*, inquit, *sententia prorsus inaudita in Eccl sia. Id quod sanè deberet sufficere ad refutationem.* Porrò Vide in meo *Antichristo par. 2. quæst. 14.* Et in *Genealog. par. 1. quæst. 27.* Et infrà *quæst. 67. & 73.* Nunc duo me vocant, Limbus & Infernus, An sint?

QVÆSTIO LVI.

Num in quem Patrum Limbum descenderit Christus?

CALVINVS Inst. l. 2. c. 16. §. 9. ait. *Illa de Limbo fabula, tametsi magnos habent autores; nihil est tamen nisi fabula:* Addunt PVRITANI in Anglia & Scotia: *Et communis Patrum error est.*

2. CALVINVS in Ioan. c. 14. v. 3. Fatetur, *Ille vnius hæres cœli possessionem nostro nomine adijt vt per ipsum accessu nobis pateat.*

2. Exoritur tamen quæstio. Qualis fuerit Patrum Veteris Testamenti conditio post mortem, antequam Christus in cœlum ascenderit? Vulgò enim colligunt, fideles animas in Limbo fuisse inclusas: quia dicat Christus suo in cœlum ascensu paratum iri locum.

3. Respondet. *Ante reconciliationem peractam fideles animæ, velut in Specula, erant intentæ ad redemtionem promissam: Et nunc beata quiete fruuntur, vsque dum compleatur redemtio.*

AVTOR. Dicit: non docet hic, nec alubi vsquam; nisi quod nostra quædam testimonia eleuet.

I. LVTHERVS occlamat ei Comment. in Psal. 16. *Sancti in sepulcro & inferno fuerunt sine dolore.* ANGLI (Hugnotici) reclamant: qui in suis ecclesiis cantillando Limbum identidem profitentur. Vide Duræum *ad Rationem 8. Campiani.*

II. LOCVS Inferni Quadruplex est, ait S. Thom. 3. dist. 22. q 2. a. 1. q. 2. c. *Primus* Damnatorum. In quo sunt tenebræ, cum defectu diuinæ Visionis & Gratiæ, ac Pœna sensibili. *Alter* supra hunc; In quo sunt prædicta; sed sine Pœna sensibili; estque Limbus puerorū. *Tertius*, Purgatorium: supra eum, In quo unt tenebræ, defectu diuinæ Visionis; sed non Gratiæ, & multa pœna sensus. *Quartus*, Limbus Patrum, supra hunc: In quo sunt tenebræ, cum defectu diuinæ Visionis; estque Gratia sine pœna sensibili.

Et in hunc solum totus essentialiter Christus descendit: in alios virtualiter. Ibi, ait Augustin. serm. 137. *Portam inferni, & vectes confregit & omnes iustos, qui originali peccato tenebantur, absoluit.* D. Th. 3. q 52 a. 5. 6. Ideò Eccl. 24 *Penetrabo omnes inferiores partes terræ*, cum distinctione dicta; *& illuminabo omnes sperantes in Domino*, Patres in Limbo. Qui dictus est *Sinus Abrahæ*, ratione Quietis; at *Limbus*, ratione inferni, & ob defectū gloriæ.

Quies autem ea erat ratione immunitatis à pœna; sed non à Desiderio Beati, ab vtroque sunt immunes. De gloria tamen sperata mirè gaudebant; de dilatadolebant: Christus soluit vtrumque; per Visionem diuinæ Essentiæ euacuan-

do eis Fidem ac Spem; quibus eo vsque sustentabantur, vti Viatores verè sancti: solùm enim Limbus Sanctorum erat, iste scil. locorum inferni quartus: Quem, eductis S. Patribus, clausit IESVS, vt nulli sit vsui. Ista ex D. Thoma.

III. LYMBVS Quia Caluino est *Fabula*; Puritanis, *Error Communis Patrum*: eritne & S. Scriptura fabulosa vel erronea? Nam & ipsa loquitur infernum, cum de Sanctorum receptaculo defunctorum meminit. Vt Gen. 17. Pius Iacob ait: *Descendam ad filium meum ad infernum*. Idem Gen. 42. 44. *Deducetis canos meos. &c. ad inferos*. Et hic loquendi vsus in Scriptura multus est de Sanctis pluribus: & *Inferi, Infernus*. &c. non cœlos superorum significant.

2. Similiter & iste loquendi modus frequens est: *Mortuus est Abraham*, Genes. 25. *congregatusque est ad populum suum*. Ibidem. *Ismahel mortuus est, & appositus est ad populum suum*. Num. 10. *Pergat Aaron ad populum suum*. Numer. 27. *Ibis, Moyses, ad populum tuum. &c.*

IV. Samuel, *Eccl. 46.* laudatur, quod mortuus prophetarit: cum nimirũ, *1. Reg. 28.* apparens anima Sauli de terra ascendere visa est: *Non*, quòd incantationi Pythonissæ obnoxia pareret: quippe eã anteuenit vltrò; vnde & Pythonissa turbabatur: *Nec*, quòd phantasma esset dæmoniacum: vt quibusdam placet: Sed vera erat, ipsaque Samuelis anima; vti consentiunt quà plures, quà saniores: Et textus indicat; *Intellexit ergo Saul quod esset Samuel*; non putauit: *Dixit Samuel ad Saul. &c.* certus.

V. Lazarus, *Luc. 16.* erat in Sinu Abrahæ; Epulo in inferno, scil. damnatorum: Eâdem erant in voragine; licet magno intercedente χάσματι, id est, inani. Et sic de compluribus sanctis, qui non in cœlo, sed in inferno fuisse memorantur.

Itaque Psal. 118. *Narrauerunt mihi iniqui* Caluinistæ *fabulationes*; *sed non vt lex tua*. Vide Bellarmin. l. 4. de Christo c. 11.

QVÆSTIO LVII.

Num quis sit Infernus damnatorum Luthero-Caluinistis?

LVTHERVS in cap. 3. Ionæ tomo 3. Ienensi. *Quid infernus sit, ante diem extremum, nondum certum sum. Nam esse peculiarem locum aliquem, vbi maneat anima damnatorum, quemadmodum pingunt pictores, & ventris Mancipia docent*; ID NIHIL EST, *meâ sententiâ.*

2. Christophorus Irenæus, in Speculo inferni, cap. 9. distinct. 1. est quadruplicem architectatus infernum. *Infernus esse quadruplex potest. 1. Mala, & peccati onusta conscientia. 2. Imminentis mortis dolores & agon vltimus. 3. Angustia, timor & horror, quem anima damnatorum à corporibus separata sentiunt. 4. Localis Abyssus, quam ventris mancipia Papista docent. Hic infernus, nostro iudicio, Nihil est: & infernus mundi demum præparabitur.*

3. BRENTIVS in Recognitione pag. 15. Interea *damnati in infernum nec ascendunt, nec descendunt; sed Sathan cum Angelis suis, & impiis omnibus, ac Inferno ipse, sunt in Regno cœlesti.* Vide Sturmium in Antipapo. 4. parte 2.

CALVINISTÆ in Catechismo Heidelbergensi anni 1563. & 1569. Et Bucerum apud Schlüsselburgium lib. 1. art. 27. *Infernus, id est, locus improbis cruciandis destinatus, sitne aliquis, nondum adhuc constat.* CALVIN. Instit. lib. 3. c. 25. §. 12. *Nihil esse videtur infernus aliud, nisi horror quidam conscientiæ.* Idem sensisse quondam Originem liquet in *Genealog. par. 1. quæst. 16.* & hic superius *quæst. 52.*

AVTOR. Tametsi locis iam citatis nimio plus in eam quæstionem contuli; vt in re nemini ignorata; vel dubitata;

tata, nisi cui cum ratione libuerit insanire: istis tamen hic adjecerim pauca solum biblica, quæ illum, quem damnatorum credimus infernum, secretum ab aliis locum, propriumque existere oportere testantur.

1. Seditiosi, quibus terra dehiscebat irato Deo, Num. 16. *descenderunt viuentes in infernum:* Eum scilic. locum quò antè cœlo deturbati ruerant Angeli apostatæ.

2. Ezechiel in planctu super Pharaonem, ac Ægypti multitudinem, ait denique, cap. 32. *Detrahe eam ad terram vltimam*; quam? *Cum his, qui descendunt in lacum.* Ibidem de Assyriis interfectis ait; *Quorum date sunt sepulcra in nouissimis lacus.* Causa: Quia *portauerunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum.* Ibidem de gigantibus sceleratis ait: *Descenderunt in infernum cum armis suis.* Quia *portauerunt confusionem suam* flagitiorum.

3. Huc addixit eos pro meritis, qui ait, Deut. 32. *Ignis succensus est à furore meo:* hæc ira Dei Vindicis: locus ecce; *& ardebit vsque ad Inferni nouissima.* Sic Iob. 24. intelligit: *Vsque ad inferos peccatum illius.*

4. Queritur de impiis Iob, c. 21. sed denique dum *tenent tympanum, &c. et ducunt in bonis dies suos*; *in puncto ad inferna descendunt.* Sic de meretrice, Prou. 2. *At inferos semitæ eius inclinatæ sunt.*

5. Deijs affirmat Iob. 7. *Qui descendit ad inferos, non ascendit.*

6. In hoc *inferno Inferiore*, Ps. 85. alligauit Apoc. 9. *Regem Angelum abyssi, in puteo abyssi*, is, *qui habet clauim abyssi.*

7. Hic clamauit, *Luc. 16.* diues epulo ex flammis. Quæ, aliaque talia solum de impijs, damnatis, de damnatorum pœnis, deque receptaculo vltimo damnationis sic loquitur, vt aliter nequeant vel probabiliter interpretari, etiam ab ijs, qui vbique tropos & allegorias crepare assolent: ceu nouis Origenistis Caluinianis solenne est. Porrò de effectu Passionis Dominicæ.

V. DE PASSI MERITO.

QVÆSTIO LVIII.

An Christus natus ac Passus sibi quid meruerit?

LVTHERANI vt Gellachius Tubingensis Profess. sor Theologiæ lib. contra Ioan. Busæum, *Christus nihil quicquã, nec illis Humanæ, nec illa Diuina, natura, aut in cruce, aut in inferno dolorib. promeruit.* Busæo, nubem S. Patrum objcienti, respondit ille; *Licet Augustinus &c. & alii ita sentire videantur; eos tamen eatenus audio & sequor, quatenus euidentibus Scripturæ rationibus sua probant. Quæ, dum Christum* PROPTER *Passionem gloriâ coronatum, & caput exaltasse dicunt; non causam promerentem, sed euentum glorioſum significant.*

CALVINISTÆ cum CALVINO Instit. l. 2. c. 17. §. 6. *Quærere, An sibi meruerit Christus; quod faciunt Lombardus & Scholastici; non minus stulta est curiositas, quam temeraria definitio, vbi hoc idem asserverunt.* Quocirca Caluin. in Matth. 16. v. 21. *Non reperit Fides nostra in cruce, quo se sustentet.* PETRVS MARTYR. *Omnibus suis operibus ne cœlum quidem promeruit.*

SVADET CALVINVS istis, Instit. l. 2. c. 17. §. 6. 1. *Quid enim opus fuit descendere vnicum Filium, vt sibi quicquam acquireret noui?* 2. ibid. *Consilium suum exponens Deus omnem dubitationem exemit. Non enim Filij vtilitati consuluisse dicitur Pater in eius meritis; sed Eum tradidisse in mortem, neque ei*

peperciſſe, quia mundum diligeret. Et notandæ ſunt locutiones prophetiæ: Puer natus eſt Nobis. Ecce venit Tibi: &c. Inde colligimus rationem ſui non habuiſſe. 3. Quia, *Id clarè ſignificat dicens: Pro illis ſanctifico me ipſum. Se etiam nil acquirere teſtatur, qui fructum ſanctitatis ſuæ in alios transfert, quodammodo ſui oblitus.*

AVTOR. 1. Aduerſarius hac in re Caluino, Franc. Stanckarus libr. de Trinit. & Mediatore contra Tigurinos ſic ait: *Plus valet vnus Petrus Lombardus,* quem ſpernebat Caluinus, *quam centum Lutheri, ducenti Melanchthones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, et quingenti Caluini. Qui omnes ſi in vno mortario contunderentur, non exprimeretur vna vncia veræ Theologiæ.*

2. Chriſtus ſibi multa maxima promeruit. Vt Gloriam corporis. Luc 24. *Nonne oportuit. &c.* Phil. 2. *Propter quod & Deus exaltauit eum &c.* Vide D. Tho 3. q. 49. a. 6. c. &c. & in meo Antichriſto. quæſt. 15.

Et verò omnes ad meritum neceſſariæ conditiones in Chriſto conueniunt. Et dignius eſt quędam habere ex merito, quam dono; aut carere ijſdem. Item, meruit Animæ Impaſſibilitatem. Iſ 53. *Si poſuerit pro peccato Animam ſuam, videbit Semen longæuum, &* vt LXX. legunt, *Dominus vult auferre animam de doloribus eius.* Item meruit Reſurrectionem, Corporiſque dotes glorioſi: Ita D. Th. 3. q. 49. a. 6. juxta Pſal. 100. *De torrente in via bibit, propterea exalt.* Pſ. 138. *Tu cognouiſti Seſſionem meam, & reſurrectionem meam.* Item Aſcenſionem, Nominis exaltationem, Iudiciariam poteſtatem, *D. Tho. 3. q. 59.* Item Dominium, *Molina tom. 1, tract. 2. diſt. 28.*

Quærat nunc CALVINVS, Inſt. l. 2. c. 17. §. 6. *Quibus meritis aſſequi potuit Homo, vt Iudex eſſet mundi, Caput Angelorum, atque vt potiretur ſummo Dei Imperio?*

DICO AD I. Nihil quidem acquiſiuit ſibi, quà Deus erat omnium dies: at quà Homo factus acquiſiuit ſibi augmentum gratiæ, ſcientiæ, ſapientiæ. &c. & gloriam debitam illi ex condigno iure & mercedis, & præmii.

AD II. Vera iſta; at Falſum, Chriſtum *rationem ſui non habuiſſe.* Nam merendo nobis & ſibi eſt meritus conſequenter.

AD III. Sanctificauit ſe, Nobis ſatisfactoriè, ſibi Meritoriè.

QVÆSTIO LIX.

An Chriſtus patiendo ſatisfecerit pro CVLPIS *Humanis Omnium?*

LVTHERANI, vt HVBERVS ſuis in ſcriptis veſtigiis contra Kimedontium & Heidelbergenſes paſſim iſta: *Paſſione ſua Chriſtus meruit, vt Pater cœleſtis propter mortem re ipſa & efficaciter, totum genus humanum in gratiam ac Sinum ſuum receperit: Ita, Vt omnibus ex æquo peccata condonata ſint; Siue credant ſiue non: Vt omnes, etiam reprobi, æquè ſaluati ſint, ac quilibet alii; Etſi propter nequitiam ſuam illi rurſus condemnentur.*

II. HESHVSIVS, teſte Clebitio *in lib. cui titulus, Ruina Papatus Saxonici, parte 2.* contrariam illis diſtinctionem induxit in concionibus, diſputationibus, inque colloquiis. *Per Chriſtum,* dictans, *vt* LIBERATI *à diabolo ſimus; At certè* REDEMTI *ſumus minimè omnes.* Hoc enim Electorum: illud etiam Reproborum eſt.

III. CALVINISTÆ *Imputatiuam iuſtitiam,* velut hederam ſine vino, paſſim ad apothecas ſuas ſuſpenſam oſtentant, lippis ac tonſoribus notam. Vnde 1. CALVINVS Inſt. lib. 3. c. 12. §. 4 & c. 17. §. 3. Similiter Confeſſio Geneuenſis c. 4. §. 19. *Perpetuò in eadem peccandi neceſſitate verſamur: Sumus venundati ſub peccato, vt agamus malū. Quicquid*

quid facimus, peccatum est. Præstantissima hominum opera meræ donorum Dei sunt pollutiones. Ipsa Iustitiæ opera & sanctitatis, probrum magis, quam laudem perpetuò merentur.

2. Indidem Colloquium Ratisponen. p. 364. 366. *Omnes nostræ iustitiæ sunt instar panni menstruati; Etiam quatenus à nobis per Christi gratiam perficiuntur.*

3. Castallione teste in translat. Bibliorum defensione, pag. 192. vertit BEZA, & reprehendit Erasmum, ac veterem Interpretem; qui verterunt, *Aboleatur*, sive *Destruatur corpus peccati*. Rom. 6. Itaque Caluinistis *Peccati corpus non destruxit Christus; sed tantum enervauit*, id est, *per quandam imputationem texit potius, quam reuera sustulit. &c.*

IV. LVTHERO-CALVINISTARVM Scholæ istud Commune habent: *Legis, quantumcunque annitamur, vtut frangamus nos; ne minimum quidem apicem possimus implere.* Colloquium Ratisbon. *Omnia opera nostra sub maledicto Legis & manent ipsa, & operantes ea relinquunt.* Plura alubi de iustificatione part. 4. Vnde quibus Lex Euangelii dicitur seruatu impossibilis; Et opera omnia sunt sub maledicto; illis peccandi necessitas incubit adeò, vt minimè à culpis per Christum liberati censeri queant. Quæ igitur pro iis data erit Satisfactio; quos tam pertinax viget Maledictio? Sed non tam cum Lutheranis, quam cum Caluinianis est hæc nobis quæstio.

AVTOR. I. Duobus modis Redemtor noster præstitit nobis tam Electis, quam Reprobis generatim liberationem à seruitute peccati, & maledictione legis: 1. *Dissoluendo debitam* peccatis pœnam, veniamque eorum promerendo, quæ contra Legem Dei commisimus. Et hoc vltrò nobis omnes dant hæretici. 2. *Extinguendo desiderium* peccandi, per infusam mentibus gratiã. Id quod vbique inclamant Apostoli. *1. Pet. 1. vers. 19. 20. 21. Coloss. 1. vers. 22. Ephes. 5. v. 26. Tit. 2. v. 14. Heb. 9. v. 14. & c. 10. v. 1. Luc. 1. v. 74.* Simul gratiam spiritumque largiendo, quò implere Legem valeamus: *Rom. 8. v. 3. & 4.*

2. Isthuc autem impietatis erupit hæresis, quòd Luthero-caluinistæ tribus gradibus institerint. 1. *Gradus:* Redigendo Christum in cæterorum hominum conditionem: patet suprà: Vt esse Deum passibilem ac mortalem, *q. 16.* & vix Deum, *quæst 10. 31.* Esse, *quæst. 17. 32.* peccatorem: Fuisse *quæst. 28.* ignorantẽ: Imperfectum, *quæst. 30.* Nec inuocandũ vel adorandum *quæst. 34.* Vix, *quæst. 40.* honorandum: Nec, *quæst. 41.* verè satis passum; Et id, *quæst. 44. &c.* admodum defectuosè, ac desperatè & damnatè: Sibique, *quæst. 58.* nihil quicquam commerendo.

2. *Alter Gradus:* Affingendo ei iuxtà corporis mortem &, *quæst. 42. 43.* Animæ, adeoque Diuinitatis; atque etiã cruciatus damnatorum; quò possit dici Christus Redemtor.

3. *Gradus.* Quòd à fronte nomen ei Redemtoris tributum, idem à tergo mox iterum ei eripiant.

Miranda Impietas! Vt nemo non videat planissimè que de Caluinistis intelligat, verum illud Bezæ esse, in epist. 5. Theolog. *Tempora Apostolicis vicina, sicũ nostris comparentur, plus conscientiæ, minus habuerunt scientiæ.* Certè nemo vnquã, qualem formant illi Christum, sciuit, aut scire voluit. Neque hîc in refutandis plus operæ posuerim; vtpote loco proprio reseruatâ causâ hac. Solum hîc, vnicumque S. Thomam *3. q. 49. a. 1.* ipsis opponam. Is ita:

II. CHRISTI Passio est propria

cauſa Remiſſionis omnium peccatorũ tripliciter. I. Per modum prouocantis ad Charitatem. Iuxta Rom. 5. *Commendat Deus ſuam charitatem in nobis, quoniam, cum adhuc inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Per Charitatem autem conſequimur veniam peccatorum. Iuxta Luc. 7. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* II. Per modum Redemtionis. Quia enim eſt Caput noſtrum per Paſſionem ſuam, ideò liberauit nos à peccatis tanquam membra ſua. III. Per modum Efficientiæ; in quantum Caro, in qua paſſus Chriſtus, eſt inſtrumentum Diuinitatis: ex quo paſſiones eius & actiones operantur in virtute diuina ad expellendum peccatum. Hinc Apoc. 1. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo.* Prou. 10. *Vniuerſa delicta operit Charitas.* An ſola? Nam Prou. 15. *Per miſericordiam & Fidem purgantur peccata.* Verum id ita accipe; quòd per Fidem charitate formatam, Paſſio Chriſti nobis applicatur. Vnde Rom. 3. *Quem poſuit Deus Propitiatorem per Fidem in Sanguine eius.*

Sed hæc velut vniuersè dicta ſunt: Nunc in rem ac quæſtionem propius. Propriè ad Caluiniſtas propoſita ſpectat quæſtio: de qua tamen etiam *infrà q. 62.*

CALVINVS aſſerit tria. 1. Mors Chriſti non fuit pro omnibus. 2. Meritum mortis non prodeſt omnibus. 3. Ex Merito Chriſti Deus non dat omnibus fidem & gratiam. Sed mortuus eſt pro ſolis prædeſtinatis: hiſque ſolis prodeſt mors: his Deus ſolis largitur Fidem ex meritis Chriſti. Ratio Caluini Inſt. 3. c. 22. §. 10. *Si omnes vellet ſaluos, Cuſtodem illis præficeret Filium, & omnes in eius Corpus ſacro Fidei vinculo inſereret. Nunc conſtat ſingulare eſſe paterni amoris pignus, filiis, quos adoptauit, reconditum.* Ibid. c. 24. §. 13. *Cur ergo gratiam illis largiendo, hos prætermittit? Quia ad vitam ſunt ordinati. De aliis quid ſentiemus, niſi quia ſunt vaſa ira in contumeliam?*

SVASIONES audi, cũ Dona Gratię ſint duplicia: Vocationis & Iuſtificationis: DICVNT, 1. Vocari reprobos externa tantũ voce; non internâ gratia præueniente. 2. Alii dicunt vocari à Deo reprobos; at non ſeriò, nec animo iuuandi; ſed ſimulatè, animo nocendi. Ita Caluinus Inſtit. 3. c. 24 § 13. *Vocem ad eos dirigit; ſed vt magis obſurdeſcant: Lumen accendit; ſed vt reddantur cæciores: doctrinam profert; ſed qua magis obſtupeſcant remedium adhibet; ſed ne ſanentur.* 3. Si ſecus; cur multi pereunt?

4. Quoad Iuſtificationem: Chriſtus fatetur ſe non veniſſe pro omnibus: Matth. 13. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Matt. 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt, domus Iſrael.*

AVTOR. Duo nobis aſſentiuntur Caluiniſtæ: 1. Sufficientiam meriti Dominici, vtpote Infiniti, ad totum genus humanũ redimendum ac ſaluandũ.

2. Eam reipſa non eſſe Efficacem reſpectu Reproborum: quia hi non perueniunt ad vitam æternam.

3. AT Chriſti Meritũ eſſe reipſa efficax reſpectu reproborum, quoad dona gratiæ in hac vita. Hoc tertium negant Caluiniſtæ; eò, quòd tales ſint vaſa iræ.

AVTOR. AT Dona gratiæ ſunt alia Vocationis; alia Iuſtificationis.

I. Vocationis donum eſt, Excitari à Deo ad fidem aut Pœnitentiam per gratiam præuenientem: at reprobi excitantur: Matth. 11. *Venite ad me omnes &c.* Matt. 20. *Multi vocati, pauci electi.* Mar. 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Apoc. 3. *Sto ad oſtium, & pulſo; ſi quis audierit. &c.* 2. Si

2. Si Deus, tam bonus est, vt, ait S. August in Enchir. c. 100. *non sineret Bonus fieri malè, nisi Omnipotens etiam de malo facere posset benè,* & peccatū in vsum bonū vertere: ecqui tam crudelis esset, vt gratiam suam, ordinatam ex se ad gloriam, verteret in perniciem nostram? Et vertere tamen pertendunt Caluinistæ: quin & peccati Autorem eum faciunt. At a pes non araneos imitatur Deus.

II. Iustificationis donum item subinde percipiunt reprobi, id est, fidem & justitiam; idque ex meritis Christi. 1. Ita S. August. l. de corrept. & grat. c. 13. *Credendum est, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseuerantiæ, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquandiu fideliter & iustè viuere; & postea cadere.*

2. Sic Hebr. 6. *Semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Sp. Sancti; & prolapsi sunt. &c.* Et hic loqui Apostolum de reprobis fatetur Caluinus Instit. 3. c. 3 § 21. Ergo contra seipsum.

3. Sic 1. Tim. 1. *Quidam circa fidem naufragauerunt.* Et: *Discedent quidam à fide.* 2. Tim. 2. *Hymenæus & Philætus à veritate exciderunt.* 2. Tim. 3. *Corrupti mente, reprobi circa fidem.* Verè, 2. Pet. 2. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ; quam post agnitionem retrorsum conuerti.* Itaque Christi Merita, Gratia, Beneficia pertinent ad omnes Electos & Reprobos; etsi effectu dispari.

DICO AD I. Fictum hoc: Nam, Apoc. 3. *Ego sto ad ostium* cordis, *& pulso* per gratiam excitantem intus. Quod hic externum Vocans? Item Act 7. *Dura ceruice, & incirc. cordibus; vos semper Sp. Sancto resistitis,* id est, inspirationi gratiæ intus excitantis.

AD II. At apertè Christus contrà: *Venite ad me omnes: &c. ego reficiam vos:* non dicit, *eludam vos.* Item *pulso,* vt quis aperiat, non vt obdurem. Quia, 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnit. ver. peruenire.* 2. Pet. 3. *Non vult aliquos perire; sed omnes ad pœn. reuerti.*

AD III. Cur? Quia Deus vult quædam Absolutè: quædam dependenter à lib. arbitrio hominis; & sic vult saluos homines. Prou. 1. *Vocaui, & renuistis;* Matth. 24. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?*

AD IV. At ex sententia Caluini venit vocare prædestinatos, non peccatores; contrà quam dicit Dominus. &c. Vide P. Becanum *in Manuali lib. 3. c. 2. quæst. 1.*

QVÆSTIO LX.

An passio Christi persoluerit POENAS *Culpis nostris debitas?*

CALVINVS Instit. l. 2. cap. 17. §. 1. *Si Christum simpliciter & per se Dei iudicio opponere volueris; Merito nullus erit locus.* Idem in Phil. c. 2. v. 9. *Loca Scripturæ, quæ* PROPTER *Christum nos saluari dicere videntur, quæque meritum in eius passione collocant; ordinem tantum consequentiæ, non causam significant.*

2. CALVINIANI fratres, apud BEZAM in absterſione calumniarum Heshusii, conclamant: *Nullo modo dici potest; Patris nos misericordiâ, & tamen Filij Merito saluari:* PER *Christum, non* PROPTER *Christum seruati sumus.*

3. Iterum BEZA ibidem cum Caluino. *Redemtor Christus dicitur; Non quòd Passio eius & mors vi sua & efficacia ad redigendos nos cum Deo in gratiam valuerit: sed quòd Pater gratuito*

tuito fauore, & misericordiâ eius beneficium complexus sit.

LVTHERANI cum deletionem culparum fuisse realem operatum Iesum negant; pœnarum quoque sublationem pariter factam à Christo nullam, consequenter affirmare cum Caluinistis ferè coguntur. Vide q. præcedente.

AVTOR. 1. Ecquid est igitur, quod asserit Apostolus, 1. Tim. 2. *Christus semetipsum dedit Redemtionem pro multis?* 1. Ioh. 2. *Ipse est redemtio nostra pro peccatis nostris.*

2. Si, vt aiunt, Pater PER Christum nos liberarit: jam Pater, non Christus, Redemtor erit. Qua causa illa Caluini Glossa ac commentum de voce PROPTER, &c. impio quoque Flacco Illyrico visa pestifera est, adeò, vt eam totius Passionis Dominicæ efficaciam effectumque eludere, ac elidere iudicârit.

3. Deinde, Gal. 5. *Ergo euacuatum est scandalum crucis. Vtinam abscindantur, qui vos conturbant!*

I. Ita nostræ se habet Redemtionis ratio. Tria erant in seruitute nostra sub diabolo: 1. Quâ HOMO subiugari diabolo, (vt cuius tentatione fuerat superatus) meruerat peccato suo; Sic Christi Passio est causa Remissionis peccatorũ. 2. Quâ DEVS hominem reliquit potestati diaboli; vtà quo læsus peccando fuisset: Sic liberauit nos Christus reconciliando Patri. 3. Quâ DIABOLVS sua voluntate hominem à consecutione salutis impediebat: Sic ab eo nos liberauit Iesus, excedente modum potestatis sibi traditæ à Deo, vt mortem Christo quoque machinaretur Insonti. Vnde S. Augustl. 13. Trinit. q. 14 tom. 3. *Iustitiâ Christi victus est diabolus; qui, cum nihil mortis dignum in eo inueniret, occidit eum tamen: Et vtique iustum est, vt debitores, quos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes, quem sine vllo Debito occidit.* Ideò Dominus Ioan. 12. *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras. Et, Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad me.* At exaltatus est in cruce: ergo sic homo est è potestate diaboli ereptus.

II. Quin & A POENA PECCATI sumus liberati. Nam, Isa. 53. *Verè languores nostros ipse tulit*, culparum; *& dolores nostros* pœnarum *ipse portauit.* Idque ait *D. Tho. 3. q. 49 a. 3.* dupliciter: *Directè* quatenus Christi Passio fuit superabundans Satisfactio pro peccatis vniuersis: qua exhibitâ, reatus tollatur necesse est. *Indirectè*; quatenus Christi passio est Causa remissionis peccati, in quo fundatur reatus pœnæ.

QVÆSTIO LXI.

Ecquid ergo contulit Christus ad hominum Iustificationem?

LVTHERVS Comment. in Gal. 2. *Sicut Sophistæ dicunt, Charitatem informare & imbuere fidem; Sic nos dicimus,* CHRISTVM *informare & imbuere fidem, vel formam esse fidei, Ergo sic apprehensus & inhabitans Christus, est iustitia Christiana, propter quam nos Deus reputat iustos, & donat vitam æternam.*

2. MELANCHTHON in Confess. Augustana. c. 4. *Propter Christi meritum iustificamur; non propter fidem ipsam: Fide tamen misericordia Dei apprehenditur.*

3. OSIANDER in refutatione contra Melanch. vult, *Inhabitantem nobis iustitiam Christi, nostram esse Iustificationem.*

CALVINVS, Neutrum illorum agnoscit: *Sed solam peccatorum Remissionem esse Iustificationem nostram.* Patebit part. 4.

AVTOR. AT nos docemus iustificari homines per infusam, ac inhærentẽ nobis justitiam: idque propter merita Christi Passi: Conc. Trid. Sess. 6. c. 7. *Vnica formalis causa est justitia Dei; Non qua ipse iustus est; sed qua nos iustos facit. Quâ videlicet ab eo donati, Renouamur spiritu*

ritu mentis nostræ; & non modò reputamur sed verè iusti nominamur & sumus.

Qvo Impudentior calumnia est Calvinidum in Antidoto ad Sess. 6. *Tridentini*, ait, *duas causas iustificationis constituunt. Vnam, Remissionem peccatorum, siue Imputationem. Alteram, Regenerationem spiritalem, siue inhærentem Iustitiam. Ego dico: Vna simplex causa iustificationis est Remissio peccatorum.*

Avtor. At Cur Idem, Instit. l. 3. c. 11. §. 2. sibi contrarius, ac isti, sic statuit? *Nos iustificationem simpliciter interpretamur Acceptationem, qua nos Deus in gratiam receptos pro iustis habet; eamque in peccatorum Remissione, ac iustitiæ Christi Imputatione positam esse dicimus.* Id quod ibidem, §. 3. sic declarat. *Iustificare nihil aliud est, quam eum, qui reus est, tanquam approbatâ innocentia à reatu absoluere. Cùm nos itaq; Christi intercessione iustificet Deus; nõ propriæ innocentiæ approbatione, sed iustitiæ imputatione nos absoluit, vt pro iustis in Christo censeamur, qui in nobis non sumus.*

Ex quibus necessariò consequitur, 1. Quòd ibidem Caluinus, Instit. l. 3. c. 12. § 4. cum Lutherano Kemnitio conclamat. *Omnia opera hominum, secundùm pretium suum, meræ sunt pollutiones ac sordes.* Idem c. 14. §. 9. *Non potest vllum opus à Sanctis procedere quod non promeretur meritò dem propriam Confusionem.* Vel, vt vox Lutheri habet: *Iustus in omnibus operibus Iustis peccat mortaliter.* 2. Quin, *Deus cogit ad peccandum:* patet *suprà q. 18.* 3. Nihilominus tamen nil nocere volunt peccatum præordinatis ad salutem, quot, qualia, quantacunque possint peccare. Vt quæ omnia eis non imputentur, & in eis tecta sint, etsi non sublata.

Euge, age sic, quod libuerit: Potes capere specialem prædestinationis Fidem? certus esse salutis debes. Nec enim fallere Dei prædestinatio potest. Sic viuere, sic Credere Caluinianum est; sicque Mori, teste Caluini exitu: Qui fidenter vixit: at *Dæmonibus inuocatis*, ait Bolsecus in vita Caluini cap. 22. *iurans, execrans, et blasphemans miserè expirauit. Cuius illi testimonium perhibuere, qui decumbenti ad extremum vsque habitum ministrauere. Imò hoc etiam, quod diem atque horam detestatus sit et execratus, quam vnquam studiis vel descriptionibus impendisset.* Iusta iudicia Dei! Quia talium peccata præcedunt ad iudicium. Quin ipsi sibi sunt iudices: Quæ euehunt ac prædicant, deiiciunt eadem ac pessundant passi Merita Christi.

De quibus Nos ita credimus ac docemus, ex *D. Th. 3. q. 49. a. 4.* Passio Christi est causa Reconciliationis nostræ dupliciter. I. Remouendo peccatum, quo constituimur inimici Deo. Nam, Sap 14. *Similiter odio sunt Deo Impius, & Impietas eius* Psal. 6. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* II. Sacrificium exhibendo ei acceptissimum, cuius proprius est effectus, Placare Deum, ad Remittendum peccatum. Vnde Rom. 6. *Reconciliati sumus* Deo *per mortem Filii eius.*

Atque ita cœli ianuam nobis reserauit remouendo duplex obstaculum: 1. Peccati originantis; post quod, Gen 3. *Deus collocauit Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* 2. Peccati Actualis cuiuscũque; dum pœnitens communicat Christi passioni per Fidem & Charitatem, & Sacramenta. Vnde Hebr. 9. dicitur: *Per proprium Sanguinem introiuit semel in*

Sancta, æterna Redemtione inuenta. Ideo & nos Hebr. 10 *Habemus fiduciam in introitum Sanctorum in Sanguine Christi.* Sic noſtra nobis conſtat iuſtificatio.

QVÆSTIO LXII.

Quibus ſpeciatim prodeſt ea Redemtio Chriſti Paſſi?

NON omnibus. Ita CALVINVS contra Heshuſium pag. 39. *Non eſt crucifixa pro impiis Caro Chriſti, nec pro eorum expiandis peccatis effuſus Sanguis.*

AVTOR. Atqui Ieſus ait: Matth 9. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Et Apoſtolus, 1. Tim. 5. *Venit in mundum peccatores ſaluos facere; quorum primus ſum ego.* Atque idcirco, Tit. 2. *Tradidit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.*

2. BEZA in Colloq. Mompelgart. pag. 522. *Deus in æterno & occulto ſuo conſilio decretum immutabile fecit, quod maiori hominum parti nolit pretium Sanguinis Chriſti prodeſſe.*

AVTOR. AT vnde conſtat Bezæ conſilium iſtud atque Decretum iſti cõtrarium, Ezech. 18. *Nolo mortem peccatoris; ſed magis vt conuertatur à viis ſuis, & viuat.* Quia tamen affirmat, conſtabit ei exillõ, qui ait: 3. Reg 22. *Ego decipiam. In quo? Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius &c.*

II. CALVINVS contra Heshuſium: *Chriſtus, ſi cui morte ſua profuit: ſolis Electis, ſolis fidelibus profuit.* Quia, ait BVCERVS: *Chriſtus tantum morte ſua Electorum peccata expiauit.* Ita iſte in Ioann. pag. 522. Vide Schüſſelburgium in Theol. Calu.

Et verò plauſtris librorum perſuadere mundo Caluinistæ conantur iſtud; *Electi & Fideles ſunt* non Papiſtæ, non Lutherani, &c. ſed Caluiniſtæ. Proinde BEZA in Conf. ſi. fidei Geneuen c. 4. §. 20. *Vel ſola fidei ſcintilla verè* NOS *de ſalute ſecuros reddit.* Caluinus Inſtit. l. 3. c. 2. §. 19. *Cùm primum vel minima fidei gutta mentibus noſtris inſtillata eſt, tam faciem placidam certo intuitu incipimus contemplari. &c.* Ibid. *Nobis per Spiritum Sanctum Deſignatur, & Reuelatur de Dei benevolentia Certitudo. &c.* Ideò iidem Confidenter diabolo & morti inſultant.

AVTOR. Iſta ſeipſis iugulata ferunt obuiam cuique inhærentem ſibi ipſi mucronem ſuum. Sed ego ad locum de Iuſtificatione eorum differo confiderationem. In præſens tamen notaſſe diſcrimen Lutheranos inter & Caluiniſtas pretium fuerit:

LVTHERANI pertendunt, in iuſtificatione cuiuſque requiri Fidem; ſed quæ ſolum in promiſſam Dei miſericordiam reſpectet: *Vt fides ſit Fiducia in Voluntate.* I. CALVINIANI Contrà volunt eundem reſpectum ad Miſericordiam; Sed *non cùm Fiducia voluntatis; verè certa cum ſcientia Intellectus, & fide ſpeciali cuiusque de ſuapte iuſtitia & iuſtificatione.* Et ſic fidelibus proficere aiunt Chriſti paſſionem; nec vllum nocere peccatum. *Bonis operibus* verò, inquit, Caluinus Inſt. l. 3. c. 15. §. 1. *Fideles merentur nihil quicquam;* (quòd Lutherani concedunt) *ſed à Deo merces eis Donatur.*

2. Porrò è contrà: Quia aſſerit, *certitudinem in cordibus electorum obſignari;* idcirco & Fiduciam requirit, Inſtit. l. 3. c. 2. § 16 vbi §. 8. *Fides*, ait, *magis eſt affenſus cordis, quam cerebri; animi, quam iudicij.* Quò rurſus cum Lutheranis conſentit, contrà prædictam ſuammet definitionem. Ita ſuos circumagit ſpiritus vertiginis.

Qua in duplice lingua viri quia deſi-

dera-

deratur adhuc categoricum responsum ad quæstionem nostram: illud ecce tibi. Quæris: Qui, quot Caluiniſtæ ſaluantur per Christi Redemtionem? Ecce tibi

III. CALVINVS in 2. Pet. c. 1. v. 2. *Neque omnes*, scil. Caluiniani, *sed ex toto Corpore vix pauciſſimi. Vix enim decimum quemq; reperies, qui ullo ſine Euangelio nomen dederit* scilicet Caluiniano, *quam vt ſolutius in omnē laſciuiam difflueret.*

AVTOR. Sed accubi ante Caluinum iſta talis lecta fidelium delituit Eccleſia?

Apertè respondet Sadeel contra theſes Posnanienſes de Eccleſia. cap. 8. *Iſtorum in deſerto* (fortè montis Caſpii ſinu clauſo) *delitescentium, ab annis mille trecentis, nec fructus nec folia extiterunt.*

O maledictam ficulneam, vt quid terram occupat?

Et tamen hiſce pauculis Caluiniſtis, ſcilicet, vt Chriſtus acquireret Non veram aliquam ac realem Remiſſionem; ſed *Non imputationem* duntaxat *peccatorum*; (Quibus tamen neceſſariò inquinantur, vt quæ nullo modo deuitare poſſint; ſed in iis altiſſimè demerſi perpetuò immorantur, ac immoriuntur) eam, inquam ob cauſam Chriſtus neceſſe habuit ſuſtinere immenſos, non in Corpore ſolum cruciatus; ſed in Anima quoque eum damnati & perditi hominis ſupplicia perferre oportuit: Quæ multis ſuprà ſunt teſtimoniis Caluini & aſſeclarum ſtabilita. Dira Redemtio!

IV. CALVINISTÆ. Tam operoſa eſt in iis, efficaxque ea *Non imputatio*; vt per illam ipſis FIDES SPECIALIS conferatur, à qua excidere nunquam poſſunt.

1. Ita CONFESSO GENEVENSIS cap. 4. §. 20. *Fides à Perſeuerantia dono nunquam diuelli poteſt. Qui vel ſemel totâ vitâ ſenſerit veræ fidei teſtimonium, de ea ſecurus eſſe debet, non Permanente tantum, ſed etiam Permanſura.*

2. ZANCHIVS in Miſcellaneis: *Aliter qui docet; totius Euangelij ſcopum euertit.*

3. BEZA in Confeſſ. pag. 117. *Contraria ſententia monſtrum eſt.*

4. Idem in Colloq. Mompelgart. *Quæ Fides, vt de ſua eos electione reddit certiſſimos; ita, etiamſi in peccata contra conſcientiam & omnia ſcelera flagitioſiſſima ſeſe per omnem vitam ingurgitent; de æterna beatitudine tamen ſecuriſſimos præſtat.* Ideò, Apoc 3. *Dicis, quia diues ſum, & nullius egeo: Et* NESCIS *quia tu miſer es. &c.*

AVTOR. Ita quidem Caluiniſtæ prædicarunt, ac prædicant: ſed veræ notæ conditioneſque Miniſterii prædicationis eos deſerunt; de quibus Marc. 16. 1. Quòd non *Vtique:* 2. Nec *Domino cooperante:* 3. Nec *Sermonē confirmante:* 4. Neque *Sequentibus ſignis* ad illum.

Quin potius iſta ſubſecuta eſt deſolatio & abominatio, qualem prædixit Dominus in Templi euaſtatione futuram; Luc. 21. *Multi* Luthero caluiniſtæ &c. *venient in nomine meo, & dicent;* 1. *Ego ſum: Nolite ſequi illos.* 2. *Audietis prælia & ſeditiones; nolite timere:* 3. *Surget gens contra gentem, & regnum contra regnum.* 4. *Erunt terræmotus, peſtilentiæ, fames, terroreſque de cælo, & ſigna magna.* Veræ hæ notæ & ſigna hodiernæ ſunt perfidiæ hæreticæ, orbem imperiumque infeſtantis.

QVÆSTIO LXIII.

An Chriſti ad inferos damnatio ſit noſtra ab inferis liberatio?

CALVINVS quidem huic infernali pœnæ noſtram ferè totam Redemtionem adſcribit,

scribit, adeò vt sine descensu cruciatuque Christi tali mors in cruce nullius fuisset pretii aut valoris. Ita Instit. lib. 2. c. 16. §. 10. NIHIL *Actum erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus. Sed operæ simul pretium erat, vt diuinæ vltionis seueritatem sentiret.* Plura superius vbi de descensu tractauimus, *quæst. 52.*

AVTOR. 1. Atqui S. Scripturæ, ait *Bell. l. 4. de Christo c. 8.* totam salutem nostram tribuunt Sanguini, Mortique corporali Christi: & post mortem nihil agnoscunt vlterioris pœnæ. Ecce Phil. 2. *Factus obediens vsque ad mortem.* Quid postea? PROPTER *quod Deus exaltauit illum.* Luc. 24. *Nonne oportuit Christum pati?* Quousque, & quid deinde? *Et sic intrare in gloriam suam?*

Ecce nunc de Sanguine. Eph. 1. *In quo habemus Redemtionem per Sanguinem eius.* Coloss. 1. *Pacificans per Sanguinem crucis eius, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt.* Hebr. 9. *Per proprium Sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna Redemtione inuenta, &c.* Quare totum actum peractumque fuit in cruce; vt post mortem sola eum maneret gloria resurrectionis: post quam *Christus iam non moritur*, nec patitur.

2. Neque vllus Scripturæ locus, non dico sufficiens; sed nec probabilis afferri potest pro inferni doloribus ab Christo, exanclatis? quin nec gustatis. Vnde S. Cyrillus Catechesi 14. *Exterrita est Mors, videns nouum quendam descendentem in infernum, vinculis, quæ illic sunt, non ligatum.* Ambr. lib. de mysterio Paschæ, cap. 4. *Vinctas peccato animas, Mortis dominatione destructa, à diaboli faucibus reuocauit ad vitam: atque ita diuinus triumphus æternis characteribus est conscriptus.* Quam ista procul ab Caluini abhorrent blasphemia? Sed ea clarius elucidabit quæstio de Mediatoris officio.

QVÆSTIO LXIV.

An Christus secundum solam Humanitatem sit Mediator?

FRANC. STANCARVS Lutheranus, soli humanæ naturæ Christi tribuit Mediatoris officium & actus. Qui est Nestorianismus, duas in Christo Personas distinctas constituens; Communisque est Lutheranis-caluinistis error; Vt suprà liquet *q. 22.*

1. Quoad Mediatorem tamen quidam Lutherani Caluinistæ omnes ab Stancarianis secessionem faciunt. Ita vt ò Stancarus lib. de Trinit. & Mediat. ait *Dignitatem precum Christi non fuisse à solo Filio, sed à tota Trinitate sic ordinante & acceptante.* Item ibidem dici: *Humana in Christo natura est Mediatrix, impetratrix &c.* Nihil tribuit diuinæ hypostasi, cui tamen omnia redemtionis opera sunt tribuenda principaliter; non tamen Formaliter: Idem lib. de officio Mediatoris. *Sacerdos & Sacrificium est homo Christus; non Deus Christus.* Infrà explicat: *Ratione spiritus, Christus est Sacerdos; ratione Corporis & Animæ, Victima est.*

2. Fundamentum erroris aperiunt Frid. Staphylus lib. de Concord discipulorum Lutheri, & Lindanus in Dialogo 2. Dubitantii: Christum asserunt esse Iustificatorem secundum solam Humanitatem; Quia fingunt non formaliter iustificari per Christi Iustitiam imputatam nobis, ac obedientiam; quæ Hominis Christi est solius.

AVTOR. 1. Isti voce Personam in Christo ponunt vnam, at reipsa duas cum Nestorianis.

1. Nam si natura humana sola peregit opera ea satisfactoria; igitur per se existebat, distincta ab diuino Supposito. *Agere enim Suppositorum est.*

2. S. Scriptura Deo tribuit Mediatoris opera. Act. 20. *Ecclesiam acquisiuit Sanguine suo.* 1. Cor. 2. *Dominus gloriæ crucifixus* dicitur.

3. Mediatorem agere, est Medium esse Deum inter & hominem: Sed Is nec Deus est solus in Christo, nec Homo solus: ergò vterque simul; Deus vt principium

pium *Quod*; vt *Quo*, Homo. Ita S. Patres apud Bellarm. & Theologi *3. Sent. d. 19. & D. Th. 3. q. 26. a. 2.*

II. Solus igitur Christus propriè & immediatè perfectè est Mediator, 1. tum Supplicationis, orando & supplicando pro nobis apud Patrem. Vnde 1. Ioa. 2. *Aduocatus noster est*: &, Rom. 8. *Interpellat pro nobis.* 2. Tum Redemtionis de suo immediatè soluendo pretium, ac Satisfaciendo Patri pro nobis. Vnde passim dicitur *Hostia pro peccato.* Et 1. Timoth. 2. *Vnus Mediator Dei & Hominum, Homo Christus Iesus*: Causam addit: *Qui dedit semetipsum redemtionem pro mundo*: Non se merũ hominem: Nam, 2. Cor. 5. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.*

Et sic, Gal. 3. *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum.* Et quidem perfectè, ac immediatè, Hebr. 7. *Homines Deo reconciliauit, per semetipsum accedens ad Deum ad interpellandum pro nobis.*

1. Esto: Rom. 8. *Sp. Sanctus postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus, & interpellet pro nobis*: Itemque & Angeli, Tob. 12. Dan. 10. Apoc. 8. Seu & cæteri Diuorum: At nullus de suo, ex sese, nos redemit, vt Christus. 2. Deinde etiam Angelorum, aut Sanctorum *Nemo*, Ioan. 14. *venit ad Patrem, niss per Ipsum Christum.* 3. Deipso, quà Deo & homine; dicitur: Psal. 100. *Redemtionem misit populo suo; vt det illis hæreditatem suam.* Ipse, Luc. 1. *Fecit Redemtionem plebis suæ.* Quod si igitur benè vereque S. Bernardus vocet *B. V. Matrem Mediatricem ad Ipsum Mediatorem Christum*; quanto magis id de Cœlituum cæteris sentiẽdum est, atque tenendum? Plura in *Antichristo p. 1. quæst. 16.* Et in *Geneal. quæst. 18.*

QVÆSTIO LXV.

An Mediator sit Christus secundum vtramque Naturam?

LVTHERANI: Vt, KEMNITIVS lib. de duabus naturis; inter absurdas refert, & meritò, sententias, dicere, *Christum Mediatoris exercere officia secundum Humanam naturam tantum.* MELANCHTHON in locis c. de Filio, ait: *Deitatem Filij obediisse Patri.* Idemque asserit Liber CONCORDIÆ pag. 556. &c.

CALVINISTÆ, contendunt idem, scil. *Secundum Diuinam ac Humanam naturam agere Christum Mediatorem.* Ita CALVINVS epist. duabus ad Polonos, Tigurini, Bullingerus, Martyr. &c. Liquet ex eo, 1. *Quòd profiteantur se disentire ab Magistro Sentent. & Scholasticis.* 2. Quòd distinguant opera Mediatoris: 1. Quædam *esse Humanitatis, quoad rem: Diuinitatis, quoad efficaciam: vt Pati, Mori.* 2. Quædam *solius esse Diuinitatis; vt illuminare mentes, peccata dimittere, offerre Sacrificium*: 3. Quædam *solius Humanitatis: vt esse Victimam.* Vnde Caluinus epist. ad Polonos: *Est Pontifex & Sacerdos Diuina natura, Sacrificium verò Humana.*

SVADENT istis. 1. Ioan. 8. *Ego pono Animam meam.* Hoc, ait CALVINVS epist. ad Polonos, dicit vt Deus: Homo enim non habet arbitrium vitæ ac mortis; sed Deus. 2. Quia 2. Cor. 5. *Omnia ex Deo qui nos reconciliauit sibi per Christum. &c.* At Reconciliare, exhortari, pacificare, actiones Mediatoris sunt: Ergo Christus, vt Deus, Mediator fuit. 3. Hebr. 4. *Habemus Pontificem, qui penetrauit cœlos.* Hebr. 7. *Sine patre, sine matre, sine genealogia.* Sic natum esse, sic penetrare cœlos Dei est solius, non hominis: Ergo Mediator est quà Deus solum. 4. Quia, *Dare Sp. Sanctum, Docere. &c.* sunt solius Dei, & Mediatoris. 5. Quia Christus fuit Caput nAgelorum & hominum: vt,

Col. 1. *Primogenitus omnis creaturæ*; Idque etiam ante lapsum: quod Mediatoris est. Atqui tunc solus Deus erat, nondum homo: Ergo. Quæ ex Patribus bona malè allegant, refutata vide in *Bellarmin. libr. 5. de Christo cap. 7.*

AVTOR. Atqui verò istud Arianū est, simulque Eutychianum. Vide in mea *Genealogia par. 1. q. 18.* Hoc autem solum orthodoxum est: *Principium Quod* Mediatoris opera operatur, est Suppositum Christi totum, quà Deus & Homo: *Formale* autem *Principium Quo* ea peragit Christus, est sola Humanitas, non Diuinitas. Quia cùm vna solū in Christo sit Persona, huius solius est proprium *Mediari*; sed sub principio formali Humanitatis solius, quà est vnita Diuinitati; non quà sola spectatur.

1. Ecce, 1. Tim. 2. *Vnus Deus*, Trinitas peccatis læsa: *Vnus & Mediator DEI & hominum*: quatenus? *Homo*, scilic. secundum naturam humanam, sed vnitā Deo; ideo addit, *Christus IESVS*, quà suppositum vnum.

2. Mediator est inter duos vnitor, inter Deum & hominem: cum igitur nec Deus ipse sibi, nec Homo merus Deo & sibi posset mediari; necesse erat id relinqui vni Homini qui vnitus esset Deo, qui & hominibus nosset compati, & posset adire Deum per semetipsum, placare que SS. Trinitatem læsam.

3. Quod si Christus, quà Deus, foret Mediator cùm Deus Vnus sit trinus, tres forent Mediatores, scilic. tres Personæ. Nam cùm *opera Diuinitatis sint indiuisa*, hoc, Mediari, ex æquo tribus conuenire oporteret. Quòd absurdum dictu, ac infandum est.

4. Denique, Sacrificare, & eo satisfacere Deo, Mediatoris est; & Deo minoris; vt fatentur Sectarii: Idēq; verò est & solius Hominis. Nam Deum, aut Diuinitatem facere Sacerdotem, Arianismus est: Cùm Sacerdos minor sit illo, cuius est Sacerdos, scilic. Dei. Vide S. Patres apud *Bellar. l. 4. de Christo c. 5.*

Obiectiones Luthero-caluinist affectatè non distinguunt inter opera Personę, & Naturarum singularum in Christo. Vide in meo *Antichristo p. 1. q. 11.* Attamen ad singulas aliquid:

DICO AD I. Cùm ponere animā, & resumere, sit mori & resurgere; hæc hominis sunt, non Dei: Ita S. Patres. At potestas eam ponendi ac resumendi, est Dei, dataq; Christo homini ab Deo. Vnde homo, non Deus, est Mediator.

AD II. Non sunt ea semper Mediatoris. Nam qui tertius alterum cum altero reconciliat; Mediator est: Qui verò se cum altero reconciliat, is non est Mediator vllius. At *Deus reconciliauit nos sibi* PER Mediatorem, Christum hominem: ita & Christus quà Deus, fuit reconciliatus, non reconcilians.

AD III. Ea probant Diuinitatem Christi: non Mediationem. Et quà homo, non quà Deus, penetrauit cœlos: nec quà homo, sed quà Deus, caret matre. Neque tamen illa sunt absque Potestate diuina.

AD IV. Dare Sp. Sanctum Meritoriè, est propriè Mediatoris; non formaliter Dei: at dare efficienter, vti Autorem doni, hoc Dei est solius Trinuni. Sic & docere intus illuminando, Dei est: hominis, exterius formando.

AD V. Ante lapsum Christus, quà Deus, fuit Caput Angelorū, vti & Pater & Spi-

& Spiritus: non tamen Mediator. Sic enim Trinitas fuisset Mediatrix. At *Christus* homo, 1 Tim 2. *Mediator est Dei, & hominum*; non Angelorum. *Dein*; dicere, Christum, quà Deum, fuisse Adæ, essequenobis Mediatorem; est eũ facere minorem Patre: qui Arianismus est. At *Primogenitus est* Patris naturaliter ab æterno: *Creaturæ*, intentionaliter, Prou. 8. *antequam quicquam faceret à principio.* Et hæc mens est S. Patrum.

QVÆSTIO LXVI.

Quomodo resurrexit IESVS?

LVTHERANI VBIQVISTAE, de quibus suprà *quæst. 26.* haud grauiè ista nobis vltio quasi obtrudunt talia: *Christus non resurrexit à mortuis. Nec enim è sepulcro exiuit vnquam; sed solum extra sepulcrum se manifestauit; Cùm ibidem tamen inuisibiliter permaneret.*

AVTOR. Hoc Portentum fundit Vbiquitas: Simile isti, *Mortua est Diuinitas.* Qui, suprà *quæst. 16. & 43.* passam ac mortuam blasphemant Diuinitatem Christi; ecquam, obsecro, assererent resurrectionem? A qua Diuinitate reuocata in viram Christi credetur Diuinitas? 2. An ab altiore alia Patris? Et quidem Patri soli propriè vocem, DEVS, in Scripturis conuenire pertendunt, suprà *q. 8.* Christum autem verum credi Deum oportere diffitentur, *q. 31.* vt in quẽ, *q. 10.* Nomina veri Dei minimè satis quadrẽt. 2. An ab æquali Sui Deitate resuscitata Christi extitit Diuinitas? At æqualem nescit; Vnam eandemq; solam, veram, adorat veritas Christiana. Quid ergo, Lutherani, vobis videtur de Christo?

RESP. SCHMIDELINVS in polog. ad Theses Ingolst. *Caro Christi seipsam, secundum Humanitatem, excitauisse credenda est.*

AVTOR. Planè ita est: *Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdin.*

2. BRENTIVS in sua Recognitione ait: *Quoad resurrectionem, inter Petrum & Christum, nullum est discrimen. Imò penè admirabilior est Petri, quam Christi.*

AVTOR. Dixit: nil docuit: Nec, quod dicere infandius posset, fingere sciuit.

II. CALVINISTÆ altius sapere videri volunt. Ac principio DE SANGVINE Christi profuso.

CALVINVS in Matth. 26. *Furunt, & cum ratione insaniunt, qui docent Christi Sanguinem cum eius Carne nunc esse coniunctum.* Quianam? SADEEL in 2. Indice errorum Gregorii de Valentia: *Christum*, ait, *resumsisse Sanguinem, ex Scripturis probari non potest.* CVRÆVS in Spongia causam suggerit aliam: Quia *Dissipatus est statim, cum effusus est.* ERASTVS in fundamentali declaratione pag. 29. *In terra computruit; non est in rerum natura amplius.*

AVTOR. 1. AT verò argumentulis & fabulamentis eiusmodi perinde iam demonstratum foret; nostrorum humi consumtorum corporum resurrectionem impossibilem esse.

2. Adde: Eccubi locorum vsquam in Bibliis ostendetur vel per vmbrã; Christum absque Sanguinis fusi resumtione resurrexisse?

3. D. Thomas autem *p. 3. q. 54. a. 2.* planissimè docet: Etsi Corpus Christi in resurrectione alterius fuerit gloriæ; non tamen alterius naturæ fuit, sed eiusdem: ideo quicquid ad naturam corporis pertinet, id omne Domino adfuit resurgenti: Pertinent ad eam verò carnes, ossa & Sanguis: quare absque omni talium diminutione integrum resurrexit.

4. Porrò idem docet alubi. 1. q. 119. a. 1. c. quod duplex homini sanguis inest: *Necessarius* ad integritatem pertinens naturæ; & *Nutrimentalis*, qui ex cibo potuque

tuque accedit sine quo homo esse quidem homo potest; sed non superuiuere diu. Hunc in resurrectione omnem resumsisse, minimè necesse fuit; eo quòd ad naturæ integritatem minus requireretur. At Necessarium illum, ad Humanitatis integritatem ad Corpus quoque resungentis oportuit reuerti.

5. Specialiter, ait, idem *in Quodlib. 5. quæst. 3. a. 5.* de Sanguine in Passione fuso, pro redemtione nostra, DICENDVM est, Quòd totus in resurrectione ad Corpus redierit. Triplici ratione.

1. *Ob AEtatem patientis* perfectissimam, cui nihil deesse perfectionis humanæ potuit vel debuit.

2. *Ob Meritum*; Si enim ex Martyrum partes, in quibus pro Christo passi fuerant, quendam priuilegiatum fulgorem in resurrectione habēt; teste *S. Aug. lib. 21. Ciuit.* quantò magis Christi Sanguis ad gloriosam resurrectionem est reparatus?

3. *Ob Virtutem Passionis.* Sanguis enim ille fusus humanum genus sanctificauit; iuxta Hebr. vlt. *Iesus vt sanctificaret per Sanguinem populum suum, extra portam passus est.* Habuit verò Sanguis Christi vim salutiferam, ex Verbi sibi vniti virtute, vt ait *Damasc. libro 3.* Qua causa eundem ad Corpus redire necesse fuit. Hæc de Sanguine.

Portò de ipsus RESVSCITATIONIS MODO.

III. CALVINVS in Ioan. c. 20. vers. 19. *Christus seipsum in Vitam Reuocare* NON *potuit; Dei Patris interuenire operam oportuit. Absurdè facit Christus, cùm propria sibi resurrectionis gloriam vendicat.*

AVTOR. At ipsa te Veritas refutat, Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me; sed Ego pono eam; & iterum sumo eam ad me.* Ioann. 5. *Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat: sic & Filius, quos vult viuificat.* Vide D. Thomas 3. quæst. 53. a. 4.

2. CINGLIVS tom. 2. in respons. ad Lutheri lib. de Sacram. fol. 405. *Christus e monumento, eo egressus est modo, quo crassus etiam Lutheri prætor, rubras indutus caligas, egredi potuit.*

3. PET. MARTYR lib. de Euchar. *Christum Angelo, qui lapidem à sepulcri ostio remouerat, auxilio indigebat.* Sic & Gualtherus hom. 133. Probabilem hanc sententiam iudicant Caluinus *Instit. lsbr. 4. c. 17. §. 29.* & BEZA *libr. de omnipræsentia carnis Christi* contra Brentium.

AVTOR. 1. Verè Lutherani in Colloq. Mompelgart. anno M. D. LXIV. exclamarunt ad talia: *Caluinistæ præ cæteris, Nihil diuinæ gloriæ relinquunt Christo, eum de Throno Maiestatis detrahunt & deturbant: nudum illi nomen & appellationem summæ Maiestatis tribunt; reuera autem* NIHIL. Sed

Væ tibi Tu, nigræ dicebat cacabus ollæ.

Sic sathanam sathanas culpat; Cornicula coruum.

2. Nimirum isto fuco, Dominicæ per fores clausas penetrationi facere licebit eis fucum auricalchium. Idcò procaciter CALVINVS in Ioann. c. 20. v. 19. *Verum esse minimè concedo, quod effutierunt Papistæ, Christi Corpus penetrasse per ianuas clausas.* Papæ! Quis vnquam audiuit talia?

Sc': BEZA causam dicit in Ioann. cap. 20. *Vel sponte patuerunt Christo fores: Vel ipsetiam parietes ei fuerunt peruij. Cùm ista non fuerint ei difficiliora, quam super aquas ambulare.*

AVTOR. Ehem BEZA! Siccine tuum

tuum tu castigare Magistrum ? Vel obclamantem audi. *Hoc*, inquit, *ideo contẽdunt vt Corpus glorioſum non modò ſimile reddant ſpiritui ; ſed immenſum eſſe, nullo, loco contineri obtineant.* At quid pro eo contendamus obtinendo ; quod corpori deberi glorioſo S. Patres affirmant, & Beza tuus ? Quid, quòd illud tuum figmentum mendacio cumules, atque calumnia vel in ipſos S. Patres impacta ? Hi cum Paulo credunt, 1. Cor. 15. *Reſurget corpus ſpirituale*, omniumque penetratiuum.

Atat cum ratione etiam mentitus eſſe videri appetit.

1. *Nil tale ſonant verba*, inquit: *Quia non dicit Euangelium, intraſſe per ianuas clauſas: ſed repente ſtetiſſe inter Diſcipulos, cum tamẽ clauſa eſſent ianuæ ; nec aditus illi eſſet patefactus manu hominis.*

Avtor. Mentitus nunc etiam es Spiritui Sancto, qui per Euãgeliſtam dixit: *Venit ianuis clauſis.*

2. Inſtat exemplo: *Scimus Petrum è carcere obſerato egreſſum eſſe : an ideo dicendum erit, per medium ferrum & aſteres penetraſſe ?*

Avtor. Sycophantiam adiicit mendacio. Nec enim Scriptura dicit exiſſe Petrum foribus clauſis ; ſed Act. 12. *Porta ferrea ciuitatis vltrò aperta fuit.*

3. Calvino ſui ſuccenturientes operã locant vicariam ; hisque dictitantibus, *ſeſe per feneſtram iniecisse Chriſtum:* aliterque alubique aliis aliis verò, *pulſanti apertum fuiſſe, ſicq; introiſſe:* Ipſe demũ Choragus ita determinat : *Quærere neceſſe non eſt, quemadmodum intrarit : ſat fuerit, conſtare, quòd non per ianuas clauſas ſeſe penetrârit.*

Finiam nunc ego vel ipſiusmet totidem verbis Caluini.

Faceſſant ergo pueriles iſtæ argutiæ, quæ nihil prorſus habent ſolidi ; & multa ſecum trahunt deliria.

Avtor. Atqvi verò, 1. Iſte per fores clauſas ingreſſus docet *Dominum ſepulcro clauſo reſurrexiſſe ; 2. Vtero Virginis clauſo exiſſe : 3, Verè ſuper aquas inambulaſſe* cum Corpore vero : 4, *Per medium eorum tranſiſſe* lapidare eum volentium : 5. *Lazarum* mortuum dicto Chriſti paruiſſe *ligatisque manibus & pedibus prodiiſſe.* 6. Cœlos Chriſtum aſcendentem penetraſſe. Non hæ pueriles argutiæ ſunt, aut deliria : Non.

2. Delirauitne S Chryſ. hom. 89. in Ioann. *Admirandum*, ait, *quòd phantaſma eſſe non ſunt ſuſpicati.* S. Aug. tract. 12. in Ioann. *Moli corporis, vbi Diuinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt. Ille quippe eis non apertis intrare potuit ; quo naſcente Virginitas Matris inuiolata permanſit.* S. Greg. hom. 20. in Euang. *Quid mirum, ſi clauſis ianuis poſt reſurrectionem ſuam, in æternum iam victurus, intrauit ; qui moriturus, viuens non aperto Virginis vtero exiit ?*

3. Ad vltimum ſuis ipſe Calvinvs feneſtras, pulſationes, apertiones, fabulantibus ita reſponſat : *Sic habendum eſt: Chriſtum non ſine miraculo ingreſſum eſſe ; Vt documentum ederet ſuæ Diuinitatis : quò ſuos Diſcipulos magis attentos redderet.* Rectè ſeipſum refutauit. Cætera repete ex *Antichriſto meo. p. 1. q. 17.* Et *Genealog. p. 1. quæſt. 19.* Et *D. Thom. 3. quæſt. 54. a. 1, ad 1. & 2.*

QVÆSTIO LXVII.

An Chriſtus primus ad Cœlos aſcendit ?

Lvtherani plerique : Vt Marbachius libr. de Cœna Dom. Argentinæ excuſo, fol. 150. &c, & in tribus concion. de Aſcenſione. 1. *Chriſtus in cœlum ter aſcendit ; bis verò, ſemel imaginarie.*

Explicant id Illyricus *libr. de omnipræsentia carnis Christi*; BRENTIVS *in Catechesi anni 1551. & in Lucam hom. 50.* Lossius *in Matth. c. 26.* Schmidelinus. &c. 1. *Verè ascendit*, ait, *in Conceptione, & cùm in vtero materno humanæ naturæ vnita Diuina, & Verbũ Caro factum est. Fuit enim humana natura ab initio incarnationis in cœlo, & vbique.* 2. *Verè ascendit*, ait, Marbachius vbi supra: *Cùm formam serui deposuit in cruce, emisit spiritu.* 3. *Imaginariè ascendit quadragesimo à resurrectione die.*

2. *Is autem ascensus Christi quadragesimo post Pascha die fuit tantum Dispensatio.* Ecquid istud; *Dispensatio?* Exponit BRENTIVS in Recognitione sua pag 167. teste Beza in respons. ad Acta Colloquii Mompelgart. *Fuit externum spectaculum vsque ad nubes.* Vel, vt Marbachius ibid. & Andr. Musculus, Concordiæ Bergensis compater in art. de Cœna Dom. *Fuit disparitio, & visum quoddam.*

3. Itaque ait Schmidelinus in Thesib. Wittenberg. anni 1580. Thesi 287. *Christo, vt ad Patrem veniret, ne latum quidem vnguem aut pilum à terra recedendum fuit.*

CALVINVS in Luc. c. 16. Item in Psychopannychia: Et BEZA lib. 2. contra Brẽtium de Christi Maiestate par. 2. Et peruulgatum est dogma Caluinistarum tale: *Christus non fuit primus, qui cœlos penetrarit. Iusti omnes Veteris Testamentis hac vita soluti, iniis ipsis Beatorum sedibus, immane quantum ante Illum recepti sunt.*

Neque LVTHERVS abhorret ab hoc pseudocanonismo: patebit infrà.

AVTOR. Duæ hic triuiales occinũtur contilenæ: Vbiquitaria Lutheranorum altera; altera de Subaltaristis in cœlo Caluinianorum, de quibus *q. 55. & 73.* VBIQVISTÆ Christum in Conceptione cœlos petisse nugantur eò, quòd vnita cum Verbo Humanitas continuò cum eâdem esse cœperit vbique; ac proinde & in cœlo, velut Deificata. Similiter post hoc, *Pater in manus tuas comm. &c.* dictum factum fuisse. Qua in commixtione Naturarum Christi perquam opus distinctione est.

QVÆRES igitur, *Secundum vtram naturam Christus ascendit?*

RESPOND. 1. Quoad Conditionem Ascendentis, cùm ea sit Diuinæ naturæ, Christus non potuit ascendere: *Tum*, quia eidem non competit motus localis; vt quæ implens omnia immobilis sit, & illocalis. Humana verò Christi natura potuit ascendere; vt quæ & Localis erat, & mobilis.

2. Quoad Causam ascensionis, Christus ascendit virtute diuinæ solius, non humanæ, naturæ. Vnde S. Aug. serm. 176. de Tempore. tom. 10. *De nostro fuit, quod Filius Dei pependit in cruce; sed de suo, quod ascendit.*

Ecce propemticum Isaiæ, c. 63. *Iste formosus stola sua gradiens, in multitudine fortitudinis suæ.* Idest, vt ait S. Greg. Rom. in Euang. *Helias in curru legitur ascendisse; vt videlicet apertè demonstraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Redemtor autem noster non curru, non Angelis subleuatus legitur: Quia, qui fecerat omnia, super omnia sua virtute ferebatur* diuinitus, vt Deus. Vide S. Th. 3. q. 57. a. 30. Satis ista in præsens: mox cum Vbiquistis pressius agamus.

II. CALVINISTÆ duo asserunt. 1. Christum non esse ascendentium primum. 2. Sanctos Veteris Testam. diu antè cœlos incoluisse.

AVTOR. O Biblicos, scilicet, Caluinistas!

1. Quæro, Ephe. 4. *Propter quod dicit*; Psal. 67. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem?* Ecquam isthanc? Nisi de quà prædixerat Eccl. 24. *Penetrabo*; Cœlos? Non; sed *omnes Inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes; illuminabo omnes sperantes in Domino.* Hinc in cœlo degebant? Falsum igitur epiphonema foret Zachariæ cap. 9. *Tu in Sanguine Testamenti tui emisisti Vinctos de lacu,*

lacu, in quo non est aqua. Quis in cœlo lacus? Explicat Oseas, cap. 3 lacum: *De manu Mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua ô Mors: morsus tuus ero Inferne.*

2. Vnde votum Zachariæ, Luc. 1. *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent.* Dictum factum; teste Apostolo, Hebr. 2. Mortuus est, *vt destrueret eum, qui habebat Mortis imperium, id est, diabolum; & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant seruituti.* Hæc omnia, aliaque talia passim inferos, non cœlos loquuntur. Vide plura suprà *quæst. 55.* & aliis isthic citatis locis.

3. Iam ex hoc; quòd omnes descenderint, reprobi in gehennam; Sancti in Limbum; Nec Paradisum quisquam intrârit, obstante Angelo cum romphæa flammea; Et, quòd Sanctos eduxerit omnes Christus: ex hoc, inquam, sequitur; & Christum; vt primus fuit, qui è cœlo descendit: sic & primum fuisse omnium, qui ascendit. Sicut est *primitiæ dormientium* ac resurgentium; sic & ascendentium. Iuxta Ioan. 3 *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.*

Id quod eliquidat Apostolus, Eph. 4. *Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit?* Glossa, scilic. *secundum Humanitatem.* Nam ita S. Aug l. 4 de Symbolo. c. 7. tom. 9. *Quis est, qui descendit? Deus homo. Quis est, qui ascendit? Idem ipse Deus homo.* Descendit Deus secundum exinanitionem, *formam serui accipiens:* Ascendit Homo, secundum plenitudinem perfectionis, & omnium consummationem: Et tamen vtrob. que non nisi *Homo Deus Christus Iesus*: Deus, essentialiter, potentialiter, & vbiq; præsentialiter: Homo autem localiter. Hisce quia constringuntur Luthero-caluinistæ; eadem viri esse sophistæ proclamabunt: Sed ego te Iudicem appello, CHRISTE.

III. SCHARPIVS in Cursu Theol. sect. 21. controu. 2. ait: *Nos negamus* ANIMAM *Christi verè descendisse ad inferos: & asserimus immediatè post mortem cœlum ingressam esse.*

SVADET istis. 1. Quia Euangelistæ descensum animæ silent.

2. Quia non descendit Deitate; quia hæc vbique est, nec locum mutat: Non Corpore; quia hoc in sepulcro iacuit: Non Anima; quia hæc in paradiso fuit; ceu latroni promisit. *Luc. 23.*

3. Quia Christus commendauit Spiritũ suum in manus Patris, vti & Stephanus: at huius anima statim euolauit in cœlum: ergo & Christi.

4. Quia non descendit, 1. Vt victoriæ gloriam ostenderet; nam sic Descensus fuisset initium glorificationis, non Resurrectio; quod absurdum. 2. Non vt ibi pateretur; nam in cruce *consummatum est*: 3. Non vt Patres è limbo educeret; nam ibi non fuerant, nec limbus erat.

5. Quia per Adam, *Rom. 5.* cõstituti iniusti protinus sunt è paradiso exclusi: Ergo per Christum constituti iusti protinus in cœlum recipiuntur; inprimis Christus.

6. Quidam Patres & Concilia articulum de Descensu suis in Symbolis omittunt, quia de reali descensu Christi non potest intelligi.

AVTOR. Christus secundum Animam verè descendit ad inferos. 1. Quia Matth 12. *Sicut Ionas fuit in ventre ceti; ita Filius hominis in corde terræ.*

INSTAT 1. CALVINVS in psychopan. Venter ceti erat figura mortis. 2. Alii, *Cor terræ*, est sepulcrum, aiunt.

DICO AD I. At *cor terræ* non est mors: Dein Venter ceti similatur cordi terræ; ergo nec is figurabat mortem.

AD II. At vt cor est profundissimũ animalis ac medium; ita infernus est terræ imum: sepulcrum verò est in superficie terræ. Ita *S. Hieronym. ibid. Iren. Tert. Ambr.*

II. Quia, Act. 2. *Non relinques Animam meam in inferno.*

INSTAT Beza, id est, *in sepulcro:* Animã, id est, cadauer. Sic in defensione contra Castallionem: *Hic a. de Corpore, & de Sepulcro, nemo dubitare potest, nisi velit meridie cæcutire.* 2. ψυχὴ, vt propriè animam, significat tamen & Corpus: 1. Quia anima sumitur pro vita; at hæc quasi obiuta sepulcro est æquè ac corpus. 2. Anima est pars pro toto, *animam*, id est, *Me.* 3. Leu. 21. *Super anima non contaminetur*, id est, super cadauere.

DICO AD I. Liquet *Act. 2.* ψυχὴν propriè animam, ἅδην infernum significare. Ibid. anima destinguitur contra Carnem: Vt *Nec Anima derelicta est in inferno; nec Caro eius vidit corruptionem.* Vox ἅδης semper infernum significat. Ad confirmationem. 1. Esto; Etsi ratò: At Anima nunquam capitur pro cadauere; cum in hoc sit priuatio animæ: Nec vita est in sepulcro, cum corpus ibi careat vita. Ad II. *Sic* poneretur pars pro parte, anima pro corpore, cõtra grãmaticum. At hic opponitur carni: ergo propriè significat. Hinc & Ad III. liquet. Et *anima* in scripturis ponitur pro animali, sed cum adiuncto, *Viuentis, Eius. &c.* & significat animam sensitiuam; non, rationalem inextinguibilem.

III. Quia Rom. 10. *Quis descendit in abyssum, id est, Christum à mortuis reuocare?* Ergo post mortem in ea fuit. Fingiturà Caluino etiam viuens in ea fuisse, vt desperatus in statu damnatorum: ergo ante mortem descendisset. Et *Abyssus* hic opponitur cœlo, imũ summo: Item Descendere in abyssum ponitur pro re homini impossibili; sicut est istud: *Quis ascendet in cœlum, id est, Christum deducere?*

IV. Quia Eph. 4. *Qui ascendet, ipse est & qui descendit in inferiores partes terræ;* id est, in Infernum, ait *Hier. Ambr. Chrys. &c.* INSTAT Beza. *Inferiores partes,* id est, sepulcrum. DICO, sepulcra sunt superiores partes terræ. Dein, Beza sic explicat, & S. Patrum nullus.

DICO AD I. Negatio ab autoritate est inualida: Quia profitetur Euãgelium non omnia scripta esse: At alij descensus meminerunt.

AD II. Non Deitate, nec corpore, sed animâ descendit: cum qua & latronis erat anima, vt & S. Patrum animæ & hoc erat esse in paradiso. Vide *supra quæst. 55.*

AD III. Disparitas est: Nam orante Christo, necdum ascenderat Christus, cœlumque reserarat: at orante Stephano cœli patebant sanctis animabus. Nec spiritum in manus Dei recipi est in cœlo collocari: nam & Patrum animas receperat, quæ nihilominus in limbo tenebantur, inque sinu Abrahæ: non in cœlo.

AD IV. Descendit, non vt pateretur; sed educeret Patres, & gloriam victoriæ ostenderet; cuius initium ab redditio spiritu fuit; apparuit verò in resurrectione mortalibus.

AD V. Non sequitur necessariò ex disparatis. Nam ita solutio animæ esset eius-

ejusdem cum corpore resurrectio, & ascensio; ascendissetque Dominus prius anima, quam corpore.

AD VI. Patet *suprà quæst. 50.*

QVÆSTIO LXVIII.

Quousque Cœlorum ascendit Christus?

LVTHERANORVM hic partes certatim agunt principes duo, Flaccus Illyricus, & Brentius; præcipuè pro Vbiquistis: Quibus Christus nusquam ascendit, aut descendit. Atque idcirco COELOS, non propriè, sed Figuratè accipi oportere contendunt: vt significent Gloriam, regnum, & Maiestatem Dei; & non locum certum.

FL. ILLYRICVS *lib. de Ascens. Christi*, id SVADERE tribus putat. 1. Act. 3. *Quem oportet cœlum suscipere.* Si de loco foret sermo, dixisset; quem *oportet cœlo recipi.* 2. Quia *ascendit in cœlum*, id est, *sedet ad dexteram Patris*: sed hoc est meta horicum: quia Deo nec Dextera est, neque Sinistra. Ergo & Ascensio in cœlum accipi metaphoricè debet. 3. Quia si vel è in cœlum ascendisset corporeum, oportebat iussisse Discipulos, vt attentè spectarent, qui globos cœli stellarumque perrumperet; quò testari possent. *Profectò*, inquit, *illa est planè inuicta demonstratio contra istorũ localitatem Christi, cœlo inclusi.*

4. BRENTIVS *libr. de duab. nat. Christi*, ad docendum idem connititur hisce tribus. Quia, Hebr. 4. *Penetrauit cœlos*: Imò Eph. 4 Ascendit super omnes cœlos: ergo non est in aliquo, vt in loco. Quin, Heb. 7. *Excelsior cœlis factus.*

5. Quia si in cœlo foret corporeo, id esse Antarcticum oporteret, vtpote quietum: *Alioquin malè se haberet in perpetua agitatione illa. &c.*

6. Quia, Ioan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit*: at non descendit de corporeo; ergo nec ascendit ad corporeum.

II. CALVINVS, qui cæteroquin Vbiquistas vbique proscribit; hac tamen in quæstione haud obscurè vbiquetizat. Sic enim scribit in Marc. 16. *Locum imaginari, in quem Christus ascenderit, non conuenit.* Ratio promitur apud Schlüsselburgiũ in Theol. Calu. l. 1. c. 26. *Nullo enim spatio, ad quam sedet, Dextera Dei terminatur.* Ergo sentit Caluinus, Corpus Christi cum Diuinitate Vbique implere omnia.

III. SVRÆVS, & SPINA, Ministri duo Caluinistici, in Colloquio Parisiensi primum verbis, dein & scriptis ita professi sunt: *Qui Christum sine Diuisione peruasisse solidissimos cœlos putant, oppidò quàm falluntur. Perhiantem fracturam ingressum esse credendus est.*

AVTOR. I. Christus ascendit in verum cœlum corporeum: Intra verò, an suprà illud commoretur, incertum est D. Thomæ *3. q. 57. a. 4.* S. Augustino *epist. 57.* curiosissimum & superuacaneũ videtur. Certum istud,

Ibi Corpus Christi palpabile adæquato spacio circumscriptum est.

1. Quia vbicunque in Scripturis cœlum opponitur terræ, vt sedes Dei; ibi locus corporeus describitur.

2. Quia Christus descendet de cœlo ad iudicium cum Maiestate: non descendet de Maiestate, regno, gloria: Ergo non metaphoricè significant *Cœlum* ista; sed locum corporeum.

3. Quia, Ibi erit Christus, vbi & Sancti, *Ioan. 14* at hi, vt corporei, non sunt vbique, sed loco certo, & nobilissimo, hoc est, in cœlo quare & Christus ibid. est, ac erit. Ita S. Patres.

4. Quia, Corpora quò sunt perfectiora, eò perfectius participant bonitatẽ Dei, & superiora sunt ordine locali: vnde formaliora sunt & altiora: At corpus plus participat de bonitate Dei per gloriam, quam per naturalem formam. Quò glorioſius ac altius esse Christi Corpus debet. Ac ideo Eph. 3. *Ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia.* Euincit hæc ratio *D. Tho. 3 q. 57. a. 4* Neque suprà cœlos locus est; quia corpora sancta nil indigent continentiâ loci; cũ à Deo accipiant omnia, à cœlis nihil. Et tamen quia Sancti sunt spiritales substãtiæ, ideo debetur eis locus per modum

spiritalis contactus. Nihil ibi metaphoricum esse, dici, intelligive debet.

DICO AD I. Sive cœlum suscipiat Dominum, sive cœlo recipiatur: utrumque locum definitivum significat, & proprium locato, & proportionatum. Nam locato immortali debetur locus expers corruptionis ac motus: at mundus est locus generationis & corruptionis: ait *D. Thom. 3. quæstio 67. a. 1. o.*

AD II. Ficta illa, falsaque interpretatio est: patet iam suprà.

AD III. Non id visu contingere quibant; ut altius humano visu naturali. Sique vidissent, illusio putari potuisset. Nec testibus huc Apostolis oculatis op⁹, cùm Angeli testentur, Act. 1. *Assumtus est à nobis in cœlum, sic. &c.*

AD IV. Brentii: Ista significant supremum in cœlis locum, iuxta *D. Th. 3. q. 57. a. 5. o.*

AD V. Sanni sunt isti, in Deū blasphemi. Secus scimus ex S. August. *libr. 2 lt. Ciuit. c. vlt.* Beatos in cœlo habituros corpora gloriosa, & statum, & motum, prout voluerint; sed omnino decentem.

AD VI. Descensus Verbi fuit spiritalis naturæ: *Ascensus* corporeæ: Idcirco, dem⁹ vt is fuerit metaphoricus; non hic tamen similiter esse debuit figuratus.

AD VII. CALVINI. Beza *in Colloquio Mompelgartensi pag. 149.* in hoc à præceptore suo discedit apertè. Et bene; patet suprà.

AD VIII. Suræi. Similiter huic fabulantur Caluinistæ de ingressu Christi per ianuas clausas. Vide *suprà quæstio 56.*

QVÆSTIO LXIX.

Qualis sit Christi sessio ad dexteram Dei?

LVTHERANI, vt Schmidelinus in disput. Wittenberg. num. 123. *Sedere ad dexteram Dei nihil est aliud, quàm Maiestatem, qua Verbi diuini propria est, verè & realiter assumta natura Filium Dei communicasse.* De hisce portentis vide plura apud Ioan. Sturmium in apolog. contra Andr. Schmidel. Vide & Bezam contra Brentium de omni præsentia, &c.

2. Item Schmidelinus libr. contra Greg. de Valentia, & in disput. Wittenb. num. 109. *Deificatam in Christo humanam naturam; & ad æqualitatem gloriæ & potentiæ cum diuino Verbo exaltatam; ita vt iam Christus, etiam quà homo, vbique præsens cum Patre & Sp. Sancto, æquali potentia regnet.* Consona his Brentius, Marbachius, Pappus, & tota Vbiquitariorum natio.

3. Item eruerus Dialogo 1 de Trin. fol. 26. *Non potuisset Antichristus Diuinitatem Christi plus destruere, quam isti (Scholastici Theologi) faciunt: Cum ad eorum, quæ Diuinitatis sunt, hominis Christo tribuunt, et nos Christi, & Carnis & Corporis eius Naturam in DEVM exaltatam glorificamus.*

4. Idem Dialogo 2. *Ille ipse Christus est nunc post resurrectionem in tantam gloriam exaltus, quod nunc non dicere: Pater maior me est: Eandem habitat cum Patre lucem inaccessam. Aliàs non esset ad Dexteram Patris. Non est in aliquo certo loco circumscriptus, sed in tertio cœlo; Vnde, & vbi omnia implet.*

1. CALVINVS in Matth. c. 22. v. 44. & in c. 26. v. 64. *Sessio Christi ad dexteram metaphoricè accipienda est, pro secundo, vel proximo gradu, quem Dei Vicarius* (Christus) *occupat. Ideo quippe ad dexteram Dei sedere dicitur, quia summus Rex constitutus, qui eius nomine mundum gubernet, quasi secundum ab eo honorus & imperij Sedem obtinet.*

2. BVLINGERVS apud Bezam libr. de Omnipræsentia carnis Christi contra Brentium. *Christus in cœlos assumtus, super omnes creaturas exaltatus, Creatura esse desiit.* Vel, ait Clypeus fidei Geneuen. *ita in iis constitutus sedet, & ita in vnum locum, quasi ergastulum, inclusus, vt se inde commouere ante diem iudicij nullus queat. Et quid otiosus in terris degeret; cum nec docere hic posset, nec signa facere, nec sibi, nec nobis quicquam prodesse?*

3. CALVINVS Instit. l. 2. c. 9. §. 9. *Ad dexteram Dei non sessurus est Christus, nisi usque in diem iudicij. Temporale est siquidem*

imperium, quod à Patre Christus accepit, & sub id tempus Deus caput Christi esse desiuet.

AVTOR. Horribile; quot hæresibus quamque immanibus illa blasphemiis scateant! Vt ad crisin & examen vocare singula non sit operæ. Suapte se monstrositate confodiunt, Solum ego pauca reponam orthodoxa.

Dextera Dei. 1. Dicitur *Beatitudo*, iuxta Psal. 15. *Declarationes in dextera tua vsque in finem.* Hic sedet, id est, habitat, ait Aug. l. 1 de Symb. c. 4. 2. Dicitur & *Iudiciaria Potestas* qua Patri conregnat Christus venturus iudicare. Vide *S. Th. 3. q. 58.* 3. Dicitur & *Gloria Diuinitatis.* Quæ tria Christo conueniunt quà Deo Homini trifariam: Quà Deo; *in AEqualitate Patris*: Quà Homini; *in Beatitate* præ cunctis creaturis: Quà Christo, vni Personæ in duabus naturis; *in AEqualitate Honoris*; quatenus Filius Dei cum assumta natura sit eodem venerandus honore, non duplice. Atque tribus his modis sedere ad dexteram Patris, proprium solius est Christi. Hebr. 2. *Ad quem enim Angelorum dixit aliquando; Sede à dexteris meis?* Hoc est darè Deo, quæ Dei; Homini, quæ hominis sunt; Christo quæ Christi.

Deificatores autem Humanitatis in Christo refutauimus *suprà quæst. 27.* Seruatâ igitur trimembri distinctione dictâ, facilè fuerit enarrata hæreticorum fabulamenta diffiare. Cæterùm plura in meo *Antichristo. p. 1. q. 19.*

QVÆSTIO LXX.

An Christus meruerit esse Caput Ecclesiæ, & Iudex vniuersorum?

LVTHERO-CALVINISTAS Christum dicere sceleratorum sceleratissimum peccatorem, liquet *suprà q. 17.* Inique ipso humanæ redemtionis opere pluribus obnoxium culpis succubuisse, *quæst. 42.* Inprimis verò graues Animæ ipsius defectus eidem intruenisse, *quæst 44.* Adeoque funditus etiam desperasse, *quæst. 46.* cum fidei perditæ iactura, *quæst. 47.* Ac pro merito pœnas iustas infernorum expendisse: *quæst. 50. 51. 52. 58.* Hisque de causis nihil sibi quicquam commeruisse, *quæst 59.*

Hæc, inquam, Luthero-caluinistas affirmata iactare locis adlegatis, fecimus manifestum. Quare quæstionem præsentem ab isdem non nisi cum sibilis ac sannis excipi, nemini mirandum accidet.

1. CALVINVS, vt inimicorum Christi facilè inimicissimus est; ita & subsannatorum eius maledicentissimus, nefandissimeque blasphemus, sic ait Instit. l. 2. c. 17. §. 6. Et in Phil. 2. v. 9. *Qui Christum per merita consecutum autumant, 1. Vt Iudex sit mundi, 2. Caput Angelorum, 3. Et Summum obtineat Imperium; Temerarij sunt.*

SVADET istis. 1. *Quid opus fuit descendere vnicum Filium Dei, vt sibi acquireret aliquid noui?* 2. Quia pro nobis laborauit vsque ad mortem. Rom. 8. *Pro nobis tradidit illum.* Isa. 9. *Natus est nobis.* Ioan. 17. *Pro eis ego sanctifico me.* 3. Quia *frigeret illa commendatio amoris*, Rom. 5. *Quòd Christus pro inimicis mortem subierit.* 4. Quibus meritis assequi potuit Homo, vt esset Iudex, Caputque omnis creaturæ, & resideret in eo Maiestas illa, cuius millesimam partem nec Angeli attingunt?

AVTOR. RESPONDEO AD I. Qui descendit Deus, sibi mereri habuit nihil: at qui incarnatus Homo factus est, ei ante resurrectionem multa defuerũt. Nam & gloria corporis non sequitur absolutè ad gloriam animæ sed ad congruentiam meritorum; quia acquiritur per actus animæ exercitos in corpore.

AD II. *Pro nobis* quidem, sed non

Tantum. AD

AD III. Charitas eius passi nil impedit meritum proprium Corpori Christi accrescens. Nec sui omnino fuit oblitus Christus, vt ait Caluinus: alioquin non orasset, Ioan. 17. *Clarifica me Pater claritate, quam habui apud te.*

AD IV. Christus, ait *August. libr. de prædest. c. 15.* non meruit sibi Vnionem hypostaticam; nec vt in eo resideret ea Maiestas: meruit tamen esse Iudex & Caput omnium; quod minus est, quam Reconciliatio mundi; atqui hanc mereri potuit: ergo magis & illa. Vnde si, qui id credunt ac asserunt, *temerarii sunt*; omnino temerarius erit Christus, Spiritus Sanctus, temerarii Euangelistæ, omnisque S. Patrum Antiquitas, & Ecclesia Dei. Vide in meo *Antichristo part. 1. quæst. 19. & 20.*

I. IVDICIARIA POTESTAS est propria Christi. Quæ enim ad hanc tria requiruntur, insunt Christo perfectissimè: vt Potestas coërcendi subditos; Zelus iustitiæ; & Sapientia. *D. Tho. 3. quæst. 59. a. 1.*

Et verò Christi est, vt quà Homo in homines iudicium exerceat. 1. Ob affinitatem: Vnde Heb. 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, &c. Adeamus ergo cum fiducia ad Thronum gratiæ eius.* 2. Corpora mortuorum Deus suscitabit per Filium ad judicium, quà Hominem; animas per eundem, quà Deum, reddet corporibus: ideo & eorundem Iudex erit. 3. Quia, ait Aug. serm. 64. de Verb. Dom. *Rectum erat, vt iudicandi viderent Dominum Iudicem; in forma serui; boni & mali: in forma Dei, soli boni.*

Ea igitur Potestas conuenit Christo, Tum ob Diuinam personam, ob Capitis dignitatem, & Gratiæ plenitudinem; Tum verò etiam ex merito. Vnde August. ibidem. *Sedebit Iudex, qui stetit sub Iudice: damnabit verò reos, qui falsò factus est reus.* Liquet de Iudice: Porrò de Capite.

II. CAPVT ECCLESIÆ est Christus. 1. *Ob ordinem*; quo, quantò est altior in gratia, tantò & propinquior Deo. Qua causa etiam, Rom. 8. *Quos præscivit, hos & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui: vt sit ipse Primogenitus in multis fratribus.* 2. *Ob perfectionem* gratiarum plenam. 3. *Ob virtutem* infundendi gratiam in membra influentem. Cùm autem Humanitas tota Christi influat in animas & corpora; idcirco vtrorumque Caput est: Et hoc inter vniuersum genus humanũ. Quia 1. Tim. 4. *Est Saluator omnium hominum, maximè infidelium.* 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, &c. Sed etiam pro totius mundi.* Vide D. Thom. 3. quæst. 8.

ANGELORVM verò Caput est Christus quia illi vnum Corpus mysticum sunt cum militante Ecclesia. Vtrorumque autem vnus solus Christus vnicum propriumque Caput est, vt præter eum alius esse nequeat. De summo Christi Dominio actum alibi; agetur-que loco proprio.

II. CAVLINVS de Iudice Laciniam assuens dicit in Luc. c. 24. v. 39. *Plagis adhuc eum Confossum imaginari, cum aduenisset mundi Iudex, stultum & anile est delirium.*

AVTOR. 1. Detestantur hunc turpissimum Caluini errorem eiusdem discipuli, vt Cõradus Pelicanus *in Ioa. c. 20.* Ro-

Rodulphus Gualtherus *fol. 175. in Ioan.* Ministri ambo Tigurini.

2. Ven. Beda in Lucam Comment. c. 97. *Vulnerum citatrices non seruauit, quod sanare non posset; sed vt perpetuò triumphum victoriæ suæ circumferret.*

3. S. Augustinus putat eas non hiasse rupta carne; sed vt signa mansisse. At melior, communiorque sententia est contraria: vt in quarum hiatus intulerit digitos S. Thomas. *Ioan. 20.* Vide meum *Nucleum concionum Dom. in Albis part. 4. & 5.*

4. De S. Martyrum plagis ita S. Aug. lib. 22. Ciuit. c. 20. *Fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit; & quædam, quamuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulcritudo fulgebit. &c. Non sunt appellanda corporis vitia sed Virtutis indicia.* Hinc per maius æstima de Christo. &c.

III. Calvinus alteram annectit notam: sed suam. Quòd Apostolos & sanctos fore cum Christo Iudices asseramus; ac ob eam in cæteris, causam ipsos δουλικῶς adoremus; hoc ei bilem in nasum ciet, vt in Ioan. cap. 8. v. 53. dicat: *Illustrauit Deus nomen suum per Apostolos & Martyres: Papistæ idola ex iis sibi confingunt, quæ DEI locum occupent. &c. Quantulum enim restat Deo, vel Christo; si habeant Sancti, quod illis prodige largiuntur Papistæ? Proinde sciendum est, confundi totũ regni Dei ordinem, nisi longè infrà Christum succedant Apostoli & quicquid est Sanctorum; vt solus Ipse emineat. &c. Dupliciter peccant: Quod in doctrina Sanctos præferunt Christo: Deinde, quod illos vestientes Christi spoliis, eum propriè sua virtute exinaniunt.*

Sed singulatim de iudiciario Sanctorum honore dissentiunt hæretici, apud Maldonatum *in Ioan. c. 8. v. 53.* 1. Fore Iudices Apostolos; non per Comparationem; sicut Niniuitæ & Regina Austri: sed vti latæ sententiæ præcones. Deinde, non vt Iudices, sed vt Consiliarios & Assessores.

Avtor. 1. Caluinus declamatorem agit, non Doctorem: quin Calumniatorem; mentiens honore Christum spoliari, ac Sanctos præ ipso coornari. &c. 2. Cæteri nugatores sunt: Quasi verò sit Consiliariis opus Christo. Vide in meo *Nucleo Concionum de Iudicio, Conc. 4. par. 3. Et D. Tho. &c.*

QVÆSTIO LXXI.

Quale Iudicium Christus exercebit Luthero calumniatis?

Diligenter congessit accuratè doctus Quir. Cnoglerus, quæ huc facere videntur. Reddam ex ipso; non tam vt refutem, quam vt ad proprium reseruata locum reiiciam: censeam tamen tribus.

1. Lvtherani, Vbiquitarii, apud Bezã in respon. sua ad Acta Momelg. Colloq. tal s ex Bergensi lupa dederunt abortus. *Ad iudicium Christus non reuertetur; Nec enim potest ex loco in locum reuerti, qui omnem locũ occupat. Vel si reuertetur, non reuertetur verè,* sed apparenter tantum, hoc est, ex inuisibili euadet visibilis.

2. Lvtherus l. de Conciliis p. 2. iudicii assessores ex orco euocatos assignat Christo dicens: *Eutyches & Nestorius* (Archihæretici) *SS. Cyrillum & Leonem condemnabunt.*

De Iniusto Christi Iudicio, 1. Lutherus in libr. de seruo arbit. contra Erasmum. *Indignos coronabit, indignos puniet: immeritos saluabit, immeritos damnabit.*

2. Brentivs in explic. Cateches. Wittenb. anni 1552. pag 214. 215. *Iudicij sententiam non pronunciabit secundum Decalogum.*

3. Causam sibi promere videntur Ministri Lubecenses, Hamburgenses, Lunæburg: & Magdeburgenses in responso ad literas Illyrici & Galli: *Omnes enim qui circa Moysen, id est, Decem præcepta versantur, ad diabolum pertinent.* Addunt Antinomi apud Confessores Mansfeldenses fol. 91. 92 *Lege stante, Christum perire oportet.*

4. Symbolam adiicit suam Nicolaus Amsdorfius istam: *Nec secundum merita iudicabit,* (scilicet quicquid ipse dicat Matth. 26.) *Sed secundum Fidem. Nam bona opera pernicioſa erunt ad salutem.*

AVTOR. Vndenam hi hauserunt talia? Ex pectore, spiritu, librisque Lutheri. 1. De Amsdorfio sanè exiit sermo inter discipulos, dixisse Lutherum: *Spiritus meus requiesceret in Amsdorfio*: Nimirum ille, quicum plusquam salis modium absumsit; quique ei ante Catharinam fuit concubinus.

2. Ex libris verò: 1. Nam ita Lutherus tom. 3 fol. 40 & 41:

Moysen nec audire, nec videre volumus; Iudaico populo tantum datus est, nec quicquam ad nos pertinet. &c. Cùm quispiam tibi proponit Moysen cum suis præceptis, tu die: Abi ad Iudæos cum tuo Moyse; ego Iudæus non sum, ne me cum Moyse involuas. Idem in Colloq. mensalibus, fol 152. *Moysen cum sua Lege ego nolo habere: est magister omnium carnificum, & Christi Domini hostis.*

2. LVTHERVS igitur rursus in Postilla de pisca tura Patri, par. 2. fol. 154. In captiuit. Babyl. to. 2. Witt. anno 1551. pag. 79. Item to. 3. germanico fol 40. 41. In præfat. to. 1. Ienensi. *Cum solo Isaac veniendum nobis ad iudicium, id est, cum fide: seruos & asinos, id est, opera oportebit dimittere. Via ad cœlum angusta est; necesse est vt graciles fiat, si transire velis. Qui bonis operibus onusti sunt, nunquam per hanc viam se penetrabunt. Nec opera Deus curat, nec iis indiget: nec ille iustus est apud Deum qui multa operatur; sed qui sine opere multum credit. Prima & vltima, simulque pessima hæresis & nocentissima, qua vnquam in mundo fuit exorta est, cum docetur; Bona opera ad Salutem requiri.*

3. Item LVTHERVS in serm. super Euangel. Sic Deus dilexit &c. *Dico ego Doctor Mart. Lutherus, indignus Domini nostri Iesu Christi Euangelista, quod hunc articulum: Sola fides, absque omni opere iustificat; inconcussum mihi permittere debeat Romanus Imperator, Tartaricus Imperator, Persarum Imperator, Papa, omnes Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini totius mundi, simul cum suis dæmonibus: Atque insuper habeant ignem tartareum in sua capita, nec gratias vllas. Hic sit meus Doctoris Mart. Lutheri instinctus à Spiritu Sancto.*

AVTOR. Hæc furia est limphati.

4. Idem Lutherus tom. 1. Ienensi fol. 141. & 144. *Vox* SOLA *quam de Mto, Paulino textui addidisse non diffiteor, debet in meo nouo Testamento manere; etsi omnes Papæ simi ad insaniam & phrenesin redigantur; tamen non debent eam inde mihi eximere. Doctor Martinus Lutherus sic vult; & dicit Papistam & asinum idem esse. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Volumus enim non discipuli, sed Magistri & Iudices Papistarum esse. Imò volumus etiam semel proteruire & insultare asinis istis &c. Lutherus ita vult; & ait se Doctorem esse super omnes Doctores in toto Papatu. Pœnitet me verò, quod non addiderim & illas duas voces,* OMNIBVS, & OMNIVM, *ad hunc modum; Sola fides iustificat sine omnibus operibus omnium legum.*

AVTOR. Hæc Lutherana rabies furiata est: absit iniuria dicti mei.

CALVINISTÆ qualia? Nec improbè facta; Nec rectè gesta ventura ad iudicium aiunt, vt liquebit.

AVTOR. Infero hinc fortiter: Ergo Extr. iudicium erit aut Iustum, aut Nullum. Quia in illud venient.

I. Non Improbè facta: Enimuero

1. Ita CALVINVS in Matth. 17. vers. 16. *Non est timendum, ne in iudicium veniant peccata nostra; à quibus tam pretiosa merces nos absoluit Dei Filius.*

Ipse expertus senserit; qui inuocatis dæmonibus animam exhalauit.

2. BEZA in Confess. c. 4. art. 12. *Efficere sanctificatio naturæ humanæ in Christo, nobis per Fidem imputata, vt reliquiæ corruptionis illius, quæ in nobis etiam regeneratis insident, in rationem non veniant coram Deo.*

II. NEC rectè facta in iudicium adducentur. Nam talibus resonant vbiq; scholæ Caluinianæ:

Christiani Solifidiana iustitia, quacunque illius fuerit vita reliqua, incerta, & interminata, hominem in æternæ vitæ possessione collocabit. Tindalus, primus Angliæ Apostolus, apud Foxum Caluinistam in Actis: pag. 1336. *Quæ ad Deum placandum, nihil est in operibus differentiæ, siue vrinam reddas, siue lanes sentellam, siue agas sutorem, siue Apostolum.*

III. Existis rectè infert ZVVINGLIVS serm. de prouidentia cap. 6.

Iudicium Christi futurum iniustissimum. Nam *Dominantium more pronunciabit & definiet: Misericordiam impartior pro meo placito, non pro implorantium meritis.* Idem ibid. & tom. 1. in explicatione art. 20. *Sempiternis flammis homines ob peccata addicet; quæ tamen non ipsorum magis opus sunt, quam sui prouen-*

tus

tus agricolæ; aut mallei vomer, quem cudit faber.

AVTOR. Sat docui ex ipsismet cõtra ipsos, quod vllum fore iudicium negare cogantur. At verò sunt ea indigna Christianis auribus; calamo indigniora castigatorio: nec locum reperiunt apud quenquam, nisi quem par furia spiritus infatuârit. Quales brachio sæculari relinquendos, aut Deo Vindici, censeo.

Verum quantò Christianis istis aliter ac sanctius Ethnici ac Turcæ? *Homini*, ait Cic. in Lælio, *datur ascensus in cœlum propter mentem, virtutem, fidem.* Alcoranus in Azoara 1. *Omnis rectè viuens Mahumetes, bonique gestor indubitanter diuinum amorem assequetur.* Et passim Azoara 27. 28. 39. 45. *Secundum modum operum suorum quemque Deus remunerabitur, tribuens vitam æternam.*

VI. DE SANCTORVM CVLTV.

QVÆSTIO LXXII.

Qualia Luthero-caluinistarum de Sanctis sint Mendacia, & in eos Conuitia?

DE Mendaciis repete ex meo *Mendace Antipapist. q. 4.*

CONVITIA LVTHERANORVM & Calumniæ sunt blasphemæ, factis & dictis declaratæ.

1. Factis quidem, vt cum Imagines S. Crucis, Christi & Sanctorum exoculant, naribus & auribus truncant, mutilant manus ac pedes, totoque corpore statuas fœdant, & comminuunt: cum SS. Reliquas, corpora, & lypsanothecas, templa Sp. Sancti, cum aris ipsis euertunt, & profanant.

2. Lucianus impius Deos falsos deridiculos fecit, ac irrisit: At Erasmus Amicos & Domesticos Dei irrisui propinauit. Ecce Verba impia eius in Colloquio, Naufragium.

Num imminente mortis periculo Diui cuiusquam implorasti præsidium? Cui alteri? *Ne id quidem. Quamobrem autem? Quia spacioſum est cœlum; si cui Diuorum commendauero salutem meam, (puta Petro, quia fortasse prius audiet, vt proprior ostio) priusquam ille conueniat Deum, priusquam exponat causam meam, ego iam periero.*

Piô jocos impios!

3. Eodem in libro, more Lucianæo, B. Virginem, Chrysostomo verè Seraphicis sanctiorem, in locum ponit impurissimæ Veneris, in præfectura maris.

4. In Dialogo etiam de peregrinatione fingit B. Mariam ad Glaucoplutum scribere talia: *Quod Lutherum secutus strenuè suades superuacaneum esse inuocare Diuos, à me quidem iste nomine bonam magnamque gratiam te iisse scito; Nam antehac tantum non eneabar improbris mortalium opplorationibus. Ab Vna petebantur omnia; quasi filius meus semper infans esset? Quia talis fingitur, pingiturque in sinu meo.*

Vah! Christianum talia?

LVTHERVS, *suprà quæst. 38* Pluris non facit B. Virginis preces, quam cuiusquam è vulgo: quòd simus æquè sancti, ac illa.

AVTOR. Ecquid igitur Bernardus tot enumerat Prærogatiuas B. V. Mariæ? Chrysostomus *B. V.* dicit *Cherubin honoratiorem, Seraphin glorioſiorem?* Quid Anselme ais: *Ea puritate nitere Mariam, qua maior sub Deo nequeat intelligi?* Si æquè sancti omnes, ac B. Maria; quò illi tropæum Virginitatis, cum maternitatis honore? Quò illi tolerãtia tot, ac talium cum Filio suo Christo? Quo gladii cor penetrantis patientia? Vt sancti fierent Martyres, Confessores, &c. quãta subierunt? Lutherani, sine talibus, æquè sancti sunt, sc. aciusti.

QVINTINVS, Sutor & autor Libertinorum, teſte Caluino *lib. de inſtruct. contra Libert. c. 9.* in Sanctos petulantiſſimus, *Paulum* appellat *Vas confractum*; *Ioannem Iuuenem ſtolidum*; *Matthæum fœneratorem*; *Petrum, Chriſti abnegatorem*.

CALVINVS iſtum verè & ſeuerè arguit impietatis: ſed ipſe impietate immanior fuit. 1. Nam Veteris Teſtament. Sanctos proſcindit *Inſtit. lib. 3. cap. 14. §. 11.*

Abrahamum idololatram facit. *c. 2. §. 31.* Sara peccauit ei ancillam viro ſupponens. Rebecca impoſturis Dei Veritatem corrupit, Iacobum mentiri coegit. Iudas, *l. 3 c. 5. §. 8.* vir præpoſteri Zeli, pro mortuis ſacrificium fecit. Sephora, *lib. 4. c. 15. §. 20.* ſtulta mulier peccauit, filium circumcidens. &c. Moyſes, *in 32. Exod.* imperiosè legem Deo præſcripſit, ſuâque eum exuit iuſtitiâ.

2. NOVI Teſtamenti Sanctos inuocatos, ait, habere aures oportere à cœlo ad terram porrectas, ſi exaudire debeant. *Inſtit. l. 3. c. 20. §. 27.* Appellat *Mortuos, Vmbras, Laruas, Colluuiem*: In lib. de vera Eccleſiæ reformat. vocat *Monſtra, carnifices, beſtias*.

AVTOR. Nec ſeruos ſuos ſic appellari tuliſſet. Chriſte, talia quî tuleris? Tu de talibus dicis ac ſpondes, Apoc. 6. *Si quis vicerit, dabo ei ſedere in Throno meo; ſicut ego vici, & ſedi in Throno Patris mei.* Nos tecum, Chriſte, contra Hagiomachos tales, Lutheri, Caluinique Maiores, Porphyrium, Iulianum, Vigilantium, Wicleſum, &c. ſtabimus irretorto oculo, pede irremoto. *Tu nos Adiuua.* Lector conſulat doctiſſimum Nic. Serarium *in Litaneutico lib. 2. c. 14, 16.* de prædictis Caluini monſtroſis calumniis in Sanctos.

QVÆSTIO LXXIII.

An Sancti corpore exſoluti ſint in cœlis beati?

LVTHERVS in prælect. in Geneſin, teſte Fri. Staphilo *in par. 2. Theol. Luth.* Negat.

CALVINVS *Inſtit. l. 3. c. 20. 29.* Solum Chriſtum vult in Sancta Sanctorum introgreſſum; reliquos reſidere in atrio adviſque mundi conſummationem. *Ibid. §. 24.* Animas dicit eas fide & ſpe nobiſcum coniunctas eadem: proinde viſione carere beata. cap. 25. §. 6. *Stultum*, ait, *& temerarium quærere, quo in loco ſint animæ iuſtorum, & an gloria fruantur*. & ipſe non frui audacter definit. Vide ſuprà *quæſt. 67.* & in mea *Genealog. part. 1. quæſt. 18.*

Quæ eadem in hæreſi olim hæſerunt, (præter Tertull. & Vigilantium) etiam ARMENI, teſte Guidone *in Summa de hæret.* Et GRÆCI, teſte S. Thoma *in Opuſc. 6. c. 9.* Hi argumenta mouent, quibus noſtrates pugnant Nouatores.

SVADENT verò iſtis. 1. *Matth. 11.* Merces operariis datur ad veſperam: id eſt plena beatitudo poſt extremum iudicium. 2. Hebr. 11. *Hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſiones; Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur.* 3. Apoc. 6. *Vidi ſub altare animas interfectorum.*

4. S. Patres Græci, Latinique ſic docent, poſt extremum iudicium Sanctos primum fore beatos, quando præmia & pœnæ cuique tribuentur.

5. Nec Chriſti anima protinus à morte cœlos beata petiuit: in inferno degit adviſque reſurrectionem: Sic & noſtræ, quarum exemplar eſt Chriſtus.

6. Vel dæmones ipſi punientur poſt iudicium extr. non iam. Vnde Matth. 8. *Venisti ante tempus torquere nos:* Luc. 8. *Deprecabantur eum, ne imperaret illis, vt in Abyſſum irent.*

7. *Ioan. Scharpius Scotobritannus in Curſu Theol. p. 2. c. 37. q. 1.* arguit Bellarminum falſi, quòd dicat Caluinum negare Sanctos in Dei viſionem admiſſos eſſe: aſſeritque nobiſcum multis ſententiam Catholicam.

AVTOR. Plurima hic paucis decidenda videntur.

1. In Veteri Teſt. clauſam cœli viam Chri-

Christus in Nouo reserauit, perruptoque velo Tabernaculi cessarunt figuræ; & in cœli Sanctuariũ è Lymbo S. Patres sũt introducti. 1. Hinc in nouo Testam. S. Patres omnes docent inuocandos esse Sanctos; quod in Veteri, vt nefas, nequaquam sic, vt hodie licebat. 2. Hinc ante Christi aduentum mors Sanctorũ plangebatur: at post festiuè commemoratur. 3. Neque pronior ad pœnas Deus est, quam ad præmia: at improbos gehennâ punit, *Luc. 16.* Quocirca potius iustos cœlesti gloria remuneratur.

II. Si quando Patrum quidam dicunt, Sanctos ante iudicium extremum non esse beatos; aut non videre Deum: id omninò de consummata Corporum cum animabus beatitate ac visione dicere sunt intelligendi: Cæteroquin ipsi sibi sæpius contradixissent.

III. Neque iustè videri iniustum potest, animas ante corpora beari; 1. Cùm anima separata, non corpus solum, sit gloriæ capax. 2. Et cum anima præcipuè ad meritorum cumulum extruendum operetur; corpus verò duntaxat vt instrumentum cooperetur. 3. Tum etiam vtriusque vnum est suppositũ personale; quocirca præstat alteram partiũ ad tempus felicitate solam perfrui, quam neutram. 4. Nubẽ SS. Patrum adducit Bellarm. *lib. 1. de Sanctis cap. 4. 5.* & Rationum *cap. 6.* Vide etiam in meo *Antichristo p. 1. quæst. 21.* inque *Mendace Antipap. par. 1. q. 4.*

Dico Ad I. *Merces* particularis & imperfecta *datur ad vesperam* cuiusque vitæ: Vniuersalis in consummatione omnium.

Ad II. *Repromissiones*, 1. De Messia illi acceperunt: nos Ipsummet. 2. De beatitudine per Christi Ascensionẽ accipienda illi: nos ipsam accipimus. 3. Vtrique accepimus repromissiones de beatitate consummata post extr. iudiciũ omnibus impertienda.

Ad III. Altare Christus est; per quem omnia Sacrificia offeruntur: & sub eo Sancti isthic sunt glorioſi; sicut hic victorioſi extiterunt.

Ad IV. S. Patres vtrique stant certatim pro nobis, etiam ij quos contra nos producunt. Nam hi de incompleta beatitudine loquuntur iam data: de perfecta verò post iudicium danda. Nã tunc anima beatior erit Extensiuè, scil. etiam quoad corpus, in gloria essentiali. Ita *D. Th. 2. q. 4. c. 5.* qui prius, *in 3. d. 49. q. 1. a. 4.* senserat, etiam Intensiue maiorem fore beatitudinem Sanctorum. Sicque videtur definisse Bendictus 12. Continuari gloriam Sanctorum. Non igitur iudicium generale est superuacaneum, ob V. causas: *Bellarm. lib. 1. de Sanct. c. 6.* Nec iniustum est, animam sine corpore beari; tametsi non sine eo laborarit.

Ad V. Christi Anima non ascendit in cœlum corporeum: quia ab instanti Incarnationis fuit beata, quod est Esse in cœlo. Deinde Corpus Christi est nostro exemplar moriendo, quiescendo, resurgendo & ascendendo: non autem ad inferos descendendo: quia venit vt viam monstraret nobis ad cœlos.

Ad VI. Dæmones sunt damnati, & dira perpetiuntur, vbi vbi sint, etiam in aëre: nam gehennam circumferunt, ait *S.* Bonauent. Attaman pœnam completam recipient in iudicio extremo Et hãc

horrent, ac dèprecantur. Sicque Patres ſunt intelligendi, vt docet te *Bellarminus ibidem.*

AD VII. Impudens ſycophantia eſt: ſolum error typographi irrepſit, poſito *lib. 4.* pro *lib. 3. Inſt.*

QVÆSTIO LXXVI.

Num certus ſit Canoniſmus ad agnoſcendos, colendoſq; Sanctos?

LVTHERANI pariter & CALVINISTÆ pernegant omnẽ Canoniſmũ, rident, deteſtantur: ipſumque Diris deuouent Papam canonizantem; cuius vt omnia diffamant ceu Antichriſtiana; ſic & Sanctorum canonizationem eſſe calumniantur Idololatricam ἀποθέωσιν.

SVADENT iſtis apud Scharpium Scotobritannum in Curſu Theol. Sect. 37. q. 2. 1. Canonizationis nec mandatum, nec exemplum eſt in Scriptura; Et Papam in ea poſſe errare concedit Bellarminus. 2. Auguſt. *Multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna.* Quia hypocritæ ſoli Deo noti ſunt. 3. Solus Deus nouit, qui ſunt ſui. 4. Leo III. cœpit canoniſmum: at tunc regnauit Antichriſtus. 5. Bellarm. c. 3. concedit damnatos pro beatis cultos. 6. Recenſio Sanctorum in Scriptura non eſt canonizatio ad cultum, ſed ad imitationem. Dein etiam impii recenſentur.

AVTOR. Quid agas talibus? Quo purget quis hellebero voluntariè inſaniens cerebrum? Serion' cum iſtis, an agam ridiculò?

I. Sed agam more ipſorum ſuo. 1. Vide age ſis Luthero-caluiniſticos Canoniſmos. In Lutherano theatro apud Doctiſſ. Serarium l. 2. Litaneutici c. 4. vocatur *Lutherus Sanctus Pater.* Quin ipſe de ſe ipſo talia in Colloq. Menſal. fol. 492. *Ego ſum Vir Dei.* In tom. 2. Ien. fol. 92. b. *Ego ſum Sanctus Dei.* In tom. 1. Ien. fol. 353. b. *Ego ſum Sanctus Domini.* In tom. 2. Ien. fol. 49. a. *Ego ſum Angelus.* Ibidem fol. 68. a. *Verbum meum eſt Chriſti Verbum; os meum eſt os Chriſti. Quid plura? Beatus venter, qui me portauit.* NB. Hæc verba reperiuntur in editione prima: in poſtrema omittuntur. Vide ſui canonizatorem, ac tantum non pene Apotheoſiſtam.

2. Lutherus an non in prophetiis ſuis, c. de Papatu, apud Georg. Waltherum ait: *Sanctus Ioannes Huſs de me prophetauit.* De Luthero Caluiniſta Sibrandus lib. 1. c. 1. ait, *Sanctiſſimus Chriſti ſeruus:* Sicidem alibi *Caluinum* appellat: Caluinus *Oecolampadium*, epiſt. 52.

3. Videntur autem hoc inuidiæ lat in Cœlites à Bogomilis hæreticis ſuxiſſe quorum amentia dixit in Euãgelio præcipi, *Dæmonia, ne nocerent, colenda*; teſte Euthymio. Qui iidem cùm SS. Patrum aliquem nominabant, noluerunt Sanctitatis elogium præfari. AT QVI pa Caluiniſtarum impietas Pariſiis publicè nota eſt, & damnata. *Petrum, Paulum* dicunt, ſcribunt; non *S. Petrum, S. Paulum.* Cùm ſuum Caluinum Sodomiticum non citra præfationem *Monſieur* appellent; vt notat Serarius *in Tobiam cap. 2. quæſt. 1.*

4. Notauit & D. Driel in ſica Antipericope Pareana, pag. 22. Sacram ædem Heidelbergæ *ad S. Spiritum* non vocari, ſed duntaxat *ad Spiritum.* Teſtantur idẽ Lutherani Heiderbergã pulſi Prædicantes, libro Tubingæ edito, *anno 1585. pag. 21. 31. 32. 54.*

5. Similiter olim Leo & Coprony-

mus

mus Iconomachi, *Sanctos*, vetabant appellari; teste Glyca *in Annal. parte. 4.* Leo etiam *templum Sanctorum XL martyrum*, non nisi *XL. martyrum voluit vocari.* Michaëlus, vt patet in Miscellaneis, vetuit imaginibus subscribi, *Sanctus*, &c. Et tela hæc ex ipsorum pharetra.

II. Nunc more demum meo Canonismum asseram: Quem esse infallibilem oportere, in *Genealog p. 1. quæst. 20.* partim ostendi.

1. Per Ecclesiam Beati ac Sancti differunt, non cœlesti felicitate, sed honore & testimonio publico felicitatis, ab Ecclesia declarato.

2. SANCTI agnoscuntur probabiliter ex miraculis, quæ aut viui, aut mortui designarunt. Probabiliter inquam, cùm & prodigia esse falsa queant, *2. Thes. 2. & 2. Cor. 11.* Et vera miracula etiam à non Sanctis dentur. *Matt. 7. v. 22.*

3. Ergo infallibiliter cognoscuntur Sancti, 1. Vel Scripturæ testimonio: vt quos Apostolus, *Heb. 11.* in suo recenset Hagiologio. 2. Vel Iudicio Ecclesiæ; quæ 2 Tim. 3. *Columna & firmamẽtum est veritatis.* Quod iudicium Canonizatio dicitur, decernens honores Sanctis septemplices. 1. Nomen Sancti. 2. Inuocatio. 3. Aris & templis coli. 4. Missis & Horarum Canonicarum officiis celebrari. 5 Festos illi dies agitari. 6. Imaginibus in locis sacris repræsentari. 7. Reliquias eorum in aris ac ipsanothecis honorari.

III. Hunc diuorum honorum Canonismum adstruimus *Scripturis*, *Ratione*, *& Primæua Consuetudine*, moreq; maiorum. 1. Scripturis quidem. Nam Deo ad Canonizationem adlubescit: Quia Vtriusque Instrumenti Scriptoribeandem suggessit. Enimuerò ab hisce, publico Ecclesiæ testimonio Sanctos voluit plures declaratos. 1. Patet *Eccl. 44. 45. &c.* quantum testatur inclytos virtutibus viros Sanctos? 2. Lucas in Actis Canonizauit Stephanum, Iacobũ maiorem, Petrum, Paulum, Silam. &c. 3 Christus Apostolus: *Vos amici mei estis. Qui secuti estis me, vitam æternam habebitis. Pater Sanctifica illos; Serua illos, quos mihi dedisti. &c.*

2. Vin' Iussionem cultus? Ecce Eccles. 44. *Sapientiam Sanctorum narrent populi, & laudem eorum annuncient Ecclesiæ.*

3. Vin' Rationem Vtilitatis? 1. Hæc nostra Sanctorum imitatio est. Heb. 13. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui locuti sunt vobis Verbum: Quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* Atqui Canonismus eos, vt lucernas, in candelabro proponit. 2. Ad hæc cùm membra simus vnius Corporis Christi; par est, vt, sicut afflictis compatimur, ita & glorificatis in cœlo congaudeamus in Ecclesia Psal. 150. *Laudate Dominum in Sanctis eius.* Alias ex Fide rationes repete ex mea *Genealog. part. 1. q. 20.*

De Necessitate Canonismi vide cultissimum Nic: Serarium *in Litaneutico l. 2. c. 12.*

DICO AD I. Exemplum declarationis Sanctorum extat & mandatum: vt iam patet.

AD II. Verum est de multis in auro sepultis, & mausolæo honoratis: at non de Canonizatis. Nec mortuus vllus est hypocrita; nec viuus talis canonizatur.

AD

AD III. Deus nouit; at non ſolus: ſed & ij, quibus reuelat per infallibilem Sp. Sancti aſſiſtentiam: quæ Papæ & Eccleſiæ præſtò eſt.

AD IV. Leo III. publicum canoniſmum cœpit quoad ſolennitatem accidentalem, non quoad rem ipſam. Hāc vſus Eccleſiæ cœpit, tenuitque. *Bellar. cap. 8.*

AD V. At damnatos vnde conſtitit? Cōſtiterit poſtea; at nō fuerant canonizati vnquā. Dein: Coluerit quendā vulgus errore facti; at non intentionis. Nec vulgus locale præualet Eccleſiæ vniuerſali.

AD VI. Scopus canoniſmi eſt & veneratio, non ſolum imitatio; patebit infrà. Et impiorum recenſio fit in eorum deteſtationem.

QVÆSTIO LXXV.

Quis, qualisque Cultus religionis debetur Sanctis?

LVTHERANI Magdeburgenſes Cent. 1. l. 2. c. 4. col. 340. dicunt: *Omnis Sanctorum adoratio eſt Idololatrica.* Sic plerique cæteri cum veſana conuociferatione.

CAVLINVS *Inſtit. l. 1. c. 11. §. 11. & c. 12. §. 1. 2. &c.* nullum penitus Cultum patitur ſeu Angelis, ſiue aliis Sanctis deferri. Quòd duplicem conſtituat Honorem, Diuinum, ſeu Religioſum, ui ſoli Deo; & Ciuilem, qui creaturæ cuicunque exhibetur. Porrò δουλέυειν, id eſt, ſeruire plus eſſe vult, quam λατρέυειν, id eſt, colere: ac proinde Colere vllum ſine latria, eſſe colere ſine Cultu; quod negari eſt. &c.

AVTOR. Plurima talia ſpuria vitulamina falce curtâ reſcindam.

I. Cultus interior, exteriorue, cum triplicis exiſtimatione Excellentiæ fertur: 1. Vel DIVINÆ ac infinitæ; & Hic dicitur Latria. 2. Vel HVMANÆ; & eſt Obſeruantia: 3 Vel MEDIÆ; & eſt Dulia. Ex quo liquet realem, non dūntaxat verbalem, vt Caluino placet, differentiam eſſe Latriæ ab Dulia: Differunt autem vt finitum & Infinitum. Itaque infinities Latria Dei ſuperat Duliam Sanctorum.

II. Quare ſoli Deo latriæ; Sanctis in cœlo beatis duliæ cultus debetur. 1. Sic Abraham, *Gen. 18.* Loth, *Gen. 9.* Balaam, *Num. 22.* Ioſue, *cap. 5. adorauit pronus in terram Angelum:* Quod non erat ciuiliter, ſed religioſè adorare, vt quouis homine altiorem Dei miniſtrum. 2. Sic adorati ſunt Sancti. Saul, *1. Reg. 18.* animam Samuelis adorauit; quem ideo nec Samuel, nec Scriptura reprehendit. Ita Abdias adorat Heliam, 3 *Reg. 18.* etiminorem maior. Sic filij propheratum, *4 Reg. 2.* audito Spiritum Eliæ requieuiſſe ſuper Heliſæum, *adorauerunt eum proni in terram.* Sic, *Dan. 2.* Nabuchodonoſor ſecum captiuum adorauit Danielem, ob intrinſecam ſanctitatem eius. Ita SS. Patres. &c.

III. Quod prohibiti quidam ſunt ab adoratione; error in cauſa fuit. Vt Cornelius in Petro quid Diuinum ineſſe putabat: Sic, *Act. 14.* Licaones in Paulo & Barnabo: *Apoc. 1.* Ioannes in Angelo, ait *Aug. quæſt. 61. in Gen.* putauerit apparere Chriſtum; cùm dixiſſet: *Ego ſum primus & nouiſſimus; fui mortuus, & ecce ſum viuens.*

S. Patres autem reprehendunt eos, qui ex hominibus Deos faciebant. Nos verò, ait S. Cyrillus Alexand. l. 6. in Iulianum: *non Deos factos eſſe dicimus Sanctos Martyres; ſed omni honore dignari conſuetimus.*

uimus. Damasc. l. 4. de fide c. 16. *Honorare decet Sanctos, vt Amicos Christi, vt filios Dei & hæredes.*

IV. Atque inde factum, vt Dulia Sanctorum templis, aris, festis, votis, imaginibus, peregrinationibus omnia orbis Christiani loca complerit: Non sic Ciuilis & humana Obseruantia coluit Papas, Imperatores, Reges, &c. Non.

Rectè id quidē. Quia si ciuilis honor ciuili debetur virtuti, vt sapientiæ, potētiæ, nobilitati: sanè altiorem deberi gratię supernaturali Sanctorum necesse est; qui, *vt mundi corde Deum* intuentur, æternamque sapientiam contemplantur, non in ænigmate; sed sicut ipsi cogniti sunt. Qui Dei potentiæ participes facti. Vnde Apoc. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere in throno meo.* Itemque nobilitatis diuinæ consortes; Vnde de ijs, Luc 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.*

QVÆSTIO LXXVI.

Inuocatio Sanctorum quatenus illicita, licitaque sit?

LVTHERANI perinde vt CALVINIANI tria, iam olim condemnata sæpius, renouant. 1. Mortuos pro viuis orare non constat è Scriptura. 2. Orare forsan vniuersim pro Ecclesia; non singulatim pro quoquam. 3. Inuocari Inutiliter, & Illicitè. Vide in *Genealog. q. 21.*

SVADENT istis. 1. Inuocatio Sanctorum cedit in iniuriam Dei; qui solus vult inuocari. *Matth. 4.* 2. In iniuriam Christi, qui solus Mediator est ad Deum, 1. *Tim. 2. Eph. 2.* 3. Quia est inutilis, cum nec preces audiant, nec nostra cognoscant. 4. Est signum diffidentiæ in Deū tam audire paratū, vt, Hebr. 4. *Cum fiducia ad eum accedamus.* 5. Christus nos docuit inuocare Patrem. 6. Nullum extat Scripturæ exemplum aut mādatum de inuocandis sanctis. 7. Primitiua Ecclesia non vsurpauit eam inuocationem.

AVTOR. Liquida distinctio litem dirimit; vbi obcæcatrix abest peruicacia.

I. NEFAS est petere gratiam & gloriam à Sanctis, tanquam autoribus: Ergo solum vt ab Amicis Dei Intercessoribus. Ita Scriptura, Vsus Ecclesię, S. Patres, & Ratio.

II. NEFAS sentire est, Sanctos immediatos ad Deum Mediatores esse; cū per Christum duntaxat petita impetrēt. Ita Scripturæ, Patres, Vsus Ecclesiæ apud Bell. *l. 1. de Sanctis c. 16. 17.*

III. Sancti orant pro nobis in genere, vniuersim. Ioan. 15. *Dixit Dominus: Si steterit Moyses & Samuel corā me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo poterant orare, etsi mortui. Dein Iudas, 2. *Machab. vlt.* vidit Oniam & Ieremiam, dudum mortuos, multum orare pro populo.

CALVINVS negat eum librum esse Canonicum.

AT Concil. Carthag. III. eum pro canonico agnouit: Et illud CALVINVS contra Inuocationem Sanctorum allegat. Cætera vide *in Antichristo part. 1. quæst. 22.*

IV. Sancti orant pro nobis etiam singulis; Quia Angeli pro singulis orāt, satagunt, præsunt *Tob. 12. Zach. 1. Dan. 10. Psal. 90. Matth. 18. Apoc. 8.* Ergo & Sancti. Nam *erimus similes Angelis.* Apocal. 2. *Qui vicerit, dabo ei potestatem super gentes.* Exempla apparationum id docent apud Bellarminum, *libr. 1. de Sanctis cap. 18.*

Q. V. An-

V. Angeli & Sancti piè, vtiliterque inuocantur.

1. Sic Scriptura, Gen. 48 Iob. 5 Exod. 32. &c. Vide in *Antichriſto, p. 1. quæſt. 22.* Quia Sancti in Veteri Teſtamento non recipiebantur in cœlos; (id quod iam denique Caluiniſtæ nobiſcum dicere cœptant, vt Rainoldus lib 1. de Rom. Idololatria c 7.) ideo non ſolitum erat ſic inuocari eos: *S. Abraham ora pro. &c.* ſed per merita ipſorum orabatur Deus. Vt Pſal. 131. *Memento Domine Dauid. &c. Propter Dauid ſeruum tuum. &c.*

2. Deinde in vtroque Teſtamento viuentes à viuentibus legimus inuocatos: Vt 1. Reg. 7. *Ne ceſſes clamare ad Dominũ pro nobis.* Eph. 6. &c. Sunt autem mortui Sancti æquè ac viui in eadem charitate nobiſcum coniuncti, teſte ipſo Caluino: qui idcirco ad illud reſpondere nequiuit.

3. Ita per antiqua Concilia, S. Patres Græci & Latini: Eccleſiæ conſtans Vſus: Atteſtantibus ſignis ac miraculis innumeris.

DICIT *Brentius c. 24. Confeſſ. Wittenb.* Patres in Concionibus ſuis ſeſe ad Sanctos per proſopopœiam conuertiſſe.

Logi! Quid ergo ij, qui ex profeſſo docent Sanctorum inuocationem?

CALVINVS *Inſtit. l. 3. c. 20.* abſurdius fingit; Patres voluiſſe prohibere eam; ſed impetum vulgi & conſuetudinis perfringere nequiuiſſe.

O deſperatos! Dicere audent, quod docere deſperant; ne nihil dicant.

DICO AD I. At ita nec Sancti viuentes forent inuocandi: contra Theſſ. *Orate pro nobis.* Iac. *Orate pro inuicem.*

AD II. Idem ſequeretur falſum. Dein; Sancti ſunt mediatores ſecundarij: Et nos pro nobis ipſi oramus citra Chriſti iniuriam: ergo & Sancti hoc amplius poſſunt; idque ad honorem Chriſti.

AD III. At ſecus omnes S. Patres. Nam Angeli cognoſcunt res noſtras: Tob. 12. *Ego obtuli orationẽ tuam* Luc. 15. *Gaudium erit coram Angelis ſuper vno peccatore pœn. agente.* Pſal. 137. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* 1. Cor. 11. *Mulier velamen habeat propter Angelos.* Ergo & Sancti cognoſcunt. Apoc 5. *XXXIV. Seniores habentes phialas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Item Sanctis in hac vita datur cognoſcere occulta hominum: Vt 1. *Reg. 9.* Samuel noſcebat interna Saulis: Eliſæus fur. Giezi, 4. *Reg. 5.* Regis Syriæ, 4. *Reg. 6.* Daniel Nabuchodonoſoris. Petrus Ananiæ, *Act. 2. &c.* Item intuentur Deum, inque eo creaturas omnes. Abraham & Iſraël neſcierunt ſuos; quia non verè intuebantur Deum in limbo.

AD IV. Paratus eſt audire Deus nos; & tamen miſit ad Iobum eius criminatores, vt pro eis oraret: Abimelechagi dixit, Geneſ. 20. *Abraham orabit pro te.* Stephanus, Act. 7. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.

AD V. At licet nihilominus inuocare & Chriſtum, & Sp. Sanctum, & Angelos: ergo & Sanctos.

AD VI. Mandato nil opus, vbi neceſſitas vrget. Dein; multa laudabiliter ſeruantur, quæ mandata non ſunt; vt Conſilia Euangelica: communicare ieiunos: Exorciſmus in fantum: *Sic. Ierem. 35.* Rechabitæ abſtinuerunt à vino.

AD VII. Variant Sectarij: *Melanch. in Apolog. Confeſſ.* ait, non eius meminiſſe Patres ante Gregorium; *Kemn. Ad Seſſ. 22.* co-

cœpisse tempore Augustini, autore Pet. Gnaphæo anno 480. At eum docuerunt Augustinus, Orig. Nectarius, Ephrem, Gr. Nazian: Basil. Nissenus, Ambr. Hier. apud Becanum *in Manuali l. 1. c. 7. q. 6.*

QVÆSTIO LXXVII.

Num quæ alia Nouatores carpant in Sanctorum Inuocatione?

Lvtherus pat. 2. in art. 2. Schmalcaldico. *Angeli in cœlo pro nobis orant; sicut ipse quoque Christum facit, & Sanctis in terris; & Fortassis etiam in cœlis.* Ita & Melanchthon in Apolog. Confess. Aug. ad art 21. Necenim omnis rerum humanarum eis debetur memoria: ceu patet in Epulone, fratrum memore, *Luc. 16.* vt moniti fierent cautiores.

Calvinvs Instit. 3. c. 20. §. 23. Angelos salutis nostræ præfectos, cœtus frequentare sacros ait: Sed *hoc peculiare illis, ad alios* Sanctos *qui transferunt ordinem Dei confundunt & peruertunt.* Ibid. §. 24. *Quis eo vsque longas eis aures esse reuelauit, quæ ad voces nostras porrigantur? Oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris aduigilent? &c. Non potest* igitur, *quo Pontificiorum preculas cognoscant Sancti, explicari* Modvs. *Non igitur cognoscunt: Igitur nec orandi sunt.*

Avtor. Duo hic controuertuntur: An cognoscant res, precesque nostras Sancti, & Quomodo?

I. *Sancti* cognoscunt preces nostras. *Apoc. 9.* Seniores enim xxiv. offerre eas sunt visi. *Sciunt*, qui ex humanis excedant; quomodo diuexentur pij. 2. Qui piè obeunt, Luc. 10. *æquales Angelis sunt*: at hi cognoscunt nostra. *Tob. 3. Luc. 15. Apoc. 8.* 3. Gubernant gentes cum Christo, *Apoc. 2. Matth. 24.* Ergo res earum cognoscunt. 4. Faciunt præstantque petita nostra; vt exempla docent. 5. Caluinus in epist. pag. 10. ad Farellum scripsit: *Coraldus stat coram Domini tribunali testis & accusator eorum nequitiæ.*

II. Modvm. quo cognoscant. S. Aug *lib. de cura pro mortuis cap. 11.* Ignorare fatetur; at factum credere. Explicari tamen potest; & varius. 1. Sua celerimâ præsentiâ; 2. Piorum, aut Angelorum nuncio: 3. Dei reuelatione immediata: 4. Vel Meditata: 5. Dei visione. Greg. Dial. 4. c. 33. *Quid ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt?* D. Th. 1. q. 2. a. 2. 8. *Quid non videant, qui videntem omnia vident? &c.*

Ad quæ conuictus Caluinus in 1. Cor. 11. ait *Quid opus tam subtiliter philosophari?*

1. Et verò ipse fatetur, quo Dominus in Cœna insit Modo, explicari non posse.

2. Et Caluinistæ dant, visum in cœlis Christum S. Stephano; Modum tamen se nescire.

3. Ecce quàm clarè Beza in 1. Ioan. 2. *Sunt*, ait Cœlites *solliciti de laborantium fratrum salute, suo nobis incomperto Modo.*

II. Lvtheriani, vt Kemnitius, Hedbrunnerus, &c. & plerique, singularia Sanctorum patrocinia petulanter rident, & exagitant.

Ex Calvinianis ille Anglus Rainoldus l. 1. de Rom. Idololatria, Chamierus, &c. Caluinus Instit. l. 3. c. 20 § 22. *Postquam cœptum fuerat in Sanctorum intercessionem respicere, sensim sua cuique procuratio est attributa; vt pro negotij diuersitate nunc hic, nunc ille aduocaretur interpellator.*

Avtor. Rident, subsannant, plaustra verborũ fundunt ij; quibus bonæ rei, causæque iustæ nihil suppedit, desertis ab omni veritate, & rationis vel probabilitate. Sed istud Sycophanticum est.

Rectè, inquam, ac piè huic illiue bono procurando, vel auertendo malo

certi Sancti pollere gratia censentur, vt orari possint. 1. Nam *1. Cor. 12.* dat sua cuique Deus dona pro vt vult: Vt cuius fit sic in cœlo, sicut & in terra, voluntas.

2. Deinde patet ea donorum diuersitas è Scripturis. vt Apoc. 2. *Qui vicerit. &c. dabo illi potestatē super gentes.* Item alteri *dabo stellam matutinam.* Item, Matth. 24. Alium *Constituet Dominus super familiam suam:* Aut *super omnia bona sua.*

3. Hinc, Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*; vt in qua suas quisque functiones obit domesticas, velut in Ecclesia militante: in omnes ordo bonus ex cœlesti Hierarchia descendit.

4. *Sicut* enim, 1. Cor. 15. *alia est claritas solis, alia lunæ; alia stellarum; stella enim à stella differt claritate: sic erit in resurrectione,* manebitque in gloria; Et verò est in animabus Sanctorum.

5. Angelis varia delegata sunt munia: At, Luc. 20. Sancti *Angelis æquales sunt*; Ergo, S. Ambr. l. 8. in Lucam: *Sicut Angeli præsunt; ita hi, qui vitam meruerint Angelorum.*

6. Vel herbis, lapidibus &c. rebusq; aliis alia vis est indita; quanto magis gratiarum est distinctio in Sanctis?

7. Benè S. Aug. Epist. 173. *Vbique Deus est, & nullo includitur loco &c. Veruntamen ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant?* Subiicit exempla.

8. Denique S. Patribus eodem in cultu obiecerunt Manichæi, apud Aug. l. 2. contra Faustum; Vigilantius S. Hieronymo; Iulianus Apostata, teste Cyrillo l. 6. in ipsum: &c. *Hoc est AEsculapios, Martes, Pallades, Lucinas, &c. Deos, deasque inducere.*

Rainoldus inquit, id veteribus iniuriosè ingestum fuisse; at hodie nobis verè dari probro.

Sed dicit; non docet: Nos verè eadem illi regerimus, quæ istis Sancti Patres responderunt.

QVÆSTIO LXXVIII.

An Sacris RELIQVIIS *veneratio religiosa debeatur?*

LVTHERVS serm. de cruce iudicat, *Reliquias, vt fidelium seductiones, sub terram esse defodiendas.* Sic & Lutherani.

CALVINVS idem: cuius SVASIONIS Vide in *Genealog. p. 1. quæst. 22.* Idem in Matth. c. 9. v. 21. *Quòd mulier cogitat; si modo tetigerit Christi vestem, si protinus fore sanam, 1. Singularis quidam fuit Sp. Sancti impulsus; Neque ad communem regulam trahi debit. Scimus quam proteruè ludat Superstitio in stulta & inconsiderata æmulatione Sanctorum. Atqui simiæ sunt, non imitatores, qui singulare aliquod exemptum, absque Dei mandato, & proprio magis sensu, quam spiritus directione vsurpant. 2. Quòd in veste hæsit potius, quā vt se Illi sananda precibus offerret; forte zelo inconsiderato paululum à via deflexit. 3. Præsertim cum paulò post ostendat, dubitanter et perplexo animo id tentasse. Iam verò, vt demus, hoc illi à Spiritu fuisse dictatum, manet tamen fixa regula; Fidem nostram priuatis exemplis huc & illuc circumagi non debere. Quia Dei verbo penitus affixam esse oportet.*

Similia idem in Matth. c. 14. v. 36. Rogabant, vt vel fimbriā vestis eius tangerent. Et quicunque tetigerunt, salui facti sunt. *4. Credibile est superstitione aliqua fuisse implicitos, cùm ad tactum vestis restringerēt Christi gratiam. 5. Saltem illum fraudabunt honoris sui parte; cùm nihil virtutis sperarent ex simplici eius verbo. 6. Sed ne linum fumigant*

gans extinguat, sese accommodat eorum ruditati. 7. *Interea non est quod sibi placeant, qui gratiam Dei in ligno, aut clauis, aut vestibus quærunt:* 8. *Cùm diserte pronunciet Scriptura, nefas esse, quicquam nunc concipere de Christo, nisi spirituali cœlestique eius gloria dignum.* 9. *Tolerata fuit ad tempus eorum infirmitas, qui nescientes Christum esse Deum, propius ad eum accedere optarunt. Nunc, cùm odore gratiæ suæ cœlum & terram impleat, Fide, non manibus, vel oculis apprehendere docet, quam è cœlis offert salutem.*

AVTOR. I. Speciosa hæc & inaurata; sed venenata, & serpentis in Paradiso sermoni tam similia, vt nec ouum ouo similius. Sed expendamus obiter. 1. *Singularem impulsum* fuisse vnde scit, vel probat? Silet. Factum laudat; imitari vetat. Cur: Cùm id miraculo Dominus approbârit? Et ipse ibidem Caluinus *ex dicto Christi* ad cœcos isto: *Iuxta fidem vestram fiat vobis*, dicat, *generalem elicere doctrinam conuenit; Nos, modò ex fide precemur, nunquam in votis nostris repulsam passuros.* Cur non pariter & istud *in communem regulam trahi debet*: ad venerandum Reliquias? Sicut ad istud Matth. 8. Dic verbo & sanabitur puer meus, ait Caluinus: *Hinc colligi potest generalis regula; Certitudinem salutis nostræ ex Verbo Dei petendam esse.* Ita, quodlibet, licet.

2. *Inconsiderati Zeli* factum arguit hæreticus, quod miraculo approbauit Christus. Nimirum licti sui probatione destitutus, ad criminationem vertitur personæ; vt facti exemplique imitationem euertisse videretur.

3 Quid quod eam *dubitanter tentasse* mentiatur, cui Dominus ait: *Fides tua te saluam fecit*; Hæc certa erat, non *animi perplexi*. Ergo *manet fixa regula* de Reliquiis venerandis: Quia hæc *fides* hic *Dei verbo affixa est*, quam frustra reuellere niteris Caluine.

4. *Ad tactum, gratiam Christi restringebant?* Quin extendebant magis à Christo etiam in vestem; à fide ad actum. Quî fimbriæ tribuebant; quæ non Christo tribuerunt? Vnde hic Chrys. *Cum maiore fide eum accedebant.*

5. Quò maior ista calumnia est; quod *Christum parte honoris sui fraudabant*; quē exaugebant: Quòd *Nil virtutis sperarent ex simplici eius verbo:* Ex quo ad altiorem istum fidei actum & gradum profecerāt, vt crederent id quod inusitatius erat, creditque difficilius.

6. Sed Christus *aliorum ruditati sese accommodauit*, ait. Scilicet, vt factum superstitiosum commendaret; qui nec tāntillum Pharisæis dissimulare voluit vnquam? Hic etiam ex Christo facit politicum simulatorem, pessimo exemplo; at Caluinistis familiarissimo.

7. *Gratiam* verò *Dei quærimus in Ligno*; Sed crucis; *in Clauis*, Sed Christi. &c. *in que reliquiis*; Sed Sanctorum.

8. Et istud *cœlesti spiritali Christi gloria dignum est.*

9. Atque etiam in terris *Christus manibus vel oculis apprehenditur, Matth. 10. 24. Luc. 10.* cibatur, vestitur, potatur, in Synaxi sumitur, bibitur. Similiaque operabantur, Act. 5. *vmbra Petri*, & Act. 19 *sudaria & præcinctia Pauli:* Et Act. 4. Apostoli. *Manum extendebant ad sanitates & signa, &c. per Nomen S. suum.*

Hæ ex Euangelio de reliquiariis exemplis, ab Caluino blasphemè traductis, vindiciæ meæ valent ad vniuersum ge-

nus reliquiarum. Quæ plura desuper luculentè Scriptura testatur, videre est in meo *Antichristo p. 1. q. 23.*

II. Quid CONCILIA complura memorem? 1. *Nycænum II.* Act. 3. anno 553. vocat *S. Reliquias, fontes salutares beneficiorum Dei:* & excommunicat earum contemtores. 2. *Gangrense, ante 1200. annos*, damnauit Eustathianos; qui Martyrum Memorias inire fugiebant; quòd Corpora etiam Sanctorum putarent immunda. 3. *Carthaginense V. anno 397* euerti iussit aras, vbi non essent reliquiæ; ne populus superstitione teneretur. 4. *Braccaracense III. anno 563* iubet thecam cum reliquiis in supplicationibus per Sacerdotem præferri. 5. *Moguntinum* sub Carolo Magno, vetat transferri corpora Sanctorum absque licentia Episcopi. 6. *Lateranense III.* Sanciuit, ne vllius coli inciperentur reliquiæ, citra Papæ infallibilem Autoritatem.

III. SS. Patrum nimbum densissimum vide in *Bellarmin. libr. 2. de Sanctis cap. 3.*

IV. Ibid. vide testata Miracula ad sepulcra, ad S. Ossa; in Inuentione corũ; in Translationibus: In eorum sub aris inclusione. &c.

V. Accedunt putidissima Sectariorũ Mendacia, quibus nos & *S.* Reliquias onerare nisi erubescunt. De quibus consule meum *Mendacem Antipap. p. 1. q. 7.* Istis adde futiles argutationes eorũdem, refutatas in mea *Genealogia part. 1. quæstio 22.*

QVÆSTIO LXXIX.

Sitne licitus Imaginum Sacrarum vsus?

CALVINVS *Instit. lib. 1. c. 11.* tria affecrit. 1. Deo inuisibili visibilem fieri imaginem, nefas. 2. Christi & Sanctorum imagines non prohibitas; sed non in templis ponendas. 3. Eas dum non valere ad institutionem vllam; sed delectationem solam. De his vide meam *Genealogiam part. 1. quæstio. 23.*

DE I. DEO inuisibili visibilé imaginem fieri nefas, SVADET, 1. Scripturis Exod 20. *Non facies tibi sculptile.* Deut. 4. *Imaginem nullam vidisti: Obserua ergo te, ne forte deceptus facias tibi vllam similitudinem. &c.* 2. Quia Conc. Elibertinum id vetuit. 3. Quia Augustin. *l. de Fid. c. 7.* esse nefas ait, &c. 4. Quia periculum aperit errori. *Itaque si Gregorius in schola spiritus edoctus fuisset, nunquam dixisset Imaginem idiotarum librum.* 5. Quia Imagines sunt absentium; at præsens vbique Deus est. Quidam Catholici sentiunt idem, ideoque aiunt; Dei imagines tolerari in Ecclesia; non probari.

AVTOR. Vt quidam orthodoxi de imaginibus Dei sentiant tranuectum; at non de Christi ac Sanctorum. Caluiniana verò ea est techna, vt, cum sibi docuisse videbatur illicitas Dei effe-magines, protinus triumphum canat de hoc; Non licitum Vllam colere imaginem.

AT DEVM effigiare fas est. 1. Quia Angeli, *Exod. 25. & 3. Reg. 6.* picti sculptique sunt, ad Pædagogiam populi: Ergo & Deus potest; sit licet spiritus. 2. Quia Deus humana visus in forma est Adæ, *Genes. 3.* Iacob, scalæ innixus, *Genes. 28.* Prophetis, sedere in solio. Et Sp. Sanctus specie columbæ visus est. *Matth. 3.* Angeli item persæpè apparuere. 3. Quia Scriptura Deo membra tribuit humana, etsi incorporeum esse doceat. 4. Quia pinguntur etiam Virtutes, quę nec spiritus quidem sunt. 5. Quia Homo

Dei

Dei imago est : ergo Deus potest effigiari.

Concil. Trid. Sess. 25. monet interim concionatores, exponant sæpius, quid, quatenusque colatur in icone. Pictura autem trifariam fit. 1. Ad perfectam formæ expressionem. 2. Historicæ, vt si creatio mundi, Immolatio Isaaci. &c. pingatur. 3. Ad declarandam rei naturam seu qualitatem analogicè. Sicut virtutes, Angeli. Primo modo solum corpora; Secundo omnia, pingi cõsueuerunt, etiam ipse Deus. E quibus promta RESPONSIO est ad argumenta Caluini.

AD I. ET II. Scripturæ & Concil. loquuntur de pictura primi generis: qua DEVM effigiari nefas, & impote.

AD III. Patres, autem de simulacris gentium, aut de pictura primi generis loquuntur.

AD IV. Iniuria fit S. Gregorio.

AD V. Picturæ causa est non solum rei absentia, sed maximè, quia videri oculis nequit; vt nequit Deus, tametsi præsens.

DE II. CALVINVS *Inst. l. 1. c. 11.* Christi & Sanctorum imagines, vt pingi sculpiue prohibitæ non sint; in templis tamen proponi minimè oportet.

SVADET istis. 1. Quia primis 500. annis nullæ in templis imagines visæ. 2. Quia Conc. Elibertinum interdixit. 3. Quia erecta in templo statua signum facit idololatriæ. 4. Quia templa sunt instituta pro baptismo, & Cœna, &c. quæ is viuæ fiunt imagines: ideo exulent mortuæ.

AVTOR. Nusquam rectius, ac in templis, visuntur imagines Christi & Sanctorum. 1. Quia & Cherubinæ in Ierosolymitano stabant, iussu Dei. 2. Quia anno 201. Tertullianus lib. de Pudicitia, testatur vel in calicib⁹ sculptum Christum, vt Pastorem repertæ baiulum ouiculæ: Pluraque de statuis *Bellarm. l. 2. de Sanctis c. 9.* ex historicis, S. Patribus, & Conciliis. 3. Ratio: Quia decent loca sacra sacros. Et templum Christianũ magis est imago cœli, quam, *Hebr. 9.* Tabernaculum Mosaicum: pertinent igitur ad idem cœlitũm picturæ ac sculpturæ.

RESPONSIO AD I. Mendacium est.

AD II. ait Sanderus *libr. 2. de cultu imag. c. 4.* Interdictas à Conc. ob persecutionem; tum ne Christiani putarentur idololatræ; tum ne imagines sactæ ab ethnicis violarentur. Dein; Conc. istud non est approbatum in omnibus; errauitque in nonnullis; Et fuit solum prouinciale 19. Episcoporum.

AD III. Liquet vanitas.

AD IV. Idem prisci dictitabant iconomachi: teste *Synodo VII. act. 6. to. 3.* Nec imagines dici debent mortuæ; sunt enim viuentium in cœlis hîc inter viuentes in terris.

DE III. CALVINVS ibid. *Non sunt vtiles picturæ sine notatione historiæ.*

AVTOR. Quo id argumento probat? Nec vllo. Sunt verò perutiles. 1. Iussu Dei in Cherubinis. 2. Exemplo Christi, qui impressam linteo faciem suã Regi Abagaro misit: teste Euagrio *l. 4. c. 26. &c.* Syrophœnissa Saluatori statuam posuit: teste Euseb *lib. 7. hist. cap. 14. &c.* Nicodemus aliam reliquit, teste S. Athanasio &c. Omnes eæ miraculis illustres. S. Lucas depinxit B. Virginem. *Nicph. lib. 14. hist. c. 2.* Talia plura è Bell. repete *l. 2. c. 10.*

3. Porrò Vtilitates constant multæ:

Vt

Vt Eruditio ocularis rudium, Excitatio charitatis in Deum & Sanctos; Exemplum; memoriæ Chriſti & Sanctorum cuſtodia, Confeſſio fidei. &c.

Atque iſta de vſu imaginum: Iam de Cultu.

QVÆSTIO LXXX.

An Chriſti & Sanctorum imagines rectè colantur?

LVTHERANI iuxta & CALVINIANI id cum diris execrationibus pernegant, mulcis nixi mendaciis: Vt videre eſt in meo *Mendace Antipap. part. 1. q. 7.*

SVADENT iſtis. 1. Cultus ſimulacrorũ ſeuerè vetatur, *Exod. 20. Deut. 4. Rom. 1.* Non quòd Iudæi ac Gentes idola ipſa pro Diis haberent; cum in iis Deum verum colerẽt: ſed quòd nollet ſic coli Deus: quantò minus Sanctos coli patitur? Id quod pluribus docere laborat Caluinus apud *Bellarm. cap. 10.* quæ c. 13. 14. 15. 16 *&c.* refelluntur: ea huc reddere pretium non eſt. 2. Imago eſt idolum, & contra: ergo prohibita.

AVTOR. I. Reſpondeo iſtis: Iudęi vocabant idola Deos: Exod. 32. *Fac nobis Deos.* Iudicum 18. *Deos meos* abſtuliſtis. Item Ethnici: Dan. 5. *Laudabant Deos ſuos aureos, æreos: &c.* 2. Iudæi facto vitulo Deum ſunt obliti verum, *Deu. 32. Pſal. 105.* 3. Iudæi in idolis non intendebant colere vnum verum Deum: quia Deum corporeum quærebant: & Ægyptio vitulo ſimilem, dicto Apim, &c. Vide Bellarm. c. 13. &c.

AD II. Imago eſt vera rei ſimilitudo; idolum falſa, quia eſt rei quæ non eſt: & non principiò, ſed denique ſerpens colebatur.

II. Cùm apparatus ipſe vſusque ſacrarum imaginum multiplicem habeat commendationem, vti patet; & Scripturæ Autoritatem; de qua etiam in *Antichriſto part. 1. quæſt. 24.* idcirco & Cultum Deo in Sanctis ſuis per eas, vt per ſigna, exhibitum eſſe ſanctum oportere neceſſe eſt.

III. Ita verò omnis retrò tenuit, tradidit, defenditque veneranda Antiquitas, teſtibus Conciliis ſacris Generalibus: vt Synodo VI. & Conc. Romano anno 733. &c. apud *Bellarmin. l. 2. de Sanctis c. 12.* Etſi tempore Iconomachiæ quędam conciliabula Sanctos, ipſorumque iconas impugnarint, tamen ait ver. Auguſt. l. 2. de bapt. c. 3. *Concilia particularia plenariis ſine dubio cedere debent:* Vt duo Conſtantinopolitana & Francofurdianum.

Huc communis S. Patrum accedit conſenſus iſtum in ſenſum Lactantii de Paſſione Domini:

Flecte genu, Lignumque Crucis venerabile adora.

IV. Quot, quantis, quam illuſtribus Deus miraculis qua vſum, qua Cultum S. imaginum adprobauit? Ad Hæmorrhoiſſæ imaginem herba excreſcens omni morborum generi medebatur, teſte Euſebio *lib. 7. hiſt. c. 14.* Iuliano eandem remouente, ſuamque ſubſtituente, hanc de cœlo diffregit ignis, capite protinus proiecto. Id quod Chriſti ſtatuæ accidiſſe mentiuntur Magdeburgenſes Centur. 4. c. 13.

V. Homo eſt honorabilis, quia imago Dei eſt: ergo & Chriſti ac Sanctorum imagines. Quod enim vni conuenit, quia imago eſt, id omnibus imaginibus conuenire neceſſe eſt. Ratio autem cultus eſt repræſentatio: hæc ſi Sancti eſt, is religioſus eſt; hęc ſi ciuilis, & is ciuilis eſt. Ita-

Itaque finis determinat cultum imaginis; non qualitas imaginis in homine vivo, aut in statua insensili.

VI. Imago Regis est venerabilis, quia Regis est; ergo & Christi, & Sanctorum. Item est capax iniuriæ ac contumeliæ: ergo & honoris.

VII. Iustè idola destruxit Theodosius; quia falsorum erant Deorum: ergo verè Sanctorum icones iustè colit Christianus.

VIII. Iconomachi fuerunt Iudęi, aut Mahumetani, aut Nicromantici, aut Hæretici, id est, impii athei: At defensores imaginum viri Sancti. His igitur, nō illis credendum. Nec enim Deus per inimicos Dei docet Ecclesiam Dei. Nam *qui non colligit mecum, dispergit.* Luc. 11. Odit autem diabolus imagines; sunt igitur iconoclastæ ex parte diaboli. Vide Bellarm. & meam *Genealogiam part. 1. quæst. 24.*

QVÆSTIO LXXXI.

Quatenus Christi & Sanctorum imagines sint colendæ?

LVTHERO-CALVINISTIS, si velint, informandis; Orthodoxis confirmandis, fit quæstio hæc. Quiddam honoratur trifariam, Per se, vel per Accidens: Propter se, vel aliud: Propriè, vel impropriè. 1. *Per se*, rei suppositum, cui inest ratio venerationis: Vt Rex per se, vt quis: Regia dignitas, per se honoratur, vt Qua: Purpura per accidens. 2. *Propter* se res honoratur, cuius ratio venerationis non aliunde Pendet: Vt rationalis natura. *Propter aliud* ea, cui inest ratio honoris, sed quæ ab alio dependeat: Vt imago Christi vel Sanctorum. 3. *Propriè* honoratur, quod verè suiipsius ratione honoratur: *Impropriè*, quod loco alterius colitur. Vt cū funus per statuam alicui ducitur, absente corpore: Ceu Traianus mortuus triumphauit Romæ, statua circumnectâ. Ex his subiectas asserimus conclusiones.

I. *Imagines Christi & Sanctorum venerandæ sunt non solum per accidens & impropriè; sed etiam propriè, sic vt terminent ipsæ venerationem in se, non tantum vt vicem gerunt exemplaris.* 1. Quia Conc. VII act. 7. dicit esse venerandas; sed nō latriâ. 2. Quia quod dicitur impropriè, potest simpliciter negari: si ergo impropriè solum venerandę forent imagines: posset simpliciter negari esse venerandas; quod Conc. VII. damnat. 3. Decernit idem esse venerandas vti Euangelium, & sacra vasa. Quia eis inest quid sacrum, scil. imago, & dedicatio facta cultui diuino.

II. *Non sunt imagines adorandæ latreuticōs propriè*: impropriè tamen & per accidens potest coli vt prototypon; dū pro exemplari accipitur imago & cultus mente refertur ad exemplar: Ita *D. Tho. 3. q. 25. a. 3.* Idque non ratione materiæ, aut formæ; sed solius actualis repræsentationis.

III. *Nulla imago per se & propriè, eodem adoranda est cultu, quo exemplar ipsum.* 1. Sic Concilia, & Patres. 2. Quia latria soli Deo sic debetur. Exo 20. *Deos aureos & argenteos non facietis mecum.* Quia imago est inferior exemplari: ergo nec cultu latriæ est colenda pari. Non cultu interno; qui est apprehensio vt

primi Principii: Non externo latreutico; qui eſt ſacrificium. 3. Quia hæreſis fuit, teſte Irenæo *l. 1. c. 24.* Epiph. *hæreſi 27.* Aug *hær. 7.* aſſerens eum cultum imaginibus. *Nam Deus eſt, quod imago docet; non eſt Deus ipſa.* Vnde, *O Crux aue ſpes vnica:* id eſt, Chriſte crucifixe. Sicut Deut. 32. *Audite cœli, quæ loquor.* Ita iſtud, *Salue Crux pretioſa;* proſopopœia eſt, deſiderans fructum Crucis.

IV. *Cultus per ſe proprius imaginum eſt quidam Imperfectus, qui analogicè reducitur ad ſpeciem cultus, qui debetur exemplari.* Species autem cultus religioſi ſunt, Latria, Hyperdulia, Dulia; quæ debentur naturæ intelligenti. Quia ſicut habet imago ſe ad ſuum exemplar, ita ſe habet cultus imaginis ad cultum exemplaris: Sed imago eſt ipſum exemplar analogicè, & ſecundùm quid: ergo & cultus imaginis eſſe debet ſecundùm quid.

QVÆSTIO LXXXII.

An Crux Chriſti ſit veneranda, & quatenus?

LVTHERANI æquè ac CALVINIANI inimici Crucis Chriſti, ſucceſſores damnatorum hæreſiarcharum, ex ſuo Magiſtro iſta didicere LVTHERO to. 2. Wittenb. fol. 539. *Si in campo conſpicerem vexillum Crucis, et ipſe foret crucifixus, fugerem ab eo haud ſecus, ac ſi me diabolus inſequeretur:* Idem in Poſtilla fol. 148. *Vtinam nulla vnquam corona ſpinea, aut crux extitiſſet Si quæ particula S. Crucis mihi donaretur, foretque in manu mea; equidem iſthac continuò conderem, vbi nec ſol ipſum videret. Quodque de Cruce dico, idem de quibuscunque Reliquiis dictum volo.* Idem tom. 7. Wittenb. fol. 393. *Flammis deflagrēt omnia feſta Crucis.* Idem tom. 2. Vvittenb. fol. 4. *Meus Carolſtadius cum prophetis ſuis vociferantur, & incendunt vulgus dicentes: ſeca, diſſeca, diſtrahe, diſcerpe; diuerbera, diffringe, transfode, abyce, conculca, alapa in faciem idolis infringe. Vides Crucifixum; in faciem illi inſpue.*

LVTHERANIS dictum, factum Caluinianis. Quorum argumenta cum reſponſionibus repete ex mea *Genealogia part. 1. queſtio. 24.*

SVADENT CALVINISTÆ porro iſtis apud *Scharpium in Curſu Theol.* 1. Adorandæ Crucis nec præceptum eſt nec exempli in Scripturis. 2. Latreutica adoratio ſolius Dei eſt: ergo eam tribuere Cruci eſt hanc facere Deum. 3. Si ei ob Chriſti contactū debetur adoratio: ergo magis ventri Mariæ & aſino palmario, & Iudæ labiis, &c. 4. Cruci, quàm Reſurrectioni, plus tribuitur in hoc *Crucem tuam adoramus; Reſurrectionem glorificamus.* 5. Chriſti Humanitas ſeparata à Diuinitate, non eſſet Latriæ cultu adoranda: minus ergo Crux. 6. Sp. Sanctus eſt in baptiſmo; nec tamen ibi adorandus: ergo minus Crux.

AVTOR. Tribus omnia complectar: 1. Veneranda eſt ipſa crux Chriſti: 2. Omnis Crux: 3. Et ſignum Crucis.

1. *Lignum Crucis venerabile eſt.*

1. Quia eam Chriſtus elegit ſponte, non inuitus; Vti Aram ſui Sacrificii, Numini placando; Vti Scalam ſibi ad regnum: Vt inſtrumentum liberationis noſtræ; Vt tropœū triumphi de diabolo deuicto: Quibus ille mirificum eis contulit honorem. De quibus ſingulis S. Scripturæ teſtimonia require in meo *Antichriſto p. 1. q. 25.*

2. Quia Myſteria S. Crucis ſunt veneratione digniſſima. De quibus Eph 3. *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum.*

3 Quia

3. Quia Inuentio *S.* Crucis docet Dei in eam curam ac honorem admirabilem à miraculis, testem nostri in Crucem honoris adprobati, sibique grati.

4. Mirificis lignum Crucis honoribus affecit omnis retro antiquitas Christiana Imperatorum, Episcoporum, populorum, nationum, ac orbis vniuersi.

5 Quia Exaltatio quoque illius grādibus fuit illustrata signis.

6. Si locus, vbi Angelus stetit, *Exod 3. Ios 5.* terra sancta fuit: quantò sanctior, vbi stetit Christus. Si Sudaria & semicinctia Pauli, Vmbra Petri, pluribus saluti fuit; suntque sacramenta salutaria Vasa gratiæ, ideoque honoranda; quantò amplius *Lignum felix*, vt Sibylla canit, *in quo Deus ipse pependit?*

Dico Ad I. Vtrab autoritate negatiua argumentum ducitur, sic reiicitur.

Ad II Deolatria tribuitur soli immediatè & vltimatè: Cruci verò ipsi non propter ipsam, sed relatiue ad Christum.

Ad III. Magna talium est & Crucis disparitas. Illa enim isthuc nunquam intendit vel Christus, vel se intendere ostendit ipse, aut Ecclesia, aut Patres. Quanquam *beatus venter, qui te portauit.*

Ad IV. Resurrectionem & Crucifixionem iuxta & adoramus, & glorificamus in concreto, scil. Crucifixum, & Resurgentem. Vt igitur sepulcrum Domini est glorioſum, sic & Crux.

Ad V. Posito impossibili nil sequitur. Nihilominus hoc posito, quædam ei deberetur adoratio ob præcedentem Vnionem hypostaticam: sed non haberet subsistentiam.

Ad VI. In baptismo non est persona, sed gratia Sp. Sancti communis S. Trinitati: idque in actu transeunte baptizationis.

II. *Imago crucis omnibus esto veneratio-ni.* 1. Vel ob istud, quia Matth 24. *Tunc apparebit signum Filij hominis in cælo.* 2. Quia sic pluribus sancitum Conciliis est: Vt Synodo VI. VII. VIII. 3. Sic vsus mosque Maiorum, & Antiquitatis antiquissimæ tulit, ac postulat in bello & pace, in publico & priuato. Vnde Lactantius ait: *Flecte genu, Lignumque Crucis venerabile adora.*

4 Quot, quamque admirandæ æquè ac salutares Crucis apparitiones factæ historias temporum illustrarunt? Quāta per cruces in orbe miracula sunt designata?

5. Denique signa rerum sanctarum sancta sunt ac venerabilia: tale Crux est omnis: ergo.

III. *Signum Crucis transiens*, quo se pij consignare Deo semper consueuerunt, *sacrum est ac venerabile.* 1. Testibus Veter. Testamenti Figuris: vt est, *Exod. 20.* Sanguis Agni in postibus ædium: id est, ait *S. Aug. l. de Catechiz. rudib. c. 20.* signum crucis in frontibus Christianorum. Item *Ezech. 9* signum Tau, teste Cypriano & Hieron. &c. 2. Ita Consensus omnium retrò ætatum, Doctorum; ac Fidelium vsus. 3. Miracula testantur, vsumque adprobarunt. Quæ omnia supradicta demonstrat illustrissimè *Bellarminus lib. 2. de Sanctis, cap. 27. 28. 29.*

Obiicit Scharpius, 1. Signum crucis nec mandatum, nec exemplum habet in Scriptur. 2. Est institutum humani-

manitus ad Christianorum distinctionem ab aliis: ergo non est religiosum & venerabile. 3. Est superstitionis instrumentum humanitus institutum. 4. Eneruat vim crucis Christi; nam dæmones fugare Christi est, non signi, cui tribuitur.

DICO AD I. Vt supra. AD II. Est id; sed non solum ad id. AD III. & IV. Falsa assumta.

QVÆSTIO LXXXIII.

An, & quo fine sint extruenda Templa?

LVTHERO-CALVINISTÆ excitanda negant templa 1. Ad Sacrificandum. 2. Aut ad orandum. 3. Aut ad honorandos Sanctos: 4. Aut, quod addunt Anabaptistæ & VValdenses, ad Conciones & Sacramenta ministranda. 5. Manichæi, nullam ob causam vlla exstruenda esse voluerũt.

I. MANICHÆI, v. *Augustino l. contra Adimantum c. 10.* eos refutante, aiebant Deum Veteris Testamenti iubentem erigi Tabernaculum & Templum, esse malum principium, non verum Deum, contrarium Deo Noui Testam. Vnde Matth. 5. *Cœlum, Dei sedes est, terra autem scabellum pedum eius.* Act. 17. *Deus non in manufactis templis habitat, aut manibus humanis colitur.* Hæc resoluta vide in *Antichristo part. 1. quæst. 26.*

II. ANABAPTISTÆ & Waldenses negant templa concionibus & Sacramentis esse necessaria: quod Christus prædicarit in campis, montibus, desertis, mari, ædibus, plateis; baptizarit in fluminibus, Cœnam peregerit in priuata domo. Oppidò quam affines isti Manichæis?

III. LVTHERO-CALVINISTÆ sic docent: templa 1. Non Sacrificiis necessaria. Quia Apoc. 21. *Templum non vidi in ea, Dominus enim Deus templum illius est,* sc. Ecclesiæ militantis: teste Isa. c. 60. Ideò Salomonæum debuit euerti.

AVTOR. At de Triumphante fit ibi mentio, teste Hieron & Cyrillo: & statum Legis cessasse erat signum ipsa euersio Salomonæi.

2. Non Orationibus: Quia Matth. 6. *Tu autem cùm oraueris intra in cubiculum tuum.* Ioan 4. *Venit hora, & nunc est, quando neque in monte hoc, neque in Ierusal. adorabitis. &c.* 1. Tim 2. *Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus.*

3. Nec Sanctis honorandis templa erigenda: quia idololatria est; teste Aug. l. contra serm. Arian. c. 20. *Templi constitutio ad latriæ cultum pertinet. &c.* Talia Luthero caluinistæ.

AVTOR. Rectè Collocantur, 1. Ædes sacræ Prædicationi & Sacramentis: 2. Templa Sacrificiis: 3. Oratoria orationi publicæ ac priuatæ: 4. Basilicæ, seu Memoriæ, seu Martyrum Sanctis.

I. PRÆDICATONI & Sacramentis: contra Eusthathium, Waldenses, & Anabaptistas: 1. Teste Christo Iesu, in meo *Ant christo p. 1. q. 26.* 2. Quia in Ecclesia primitiua ædes priuatæ in Ecclesias vertebantur: vt teste Clemente *l. 10. recognitionum*, Antiochiæ domus Theophili, Petro concionante. Plura Eusebius *l. 2 hist. c. 17 &c.*

II. SACRIFICIIS Templa ponuntur. 1. Quia templa sunt domus altarium, sed aræ semper fuerunt: ergo & templa. Ara ræ seruiunt Sacrificiis necessariæ; ergo & templa. Ita omnis Antiquitas, & Christiana Traditio, Patrumque Consensus.

III. ORATIONIBVS etiam priuatis templa sanctè instituuntur. Ita S. Scriptura in meo *Antichristo; quæst. 26.* Ita S. Patres *in Bellarm. l. 3. de Sanctis c. 4.* Vnde Oratoria dicebantur; & Ecclesiæ quo euocabantur. RATIO, Deus magis est in templis, quam alubi: Vnde in nobis

nobis esse peculiari modo dicitur, velut in templo, *1. Cor. 3. & 6. & 2. Cor. 6.* Et in Templo citius exaudit. *3. Reg 9.* Et orationi, vt rei nobilissimæ, locus quoque nobilissimus debetur templorum: teste Basilio *l. 2. de bapt. q. 8.*

Illud verò, *Intra in cubiculum tuum & ora*: significat vanam gloriam fugiendam, & sectandam quietem animi collectioris. Neque vnus solum erit locus in monte ad orandum; sed vbicunque elegerit loca Deus. Vnde *Volo viros orare in omni loco*, publico & destinato; aut etiam priuato: Non tamen vt hypocritę illi, qui Matth *6. Amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare.*

IV. SANCTIS Basilicæ rectè consecrantur. Sic Concilia peruetusta; quibus Eustathius damnatus est; vt in Gangrensi. Et Carthaginense V. vetat poni Basilicas, nisi vbi vel est corpus martyris, aut is habitauit, passusue fuit. Ita & *S.* Patres Græci ac Latini. Quid quod Salomonæum fuit erectum non solum ad Sacrificia & orationes; sed etiam ad Arcam recipiendam? *1. Paral. c. 17 & 28.* Sed maior debetur honos sacris Reliquiis. &c. Plura in *Genealog. p. 1. q. 26.*

QVÆSTIO LXXXIV.

An Ecclesiarum consecratio iusta sit ac Sancta?

LVTHERO-CALVINISTÆ communiter tria reprehendunt, inprimis Magdeburg. *Cent 4. c. 6.* 1. Templorũ festiua dedicatio est κακοζηλία Iudaismi reducti. 2. Ceremoniæ quædam in consecratione ab superstitione magica excusari non queunt: Vt ad XII. cruces cereos accendi XII. scribi per Pedum alphabetum græcum & latinum, in formam crucis decussatæ. &c. 3. Templa dedicata haberi cæteris locis sanctiora. Sic & CALVINVS *Inst. l. 3. c. 20. §. 30.*

AVTOR. Orthodoxi è diametro contraria solidè docemus.

I. DEDICATIO Templorum Sancta & iusta est. 1. Ita S. Literæ, in meo *Antichristo p. 1. q. 27.* 2. Ita Praxis, & Traditio, testibus S. Patribus apud *Bell. l. 3. de Sanctis. c. 5.* Greg. Nazianz. orat. in nouam Domũ Dom. *De Encæniis honorandis lex vetus est, eaque præclare constituta.* Innumeræ extant Patrum homiliæ encæniasticæ. 3. Miraculis quoque Deus Encænia illustrauit. Vt prosper *part. 3. c. 38.* de promissis Dei testatur quod vidit. Sic & S. Greg. Magnus *libr. 3. Dial. cap. 30. &c.*

II. CEREMONIÆ Dedicationis sunt castæ & sanctæ omnes ac singulæ. 1. Sic naturæ instinctu, *Gen. 26.* Iacob vnxit lapidem, locũque nuncupauit Bethel, id est, Domum Dei. Similiter idẽ *Genes. 15.* Et Moyses, *Exod. 40. Num. 7.* aram & vasa omnia consecrauit ex Lege Dei. Et S. Dionysius *l. hierarch. c 6. p. 1.* docet inungendas aras esse. 2. Sic & Concilia; & *S.* Patres. Ceremoniarum verò rationem strictim reddit Bellarm. vbi supra.

III. SANCTVM efficitur Templum consecratione. 1. Quia dedicatio id esse Dei facit proprium: Vnde sicut, Leu. vlt. *Animal si quis vouerit immolari, Sanctum erit:* sic & Templum. Aug. l. 4. contra Cresc c. 40. *Deo parietes consecratos, Ecclesiam venerandam, quasi quadam obsessione credidit retinendam.*

2. Quia precibus sanctificatur. &c. *1. Tim. 4.* Imò Deus testatur *3. Reg 9.*

Exaudiui orationem tuam, & ſanctificaui domum hanc, quam ædificaſti.

3. Quia Sancta ſunt, quæ habentur in templo: 1. *Locus*, Exod 3. *in quo ſtas, terra ſancta eſt.* 2. Crux, imagines Chriſti & Sanctorum: 3. Reliquiæ ſanctæ. 4. Euchariſtiæ præſentia; 5. Angelorum: 6. DEVS ipſe, *Exod. vlt.* in nebula poſt dedicationem Tabernaculi: Item 3. Reg. 8. *Nebula gloriæ impleuit Dominum Dei.*

4. Dæmon effugatur: teſte *S. Greg. l. 3. Dial. c. 7.* &c.

QVÆSTIO LXXXV.

Templorum ORNATVS *an ſit tolerabilis?*

LVTHERANI perinde ac CALVINIANI pernegant; & execrantur. Vide in *Genealog. p. 1. q. 27.* quantis ſcilicet cum argumentis pugnent, ibidem diſſlatis ad inſtar fumi. Vt S. Scripturæ contradicant ijdem, videre eſt in meo *Antichriſto p. 1. q. 27.*

SVADENT porrò iſtis. 1. Iere. 7. *Nolite confidere verbis mendacij dicentes: Templum Domini, templum Domini.* 2. S. Patres quidam arguunt faſtuoſos ornatus ſumtuſque templorum: & viua coli rectius docent. 3. Ratioque ſuadet. Nam & Chriſtus docuit Paupertatem. Et Luxus ille ſuperuacaneus eſt: Auocatque à deuotione. Viua autem coornare templa ſatius eſt ac ſanctius. Hic cultus in iudicio prædicabitur; faſtus ille condemnabitur.

AVTOR. I. DICO AD I. Iudæi in externo ſplendore Templi præſumtuosè confidebant; vt qui propter ipſum placerent Deo. Quæ vanitas eſt.

AD II. S. Patres arguunt eos, quibus plus cordi eſt ornatus templi materialis, quam ſui ſpiritalis. Deinde, docent vaſa aurea debere alienari in neceſſitate: verum prius confringi, ob conſecrationem. Arguunt iidem profanos in templis ornatus ac faſtum. Et rectè.

AD III. Chriſto dicantur templa, quà Deo. Et ſic ſemper diues fuit. Quid autem in humanis eſt tantum, quo dignum Deo quicquam præſtes, ſi pius abſit animus? Neque ſuperuacanea ſunt, quæ Latriæ noſtræ ſigna ſunt: Quæ adhibentur vt ædificent nos, & excitent animos; non vt diſtrahant. His Zelotis *ora merces magna animis*, cum Moyſe, Dauide, Salomone, Eſdra, ſimilibuſque Templariis viris.

II. Ex Naturæ dictamine Iacob, *Gen. 28.* lapidi titulari honorem conſecrationis habuit. Ex præcepto Dei Moyſes *Exod. 25. 26. &c.* ornauit ſumtuosè Tabernaculum: Ex inſtinctu Dei ac naturæ Dauid, Salomon Eſdras, Machabæus idem egerunt ad illuſtre religionis exemplum poſteritati: Neque vnquam cuiquam ſeu cœleſtium, ſeu terreſtium, proditur factum iſtud improbatum diſplicuiſſe: Solis hæreticis non probatur Magnum hoc argumentum inſignis commendationis eſt.

2. Scripturarum verò Spiritui Spiritus idem S. Patrum reſpondet cum venerando conſenſu, apud *Bell. l. 3. de Sanctis. c. 6.* Ibidemque teſtata fit ingens templa cum ornatu permagnifico conſtruentium pietas, multis clara exemplis atque miraculis. Orbem templis, & templa ornamentis complerunt præcipuè Conſtantinus Magnus, Iuſtinianus, (excepto quod demum in Monotelita-

rum

rum lapsus hæresin) Carolus Magnus, & Carolus IV. &c.

3. Neque inuictis Imperatoribus inuicta deerat facti RATIO tãtarum ad ornatus impensarum. 1. *Magnus enim est Deus noster super omnes Deos*; ideo, 2. Par. 2. *Domus quam ædificare cogito, magna est.* 2. Deinde, templa ædificare & coornare magnæ virtutis est, ac virtutum plurium testimonium, vt Fidei, Spei &c. 3. Tum, ornatus ij magnarum sunt rerum, vt Sacramentorum, Verbi Dei, &c. Item pietatis exaugendæ, & plurium virtutum excitamentum.

4. Templorum itaque vel euersores, vel expilatores dirè ex Deo luerunt pro merito: vt Heliodorus *2. Mach. 5.* Antiochus, *2. Mach. 9.* Balthasar, *Dan. 5.* Iulianus Apostata, teste *Chrys. hom. 4. in Matth.* Ea tamen laus commendatioque ornatus Ecclesiastici vitiari potest ex tempore loco, modo & persona. De quibus Ballarminus luculentè.

QVÆSTIO LXXXVI.

An BENEDICTARVM *vsus rerum in Dei Cultu sit Christianus?*

LVTHERO-CALVINISTÆ negant: quin & calumniantur varia: Verùm cum VValdensibus, Et VVicleffistis: Vt videre est in mea *Genealog. p. 1. q. 28.* Quorum ibidem calumniæ refellantur.

AVTOR. I. Rectè & salutariter fiunt Benedictiones aquæ, olei, panis, cereorum, ramorum &c. 1. Sic Scripturæ exempla; quæ repete ex meo *Antichristiop. 1. q. 28.* 2 Sic & Traditio: De Aqua testis est S. Clemens *l. 8. Constit. c. 35.* S. Dionysius *in Hierarchia*: Alexander *1. Epist. 1 &c.* De oleo *ijdem.* De cereo Paschali, *Strabo c. 30. Conc. Tolet. IV.* De palmis & Cineribus, *S. Maximus. &c.*

II. Benedictis reb. rectè vtimur. 1. Ad effectus supernaturales procurandos, & significandos. 2. Ad delenda pec. venialia: 3. Ad effugandos dæmones, morbosque curandos. Ita enim liquet è S. Scriptura; *vbi suprà.* Et Exemplis S. Patrum: apud *Bellarminm libr. 3. cap. 7. de Sanctis.*

Mendax Hus huſius ea vocat mendacia, scilicet S. Epiphanij, Theodoreti, Palladii, Hieron. Greg. Bernardi. &c. Contra quos ille profanus istud Christi citat: *Pseudoprophetæ edent miracula & prodigia, vt inducantur in errorem, si fieri potest, etiam electi.* Sed vera miracula solius sunt Dei, quæ per seruos suos edere dignatur: vti hac in re per S. Marcellum, Macharium, Hilarionem, Fortunatum, Malachiam &c. Plura vide in *Genealog. p. 1. q. 28.*

QVÆSTIO LXXXVII.

An PEREGRINATIONES, *&* VOTA, *licitè fiant Sanctis?*

LVTHERANI Magdeb. fingunt abusum peregrinandi cœptum tempore Constãtini. CALVINIANI, calumniantur vt impium. Vide *Genealog. p. 1. quæst. 29.* eorum argumenta refutata.

AVTOR. 1. Deus in Veteri Testament. præcepit peregrinari ad Tabernaculum: *Deut. 16.* Vsus sic obseruauit; etiam ætate Christi videntis, nec improbantis, *Ioan. 12.* Quin etiam, *Luc. 2.* easdem obeuntis.

2. S. Patres illas & pro iure commẽdarunt, & frequentarunt ante æuum Co-

Conſtantini, teſte Euſebio lib. 6. hiſt. c. 9. *Alexander Ieroſolymam adorandi, & locorum Sanctorum videndi cauſa properauit.* Quem *S.* Martyrem Centuriatores oppidò laudant. De Ieroſolymitana peregrinatione ante Conſtantinum vide *Bellarm. l. 3. de Sanctis c. 8.* Ibidem de Romana ad Limina Apoſtolorum. Et eas Deo gratas accidiſſe, miracula ſubinde teſtabantur.

3. Nec vtilitates deſunt certæ multis: 1. Vt, maior Dei honos ac Sanctorum in terris. 2. Laborioſior pœnitentia ad maiorem ſatisfactionem. 3. Deuotio inſignior ex præſentia loci, Sancti, aut rei ſacræ; cuius honori fit peregrinatio.

I. LVTHERO-CALVINISTÆ communiter ac certatim VOTA Sanctis facta derident, ac idololatriæ inſimulant plerique omnes. Salſiſſimè verò ac blaſphemè Eraſmus *in Colloquio Naufragium*.

AVTOR. Longè ſecius Patrum Sanctior Antiquitas. Teſtis Euſeb. libr 13. præparat. Euang c. 7. *Nos veræ pietatis milites, vt Dei Amicos honorantes ad monumenta illorum accedimus, Votaque illis facimus tanquam viris Sanctis, quorum interceſſione ad Deum non parum iuuari profitemur.* Manichæus Fauſtus apud *S. Auguſt. lib. 20. c. 3. contra Fauſt.* ſic obiicit: *Idola vertiſtis in Martyres, quos Votis ſimilibus colitis.*

DICES Votum eſt actus religionis, ſoli Deo debitus; vt & iuramentum, & Sacrificium. Num. 30. Deut. 31. Ieſ. 19. *Vota vouebant Domino, & ſoluent.*

I. RESPONDET *D. Tho. 2. 2. q. 88. a. 5.* Promiſſio Sanctis aut prælato facta eſt materia Voti: at quà fit Deo, eſt formale votum. Vt Sancto promittitur peregrinatio ipſa; at Deo, ſeeam impleturum. 2. Caietanus ibid aliter: Sanctis vouetur non quà creaturis; ſed quà Deus in eis habitat per gloriam: ita vt voueatur Deo in Sanctis. Ceu maledicta in Sanctos, tendunt in ipſum Deum.

Et Vota ea terminantur in Deum latreuticè; at in Sanctos quoque dulcuticè: id eſt, in Deum, vt Principium primum; in Sanctos, vt in mediatores. Vnde Votum vox eſt generalis, dicitur-que analogicè, Deo propriè & principaliter; Sanctis ſecundariò & mediatè.

Sicut autem votum fit Deo ad honorem, non ad vtilitatem Dei, ſed noſtram: ſic & Sanctis, tanquam Diis per participationem gloriæ; in qua ſecuri & confirmati æternant.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An Chriſto licitè FESTA *ſanciantur?*

LVTHERO-CALVINISTÆ, conſpirant in hiſce: 1. Feſtiuare, iuris eſſe Diuini ac naturalis. 2. Ius id determinandum à Paſtoribus & Plebe. 3. Determinatum ad dies certos non obligare in conſcientia per ſe: 4. Nec dies reddere determinatos Sanctiores. 5. Sanctis, Euchariſtiæ; &c. dies conſecrare, nefas. Vide in mea *Genealogia part. 1. q. 30.* In *Mendace Antipap. p. 1. q. 8.*

AVTOR. His contraria, (excepto primo) ſemper aſſeruit Eccleſia Dei.

I. *Vllum agere feſtum Veter. Teſtamenti cum Iudæis, nefas Chriſtiano.* 1. Quia *Rom. 14. Gal. 4. Col. 2.* Paulus Iudaizantes coarguit Ebionitas. Mentiuntur igitur Magdeburgenſes *Cent. 1. lib. 2. cap. 6.* Pau-

Paulum indifferenter Sabbatum, Dominicamque coluisse. 2. Quin in Concil. Laodic. *Can. 29.* iudaizantes anathematizantur. Atque, ait *S. Greg. epist. 2. l. 11.* Antichristus Sabbatum est reducturus: quæ ludæorum princeps est ceremonia.

II. *Festi dies, ob Mysterium, non solum ob politiæ ordinem, coluntur, vti cæteris Sanctiores, parsque diuini cultus.* 1. Quia Dominica celebratur ob mysterium Resurrectionis, teste Aug. *epist. 119.* & Caluino *Instit. lib. 2. cap. 8.* Et non ob ordinem politiæ.

RESPONDET Caluinus bifariam. 1. Dominicam coli, quod moneat, resurrectione abolitas esse figuras.

AT hoc, etsi falsum; tamen & mysteriosum est & significatiuum: Ergo sibi contradicit ipsi.

2. Ait, Ecclesiam nolle seruituti subiicere dies; neque improbaturum, si alium elegerit diem.

AT, 1. Hoc insolentissimè nouatorium est.

2. Quia Omnia de Christo festa sunt mysteriosa; & ab ipsis Luthero-Caluinistis obseruantur præ aliis diebus festiui. Descendunt autem inde ab Traditione Apostolica: teste *Augustinum epist. 118. & 119.*

3. Quia dies festi à S. Patribus dicuntur Sacri Mysterioſi, religiosi.

4. Quia, Si solum ratione politiæ dies distinguerentur, non foret fastus nefasto, nec festus festo solennior; sed æquales essent omnes: Non sunt autem æquales ipsismet nouatoribus; neque S. Patribus.

5. Quia, Obseruatio festorum, *Exod. 20.* ad Dei cultum pertinet ex præcepto Decalogi: ergo & dierum discrimen est ex præcepto, quoad substantiam: etsi quoad determinationem dierum sit humanæ dispositionis.

6. Demum quia, Christus nascens consecrauit locum, moriens crucem, resurgens tumulum; Cur non & dies, quibus ea contigerunt? Si aræ, templa, locaque sint sancta & domus Dei; cur non & dies sancti dicantur?

III. *Ecclesia iustè obligat conscientias præcepto festorum, etsi contemtus, aut scandalum absit.* In præcepto autem continetur auditio Missæ; (siue, vt placet Sectariis, præsentia apud Cœnam) & Vacatio ab opere seruili. 1. Quia, Festi obseruatio est iuris diuini: ergo determinatio quoque necessaria erat; & hæc item obseruatu necessaria: Cæteroquin liceret non seruare Dominicam, Pascha &c. 2. Quia, Esther, *cap. 9.* & Mardochæus instituerunt festum perenne & rectè 3. Quia, sic ab exordio Ecclesia vsurpauit instituere festa: apud *Bellarmin. libr. 3. de Sanctis c. 10.*

IV. *Festis non tenemur ex peculiari præcepto magis, quam aliis diebus, ad non peccandum; aut ad actum contritionis seu dilectionis Dei.* 1. Ita *D. Tho. 2. 2. q. 122. a. 4.* contra Scotum, Abulensem, Lyranum. &c. Ratio: quia Ius diuinum prohibet opera propriè seruilia externa; at peccata sunt metaphoricè seruilia. Præcepta autem intelligi debent propriè. 2. Ecclesia determinauit Diuinum ius ad dies certos; & nusquam præcepit actus internos. Quia actus pii sunt finis huius præcepti: at finis non cadit sub præcepto, sed media. &c. Vide Bell.

QVÆSTIO LXXXIX.

An Sanctis licitè festa fiant?

LVTHERANIS & CAVLINIANIS mēs, voxque vna est, & conclamatio aduersus Sanctorum festa: 1. Quod idololatriam sapiant: cum solius Sabbati cultus sit in præcepto. 2. Quod falso nitantur quædam fundamento: vt Conceptionis B. V. M. 3. Quod multa sint nouitia B. V. nec ante Iustinianum extiterint. 4. Quod ab Impp. sæcularibus orta & instituta. 5. Quòd non Sanctis quædam ordinata. Hæc Heshusius *lib. De error. pont. tit. 26.* Magdeburg. *Cent. 1. l. 6. c. 6.*

AVTOR. Festiuare Sanctis, sanctum est: 1. Teste Ecclesiæ Autoritate primis quinque sæculis festa sanciente: apud *Bellarm. lib. 3. c. 16.* 2. Concilia item plura statuerunt. 3. Ratio Augustini lib. 10. Ciu. c. 4. *Beneficiorum Dei solennitatibus dicamus, sacramusque memoriam; ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio.* Atqui haud paruum est beneficium consummatio Sanctorum scilic. Ecclesiæ in exemplum, patrocinium, gaudium.

RESPONDEO nunc AD I. Deo festiuamus in Sanctis primariò: Sanctis secundariò & mediatè: Vnde idololatria esse non potest; quia Dulia Sanctis datur, Latria Deo.

AD II. Conceptio B. V. absolutè, non Conceptio immaculata, est festi causa, & ea certa, ac miraculosa, scilic è sterili. &c.

AD III. sunt quædam recentia festa; quòd & beneficia sint recentia. At Martyrum plerorumque & Confessorum festa sunt aliis alia antiquiora. &c.

AD IV. Non Impp. instituerunt; sed pridem instituta solennizarunt, aut propagarunt, legibusque iuuerunt.

AD V. Vnus solū Episcopus Constantinopolitanus Iustiniano annuum recolebat; neque diu; priuato affectu.

Hactenus de Triumphantis Ecclesiæ Capite ac Membris, Christo & Sanctis, eorumque Cultu: Porrò Animæ in Purgatorio, cum vitæ stadio decurso certi metæ sint, eamque limine teneant Beati decreto Dei; licet adhuc afflicti pro debito; cumque degant velut mediis terrenos inter ac Cœlites, hisce tamen affinitatem cœlisque debiti: Idcirco à Beatis sibi locum quoque proximum vendicant in nostris disputationibus.

VII. DE PVRGATORIO.

QVÆSTIO XC.

An sit Purgatorium?

LVTHERVS variauit. 1. In disput. [illegible] ait: *Ego credo fortiter; imò ausim dicere, Sedis Purgatorium esse: facilè persuadeor in scripturis de eo [illegible] tionem.* 2. Id admisit; sed multis cum [illegible] Leone X. damnatis; vt non posse ex scrip. [illegible] mas in eo salutis incertas esse: posse meteri, & [illegible] assiduè peccare dum pœnas horrent: liberatas [illegible] minus beati, quam si satisfecissent. 3. Negauit [illegible] tus totum; solam mortem eius explere vicem. [illegible] vltimum tenent omnes Rigid. Luth. vt Centur. [illegible] lanch. Brent. Zvving. Ochinus. &c.

CALVINVS, *Instit. l. 3. c. 5. §. 6.* [illegible] est exitiale Satanæ commentum, C[illegible] Christi euacuat, contumeliam irrogat [illegible] ricordiæ Christi, fidem labefactat. [illegible] MARTYR; sit, aut non sit; certè articu[illegible] dei non est. Nituntur vno hoc; quod [illegible] factionem tollant, & discrimen pec. mo[illegible] venialis.

SVADENT, istis. I. Ex Scriptura. [illegible] 1. 6 *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce [illegible] reditas Domini.* 2. Eccl. 9. *Nec opus* [illegible]

ratio &c. sunt apud inferos. 3. Eccl. 11. *Lignum, in quacunque loco ceciderit, ibi erit.* 4. Ezech. 18. *Cum auersus fuerit impius ab impietate sua, omnium iniquitatum eius non recordabor.* 5. Duo sunt hominum ordines, Matth. 25. *Benedicti, venite: Maledicti, ite.* 6 Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* 7. Rom 8. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu.* 8. 2. Cor. 5. *Si domus terrenæ habitationis nostræ dissoluitur, habemus domum æternam in cœlis.* 9. Apoc. 14. *Beati mortui, qui in domino moriuntur. &c.*

II. Ex Ratione. 10. Quia remissâ culpâ remanet nulla pœna.

III. Pœnitentia est quidam baptismus; at in hoc remittuntur omnia; ergo & in illa: vnde culpa nulla super. 12. Secundus Machabæorum est apocryphus; maximè cap. 12. Necibi fit mentio purgatorii. Et pro cæsis in pec. mortali sacrificabatur; Idque ex affectu pio solum; non quod liberari credebantur.

AVTOR. 2. Mach. 12. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* 2. Tob. 4. *Panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue; & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus*: Sed cum pauperibus pro anima deprecaturis, ait *S. Chrys. hom. 32. in Matth.* 3. Galaaditæ, *2. Reg. 1.* pro cæsis Saule, Ionatha & aliis ieiunauerunt, vt & Dauid, & *2. Reg. 3.* Abner: idque non ex dolore tantum, vt vult Münsterus; Sed vt animæ iuuarentur, ait *V. Beda ibid.* 4. Psal. 37. *Domine ne in furore* inferni; *neque in ira* purgatorii *corripias me*, ait S. Aug. ibid. 5. Psa. 65. *Transiuimus per ignem & aquam*, purgatorii, ait Orig. Ambr. 6. Isa. 4. *Si abluerit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion. &c. in spiritu iudicii, & spiritu combustionis*, id est, purgatorii, ait August. 20. Ciu. c. 25. 7. Malach. 3. *Sedebit quasi ignis conflans, & purgabit filios Leui, & colabit eos* in purgatorio aiunt Orig. Ambr. Aug. Hier.

II. Nouum Testamentum docet idem in *Antichristo meo p. 1. q. 29.*

Quibus adde. 1. Cor. 3. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, id est, ex omnium S. Patrum sententia, Pœnam purgatoriam, post iudicium particulare reliquam iis, qui ædificarant ex ligno, fœne, stipula: id est, pecc. ven. *Ita Amb. hic. Hieron. in 4. Amos: & libr. 2. in Iouin. August. Psa. 37. Greg l. 4. Dial. c. 3. Bell. l. 1. de Purg. c. 5.*

CALVINISTÆ tamen ignem dicunt esse Doctrinam veram.

AT huic singula nequeunt applicari. Nam ea lucrum affert peccatori succenso pœnitentiâ, non detrimentum.

III. Istis adde testimonia Conciliorum, habitorum in Africa, Gallia, Hispania, Germania, Græcia, &c. Vnde Petr. Martyr ait: *Solet nobis obiici: Ecclesiam semper pro defunctis orasse: Quod quidem non inficior: sed aßeroistius facti neque Verbi Dei, neque exempli, quod desumitur & S. Literis, autoritatem haberi.* Vide Bellarmin. c. 9.

IV. Porrò Classem S. Patrum vide *ibid. c. 10.* Mendacia verò, & sycophantias Sectariorum repete ex meo *Mendace Antipap. p. 1. q. 9.*

V. Demum Ratio consonat Fidei. 1. Quia sunt quædam pecc. venialia, pœnæ temporalis dignatat cum his decedere quis potest: ergo purgationis eget. *Nil enim coinquinatum introibit in regnum cœlorum*, Maior constat ex Iac. 1. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatũ,*

veniale ob delectationem cogitationis: *peccatum, cum consummatum fuerit* consensu pleno, vel opere; *generat mortem:* quia mortale est. Idem constat *1. Cor. 3.* superædificantibus diuersa, his aurum, &c. illis stipulam. &c. Nam stante Fide & Christianismo, alii cumulant peccata mortalia, alii venialia, alii nulla; sed mera opera bona: teste *Augustino libr. 83. quæst. 26.*

2. Ratio. Quia in reconciliatione peccatorum non semper tota pœna cũ peccato remittitur. Patet in Dauide, *2. Reg. 12.* Mors autem proprie est pœna peccati Originalis, non actualium. Vide *Bell. c. 11.*

3. Demum; Omnis gens ac natio agnouit aliquam quibusdam post fata superesse pœnam absolubilem: cuius metu vita solicitius à peccatis custodienda sit.

4. Præsertim Ecclesiæ praxis vniuersæ, de qua ita S. August. l. de cura pro mort. c. 1. *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquã in veteribus Scripturis legeretur, non parua tamen est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac Consuetudine claret, Autoritas: vbi in precibus, quæ Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.*

Par, quin maior est Authoritas Apostolica; qua de S. Chrys. hom. 59. ad populum. *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis Mysteriis, defunctorum agatur commemoratio.* Adeò vt hæretici fuerint Aëriani, qui, ait Epiphan. hæresi 75. *Orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere* finxerunt.

5. Denique ex Caluinistarũ principiis fidei idem sic euincitur: Volunt, 1. Concupiscẽtiam esse auersionem à Deo continuam cum reatu mortis æternæ: *Paræus thesi 18. Ex Calu. Instit. 2. c. 1. §. 1.* 2. Ex pecc. orig. contagione omnia iustorum opera taminari, vt sint mera iniquitas: Calu. ad Trid. Sess. 6. c. 16. Inst. 3. c. 12. §. 4. Atqui nil inquinatum potest intrare in regnum Dei: Ergo nec Caluinistæ; vtpote tota vita immundi. Nec purgantur *Morte*; nam hæc communis est etiam infidelibus: *Non Fide*: quia nil in Scriptura, quod Fides in agone purget magis, quam in vita: non aut ea purgat Caluinistas inuita: ergo nec a morte. Nec *Non imputatione*, hæc enim non tollit Coecitatem mentis, auersionem voluntatis, & reatum pœnæ æterna. Quare cum his erunt vel in cœlo, vel orco.

Dico Ad I. *Somnus* ibi est corporum quies adusque iudicium: *Hæresium*, est Augustino, resurrectio.

Ad II. Id de damnãdis dicit S. Hier. ibid. At S. Greg. 4. Dialog. c. 39. cos iuuari suffragiis, qui id bonis operibus meruerunt, dum viuerent.

Ad III. Ad literam loquitur de morte corporali, qua iacent omnes. Item sua cuique morienti sententia fertur stata, etiam purgatoriis. Sicut in Lymbum quondam missis.

Ad IV. *Non recordabor inig.* id est, inimicitiam cum conuerso non seruabo.

Ad V. Erunt duo solum post iudicium: at nunc plura sunt: teste Calu. in Psychipann.

Ad VI. Priuilegia paucorum non faciunt legem. Dein, isto: *Memento mei*: indi-

indicauit etiam in altera vita condonari peccata: at non in cœlo; nec in inferno; ergo in purgatorio.

Ad VII. Loquitur de non consentientibus ad motus concupiscentiæ.

Ad VIII. Addit: *Si tamen vestiti inveniamur*, charitate: Sin'; saluantur, *sic tamen quasi per ignem*. 1. Cor. 3.

Ad IX. S. Anselmus ait, *Amodo*, id est, ab judicio extremo, non, ab morte cuiusque, requiescent à laboribus; at in his adhuc sunt purgatorii.

Ad X. Est contra S. Scripturam teste Adamo, Moyse, Aarone, Israëlitis, Dauide; quibus temporalis pœna remãsit, culpâ dimissâ: Idque Tum in satisfactionem præteriti peccati; teste Caluino *Instit. l. 3. c. 8. § 6.* Tum in cautelam, teste eodem *ibid. c. 4. §. 31.* Etsi hoc posterius neget loco priore.

Ad XI. Non sequitur: quia est *quidam baptismus* pœnitentia, ideo hæc non ita totum semper dimittit vt baptismus; nisi omnio perfecta: Plerumque enim pœna, sempiternâ in temporalem versâ, grandis remanet.

Ad XII. Id negant Luthero-caluinistæ cum Iudæis contra Christianos, teste *S. Aug. l. 8. Ciu. c. 36.* Et clarè sat colligitur purgatorium esse, licet hoc non exprimatur de nomine. De mortalitate peccati non constat, ideoque incertus fuit status occisorum. Attamen *considerabat, quod optimam haberent repositam gratiam*: idque ex communi sensu de purgatorio.

QVÆSTIO XCI.

An Confessio Purgatorii sit de Fide?: Prosintq; Suffragia?

Lvtherv*s lib. de abroganda Missa* negat: itemque Pet. Martyr *in 1. Corinth. 3.* 1. Quia Scriptura tacuit de Purgatorio, vbi maxima erat occasio: vt *Genes. 49.* ad funera Abrahæ. &c. In Leuitico, cum sacrificia pro variis instituuntur. &c. 2. Quia Ecclesia Græca diu restitit huic articulo. 3. Quia Dionysius in Hierarchia anxiè laborat docés cur oretur pro defunctis: Si credidisset Purgatorium, apertè respondisset; vt à Purgatorio liberentur. 4. Quia Augustinus ait Purgatorium esse, se habere opinione incerta, non fide.

Avtor. Respon. Ad I. Scripturam omnia vbiq; ponere necesse nõ est. In Genesi verò est implicitè. c. 23. *Surrexit Abraham ab* Officio *Funeris*, quod est flere, ieiunare, orare pro mortuis. In Leuitico sunt iussa sacra pro viuis & mortuis; & factum est *2. Mach. 12.*

Ad II. Mendacium est: Nisi quod aliqui dubitarint, an purgatorium sit ignis, an quid aliud.

Ad III. S. Dionysius expressè dicit, orari pro defunctis, vt à peccatis soluantur: *cap. 7. part. 3.*

Ad IV. Contrarium dicit in *Enchir. c. 110. quæst. 2. ad Dulcitium. libr. 21. Ciu. c. 24. &c.*

2. Porrò quibus quatuor modis dogma fidei probari solet, iis & hæc probamus. 1. Scripturâ expressâ cum declaratione Ecclesiæ: Sicut ὁμοούσιον Patri Christũ docemus ex Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus*, quod Ariani aliter exponentes retundebantur per Ecclesiæ declarationem. Ita de Scripturis pro Purgatorio patet ex declaratione, vt suprà. 2. Per euidentem deductionem ex Scripturis. Patet suprà in Ratione 1. & 2. 3. Ex Traditione apostolica & perpetua. 4. Per euidentem deductionem ex ver-

bo tradito. Vt patet ex Consensu Patrum.

II. LVTHERVS ait, Animas suffragiis liberatas minus beari, quam si per se in pœnis satisfeciſſent.

AVTOR. 1. Dixit; sed nec apice docuit. Nos autem credimus & docem⁹ Communionem *Sanctorum*, eorũ qui in cœlis, in terris, & infra terram in Purgatorio degunt Amici Dei. Vbique enim vis eadem est charitatis, quæ operatur in nobis: & efficacius tum in & ex illo, in quem illum, in quo minus reperit impedimenti. Hinc aliena quandoq; charitas suffragatrix alicui plus conferre potest, quam propria patientia charitatis. Nam suffragatoria operatio meretur ex charitate viatoris: at propria patientia, satisfactoria quidem est, sed non meritoria. De quo alubi.

2. Tria autem sunt genera *Suffragiorum* inde ab primitiuâ Ecclesiâ consueta: Missa, ex opere operato; Oratio, & Opera pœnosa; & hæc ex opere operantis. Ita S. Patres: Aug. ser. 22 de verb. Apost. Chryſ. Ambr. &c. Istis accensentur Indulgentiæ per modum Suffragii: vt quæ aliud non sunt, quam applicationes Satisfactionum abundantissimarum Christi & *Sanctorum*.

Neque hisce purgatorii dicuntur absolui: quia Absolutio est tantum subiectorum & viatorum: at purgatorii nec Papæ subiecti sunt, nec viatores. Vnde fit eis charitas applicantium condonationes & satisfactiones Christi & Sanctorum. Sed de hoc in disceptatione Indulgentiaria.

QVÆSTIO XCII.

An, & quatenus Suffragia, Iustaque funebria prosint Purgatorijs?

LVTHERO-CALVINISTÆ Suffragia vel esse vlla; minus Prodesse posse, pertinaciter negant. Iliaque nostra tum derident, tum detestantur, tum calumniantur. Sed hæc ipsorum propria; quos alma deseruit Veritas, fidesque fugit.

AVTOR. 1. Concordia summa perpetua Orthodoxis fuit semper, quoad suffragia ipsa: *Non est dubium ijs iuuari animas Fidelium:* ait Aug. Ser. 22 de verb. Apost. 1. Ita Scriptura. Nam 1. Cor. 12. *Pro inuicem solicita sunt membra; &, si quid patitur vnum, compatiuntur omnia:* Sed iusti defuncti sunt membra Ecclesiæ, quod est Corpus Christi: quippe coniuncti nobiscum in vna Fide & Charitate: *Neque enim*, ait Aug. l. 20. Ciu. c. 9. *piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est regnum Christi.* Quocirca viuentes possunt ac debent iuuare defunctos, velut membra Corporis eiusdem.

2. Vt Caput Christus prosuit viator membris; sic debent & inuicem membra prodesse: Atqui Christus prosunt Viuens viuentibus remittens peccata Magdalenæ, *Luc. 7 &c.* Mortuus mortuis; soluens; *Act. 2.* plurimos à doloribus inferni: Viuens mortuis, ad vitam reuocatis, *Matth. 9. Luc. 7. Ioan. 11.* Mortuus viuis, nobis æternam vitam promerens redemtis. Ergo & viua membra mortuis prodesse debent, vt possunt.

3. Quia ex quatuor partibus eiusdem diuisionis tres certæ sunt per Scripturæ euidentiam: Ergo & quarta. Atqui. 1. Viuentes viuos adiuuãt: Iac. 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* 2. Mortui motuis prosunt Vt Heliæus, 4. Reg. 13. mortuus mortuũ vitę restituit. Abrahã, *Luc. 16.* Lazarum excepit: Et sancti orant pro

pro Purgatoriis; 3. Mortui viuentibus prosunt: vt, 2. *Mach.* 15. Onias & Ieremias multum orant pro populo Dei: Et Sancti opitulantur viuentibus: Quin & purgatorii pro nobis orant Deum. 4 Quid est igitur cur viui defunctis similiter prodesse non queant; testante pariter *S.* Scriptura: ceu supra patet? *Bell. lib.* 2. *c.* 15.

II. Quoad Modvm Scholastici pauxillum variant: neque interest causæ; minus controuersiæ cum aduersariis. Suffragia inquam Communia communiter prosunt omnibus ad Gaudium & Refrigerium: Peculiaria vero ad Gaudium omnibus, sicut candela vni accensa lucet & cæteris: ad Refrigerium autē peculiariter illi, aut illis, quibus intenditur applicari; sicut pecunia pro captiuo adnumerata, huic valet liberando, non alteri.

III. Qvoad Ivsta Fvnebria.

Lvthero-Calvinistæ Sepulturam non quidem ipsam; at quatuor circa ipsam reprehendunt: 1. Coemiteria sicra.

At ita quidam hæretici Bohemi olim apud *Æneam Syl.* de *Orig. Boëm. cap.* 35.

2. Vsum cereorum, vetitum in Conc. Elibertino c. 34.

At hoc vetat errorem gentilium, putantium defunctos aliquid corporibus sentire.

3. Exequias & Anniuersaria. Calvinvs *in Præfat. Instit.* ait: Ambrosius reprehendit eos, qui nullum finem faciunt orandi pro mortuis.

At Repetitio precum eò melior, quò crebrior est. S. Ambr. autem arguit ploratum, non orationes.

4. Sepulturam opus negant esse meritorium: quod *Matth.* 25. non recenseatur inter opera misericordiæ.

Avtor. *Chrys. hom.* 84. *in Ioann.* dicit causam: quod in sumtibus funerum excedant homines; ideo currentibus addere calcar nil opus. 2. Reg. 2. *Benedicti vos à* Domino, *qui feciſtis misericordiam cum Saul, & ſepeliſtis eum: Et nunc retribuet vobis Dominus.* Tob. 12. Encomium sepulturæ angelicum: Et Matth. 26. *Opus bonum operata est, mittens enim vnguentum hoc ad sepeliendum me fecit.* Ritusque cæteri funebres sunt peruetusti ac iusti. Vide *Bellarm. libr.* 2. *de Purgat. cap.* 19.

THEOMACHIÆ LVTHERO-CALVINISTICÆ

FINIS.

Gloria sit *Triadi*, *Mariæ*, & sit Gloria *Diuis*.

COPPENSTEINII.

LVTHERO-CALVINISTA.

PARS SECVNDA

ECCLESIOMACHIA

LVTHERO-CALVINISMI,

MILITANTEM ECCLESIAM IMPVGNANTIS.

DEMONSTRATA, AC REFVTATA.

Status Militantis Ecclesiæ sunt quinque: Papæ: Episcoporum, Clericorum, Religiosorum, & Laicorum. De singulis ordine.

I. DE REGIMINE ET PRIMATV ECCLESIÆ.

QVÆSTIO I.

Quorum, & qualis sæuiit hostilitas in Ecclesiam?

IN Petram Ecclesiæ omnes consurrexerunt inferorum Portæ. 1. IVDÆORVM rabies in persecutione primùm Hierosolymitana; dein alias sæpius. 2 ETHNICORVM VIS per plures Persecutiones. 3. GRÆCORVM Schisma: 4. IMPERATORVM Christianorum tumor ac error animi impotentioris. Quæ, in cæteris, quoque causa extitit vna translatiam tertiùm Imperii. 5. SCHISMATA Pontif. Romanorum: ac etiam IMPROBITAS Vitæ nonnullorum Pontifi. 6. HÆRESIVM Furia inter Græcos & Latinos.

1. GRÆCI sub annum 381. Episcopum Constantinopolitanum, inprimis ne Patriarcham quidem, tribus Orientis Patriarchis antetulerunt. Deinde anno

anno 451. Ipsum & Pontifici Romano æquarunt per fraudem in Synodo Chalcedonensi, Romanis absentibus Legatis. Postea sub annum 600. Vniuersalis Episcopi nomen affectarunt, eoq; Constantinopolitanum appellarunt. Demum anno 1054 aperte pronunciarunt Papã Rom. suo gradu excidisse, quod Symbolo Constantinopolitano, ex sententia Syn. Ephesinæ vocem, *Filioque*, addidisset; ideoque jam Summum Pontificem esse Constantinopolitanum. teste *Sigeberto in Chronico.*

2. EX LATINIS primum WALDENSES se ab Papæ Rom. obedientia subtraxerunt sub annum 1170. teste Reinero. Dein sub annum 1300. FRATRICELLI, teste Palmerio, aiebant, Petri autoritatem Romæ jam dudum cessasse, adque ipsos transisse. Postea Marsilius Paduanus, & Ioan. de Ianduno omnes sacerdotes Papæ pares faciebant. teste *Turrecrm. l. 4. Eccl. part. 2. cap. 37.* WICELFF item sub annum 1390. pòst Huss, teste Conc. Constantinopolit. Sess. 8. & 15.

LVTHERVS Denique *lib. de potestate Papæ & in assert. art. 25.* Philipp. Melanchthon. *lib. de Primatu Papæ*, conscripto sub nomine Synodi Schmalcaldicæ. BRENTIVS *in Confess. Wittenb. cap. de Sum. Pont.* Illyricus *Centur. 1. lib. 2. c. 7. & c. 10. &c.*

CALVINVS, *Inst. l. 4. c. 6.* similiter.

AVTOR. I. Duo prædixit de Ecclesia ac Primatu Dominus: 1. Magnitudinem eius, Isaiæ cap. 28. *Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* 2. Hæreticorum impetum, cap. 8. *Lapidem offensionis & petrã scandali;* Quæ duo etiã Rom. 9 coniunguntur. Fundamenta ea quæ sunt? Apoc. 21. *Murus Ciuitatis habens fundamenta* XII. *& in ipsis* XII. *nomina* XII. *Apostolorum Agni.* Lapis quis? Vnus ex XII. Simon: *Tu es Simon; tu vocaberis Cephas*, id est, Petra, seu Petrus. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædific. Ecclesiam meam.*

II. Qualis lapis? *Probatus*, persecutionibus prædictis. *Pretiosus*, ob infinitum bonorum thesaurum, qui à Sede Petri destendit in Ecclesiam. Inde in omnes orbis oras exierunt Missiones, consensus in Caput vnum, fideique Vnitatem.

Hinc nostrates hæretici totâ Angliâ, Daniâ, Scotiâ, Norvvegiâ, Germ. Polon. Boëmiâ, Hungariâ numquã Generale Concilium cogere valuerunt, in quo ad omnes articulos consentirent. Græci ex quo anno 800 desciuerunt ab Rom. Sede, nec ad vllam Synodum Generalẽ coire potuerunt; cum interea Romani dena frequentissima celebrarint.

III. Causa huius quæ? Quia *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est: quod est* CHRISTVS IESVS. Post Christum verò est Petrus: non igitur ad Christum peruenitur, nisi per Petrum: teste *S. Leone epist. ad Vienn:* Exortem mysterii illum esse oportet, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere. Talis Petra piis est:

At impiis, *Lapis offensionis, & Petra scandali.* Ideò Donatistæ appellabant eam *Cathedram Pestilentiæ:* Papam Berengarius *Pompificem, Pulpificem:* VValdenses, *Purpuratam meretricem:* VVicleff, *synagogam Satanæ*: Luthero caluinistæ, *Antichristi solium. &c.* Vocem *Papa*, omnium ignominiosissimã esse ducunt. At qua nos adeò gloriamur Papistæ: vt pro cuius honore vix vlla natio orbis

Chriſtiani non luculentè ſtylo, ferro, voce, vitâque ſteterit ac fortunis.

QVÆSTIO II.

Ecquod ſit optimum Regimen?

CALVINVS hic obſtinatè pugnat; vt omnes omninò vias obſtruat Eccleſiaſticæ Monarchiæ. Sic ille Inſtit. lib. 4 c. 6. §. 9. *Sit ſanè, vt volunt, bonum & vtile, orbem totum Monarchia contineri; quod eſt tamen abſurdiſſimum: Nunquam concedam id ipſum in Eccleſiæ gubernatione valere.* Quid ergò valere volet? Ibid. c. 20. § 8. *Minimè negauerim vel Ariſtocratiam, vel temperatum ex ipſa & Politia ſtatum ab aliis longè excellere.* Cauſa. 1. *Id cùm experimento ipſo ſemper fuit comprobatum:* 2. *Tum ſua quoque Authoritate Dominus confirmauit, cum Ariſtocratiam, Politiæ vicinam, apud Iſraëlitas inſtituit.* Hæc baſis Caluiniani regiminis. Vnde *Inſtit. lib. 4. c. 11. §. 6.* Omnem Eccleſiaſticam Poteſtatem tribuit cœtui Seniorum. Et *cap. 20. §. 8.* Laudat eas ciuitates, quæ excuſo iugo Principum, à Senatu Populoque reguntur.

AVTOR. I. *Simplicium trium formarum regiminis Monarchia primas obtinet.* 1. Sic Hebræi, Græci, Latinique Scriptores: ſic Philoſophi, Oratores, Hiſtorici, Poëtę. 2. Diuinaque fauet Autoritas. 1. In humano genere Deus Regnum, non Democratiam inſtituit. teſte *Chryſ. hom. 24. &c.* Hinc vnus eſt Paterfamilias, Rex &c. 2. Animalia vnum ſequuntur ducem. 3. Deus Iſraëlem ſubiecit Monarchiæ Patriarcharum, Ducum, Regum, Iudicum. 4. Quia optimum regimen optimis pollet conditionibus: talis Monarchia: ergò.

CONDITIONES autem ſunt: 1. *Ordo* in Monarchia optimus eſt; quo omnes ordinatè ſubiiciuntur, vno Præſide excepto. 2. *Pax* facilius in Monarchia tenetur. Periſſet Rom. Imperium, nî Auguſtus Monarchiam reduxiſſet. 3. *Conſtantia imperii* Monarchici firmiſſima eſt, cum ſimplex & vnum ſit. *Omne enim regnum in ſe diuiſum, deſolabitur.* Matt. 12. Ierem. 12. *Paſtores multi demoliti, &c.* 4. *Potentia* Monarchiæ certior eſt. Hinc Perſarum, Græcorum, Aſſyriorum imperia creuerunt; Romanorum, exactis Regibus, ſtare nequiuit. 5. *Facilitas gubernandi.* Nam vnus bonus facilius inuenitur Rex, quam multi; & permanens in officio, plus capit experientiæ. Lucianus.

Nulla fides regni ſociis, omnisque Potestas
Impatiens conſortis erit. Vide meum *Antichriſtum p. 2. q. 1.*

II. *Mixtum regimen è tribus ſimplicibus eſt optimum, tenente potiores Monarchia.* 1. Quia illud omnis boni regiminis bona habet omnia: Eſtque gratius; quia virtutis in eo, non generis ratio ducitur. Eſt & vtilius: quia vnus non omnes regere prouincias valet. 2. Quia Veteris & Noui Teſtamenti Eccleſia ſic regitur, Exod. 18. *Electis viris ſtrenuis, conſtituit eos Principes. &c.* Item *Matt. 16. Ioan. 2. Actor. 20.*

III. *At ſecluſis circumſtantiis, Monarchia ſimpliciter excellit.* 1. Quia Deus hac forma regit mundum. 2. Ita cõſenſus S. Patrum eſt concors.

INSTAT CALVINVS. 1. Inſtit. l. 4. c. 6. §. 8. *Non idèo laudatur Monarchia, quaſi vnus debeat totum orbem regere: ſed indicare voluit, regnum duos non capere.* 2. *An ex toto orbe conſtituunt Apes, vt Regem vnum elegant? Suis alueariibus contentæ ſunt. Ita quoq; in gruibus; quæque caterua*

pro-

proprium regem habet. Quid inde euincent aliud, quam singulis Ecclesiis debere suos Episcopos attribui? 3. Instit. 4. c. 2. §. 6. *Si ipsos status, citra circumstantias inter se compares, non facilè est discernere, quis vtilitate præponderet: adeò æquis conditionibus contendunt.* Infra: *Equidem, si in se considerentur formæ illæ tres, Aristocratiam aliis antecellere minimè negarim.*

DICO AD I. Si *regnum* capitur pro Vnius summa potestate, vt propriè est; sic non capit duos: Si *regnum* sumatur pro multitudine, quæ regitur; tunc Monarchia præstat Politiæ & Aristocratiæ: quia multi non bene reguntur à multis. Si *regnum* capiatur pro prouincia; tunc bene regitur ab vno. At Vlysses loquitur de exercitu ad Trojam, qui è pluribus nationibus constabat; illi regundo Monarchiâ opus esse sentit; Caluinus verò nec in vna ciuitate vtilè esse Monarchiam putat, *cap. 11. §. 6.* sed regendam esse à cœtu Seniorum: Laudatque, *cap. 20. §. 8.* ciuitates, quæ iugo Principum excusso reguntur à Senatu.

AD II. Sicut Ecclesia est *vnũ Ouile*, Ioan. 10. ita & vnum alueare. &c. Oues autem, apes & grues non possunt communicare cum procul absentibus; fideles possunt. *Deinde*; si singulis Ecclesiis sui debent Episcopi attribui, vt vult Caluinus; cur ipse potestatem Ecclesiasticam attribuit Seniorum cœtui?

AD III. At istis ipse contraria sibi dicit, cum ibidem subiunxit, (quæ tamẽ in editione anni 1554. omisit) *Non id quidem per se*, scilic. Aristocratia excellit; *sed quia rarissimè Reges sibi moderantur, vt à recto non discrepent*, Ita, *Facit hominum vitium, vt tutius sit plures tenere gubernacula.* Si hoc; quomodo igitur, *non est facilè discernere, quis status vtilior sit?* Et quod *Aristocratia excellat?*

QVÆSTIO III.

Regimen Ecclesiasticum an esse debeat Monarchicum?

LVTHERANI, vt Magdeburgenses & Matth. Illyricus *Cent. 1. lib. 2. c. 3* Regimen Eccl. volunt esse Democraticum oportere. 2. BRENTIVS & alii Lutherani, Aristocraticum.

3. CALVINVS *Instit. l. 4. c. 11. §. 6.* Cœtum vult Seniorum, præside Episcopo vno: vt Consul præsidet Senatui. Sic & Huss *in Conc. Const. sess. 15. art. 27.*

AVTOR. I. Citra controuersiam nobis dant ista Luthero caluinistæ: 1. Aliquod esse Regimen Ecclesiasticum: Cum Ecclesia sit, Cant. 4. *vt Castrorum acies ordinata.* Et Deus, Act. 20. *posuit Episcopos regere Ecclesiam.* 2. Idem à Politico diuersum esse. Nã, 1. Tim. 2 *Qui bene præsunt, duplici honore digni sunt.*

3 Regem Ecclesiæ absolutum esse Christum: Psal. 2. *Ego constitutus sum Rex ab eo. &c. cuius regni non est finis.* Ab hoc vno omnes alii dicunt, 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, sicut* MINISTROS *Christi Dispensatores*; scilic. visibiles sub Inuisibili Capite Christo.

4. CHRISTVM esse Monarcham Ecclesiæ, seu Caput. Eph. 1. *Omnia subiecit sub pedibus* eius: Et *Ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam; quæ est Corpus eius. Eph. 4. v. 15. Eph. 5. v 23. Col. 1. v. 18.* In hoc tamen aliqui dissentiunt ab Orthodoxis.

MARCVS ANTONIVS Apostata & Caluinista nouus talia finxit. 1. Christum esse Caput cœpisse post Passionem: 2. Et Inuisibilẽ esse. 3. Acsolum: 4. Spiritum

5. Propriè eſſe Vicarium Chriſti in regimine, non Petrum.

AVTOR. 1. Quando cœpit eſſe Caput Eccleſiæ Chriſtus?

MARCVS ANTONIVS: Poſt paſſionē ſeu reſurrectionem. 1. Quia poſtquam *Principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum & Chriſtum eius*: tunc prius dixit, *dabo tibi gentes hæreditatem tuam &c.* Iſa. 53. *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit ſemen longæuum*, id eſt, Eccleſiam. 2. Quia Eccleſia dicitur de Latere Chriſti fluxiſſe, ſcilic. iam paſſi. 3 Quia Matth. 18. *ſuper hanc Petram*, ædifico? Non; ſed, *ædificabo Eccleſiam*: quòd poſt aſcenſionem factum per Apoſtolos.

AVTOR. Chriſtus Homo factus fundauit Eccleſiam; auxit per Apoſtolos. Quia inſtituit Miniſtros Epiſcopos Apoſtolos XII, Presbyteros Diſcipulos LXXII. Inſtituit noua Sacramenta, Sacerdotium, Sacrificium, Leges nouas, Teſtamentum. Hæc morte confirmauit dicens, *Conſummatum eſt.*

DICO AD I. Tuncauxit Eccleſiā, quam fundarat prius: Ceu ad Sina inaugurato Aarone in Sacerdotem, fundata eſt Eccleſia; at aucta eſt poſt ingreſſum in terram promiſſionis.

AD II. Idem dico: *Dein*, Fluxit de Chriſti latere Eccleſia *Symbolicè*, aqua & Sanguine ſignificantibus Baptiſmum & Euchariſtiam: Et *Meritoriè*; vt vnde vim trahant Sacramenta. Ita S. Patres apud P. Becanum.

AD III. *AEdificabo*, ſcilic. augendo eam, quam ante fundaui. Ergo ante Chriſti mortem viguit Eccleſia noua cū Synagoga: In morte Chriſti mortua eſt Synagoga & Lex iudicialis & ceremonialis. Poſt mortem Chriſti ea ſepulta eſt, ſicque cœpit mortifera; ait S. Hier. At poſt Euangelii promulgationem ſufficientem erat mortifera; ait S. Auguſt. Epiſt. 11.

II. Quale Caput Eccleſiæ eſt Chriſtus?

M. ANTONIVS. Chriſtus nunquam fuit in terris Eccleſiæ Caput, dum vixit; proinde nec Viſibile; ſed tantum Inuiſibile; idque cœpit eſſe poſt aſcenſionem. QVIA: Eph. 1. *Suſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam &c. poſthac dedit eum Caput ſupra omnem Eccleſiam.*

AVTOR. *Eſſe* Caput Eccleſiæ Inuiſibile, cœpit ab ęterna prędeſtinatione & ſic non cœpit, ſed fuit: Cœpit autem ab Adæ creatione: Viſibile eſſe cœpit in Seipſo Incarnato: Viſibile apparuit in ſe natō, permanſitque dum vixit, & cœlos aſcendit: Inuiſibile poſt aſcenſionem eſſe cœpit, Agnoſci ac honorari tale.

III. An ſolus ſit Caput Eccleſiæ Chriſtus?

M. ANTONIVS ait, Solus fuit, eſt, erit. 1. Quia, Rom. 12. *Multi vnum Corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alterius membra*: at in hiſce & Petrus erat: ergo neque hic fuit vnquam Caput; nec vllus Papa: aut biceps fuiſſet Eccleſia. 2. Chriſtus & Eccleſia conſtituunt vnum Corpus: ſed Chriſtus eſt Caput, cæteri omnes ſolum membra: ergo ſolus eſt Caput Chriſtus. Sic & S. Patres.

AVTOR. Chriſtus in cœlo exiſtens eſt Inuiſibile Caput Eccleſiæ. Quia modo inuiſibili gubernat eam per alios viſibiles; non per ſe, niſi per interni influxum gratiæ. Cum autem primū Chriſti regimen Viſibile fuerit Monarchicum; nec intercidere debuerit; ſucceſſione opus fuit in eodem Viſibili regimine: cum etiam Chriſtus Viſibilis ſit mortuus; jam autem Inuiſibilis non

mori-

moritur amplius; quà inuisibilis successione nil eget; at eget quà Visibilis esse desiit: & eatenus Vicarium sui dedit visibilem Corpori suo visibili.

DICO AD I. Loquitur ibi de regimine per internum influxum; cuius respectu omnes sunt membra: at quoad externum regimen vnus est Caput Visibile sub Inuisibili Christo.

AD II. Liquet: nam ita sentiunt, & scribunt S. Patres.

IV. An *Sp. Sanctus* sit propriè Vicarius Christi in regimine Ecclesiæ?

M. ANTONIVS Caluinista affirmat. *lib. 4. c. 1. n. 4.*

SVADET istis. 1. Ioan. 14. *Sp. Sanctus, quem mittet Pater, in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Ioa. 16. *Si abiero, mittam eum ad vos.*

AVTOR. Sp. Sanctus propriè non est Vicarius Christi in regimine Ecclesię,

1. Quia Vicarius est minor eo, cuius est Vicarius: at Dei Filius & Sp. Sanctus sunt æquales Patri Ergo.

2 Macedoniana hæresis finxit minorem Filio Sp. Sanctum.

3. Caluinus finxit, *Christum esse Vicarium Patris*; id est, aiunt Caluinistæ, quoad Humanitatem; vt effugiant notam Arianismi: At supponunt, *Vicarium esse minorem eo, cuius Vicarium agit*: ergo necessariò arianizant.

4. Si secūdum Humanitatem Christi est Vicarius Sp. Sanctus: ergo Spiritus Sanctus est minor Christo Homine: Itē, DEVS esset Vicarius Hominis; quæ sunt absurda: Si secundum Diuinitatem solam esset Caput Ecclesiæ: ergo hanc sui exaltationem non fuisset meritus Christus, secundum Humanitatem, vt Caput esset: At meritus est, *Phil. 2.* vt de Aug. lib. 1. de Trinit. c. 12. *Christus secundum formam* DEI, *primogenitus est omnis creaturæ; secundum formam serui, Caput Corporis Ecclesiæ.*

5. Sp. Sanctus non est Christi Vicarius in regimine Externo, seu visibili: quia inuisibilis non gubernat visibiliter per se. Nec in Interno regimine, seu inuisibili: quia hoc consistit in gratiæ interno influxu; at hunc præstat Christus vel meritoriè, quà Homo; vel physicè & effectiuè, quà DEVS. At Sp. Sanctus non meretur nobis gratiam; cum Dei non sit mereri: Nec effectiuè producit solus gratiam, sed cum Patre & Filio: quia, *Opera Trinitatis ad extra sunt Indiuisa.* Cum igitur Vnum Principium rerum omnium Deus sit Trinunus, idem non potest suus esse Vicarius ipse.

DICO AD Suasionem. Esse missum ad docēdum non est esse Vicariū Christi in omnibus Christi muniis: Nam, ait Antonius ipse contra se, libr. 1. c. 1. n. 16. *Omnia munera Capitis, & Regis obit* PER SE *perfectissimè.*

INSTAT: *In nomine meo*, id est, vt sit Vicarius meus.

DICO. Sic fingit ipse: at aliter, 1. Theophylactus, id est, *in gloriam nominis mei.* 2. Toletus hic annot. 26 id est, *propter meritum meum.* 3. Toletus, id est, *ad negotium meum perficiendum*, scilic. doctrinæ, ad aures à me datæ, & porro intus ad cor dandæ.

Hactenus de Non propriè Capite Monarchiæ Ecclesiasticæ: Porrò de Non proprio Regimine.

II. REGIMIN *Ecclesiæ non est* DEMOCRATICVM, *seu populare, vt quod deterrimum est.*

NAM in hoc populus, 1. Creat Magistratum. 2. Dat appellationem à Magistratu ad sese. 3. Rogat, abrogatque Leges. 4. Accipit accusationes contra Magistratum.

AT in Ecclesia contraria omnia fieri necesse est. Nam hæc immediatè est à Deo: testante IESV, Ioan. 15. *Ego elegi vos, & posui. &c.* Apostoli dein alios; sicque porro. 2. Ab ea nunquam prouocatur. 3. Ipsa dat leges, accipit à nemine. *Act. 15.* 4. A nemine iudicatur. Iuxta Matth. 18. *Dic Ecclesiæ*, id est, Præsuli, seu Concilio Præsulum, penes quos stat iudicium.

Populus tamen olim designare Ministrum potuit, sicut, *Act. 1.* Matthiam designauit; at non creare, vel ordinare vnquam. Neque ea designatio facit Democratiam: *nam & Reges olim eligebat; electis tamen Monarchia obseruabatur.*

INSTAT ILLIRICVS Cent 1. lib. 2. cap. 7. 1. Matth. 18 *Dic Ecclesiæ*; ergo summum Iudicium est, Fidelium congregatio. 2. *Act. 1.* Tota Ecclesia elegit Matthiam. *Act 6.* Item Diaconos. Et Patres docent Electionem Episcoporum esse penes populum

DICO AD I. *Dic Ecclesiæ*, id est, publico iudicio eorum qui publicas personas gerunt. Ita *Chrys.* at tales sunt Episcopi.

AD II. Populus solum nominauit, designauitque eligendos, & ordinandos; non ordinauit, non creauit ministros dans potestatem. Vnde Act. 6. *Considerate vtros boni testimonii VII. quos constituamus super hoc opus.* Plerunque tamē Episcopi iudicia tractarunt coram Clero intra cancellos, stante extrà populo.

III. *Reg. Eccl. non est penes Principes sæculares.* Est contra Brentium. 1. Sic Scriptura. Ps. 44. *Pro Patribus tuis*, id est, Apostolis, *nati sunt tibi filii*, Episcopi: *Constitues eos Principes. &c.* id est, 1. Corinth. 12. Eph. 4. *Deus in Ecclesia posuit primum Apostolos, deinde Prophetas, tum Pastores & Doctores.*

2. Ita S. Patres, qui Episcopos Regib⁹ anteponunt: *Chrys. hom. 83. in Matth.* etiam Diaconis.

3. Hinc Fabianus Papa Imperatorem Philippum excluſit à Cōmunione, donec pro peccatis feciſſet ſatis: teſte *Euſeb. l. 6. c. 25.* Ambroſius Theodoſium. &c.

4. Ratio. Quia Epiſcopi à Deo ſunt inſtituti, ad regendas animas legibus Sacramentisque paſcendas, contra nequitias in Spiritalibus: At Reges abhominibus creantur. &c.

Non eſt igitur Ariſtocratia in Eccleſia. 1. Quia ſupernaturale regimen ſolis eſt Epiſcopis commiſſum à Deo: Ioann. vlt. *Paſce oues meas.* & Act. 20. *Quos Deus poſuit. &c.* Ideò primis 300. annis ſoli etiam Epiſcopi rexerunt ſub Imperat. ethnicis. 2. Quia ſolis licet conſecrare, docere, Sacramenta adminiſtrare: &c. quæ ſæcularibus minimè licet actiuè vſurpare. 3. Fœminæ poſſunt eſſe Principes; eis tamen Paulus *1. Cor. 14. 1. Tim. 2.* negat officia Eccleſiæ. Pepuzitæ, quòd fœminas Sacerdotes facerent, à S. Auguſtino, *hær. 27.* damnantur. S. Ambroſiii vox ad Theodoſium erat: *Purpura Imperatores facit, non Sacerdotes.*

INSTAT BRENTIVS.

Moyſes, Ioſue, Dauid, Salomon, Ioſias, ſe miſcuerunt negotiis religionis. Quin Regibus à Deo commiſſa eſt cuſtodia legis diuinæ: ergo ad eos pertinet cura Eccleſiæ.

Rom.

Rom. 3. *Non sine causa gladium portant Minister enim Dei est, vindex in iram ei, qui malo agit.*

DICO Moyses & Dux & Sacerdos summus erat; ideo id poterat, & debebat. Cæteri id egerunt extraordinaria autoritate, vt Prophetæ, non vt Reges: salua lege. *Deut. 17.* de dubiis ordinariè ad Sacerdotem Summum referendis. Ideò Ozias &c. punitus est, Sacerdotis munus inuadens. Reges verò sunt legum Custodes; sed non Interpretes; minus Iudices.

IV. *Eccl. Regimen non est penes solos Episcopos & Sacerdotes, vti Optimates.* Est contra Caluinum. 1. Quia ab his ferè potissimum hæreses oriuntur, teste Caluino ipso *Instit. l. 4. c. 20. §. 8.* 2. Quia optimates difficulter & rarò congregari queunt: cum suam quisque prouinciam regat: neque sine summo capite cogi possent. Itaque Monarchia, cũ subiecta ei Aristocratia, optimè regit. Et sic *Act. 15. 20. 1. Pet. 5.* monentur Seniores regere Ecclesiam.

INSTAT CALVINVS.

1. Act. 15. *Conuenerunt Apostoli, & Seniores*, non vnus aliquis summus Iudex, *videre de verbo hoc.* 2. *Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act. 20. 3. *Seniores*, 1. Pet. 5. *qui sunt in vobis, obsecro consenior & testis Christi passionum, pascite qui in vobis est, gregem Dei.* 4. Ita & S. Patres.

DICO AD I. Petrus ibi Præses, Caputque erat, licet Iacobo loci Episcopo præsente. Itaque Monarchiæ est, habere Caput vnum, cæteros consiliarios.

AD II. & III. Rectè, conueniant Episcopi & Presbyteri; sed sub vno Sũmo Capite Christi Vicario: nam de hoc agitur hic; non de illo.

AD IV. Eadem est sententia, sensus, ac nobiscum consensus S. Patrum apud *Bell. l. 1. de Pont. c. 8.*

V. *Regimen Eccl. esse debet Monarchicum:* cùm ex duobus prædictis neutrũ esse conueniat, valeatue.

1. Quia Scriptura docet Caput Vnũ Ecclesiæ esse oportere, vt quæ sit Exercitus ordinatus, *Cant. 6.* Mulier. *Cantic. 7.* speciosa: *Dan. 2.* Regnum; Ouile, *Ioa 10.* Domus, *1. Tim. 3.* Arca & Nauis, *1. Pet. 3.* Atqui verò, *in Exercitu*, ait Hieron. ad Rusticum, *vnius signum expectatur*: Sponsæ caput vir esse visibile debet; Cant. 5. *Caput eius aurum optimum:* Quia Caput Christi Deus est; at Sponsæ, Homo. Regnum habeat Regem visibilem; Ouile Pastorem, præter Christum Summum Pastorem. &c.

2. Quia, cũm Episcopi singuli singulas prouincias curent; fidei propagatio autem esse vniuersalis debeat in omnem terram per Missionem; necesse est vt Vnus totius orbis vniuersalem curam gerat. At, teste historia, scimus in omnes orbis oras à S. Sede Romana factam eam propagationem per Missiones: Ergo fuit, est, esseque debet Monarchia Ecclesiastica.

Et Caluinus *Instit. l. 4 c. 4. §. 4.* concedit, ad Vnitatis & Disciplinæ conseruationem pertinere, vt singulis prouinciis vnus præsit Episcopus; Episcopis vnus Archiepiscopus, hisce Primas. Ex hoc defectu contigit in sectas scindi Lutheranos; & hodieque Caluinistas; teste Hollandia, Anglia, Francia, Transyluania &c.

3. Quia Hierarchia Cœlestium est idæa

idæa Terreſtrium; teſte S. Greg. & Bern. &c. Atqui in Cœleſti, præter Vnum Deum, fuit Monarcha Lucifer: Et nunc eſt S. Machaël, *Apoc. 12.* Ergò.

Vnde Sic Caluinus Inſtit. l. 4. c. 6 §. 5. & Magdeburgenſes Centu. 1. l. 1. c. 7. *In Eccleſia populi Iudaici Vnus tantum erat Lege diuina Sacerdos Summus, quem omnes cogebantur agnoſcere, eique parere.* Atqui, 1. Cor. 10. *Omnia contingebant illis in figura:* Quare figurata Eccleſia illi reſpõdeat neceſſe eſt; *vt in Vnitate contineatur,* ait Caluinus. Eòque magis opus Eccleſiæ eſt vnum Caput, vt in Vnitate contineatur; quòd in tot gentibus totius orbis maius periculum eſt Vnitatis diſtrahendæ; quam vna in gente Iudaica.

INSTAT. 1. CALVINVS Inſt. l. 4. c. 20. §. 7. *Vanam eorum ambitionem, quis eorum videretur eſſe maior, vt compeſceret, eorum miniſterium non eſſe regnis ſimile docuit, in quibus vnus eminet.*

2. Inſtit. l. 4. c. 6. §. 1. Eph. 4. *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos. &c.* vult eſſe formam Eccleſiæ delineatam; nec vnius tamen Capitis facit mentionem.

3. Ibid. §. 9. Eph. 4. *Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ:* ergo aliud datur ad iniuriam Chriſti.

4. Ibid. *Debuit vnus populus Iudæorum, obſeſſus ab idololatris, habere vnum ſummum Principem, qui omnes in Vnitate contineret. At populo Chriſtiano, toto orbe diffuſo, velle dare vnum Caput, abſurdiſſimum eſt.*

5. Ibid. c. 4. §. 2. Epiſcopi Presbyteris, Archiepiſcopi Epiſcopis, Primates illis maiores ſunt Dignitate honoris, non Autoritate poteſtatis.

6. BEZA *in Confeſſ. art. 5. c. 5.* ſolus Deus oneri totius Eccleſiæ par eſſe poteſt: proin impoſſibile eſt Homini: Sic & Lutherus libr. de poteſtate Papæ: & Synodus Schmalcaldica.

7. Synodus Schmalc. 1. Cor. 3. Omnes Miniſtri æquantur: *Omnia veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Cephas.*

8. *Ibid.* Ioan. 20. *Ego mitto vos,* ſc. æqualiter omnes.

9. *Ibid.* Si Eccleſia debeat vnum vnius eſſe regnum: ergo & Politia.

DICO AD I. Ibi Dominus Monarchiam inſtituit, *Matth. 20.* dicens: *Qui inter vos Maior eſt & Præceſſor, ἡγούμενος,* Dux: Non dixit, vos non præeritis, ſed quaſi dicat præeritis, ſed non ſicut *Qui Maior eſt:* Item. *Sicut Ego &c.* Docetque ab ſeſe, quomodo præeſſe oporteat, abſque dominatione.

AD II. Non ibi deſcribitur regimen Eccleſiæ; ſed dona Eccleſiæ varia enumerantur. *Deinde:* Pontificatus ibi diſertè ponitur; & clarius 1. Cor. 12. *Poſuit* PRIMVM *Apoſtolos, deinde &c.* Apoſtolis enim erat, 2. Cor. 11. *Solicitudo omnium Eccleſiarum* per orbem; Verum non, vt eis ſuccederetur, ſicut Petro; qui Primatum Primas erat, habens ordinariam ſucceſſionem: Quam & Succeſſio hodieque docet. Ita S. Patres & Concil. Chalced. Et iſte Primas Primatum eminet, *vt Reges gentium, Maior;* Sed & eſt *Miniſter;* vt non ſunt Reges.

AD III. Liquet ſupra. Nec enim Papa eſt Caput Eccleſiæ CVM Chriſto; ſed SVB Chriſto, vt eius miniſter & Vicarius. Ita ait Dominus: *Ego ſum lux mundi:* Et tamen etiam *Vos eſtis lux mundi.* Item *Fundamentum aliud nemo. &c. quod eſt Chriſtus.* Et tamen, *Superadiſtis ſuper Fundamentum Apoſtolorum.* Ita hîc Caput eſt & Chriſtus; & Petrus erat ſed diuerſimodè: nam Principale Caput & perennans eſt Chriſtus.

AD IV. At in Orbis Monarchia maior

ior est ratio vnum habendi Caput: quia maior est necessitas continendi orbem totum *in Vnitate, ne variis religionibus distraheretur*, quam vnam Iudæam.

AD V. At sunt etiam Potestate aliis alii superiores: Vt, 1. Tim. 5. *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* En potestate Episcopi supra presbyterum. Sic & Concilia.

AD VI. Vt vnus orbem per se regat, fieri nequit; neque id dicimus: at per multos vnum regere, possibile est, ac vtile.

AD VII. Si ideò æquentur, qui simul numerantur, iam pares erunt Duces, Consules, Imperatores. &c.

AD VIII. Non istis verbis est vnus aliquis præpositus; sed istis, Ioann. 21. *Pasce oues meas.*

AD IX. Disparitas est: Orbis totus debet habere Vnum, qui præsit omnibus, vnam ad legem obseruandam adstrictis: at Politica regna non debent habere eadem leges; ergo nec vnum esse regnum regemque necesse est.

QVÆSTIO IV.

An Petrus sit Petra, supra quam ædificatur Ecclesia?

LVTHERO-CALVINISTÆ petnegant.

I. LVTHERANI communiter: Petra est, non Petrus, sed Fides, fideiq; Confessio. Sic Lutherus *l. de potestate Papæ*; Magdeburg. *Cent. 1. lib. 1. c. 4. Et lib. 2.* Schmalcaldici *de Primatu Papæ.* Docere nituntur è S. Patribus, qui Fidem esse fundamentum Ecclesiæ dicunt.

Illyrici ratio hæc est: Si Petrus erat Petra Ecclesiæ, iam tum corruisset, cùm ei, de Passione Domini respondenti, dicebat IESVS Matth. 16. *Vade post me Satana; scandalum es mihi: quia non sapis, quæ Dei sunt.* Et cum, *Matth. 26.* negauit IESVM.

II. ERASMVS in Matth. 26. ex Orig. Tract. 1. in Matth. *Petra est omnis, qui imitator est Christi, & super omnis eius modi Petra ædificatur Ecclesia Dei. In singulis enim Perfectis, qui habent in se congregationem verborum, & operum, & sensuum omnium, consistit Ecclesia,* cui portæ non prævalent inferorum.

III. CALVINVS *Inst. l. 4. c. 6 §. 6.* ait, Petra illa erat Christus. 1. Quia 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus.* 2. Sic August. tract. vlt. in Ioan. *Super hanc Petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam.* Et Retract. l. 1. c. 21.

AVTOR. Petrus est Petra; non quà Hæc persona particularis; sed quà Pastor & Caput Ecclesiæ. Sic Scriptura: Petri Prærogatiuæ: & Consensus Græcæ Latinæque Ecclesiæ. 1. Scriptura Promissionis, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super* HANC. &c. Et Petrus dicitur Cephas, *Ioan. 1.* Cephas autem Syriacum, est Petra, ait Hieron. in Gal. 2 Et πέτρος atticum est ac rarius, ideo interpres rectius vertit σὺ εἶ πέτρος; Καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω. &c. Quia igitur πέτρος virum & saxum significat; πέτρα verò solum *Petram*; ideò ambigui vitandi causa vertit interpres secundo loco *Petra.* Vide in *Antichristop. 2 q. 2.*

2. Scriptura Exhibiti promissi, Ioa. 21. *Pasce oues. &c.* De hac infrà q 6.

3 Consensus vtriusq; Ecclesiæ huc accedit apud *Bellarminum libr. 1. de Pont. cap. 10.*

DICO I. AD LVTHER. Fides, seu Confessio accipitur Vel absolutè simpliciter & in se, absque relatione ad Petrum: Vt volunt Lutherani: Vel cum relatione ad Petrum complexè; & verè. 1. Si absolutè; non dixisset IESVS *ædificabo*, sed *ædificari*: quia iam plures verè crediderant. 2. Fides absolutè, est verè fundamentum Iustificationis ac vir-

tutum; ſed non Eccleſiæ: Nam eiuſdē generis eſſe debet fundamentum & ædificium: Atqui Eccleſia eſt fidelium hominum congregatio; ergo & fundamētum eſſe Homo debet.

Ideò articulus, *Hanc*, refertur ad Petrum: *Tu es Petrus*, non Fides ſola: *& ſuper Hanc Petram*, hanc huius Petri fidem, Paſtoris & Capititis. &c. 1. Cuius fides merita eſt, vt ille per eam ſit fundamentum: Ita S. Patres. 2. Cuius, vt Paſtoris, officium debet alios in fide confortare. *Luc. 22.* Ita S. Patres ſunt intelligendi: non de ſola Fide abſolutè.

DICO. I. AD ILLYRICVM, 1. ait S. Hieronymus, Petrum tunc necdū fuiſſe Fundamentum: ſed id promiſſum accepit poſt reſurrectionem. 2. Petrus non errauit à fide; ſed ignorauit: Item in negatione excidit à Charitate, non à Fide abſolutè.

DICO II. AD ERASMVM ROD. 1. Ea Origenis expoſitio eſt allegorica, non Literalis, vt Eraſm⁹ fingit. 2. Alibi idē literaliter explicauit de ipſo Petro. Deinde ſi omnes fideles ſunt fundamentum; vbi eſt ædificium? Vt 1. Cor. 12. *Si totum Corpus oculus; vbi auditus? &c.*

DICO III. AD CALVINVM quidem. 1. Haud dubiè *Chriſtus eſt Petra* Primaria, & etiam Secundariæ illius Petræ Petri *Petra* eſt. Hîc tamen Chriſtus loquitur ad Petrum, non ad ſeipſum; teſte vocula, *Hanc*, proximè dictam Cephā: cui ait, *ædificabo*: Nam eum nondum cōſtituerat Petram, ſed fore promiſit. Itaque Paulus loquitur de primario fundamento, Chriſto: Vnde Eph 2. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum*; ſcilic. ſecundarium: Quæ, *Apoc. 21.* ſunt duodecim ſecundaria.

2. S. Auguſt. non reprobat noſtram ſententiam; ſed illam aliam antefert dicens: *Harum duarum ſententiarum quæ ſit probabilior, eligat Lector.* 3. Et is laborauit ignorantiâ linguæ Hebreæ, putans ſupra *Petrinum fundam.* dici ædificatam. &c.

Quare hoc promiſſo, eſt iam hic potētiâ, dein actu Petro commiſſum omne Regimen totius Eccleſiæ ac Fidei. 4. Et cæteri Apoſtoli dicuntur etiam fundamenta; 1. Quia Eccleſias vbique fundarunt. 2. Ratione Doctrinæ ei à Deo reuelatæ, quæ eſt *Fundamentum Apoſtolorum.* 3. Ratione Gubernationis nam omnes erant Paſtores, & Capita, vt Legati: ſed non vt Petrus Ordinarius ac Primarius poſt Chriſtum Paſtor, & Caput Apoſtolorum: teſte *Hieronim. lib. contra Iouin.*

QVÆSTIO V.

An Petro ſint promiſſæ CLAVES; *& quid eæ ſignificent?*

LVTHERANI pariter & CALVINIANI omnes negant hic quicquam Petro promiſſum; ſed Eccleſiæ totū, vt cuius ille perſonam geſſit. Ita Lutherus *lib. de poteſt. Papæ*, Magdeburgenſes *Cent. 1. lib. 1. & 2.* CALVINVS *Inſtit. l. 4. c. 6. §. 4.* Schmalcaldici *lib. de primatu Papæ. &c.*

SVADET id iſtis Lutherus: 1. Petrus nomine omnium reſpondit: *Tu es Chriſtus*: ſic & nomine omnium audiuit, *Tibi dabo claues.* 2. Claues promittuntur Petro, vt Dei Patris auditori, non vt filio Ionæ: Sed de Eccleſia ſola conſtat, quòd ſit auditrix Dei: ergo Eccleſiæ ſunt promiſſæ claues. 3. Petro mortuo Claues in Eccleſia manſerunt: ergo Eccleſiæ ſunt promiſſæ & datæ. 4. Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis. &c.* Et Ioann. 20. *Accipite Sp. Sanctum. &c.* Hæ dun-

dantur omnibus Claues; ergo ibi *Matth. 16.* promittuntur omnibus, non vni Petro. 5. Sic S. Patres: Sic & CALVINIANI.

AVTOR. Petrus immediatè, principaliter, ac historicè promissionem Clauium accepit. 1. Id omnes particulæ & circumstantiæ docent: *Beatus es Simõ bar Ionæ; Ego dico Tibi: Tu es Petrus. &c.* Et statim, *Tibi dabo Claues.* 2. Hocilli promissum, cui dictum postea, *Vade post me. &c.* sed hoc Petro dictum; ergo illud Petro promissum.

Accipiendo autem Claues sustinuit personam Ecclesiæ Petrus; sicut baptizans gerit personam Ecclesiæ baptizantis; significans Summus Præsul, omnes Præsules habituros easdem à Petro participatiuè, sed non plenariè.

RESP. AD I. Solus omnium nomine respondit, vt Os, Caputque Apostolorum, ait Chrys. Ergo & solus promissum abstulit.

AD II. Esse Patris auditorem, non est formalis causa cur Claues promittantur: alioquin Potestas Clauium penderet à probitate ministrorum: Ceu Donatistæ volebant.

AD III. Mortuo Papa Claues non manent formaliter in Ecclesia, nisi quatenus cum inferioribus ministris communicantur: sed manent in manu Christi, qui nouo Papę dat eas, non traditione noua, sed Institutione antiqua.

AD IV. Istis in verbis, *Matth. 18.* nil datur; sed promittitur: sicut fatentur Aduersarii, de istis; *Quodcunque ligaueris. &c.* Quia constat in vltima Cœna Apostolos factos esse Sacerdotes: Episcopos verò & Pastores post resurrectionem. Datæ sunt autem Ioan. 20. *Sicut misit me Pater. &c.* Et Ioann. 21. *Pasce oues.*

AD V. De S. Patribus Vide *Bell. l. 1. cap. 12.*

II. CALVINVS *Instit. lib. 4. c. 6. §. 3.* ait, Etsi possit conuinci, datas soli Petro Claues; non eas tamen significare, datum Petro Principatum.

SVADET istis. 1. Quia soluere & ligare peccata, cùm fiat per Prædicationem & *Verbum reconciliationis*, 2. Cor. 5. quo electi conuertuntur, obstinati condemnantur: ideo significat Ministerium verbi; non Principatum aut Potestatem in alios.

2. Magdeburgenses *Cent. 2. lib. 2. cap. 7.* Quia si istis verbis Petro fuisset Principatus promissus, Apostoli postea non dubitassent, quis eorum esset maior futurus. Neque Dominus eis responso vllo exemit dubium.

AVTOR. Claues significant Potestatem in totam Ecclesiam. 1. Sicut Isa. 22. *Dabo Clauem Domus Dauid super humerum eius. &c.* Explicat Isa. 9. *Factus est Principatus eius super humerum eius.* Ita Apo. *Qui habet Clauem Dauid. &c.* 2. *Quodcunque ligaueris. &c.* Ligare dicitur de Præceptis: Matth 23. *Alligant onera. &c.* Deque Pœnis; vt hic, *Quæcunq; alligaueris. &c.* quod etiam Caluinus de Excommunicationis pœna intelligit. Ergo Claues Potestatem denotant iurisdictionis. 3. Ita Patres.

DICO AD I. Per *Ligare & Soluere* intelligunt S. Patres non solum remittere, aut retinere peccata; sed omniũ Sacramentorum administrationem: & nõ prædicationem. Neque verbum reconciliationis absoluit; sed mouet ad pœnitentiam, quærentem absolui.

AD II. Apostoli non sat intellexerunt Dominum ita metaphoricè loquẽtem Petro: Quia tamen fortè suspicati

ſunt, ideo & ſciſcitati ſunt. Dominus autem reſpondit eis, dicens: *Qui maior eſt veſtrum, fiat ſicut iunior, & qui Præceſſor, fiat ſicut miniſtrator.* Ergo erat Maior Vnus in eis.

QVÆSTIO VI.

An ſoli Petro ſit Promiſſi exhibitio facta; dataque Summa Poteſtas?

LVTHERO-CALVINISTÆ negant. Caluinus *Inſt. l. 4. c. 6. §. 3.* ſic SVADERE nititur, *1. Pet. 5.* monet compresbyteros, vt paſcant Gregem: ergo hoc, *Paſce*, vel omnibus dictum; aut Petrus ius ſuum tranſtulit in alios. 2. Aug. & Chryſ. volunt omnibus dictum, *Paſce*.

AVTOR. Hiſce, Ioan. 21. *Paſce oues meas*, ſoli Petro ſumma data Poteſtas eſt. Sic verba diſtinctè docent: 1. *Simon Ioannis*: qui ſolus erat Petrus. 2. *Diligis me plus his*, cæteris coapoſtolis. 3. Ter interrogatur, ait Cyril & Aug. qui ter negaturus erat: At negauit Petrus ſolus: ergo ſolus interrogatur. 4. *Contriſtatus eſt Petrus*, ſolus: ergo ſolum affatus eſt Dominus. 5. Soli Petro ibi prædicitur crucifixio: ergo & ſoli dicitur *Paſce*. 6. Soli dicitur: *Quid ad te? Tu me ſequere.* Ita S. Patres.

AD I. Petrus ait, *Paſcite Gregem, qui an vobis eſt*, ſcilic. ſuum quiſque particularem; non Vniuerſalem. Sicut Act. 20. *Attendant ſibi, & vniuerſo Gregi:* particulariter, *in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos.*

AD II. Quod Summo Paſtori dicitur, id ſubordinatis quoque proportione dictum eſt; *Paſce.* Sed Vnus ſummus, *plus his* amet & paſcat. Ita Patres dicti intelligunt, & alii. S. Leo, Serm. 3. Aſſumt. *Ideo Petro hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma præponitur.*

II. PASCE quid ſignificat?

LVTHERVS lib. de poteſt. Papæ. *Paſce*, id eſt, doce tuum gregem; vt alii ſuum. Non ideo ſummum Præſulem inſtituit. 1. Quia *paſcere* non eſt Præeſſe; ſed miniſtrare cibum: quòd inferioris eſt. 2. Quia non imperat Gregi, vt obediant Petro; 3. Quia ſi *paſcere* & *diligere* facerent Summum Antiſtitē; ſæpè nullus foret Pontifex: quia multi neutrum faciunt. Non igitur Inſtitutio eſt Papæ, ſed Præceptum Officii.

AVTOR. 1. Propriè *Paſcit*, qui cibum procurat; non qui miniſtrat. Id verò Gubernantis eſt. Luc. 12. *Quis putas eſt fidel. diſp. & prud. quem conſtituit Dominus* SVPER *Fam. ſuam. &c.* 2. *Paſce*, denotat omnem Actum paſtoralem, non vnum prædicandi ſolam: Actus ſunt ducere, tueri, præeſſe, regere, caſtigare: Iſta ferè ſignificat vox ποίμαινε. Ita S. Patres.

DICO AD I. Iam liquet falſum obiici.

AD II. Item.

AD III. In Præcepto Actus Paſcēdi eſt Inſtitutio Principatus id agentis. Actus enim ſignificat Poteſtatem: Sicut in hoc, *Creſcite & multiplicamini*, eſt præceptum actus, & Inſtitutio ſtatus, dans poteſtatem generandi. Neque tamen pendet Inſtitutio ab præcepto actus: ideo illa perſtat hoc etiam ceſſante.

III. *Oues meæ*, an ſit Vniuerſa Eccleſia?

LVTHERANI, *locis citatis ſupra*, & CALVINVS *Inſt lib. 4. c. 6. §. 7.* negant, hiſce argumentulis.

SVADET. 1. *Lutherus.* Quia dixit, *oues meas*;

meus; non *omnes oues*. 2. *Lut. & Illyr.* Si *omnes* commissæ, ergo *omnes* pascere debuit: at non *omnes* pauit. 3. *Gal. 2.* Nullam sui subiectionem ad Petrum agnoscit Paulus. 4. Sed diuisa est Iurisdictio inter Petrum & Paulum. 5. Quia Paulus Petro restitit. 6. Apostoli constituunt Diaconos sine Petro. *Act. 6.* Mittunt, *Act. 8.* Petrum in Samariam. Eum, *Act. 11.* reprehendunt, quòd Gentibus prædicasset.

AVTOR. Omnes oues Christianæ Petro sunt commendatæ. 1. Quia, vt notat S. Ambr, Christus dixit Πόιμαινε τὰ Ἀννία, προβάτια, & πρόβατα, Agnos, Ouiculas, & Oues, id est, Incipientes, Proficientes, & Perfectos, scilic. omnes Plebeios, Clericos, Episcopos. Vel Gentes, Iudæos, Apostolos: vt placet S. Leoni. 2. Quia *pasce oues meas*, id est, curam Ouilis habe totius: Sicut, Ioan. 10 *Ego cognosco oues meas*, scilic. omnes. Leo serm 3. *Omnes propriè regit Petrus, quos Principaliter regit & Christus.* Theophyl. in vlt Matth. *Finito prandio Præfecturam totius mundi Petro commendabat. &c.*

DICO AD I. Hoc, *Meas*, æquiualet vniuersali signo *Omnes*. Et eo non commendauit ei Nullas; nec Aliquas solum; quia nullas definiuit: Ergo *Omnes*. Ita S. Patres, *Bell. l. 1. de Pont. c. 16.*

AD II. Apostoli singuli partem pascebant: omnes Petrus; à quo dependebant illi; ipse ab eorum nullo.

AD III. Non ibi agitur de Subiectione; sed de commendatione sui Euangelii, quod contra pseudoapostolos defendebat.

AD IV. Non ea fuit diuisio Iurisdictionis; sed prouinciarum. Hinc Paulus Act 9. *Portet nomen meum coram Gentibus, &c.* Gal. 2. *Creditum est mihi Euangelium præputii*, id est, Gentium. Nihilominus etiam Petrus prædicauit Gentib. Pauluſque Iudæis. Rom. 15.

AD V. In resistendo laudanda est charitas Pauli, & humilitas Petri. Sic *August. Hier. Cypr. &c.*

AD VI. Instituerunt Petro non inuito; Miserunt eum, quòd ad eorum cõsilium sponte iret: Sicut Magi ab Herode missi. *Matth. 2.* Phinees, *Ios. 22.* ad Ruben & Gad. Reprehenderunt eum, ex opinione falsa: Ideoque Deus, *Act. 10.* ostendit ei in Linteo, licitè prædicari Gentibus.

QVÆSTIO VII.

Quæ recenseantur Derogatiuæ, quæ Prærogatiuæ Petri?

LVTHERVS *lib. de Pot. Papæ.* Maior Petro Iacobus est.

SVADET. 1. Quia Christo successit Ierosolymis. 2. Pater Episcoporum est, vt Ierosolyma mater Ecclesiarum. 3. Conc. Nicænum Solymæ tribuit Primatum. 4. Paulus antonomasticòs dicitur *Apostolus*, Non Petrus: ergo maior est.

AVTOR. AD I. Christus non habet successorem, sed Vicarium Generalem; quem decebat mutata Lege Sedẽ figere non in Solyma euertenda; sed in Roma confirmanda in orbis Vrbem.

AD II. Solyma mater est omnium ob Mysteria, non ob Autoritatem & Potestatem.

AD III. Solymæo Episcopo datur inter quatuor Patriarchas primaria sessio; sed non Iurisdictio.

AD IV. Paulus sic appellatur, quia plura scripsit, pluribus prædicauit, doctior fuit.

II. MAGDEBVRGENSES *Cent. 1. libr. 2. cap. 10.* Petri lapsus XV. congerunt; iis monentes Sp Sancto posteritatem, ne eum in

Principem eucherent. I. Mari se temerè credenti naufragatur fides.

AT solum personalis fides.

II. *Matth. 16.* Noluit pati Christum.

AT, *Hieron.* licet erret in sensu; non tamen affectu.

III. *Matth. 17. Bonum est nos hic esse:* Philautia hæc.

AT, Mar. 9. *Erant timore exterriti.* S. Leo ait: Bonum, sed minus ordinatum petebat; nesciebatque melius.

IV. *Matth. 18.* Ambitiosè agitat quæstionem, *Quis maior?*

AT, *Matt. 17.* Petrus aberat ad mare missus.

V. *Matth. 18.* Remissionem voluit restringi ad septies.

AT, solum interrogauit.

VI. *Matth. 19.* Præmia tantum temporalia somniauit, *Ecce nos rel. &c quid ergo erit nobis?*

AT, ait *Chrysostom.* nulla hic arrogantia.

VII. *Ioann. 13.* Rusticè negat sibi lauari pedes.

AT, *Chrysost.* honoris & amoris causa.

VIII. *Matth. 26.* Mendacii redarguere voluit Dominum; se non negaturum.

AT, *Hieron.* Fides erat ardensque affectus.

IX. Vigilare iussus in horto dormiuit.

AT, *Erant enim oculi eorum grauati somno.*

X. Aurem abscidit, gladio vsus contra vetitum.

AT, nusquam id vetuit Christus.

XI. Negauit Christum.

AT, *Greg.* Hoc Primatum confirmat.

XII. Capto Domino fugit.

AT, id prædixerat Dominus de omnibus futurum.

XIII. Non credidit resurrexisse Dominum.

AT ideo, *quia nondum sciebant Scripturas.*

XIV. *Ioann. 21.* Curiosus de Ioanne inquisiuit.

AT, *Chrysost.* ex amoris excessu in Ioannem, vti verecundiorem.

XV. Antiochiæ non ambulauit ad veritatem; qua causa ab Paulo reprehensus est.

AT, hanc Marcionis & Iuliani calumniam refutarunt olim *Cyril. libr. 5 in Iul. Tertull. &c.*

III. PRÆROGATIVÆ XXVIII.

1. Nominis mutatio: *Ioan. 1.* 2. Locus primus in catalogo Apostolorum: *Matth. 10.* 3 Ambulatio super aquas, *Matt. 14.* 4. Fidei de Christo reuelatio, *Matth. 11.* 5. *Matth. 16.* Promissio stabilis Ecclesiæ. 6. *Matt. 17.* Dat didragma. 7. In vtraque piscatione, *Luc. 5. Ioan. 21.* præcipuus Petrus. 8. *Luc. 22. Ego pro te rogani. &c.* 9. Luc. 24. *Dominus surrexit verè, & apparuit Simoni.* 10. Primo, *Ioann. 13.* lauit pedes.

11. *Ioann. 21.* Soli prædixit mortem crucis. 12. *Act. 1.* Cogit Concilium in Electionem Apostoli: 13. *Act. 1.* Primus Euangelium annunciat. 14. *Act. 3.* Primus miraculum edit. 15. *Act. 5.* Animæ fraudem vt supremus Iudex vindicat.

16. *Act. 9. Transibat per omnes* ceu lustrator exercitus. 17. *Act. 10.* Primus Gentibus prædicat. 18. Pro vinculo communes preces fiunt. *Act. 12.* 19. *Act. 15.* In Concilio primus sententiam edit. 20. *Gal. 1.* Paulus ascendit Ierosol. vt videret Petrum.

21. Solum Petrum Christus baptizavit.

vit, & matrem: teste Euodio. &c. 22. Solum Christus ordinauit Episcopum, teste Turrecremata; reliquos Petrus, præter Paulum. 23. Primum hæresiarcham prostrauit Simonem: teste Egesippo. &c. 24. Romæ Sedem diuino iussu fixit, ac rexit. Ita Patres & historici. 25. Ante mortem: ei Christus apparuit: teste Egesippo.

26. Eæ solæ Ecclesiæ factæ sunt Patriarchales, quas Petrus fundauit, vt Rom. Alexand. Antiochena. Accessit Ierosolymitanus & Constantinopolit: Patriarchatus. 27. Cathedra Petri festo honorata est. 28. In literis Formatis seu Communicatoriis post SS. Trinitatem nomen Petri poni consueuit. Quæ singula Primatum Petri attestantur.

IV. CALVINISTÆ, vt *M. Antonius l. 4. c. 1.* Petro tribuunt Primatum Ætatis, Vocationis & Charitatis, cæterorum respectu Apostolorum.

SVADET ab autoritate Cassiani & Chrysostomi, Petrum fuisse seniorem Andrea fratre. 2. Sunt, qui asserunt plus dilectū esse Dominum à Petro, quam Ioanne.

AVTOR. Non in iis consistit Primatus Petri: Quia incerta sunt, variantque S. Patres. De ÆTATE: Seniorem putant Andream Epiphan. *hær. 51.* Baron. *tom. 1. an. 31. §. 23. &c.* Et M. Antonius dubitans ait: *Quis diem natiuitatis horum fratrum notatum vidit? Quis interrogauit eorum parentes?* Quid ergo in arena Petri primatum ædificas stulte architecte? De VOCATIONE: Hæc triplex fuit: 1. Admissio quorundam, *Ioan. 1.* ad Christum, non vt apud eum manerent; sed viderent solum. 2. Propriè vocati sunt vt Discipuli permāsuri, *Matth. 4.* 3. Propriè vocati sunt vt Apostoli ex Discipulis electi, *Luc. 6.* Atque in hac Vocatione primo loco numeratur Petrus, *Matth. 10.* De CARITATE variant *S. Patres.* S. Tho. *1. q. 20. a. 4. ad 3.* non audet definire. M. Antonius sic asserit: *Præsumtuosum videtur hoc diiudicare: quia Prouerb. 16. Spirituum ponderator est Dominus, & non alius.*

V. CALVINISTÆ, vt *M. Antonius ibidem.* Negant Petrum habuisse Primatum Ecclesiasticæ Potestatis & Iurisdictionis.

SVADENT istis, vt Antonius. 1. Christus æquè omnibus Apostolis commendauit Ecclesiam. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Euntes docete omnes.* Ideo æquè omnes docuit, & Sp. Sancto impleuit. 2. Petrus nunquam exercuit Primatum: Quia *Act. 2.* cum aliis instituit Diaconos: Ab aliis, *Act. 8.* missus est: Item Paulus & Barnabas quæstionem de circumcisione detulerūt ad omnes, non ad solum Petrum. 3. Paulus in faciem restitit Petro, *quia reprehensibilis erat.*

AVTOR. Petrus accepit, habuit, exercuit Primatum Potestatis & Iurisdictionis Ecclesiæ præ cæteris Apostolis. 1. Quia illi dictū, *Pasce oues meas.* Liquet supra quæst 6. Hinc S. Patres eum mirificis ornant titulis: vt *Vicariū Christi* Ambros. in Luc. 24. &c. *Caput Ecclesiæ,* Hieronymus in Psal. 13. Chrys. &c. *Caput fidelium & Pastorem Gregis Dominici* Augustinus. &c. *Caput omnium Apostolorum* Optatus Mileu. Cyril. *Principem Apostolorum* Cyrill. Ierosol. Basil. *Pastorem Pastorū,* Eucherius, Bern. Alii *Coryphæum, Verticē, Apicem, Antesignanum Apostolorum. &c.* 2. Idem docent Prærogatiuæ Petri simul omnes sumtæ: è quibus Præcedentes Primatum, huius erant signa & dispositiones: Eum secutæ, erant effectus eiusdem. Vnde ex singulis separatim non rectè infertur Primatus, sed ex omnibus iunctis. Di-

DICO AD I. Commendauit Ecclesiam omnibus Christus; sed non Æquè nam soli Petro dixit: *Pasce*, scilic. omnes primariè & eminenter cum iurisdictione, etiam maiores in doctrina, seu spiritu. Nam ab his non pendet per se iurisdictio.

AD II. At multa solus ac primus peregit; cur illa præterit Caluinista? Nec sequitur, Electores hoc decreuerunt: ergo Imperator non habet Primatū. Ita, Apostoli Diaconos instituerunt: ergo Petrus non habuit Primatum? *Dein:* Missus Petrus est, non ex imperio cuiusquam; sed vel ex consensu, vt Pater misit Filiū, & hic Sp. Sanctum: Vel ex directione & consilio; vt Consiliarii subinde mittunt Regem. *Demum:* Sic multæ quæstiones deferuntur ad parlamētum; saluo Regis primatu.

AD III. Errauit Petrus, sed in Facto; quia simulabat Iudaismum cum scandalo gentilium. At in Fide errare non potuit: Quia *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Nec ideo Primatum non habuit, licet reprehensus sit iustè à Paulo: Vt Dauid à Ioab arguebatur, non ideo non erat Rex, *2. Reg. 19.* Possunt enim superiores corrigi à subditis; sub debito modo. Ita S. Patres, & *Col. 4. vers. 17.* Nam apud *D. Tho. 2. 2. q. 33. a. 4* correctio duplex est, Iustitiæ; quæ est Prælatorum; & Caritatis; quæ & inferiorum est, adeoque omnium.

II. DE PONTIFICE ROMANO.

QVÆSTIO VIII.

An S. Petrus Romæ vixerit vsque ad mortem Episcopus?

LVTHERANI, vt Velenus, Illyricus, Magdeburgenses, pernegant.

CALVINVS, ob Scriptorum consensum non pugnat, Mortuum Romæ Petrum: at Episcopum ibidem egisse diffitetur. Vide *Genealogiæ part. 2. q. 1.*

SVASIONES ipsorum infra promemus cum alternis resolutionibus.

AVTOR. Fuisse Papam, huc requiritur.

1. Fuisse Episcopum Romæ;

2. Neque satis hoc, sed nec mutasse Episcopatum ibi susceptum.

3. Fuisse Romæ. 4. Aut ibidem obiisse, non requiritur. Omnia tamen quatuor ista de S. Petro verè affirmari, certa docet series historiæ, ordine subiecto.

PERIODVS APOSTOLATVS S. PETRI.

Anno Christi nati 31. Tiberij 15. *Discipulatus Petri, 1.* Vocatus ad Apostolatū nominatur Cephas. *Ioan. 1.* id est Hieronymo, in Gal. 2. *Saxum* seu *Petra*: aut Optato Mileu. *l. 2. contra Parmeni. Caput.* Baptizatusque à Christo, ait Euodius apud *Niceph. l. 2. c. 3.* cæteros baptizat Apostolos.

Anno Christi nati 33. Tiberij 17. *Discipulatus Petri 2.* Petro ob Confessionem Primatum promittit Christus. Liquet supra.

Anno Christi nati 34. Tiberij 18. *Petri Papatus Ierosolymis 1.* Petro Resurgens apparet soli Christus: *Ambr. in Luc. 24.* Qui tradit ei, confirmatque Primatum. *Matth. 18.* Claudum *Act. 3.* sanat, sic stitur-

stituruque Synedri. Dimissus, *Act. 5.* vmbrâ sanat ægros.

Anno Christi nati 35. passi 1. Tiberij 19. Petrus cum Ioanne ad confirmandos Samaritanos conuersos pergit. *Act. 10.*

Anno Christi nati 39. passi 5. Caligulæ 1. *Petri Papatus Antiochiæ. 1.* Paulus fuga elapsus venit Ierosolymam videre Petrũ. Petrus pacificâ Iudæâ, Galilæâ, & Samariâ, *pertransibat vniuersos.* Chrys. hom. 21. in Acta. In dispersione post necẽ Stephani, venit ANTIOCHIAM, *Act. 11.* Erigitque ibi Cathedram. *Hier. in Gal. 2.* Itaque Ierosolymis annos exegit quinos.

Anno Christi nati 40. passi 6. Caligulæ 2. *Petri Antiochiæ 2.* Petrus latè peragrans visitat Ecclesias, miraculis clarus. *Act. 9. Hier. epist 77.*

Anno Christi nati 41. passi 7. Caligulę 3. *Petri Antiochiæ 3.* Petrus Gentiles primus conuertit, *Act. 10.* id ei exprobrante Cerintho. *Epiph. hær. 28.*

Anno Christi nati 44. passi 10. Claudii 2. *Petri Antiochiæ 6.* Petrus ab Agrippa vinculatus, cæso Iacobo, *Act. 12.* ab Angelo eductus, varia loca perlustrans Episcopos instituit: ac post Diuisionem Apostolorum ROMAM abiit, *Bzouius* §. 11. *ex Hier. de Script. Eccles.* stat contra Simonem Magum, §. 25. at Cathedram erigit Pontificalem.

Anno Christi nati 45. passi 11. Claudii 3. *Petri Romæ 1.* Petrus Primam ex Vrbe scribit Epistolam, Euodio sibi Antiochię subrogato. Sic *Ignatius epist. 12.* Scribente Euangelium Marco, comite Petri, ab hoc misso Alexandriam, ad fundandam ibi Ecclesiam.

Anno Christi nati 51. passi 17. Claudii 9. *Petri Romæ 7.* Petrus edicto Claudii cum Christianis ac Iudæis Vrbe pulsus, Ierosolymis Concilium de Legalibus instituit. *Act. 8. Sueton. in Claudio c. 25.* Exulat ergo ex Vrbe VII. annos.

Anno Christi nati 57. passi 23. Neronis 1. *Petri Romæ 13.* Nerone Iudæos Vrbi restituente, *Act. vlt.* Petrus quoque reuertit eodem: Cuius Vicarium Linus agebat.

Anno Christi nati 59. passi 25. Neronis 3. *Petri Romæ 15.* Paulus Romam venit; causam suam coram Nerone perorat: exacto biennio in libera custodia dimissus peragrat Hispaniam: Inde

Anno Christi nati 68 passi 34. Neronis 12. *Petri Romæ 24.* Petrus cum Paulo cõuolat ROMAM, ad afflictam Ecclesiam subleuandam. Simonem Magum præcipitat; fit nexus cum Paulo. Teste *Baronio* è multis.

Anno Christi nati 69. passi 35. Neronis 13. *Petri Romæ 25.* Coronam fert Martyrii cum Paulo. Succedit Linus Papa.

Itaque Petrus primũ annos egit Romæ VII. dein exul, IV. demum alios XIV. ibidem: Fuit igitur Pontifex Romanus annos 24. menses 5. dies 11. Ita Baronius. Et menses isti Chronographorum in annis quinque designandis differentiam intulerunt. Hæc historia: Inde liquet controuersia.

I. Petrus Romæ primus prædicauit. 1. Quia 1. Pet. vlt. *Salutat vos Ecclesia in Babylone,* id est, Romæ: Apoc. 17. *quæ sedet super septem colles.* Ita Papias apud Euseb. l. 2. c. 15. 2. Quia constat, *Act. vlt. & epist. ad Romanos,* multos Romæ degisse Christianos: at hos à S. Petro factos: testib. *S.* Patribus, apud *Bell. l. 2. de Pont. c. 2.*

3. Quia S. Marcus, Petri ſocius, Romæ ſcripſit Euangelium, teſte *Irenæo l. 2. c. 1. Hieron. de viris illuſt. &c.* 4. Quia Sim. Magum ibi proſtrauit: *Irenæus lib. 3. c. 3.* 5. Quia Luthero-caluiniſtæ Romam eſſe Babylonem proclamant: Inde Lutheri prodiit liber de Captiuitate Babylonica. Eaque ſola de cauſa Magdeburgenſes *Cent. 1. lib. 2. c. 4.* Apocalypſin non reiiecerunt.

INSTAT Velenus: & 1. Duas Babylones fingit, Aſſyrianam, & Ægyptiam.

Sed non docet.

2. Illud Apoc. 18. *Cecidit, cecidit Babylonia. &c.*

AT, Patres intelligunt de Roma idololatrica; non de Chriſtiana ibi Eccleſia.

3. Apocal. 18. *Exite de illa. &c.*

AT, Impiâ ſc. nam de Eccleſia Rom. exiſſe nemo legitur:

Roma autem figuratè Babylon dicitur, teſte *Tertull. l. 3. contra Marcio.* Quòd, ſicut illa Nabuchi caput imperii, captiuũ tenuit Iſraëlem; ſic Roma Chriſtianos in Neronis perſecutiõe premebat. Ideoque *cecidit* impia, ſurrexit pia: Hier. lib. 2. in Iouin. *Scriptam in fronte blaſphemiam Chriſti Confeſſione deleſti.*

4. Velenus mentitur, Tranquillum & Tertullianum dicere, ſtatim poſt Chriſtum paſſum Romæ cœpiſſe Chriſtianos: & Barnabam ibidem prædicaſſe primum.

AT, 1. Ante viſionem de linteo, factam Petro, Gentibus nemo auſus fuit prædicare. 2. Et Barnabas à latere Pauli non abiit, *Act. 11. 12. 13. 14. 15.* vſque poſt Conc. Ieroſol. ſcilic. anno 21. poſt Chriſtum paſſum; poſt Tiberii mortem anno 13. Chriſti nati anno 55. Petri Romæ anno 11.

II. Petrus Romæ Sedem Epiſcopalẽ habuit, nec aliò tranſtulit. 1. Docet id continua Succeſſio: 2. Patrum ac Orbis conſenſus; atque etiam aduerſariorũ fatentium, omnibus Chriſtianis, ad vſq; tempora Wicleffi, ſub annum 1400. fuiſſe id perſuaſiſſimum. 3. Quia negant Romæ Petrum ſediſſe Epiſcopum; Vbinam conſederit, docere? nec fingere ſat ſciunt.

III. Ibidem verò vitam Martyrio finiſſe teſtantur iidem.

OBIECTIONES Veleni, Caluini, Illyrici, futilitate ipſa futiliores ac mendaces, vide in Bellarm. c. 5. 6. 7. Eſto, ſint variæ circa varia ſententiæ hiſtoricæ nulla tamen varietas in hoc eſt, quòd Romæ ſit mortus Epiſcopus Petrus.

QVÆSTIO IX.

An Petrus Iure diuino habere perpetuum Succeſſores debuit?

LVTHERVS *lib. de poteſt. Papæ*: Illyricus *de primatu Papæ*: Schmalcaldici, Magdeburgenſes in ſingulis *Cent. c. 7.* CALVINVS *Inſtit. l. 4. c. 6. & 7.* cum Hæreſiarcha Nilo Epiſcop. Theſſ. pernegant, 1. Iure diuino Succedi Petro; 2. Aut Succedere Romanos Epiſcopos. Cauſæ patebunt.

AVTOR. I. Iure diuino debet ALIQVIS Petro in Primatu Eccleſiæ totius ſuccedere. Nam FINIS Pontificatus eſt, Pontificem eſſe propter Eccleſiam; non contra: Vnde Aug. lib. de Paſtoribus c. 1. *Quòd Chriſtiani ſumus, propter nos eſt; quòd Præpoſiti ſumus, propter vos eſt.* At magis nunc, quàm tunc ſub Apoſtolis, Vno eget Paſtore Eccleſia; cũ nunc & plures, & deteriores ſint Chriſtiani. Non igitur cum morte Petri debuit

Pon-

Pontificatus extingui; sed cum Ecclesia continuari. Cùm autem Ecclesia iure diuino sic instituta sit Christiana, vt perduret vsque ad consummationem sæculi, omninò perinde necesse est, Pontificatum perdurare debere *in Vno Aliquo* Pontifice, demortuis succedente. Huc valent, quæ *quæst. 3.* de Monarchia disceptauimus.

Vide in *Antichristo p. 2. q. 4.* plura de Iure diuino.

NOTA paucula.

I. Aliud esse Successionem; aliud Rationem successionis. *Successio* in Pontificatum Petri est ex Instituto Christi, Iurisque Diuini, vt perduret vsque ad finē mundi: Ideo quisquis succedit, accipit à Christo Pontificatum. *Ratio Successionis* autem est ex Facto Petri, non ex Instituto Christi: Factum est Sessio eius Romæ. Hanc Petro apertè iussisse Christū sentiunt S. Marcellus *epist. ad Antiochenos*: S. Ambr. *Orat contra Auxentium*: Athanas. *apologia pro fuga sua*. Neque est improbabile.

II. ALIQVEM Succedere debere Petro est de Iure diuino: At *Rom. Pontificem* succedere oportere est de fide. *Prius*; *quia* Successio est à Christo instituta: patet in Antichristo meo: At verò hæc Romana successio est ab hominibus, scilic. à *S.* Petro & Conciliis orta descendit.

Potest autem esse aliquid de fide; vt V.g. Paulum habuisse penulam, quod nō ideo tamen esse Iuris diuini dici debet: Quia non habuit eam ex Institutione Dei. Itaque *Romanum* Episcopum Succedere Petro debere, etsi non est expressè in Scriptura; ex ea tamen euidenter deducitur; Ideoque est de fide: Et orbis totius, omniumque sæculorum Consensus sic tenuit semper.

III. *Pontificatus Petri*, & *Episcopatus Romanus* non sunt actu duo, sed vnum; etsi is à Christo immediatè, hic à Petro sit cœptus. Is enim in se continet Patriarchatum, Archiepiscopatum, Episcopatum; quæ vnū sunt actu, potentiâ plura.

IV. Petro succeditur; non aliis Apostolis in Apostolatu. Quia Petro nominatim in persona, ceu Capiti & Pastori Vniuersali data Potestas est Apostolica; cæteris nec tota supra etiam coapostolos; nec ita sigillatim, semel & simul: sed in genere certæ solum partes gregis; nec simul & semel. Vt ligādi potestas, *Ioa. 20.* Prædicandi & Baptizandi *Mat. vlt.* Consecrādi, *Luc. 22.* Quorū par *Officiū* manet cōmune; *Successio* autem, locorum est, & personarum peculiaris ac propria.

OBIICIT. 1. Nilus. Papa est Episcopus, non Apostolus: Apostoli enim ordinarunt Pastores & Doctores, non Apostolos: Ergo Papa succedit Petro non in Apostolica potestate.

RESPOND. In Apostolo tria sunt: 1. Vt sit immediatus Christi minister à Deo doctus sic, vt Sacros libros scribat. 2. Vt Ecclesias constituat: 3. Vt sūmam in omnes Ecclesias habeat potestatem. Duo posteriora, non primum, conueniunt Papæ Romano.

II. CALVINVS *Instit. libr. 4. c. 6. §. 8.* Etsi Petrus XII. Apostolis præfuit; non ideo toti orbi: minus Papa. *Ibid. §. 11.* Si ideo Papatus esse Romæ debeat, quia ibi Petrus vita perfunctus est; ergo Iudaicus Pontificatus debuisset in deserto fuisse, vbi diem clausit Moyses: at non hoc: ergo nec illud.

RESP. AT fixa *Sedes* inducit fixum Pontificatus locum; non migratio per deserta. Et Petrus orbi præfuit vniuerso, patet suprà.

III. Ibid. §. 12. Priuilegium Pontificatus si est *Locale*; iam hic debetur Antiochiæ: si *Personale*, iam nil ad Romam magis, quam aliam vrbem: Si *Mixtum*, tunc fuit temporarium, expirauitque cum Petro.

RESP. *Ex Instituto Christi*, est personale; *ex Facto Petri*, est Locale. *Personale* autem est duplex: *Priuatum*, quod personæ pro se sola datum cum ea expirat: *Publicum*, quod datum est personæ pro se, & pro successoribus: Vt, Pontificatus Petro; Apostolatus verò datus est priore modo pro solis Apostolis, quibus ideo non successum est in priuilegio; sed in Episcopatu. Quia tamen Petrus Romæ sedit; ideo eius Personale priuilegium factum est mixtum.

IV. *Ibid. c. 7. §. 28.* Si, quæ Petro dicuntur, Romano Papæ dicta censentur; ergo hi omnes forent Satanæ: *Matth. 16.* vti Petrus est dictus.

RESP. Dicta Petro sunt triplicia: Quædam pro se, vt vni ex Fidelibus: Vt Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Quædam pro se solo tantum: Vt *vade Satana. Ter me negabis.*: scilic. ob priuatæ eius personæ defectum. Quædam pro se & successoribus, ratione officii Pastoralis: Vt *Pasce oues. Confirma fratres. Quodcunque ligaueris.*

LVTHERI argumentula sunt straminea, & ficulnea.

QVÆSTIO X.

An Petro Romanos Episcopos succedere in Monarchia Ecclesiæ, sit de Fide?

AVTOR. Petrus ex Instituto Christi, iure diuino, debuit habere Successores: patet quæstione præcedenti: maximè in Antichristo. Sed alios habere non potuit, non debuit (ex ipsius Facto) nisi Episcopos Romanos: Et is habuit summum Pontificatum: ergo et hi, etiam immediatè à Christo. Vide in *Geneal. p. 2. q. 2.*

2. Idem demonstrari vide apud *Bell. c. 13.* ex Conciliis, *c. 14.* Testimoniis Pontificum. *cap. 15.* Ex Patribus Græcis. *c. 16.* Latinis. *cap. 17.* ex Origine Primatus. *c. 18.* Ex Autoritate exercita Papæ. *cap. 19.* Et Legibus, Dispensationibus, & Censuris. *cap. 20.* ex Vicariis Papæ. *cap. 21.* ex iure Appellationum.

I. LVTHERO-CALVINISTÆ, Concilia non recipiunt celebrata post annum Domini DC.

AT, ex prioribus docemus Rom. Pontificatum continuum.

II. TESTIMONIA Pontificum Rom. vsque ad annum DC. dicunt Luthero-caluinistæ esse recentia, & suppositicia.

AT, consensu plurium redarguuntur.

Posteriores post annum DC. Papas aiunt fuisse Antichristos.

AT, tunc vniuersa Ecclesia fuisset Antichristiana; & Ecclesia Dei interisset. De Papis aliis comminiscuntur Vana.

III. Ex S. Patribus Caluinus & Illyrici obiiciunt Cyprianum, Hieronymum, Bernhardum.

AT, sycophanticè. Et, ex illis ostendisse, Romani Pontificis Monarchiam ab ipsa Christi resurrectione, Autore Christo, principium accepisse; Ostensiuum genus argumenti dicitur.

IV. Ad Impossibile ducens argumentum tale est. 1. Si non est, vt diximus; ergo alio tempore & autore cœpisse illam dicendum est: at nec Tempus, nec

nec Autor alius notari potest. Ergo de fide est Pontificatum à Christo cœpisse, & accipi porro.

QVÆSTIO XI.

An Pontificatus aliunde, quam à Christo, inceperit?

HÆreticorum opiniones quatuor sunt apud *Ioann. de Turrecremata, l. 2. cap. 39.*

I. Prima Dicentium, Autoritatem Rom. Pontificis esse ab Apostolis.

AVTOR. AT, si de Facto Petri id dicat; Est. Si de consensu Apostolorum ad Christi Institutionem, adque Petri fixâ Romæ Sessionem, etiam est ab Apostolis: Si de Institutione Pontificatus id dicat hæc est à solo Christo. Verè igitur Anacletus Epist. 3. *Sacrosancta Rom. Ecclesia non ab Apostolis; sed ab ipso Domino Primatum obtinuit: vbi ait: Tu es Petrus, &c.*

II. Nihil est hæresis: Ab Concilio Generali est Romanus Pontificatus.

AT, verè Gelasius. *S. Rom. Ecclesia nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est: sed Euangelica Voce Domini Primatum obtinuit.*

III. Ab eligentibus Papam Cardinalibus cœpisse Papatum. Ita Synodus Schmalcaldica, docens inde Papam non esse supra Ecclesiam; quòd hæc eum eligat.

AT, 1. Papæ priores fuerunt Cardinalibus; & hi ab eo creantur. 2. Si Cardinales conferrent Pontificatum, & eum auferre possent: at non possunt. ergo. Est tamen designatio Personæ electæ ab electoribus: coniunctio autem Pontificatus cum electa persona fit à Christo, mediante actu humano electorum, declarantium talem esse Pontificem Summum.

IV. Hæresis fuit Marsilii de Padua: Dein Wicleffi; tum Hussi: Pontificatum à Cæsare Constantino Magno cœpisse.

AT, hic palatium Lateranense quidem donauit, & Temporalia multa: nil autem Spiritale: Simul fatetur Petrum Christi Vicarium fuisse; ideoque Successores eius, Ecclesiæ totius Principes: Quo quid Fidei, quidque Iuris semper fuisset, declarauit.

CALVINVS *Instit. lib. 4. c. 7. §. 17.* fingit, in Græcos donatum Pontificatum à Phoca Imperatore descendisse: In Gallos translatũ inq; Germanos à Pipino; dein à Carolo. Sic & LVTHERVS *libr. de Supputatione temporum.* Centuriatores, *Cent. 6. c. 1.* Illyricus *in hist. de Primatu.* Schmalcaldici. &c.

LVTHERVS *lib. de potest. Papæ*, à Carolo IV. Pontificatum Romanis ait esse delatum; docetque ex Platina *in vita Benedicti II.*

AVTOR. At Lutherus aut fallit, aut fallitur. Ita res habet.

1. A temporibus Iustiniani, qui à Gothis vrbem liberarat, Imperatores consuerunt electionem Papæ non permittere, nisi ab iis confirmatam. Id quod Papæ tolerabant, ad maius bonum, pro tempore; quòd inuito Imperatore munus suum exequi se non posse viderent: teste *S. Greg. in Ps. 4. pœnit.* Carolus IV. verò hoc ius suum remisit Benedicto II. Et hoc Platina dicit.

2. Phoca autem solum declarauit & testatus est Rom. Pontificem fecisse semper Caput Ecclesiæ. Causa declarationis erat, superbia Constantinopolitanorum Episcoporum, se scribentium *Universales.*

3. De Pipino & Carolo vera historia est ista; testibus multis apud *Bellarm. l. 2. de Pontif. c. 17.* Reges Franciæ, quòdante

Pipinum per annos 80 vitam epicuræam agerent, omnisque Religio penè extincta iaceret; proceres regni, & S. Bonifacius Episcopus Mogunt. exorant Papam Zachariam, vt absolutis à iuramento subditis, regnum transferret in Pipinum, & Carolum. Hi in Papam grati, nil noui in eum beneficii contulerunt, nisi quod Sedis Romanæ protectionem & Religionis Christianæ profiterentur, ac reipsa præstarent. Vide *Bellarmin. lib. 2. c. 17.*

QVÆSTIO XII.

An Papa humano iudicio subiaceat?

LVTHERANI, CALVINIANI, cæteriq; hæretici duo aiunt: 1. Cum Marsilio de Padua, olim damnato, teste *Turrecrem. l. 4. de Eccl. p. 2. c. 37.* Papam ab Imperatore posse iudicari, puniri, deponi. 2. Cum Nilo *lib. de Primatu*: posse à Concilio. CALVINVS similiter *Inst. lib. 4. c. 1. §. 19.*

AVTOR. Romanus Pontifex. 1. Quà Caput Pastorque orbis Christiani, VNVS SOLVS dici debet; non PRIMVS: quia non habet secundum: Quà Patriarcha, *Primus* est; quia plures post eum sunt Patriarchæ ac Primates.

2. NEC quà Princeps sæcularis; nec quà Episcopus potest vel ab Imperatore, vel ab Cõcilio etiã generalissimo iudicari. Quia supra omnes est: & Pontificatum habet à Christo, nõ ab hominibus: ideo solius Christi subiacet iudicio.

3. Posito, non dato; Si fieret hæreticus; tunc eo ipso per se desineret esse Papa, Caputque Ecclesiæ. Sicuti per se desinit hæreticus esse Christianus, & Ecclesiæ membrum. Declaratur verò hæreticus aut ipsa facti notorietate; aut à Concilio generali: Non ab eo deponitur; sed à Deo depositus declaratur. 1. Sicut, Luc. 12. *Veniet Dominus serui illius, & partem eius cum infidelibus.* 2. Quia præter Christum non habet se altiorem Dominũ in terris Papa. 3. Sic Concilia & S. Patres: *Sancta Sedes à nemine iudicatur.* Vide *Bellarminum libr. 2. cap. 26.*

1. OBIICIT Nilus tria. 1. Petrus à Paulo fecit iurgati tulit.

AT, ea fraterna correctio erat; nõ iudicialis. Et Paulus se Petro submisit; ideo enim ascendit, vt conferret cum eo Euangelium.

2. Honorius est à Synodo VI. condemnatus.

AT, solum hæreticus declaratur.

3. Papa Legibus subiacet Ecclesiasticis.

AT, directiuè; non coactiuè. Canones Synodi sextæ contrarii, sunt suppositii.

II. OBIICIT CALVINVS *Instit. l. c. 7. §. 19. 20. 21.* Gregorius se Imperatoris seruum appellat.

AT, teste Diacono l. 4. vitæ eius, c. 58. idem Clericos Filios, sæculares omnes Dominos suos dicere consueuit. Tenebat autem tunc dominium temporale in Vrbem Imperator.

Adhæc, sæpè Imperatores, vt oues, à Papis Pastoribus iudicatos; contrà nunquam, legimus: Vt Philippus à Fabiano, Theodosius ab Ambrosio: Arcadius ab Innocentio &c. Et S. Greg. eadem *epistol. 31. lib. 4.* quam citat Caluinus docet, Imperatorem debere Sacerdoti honorem: Et Constantinum, etiam volentes Episcopos iudicare non ausum memorat: Et vocatus ab Imperatore *Simplex*, de graui eum iniuria culpat.

2. OBIE.

1. Obiic. Christus Pilato, Ioann. 19. *Non haberes potestatem aduersus me, nisi tibi datum esset desuper.* Vbi Aug. Quia, Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo.*

Resp. Cyril. & Chrys. aiunt ibi loqui Dominum de potestate permissionis diuinæ, non Iurisdictionis: iuxta Luc. 22. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum* permissa.

3. Obiic. Act. 25. *Ad tribunal Cæsaris sto, ibi oportet me Iudicari. Cæsarem appello.*

Resp. Cæsar erat de facto, non de iure Iudex Pauli: etsi ethnicus, at Cæsar. Ideo neque infidelium Iudex est Papa: 1. Cor. 6. *Quid ad me de his, quæ foris sunt, Iudicare?* Proinde ciuiliter etiam Papæ erant Ethnicis Impp. subiecti.

4. Obiic. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit.*

Resp. Hæc generalis admonitio est ad omnes. Nam & Christo subditus Papa est.

5. Obiic. In Veteri lege, *3. Reg. 2.* Salomon deposuit Abiathar Pontificem; substituitque Sadoch.

Resp. *Hieron. lib. 1. contra Pelag. August. &c.* In Veteri Testam. summa potestas fuit temporalis; in Nouo, Spiritalis. Dein. Pontifices in Sacris erant supra Reges: at Abiathar in Politiam peccarat: ideo plexus est; *vt impleretur sermo Domini*; cuius executor Salomon erat. Quare Papæ sub ethnicis tolerabant potestatem facti, non iuris: Sicut Dominus, *Matth 17.* pendens tributum, quod prius docebat se non debere.

QVÆSTIO XIII.

An Papa rectè dicatur Vniuersalis; aliisque Nominibus?

Lvtherus *lib. de potest. Papæ*, ait S. Gregorium titulum *Vniuersalis, Summi, Sanctissimi*, recusasse.

At, Concil. Chalcedon. S. Leoni, & aliis eum alii tribuerunt.

2. Magdeburgenses *Cent. 6. c. 7.* mentiuntur Papam à Iustino Imperatore creatum Patriarcham anno 520.

At, in Concil. Chalcedo. anno 454. dicitur prædecessoribus *Vniuersalis Patriarcha.*

3. Calvinvs *Instit. lib. 4. c. 7. §. 4.* Negat mendax, oblatum in Concilio Chalced. nomen *Vniuersalis* S. Gregorio fuisse.

At, Act. 3. ab Conc. Chalc. sæpè id nomen datur illis.

Calvinvs instat ex S. Georg. l. 4. epist. 32. nomen *Episcopi Vniuersalis* esse profanũ, Antichristi prænuncium, sacrilegum. Illyricus & Lutherus huc allegant Gratianũ dist. 99. *Vniuersalis nec Romanus Pontifex appelletur.*

At, *Vniuersalis* dicitur dupliciter: 1. Sic, vt solus sit omnium locorum Episcopus, & cæteri eius Vicarii tantum: Ita verum dicit Caluinus. 2. Sic, vt Vniuersæ Ecclesiæ curam quidem habeat; non tamen locales Episcopos excludat: Et ita est Papa: agitque sycophantam Caluinus. Vide *Bellarmin. lib. 2. de Pontif. c. 31.*

II. Nomen est Papa. S. Ignatius epist. ad Mariam Zarbensem: *Cùm esses Romæ apud Papam Linum.* Significat *Patrem*, per modum blandientis. Hom. odyss. l. 6. χαῖρε πάππα φίλτατε. Vox vsurpata Iuuenali, Ausonio, Sacris, profanis.

Instant. Alii quoque Episcopi *Papa* dicti: vt Augustinus ab Hieronymo. Hinc & Sacerdotes dicuntur *Patres.*

At Pontifex sic dicitur, 1. antonomasticâs. 2. Solus est Vniuersalis Papa. 3. Ipse neminem vocat Papam.

III. Nomen, Pater Patrvm.

IV. *Pon-*

IV. *Pontifex Chriſtianorum. V. Summus Pontifex. VI. Princeps Sacerdotum. VII. Vicarius Chriſti. VIII. Caput Eccleſiæ. IX. Fundamentum. X. Paſtor ouilis Domini. XI. Rector Domus Dei. XII. Cuſtos Vineæ. XIII. Pater & Doctor omnium. XIV. Præſul Apoſtolicæ Sedis. &c.*

III. DE PAPÆ POTESTATE SPIRITALI.

QVÆSTIO XIV.

An Papa quæſtiones Fidei ac Morum infallibili iudicio definiat?

LVTHERVS *lib. de Conciliis*: CALVINVS *Inſtit. l. 4. c. 7. §. 28.* Sic & omnes Luthero-caluiniſtæ, ſuperantes hæreſiarcham Nilum, pertendunt: Papam vt Papam, etſi cum Generali Concilio quid definiret, eſſe poſſe hæreticum in ſe, hæreſinque alios docere: Et de facto docuiſſe: Caluinus narrat quēdam cum Cardinalibus docuiſſe; Animā vna cum corpore extingui.

II. Erronea NILI. Papam, vt Papam, eſſe poſſe hæreticum, & de facto docuiſſe hæreſin: ſed, ſi abſque Conc. generali definiat. Sic & plures Pariſienſes vt Gerſon, Almain, Alphonſus à Caſtro, Adrianus IV. qui Infallibilitatem in Eccleſia, non in Papa, conſtituunt.

III. Sententia, Alberti Pighii *lib. 4. Hierarc.* Papam, etiam ſolum quid definientem, non poſſe errare.

AVTOR. Sed omnes eæ ſententiæ reprobantur. 1. Vt malitioſa hæreſis. 2. Vt periculoſa: & erronea quoque, ſi accedat pertinacia pugnax: 3. Vt non ſat probabilis. 4. Igitur ſequitur media talis.

Papa, vt Papa, ſiue cùm Cardinalibus, ſiue cum Concilio, ſiue ſine his ſolus, nō poteſt quicquam definire hæreticum, ab Eccleſia tota Credendum. Sic Communis cæterorum omnium Doctorum, Infallibilitatem conſtituit in Pontifice; non in Concilio. Debet tamen Papa facere quod in ſe eſt, idoneos conſulendo. Qui enim promiſit Finem, promiſit & Media Chriſtus. Eſt de Fide.

I. Quia Luc. 22. *Simon, Simon ecce, &c. Ego autem rogaui pro te, vt non. &c.*

1. Sententia Pariſienſium vult, oratum pro Eccleſia: Cuius figuram Petrus repræſentabat.

AT, falſum vtrumque. Quia Dominus perſonam deſignauit vnam, *Simon, Simon; pro Te; Fides Tua; & Tu.* Et incipiens loqui in plurali, *expetiuit vos*, mutauit formam in ſingularem, *Te, Tua, Tu. Et Tu aliquando conuerſus confirma fratres Tuos.*

2. Alii volunt, oratum pro dono perſeuerantiæ Petri ſolius.

AT ſecus eſt: Pro ea Petri, Apoſtolorū, & Fidelium Electorum orauit Ioann. 17. *Pater Sancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi.*

2. Quòd autem pro Petro rogatio patet ex deſignatione perſonali; & diſtinctione hac: *Satan expetiuit vos. &c.* at verò *Tu confirma. &c.* Tamen illud Petro exoratum donum etiam ad Succeſſores eius pertinet, Eccleſiæque Viſibilitatem: Sicut promiſſio, collatioq; Clauium.

Itaque duo hic impetrauit priuilegia Petro: 1. Fidem fixam & ſtabilem contra omnes tentationes, quoad ſeſe. 2. Gratiam infallibiliter Docendi. Si non primum; certè ſecundum permanat ad Succeſſores. De vtroque teſtantur S. Patres apud *Bell. libr. 4. de Pont. c. 3.*

Pulcrè

Pulcrè occupat Theophyl. in 22. Luc. *Quamuis breui tempore concutiendus sis*, Petre cum ter me negabis; *habes recondita semina fidei. Etiam si folia abiecerit spiritus inuadentia; radix tamen viuet, & non deficiet fides tua.*

II. Matth. 16. *Super hanc Petram ædific. &c.* Tam enim Papa est Petra, quâ Petrus fuit: quia eadem perstat Ecclesia, Ecclesiæque fundamentum: hoc verò non à Domo, sed domus ab illo accipit firmitatem stabilem. Ita & S. Patres. Hinc *S. Greg. lib. 4. epist. 32* docet Episcopum Constantinop. non posse dici *Vniuersalem*, caputque Ecclesiæ; quòd ea in Sede fuerint hæresiarchæ; vt Macedonius, Nestorius, Sergiusque.

III. Ioan. vlt. *Pasce oues meas.* Per hoc Petrus, eiusque successores, facti sunt Pastores & Doctores: ergo tota Ecclesia eos audire sequique tenetur: nî errare velit.

DICES. Oportet Deum audire magis, quam homines.

RESP. Rectè: at per Ministrum suũ Christique Vicarium loquitur Deus infallibilia: Hinc ad eum vnum, etiam ab Ecclesiâ, fiunt appellationes. Hic enim errauit nunquam; at sine hoc errarunt aliquando Concilia: Vnde Papa est supra Concilium: vti Caput supra corpus. Deinde aliquando cogi nequeunt Concilia; vt, per CCC. annos ob persecutiones: quibus solus Papa definiuit omnia, aut multa.

IV. Figura fauet, *Exod. 28.* Iubet Dominus in Rationali scribi: *Veritas & Doctrina*: vt exponunt Aug. & Hier. Causa est, *Deut. 17.* vt omnes dubium requirãt à Pontifice, eiusque voci obediant, sub pœna mortis. Vnde monet Petrus Ravennas Eutychetem, *vt his, quæ à beatissimo Papa scripta sunt, obedienter attendat: Quoniam B. Petrus, qui in propria Sede & viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.*

V. Experientia testatur duplex: Prior: Omnes Sedes Patriarchales in hæresim aliquando incidisse. Altera: Solum Papam Rom. sine Concilio, multas hæreses & hæresiarchas condemnasse: vt Pelagium, Priscill. Iouin. Vigilium. &c. At, vt in Symb. Expos. Ruffinus, *in Ecclesia Vrbis Rom. neque hæresis vlla sumsit exordium; & Mos ibi seruatur antiquus.* Quibus quinque argumentis docetur infallibile Iudicium Papæ in rebus Fidei.

VI. Neque Ecclesia Rom. particularis errare potest, perstante ibi Sede Pont. Ita S. Patres; estque de fide. At Sedem Apost nunquam posse ab ea separari ac transferri; ideoque nec errare posse; piè creditur sic; vt contrarium tamen non sit erroneum, minus hæreticum. Piè creditur: 1. Quia translata Sedes nũquam adhuc fuit; cum præsentissimæ tamen verserint occasiones: Vt in Ethnicorum persecutionibus; In Gothorum irruptionibus vrbe ab Genserico captâ, ab Totila etiam euersâ: In Romanorũ rebellionibus contra Papas exulare coactos: In Pontificum mora per LXX annos in Gallia. 2. Adhæc, teste S. Marcello & Leone Papis, & S. Ambr. iussu Christi Petrus Sedem fixit Romæ: qui tamen id solum narrant, non definiunt.

VII. Nec in Moralibus; quæ toti præscribit Ecclesiæ aut ad salutem necessaria, vt per se bona; errare Papa non potest. 1. Quia promissio Christi deficeret

ret in rebus salutem necessaria: Ioan. 16. *Cùm venerit ille Sp. Veritatis, docebit vos Omnem veritatem.* Luc. 22. *Rogaui, vt non deficiat fides tua.* 2. Quia in naturaliter necessariis nunquam deficit Deus: ergo minus in supernaturalibus. 3. Quia sequeretur etiam errare Papam in fide posse. Fides enim docet omnem Virtutem.

QVÆSTIO XV.

Quæ obiiciuntur contra infallibilem firmitatem Papalem?

LVTHERANI, itemque CALVINIANI, cæterique certatim, iunctim, ac mixtim in vnam feruntur ac rabiunt Papæ infallibilitatem. Plaustra iaciunt conuitiorum, calumniarum, & mendaciorum. Potissimum tamen, quibus pugnant, Ratio est, & Historia.

I. EX RATIONE. 1. Canones docent, Papam non posse iudicari, nisi à fide deuiet: ergo potest deuiare,

AT, ij loquuntur de errore personali; non de Iudiciali.

2. Si solius Papæ sit iudicium infall. ergo nil opus Conciliis.

AT, Non debet Media negligere Papa ordinaria.

3. Cyprianus de Rebaptizandis hæreticis sentit contra Papæ sententiam.

AT, hæc solum fuit comminatoria, patet ex Aug. Vincentio. A peccato tamen ægrè excusatur Sanctus Cyprianus.

4. Conc. Africanum dicit, Concilium prouinciale minus posse errare, quam Papam.

AT, in iudicio Facti particularis; non autem Fidei.

5. Nilus ait Potest Papa labi in alia vitia: ergo & in hæresin: vt qui; Tit. 1. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

AT, totum id ex natura, qua homo, potest Papa: ex gratia autem Assistentiæ S. Spiritus non potest in fide errare, etsi vitiosissimus foret.

II. EX HISTORIA congeruntur ab Lutheranis, & Caluin. &c. in Pontifices cumplures multa errata, peccata, &c. sed mendacia; quæ videre est apud *Bellarmin. libr. 4. de Pontific. cap. 8. 9. &c. vsque ad 15.*

QVÆSTIO XVI.

Quis Summus & vltimus omnium in Ecclesia quæstionum Iudex? An Scriptura?

LVTHERANI, CALVINIANIQVE, omnes Verbum Scriptum conclamant, penetrantque altius, ad vsque *Internum spiritus sui cuiusq; Critirium:* quin in cœlum ponunt, ac Vltimum in terris Iudicem Diui esse vociferantur. Vide in *Luthero-calvinist. part. 1. quæst. 2.* Quibus huc eorum adm firmamenta; Sed infirmata in Colloqu Ratisbonensi, Anno M. DC. I.

I. OBIE. Id vnicum solum est nec Iudexque, quòd nec Additionem patit nec Detractionem (nisi à Deo) rerum pe nentium ad Religionem: Tale est Verbu Scriptum: Cui superadditas Traditio nullas habuere Iudæi.

RESP. Contrariam Scripturæ Tr ditionem nullam, concedo: at Conf taneam; nego. Nam ad Pentateuchu additus est Iosue, cæterique libri & Pro phetæ de rebus religionis. Præter qu Scripta habuerunt Traditiones: Vt re medium peccati originalis pro fœmi neo sexu, pro infantibus ante octauum præreptis circumcisioni; Item libros Moy-

Moysis esse Moysis: Et Sacerdotes legem explicabant iuxta literam scriptam, sed & juxta sensum traditum: illa, non hic, constabat cunctis.

11. Obiic. Dominus, *Matth. 23.* iussit caueri Pharisæos.

At, quoad Mores, non Doctrinam.

2. Sacerdotes mali erant.

At, quoad Mores: nec omnes.

3. Caiphas errauit Pontifex, cum toto Synedrio.

At, sub passionem Christi expirabat illius Pontificatus: quòd Christus esset verus Pontifex: alioquin Cayphas fuisset supra Christum. Neque omnem potestatem amiserat, sed Summã; hic prophetauit: *Melius est vnum. &c.* Vnde Aaronicum Sacerdotium durabat adhuc secundum quid.

4. Aaron Pont. errauit vitulum constituendo. &c.

At, peccauit vi coactus permittendo Vitulum; non definiendo. Summum tamen Sacerdotium erat in Moyse, qui Aaronem consecrarat vt Sacrificaret: Et verò etiam Moyses sacrificauit *Exod. 29.* Itaque in hoc Summus erat Magistratus Ecclesiasticus & Politicus. Aaron tamen Summus dicitur respectu successorum, quorum primus erat sicut Petrus post Christum primus & Summus sequentium.

5 Vrias Pontifex commisit idololatriam aram renouando.

At, error erat Facti, non Doctrinæ definientis. Item erat personæ, non officii, aut Iudicii. Neque hoc implicat.

6. *Ieremiæ 6.* Omnes Sacerdotes errarunt.

At, non vniuersaliter accipi debet semper, quod sonat vniuersaliter.

7. Exempla Principum sunt, qui suas reformationes instituerunt secundùm Verbũ Scriptum, vti normam.

At, fuit id eis norma; principalis; sed non sola.

8. Deus puniit omnes, qui à Scripto Verbo, quacunque intentione & modo, recedebant: ergo solum est norma: Ob transgressionem verò legis non Scriptę nemo punitus vnquam est.

At, illi puniti sunt in actis suis Dissentaneis à Scriptura. Alterum est falsum. Nam ante Moysen per 2000. annos nulla fuit Lex Scripta: Item. Inter Gentiles ab Orbe Cond. ad vsque Christum fuit Ecclesia Dei aliqua; Lex autem scripta nulla: Vtrobique tamen puniti sunt transgressores. Item, *3. Reg. 13.* Panes propositionis comedens punitur: non tamen in legem Scriptam peccarat. Item, Rechabitæ traditam à Patre, non scriptam legem transgredi verentur. Item, Non omnia dogmata possunt è S. Scriptura deduci euidenter, remota Ecclesiæ Autoritate. Hinc, Eph. 5. dicitur, *Superædificati super fundamentum Apostolorum:* non, *super Scripta Apostolorum*: Adæquatum verò Ecclesiæ fundamentum est, *Vox Apostolica docens*. Matth. 28. *Docete eos seruare omnia, quæ præcepi*: Rectè: Sed non *Sola*: nam ea etiam, quæ docturus erat Sp. Sanctus. Si enim in Ecclesia esse debet ad quem offensæ referantur; quantò magis ad quem res Fidei? Et testatori licet viuâ voce ad Scriptum testamentum addere: sic & Apostolis, sicut acceperunt, licet tradere voce viuâ

9. Gal. 1. *Si quis prædicauerit Euangelium aliud præter id. &c.*

AT, *Aliud* non ſunt Traditiones illi conſentaneæ. Et ibi παρὰ ſignificat *Contra*, ſic Patres, vti Rom. vlt. *præter doctrinam*. Sic Eraſmus.

10. *Deut.* 17. dicuntur IVXTA LEGEM docentes audiendi; non *extra*, vel *præter* eam: Et ibidem ſolum de politicis agitur.

AT, & Iuriſtæ *juxta Legem* decidunt, quando caſum in Lege non expreſſum definiunt. *Iuxta* enim denotat *Conſentaneum quid* Legi, non *Diſſentaneum*. Et ibi eſt mentio de omnibus cauſis: nam generaliter dicitur, *Inter cauſam & non cauſam*.

Quid quod Traditio ſit Lex in cordibus ſcripta? Quod *Deut.* 4. 5. 12. dicta, non ſunt ad ſcripta ſolum præcepta reſtringenda? quia Deus ait, *Nil addes ad ea quæ Dixi*, non *quæ Scripſi*. Non dicitur, Hoc tantum fac quod ſcribo; ſed *quod præcipio tibi*. *Omnis* itaque ſcripta *doctrina eſt vtilis*, 2. Tim 3. *vt perfectus ſit homo*: Sed non ſola eſt Sufficiens Non igitur ſola Scriptura omnium eſſe controverſiarum Iudex ſufficiens poteſt.

QVÆSTIO XVII.

Iudex Summus & in terris vltimus controverſiarum per Eccleſiam an Papa?

LVTHERANI & CALVINIANI quæ effutiant, quæſtio præcedens aperuit: & patet in *Lutherocalu. p. 1. q. 4.*

SVASORIAS eorum Inſtantias noſtris probationibus hic ſubiiciam. Alias repete ex *part. 1. q. 4.*

AVTOR. Scripturam per ſe ſolam eſſe omnium Contr. Iudicem Non poſſe, ſic DOCEO. I. In omni Rep. benè ordinata Iudex eſt neceſſarius præter Legem Scriptam: Sed Eccleſia eſt non minus benè ordinata, quam vlla ſit Politia. Ergo. Iudex verò eſt ideo neceſſarius, qui litem cognoſcat; Legem explicans declaret ſententiâ latâ; contemtores ſententiæ compellat. At hæc Scriptura per ſe non poteſt; quia non audit per ſe.

1. DICVNT. Audit Deus per Miniſtros; compellit per pium Magiſtratum. Miniſterium eſt cuſtos tabulæ, informans interpretando; non dominans conſcientiis prætoriè pronunciando: Nec habens abſolutam, ſed reſtrictam ad Verbum Scriptum, poteſtatem interpretandi: Et quamdiu ſequitur illud, tam diu eſt infallibilis interpretatio.

AVTOR. Ecce; Ergo Scriptura per ſe non eſſe poteſt judex; ſed opus habet Miniſterio interpretis. At huic nonia omni controverſia Scripturam aliam Scriptura ſuppeditat; imò de aliquibus controverſiis nulla vſquam eſt Scriptura: vt infra patebit. Quin & inter ipſos interpretes quandoque cooritur controverſia: quis definiet? Non Deus, quia inviſibilis: Non Scriptura; quia vel dubia eſt interpretibus, vel nulla ſuppetit: Non Miniſtri; quia diſſentiunt in ſenſu. Ergo alio opus Iudice infallibili, viſibili, audibili. Vbi autem Iudex eſt fallibilis, ibi poteſt populus errare, errante Iudice. Imò debet errare: quia in re dubia tenetur populus, depoſito dubio, ſequi Magiſtratum; cætroqui foret is iudex ſui Magiſtratus, & ſupra hunc quod abſurdum.

2. DICVNT. Non tenetur populus ſequi Magiſtratum: quia hic non reſpondebit pro eo.

AVTOR. At, *obedite præpoſitis veſtris*, Heb. 13. *& ſubiacete eis: ipſi enim pervigi-*

Lut.

lunt pro nobis tanquam rationem reddituri. Neque populus peccat, sequens in dubio Magistratum; secus, si in re expresse mala. Quia de illis habet mandatum parendi, etiam discolis: Et de his præceptum plus obediendi DEO; quam hominibus.

II. PROBATIO. Nec solùm Scriptum Verbum, nec ipse Sp. Sanctus, vt in eo loquitur, esse potest Iudex supremus. Nam huius est ita euidenter pronunciare sententiam vt victo, victoriq; constet. At hoc Biblia præstare nequeunt.

1. DICVNT: Pronunciant euidenter, licet contumax non agnoscat. Ideo cœptũ iam iudicium consummabitur in altero sæculo, vbi & contumax agnoscet. Nam & Iudæi contra Christum ipsum contumaces erant.

AVTOR. AT 1. Sic nulla posset hic finiri controuersia. 2. Iudæi sciebant se esse condemnatos ex parte Christi iudicis.

2. DICVNT: Christus apud Iudæos fuisse nuit officium partis, non Iudicis.

AT, falsum hoc.

III. PROB. Iudex debet posse dirimere omnes lites religionis: at Scriptura sola non potest omnes. 1. Nequit definire, quo die pascha celebrandum: & de eo est articulus fidei, definitus à S. Victore, cum anathematizatione Quartodecimanorum, vt hæreticorum: esseque cœpit creditu necessarium ac obseruatu, quod antè fuit liberum ex sola Traditione.

1. DICVNT. Non licuit Victori liberam ceremoniam definire sub præcepto, ob Coloss. 2. *Nemo vos iudicet in parte diei festi.*

AT, ibi agitur de festis Hebræorum. Quæro: An necessarium in Ecclesia seruare Traditionem de Pascha?

2. DICVNT, Esse; non fidei ratione, sed Dispositionis Ecclesiasticæ, quam conuellere nefas.

AT: *Sic* constat aliquod seruandum esse dogma, quod non est in Scriptura. 2. Euangelium Matthæi esse Matthæi est articulus fidei; vt, qui negaret, esset hæreticus. Sed huius dogmatis iudex non est Scriptura sola: Sicut nec illius: An sit Quintum Euangelium.

3. DICVNT: Istius Ecclesia fuit iudex, iam testis est; hoc non agnoscit.

AT, remota Ecclesiæ Autoritate doceri è sola scriptura nequit: ergo Ecclesia est Iudex. Hinc omnes hæretici prouocarunt semper ad Scripturam: nullus autem ad eum prouocat Iudicem, à quo scit euidenter sese condemnari: ergo Scriptura non sufficienter iudicat. Vt Pharisæi prouocantes ad Moysen, à Christo eos condemnari opus erat.

IV. PROB. 2. Thess. 2. *State & tenete* TRADITIONES; quæ sunt præcepta ad fidem pertinentia: neque in Scriptura apertè, neque ex ea euidenter deducuntur, exclusa Ecclesiæ Autoritate. Si tunc licebat non obstantibus Scripturis, ad Traditionem remittere obligatos illi; ergo & nunc licet. Ibidem tempus Antichristi patefecit credendũ, quod nusquam in Scriptura erat: Monet ne moueantur à Sensu Apostolico *neque per Scripturam, neq; per Traditionem*: ecce diuersa duo.

4. DICVNT. Res de aduentu Antichristi est de fide; non circumstantia temporis. Hæc tamen est tunc ab Apostolo designata, iam verò expleta: sicut Res ab Dan obsignatæ

prædicta est, nunc verò resignata, facto ipso: ideo credi debet.

AT, iam expletam esse, iamque resignatam non est in Scriptura: ergo aliquod dogma credendum, quod non est in Scriptura, nec euidenter inde deduci potest: Ergo nec ea est vnica norma seu Iudex. Idem est de baptizandis Paruulis: credendum est, nec tamen euidenter ex Scripturis deduci potest: Imò contrarium, scilic. baptizandos solùm qui possunt Doceri. Sique analogiæ Circumcisionis sit standum, tunc octauo die baptismus dandus esset masculis, fœmellis nullus. Idem est de non rebaptizandis hæreticis. Nam Augustinus non potuit id probare contra S. Cyprianum, reposita Ecclesiæ autoritate. Hac stante lites Ecclesiasticas omnes finiuit Ecclesia, & damnauit hæreticos, vt sciretur esse damnatos: quod per solam Scripturam præstari nequiuit.

QVÆSTIO XVIII.

An Iudex omnium Absolutus sit Ecclesia?

LVTHERO-CALVINIANI iudicium omne tribuunt soli Verbo Dei scripto. Caluinus *Instit. lib. 4. c. 8. §. 2.* Idque docere nituntur ex Lege, Prophetis, Apostolis, ac ratione. Volunt autem Ecclesiam adstrictam Scripturæ iudicare, & Deum ipsum per hanc.

AVTOR. At Ecclesia non ad Scripturam limitatus solum iudex est; sed absolutus. 1. Quia Ecclesiæ iudicio standum est absolutè: Cæteroquin nulla vnquam terminaretur controuersia: quod absurdum. Relinqueretur enim, post Iudicis sententiam, iudicium partibus.

DICVNT. Harum lis manet tunc ad iudicium Extremum; nunc tamen ex parte Rei, & Scripturæ, finita est. Neque enim absurdum est, lites durare inter Christum & dæmonem ad vsque finem mundi.

AT, interim pars neutra cognoscit se esse iudicatam à Scriptura; perstatque lis indeterminata & indiremta; Nec auditur Ecclesia, dum de Scripturæ mente disceptatur: quod absurdum. Lis Christi & Satanæ est à Christo diiudicata; scitque Satan.

2. Ab Ecclesia, vt absoluto Iudice fertur sententia absoluta & clara, id est, vltima. Sic omnes hæreses ac hæretici iudicati sunt & damnati, vt post latam sententiam alia nec data sit, nec expectata. Quia pronunciat Ecclesia ex officio & autoritate absolutè. Hinc sententiæ eius statim executioni mandatæ fuerunt, vt vltimæ, nulla disceptatione remanente V. g. Patres iuxta Scripturam damnarunt Arium; non Scriptura; Huius enim sententiam Ariani non clarè intellexerunt alioquin non defeciissent à fide. Plura *supra part. 1. q. 4.* Mihi tamen hic subiicienda videntur quædam

SVMMARIA DE IVDICE DECISIO.

CVm IVDEX sit, qui inter partes sententiam; NORMA verò, secundùm quam ea fertur: *Iudex* Controuersiarum, est Ecclesia: eius *Norma*, est Scriptura simul & Traditio: Secundùm hæc fertur sententia bifariam; *Vel* per Pontificem, *Vel* per Concilia à Pontifice approbata: Et fertur *Infallibiliter*.

DOCETVR 1. EX OFFICIO Iudicis:

DICIS: Hic debet pronunciare sentẽtiam ita, vt vterque litigantium clarè intelligant sententiam latam, hic contra se; ille, pro se: Alioquin non desistent à lite. At Scriptura hoc præstare non potest: Ergo nec esse Iudex potest. *Minor*: Quia Lutherani & Caluinistæ jam diu corrixantur de pœdobaptismo, de Veritate Eucharistiæ, de Prædestinatione, de Persona Christi: de Exorcismo; nec tamen inter eos diiudicat Scriptura, vt litigare desistant: aut vtrique sunt pertinaces contra ipsam.

II. EX SCRIPTVRA docetur: In qua duo, 2. Cor. 3. *Litera occidens & sensus seu Spiritus viuificans*, teste S. Aug. serm. 70. de temp. At secundùm neutrum potest esse Iudex.

I. NON SECVNDVM LITERAM. Quia hæc sola ducit homines in errorem; Nam *occidit*. 1. Ita, 2. Cor. 3. *Cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum* Iudæorum, solam literam spectantium, non sensum. id est, Christũ non agnoscentium velatum sub ceremoniis. Vnde exprobrat eis, Ioann. 5. *Scrutamini Scripturas: illæ testimonium perhibent de me; & non vultis venire ad me*.

2. Ita multos hæreticos *occidit litera* sola: 1. Vt *Sabelliani* ex hoc, Ioann 10. *Ego & Pater Vnum sumus*: inferebant Vnitatem Personæ, non solum Essentiæ: negabantq; Trinitatem; sed Deum aiebant dici Patrem, quà creauit omnia: Filium, quà carnem assumsit: Sp. Sanctũ, quà nos sanctificat: Indeque & Patrem passum, ac mortuum esse. 2. *Ariani* ex hoc Ioann. 14. *Pater maior me est*, scilic. absolutè aiebant etiam quoad Diuinitatem. 3. *Macedoniani* ex hoc, 1. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*, ita colligebant: qui scrutatur, quærit; qui quærit, dubitat; qui dubitat, ignorat: qui ignorat, Deus non est: ergo Spiritus Sanctus non est Deus. At sensus est, *scrutatur*, id est, omnia comprehẽdit. 1. Paral. 28. *Corda scrutatur Deus*. 4. *Manichæi* Nouum Testamentum Veteri contrarium esse docebant ex Litera; omisso sensu. 5. *Pelagiani* ex hoc Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris*; negabant peccatum originale. At sensus asserit ita; *Filius*, qui nõ est particeps peccati, *non portabit. &c.* at posteri sunt Adæ peccati participes. 6. *Hæretici* olim ex hoc, Ioann. 6. *Caro non prodest quicquam*: colligebant, quorsum ergo resurrectura credetur? Nulla igitur erit resurrectio. Caluinistæ verò sic: Quorsum daret Christus suam Carnem in Eucharistia; cum nil prodest? AT, ita *litera occidit*: ergo sensum specta: Si enim *Caro non prodest*, cur *Verbum Caro factum est?*

II. NEC SECVNDVM SENSVM Scriptura sola esse Iudex potest.

1. Quia Scriptura, quoad sensum, sæpè obscura est, intellectuque difficilis: Ex quo multas nasci controuersias liquet experientiâ, vt ex fonte hæresium: Non igitur esse Scriptura iudex potest litigantibus de sensu. 1. Quia clarè nequit pronunciare sententiam, sic vt partes intelligant & acquiescant: licet alubi ipsa se explicet. Nam neque sic lites finiunt hæretici. Patet in Sectis hodiernis pugnacissimis. *Deinde*; Aliud est, Verba Scripturæ esse clara; aliud Sensũ esse clarum: ista claritas pendet ex grammatica; hæc ex Sp. Sancti intentione.

Item

Item quem Scripturæ locum hi putant esse clarum, is obscurus est aliis. Quis dirimet?

2. Quia multorum locorum sensus haberi non potest aliunde, nisi ex Traditione. Vt Matth. 28. *Baptizantes eos in &c.* Si quis fingeret, non opus esse verbali pronunciatione formæ illius: *Ego te Baptizo in &c.* sufficere mentalem intentionem; ex Scriptura conuinci nequiret: opus Traditione foret. *Item*, ex hoc Ioan. 3. *Nisi quis renatus in aqua. &c.* docemus necessitatem aquæ in baptismo; negant Caluinistæ contra nos & Lutheranos: Dein; qualitas aquæ non exprimitur vsquam: Quis dirimet? Traditio; non scriptura. Item, In Cœnæ institutione etiam dixit, *Debetis alter alterius pedes lauare*: Hic non contineri præceptum; at contineri in hoc; *Commedite, & bibite*, asserunt nobiscum: Sed vnde docebitur? Ex sola Traditione: Ergo sola scriptura suimet sensus esse Iudex nequit semper.

III. Ex Parte Controversiarvm docetur. Quia multæ sunt controuersiæ religionis, quarum aut nulla, aut non sufficiens definitio ex scriptura sola peti potest: ergo alio opus Iudice. 1. *Vt*, Libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum esse Canonicos negant Luthero caluinistæ: Quia aiunt non sunt in Canone Iudæorum. En ex Scriptura docere nequeunt, sed ex Traditione Iudæorum; & Christianorum Traditionem respuunt, quæ docet esse eos Canonicos. 2. *Item* de Numero Sacramentorum nil Scriptura; at de septenario, Traditio est. Luthero-caluinistis suus binarius vnde constat? Non ex Scriptura, nec ex Traditione: & creditamen volunt. 3. *Item* vbi nomen *Sacramenti* reperient de Baptismo & Eucharistia in Scripturis? At de Matrimonio inuenitur. 4. *Item*, Vbi inuenitur Sacramenti definitio Lutherana: *Est promissio signo externo annexa* aut Caluiniana: *Est ritus habens mandatum Dei, cui addita est promissio gratiæ*, id est, remissionis peccatorum. At hanc annexam Cœnæ promissionem esse nusquam dicit scriptura. Doceant. 5. *Item* Exorcismos in Baptismo adhiberi posse aiunt bene Lutherani; negant Caluiniani. Quis dirimet? Traditio sola; non Scriptura. 6. Et Caluinistæ plures in Baptismo ceremonias vsurpant; de quibus nil in Scriptura: Vt baptizandum coram populo ad concionem congregato: Patrinis spondendum de instruendo infante: Nomen ei imponendū: Symbolum esse recitandum, Pater noster, aliæque preces: pronunciandam formulam. De his vbi in Scriptura? 7. *Item*, Lutherus vult, Infantes credere in Baptismo vi Exorcismi: Melanchthon, vi Baptismi: Quis dirimet? Scriptura nequit. 8. *Item*, Baptizatos ab hæreticis rebaptizandos esse aiebat S. Cyprianus, negabat S. Augustinus, sola fretus Traditione. 9. *Item*, Vna an trina cum mersione baptizandum: 10. Sabbathum, an Dominica celebranda: 11. B. Maria manseritne Virgo. 12. Petrus fueritne Romæ Episcopus: 13. Symbolum fidei sitne Apostolicum & Canonicum: 14. In Veteri Testam. fueritne remedium peccati originis, pro fœmellis &c. talia diiudicare nequit Scriptura; at potest Traditio.

IV. Pra-

IV. PRAXIS VETERIS TEST. docet, Pontificem, non Scripturam, esse Iudicem debere. Patet suprà: Vide *Bec. Manual. l. 1. c. 5.*

V. PRAXIS NOVI TESTAM. docet idem. 1. Circumcisio & legalia num Christianis obseruanda? Decidit Concilium: non Scriptura; non Paulus & Barnabas: *Act. 13. 14. 15.* Et & alias controuersias; quas Ecclesia determinare debuit; non potuit Scriptura. 1. Quartadecimanorum de Paschatis die. 2. Delapsis post Baptismum, an absoluendi. Negabat Nouatus damnatus anno 255. 3. De Trinitate, an tres realiter destinctæ sint Personæ? Negabat Sabellius; damnatus anno Christi 319. 4. De ὁμοουσία æterna: quam negabat Arius; damnatus anno 325. 5 De Personis in Christo duabus affirmabat Nestorius, vnã negans; dãnatus an. 454. 6. Contrà Eutyches; dãnatus ann. 454. 7. Duas in Christo voluntates fingebant Monotelitæ; damnati anno 679. 8. Spirit. Sanctum esse Deum negabant Macedoniani; damnati anno 383. 9. Baptismum validè datum repeti posse aiebat Marcion: damnatus anno 313. 10 Datum ab hæreticis repeti debere aiebant Donatistæ; damnati anno 313. 11. Solis naturæ viribus legem impleri posse aiebat Pelagius; damnatus anno 416. 12. Paruulos nasci in pecc. orig. esseque Baptismo abolendum negabant Pelagius & Cœlestius; damnati anno 416 &c. Luthero-caluinistæ fatentur iustè damnatos: At facta est damnatio ab Ecclesia clarè, vt partes sciuerint sententiam; quam Scriptura nequiit ita clarè pronunciare; ac proinde nec esse Iudex sola potest.

QVÆSTIO XIX.

Sitne Papæ Iurisdictio coërcitiua, vt possit condere leges, obligare conscientias, punire transgressores?

LVTHERVS lib. 1. de Captiu. Babyl. c. de Bapt. ait: *Quis dedit Papæ potestatem captiuandæ libertatis nostræ, per Baptismum nobis donatæ? Cum nullus hominum habeat ius vnius Syllabæ constituendæ super Christianum hominem; nisi fiat eiusdem consensu.* Similia & alubi. Idem facto monstrauit, cum anno 1520. Corpus Iuris Canonici publicè combussit in rogo Wittenbergæ; testibus Cochlæo & Surio. Melanchthon docet idem in *Confess. Aug. art. 28. &c.* Itemque CALVINVS *Instit. l. 4. c. 10. 11. 12.*

Horum doctrinæ summa in tribus consistit. I. Non posse Papam, aut Episcopos vllam veram condere legem, quæ non sit expressè in S. Scriptura. Posse tamen ordinem disciplinæ constituere in adeundo templo, canendis Psalmis. &c. Sed neque hoc cũ obligatione conscientiæ, nisi ratione scandali. II. Nec posse eos cogere Christianos ad seruandã Dei legẽ; nisi iudicialiter procedendo contra transgressores, aut monendo, increpandoue. III Esse excõmunicandi potestatem, sed penes Ecclesiam, id est, Ministros populo consentiente? Sic omnes.

SVADENT istis. 1. Matth. vlt. *Docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis*, sc. mea, non vestra, mandata.

2. Deut. 4. *Non addetis ad verbum, quod ego loquor vobis, neque minuetis ex eo.* Deut. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito: non addas, neque minuas*, similic. præcepta. 3. Isa. 33. *Dominus Iudex, & Legifer noster.* Iacob. 4. *Vnus est legislator & Iudex.*

4. Ies. 29. *Timuerunt me mandato hominis, & doctrinis.* Sic & *Matt. 15.* Marc. 7. 5. 2. Cor. 3. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Gal. 4. *Qua libertate Christus nos liberauit.*

6. Christus antiquauit leges Diuinas ce-

remoniales & judiciales: ergo minus voluit Humanas imponi, & plures, & grauiores iſtis judaicis.

7. 4. *Reg. 16.* Altare alterum addiderunt templo Achaz & Vrias; at Deus id reprobavit: *cap. 17.* Samaritæ puniuntur à Deo immiſſis leonibus, quòd nouis ceremoniis coluiſſent Deum: *cap. 21.* Manaſſes peccauit, quòd aras in templo extruxiſſet, citra præceptum Dei.

8. 1. Cor. 7. Vetat conſcientias in hominum redigi ſeruitutem: *Nam pretio emti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Si potes fieri liber, magis vtere.*

9. Conſcientia ad ſolius Dei pertinet forum: Nam homo non poteſt damnare ad inferos; ergo, nec obligare ſub pœna damnationis.

AVTOR. Cùm omnis vera lex ſit & directiua & coactiua; vtpote quæ, ait Ariſt. 10. Eth. c. 9. *vim habet immediatè à Deo, vel mediatè:* Cùm homo quoque poſſit habere autoritatem in conſcientias ſubditorum ſub peccato obligandas: quippe pater audiẽdus, vt Deus, eſt. Vnde Rom 13. *Neceſſitati ſubiecti eſtote, non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Nam *qui Poteſtati reſiſtunt, Deo ordinationi reſiſtunt.* Ideo, Eph 6. *Serui obedite Dominis, &c. ſicut Chriſto.*

Idcirco in ſua diœceſi Epiſcopos, Papam in orbe toto eandem habere poteſtatem in ferendis legibus ſemper creditum fuit; etiam ad actus per ſe indifferentes, faciendo neceſſarios.

1. Vt patet in ſuffocatis, ac idolothytis cauendis. *Act. 15.* Inque bigamis non ordinandis. *1 Tim. 3.* Sic & Vetus Script. Deut. 17. *Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio; ex decreto Iudicis morietur.* 1. Cor. 4. *Quid vultis? in virga veniam?* id eſt, aiunt Chryſ. & Auguſt. l. 3. contra Parm. c. 1. in iudiciaria puniendi poteſtate? Hebr. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris.*

2. Traditio perpes probat idem. Nullum fuit vnquam Cõcilium, quod non aliquid præcipiat cum obligatione.

3. Ratio fauet. Quia Lex Euangelica ſæpè nimis eſt vniuerſalis, vt determinatione indigeat obligante item, vt Euangelium. Sic ex illo: *Qui mihi miniſtrat, &c.* fit lex: Qui continere nolunt, non ordinentur.

DICO AD I. At & Prælatorum mandata ſeruari mandauit Deus: *Qui vos audit, me audit.*

AD II. *Verbum* ibi eſt Decalogus, nec augendus, nec minuendus. Nam alia præcepta Iudæi multis additis reſti auxerunt. *Vel:* Rem præceptam, ſeu opus, non duplicabitis, ſeu minuetis: Vt non comedetis duos agnos, cum vnus ſit præceptus. *Vel:* Non corrumpetis addendo, ſeu minuendo.

AD III. Vnus eſt primarius ac Summus legifer; at & alii ſunt ſubordinati; qui à DEO iudicandi ſunt, non à ſubditis.

AD IV. *Mandata hominum* ſunt, quę nec inſpirante Deo, nec ab legitimo Magiſtratu facta ſunt; & ea Vel diuinis contraria; qualia *Matth. 15.* arguuntur. Vel inutilia ac vana; qualia tamen diuinis anteponebant Phariſæi, *Marc. 7.* Vel bona, ſed pluris æſtimata, quã diuina: de quibus ait Matth. 23. *Hæc oportet facere, & illa non omittere.*

AD V. Libertas Chriſtiana eſt in tribus: A peccato: *Rom. 6.* A ſeruitute moralis legis, quæ pœnam minabatur, & gra-

& gratiam sufficiebat nullam ; vti lex Christiana dat. A seruitute ceremonialium & iudicialium Moysis ; Non à lege Prælatorum : nam *Obedite Præpositis. &c.* 1. Pet. 2. *Non quasi velamen habentes malitiæ libertatem.*

AD VI. Antiquauit ; quia impleuit, vti figuras veritate præsente. Hebr. 7. *Translato enim Sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat*, id est, mutatio non vt nulla foret lex. Neque leges Ecclesiæ Vniuersales sunt plures quatuor, de Festis, Ieiuniis, Confessione & Communione : cæteri Canones sunt particulares. Nec sunt graues ; cum sint quædam determinationes iuris diuini ad tempora certa.

AD VII. Isti omnes peccarunt peccatum idololatriæ. Nam Achaz extruxit aram ad formam idoli in Damasco : Manasses Militiæ cœli, seu siderum : Samaritæ Babylonicam idololatriam miscuerunt cum Iudaismo.

AD VIII. Vetat seruiri hominibus propter homines ; sed Deo in hominib. Ita Chrys.

AD IX. Conscientiæ pertinent ad solum Deum ; vel quòd solus eas introspiciat : vel, quòd sic legibus eas vinciat, vt sentiant se peccasse in transgressione. Hoc, non isto modo, etiam Magistratus obligat : Et quidem ad pœnam æternam, quatenus violatione legis humanæ Deus offenditur.

QVÆSTIO XX.

Eccunde sua Apostolis, Papæ & Episcopis descendit Iurisdictio ?

AVTOR. I. Iurisdictio Ordinis, ad Sacramenta administranda, vna par, & communis est omnibus ritè Ordinatis in Clero, iure diuino, sic instituente Christo.

II. Iurisdictio exterior fori interioris, ad regendos Fideles in conscientiis, in actu signato, immediatè à Deo est, vi Ordinis collati ; at in actu exercito, ab Episcopo, subditos suos alteri subiiciente. Ita, Eph. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios Pastores & Doctores. &c.* Quæ distinctio functionũ, cum à Christo manat autore ; mutari nõ potest, nec à Papa, fic, vt nullꝰ sit vsquam Episcopus.

III. Iurisdictio exterior fori exterioris ad regendos Fideles in foro exteriore, in Totam Ecclesiam. 1. APOSTOLIS quidem data est à Christo immediatè : Ioan 20. *Sicut misit me Pater ; & Ego mitto vos.* Ita Cypr. l. de vnit. Eccl. Patet, *Act. 1.* in Electione Matthiæ. Et Gal. 1. *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem ; sed per Iesum Christum, & Deum Patrem.*

2. Itemque PAPA, sicut Petrus, à solo Christo immediatè suam in totum orbem, accipit Potestatem : quo de supra.

3. EPISCOPORVM autem hæc tertia Iurisdictio descendit immediatè à Papa. 1. Teste figura. *Num. 11.* Deus auferens de spiritu Moysis, dedit LXX. senioribus ; non diminuens, ait *S. Aug. quæst. 18.* sed deriuans. 2. Regimen Ecclesiasticum cum sit Monarchicum, vt parte 1. liquet, omnem in Vno residere Autoritatem necesse est, inque alios ab vno deriuari : vt à capite in membra, ait *Cypr. l. de Vnit. Eccl.* 3. Si Deus eã immediatè conferret Episcopis Iurisdi-

ctionem, æqualem haberent omnes; sicut illam Ordinis: Foretque de ea quid in Scriptura: Nec Papa eam mutare vel adimere posset: At nihil horum est: ergo. Quæ obiiciuntur Vide in *Bell. libr. 4. de Pontif. c. 24. 25.*

QVÆSTIO XXI.

An Papa habeat aliquam Iurisdictionem temporalem?

LVTHERANI, vt Magdeburgenses *Cent. 1. l. 2. cap. 4.* inter notas Antichristi referunt duos quos gerit Papa, gladios. *Cent. 8. 9. 10. 11. cap. 10.* Papas de iurisdictione peracerbè castigant. Itemque BRENTIVS in prolegominis contra Petrum Soto. Petrus Martyr *in c. 13. Rom.*

CALVINVS *Instit. lib. 4. c 11. §. 8. 9. &c.* duo cum Lutheranis asserit. 1. Papam ex Iure diuino nullam habere temporalem potestatem tum Dominiorum, tum Principum. 2. Non licuisse Papæ & Episcopis accipere dominia, vrbesque. &c. quas habent; essequè possessionem mero latrocinio paratam.

SVADENT istis. 1. Quia, Matth 20. *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic: Significat Pastoris officium & Principis res esse magis distinctas, quam vt in vnum hominem coire queant. Quod Moyses vtrumque sustinuit, raro id miraculo factum est. Vbi autem certa forma præscribitur, Ciuilis gubernatio ei relinquitur, Sacerdotium iubetur fratri resignare. Et meritò, est enim supra naturam, vt vnus homo vtrique oneri sufficiat.* 2. Quia Luc. 12. *Quis me constituit Iudicem inter vos?* q. d. doctor sum, non rector. Act. 6. *Non est æquum nos relinquere Verbum Dei, & ministrare mensis.* 3. Quia Bern. l. 2. de Consid. *Forma Apostolica hæc est: Interdicitur dominatio; indicitur ministratio.* 4. Quia, 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

AVTOR. Papa non est Dominus totius orbis. I. Non Absolutus. 1 Quia Petro solas Oues commisit; at infideles non sunt oues. 1. Cor. 5. *Quid mihi de his, qui foris sunt iudicare?* 2. Dominiū in lib. arbitrio, non in fide fundatur. 3. Nec Episcopi sunt Domini vrbium; nec orbis Papa: teste Alexandro III. Quippe nec Scriptura, neque Traditio est de Clauibus regni terreni.

II. Nec directè est iure diuino vllius loci Dominus Papa. Quia Christus, cuius in terris Vicarius est Papa, regnum temporale non habuit hæreditario; ni Sceptrum Dauidis defecerat: Nec electione populi. nā *Luc. 12.* & *Ioan. 6.* fugit eligi: Nec iure belli: Nec donatione. Quia, Ioann. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.*

III. Papa tamen habet orbis Dominium indirectè, scilic. in ordine ad bonum spiritale: Ob quod potest regna transferre; leges Regum abrogare; sed incidenter, non ordinariè; si derogent Bono spirituali. 1. Quia potestas ciuilis est subiecta spiritali, vt caro spiritui. Ob fines; quia felicitas temporalis subordinatur æternæ. *Eph. 1.* Faciuntque Clerus & Populus vnum Corpus & Ecclesiam. 2. Petro, *Ioann. vlt.* data potestas est triplex: Arcere lupos: Arietum impetus cohibere: pabula ouibus præbere. Si ergo è Principe oue lupus eudat, aut tyrannicè arietet in oues; expelli potest. 3 Exemplis liquet. Ozias, *2. Paral. 26.* regno cedere iussus ab sacerdote, ob lepram: hæresios indicem Athalia iussu Ioiadæ Pont. occisa ob cultum Baal. &c. Vide *Bellarmin. libr. 5. de Pontif. cap. 8.*

IV. Non pugnat cum Verbo Dei, eun-

eundem esse Principem & Ecclesiasticum, & Politicum. 1. Quia, *Gen. 14.* Melchisedech fuit Pontifex & Rex: Item, *Exod. 18.* Moyses. Item omnis Primogenitus, teste *S. Hieron. in qq. Hebr.* 2. Ratio. Pax & bellum magis pugnant quàm temporalia & spiritalia: at vnus Rex præesse potest togatis & armatis: Quidni & Episcopus? Machabæi erant & Pontifices & Duces. Itemque Heli.

RESPONDEO nunc AD I. Prohibetur tyrannicum dominium Christianis omnibus, non solum Ecclesiasticis. Moyses verò permansit Pontifex & Rex; quia depositi Aaronem, & suffecit Eleazarum. *Num. 20.* Idque multo exemplo, non raro. Ita *August. q. 23. in Lex.*

AD II III. IV. Monentur isthic Pontif. & Principes ne minutis ac vilibus misceantur, cum iactura maiorum ac meliorum: Cuius Moysen Iethro monebat: *Exod. 18.* S. Bernardus autē loquitur de eo, quod Pont. vt Pontifex, habet ex Institutione Christi. Vnde ait, *Esto, vt alia quacunque ratione ista tibi vendices; sed non Apostolico iure. Nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit.* Negotia porro sæcularia sunt parare victum, negotiari, &c.

IV. DE ANTI-CHRISTO.

QVÆSTIO XXII.

Antichristus qualis erit verus Homo?

LVTHERANVS Wolfgangus Musculus *in Locis c. de potest Minist.* vult vocem ANTI significare *Vice*, proinde *Antichristum* esse *Vicarium Christi*. Sic & Magdeburgenses *Cent. 1 l. 2. q. 4.*

AVTOR. A'ντὶ significat simpliciter contrarium alteri in Sede & dignitate. 1. Patet ex etymo, quod oppositionem sonat: *Vicarius* autem non, sed subordinationem sub alio. 2. Cum quæstio hæc sit Fidei, è S. Scriptura decidi oportet, sicque capi vocem *Antichristus*, vti in Scriptura describitur: scilicet, 2. Thes. 2. dicitur is, *qui extollitur super omne, quod dicitur Deus.* 1. Ioann. 2. *Qui negat Iesum esse Christum.* Quique, Matt. 24. *dicat, se esse Christum.* Quod non est *esse Vicarium*; sed inimicum æmulum. Ita Henr. Stephanus, (licet sit Genuensis Caluinista;) in Thesauro græcæ linguæ.

II. VERVS ERIT HOMO. 1. Nam, 2. Thess. 2. dicitur *Ille Homo peccati.* Dan. 7. *Ecce oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.* 2. Dein verè morietur; at mors vitam præsupponit. Et Dominus *Iesus interficiet eum spiritu oris sui.* 2. Thess. 2. Vnde, Apoc. 19. *Bestia & Pseudopropheta eius viui missi sunt in stagnum ignis*; vt Dathan. 3. Ad hæc, Qui generatur & nascitur; (vt è familia Dan *Ille Homo peccati*) is verus homo est.

III. Non erit dæmon incarnatus; etsi dæmonis domicilium: teste *Damasc l. 4, cap. 27. Beda, Hieron.* Quia creatum suppositum nequit alteri naturæ se hypostaticè adunire.

Dicere, Formandum virtute dæmonis absque semine humano, è sola muliere; erroneum est. Quia id nequit dæmon absque causis secundis.

Dicere, Formandum ab succubo & incubo, mediate humano semine rapto; incertum est; etsi non erroneum, nec impossibile. *Bellarmin. libr. 3. de Pontif. cap. 12.*

QVÆSTIO XXIII.

Antichristus an erit Vnus homo certus ac singularis?

LVTHERO-CALVINISTÆ: 1. Vt MAGDEBVRGENSES *Cent. 1. l. 2. c. 4. Docent Apostoli, Antichristum non fore vnam personam tantũ, sed integrũ regnũ, per falsos doctores in Templo Dei præsidentes, in Vrbe magna, operâ diaboli.* 1. Nam, 2. Thess. 2. *Mysterium iam operatur iniquitatis.* Vbi BEZA: *Dent mihi quempiam, qui à Pauli sæculo ad diem vsque iudicii superstes maneat.*

2. BEZA. *Dan. 7.* Nominibus bestiarũ Vrsi, leonis, pardi, intelliguntur regna, quorum quodque multos Reges continet: Ergo & 2. *Thess. 2* per hominem peccati intelligitur quoddam Corpus tyrannorum, non vnus singularis. Vt 1. Ioan. 4. *Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus; & nunc in mundo est.*

3. CALVINVS in 1. Ioan. 2. *Sponte errant ac deliraut, qui Vnum credunt hominem fore Antichristum*: quia Apostasia, de qua 2. *Thess. 2.* est generalis defectio, quæ vnum facit Corpus & regnum.

AVTOR. Vt vox CHRISTVS, iam pro IESV solo, iam pro quocunq; ipsius Christi simili accipitur; ita & vox *Antichristus* capitur Propriè pro Vno singulari certo Christi hoste; Communiter, pro quocunque Christi aduersario. 1. Ioann 2. *Antichristus venit*; Communiter accepta voce: *Licet nondum venerit, de quo audistis*, vt indiuiduo: *At tamen Antichristi nunc multi sunt.* Sic 1. Ioann. 4. *Omnis spiritus, &c.* Vt igitur mysterium pietatis Christi cœpit operari ab initio mundi in Sanctis: ita Antichristi in impiis.

Vnus tamen propriè dictus Antichristus erit.

I. Quia sibi Vni Christus opponit Vnum, Ioann. 5. *Ego in nomine Patrũ mei veni, & non recepistis me: Si alius venerit in Nomine suo, illum recipietis.* Caluinus hic & Musculus id de falsis Prophetis vniuersis accipi volunt. 1. At contra Patrum consensum, Chrys. Cyril. Ambr. Hier. Aug. 2. Dein; hic personæ personam opponit; non regno regnum; Iudæi quoq; nunquam receperunt Papam pro suo Christo. 4. Iam ante Christum plures Pseudoprophetæ venerant, venturique erunt; Vnum tamen certum designat.

II. 2. Thess. 2. *Nisi reuelatus fuerit* ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. Ecce *Ille homo, ille filius perditionis*, scilic. singularis. Sic & 1. Ioann. 2. ἠκούσατε ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται: καὶ νῦν ἀντίχριστοι, &c. En ibi, non hic, articulum.

III. *Dan. 7. 11. 12.* agi de Antichristo docent *S.* Patres; & dant Caluinus ac Magdeb. At 1. *Rex vnus* vocatur ibidem, non *regnum vnum*: 2. Ipse fatetur Caluinus intelligi Antiochum. At hic vnus erat; & vnum præsignabat Antichristum: teste Cypr. Hieron. ibid. 3. Et *Apoc. 13. & 17.* is Danielis Rex dicitur decem Reges terræ subacturus, & solus semiquatuor annis regnaturus. Sic & Patres.

IV. Antichristus proponitur in S. Scriptura vt signum certum immediatè ex-

tè extremo Iudicio anteceſſurum.

RESPONSIO hinc liquet ad obiecta Magdeburgenſium, Bezę, & Caluin.

QVÆSTIO XXIV.

Antichriſtus an iam aduenerit?

LVTHERVS in ſupputatione temporum ait, Antichriſtum aduenisſe cum gladio Spiritali poſt annũ 600. cum Phocas Papam vocauit Caput Eccleſiarum. Cum Temporali verò poſt annum 1000. Vltimumque Papam fuiſſe vult Gregorium VII. Sic & Bilander. At Magdeburg. *Cent. 6 c. 1.* clamant Gregorium præ omnibus adlaboraſſe ad Antichriſtum introducendum.

II. Samoſateni noui in Hungaria & Tranſyl. volunt, vero Chriſto abolito Romanum Antichriſtum protinus introductũ fuiſſe, feciſſeque Deum trinum, & Chriſtum binum.

AT, *2. Theſſ. 2.* Antichriſtus, cum venerit, ſeipſum faciet Deum, non alium. Et Chriſtus ait, Matt. 16. prædixit *Portæ inferi non præualebunt aduerſus* Petrã ſuam.

III. Illyricus ait Antichriſtum veniſſe ſub annum 412. cum Rom. Imperium cœpit inclinare.

AT, Logi: IV. Simileſque ſunt & Chytræi: Negantis tamen Flacco ſuo, duraturum eius regnum 1260. annis. Quia ſic conſtaret finis mundi.

V. Henr. Bullingerus ait Antichriſtum apparuiſſe anno 763. Quia *Apoc 13.* nomen Beſtiæ eſt numerus 666. quæ ſi addeannos 97. Scriptam Apocalyſim antegreſſos à Chriſto nato, erunt anni 763

AT, *Apoc. 3.* dicitur is numerus eſſe nominis, non temporis: vt S. Irenæus exponit.

VI. Wolfg. Muſculus vult ſub annum 1260. Quia S. Bernardus ſerm. 6. in Pſal. 90. poſt Eccleſiæ vitia & perſecutiones recenſitas ait; *ſupereſt, vt reueletur Homo peccati.*

AT, nugæ hæ.

Orthodoxos varia varios fuiſſe opinatos. Vide *Bell. l 3. de Pont. c. 3.*

AVTOR. Nondum venit; nec tempus Aduentus ſciri poteſt. Patet è ſignis aduentum Chriſti ſecundum Antecedentibus, Comitantibus, & Sequẽtibus. I. Quia Euangelium nondum vbique prædicatum eſt; ceu prædictum *Matth. 24.* II. Nondum Imperii venit omni moda deſolatio, prædicta *Daniel. 2. & 7.* Nec in decem id regnã diuiſum tenetur ab vno. III. Necdum venerunt Helias & Enoch. Apo. 11. *Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus 1260.* Helias Iudæis, *Malach. 4.* Henoch Gentib. *Eccl. 44.* Qui XXX. diebus ante finem Antichriſti necabuntur. IV. Nondum iuge Sacrificium eſt ſæuiſſima illa tribulatione ſublatum; ceu prædictum, *Matth. 24.* & vt *Apoc. 9.* Tuba ſexta ſignificat. Tuba quinta forſan eſt Luthero caluiniſmus. V. *Daniel. 7. & 12. Apoc. 12.* Antichriſtus regnabit ſolum menſibus 42. hoc eſt dies 1290. Helias autem & Enoch diebus 1260. prædicabunt. VI. Antichriſti aduentus erit paulò ante conſummationem ſæculi, *Matth. 24. & 1. Ioan. 2.* Apoc. 12. *Beatus, qui expectat ad illos dies*, ſcilic. 40 poſt necem Antichriſti.

QVÆSTIO XXV.

Antichriſti Nomen, Character, Generatio, Sedes, Doctrina, &c. quæ, qualia?

ITA eſt Apoc. 13, *Faciet omnes. &c habere Characterem in manu, aut in frontibus ſuis. &c. aut nomen beſtiæ, aut Numerũ nominis eius 606.*

I. Bullingerus vult deſignari tempus aduentus, mortiſue Antichriſti: Mahumeti autem aliud.

AT, Ioannes loquitur de numero nominis; & viuentis beſtiæ; non mortuæ.

tuæ. 2. Chytræus nugatur in numero nominis λατεῖνος: Se fallunt alii Catholici aliter.

Vera est sententia fatentium se ignorare nomen Antichristi. Vt *Irenæus l. 5.* Nec dici posse nomen; quia plura sunt, quæ dictum numerum habent: inque multa incidunt incommoda, qui de nomine scrutantur. Sicut enim IESVS nomen Christi notum fuit, cum venit; at prius ignotum: ita & Antichristi est, eritque. Vnde Marloratus Caluinista in Apoc. 13. *Loci huius tot sunt expositiones, quot expositores; quo apparet obscurissimum & ænigmaticum esse.*

II. LVTHERANI Characterem Antichristi esse volunt signum obedientiæ sub Papa: vt est Bullingero Vnctio chrismatis: Bilandro Professio fidei Romanæ: Chytræo iuramentum fidelitatis factum Papæ: aut Vnctio sacerdotalis: aut Adoratio Sanctorum, Eucharistiæ, Missæ funebres &c.

AVTOR. At, *Apoc. 13.* de Vnico dicitur Charactere numeri & nominis: 2. Communi omnibus: 3. In dextera, aut frontibus. 4. Ne quis possit emere aut vendere, nisi habeat Characterem istum.

Quæ autem Sectarii esse characteres dicunt, ea ab origine Christianismi dimanarunt vt sanctissima.

III. LVTHERO-CALVINISTÆ. Papa est Antichristus.

AVTOR. At Antichristi origo id refutat. Nam hic oriundus erit ex Iudæis Iudæus, circumcisus, & sabbatizaturus saltem ad tempus. Ita *S.* Patres ex Ioann 5. *Ego veni in nomine Patris mei. &c.* Et Iudæi eum vt Iudæum recipient in Messiam. Talis autem Papa nunquam extitit, nec pro Messia habitus fuit. Quin, Caput Orbis cum sit, eum appellant *Caudam orbis* per despectum, proque eo vt hoste orant.

IV. LVTHERO-CALVIN. Roma sedes est soliumque Antichristi. 1. Quia *Apoc. 17.* est purpurata Meretrix, sedens super 7. colles. 2. Sussurus est, 2. Thess. 2. *in Templo Dei* ibidem.

AVTOR. Ierosolyma sedes erit Antichristi. 1. Quia, *Apoc. 11.* hic Elias & Enoch cum eo depugnabunt, occisique *iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ dicitur Sodoma, vbi est Dominus eorum crucifixus.* At Ierosolyma vocatur Sodoma, *Isa. 1.* 2. Quia, *Apoc. 17.* Roma desolabitur ab Antichristo paruulo cornu, extincturo decē regna. 3. Quia, 2. Thess. 2. *Ita vt in Templo Dei sedeat*, scilic. Salomonæo: quod solum in Scriptura Dei appellatur. Ita S. Patres.

AD I. DICO. Beda, Rupertus, &c. purpuratam meretricem esse dicunt omnem diaboli ciuitatem, quæ sæpe Babylon vocatur. 2. Tertull. & Hieronymus intelligunt Romam idola colentē; Nam de iam Christiana sic scribit libr. 2. contra Iouin. *Scriptam in fronte blasphemiam, Christi confessione delesti.* Ideo eam odibit Antichristus.

AD II. In *Templo Dei sedebit*, vel Salomonæo, vel in Ecclesia Dei; sed vt Deus. At ibi nullus Papa sedit; nec vsquam, vt Deus.

V. DOCTRINAM Antichristi Luthrro-caluinistæ nobiscum ponunt in quatuor: 1. Christum negabit: 2. Se esse Christum asseret. 3. Deum quoque se esse. 4. Deos abolebit omnes: Sed sequius hæc exponunt.

I. Negabit Christum, non verbis nec palam; sed opere, & specie Christianismi corrumpet doctrinam de Sacramentis. &c. In Caluinus *Instit. l. 4. c. 7. §. 25. Nec Christi nec Ecclesiæ nomen abolebit; sed potius Christi* pra-

prætextu abutetur, & sub Ecclesiæ titulo, velut larua, delitescet.

Magdeburg. Cent. 1. lib. 2 c. 4. *Ita, vt constet doctrinâ Christum profitente; sed tamen eius Meritum, & Officium abnegante. &c. Ostendet, Christum integrè nos redemisse, & saluasse; sed propter nostra bona opera etiam aliquid ad salutem nos conferre.*

II. Se faciet Christum, & Deum, nõ verbo; sed opere. Magdeburg. ibid. *Ostendet se pro Deo, vt qui sit Christi Vicarius, & Caput Ecclesiæ, & possit figere atque refigere articulos fidei.*

III. Deos & idola non reiiciet, sed palam adorabit.

AVTOR. I. Christum negabit, eiusque Sacramenta proculcabit. 1. Quia Iudæus, Iudæorumque Messias Christũ minimè prædicabit. 2. Cùm non sint duo Christi, verum neget necesse est, seque Christum faciet. Vide 1. Ioa. 2. *Quis mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? Et hic est Antichristus*, scilic. simpliciter & excellenter; at hæretici sunt Antichristi secundum quid, vt eius prodromi. 3. Ita *S.* Patres. At Papa nec Christum negat, nec eius doctrinam deprauat, nec Sacramenta proculcat. Ergo

II. Antichristus se esse Christum asseret verbo & facto; non autem Christi ministrum. Ioann. 5. *Si* ALIVS *venerit in nomine* SVO, *illum recipietis.* At Papa venit in nomine Christi, Seruus seruorum Christi: ergo non est Antichristus.

III. Se, seipsum faciet Deum: 2. Thess. 2. *Ita, vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Sic S. Patres.

IV. Nec verum nec falsum patietur Deum vllum, aut idola. 2 Thess 2. *Quia extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Ita & *S.* Patres, Daniel. 11. *Deum Patrum suorum non reputabit, nec quenquam Deorum curabit; quia aduersus vniuersa consurget* idola. *Deum autem Mahazim colet auro. &c.* scilic. diabolum; vti magus: aut seipsum excitatis sibi aris & templis. At procul hæc à Papis, vt & Antichristianismus ipse.

V. Antichristus obscurè natus arte regnum Iudæorum inuadet. *Daniel. 11.* 2. Reges tres Ægypti, Libiæ, Æthiopiæ armis expugnabit. *Daniel. 7. & 11.* 3. Alios VII. Reges subiget, euadetque in Monarchã orbis. Ita Patres. 4. Prœliis orbem miscebit vniuersum, vt Gog cum suo Magog, *Apoc. 20.* At procul à Papis talia: ergo.

SVMMA BREVIS.

LVTHERO-CALVINISTÆ quatuor asserunt; Antichristi Aduentum, Tempus, Personam, Notas.

I. Aduenisse volunt constare sibi ex Scriptura. 2. Thess. 2. *Mysterium iam operatur iniquitatis.* 1. Ioan. 2. *Antichristus venit: & nunc Antichristi multi facti sunt.* 1. Ioan. 4. *Hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est.*

II. Quando aduenit? Variant. 1. Lutherus *in supput. temporum* & alii; post annũ 600. sub Phoca. 2. Büllingerus *præf. in Apoc.* & alii, sub annum 763. 3. Musculus *in Locis, Tit. de Eccl.* post tempora Bernardi. 4. Alii aliud dant tempus.

III. Quis Papa fuit primus Antichristus? Centuriatores *Cent. 6. c. 1.* Chytræus. &c. *Gregorius Magnus, homo pessimus.*

IV. Papa Rom. est Antichristus. Quia omnes NOTÆ Antichristianæ, in Scriptura fundatæ, illi conueniunt: Quæ sunt: 1. Deficere à vera fide. *1. Thes. 2.* 2. Sedere in templo Dei: *ibid.* 3 Ostendere se tanquam Deum: *ibid.* 4. Extollere se supra

omnem Deum: *Ibid.* 5. Negare Christum: *1. Ioann. 2.* 6. Falsa edere miracula: *2. Thess. 2.* 7. Imprimere subditis characterem: *Apoc. 13.*

AVTOR. I. Antichristus propriè dictus, *homo peccati*, & *Filius perditionis*, nondum venit.

1. QVIA, Cyril. Catechesi 15. *Veniet, quando impleta fuerint tempora Rom. Imperii.* Sic & S. Patres. Chrys. in 2. Thes. 2. *Quando sublatum fuerit Rom. Imperium.* 1. Sic Scriptura, *Dan. 2.* Statuæ caput, Chaldæorum; pectus, Persarum; venter Græcorum; Pedes, Romanorum regnum designabat. Tibiarum digiti decem, in quibus statua desinebat, notabat Regnum Rom. in X. Reges fore diuidendum; eoque euertendum. *Dan. 7.* Idem significat quatuor bestiæ. *Apoc. 17.* Bestia septiceps, cum X. Cornibus. 2. Sic Traditio apud *S. Hier. in Dan. 7.* Nec antè veniet Antichristus, quàm venerit DISCESSIO, id est, vel Apostasia à fide; vel euersio Rom. Imperii.

2. QVIA Venient prius duo testes. *1. Amicti sacco: 2. Prophetabunt diebus 1260. 3. Habebunt potestatem claudendi cœlum, ne pluat; & conuertendi aquas in sanguinem, & percutiendi terram omni plaga.* 4. Post 1260. dies Antichristus occidet illos: 5. Corpora eorum iacebunt inhumata Ierosolymis triduo cum semidie. 6. Post hos rediuiui ascendent in cœlos. 7. Moxè terræmotu pars vrbis tertia corruet, occisis 7000. hominum. Ista *Apoc. 11.* At hi duo testes nondum venerunt: ergo nec Antichristus. Sectarii eos putant esse Huss, & Lutherum, &c. alii mystica de iis vanè commiscuntur.

II. Papa Rom. non est Antichristus. 1. Quia Antichristus non veniet, nisi euerso prius Imperio Rom. 2. Quia occidet duos illos Testes: hoc nullus Papa fecit. 3. Antichristus regnabit semiquatuor annis tantum: Dan. 7. *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Apoc. 11. *Mensibus XLII.* seu *diebus 1260.* 4. Antichristus ab Iudæis pro Messia recipietur: Ita *S.* Patres, ex Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine meo, illum recipietis.* 2. Thess. 2. *Operationem erroris, vt credant mendacio.* 5. Antichristus faciet ignem descendere cœlo: *Apoc. 13.* At ista nulli Papæ conueniunt. Ergo.

DICO AD I. Pugnant Sectarii Scripturis. Nam illa si probarent admisse Antichristum; probarent venisse tempore Apostolorum, cum ea scribebantur: At hoc negant iidem. Deinde Scripturam non intelligunt: nam *Mysterium iam operatur, &c.* loquitur de Nerone, typo Antichristi. Alia duo ex Ioanne loquuntur de hæreticis tunc ortis, qui erant prodromi Antichristi & generatim, non speciatim, dicuntur Antichristi. Ita *S. August.* aliique Patres.

AD II. & III. Sectariorum dissidium est eorum falsitatis indicium; & veritatis nostræ præsidium.

AD IV. 1. Econtrà, Sectarii desciuerunt à fide; quia negant purgatorium, Missam, &c. quæ affirmant Scripturæ & S. Patres. &c.

AD 2. Ergo Papa sedet in Templo Dei, seu, Ecclesia; foris, Sectarii. Sed S. Patres per Templum intelligunt illud Ierosolymitanum; non Ecclesiam; iuxta *Dan. 7. v. 27.*

AD 3. Papa ostendit se pro Visibili Capi-

Capite, non *tanquam Deum*.

Ad 4. Præsidere Ecclesiæ toti, non est extollere se supra Deum.

Ad 5. Corrumpere doctrinam de Mediatore, est negare Christum: at corrumpunt eam Sectarii, non Papa.

Ad 6 Miracula facit Deus; non Papa, non homo.

Ad 7. At Sectarii dissentiunt in hoc, quid sit charecter.

Bullinger vult esse Chrisma: Bibliander, professionem Fidei Rom: Chytræus, esse iuramentum Papæ factum, vnctionem Sacerdotum, statuarum venerationem.

At Character esse debet 1. Communis omnibus; 2. Posse imprimi in quocunque membro: 3. Vt nemo possit negotiari non habens eum; hæc verò istis non conueniunt.

Cùm igitur Papæ non cõueniant dictę 7. Notæ: Cùm etiam Ecclesia toto orbe dispersa errare non possit; & hæc Papam neget esse Antichristum: ergò nec is esse potest. Econtra: Omnes hæretici sunt præcursores Antichristi; Luthero-caluinistæ sunt hæretici: ergo.

IV. DE CONCILIIS.

QVÆSTIO XXVI.

Cuius sit indicere Concilia, & cur? Papæ, an Imperatoris?

Lvtherv lib. de Concil. *Ideo vocantur Concilia Generalia, quia ab Vniuersali omnium Domino Imperatore cogi hominum.* Molinæus infert: Idcirco Conc. Trid. non est recipiendum, quia à Papa, non Imperatore, indictum fuit. Sic & Liber Protestatium, cur non comparuerint in Concilio. Sic quoque

Calvinvs *Instit. l. 4. cap. 7.* Illyricus *Cent. 4. c. 7.* Brentius. &c. ex atauo suo Nilo, *lib. de Primatu Eccl.*

Quia, prima Conc. Generalia sic indicta sunt ab imperatoribus. Id quod inductio docet. 1. Nilus quia Leo I. epist. 42. supplicat Theodosio, vt iubeat intra Italiam prouinciale conuocari Concilium.

2. Magdeburgenses; quia Liberius concessit, esse in potestate Imper. conuocare Concilia.

3. Molinæus, Quia S. Hier. ait: *Dic, quis Imperator iusserit hanc Synodum conuocari?*

4. Quia simul cœperunt & esse Imperatores Christiani, & cogi Concilia post annum 300.

Avtor. Solius est Papæ Roman. Generalem indicere Synodum. I. Quia Concilia non sunt legitima, nisi *in Nomine Christi* congregata: vt assentit Caluinus *Inst. 4. c. 9 §. 1. & 2.* Atqui *in Nomine Christi* congregari, est *Authoritate Christi* congregari. Patet similibus è locis: Vt Matth. vlt. *In nomine meo dæmonia eiicient.* Ioann 5. *Ego veni in nomine Patris mei.* Matth 7. *Nonne in nomine tuo Prophetauimus?* Apertissimè Act 4. *In qua virtute, aut in quo Nomine hoc fecistis?*

Dicit Calvinvs. *In nomine Christi* congregari esse congregari sic, vt præsideat Christus solus.

At 1. Hoc nusquam in Scripturis est. 2. Nemo id discernere potest, an Christus præsideat; nam omnes pseudosynodi affirmant è S. Scriptura se promere omnia, ex sese nihil. 3 Christus visibilem sui præsentiam ablaturus Ecclesiæ, Petro non Tiberio dixit: *Pasce oues meas*: ac Præsideas quoque: *Et tu confirma Fratres tuos.*

II. Illius eſt indicere Concilia Generalia, qui poſſit omnes per orbem ex officio cogere: Vt Papa, non Imperator poteſt. Quia maior eſt orbis Chriſtianus, quàm Imperium. &c.

III. Illius eſt indicere Generalia, ſine cuius Autoritate nequeunt celebrari: Atqui Apoſtolicus Canon eſt, in Niceno innouatus: *Solius Romani Epiſcopi eſt celebrare Concilia.* Vnde Concil. Calcedonenſe vetuit Dioſcorum Alexand. ſedere inter Epiſcopos; quòd abſque conſenſu Papæ coëgiſſet Concilium.

IV. Sic Praxis obtinuit perpetua: Communiſque Patrum eſt Conſenſus, ac etiam Imperatorum & Imperii.

IMPERATORES olim quædam indixerunt Concilia; ſed non abſque conſenſu Pontif. Romanorum. Ob cauſas. 1. Quia, teſte *Iſid. l. 1. Etym. c. 16.* primis trecentis annis, ob ſæuientes perſecutiones, Chriſtianis omnes conuentus erant interdicti: Vigentibus igitur diu poſtea legibus iiſdem, Imperatores ipſi ad Concilia adiuuabant: 2. Quia cũ in vrbe aliqua eſſet Concilium cogendum, Dominus autem orbis eſſet Imperator, ideo & huius conſenſus pro loco requirebatur, proque ſumtibus vehiculorum. *Baron. tom. 3. anno 240.* 3. Quia id ætatis Papæ nondum erant temporalium potentes; vt poteſtate ac licentia indiguerint Imperatorum. Ex his patet Reſponſio ad documenta Luthero-caluiniſtarum. Liberius autem petiit ab Imperatore fieri; non conceſſit cogi Concilium.

Conuocari quoque Concilia, minimè eſt de abſoluta neceſſitate vnquam; ſed ad ſuauiorem regendi modum iuxta ordinariam Dei prouidentiam. Nam cauſis cogendi Concilia generalia poteſt aliter conſuli, vt ſunt Hæreſis, Schiſma, Morum corruptio & Abuſus.

SOLVVNTVR facilè ex his commenta Sectariorum.

QVÆSTIO XXVII.

Qui ad Concilium ſint conuocandi?

LVTHERO-CALVINISTÆ, vt 1. Lutherus *libr. de Conciliis part. 2.* Carolus Molinæus *de Conc. Trid. non recipiend.* Magdeburg. *Cent. 1 l. 2. c. 9.* Ex omni genere hominum eruditos debere intereſſe, eſſeque Iudices, & habere ſuffragium decitiuum.

2. Brentius *in Confeſſ. Wittenb. c. de Concil.* Omneſque Confeſſioniſtæ & Caluiniſtæ aiunt, concilium conſtare ſolis veris & electis; eò quòd hi ſoli ad Eccleſiam pertineant.

3. Proteſtantes, *libro, Cur non venerint ad Concil. Trid.* cauſas adferunt, 1. Quia Papa erat indictum. 2. Quia non licebat etiam laicis docti ſuffragium habere decitiuum, ſed ſolum Clericis.

SVADENTIſtis. 1. In primo Concilio Act. 15. *placuit Apoſtolis, & Senioribus, cum omni Eccleſia.* 2. Quia Concil. Generale totã Eccleſiam repræſentat; ergo omne genus fidelium ei intereſſe licet, & debet. 3. Quia Communis cauſa communibus votis viribus agenda eſt; at talis eſt cauſa fidei in Conciliis: ergo. &c.

AVTOR. Ius ſuffragii in Conciliis ſolum habent Prælati: Clerici aut laici docti ius verbi habent in diſcuſſione ac diſputatione; at non in definitione. Principes ſæculares adſunt vt protectores, aut vindices malorum.

1. Quia definire in Conciliis credenda &

da & agenda, est Pascere: at hoc est Pastorum: Eph. 4. *Posuit alios Pastores & Doctores.* Ierem. 3. *Dabo vobis Pastores secundum cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.* Porro tales sunt Episcopi. Act. 10. *Attendite vobis, & vniuerso gregi; in quo vos Sp. Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, id est, docere pascua, quæ bona, quæ mala.

2. Quin Melanchthon *in Locis c. de numero* Sacramentorum, & Caluinus *Inst. l. 4 c. 14. §. 20* Ordinationem Pastorũ qui dedicãtur ad docendũ, referũt inter Sacramenta Ecclesiæ. Neque hoc Sacram. esse volũt cõmune toti Ecclesiæ, sed solum ad id initiatis. Atqui Laici non sunt ordinati Pastores: ergo docere autoritate Concilii eorum non est.

3. Ita Sancti Patres, & Praxis continua.

4. Quia Ecclesiastica & publica ab Ecclesiasticis & publicis tractanda sunt: at tales sunt Episcopi, non è vulgo Clerici & laici, &c.

Responsio ad Rationes prædictas patet ex dictis.

Ad I. Eo in Concilio interfuerunt Apostoli, ad Definiendum: Presbyter, ad consultandum; laici, ad audiendum.

Ad II. Comitia generalia Principum totam Rempubl. repræsentãt; neque tamen quilibet interesse debent: Ità nec Conciliis.

Ad III. Causa fidei ad omnes pertinet; sed non eodem modo nam ad Prælatos, vt ad Doctores; ad cæteros, vt ad discipulos: Vt vincere est exercitus; ducere Ducum; militum pugnare. Vide *Bell. l. 1. de Conc. c. 16.*

QVÆSTIO XXVIII.

Concilia an habeant formam Iudicij, an Inquisitionis?

Lvtherus *in Assert. art. 29.* Calvinvs *Instit. 4. c. 9. §. 8.* Brentius in Confess. wirtembergica. Kemnitius *in Exam. 4. Sess. Conc. Trid.* Concilium est Inquisitio solum: Christus verò solus, eiusque Verbum Scriptum, habet suffragium decisiuum: Sæpeque vnum sequendum potius, pro quo stet Scriptura, quam totum Concilium: Ideo licet cuique examinare Concilia, & ea sequi, aut relinquere. Ideo, ait Lutherus art. 15. ex quingentis: *Res insana est, Concilia statuere, quid credendum; cum sæpè nullus ibi sit, qui diuinum spiritum vel modicum olfecerit. Vt contigit in Nicæno, vbi statuebant, ne status Ecclesiasticus sit in matrimonio. Ibi iam omnes erant falsi. Vnus procedit Paphnutius; refutat hoc, quòd non esset Christianum. Tunc oportuit Concilium desistere.*

Avtor. Solum Iudices, non Consiliarii, sunt in Conciliis Episcopi. 1. Sic Scriptura. Vide in *Antichristo meo p. 2. q. 9.* 2. Sic Concilia statuunt tum facto ipso, quod anathema dicunt non obtemperantibus: tum Scripto; nam ita subscribunt: *Ego N. definiens subscripsi:* Denique contradicentes pro hæreticis sunt habiti: Disputare igitur est quidẽ doctorum quorumcunque; at suffragari & definire solum Episcoporum. Sectarii verò Hoc quærunt, ne quæstiones finiantur, durante circa Scripturam litigio.

Dico autem narrationem de Paphnutio incertam esse; vt ignotam priscis scriptoribus. 2. *Dein*; ille restitit ante definitionem factam, non post: Nec audiri debuit, iuxta Sectarios; quia Scri-

pturam non allegauit. 3. *Demum*, interdici noluit vsum vxorum ante Sacerdotium aut Professionem ductarum; sed postea. 4. *Adde*: Idem Concilium can. 3. contrà statuit, quam sentiant Luthero caluinistæ: scilic. Ne domi habeant Sacerdotes fœminas, nisi matrem, sororem, vel amitam.

Neque Papa tenetur sequi partē maiorem suffragiorum vt Præses: quia est Princeps Concilii absolutus, non Præses solùm; ab illo autem pendet confirmatio decisionum.

QVÆSTIO XXIX.

Præsidere Concilio cuius est proprium? Et quibus conditionibus?

LVTHERO-CALVINISTÆ contendunt esse Imperatoris solius, aut eius Legati: Ita Magdeburg. *Cent. 4. c. 7.* Caluinus *Inst. 4 c. 7. §. 1.* Molinæus, Brentius. &c.

SVASIONES afferunt vanas, apud *Bellarminum c. 20.*

AVTOR. I Nullus Papa generalibus orientis Conciliis interfuit per se, sed per Legatos: Et Imperator Episcopos conuocabat præcipiendo; Papam verò inuitabat. Cur? An, quòd Caput sequi membra indecens? An, quòd Imperator sedem teneret in iis primam; etsi non vt Iudex?

II. Papa iure solus præsidet Conciliis. 1. Quia ipsi dictum, *Pasce oues meas*, vt Pastori Pastorum. 2. Ita praxis habet *Act 15* Petrus in Concilio primus surgit, loquitur, definit: omnes ait S. Hier. sententiam eius sequuntur. Sic in octo generalibus Concil. vsitatum à Papis, apud *Bell. l. 1. de Conc. c. 19.* Mendacia Luthero-caluinistarum vide in *Anti-papista mend. part. 2. q. 3.*

III. Si quando Imperatores, aliique sæculares appellationes, litesque admiserint in causis Ecclesiasticis; nunquam eiusmodi iudicia pro legitimis sunt habita.

IV. Plebi item nunquam in publicis Conciliis aut Disputationibus permissum est iudicium publicum de fide Quæsitis: Priuatum suum semper cuique liberum fuit. Ex quibus historia patent mendacia Sectariorum.

II. LVTHERO-CALVINISTÆ requirunt tales Concilii Conditiones. I. Ne irritentur Acta Tridentini.

AT, prius legitimo iudicio condemnatur, alio antè Concilio examinatum.

II. Concilium fiat in Germania, vbi illi exortæ sunt.

AT, non fiat ibi, vbi hæretici præualent.

III. Papa nec indicet Concilium, nec præsit ei.

AT, in possessione huius iuris iam fuit ab 1500 annis.

IV. Sententiæ ferantur è sola Scriptura non ex Traditionibus aut Canonibus.

AT, ita nunquam ad finem controuersiarum peruenireturr.

V. Decisio fiat iuxta Scripturam, non iuxta pluralitatem suffragiorum.

AT, Scriptura vtrimque prolata controuertitur.

VI. Papa absoluat Prælatos iuramento, quo sunt obstricti ad fidelitatem.

AT, tunc prius deberet legitimè deponi.

VII. Confessionistæ ius habeant æquè ac Papistæ decidendi sententias.

AT, reorum est accipere, non ferre

sententias: se tamen purgandi, suaque probandi facultas eis ter est facta à Concil. Sess. 13. 15 & 18.

VIII. Detur saluus conductus ab Imperatore Personis, ne puniantur; & Causæ, ne damnetur, etsi defendi nequeat.

AT, Conductus saluus ter oblatus est: cætera sunt ridicula & absurda postulata.

AVTOR. CONDITIONES Conciliorũ legitimæ sunt. 1. Vt quatuor, Euocatio sit generalis ad omnes prouincias. 2. Nullus Episcop⁹ verus excludatur, nisi excommunicatus. 3. Adsint per se, vel alios Patriarchæ quatuor. 4. Saltem ex maiore parte prouinciarum Christianarum adsint Episcopi.

QVÆSTIO XXX.

An Conciliis legitimis, & adprobatis sit infallibilis Autoritas, vt errare non possint?

LVTHERANI & CALVINIANI pernegant.

SVADERE nituntur. I. CALVINVS *Instit. l. 4. c. 9. § 3. &c.* Scripturas crepat, quibus omnes Pastores, Sacerdotes & Prophetæ arguuntur improbitatis, ignorantiæ, & erroris.

AT, ait *August. de Vnit. Eccl.* propter quosdam malos reprehenduntur sæpè & boni. Vt Phil. 2. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt.* Dein: Ecclesiæ & Synagogæ diuersa est ratio.

II. Errata sunt Conciliorum plura: vt *3. Reg. 22.* Concilium 400. Prophetarum Er, *Ioann 9.* Iudæorum Concilium præside Caipha: Hæc Caluinus. *Lutherus* affert Cõcilium Apostolorum *Act. 15.*

AT, ij Prophetæ erant falsi: & Iudei subordinarant falsos testes Concilio facto tumultuario, non iusto. Plura *Bellarminus l. 2. c. 8.* historica, sycophanticè allata refutat.

AVTOR. I. Conciliorum permagna est diuersitas. Generalia adprobata sunt duodeuiginti: Reprobata octo: Adprobata partim, partim reprobata sex: Nec adprobatum, nec reprobatum vnum Pisanum.

II. De fide est, Concil. gen. confirmata per Papam, errare non posse in fide seu moribus. 1. Quia Christus interest iis. Matth. 18. *Vbi sunt duo. &c.* Vide *Antichristum part. 2. quæst.*

III. Quia Ecclesia nequit errare: Matth. 16. *Portæ inferi non præual. &c.* At tota formalitas Ecclesiæ est in Prælatis: Quare neque hi ritè congregati errare queunt. Accedit, quòd repræsentant vniuersam Ecclesiam, proindeque habent consensum eiusdem. Vnde, *3. Reg. 8.* cœtus Procerum cum Salomone congregatus dicitur *tota Ecclesia Israël.* Ita S. Patres.

IV. Quia, Papa non potest errare in fide. Luc. 22. *Rogaui pro te. &c.* de hoc alubi. Ergo nec errare potest Concilium à Pontif. confirmatum.

V. Quia, Episcopi sunt habendi vt Pastores, audiendi vt Magistri, sequendi vt Duces. Luc. 10. *Qui vos audit. &c.* Heb. 13. *Obedite Præpositis:* Act. 20, Eph. 4. dicuntur *Pastores*, ideò, vt non circumferantur omni vento. Item Doctores, Matth. vlt. *Docete omnes gentes &c.* Item speculatores: Ezech 33. *Speculatorem domui Israël dedi te.* S. Patres vocant Episcopos *Speculatores & oculos*, & *Patres.* Hosce cum sequi iubeamur à Deo, si fe

feile-

fellerint, certè in Deum culpa referenda foret. Vtque ſinguli errare poſſint, non tamen collecti in nomine Chriſti.

VI. Quia, ſic & Patres. Hi affirmant 1. Concil. generalis ſententiam eſſe vltimum Eccleſiæ iudicium in cauſa fidei, à quo non datur appellatio; quodque retractari nequit. 2. Eſſe hæreticos, qui Concilio generali non acquieſcunt: eò, quod iſta errare non poſſint. 3. Eſſe diuina decreta ab Conciliis generalibus profecta. 4. Eſſe moriendum potius, quam ab iis abeundum. Docet iſta teſtimoniis *Bell. l. 2. c. 3.*

VII. Quia nî foret infallibilis Conciliis veritas, 1. Nullum foret in Eccleſia firmum iudicium, quo finirētur controuerſiæ, vnitaſq; ſeruaretur. 2. Poſſent reuocari in dubium damnatæ hæreſes. 3. Nulla eſſet certitudo de libris S. Scripturæ. 4. Nullo digna forent honore, & intolerabilem continerent errorē; quia proponere quid credēdum poſſent, quod nunquam in Symbolo fuiſſet. Quæ omnia de Confirmatis capienda ſunt Conciliis. Nam generalia non confirmata errarunt plura: Et omnia ante confirmationem Papæ errare queunt, niſi Papæ ſequantur infallibilitatem.

QVÆSTIO XXXI.

Maiorne ſit autoritas Concilij, quam Scripturæ?

LVTHERANI quam infanda in nos confingant, in Antipapiſta Mendace part. 1. retulimus Lutheri vox eſt libr. de Eccleſia. *Papa S. Scripturam in cœno & puluere ſepeliit, & doctrinam Chriſtianam pene integram deleuit.* Vide etiam in Antipapiſta part. 2. q. 3. Vociferantur omnes, Scripturam à nobis ſubiici Conciliis.

CALVINVS Inſtit. l. 4. c. 9. §. 14. ait, *Subiicere eum in modum Dei Oracula hominum cenſuræ, vt ideo rata ſint, quia placuerint hominibus; blaſphemia eſt, indigna quæ commemoretur.*

AVTOR. Magnum & multiplex diſcrimen eſt Scripturæ ab Conciliis.

I. Scriptura eſt immediatè à Deo reuelata ſic, vt, 2. Pet. 1. *Spiritu S. inſpirati locuti ſint Sancti Dei:* Etſi quidam Scripſerunt, quæ viderunt, vt Matthæus & Ioannes: alii quæ audierunt, vt Marcus & Lucas; *Sicut*, ait, *tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt.* Concilia autem non ſcribunt reuelationes; ſed 2. Tim. 3. *Omnia Scriptura diuinitus inſpirata* ſolum declaratur ab eis vel quoad ſenſum, vel quoad ipſam Scripturam, quæ ſit canonica, quæ non.

II. Scriptores ſine labore ſcripſerūt, aut propheterunt: at Concilia diſcutiunt ſumma cum diligentia: patet *Actorum 15.*

III. In S. Scriptura nullus ineſſe poteſt error: At Concilia poſſunt in iudiciis morum, & particularibus errare.

IV. In S. Scriptura tam Verba, quam ſententiæ pertinent ad fidem: at in Conciliis ſolum decreta de fide; non diſputationes & rationes.

V. Scriptura non eget approbatione Papæ, vt ſit autentica; ſed tantum vt eius innoteſcat Autoritas: at Concilia confirmari oportet, vt rata ſint.

QVÆSTIO XXXII.

Papæ, an Concilii ſit potior Autoritas?

LVTHERANI & CALVINISTÆ Conciliis Papam ſubiiciunt: volunrque tantum ſuæ eſſe Eccleſiæ Præſulem; aut, ad ſummum,

mum, Patriarcham Occidentis: minimè verò Caput totius Ecclesiæ. Huc vtuntur autoritate orthodoxorum anteponentium Concilium Papæ.

AVTOR. I. Papa Caput est & singularum omnium, & vniuersæ Ecclesiæ, à Christo immediatè constitutus. 1. Sic Scriptura. Matth. 16. *Tu es Petrus. &c.* Ioann. vlt. *Pasce oues. &c.* 2. Sic Concilia. Et Chalcedonense, omnium maximum in epistola talem agnoscit Leonem. Et Constantiense damnauit negantem id Hussium.

3. Ratio euincit. 1. Papa est vnum Caput; ergo vnius Corporis: at singulæ Ecclesiæ seorsim non sunt vnum Corpus: ergo Papa est Caput vniuersæ Ecclesiæ. 2. Papa est immediatus Vicarius Christi: nam in Constantiensi Concil. Sess 8 damnatur Wicleff id negans: ergo præest Ecclesiæ visibiliter Papa; cui inuisibiliter Christus præsidet.

II. Summa Potestas Ecclesiastica nõ est in Ecclesia vel Concilio, remoto Papa seu formaliter, siue suppletiuè. 1. *Non formaliter*: quia Ecclesia est Monarchia; iuxta Psa. 2. *Postula à me gentes. &c. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion.* Luc. 1 *Regni eius non erit finis.* Et Ioa 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Regnum igitur Ecclesiæ ab vno regitur. 2. *Non suppletiuè*: nam in regnis humanis, vbi potestas Regi datur à populo, eadem est in populo radicaliter & suppletiuè: at in regno Christi, quod est Ecclesia à Christo collecta; iuxta Apoc 5 *Fecisti nos Deo nostro regnum*; potestas est immediatè tantum à Christo. Hinc comparatur Ecclesia familiæ, *Matth. 24 Hebr. 3.* Et sponsæ, *Eph. 4 5.* Et Corpori, *Ioan. 10.* Et; Potestas ea Petro data est immediatè, non Apostolis: Ergo neque Concilio generali sine Papa.

Vnde Concilia egent confirmatione Papæ; quam & petierunt. Quia ea sine Papa errare possunt etiam in decretis fidei; cum Papa non possunt.

III. Papa simpliciter & absolutè est supra totam Ecclesiam, & Concilium; sic, vt in terris nullum supra se iudicium agnoscat. 1. Quia quæ Christo Capiti in Scripturis nomina tribuuntur, conueniunt & Papæ. Vt, *Luc. 12.* Paterfamilias: Pastor, *Ioann. 10.* Et *Eph 4.* Caput: *Eph. 5.* Vir & Sponsa. 2 Quia sic Concilia consentiunt apud *Bell. l. 2. c. 17.*

IV. Papa etiam nec committere potest supra se iudicium coactiuum; sed solum discretiuum, vt Arbitro, non vt Iudici, cuius parendum sententiæ sit. 1. Quia Potestas Papæ supra omnes est de iure diuino: at in hoc dispensare nequit homo. Hinc iudicium de Papa soli Deo est reseruatum, nec alteri committi potest.

VI. DE ECCLESIA.

QVÆSTIO XXXIII.

An soli Perfecti sint in Ecclesia?

ANABAPTISTAE ait Caluinus *Instit l. 4. c. 1. §. 2.* volunt cum Pelagianis, solos Perfectos efficere Ecclesiam, omni peccato carentium. 2 CONFESSIO Augustana *art. 7.* vult, Ecclesiam esse Sanctorum congregationem, qui vere credunt, & obediunt Deo. Et hanc internam est Ecclesiam: Externam verò esse bonorum & malorum in vna fide & vsu Sacramentorum consentientium.

3. CALVINVS *Inst. l. 4. c. 1. §. 2.* docet idem; Simulque solos prædestinatos, id est,

verè credentes eſſe Eccleſiam.

SVADENT ita. 1. Quia, Cant. 4. *Tota pulcra es Amica mea, & macula non eſt in te.* 2. Eph. 5. *Vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam.* Vide *Genealog. part. 2. q. 6.*

AVTOR. Concilium Mileuitanum iam olim, contra Pelagianiſmum iſtum definiuit, Iuſtos humiliter & varaciter dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.* Ambr. Serm. 16. in Pſa 118. *Non poteſt hoc iuſtus negare; quia nemo ſine peccato eſt.* S. Aug. *l. de Sp. & lit. c. vlt.* docet poſſe hominē, ex priuilegio Dei viuere ſine omni peccato, reipſa tamen eſſe neminem, præter Chriſtum, &, *l. de Nat. & grat. c. 36.* B. V. Mariam. Idem l. 1. contra Pelag. & S. Greg. l. 21. Mor. c 9. *Baptizati ſunt ſine crimine: ſine peccato autem in hac vita neminem dixerim.*

DICO AD I. Id intelligi de anima iuſti, carente mortalibus. Sic *Auguſt. lib. de perfectione.* Sic, Gen. 6. *Noë vir iuſtus fuit atque perfectus.* Phil. 3. *Quicunque perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Eph. 1. *Elegit nos in ipſo, vt eſſemus ſancti & immaculati,* ſc. ab perpetua morte. 2. Intelligitur de potiore parte Eccleſiæ iuſta; vnde fit denominatio.

Sic etiam AD II. Dico, cum Concilio Toletano, Chryſ. Hieron. Theophylacto. *Vel* cum Aug. & Bern. talem fore Eccleſiam poſt reſurrectionem.

QVÆSTIO XXXIV.

An ſint in Eccleſia grandes etiam peccatores & manifeſti?

CONFESSIONISTÆ, licet damnent Pelagianos *Eccleſiam ex ſolis iuſtis conſtare;* item Nouatianos & Donatiſtas, *deſinere ſolos eſſe in Eccleſia circa fidem lapſos;* Volunt nihilominus tria: I. *Nullum eſſe Veniale peccatum ex natura ſua; ſed omnia ex ſe mortalia.* LVTHERVS in aſſert. art. 32. Melanchthon in Locis. CALVINVS *Inſt. l. 2. c. 8. §. 51.*

II. CONFESSIO AVGVST. art. 7. *Eccleſiam eſſe Sanctorum Congregationem, qui vere credunt, & obediunt Deo.* Apologia Philippi: *Peccatores non pertinere ad Eccleſiam, niſi nomine.* Iſtud Pelagianum eſt. Fingunt que duplicem Eccleſiam, *Internam* ſanctorum, & Inuiſibilem, niſi oculis fidei: *Externam*, de nomine ſolo Eccleſiam conuenientium bonorum ac malorum in doctrina fidei, & vſu Sacramentorum. BRENTIVS *malos eſſe in Eccleſia, ſed non de Eccleſia.* Sic &

LVTHERVS *lib. de Conciliis*, eſſe eam Sanctorum air, id eſt, omni peccato carentium, etiam leuibus; qui iniuſtos faciunt, quia ſunt mortalia.

III. Confeſſionis iſtæ *art. 6. & 20.* Lutherus *art. 32. Omnia opera hominis, etiam iuſtificati, ſunt peccata mortalia; non tamen imputantur, ſi adſit fides.* & Nouatiani & Donatiſtæ ſolos fide lapſos excludebant ex Eccleſia Fidelium.

SVADENT iſtis. I. Iſa. 52. *Non adiicet vltra, vt pertranſeat per te incircumciſus & immundus.* Ibidem. *Recedite, exite, pollutum nolite tangere.* Et, 2 Cor. 6. *recipiam Vos. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate?* Ergo prius fiat ſeparatio, quàm receptio fiat. 1 Cor. 10. *Vnus panis, & vnum Corpus multi ſumus.* At panis fit ex frumento, non è paleis. Rom. 8. *Qui ſpiritum Chriſti non habet, non eſt eius:* At eum non habent peccatores: ergo non ſunt eius membrum. II. Eccleſia ſolum dicitur *Sancta:* at ſi & peccatores in ea ſorent, etiam *Scelerata* dici deberet. III. S. Cyprian. lib. de Vnit. Eccl. *Non habet Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem;* & contrà: At impij non habent Deum Patrem. Nam Rom. 8. *Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei &c.*

AVTOR. Peccatores quantoscunque dummodò ſint Fideles, intra Eccleſiam eſſe, liquet ex S. Scriptura in meo *Antichriſto part. 2. q. 8.* Et pluribus in *Geneal. par. 2. q. 6.*

Adde quod S. Aug. tract. 6 in Ioann. ait: *Nos fatemur, in Eccleſia Catholica & bonos, & malos eſſe; ſed tanquam grana & paleas.* S. Hieron. in dial. contra Luciferianos: *Arca Noë typus Eccleſiæ fuit: vt in illa omnium animalium genera; ita & in hac vniuerſarum gentium ac morum homi-*

nes

nes sunt vasa aurea cum ligneis & fictilibus commorantur. Ratio: Quia, Si peccatores esse in Ecclesia desinerent; iam Prælati, lapsi quo peccato, non forent amplius Prælati; nec eis obediendum. &c.

DICO AD I. ex S. Cyrillo & Hieron. ibid. Recedere iubentur ex Captiuitate Babylonica, literaliter; nec aliam eos comprehensuram: Et; Paulus loquitur de participatione cum Infidelibus, non autem cum peccatoribus. Et; panis vnus sumus per Baptismi aquam factus, id est, vna Christiana congregatio; & in hoc consistit similitudo. Et; mali sunt membra Christi vera, etsi non viua.

AD II. Ecclesia dicitur *Sancta* ob Baptismum, Fidei professionem, ac Vnionem Christianorum cum Capite. Et; denominatio fit a meliori parte; quę potior censenda; non à deteriore. Denique tota Deo consecrata est Ecclesia.

AD III. Mens Cypriani est; non esse vllos extra Ecclesiam Filios, aut bonos. Plura apud *Bell. l. 3. c. 9.*

QVÆSTIO XXXV.

An ex solis Prædestinatis constet Ecclesia, An etiam ex reprobis?

CALVINVS tria asserit: I. *Inst. l 3. c. 2. §. 8.* Fidem semel verè habitam nunquã deperdi posse; ideoq; omnem Fidelem verè prædestinatum esse. Sic & olim Iouianinus, teste *Hieron. libr. 2. contr. Iouin.*

II. Ecclesiam à solo Deo cognosci: *Inst. l. 4. c. 1. §. 2. &c.*

III. Externam esse Ecclesiam, in qua sint boni & mali,

SVADENT Istis. I. Quia, Cant. 4. Ecclesia est *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viuentis. &c.* quæ de Electis exponit *S. Augst. l. 5. de Bapt. c. 27.*

II. Quia in Arca Noë non fuerunt, nisi ex aquis saluandi: at ea fuit typus Ecclesiæ, ait *Aug. ibid. c. vlt.*

III. Quia Christus non est Caput, nisi illius Ecclesiæ, quam saluabit, & in iudicio extr. sibi exhibebit immaculatam.

IV. Quia, *Ioan. 10.* Ecclesia est vnum Ouile: at, ait, *Aug. tract. 45. in Ioann.* non sunt nisi prædestinati: ergo hi soli sunt in Ecclesia.

V. Similia olim Wickleff & Huss.

AVTOR. Reprobos quoque in Ecclesia esse 1. S. Scriptura testatur in meo Antichristo par. 2. q. 2. Ita & *S.* Patres: *Cypr. l. 3. Epist. 3.* prolixè docet in eadem Ecclesia esse triticum & zizania, vasa in honorem & contumeliam. Aug. tract 45. in Ioan. *Secundum præscientiam & prædestinationem, quam multæ oues foris, quam multi lupi intus?* 3. *S.* Aug. *Serm. 1. de Conuers.* ait Paulum fuisse prius lupum, dein ouem. Chrys. prius vas fictile, dein aureum: Iudam verò prius aureum, dein fictile. Item Iudas reprobus euasit, *Act. 1.* & tamen, ait *Aug. in Ps. 3.* filius Dei fuerat; &, *lib. de Vnit. Eccl. c. 13.* in Ecclesia fuit, in qua & cæteri Apostoli. Malè igitur Huss fingit, Paulum semper in Ecclesia fuisse; Iudam nunquam.

4. Quia si prædestinatio sola facit esse in Ecclesia iam Turcæ, Iudæi &c. necdũ Baptizati, sed prædestinati; forent in Ecclesia, viuaque membra Christi: & nunc pij Christiani extra eam forent, si non sint prædestinati: Vtrumq; falsum; quia S. Scripturæ contrarium. Denondum Baptizatis, Rom. 8. *Qui spiritum Christi*

non habet, non est eius membrum viuum: at reprobi habent spiritum diaboli; patet ex operibus. De piis baptizatis, 1. Cor. 12. *Omnes nos in vno spiritu in vnum corpus, baptizatisumus, & potati* Gal 3. *Omnes filij Dei estis per fidem:* & tamen non omnes Corinthios & Galatas fuisse prædestinatos credibile est.

DICO AD I. Non omnia in Canticis sunt de Ecclesia intelligenda. Deinde ibi tribuitur toti, quod conuenit parti: vt Matth 27. *Latrones blasphemarunt*; at vnus solus: Phil. 2. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt*, id est, multi.

AD II. Arca in hoc typus fuit Ecclesiæ, quod extra eam nemo saluus: Non in omnibus, Ecclesiæ similis est; alioquin omnis baptizatus esset prædestinatus, quia *1. Pet. 3.* Baptismus confertur cum Arca.

AD III. Christus est Caput Totius Ecclesiæ; non partes saluandæ solum ex gratia & merito; sed & damnandæ ex iustitia sua erunt.

AD IV. In ouili, præter oues, sunt etiam reprobi hædi, *Matth. 25.* Oues autem dicūtur tam reprobi, quam iusti: vt & *Ezech. 34.* de sanis ouibus & ægris dicitur: de omnibus, Ioann. vlt *Pasce oues.* Psal. 7. *Iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ.*

QVÆSTIO XXXVI.

An Ecclesia sit Visibilis?

LVTHERANI, teste *Frid. Staphylo in Apol. 1 par 3.* locuerunt Inuisibilem; Deinde ob absurda secuta, clam in hoc conuenerunt; *Nomine esse Visibilem, Re inuisibilem* LVTHERVS *lib. de seruo arb.* (obiicienti Melanchthoni; Incredibile, Deum tam diu Ecclesiam deseruisse: respondit, *Deum nunquam deseruisse; sed eam non esse hanc Papisticam: Paucos pios esse Ecclesiam: non illam quæ vulgò dicitur Ecclesia: & vtrumque semper in mundo sic fuisse.* Libro contra Catharinum: *Ecclesiam, ita esse Spiritalem, & sola fide perceptibilem.* Lib. de Missa priuata abrog. part. 1. *Quis Ecclesiam rebus monstrabit, cum sit occulta in spiritu, & solum creditur. Vnde Credo Ecclesiam Sanctam?* Magdeburg. Cent. 1 l. 1. c. 4. Veram Ecclesiam dicunt esse cœtum exiguum, numerosum, falsum; sicut, qua intratur, porta angusta est, & lata. Melanchthonin Locis: Ecclesia est Visibilis; at iuxta Dei verbum, soli electi & à Deo illuminati sunt Ecclesia. Sic & cæteri.

CALVINVS Instit. l. 4. c. 1. §. 7. *Bifariam de Ecclesia S. literæ loquuntur; Internam, intelligunt, quæ est reuera coram Deo.* Infra: *Nobis inuisibilem solius Dei oculis conspectam, credere necesse est.*

3. *Adamplexandam eo modo Ecclesiæ Vnitatem, nihil opus est ipsam oculis cernere, aut manibus palpare.*

SVADENTIBVS: I. Ierem. 3. *Dabo legem meam in cordib. eorum, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum* q. d. Fuit certus externus Ecclesia legalis; at Christiana æterna erit.

II. Luc. 17. *Regnum Dei non venit cum observatione; neque dicent, Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim Regnum Dei intra vos est.*

III. De cultu interno, Ioann. 4. *Venit hora, & nunc est, quando veri Adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.*

IV Heb. 12. *Non accessistis ad tractabile montem*, Sinai veteris Ecclesiæ; *Sed ad Sion montem, & Ciuitatem Dei viuentis*, nouam Ecclesiam spiritalem.

V. 1. Pet. 2. *Tanquam lapides viui superædificamini Domus spiritalis, Sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias.*

VI. Ecclesiam esse, creditur: ergo non videtur.

AVTOR. Ecclesia Dei verè est Visibilis. 1. Sic S. Scriptura in meo *Antichristo part. 2. q. 15.* Adde Sic præfigurata est Ecclesia: Ps. 2. *Dabo tibi Gentes, &c.* Psal. 21. *Convertentur ad Dominum fines terræ.* Isa. 49. *Ecce tibi de longè, &c.* Isa. 54. *Videbunt omnes fines terræ Salutare*

Dei.

Dei. Isaiæ. 60. *Omnes isti congregati sunt. &c.*

2. Nec soli Deo cogniti: nam Isa. 61. *Scietur in Gētib semen eorum: Omnes, qui viderint eos, cognoscent eos, quia isti sunt Semē, cui benedixit Deus.* Dan. 2. Christus est lapis excisus crescens in montem magnum, qui impleuit totam terram.

3. Omnes tenentur se Ecclesiæ adiūgere: iuxta Isa 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo:* ergo conspici debet. Item dignosci ab hæreticis: Vnde *Splendor eius sicut lux; ne.* ait August. l. 18. Ciuit. c. 32. *credentes ad obscuri nominis sectam transeant.*

4. Gloria Christi debet necessariò ex gloria visibilis Ecclesiæ claresceré. Hinc, 1. Tim. 3. *Eccl sia Columna. &c. Et manifestè magnum est pietatis Sacramentum*, sc. Incarnatio, *quod manifestatum est in carne, iustificatum in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum in mūdo, assumtum in gloria.* Et sic omnia, quæ dixit Scriptura de Christo incarnato Ecclesiæ quoque inferunt manifestationē. Vnde Aug. epist. 48. *Quomodo confidimus ex Scriptura nos accepisse Christum manifestum; si non inde accepimus Ecclesiam manifestam?*

Dico Ad I. Ieremias confert Vetus Testamentum cum Nouo; non Ecclesiam cum Ecclesia. Neque lex in cordibus scripta infert Ecclesiam inuisibilem.

Ad II. Loquitur ibi de suo aduentu primo vel de gratia.

Ad III. Agit ibi Christus de ritu modoque adorationis: non de loco: sc. *in spiritu*, contra corporales Iudæorum adorationes; *& Veritate*, contra Samaritanorum falsitatem. *Ita D. Thomas.*

Ad IV. Intelligitur per Sion Ecclesia triumphans, non Militans; ad quā spe, non re accessimus. Ita *Chrys. Theophil. S. Thomas.*

Ad V. Ecclesia dicitur spiritalis, nō secundum substantiam, vt Angeli; sed secundum Ordinationem; quia ordinatur ad spiritum, & dominatur in ea spiritus. Sic, 1. Cor. 2 dicitur *homo spiritalis:* 1. Cor. 15. *Corpus spirituale.*

Ad VI. Non Eccesia creditur; sed Sanctitas Ecclesiæ, quæ est inuisibilis. Aut, Videmus cœtum Ecclesiæ; quod autem is sit Ecclesia, hoc credimus. &c.

QVÆSTIO XXXVII.

An vera & Visibilis Ecclesia possit deficere?

Lvthero-Calvinistæ apud *Bell. l. 3. de Eccl. c. 11.* docent Visibilem Ecclesiam interdum errare in fide & moribus sic, vt penitus deficiat.

Svadent istis. 1. Quia, Adam & Eua à Deo apostatarunt. 2. Aaron totusque Israël apostatauit ad vituli latriam. *Exod. 32.* 3. Item tempore Heliæ. 3. Reg. 19. *Relictus sum ego solus:* Et illi 7000. nec Heliæ erant cogniti. 4. Tempore Christi pauci supererant fideles; tempore Antichristi, Luc. 18. *putasne Filius hominis veniens inuentet fidem?* 5. Non obstant factæ promissiones, quod non sit defectura: Nam *Leu. 28.* promisit se populum non abiecturam; abiecit tamen, *Osea, 2.*

Avtor. Visibilis Ecclesia nunquā potest deficere. 1. Ita *Verbum Domini*, quod *manet in æternum*, in meo *Antichristo p. 2. q. 15.* 2. Quia Regnum Christi æternat, quod est Eccl. Visibilis. Ps 88.

Thronus eius ſicut ſol in conſp. eius, & ſicut luna perfecta in æternum &c. Ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & Thronum eius ſicut dies cœli. Dan. 2. *Suſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* Luc. 1. *Et regni eius non erit finis.* quæ de Eccleſia Viſibili dicuntur. 3. Donatiſtæ dicebant, totam viſibilem Eccleſiam periſſe; ſolum in Affrica paucos de ea ſupereſſe Donatiſtas: Quos refutat *S. Aug. in Pſa. 101.* Inuiſibilem perire non poſſe Donatiſtæ æquè, ac Luthero-caluiniſtæ, aſſerebant.

4. Ratio. *Si* aliquando ſola eſſet inuiſibilis Eccleſia; eſſet etiam aliquando ſalus impoſſibilis ijs qui extra eam ſunt; Nam ingredi non poſſent eam, quam ignorant. *Item*: Illi, qui inuiſibilem faciunt, aut palam profitentur fidem, aut non: ſi palam; iam eſt viſibilis: ſi non; iam nulla eſt Eccleſia & ſalus. Quia, Rom. 10. *Ore fit Confeſſio ad ſalutem:* Nec eſt Eccleſia, vbi non eſt Confeſſio fidei.

DICO AD I. Illi duo non erant Eccleſia, ſed initium futuræ.

AD II. Moyſes erat ſummus Pontif. & Caput; is non errauit: Aaron tunc non erat Pontif. Nec totus populus defecit. Nam tribus Leui *erat Domini, congregatiq; ſunt ad Moyſen. &c.*

AD III. Iudæi non erant ſoli Eccleſia Vniuerſalis. Nec Iudæi omnes defecerunt, ſed ſolus Iſraël ſubiectus Regi Samariæ; Populus Iudæ ſubditus regi Ieroſolymitano.

AD IV. Tunc multi erant fideles. Ioann. 12. Act. 2. & 8. *Conueniebant viri religioſi ex omni natione.* Sub Antichriſto fides erit; etſi minus eximia.

AD V. Fuit ea conditionalis promiſſio: Eccleſiæ autem facta eſt abſoluta. Quin etiam, *Ego rogaui pro te*, NE DEFICIAT FIDES TVA, ſeu perſonalis, ſeu Chriſtiana vniuerſa, &c.

QVÆSTIO XXXVIII.

An Eccleſia Viſibilis poſſit errare?

CALVINVS, *Inſtit. lib. 4. c. 8. §. 13.* Inviſibilis Eccleſia nec deficere, nec errare poteſt in neceſſariis ad ſalutem: in aliis poteſt. Sic ferè Lutherani.

SVADENT iſtis. 1. Quia, *3. Reg. 22.* omnes Prophetæ 400. errarunt, excepto Michæa: 2. Iſa. 56. *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi.*

3. Pontifex, Sacerdotes, omnisque populus clamarunt: *Crucifige.* Et Apoſtoli fidem amiſerunt: iuxta Matth. 26. *Omnes vos ſcandalum patiemini.* Et Marc. vlt. *Exprobrauit incredulitatem eorum.*

Duas tamen reſtrictiones apponit: 1. Si reiiciat Traditiones, & nihil extra Scripturam proponat. 2. Vniuerſalis Eccleſia ſola non errat, ſi non extendatur ad Epiſcopos; qui ſinguli ſunt particularis Eccleſiæ.

AVTOR. I. *Eccleſia* Vniuerſa, etſi Dubitare in quibuſdam poſſit; vt in Conceptione immaculata B. V. Abſolutè tamen & pertinaciter nequit errare in Credendis, aut Faciendis; ſiue ea proponat ex Verbo Scripto, ſiue Tradito: idque tam in Vniuerſis fidelibus, quam in Epiſcopis repræſentatiuè.

1. Quia, ſic in Euangelio Dominus Vide meum *Antichriſtum par. 2. q. 6.* Adde 1. Tim. 3. *Eccleſia Dei eſt Columna & firmamentum Veritatis.* Non hic alit *Scripturarum Cuſtos*, vt Caluinus fingit. Nam fuit *Columna* tunc etiam Eccleſia, cum nulla eſſet S. Scriptura vſquam. Deinde, *Eph. 5. Vir caput eſt mulieris, ſicut Chri-*

Christus Caput Ecclesiæ in gubernando; itaque tenetur Christus ab ea remouere omnem; non Ignorantiam, vt vult Caluinus; *Sed* errorem in fide. Hoc, non illa, damnabilis est.

2. Ecclesia est *Sancta*, scil. in professione fidei Sanctæ: quare nil continere potest, nisi *Sanctum*, id est, Verum, quoad Doctrinam fidei; & Iustum, quoad præcepta morum.

3. Multa sunt de fide, non tamen ad salutem necessaria: Vt esse Scripturas Sacras: nã sine hac fide saluati sunt multi antè, quam essent *Scripturæ*. Vnde si vera esset Caluini sententia, multa fidei dogmata possent in dubium vocari.

4. Sic Patres. Quare Aug. in *Ps.* 118. *Disputare contra id, quod vniuersa Ecclesia sentit, insolentissimæ insaniæ est.*

II. Nec Ecclesia repræsentatiuè, errare potest. Quia populi tenentur suos sequi Pastores: Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Matth. 23. *Quæcunque dixerint, facite.* *Episcopi* autem repræsentant *Ecclesiam.*

DICO AD I. Isti 400. fuerunt pseudoprophetæ in Samariæ regno; at in Iudæa plures erant veri.

AD II. Istud *omnes* hîc, vt sæpè, non accipitur vniuersè, excepto nemine.

AD III. Illi habuerunt priuilegiũ non errandi, vsque ad Christum: iuxta Ierem. 8. *Peribit Lex à Sacerdote, &c.* Et pars populi clamabat, *Crucifige*. Apostoli tunc erant partes *Ecclesiæ* tantum materiales, & designati solum *Episcopi*: nã status *Ecclesiæ* cœpit in die Pentecostes perfectè. Et *ij* reprehenduntur de infidelitate quoad resurrectionem, nõ quoad cætera: Fidem autem resurrectionis nondum acceperant, *Ioann. 20. Luc. 18.* Et Magdalena, B. V. Maria. &c. interim ardebant fide, spe, & Charitate.

QVÆSTIO XXXIX.

ECCLESIÆ *Luthero-Caluinistæ* NOTIS *quid inest veri?*

LVTHERVS *lib. de Concilijs*; Notas septenas designat, & Legitimas. 1. *Prædicationem Euangelij*: 2. *Administrationem Baptismi.* 3. *Vsum Eucharistiæ.* 4. *Vsum Clauium* 5. *Electionem Ministrorum* 6. *Orationem, Psalmodiam, Catechismum.* 7. *Mysteriũ Crucis interna, vt pusillanimitas, terror; externa, vt persecutiones &c.*

Sic & CONFESSIO Augustana *art. 6. in Apolog.* Brentius, Centuriatores &c.

CALVINVS *Inst. l. 4. c. 1. § 9. 10. 11.* & Caluinistæ, priores quinq; reducunt ad duas: *Prædicationem Verbi sinceram, & Vsum Sacramentorum.* Addunt *Constantiam in Confessione fidei, & Obedientiam in Ministros Verbi.*

PRÆDICATIONEM hisce SVADENT Brentius, Melanchthon, Caluinus. 1. Ioann. 10. *Oues meæ Vocem meam audiunt.* Ergo vbi Auditus Verbi, ibi & Ecclesia. 2. Melanchthon, vbi est Verbum mundans, ibi est Ecclesia. Eph. 5. *Mundans eam lauacro fidei.* 3. Caluinus Matth. 18. *Vbi sunt duo vel tres. &c.* 4. Brentius, Ioann. 10. *Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est. &c.*

AVTOR. Nihil sufficientes hæ Notæ sunt ad demonstrationem Ecclesiæ; & vix dum ad probabilitatem.

1. Quia, Notæ debent esse propriæ, non communes: at Prædicatio cunctis Sectis est communis adeo; vt, quantumuis inter se pugnent, singulæ synceram veramque eam se habere pertendant. *Luthero-Caluinistæ* fatentur suam Prædicationem non carere Nævis: vt Lutherus *libr. de Ecclesia.* Verbum Dei est Nota; licet aliis magis, aliis minus purè prædicetur. Caluinus. §. 12. idem fatetur.

2. Quia,

2. Quia, Notæ esse notiores debent illo, cuius sunt Notæ: At de Vera prædicatione controuertitur, de receptione Verbi in animis nescitur: Et de vero sensu Scripturæ solum scitur ex testimonio Ecclesiæ, teste *August. l. de vtilit. credendi c. 14* Brentius *l. de Conf. Wirtenb.* ait, Ecclesiam habere ius & Testandi de Scriptura, & Interpretandi eam. Calvinus, *4. c. 1. §. 5.* Eam esse Custodem Scripturæ. Melanchthon. *in Locis* requirit testimonium Ecclesiæ ad lites dirimendas. At notior esse debet Custos, quam res custodita; Doctor, quam doctrina: Ecclesia, quam Scriptura; non contrà.

3. Quia, Notæ sunt inseparabiles à vera Ecclesia: at aliquando in Veris Ecclesiis Corinthiorum, & Galatarum nō erat sincera Prædicatio; *1. Cor. 1. Gal. 1.* Neque tamen errabant obstinatè, sed ignorabant. Item in falsa Ecclesia subinde potest esse vera prædicatio: Vt apud Schismaticos.

Dico Ad I. Auditus Verbi verus interior nemini est notus: ergo nec Nota.

Ad II. Mundatio item interna & ignota est.

Ad III. Id docet vbi sit Christus; non vbi Ecclesia. Vbi hæc est, ibi & Christus est; non semper contrà. Dein, *congregati in Nomine meo*, id est, Autoritate mea Vicario relicta meo: non cuicunque.

Ad IV. Non prædicatio, sed Receptio Verbi facit Deos; at hæc ignota est. Et Ecclesia fuit ante Scripturam; ideoque notior, vt Testis huius. &c.

II. Vsvs Sacramentorvm non est Nota. 1. Quia, de hoc non liquet inter Lutheranos & Caluinianos: &c quippe ideo separatos ab sese & aliis. 2. Quia, Ecclesia est notior Vsu; hic enim pendet ab illa, ceu & Scriptura, 3. Quia, Corinthiorum Ecclesia erat vera; & tamen Synaxios vsum non sincerum habebat.

III. Oratio & Psalmodia non est Nota: Quia, est exterior & cōmunis: interior est ignota nobis.

IV. Perseverantia in Confessione fidei non est Nota: 1. Quia hæc tam est dubia quam prædicatio & Vsus Sacramentorum. 2. Quia Lutherani aiunt, eam ante Lutherum diu cessasse in publico; sed latuisse inuisibilem. 3. Nulla Secta perseuerauit: nec potuit.

Notæ Veræ.

1. Catholica: 2. Antiquitas: 3. Duratio: 4. Multitudo credentium: 5. Successio Episcoporum. 6. Doctrinæ Consensus: 7. Vnio membrorum: 8. Sanctitas Doctrinæ: 9. Efficacia Doctrinæ. 10. Sanctitas vitæ. 11. Miracula. 12. Prophetiæ donum. 13. Confessio aduersariorum. 14. Infelix exitus hæreticorum. 15. Felicitas Romano-catholicorum. *Has multi reuocant ad quatuor.* Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam, *iuxta Concilium*

illum, Constantinopolitanum quas fugiunt Sectarii.

QVÆSTIO XL.

ECCLESIÆ Romano-catholicæ Notis quid veri subest?

LVTHERO-CALVINISTÆ videri, dicique affectant CATHOLICI; vt pleriq; hæretici, teste *August. lib. contra epist. fundamenti c. 4.* nosque vocitant Papistas, Romanenses, Pontificolas, Idololatras, Panicolas. &c.

AVTOR. 1. Ante MC. annos Romanensis idem fuit quod Catholicus, teste *S. Ambr. in funebri Satyri.* 2. Et *Chry. hom. 33. in Acta*, docet rectè nos vocari ab Vniuersali Rectore Ecclesiæ, scil. Papa. 3. Cyrillus Catech. 18. *Si ueneris in vrbem aliquam, non petas vbi sit Domus Dei; nam & hæretici dicunt se habere: Sed, vbi Catholica Ecclesia: id enim nomen huic proprium est.* Ita Patres apud *Bell. l. 4. de Eccl. c. 4.* Chryl. hom. 33. in Act. *Nobis nullus vir nomen dedit, sed Fides ipsa.* Pacianus epist. ad Sympronium: *Christianus mihi nomen est; Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat; istud ostendit.*

II. LVTHERO-CALVINISTÆ Catholicam oppugnant ANTIQVITATEM: vt, 1. Caluinus *Inst. l. 4. c. 2. §. 3.* Ex ea inuictum peti argumentum nequit. Nam Ismaël senior Isaaco; & tamen electus est. 2. Mutatio in Papatum non tota simul facta est, sed paulatim irrepserunt errores, vt certum tempus ostendi non possit. 3. Insignis tamen depravatio accidit sub annum 600. cũ Phocas Papæ concessit titulum, *Caput Ecclesiæ*, & aperuit Ecclesiam Pantheon. Ita Magdeb. & plerique Lutherani. 4. Caluinus *in præf. Inst.* ait, Suam Ecclesiam non esse novam, sed Antiquissimam, à Christo fundatam; sed non visam diu, nunc apparuisse.

AVTOR. 1. Sicut Deus prior diabolo; sic vera antiquior esse falsâ debet Ecclesia. Nam, *Matth. 13.* prius seminatum bonum semen, quam zizania.

2. Et Catholica dicitur, quia omni tempore duravit: Apostolica, quia ab Apostolis fundata est.

3. Quia, in omni Nouatione religionis demonstrari possunt, 1. *Autor*, 2. *Dogma*, 3. *Tempus*, 4. *Locus*, 5. *Oppugnator eius*, 6. *Cœtus succrescens.* At veræ Ecclesiæ Autor est Christus (vnde appellamur) prædicare incipiens Euangelium anno XV. Imperii Tiberii, in Iudæa; contradicentibus Scribis; cum paruo cœtu Apostolorum. Nec vllam originem aliam nostram docere vnquam possunt hæretici vlli; Nec autorem aliũ: Nec tempus certum nostræ defectionis; Nec Locum: adeo Vniuersalis Consensus cum vno Capite semper liquidò cõstitit: Nec vllum contra Romanos Cõcilium fuit celebratum legitimum, etsi hæreticum: Nec Rom. Ecclesia vlli alteri maiori seu minori adhæsit vnquam.

4. Hoc argumentum ab Antiquitate S. Patribus semper fuit validum & inuictum contra hæreticos.

DICO AD I. Ismaël non fuit figura Religionis; Gal. 4. *Hæc enim sunt duo Testamenta, duo filii Abrahæ.*

AD II. Nec vlla hæresis facta est tota simul; sed paulatim.

AD III. At post annum 670. celebratum est Conciliũ VI. generale, quod ipsi hæretici faciunt permagni; vt par. Et Iustinianus senior, annis ante Phocã fere 100. vocauit Papam *Caput Ecclesiæ:*

itemque & Concilium Chalcedonenſe. Et Antichriſtus pugnabit contra omnes Deos; ergo aperiens Pantheō Papa non eſt Antichriſtus: Inuocatio autem Sanctorum fuit ante S. Gregorium: quod mendaciter negat Melanchthon.

AD IV. Auguſt. lib 3 de Baptiſmo: *Donatiſtarum Eccleſia ſi periit, vnde ergo Donatus apparuit?* 2. Falſumne iſtud Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt* &c. Matth. vlt. *Ego vobiſcum ſum vſque. &c.* 3. Si latuit; aut fidem confitebatur; ergo manifeſta fuit; aut non confitebatur; ergo Eccleſia Nulla fuit, Nam aiunt Luthero-caluiniſtæ Notam Eccleſiæ eſſe Confeſſionem. 4. Dein; gloriam Eccleſiæ mirificam fore prædicarunt prophetæ; omnes mendaces forent, ſi latuiſſet. 5. Et ſemper hæreſes fuerūt; eæque ab Eccleſia vera ſegregata contra ipſam.

III. LVTHERO-CALVINISTÆ de ſua DVRATIONE malè ſperant. CALVINVS in præfat. Cetech. Geneuenſ. *De poſteritate ſic ſum anxius, vt tamen vix cogitare audeam. Niſi enim Deus mirabiliter è cælo ſuccurrerit, videre mihi videor extremam barbariem orbi impendere. Atque vtinam non paulò poſt ſentiant filij noſtri, fuiſſe hoc verum potius vaticinium, quam coniecturam.* Quia ſectam ſciebat ſuam merè humanam eſſe. Sic & MAGDEBVRGENSES *in præf. Cent. 2:*

LVTHERVS vix cœpit anno 1517. iam Cinglius anno 1525. ab eo deſciuit: Anno 1517. Anabaptiſtæ plurimos ei abſtraxerunt: Reliqui vix vlli puri remanſerunt, vt Illyricus cōqueritur *in præf. Centur.*

CALVINVS anno 1528. defecit à Cinglio, cum pleriſque Heluetiorum oppidis. Caluiniſtæ mox ſecti ſunt in Libertinos in Gallia, Puritanos in Anglia, Trinitarios in Polonia, Samoſatenos in Tranſyluania: iam Armenianos & Gomorriſtas in Hollandia, in Mitiores per Palatinatum Rheni.

AVTOR. Perſtat DVRATIO Catholica. 1. Quia eſt, Dan. 9. *Regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* Act. 5. *Si eſt ex hominibus Concilium hoc, aut opus; diſſoluetur: Si verò ex Deo eſt; non poteritis diſſoluere.* At hæretici, 2 Tim. 3. *Vltrà non proficient.* Aug. in Pſal. 57. *Multæ hæreſes iam emortuæ ſunt. Cucurrerunt in riuis ſuis, quantum potuerunt: decurrerunt, ſiccati ſunt riui; vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint.* E contrà, Leo ſerm. 1. de Apoſt. *Augetur perſecutionibus Eccleſia: ſemper Dominicus ager ſegetes diuinæ veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.*

2. Quia, ante Lutherum fuit ſolum Paganiſmus, Iudaiſmus, Mahumetiſmus Græci, Neſtoriani, Huſſitæ, & Romana Eccleſia: Et Lutherani fatentur apud nullos iſtorum veram Eccleſiam fuiſſe; ergo aut apud Romanam fuit; aut penitus ſtirpitus quod fieri nequit.

IV. AMPLITVDO autem eius ſucceſſiua omnes orbis oras comprehendit.

V. LVTHERO-CALVINISTÆ nullam habent SVCCESSIONEM EPISCOPORVM ab antiquo.

IACTANT tamen; 1. Legitimè vocatiſimus à populo & magiſtratu ad Epiſcopatus; non intruſi ſumus.

2. Papiſtæ fidem veram deſeruerunt: ergo non ſunt Epiſcopi amplius.

3. Caiphas ſucceſſit antiquis Pontif. nec tamen ab eo petierunt ordinationem Apoſtoli. Hæc Brentius.

4. CALVINVS Inſtit. l. 4. c. 2. 3. Non numeramus Epiſcopos Aſiæ, Africæ, Ægypti; quia periit ibi iſta Succeſſio.

5. Idem

3. Idem, In Græcia perstat Successio; nec tamen est vera Ecclesia.

AVTOR. SVCCESSIO EPISCOPORVM est apud Nos Omnino APOSTOLICA, index, Ecclesiæque Nota. At apud Luthero-caluinistas nec Ordinatio est *Episcoporum*, minus *Successio*: ergo neque vera Ecclesia. Hoc ariete semper S. Patres euerterunt hæreses. 1. Nec enim potest Ecclesia esse sine *Pastoribus*, teste Scriptura & S. Patribus: Et ij semper habiti sunt pro legitimis soli, quorum Successio & Ordinatio ab *Apostolis* descendit: omnes alii fures, qui ascenduntaliunde. 2. Sicut enim in *Lege* Sacerdotium per carnalem generationem propagabatur; ita in Nouo Testamento, per Ordinationem: Vnde 1. Tim. 4 *Noli negligere gratiam, quæ in te est; quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyteri* Prisci hæretici eo studiosius obseruabant Ordinationem; quo plus eos deficiebat *Successio*.

DICO AD I. Quomodocunque facta fuerit Electio Episcopi; Ordinatio semper vna fuit suique similis, facta ab Episcopis. Hac carent hæretici hodierni.

AD II. Calumnia est; dein & controuersia; qua nil probatur.

AD III. Sacerdotium Aaronicum durauit solum ad vsque Christum, vti temporale: Nouum Sacerdotiũ *Successionem* habet Christo, non Caiphæ.

AD IV. Si periit ibi *Successio*, ergo & Ecclesia: at apud nos constat Successio; ergo & Ecclesia constat. Periit ibi quidem Successio particularium *Ecclesiarum*; at non eis periit Successio Vniuersalis Romæ.

AD V. Hæreses notoriæ in Græcia interruperunt legitimam *Successionẽ*; sicut & in Septentrione.

VI. LVTHERO-CALVINISTÆ non habent CONSENSVM DOCTRINÆ cum S. Patribus; sed cum damnatis hæreticis.

DISSENTIVNT à S. Patribus LVTHERANI, testibus Centuriatoribus, qui singulis Centuriis subtexunt catalogum Patrum, quæ nobiscum docent; vocantque *Naues Patrum*. Vide *Bell. l. 4. de Eccl. c. 9.*

CALVINVS in Instit. passim fatetur, oppugnans Nostra, se tori repugnare Antiquitati. Vt de libero arbitrio, se nullum sequi, excepto Augustino: Quem & ipsum tamen mox reiicit: Vt, de subiectione Christi sub Patre, & iam quoad Diuinitatem: De concupiscentia: De satisfactione.

CONSENTIVNT cum hæreticis damnatis per primos 700. annos: de quibus catalogizarant &c. Irenæus, Hier. Epiph. Philastrius, Augustinus, Theodosius, Damascenus. &c. Nam reuocarunt damnatam hæresin: 1. Simonianam & Eunomianam, *de Sola fide*. 2. Florinianam, *Deum ipse causam peccati*. 3. Origenis: *Adam perdidisse imaginem Dei*. 4. Pepuzianam, *de mulierum Principatu in Ecclesiasticis*: 5. Procli, *Concupiscentiam esse peccatum*. 6 Nouatianam: *de Pœnitentiæ contemtu*. 7. Sabellianã, *de Vna Persona in Trinitate*. 8. Manichæanam, *de seruo arbitrio*. 9. Donatistarum, *Ecclesiam solis constare iustis: Visibilem periisse Eccles. Romouendas, aras, templa, Sacerd. &c.* 10. Aërianam, *contra homouesiam*. 11. Arianam, *de neglectu orationis pro defunctis*. 12. Vigilantii & Iconoclastarum, *de hogiomachia imaginum, reliquiarum, Sanctorum*. 13. Petrobrusinam, *de idololatria Missæ*. 14. Iouinianam, *de baptizatorum impeccabilitate; contra ieiunium, de Virginitatis & Con-*

iugij æquali merito. 15. Pelagianam; *Naſci infantes ſine peccato originis, & omne peccatum actuale eſſe mortale.* 16. Neſtorianam, *Duas in Chriſto perſonas eſſe: Et in aſſeruata Euchariſtia extra vſum non eſſe Corpus Chriſti.* 17. Eutychianam: *in Chriſto vnam eſſe naturam.* 18. Lampetianam, *Vota monaſtica non obligare.* 19. Xenaianam Perſæ: *Chriſti & Sanctorum imagines non venerandas.* 20. Sacramentariorum; *Chriſti carnem non eſſe in Euchariſtia; ſed ſolam figuram ſeu Efficaciã.*

VII. LVTHERANI & CALVINIANI, vt in multis conſentirent, in multis tamen mirificè diſſentiunt: adeò nullam habent VNIONEM MEMBRORVM, ſeu vno cum Capite, ſeu inter ſeſe.

1. LVTHERVS lib de Votis monaſt. *Mendacia certius dignoſcere non poteſt, niſi quando ſibimetipſis contraria ſunt. A Deo enim ita ordinatum eſt, vt impij ſemper ſeipſos confundant,* Ioann Cochlæus in Septicipite collegit LVTHERI contradictiones, dequeare. ticulo vno 36. ſententias; 2. Confeſſionem Auguſtanam toties recoxerunt, vt ipſi nesciant nunc, quæ vera ſit, teſte Harmonia Fabritii. 3. Lutherani vixdum nati, ſimul ſciſſi ſunt in Anabaptiſtas, Confeſſioniſtas, Sacramentarios, &c. quorum oda pugnaſque vide in *Bell. l. 4. de Eccl. c. 10.*

CALVINVS *in præfat. Inſtit.* ait, mirum non eſſe, ſi è ſua religione mox oriantur ſectæ contrariæ; nam id & Apoſtolorum accidiſſe Eccleſiæ; è qua prodierunt Simoniani, Nicolaitæ. &c. Sathan enim ſemper bono ſemini zizania ſuperſeminat. 2. In *Inſt. l. 4. c. 13. §. 14.* Ex Vnione mutua Papiſtatum liquet, non veram eorum eſſe Eccleſiam: tot enim ſunt Schiſmata, quot monaſteria. olim Monachi ad Eccleſias Ordinariorum concurrebant; iam monaſteria ſingula propriũ habent altare. 3. Sectas habent Thomiſtarum, Scotiſtarum. &c.

AVTOR. Mirifica ſemper VNIO MEMBRORVM & vno cum Capite, & Inter ſeſe extitit in Eccleſia vera. Adeo omnes retro ſæculorum Scriptores, tot tamque diuerſarum nationum ac linguarum; tot & Pontificum, & Conciliorum Decreta, & dogmata, contra tot hæreſes, Schiſmata, morumque corruptelas ac rituum, &c. ſemper conſenſerunt, vt hodieque: Quia omnes ſenſus ſuum ſenſui vnius Capitis ſubiecere; & inter ſeſe Vnum ſentire. Vide *Bell. l. 4. c. 10. Nec enim,* 1. Cor. 14. *diſſenſionis eſt Deus, ſed pacis.* Et Matth. 12. *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur.*

DICO AD I. Eccleſiæ veræ doctrina per ſe gignit Vnionem; hæreſis verò per ſe parit diuiſionem. Et in Eccleſia eſt norma componendi diſſenſiones ſubortas, determinante vel Papa, vel Concilio: pertinaces autem eiiciente, vt hæreticos: At apud hæreticos non eſt regula moduſque conciliandi, vel eiiciendi, vel terminandi lites.

AD II. Mendacium eſt, Monachos olim ſemper in parochiis ſynaxes egiſſe, nam & proprias aras & ſacra habuerunt, vti hodie monaſteria. Nec ea ſunt Schiſmata, cum aræ materialiter plures ſint, formaliter vnæ.

AD III. Scholaſtici non diſſentiunt in rebus fidei, ſed adiaphoris: ſecus hæretici; quorum lites de articulis fidei vide in Hoſio libr. 1. contra BRENTVM. &c.

VIII. LVTHERO-CALVINISTIS nulla eſt SANCTITAS DOCTRINAE. 1. Lutherani vehunt ſpiritum precum; & tamen fides eorum nulla Orationem Dominicam; Nam ſi credo, Nullum me habere peccatum, mentior orans, *Dimitte nobis debita noſtra &c.*

CALVINISTÆ ſciunt, Anabaptiſtas errò credere, *ſe eſſe iuſtos*; & tamen eos damnant, negantque poſſe iuſtificari, niſi conuertantur. Item docent, *Omnia abſoluta neceſſitate euenire; Deum eſſe cauſam peccatorum:*

Luthe-

Lutherani verò ab hoc abhorrent plurimi.

AVTOR. Ecclesia SANCTA est: quia professio eius est Sancta seu Fidei, seu Morum: adeo Ps. 118 est *Lex Domini immaculata, testimonium fidele, præceptum Domini illuminans.* Sola igitur ea est Vera: alia nulla, seu Paganorum, seu Philosophorũ, seu Mahumetistarũ, seu Iudæorum, seu Hæreticorum, seu Luthero-calvinistarum: ob compl ura quæ continẽt absurda. *Bell. l. 4. c. 11.* At verò, Aug. l. 2. Ciuit c. 28 *Nihil in Christianis Ecclesiis turpe & flagitiosum spectandum, imitandũq; proponitur: vbi veri Dei aut præcepta insinuantur; aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.*

IX. EFFICACIA DOCTRINÆ nota est Ecclesiæ, per eam omnes orbis oras conuertentis; testibus ipsis Centuriatoribus ordine sæculorum: de sua Nouitate nil tale valentibus memorare.

X. DOCTORVM in Ecclesia vera SANCTITAS mirifica est: vt Bernardum, Dominicum, Franciscum ipsi fateantur sanctos fuisse, Lutherus *l. de Captiuit. Bab. c. 2.* Melanchthon, *in Apologia art. 5 & 27.* At hæresiarcharum superbia fuit semper non ferenda: Inprimis Lutheri & Lutherani populi, testibus ipsis Lutheranis. *Bellarminus lib. 4. cap. 13.*

XI. LVTHERO-CALVINISTIS nulla est MIRACVLORVM GLORIA.

LVTHERVS, *teste Strabylo* tentauit de sua discipula dæmonem eicere; at periculum erat, vt ipse pene occideret. E. Nesenum in Albi subuersum nitebatur vanis murmurationibus resuscitare; at mortuo canebat, teste *Cochlæo in Actu Lutheri anno 1523.* Sic an. 1558, in finibus Poloniæ Matthæus prædicans persuasum, vt se mortuum fingeret, vere mortuum effecit, testibus *Lindano in Dubitantio. Alano Capo l. 6. Dial.*

Similem attentationem Caluini testatur *Bolsecus in vita eius cap. 13.* Iniuriam, ait Caluinus, faciunt nobis, qui miracula exigunt; cum Doctrina nostra sit perantiqua, & Apostolorum ac Martyrum confirmata miraculis: Nec Baptista patrauit vllum miraculum; *Ioann. 10.*

AVTOR. Ecclesia vera Luxit, Lucetque MIRACVLIS veris; quæ ad nouam olim fidem necessaria erant, & sufficientia ad insignem demonstrationẽ. 1. Teste *S.* Scriptura de Moyse, Iosue, Helia. &c. de Christo, Apostolis. &c. 2. Nulla secta vllo claruit vnquam miraculo teste. *Bell. c. 14.*

XII. LVTHERO-CALVINISTIS nullum est PROPHETIÆ DONVM.

LVTHERVS se ipse iactauit prophetam & Heliam Germanicum, teste *Cochlæo anno 1525.* Prædixit anno 1525, si duos adhuc prædicaret annos, fore vt euanesceret Papa, Cardinales, Episcopi, Monachi, turres, campanæ, Missæ: at prædicauit fere XXII. annis pòst, mortuus anno 1546. & illi sunt, eruntque. 2. Thomas Muncerus se Gedeonem venditauit; rusticos in arma vocauit; prædixit victoriam certam, globosque manuâ se excepturum. At illi cæsi, captus ipse securi percussus est. 3. Anno 1533. dixerunt diem iudicii instare; agri, aratraque cessant; dictus adest dies; sed non iudicii; nisi de sua falsitate. Teste Cochlæo.

CALVINVS sua sibi fata cecinit; vt supra ostendi.

AVTOR. In Romana Ecclesia sole clarior viget Prophetia, gratis data.

XIII. LVTHERI, lib. contra Anabaptistas, CONFESSIO est. *Fatemur plurimum esse boni Christiani; imò omne bonum Christianum; atque illinc ad nos deuenisse. Quippe fatemur, in Papatu veram esse Scripturam S, verum baptismum, verum Sacramentum altaris, Veras Claues ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium verum Catechismum Dico insuper sub Papatu verum Christianitatem, imò verum nucleum Christianitatis esse.*

CALVINVS *Inst. c. 10. §. 17.* S. Bernardum *Pium Scriptorem. &c.*

AVTOR. Vera eſt CONFESSIO de Veritate Eccleſiæ Romanæ, Ethnicorum, Iudæorum, Hæreticorum, Turcarum. &c.

XIV. LVTHERO-CALVINISTARVM, omniumque hoſtium Eccleſiæ, infelix ſemper exitus fuit.

XV. Felix autem Proſperitas, cum Deo, Eccleſiæ veræ fuit, eſt, erit.

VII. DE CLERICIS.

QVÆSTIO XLI.

Rectene hi Clerici, iſti Laici appellentur?

LVTHERO-CALVINISTÆ, quod rem attinet, haud negant, miniſterium Verbi & Sacramentorum non ex æquo ad omnes pertinere: vocem tamen Cleri auerſantur.

LVTHERVS lib de abroganda Miſſa priuata, par. 1. *Quod noſtra tranſlatio habet:* Non dominantes in Cleris, *interpretis incuria fuit, qua fecit, in Clerum hoc loco intelligerent, quos nunc à Laicis diſcernit impia hominum traditio.* Infra. *Hoc dixiſſe contenti ſumus; Chriſtianum populum eſſe ſimplicem; in quo prorſus nulla ſecta, nulla differentia perſonarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus vnctus, nullus raſus, nullus Monachus eſſe debeat.*

CALVINVS Inſtit. l. 4. c. 4. §. 9. *Hæc appellatio aut errore, aut certè ex prava affectione nata eſt: cùm tota Eccleſia Clerus, id eſt, hæreditas Domini, à Petro dicatur:* Idem ad 1. Pet. 5. *Vtinam Patribus nunquam veniſſet in mentem, vt hac voce vterentur.* Gal. 3. *Omnes enim vos Vnum eſtis in Chriſto Ieſu.*

AVTOR. I. Diſtinctio Clericorum & Laicorum eſt omnino Chriſti, Ioa. 15. *Ego elegi vos*, ſcil. è turba. 2. Eſt Apoſtolica, 1. Pet 5. *Non Dominantes in Cleris.* 3. Eſt Canonica in deſcriptis à S Clemente Canonibus Apoſtolorum, *Can 3. 12. 15.* 4. Eſt ea antiquiſſimorum Patrum, & Conciliorum: apud *Bellarm. lib. de Clericis c. 1.*

II Vnitas & Simplicitas populi Chriſtiani eſt, quæ deſcribitur Eph. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & Pater omnium.* Vt vnum dicant, idem ſentiant, & non ſint in eis ſchiſmata. Hæc ſimplicitas procul à Lutheri caluiniſtis exulat. 2. Nec Cleri & Populi diſtinctio cum Vnitate ea pugnat magis, quam membrorum diuerſitas cum Corporis Vnitate. 1. Cor. 12. *Si totum corpus oculus; vbi auditus? &c. Et ſi omnia eſſent vnum membrum, vbi Corpus? Nunc autem multa ſunt membra, vnum autem corpus.* 3 S. Petrus uce, *Cleri*, alluſit ad Leuitas, *Deut. 18. Num. 18.* à quibus ſors natiuitatis tranſiit ad Chriſtianos ſorte Electionis.

SVASIONES contrariæ ex his corruunt vltrò.

QVÆSTIO XLII.

Ius Eligendi, Ordinandi, Paſtores, ſeu Miniſtros eſtne Populi, an Epiſcoporum?

LVTHERVS *lib. de poteſt. Papæ* Illyricus & Centuriatores, Brentius, & Kemnitius &c. Itemque CALVINVS Inſtit. l. 4. c. 15. *Habemus eſſe hanc Legitimam ex Verbi Dei Miniſtri vocationem, 1. Vbi populi conſenſu & approbatione creantur, qui ubi fuerint idonei. 2. Præeſſe autem Electum debent Paſtores: ne quid per leuitatem, vel per mala ſtudia, vel per tumultum à multitudine peccetur.* Volunt igitur: *Vocare & Eligere* Populi eſſe, Iure diuino; non Papæ, non Principis, non Canonicorum: 1. Ordinare

nare verò, Pastorum tantum; sed nomine Populi, quem repræsentant Pastores. Plura infra quæst. 44.

AVTOR. Iure diuino Potestas Eligendi Ordinandique est penes Episcopos solos. 1. Ita S. Scriptura, in meo *Antichristo part. 2. q. 13.* 2. Ita S. Cõcilia & S. Patres vniuersi. 3. Quod si Sacrum Clerum Eligere & Ordinare nefas est Sacerdotibus; quanto magis Laicis?

4. Et illius tam constans Ecclesiæ est Consuetudo, vt *à Sæculo non sit auditum*, Episcopum à non Episcopo ordinari: vt nec vlla vnquam hæretica licentia tale quid vsurpârit. Lutherum Orthodoxus Episcopus ordinauit Sacerdotem; Episcopum nemo, nisi ipse. *Esse quia vult, sit Deus Alexander*; ait Laconicus Sarcasmus. Et ipse ictum se telo fœmur adspiciens irrisit isto: *Ecce Deum Ammonium.*

5. Ipse Caluinus Instit. l. 4. c. 3. § 16. *Licet nullum extet certum præceptum de Manuum Impositione; quia tamen fuisse in perpetuo vsu Apostolis videmus, illa tam accurata eorum obseruatio, Præcepti vice nobis esse debet.* Infra: *Hoc habendum est, non vniuersam multitudinem manus iuposuisse Ministris*, id est, Sacerdotibus: nam Episcopos vocat Pastores.

Iam sic argumentor. Non sunt veri Pastores, id est *Episcopi*, qui nõ sunt per manum Impositionem à veris Pastoribus ordinati: Atqui tales sunt Lutherus, Zvvinglius, Caluinus &c. Ergo. Nam istud S. Hieronymi Epist ad Euagrium approbat Caluinus: *Quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?*

6. Ordinationem Romano-catholicam nihili facit Caluinus Instit. l. 4. c. 5. §. 3. *Ordinatio nihil est aliud, quam merum ludibrium.* Sic & Kemnitius: Ergo Lutheri, Caluini, &c. Ordinatio ipsis nulla fuit; & nec illis Sacerdotes fuerunt, nec Episcopi: neque à populo ordinari potuerunt.

Sequitur porrò: Cùm veros Episcopos non habuerint, nec veram Ecclesiã habuisse vnquam. Quia bene Caluinus Instit. l. 4. c. 3. § 4. *Sequuntur Pastores & Doctores, quibus carere nunquam potest Ecclesia. Est enim Ecclesia*, ait S. Cypr. epist. 9 l 4. *plebs Episcopo adunata, & Pastori suo Grex adhærens.* Hoc argumento S. Hieron. in Dialogo contra Luciferianos, Hiliarium hæreticum constrinxit.

Vnum super refugium est Caluino ibi!. *Apostolos postea quoque, vel saltem eorum loco Euangelistas interdum excitauit Deus*, (vt Lutherum, ipsum. &c) *vt nostro tempore factum est. Talibus enim, qui Ecclesiam ab Antichristi defectione reducerent, opus fuit. Munus tamen ipsum nihilominus Extraordinarium appello: Quia in Ecclesiis ritè constitutis locum non habet.*

AT, infelix effugium! Nam semel constituta à Christo Ecclesia ruere non potest: vtpote fundata supra Petram, nõ arenam: quocirca nouis haud eget Apostolis: præsertim qui sine signis venerunt non missi; vti Lutherus, Caluinus, Ari⁹, Mahumet. &c.

7. Denique, *Act. 14.* Paulus & Barnabas, *Episcopi* & Apostoli constituebant per ciuitates Presbyteros; non populus, non Magistratus ciuilis. Ad Titum 1. *Huius rei gratia reliqui te* Episcopum *Cretæ, vt constituas per ciuitates Presbyte-*

byteros; *Sicut ego constitui tibi.* Et Flacciani *Cent 1. l. 2. c. 2.* primos Episcopos ab Apostolis esse constitutos fatentur.

QVÆSTIO XLIII.

Sitne Pastorum Electio immediate à Deo solo, aut ex carnali propagine?

IOAN. WICLEF & HVSS, teste *Tho. Walden. 2. doctrina fidei c. 39. & 40.* Solius Dei esse aiebant, Pastores eligere. Quia solus nouit prædestinatos pios; quales Pastores oportet esse. Eorum articuli in Concilio Constantiensi Sess. 8. damnantur tales. *Prælatus præscitus & malus non habet potestatem super Fideles*: Et, *est aquiuocè Pastor*, Et, *Non electioni hominū, sed operibus eius oportet credere.*

AVTOR. Deus, *1. Reg 10.* elegit Saulem; at dein reprobum: Christus Iudam; Ioan. 6. *Nonne ego vos XII. elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Apostoli inter Diaconos, *Act. 6.* Nicolaum elegerūt præsulem. *S.* Patres consentiunt, improbos Episcopos esse tamen veros: vt Ioann. 11. *Caypbas, cum esset Pontif. anni; illius, prophetauit.* Electio autem per Sortes etsi, *Act. 1.* ab Apostolis vsurpata ex priuilegio, tamen recte ab Ecclesia est prorsus omissa. Vide *Bell. l. 1. de Clericis c. 6.* De Luthero caluinianis Prædestinatis sileo. VVicleffizant.

11. HEBRAEIS nascebantur Sacerdotes, Tribu Leuitica semel à Deo ad id destinata; Benetunc.

AVTOR. At Christianū non decebat Sacerdotium propago carnalis. 1. Quia sunt Sacerdotes *secundum ordinem Melchisedech.* Hebr. 7. Ideoque *sine patre, sine matre, sine Genialogia.* 2. Sic prædixit Isa. 66. *Assumam ex eis Sacerdotes & Leuitas. &c.* Aliud est, vt Sacrificium, sic & Sacerdotium, in Nouo Temento.

QVÆSTIO XLIV.

Ius eligendi Papam & Episcopos. &c. An sit Populi de iure diuino?

LVTHERO-CALVINISTÆ *suprà q. 41.* affirmant.

SVADENT istis. 1. Quia, ait Caluinus, veteres popularem electionem vsurpabant. Sicut in politicis, electio Regis est Populi. Cætera argumenta colligit ex Luthero Brentio, Caluino, *Illiricus l. de electione.*

2. Quia, Matth. 16. *Tibi*, vt Ecclesiam repræsentanti, ait Aug. tract. 124. in Ioann. *dabo claues. &c.* 3. Matth. 18. *Quæcunque alligueritis:* Qui alii? *Dic Ecclesiæ*, id est, Populo.

3 Episcopi sunt Ministri Ecclesiæ, non Domini: *1. Cor. 3. 1. Pet. 5.* Ecclesia autem, 1. Tim. 3. *est Columna veritatis* ergo penes hanc, non illos, summum est tribunal.

4. Quia, *Act. 1.* Tota Ecclesia elegit Matthiam & Barnabam; non Apostoli.

5. *Act. 6.* Multitudo credentium *elegerunt Stephanum.*

6. Act. 14. *Cùm constituissent*, χειροτονησαντες, id est, elegissent per suffragia, *illa per singulas ciuitates Presbyteros.*

7. Quia sic docet S. Cyprianus, & Conc. Nycænum, & II. generale: Et sic vsus per 1300. annos in Ecclesia.

AVTOR. Electio non est Plebis vllo iure.

1. Non diuino, patet in *Antich. 3. part. 2. quæst. 17.* itemque suprà *q. 42.*

2. Adde, Hebr. 5. *Nemo sumit sibi honorem; sed qui vocatur, vt Aaron:* qui Moyse, non à Populo est electus.

3. Iure diuino & naturali Episcopi sunt Pastores plebis: *Act. 20. 1 Pet. 5.* Non controuertitur. At Pastorum est Pascere, id est, Regere; ad quod *Eligere* quoque pertinet.

4. Apo-

4. Apostoli ad procul dissitas gentes mittebant Episcopos; ergo ipsi, non gentes, eligebant. Neque populus, præsens Apostolis, eligebant; quia vnus populus non potest alteri Pastorem eligere: vt cõtrà fingit Kemnitius absque testimonio vllo.

5. Sic Concilia, & S. Patres.

6. Plura sequentur incommoda ex populari electione, *B. ll. c. 7.*

Dico Ad I. Vsurpatio fuit surreptitia, ideo & sublata est. Nam postulatio testimonii à populo fiebat de vita eligendi, (vt est tantò acceptior,) & degenerauit in Consuetudinem, Apostolicæ contrariam constitutioni.

Ad II. Augustinus ideo ait Petrũ in persona Ecclesiæ Claues accepisse, quia in eius vtilitatem accepit, & transmissurus ad posteros erat.

Ad III. Prælati sunt Ecclesia, vt pars melior, ideoque maior; iusq; habet soluendi, &c.

Ad IV. Episcopi sunt ministri Ecclesiæ, eam regendo, non ei obediendo.

Ad V. Chrysostomus, ait, id Petrũ fecisse ex concessione; non necessitate. Et ab exemplo vno non valet argumentum contra legem.

Ad VI. Idem dico. Dein, ea erat electio Diaconi, non Episcopi.

Ad VII. Grammaticè ita significat χειροτονέω: at Ecclesiasticè est *Ordinare per manuum impositionem.*

Ad VIII. Vide *Bell.* Postulationem populi fuisse, non Electionem: Sicque loquuntur historiæ &c.

QVÆSTIO XLV.

An sint Ordines Sacri septeni; Et quæ officia singulorum?

Lvtherani (vt Kemnitius in *Exam. Trid. Sess. 23.*) numerum Ordinum septenarium reprehendunt: Statuuntque ternarium: Episcoporum, quos *Pastores*: Presbyterorum, quos *Seniores*, seu *Doctores*, vel *Ministros verbi* dictitant; & Diaconorum. Exorcistas plane reiiciunt: reliquos aiunt à Pastoribus pro necessitate assumi cooperatores.

Svadet Kemnitius, 1. Quia, S. Dionysius tres solum numerat. 2. Canones Apostolorum quinos. 3. S. Ambrosius item quinos. 4. S. Ignatius plures quam septem. 5. Canonistæ addunt Psalmistam.

Calvinvs consonat Kemnitio, *Instit. l. 4. c. 4. §. 19.* Quia, ait, S. Hieronymus numerat quinque ordines.

Avtor. Semper in Ecclesia viguerunt Ordines septem, qui ad Eucharistiæ ministerium certo ritu referuntur; Minores quatuor, Ostiar. Lect. Exorc. Acoluthorũ. Maiores tres, Subdi. Diac. Presbyterorum. Sic Clemens, Ignatius, &c. &c S. Patres, & Concilia. *D. Thomas. p. 3. q. 37. art. 2.*

Tres Sacri sunt ex Institutione diuina: habentque Antiquitatem parem Ecclesiæ primitiuæ omnes septem. Mentitur itaque Caluinus dicens, *Primitiuæ Ecclesiæ incogniti fuerunt, & multis postea annis excogitati.* Bell. l. 1 c. 12.

Dico Ad I. S. Dionysius numerum triũ dedit Hierarchiarum militantis Ecclesiæ, non Ordinum.

Ad II. S. Dionysius instituit nusquam omnes referre; sed ex occasione iam hos, iam istos.

Ad III. S. Ambrosius non negat alios duos: quos obseruauit facto.

Ad IV. S. Ignatius etiam impropriè dictos numerauit.

Ad V. Canonistæ quia distinguunt Episcopum à Presbytero, Lectorem à

Cantore, nouem conſtituunt: non ſic Theologi: Neque tamen eſt diſſenſio: quia illi eos referunt ad Hierarchiã, hi ad Euchariſtiam.

AD VI. Hieronymus loquitur de ordinibus Chriſtianorum, non Clericorum. &c.

II. CALVINVS *Inſtit. lib. 4. cap. 4. §. 9.* Oſtiariorum Ordinem negat, & iidet; officium ianitoris eſſe dicit: non docet. 2. Lecturam item tyrocinium prædicaturæ fuiſſe, vt aſſueſcerent ferre populi conſpectum, & plebi innoteſcerent. 3. Exorciſtas ait, gratiam gratis datam fuiſſe, non ordinem. 4. *Acolutus*, vult eſſe vocem magicam, & linguis ignotam: idem quod Cubicularius Epiſcopi, & ceroferarius. 5. Subdiaconos vult ſolum in curandis pauperibus inuiſſe Diaconos. 6. De Diaconis nos inter & hæreticos conuenit ex *Act. 6.* Etſi nos plura eis tribuamus.

AVTOR. Dicit iſta Caluinus; non docet. Docent autem S. Patres & Concilia nos recte ſentire, & ſua ſingulis officia ordinibus aſſignare ſancta, apud *Bell. c. 14.*

QVÆSTIO XLVI.

Sitne Epiſcopus maior, an par Sacerdoti?

LVTHERANI, vt Kemnitius in Exam. Seſſ. 23. Trid. Eraſmus annot. ad 1. Tim 4. æquant vtroſque.

CALVINIANI item autore Caluino Inſtit. l. 4. c. 4. §. 2. *Quibus*, ait, *docendi munus iniunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros: illi ex ſuo numero in ſingulas ciuitatib. vnũ eligebant, cui ſpecialiter dabant titulum Epiſcopi ne ex æqualitate, vt fieri ſolet, diſſidia naſcerentur. Neque tamen ſic honore & dignitate ſuperior erat Epiſcopus, vt dominium in collegas haberet; ſed quas partes habet Conſul in Senatu, vt referat de negotiis, &c. autoritate totam actionem regat, & decretum exequatur. Atque id ipſum pro temporum neceſſitate, fuiſſe humano conſenſu inductum fatentur ipſi Veteres.*

SVADERE id conantur 1. Phil. 1. Paulus, &c. *Omnibus Sanctis, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconibus.* Et Presbyteri dicũtur Epiſcopi: Sic & Tit. 1. *Conſtituas per Ciuitates Presbyteros: &c. Oportet Epiſcopum ſic reprehenſibilem eſſe.* 2. 1. Tim 3. *Gratia &c. data eſt tibi per impoſitionem Presbyterij*: ergo Presbyter poteſt ordinare Epiſcopum vt par parem. 3. Act 20. *In quo vos poſuit Sp. Sanctus Epiſcopos, regere Eccleſiam.* 1. Pet. 5. *Seniores obſecro conſentior, pascite Gregem Dei, prouidentes, ἐπισκοποῦντες.* S. Hier. in c. 1. Titi. *Epiſcopi norint, ſe maiori Conſuetudine, quam Diſpoſitione Dominica veritate Presbyteris eſſe maiores.* Pluraminuſcula vide *in Bell. l. 1. c. 15.*

AVTOR. Sanctè Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. Can. 7. *Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores &c. anathema ſit.* Diſtinctè tria. 1. Iure diuino Epiſcopus eſt præ Presbytero, in poteſtate Ordinis. 1. Quia ſoli Epiſcopi Ordines Sacros conferre poſſunt; Presbyteri ex ſuo charactere Sacerdotali non poſſunt. At Ordinatio eſt Sacramentum, vt Caluinus concedit; proinde à Deo inſtituta ſolo: ergo q maior Ordinis poteſtate; maior eſt etiam iure diuino. 2. Item Epiſcopus poteſt dare Sacramentum Confirmationis, templa, aras que conſecrare; Presbyter non poteſt. 3. Item, *Act 8.* Apoſtoli, quibus ſuccedunt Epiſcopi, ſunt miſſi vt per manuum impoſitionem darent Spiritum Sanctum baptizatis; quod Presbyteri non poſſunt. 4. Sic Patres.

II. Epiſcopus iure diuino maior eſt Iuriſdictionis poteſtate. 1. Quia in Lege

Lege tres erant Ordines, Pontificum ab Aaron: Sacerdotum, â filiis Aaron: & Leuitarum, qui ab Leui oriundi: At hi tres erant iure diuino distincti in potestate quà Ordinis, quà Iurisdictionis, sic, vt summus, medius, imus esset, vnusque altero maior. *Exod. 28. 40. Leu. 8. Num. 3. 4. 20.* vbi de distinctis eorum consecrationibus, vestibus, & officiis. Nec ratio est, vt in Veteri, quàm Nouo Testamento, distinctior sit hierarchia. Illis verò succedunt hodie Episcopi, Presbyteri, Diaconi: ergo non minus, acilli, distincti sunt. 2. Quia Christus XII. Apostolos delegit ex LXX. Discipulis: vt illi hisce iure diuino maiores fuerint: At Apostolis Episcopi, Discipulis Presbyteri succedunt; ergo pari vtrinque iure. 3. Qua Patres Episcopis dictum volunt. Matth. 24. *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam:* at hæc institutio est iuris diuini. Sicut & istud, Act. 20. *Attendite vniuerso Oregi, in quo vos Spiritus Sanctus constituit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* 4. Sic vsus habet à Christo & Apostolis huc vsque: Sic & S. Patres.

III. Episcoporum Autoritas in Cœtu Presbyterorum est vt Principis ac Iudicis in Concilio consiliariorum sibi subditorum: non vt Consul in Senatu. 1. Patet è S. Literis in *Antichristo meo p. 2. q. 18.* 2. Sic Patres, & Concilia, & Vsus vniuersalis omnium temporum, & locorum.

Dico Ad I. ex Ambrosio: Dici Episcopos & Diaconos qui cum Paulo erant: Ex Theodoreto; tũc Presbyretos dici solitos Episcopos & hosce, Apostolos: vt *Rom. 16.* Andronicus Apostolus: *Philip. 2.* Epaphroditus Apostolus. Ex Chrys. Tunc voces *Episcopus & Presbyter*, communes fuisse Sacerdotibus, distincta tamen potestate.

Ad II. Sic hinc inferre S. Hieronymum mentitur Kemnitius: cum solum ostendat Presbyteros in Scripturis etiam vocari Episcopos; non hos ab illis ordinari posse.

Ad III. vti ad. 1. ex Theodoreto.

Ad IV. Similiter dicendum. Et mentiuntur Waldenses, Hieronymum sequi Aërium: falliturque Mic. Medina. Videtur tamen S. Hier. sententiæ hac in re incertus fuisse; ideoque variasse.

QVÆSTIO XLVII.

De Cardinalatv *quid sentiendum?*

Calvinvs Instit. l. 4. cap. 7. § 30. 1. *Hic titulus Gregorij ætate in solos Episcopos competebat; non Romanæ Ecclesiæ, sed aliis eum attribuit. Apud superioris sæculi scriptores nomen hoc non reperio.* 2. *Video tamen fuisse tunc Episcopis minores, quos nunc longè antecellunt. &c.* Etsi Episcopatus Presbyterio maior sit; tamen in multis Augustinus Hieronymo minor est, *ait, Aug. Epist. 19 &c.* 3. *Nihil officij tunc habebant, nisi vt in doctrinæ & Sacramentorum administratione Episcopo adessent, & subessent. Nunc adeò mutata sors est, vt facti sint Regum & Cæsarum cognati. Vnà cum suo Capite sensim creuerunt. Nihil habent legitimi in Ecclesia muneris; fucum duntaxat & inanem laruam retinent. Vnde Gregorius:* Flens dico: cùm Sacerdotalis Ordo intus cecidit; foris quoque diu stare non poterit.

Avtor. Tria hæc: 1. Nominis Antiquitas: Annis 300. ante S. Gregorium in Concilio Romano sub

S. Sylueſtro, can. 6. proditur de VII. Diaconis Cardinalibus Romæ. *S*ignificat idem quod *P. incipalis*, vt à quo pendeant *E*piſcopi, ceu cardine. Vt Cardinales virtutes, venti, puncta cœli, &c: dicuntur: Sic & Tituli ſeu Eccleſiæ Principaliores VII. dicebantur Cardinales; itaque à loco ad perſonas nomen tranſiit.

II. OFFICII Antiquitas, 1. *E*ſt aut Epiſcopalis, aut Presbyteralis, aut Diaconalis. 2. Eligere Papam. 3. Aſſiſtere *P*apæ in regimine, vt Senatores Conſuli, vt Conſiliarii P rincipi. In primitiua tamen Eccleſia omnes ferè Preſbyteri ad Electionem Papæ conueniebant in paucitate Cleri: at poſtea auctiore Clero, ſoli Principaliores id munus obierunt.

III. COMPARATIO Cardinalatus cum Epiſcopatu eſt talis; 1. Poteſtate. Ordinis maior eſt Epiſcopus Cardinali, Presbytero, vel Diacono. 2. Iuriſdictione in propriam Eccleſiam item. Quia Epiſcopus attendit vel Diœceſi toti, vel vrbi; Cardinalis verò ſoli Titulo ſuo, in quo eſt vt parochus, nec ius habet maius, quàm parochiale. 3. Regimine Vniuerſalis Eccleſiæ maior eſt Cardinalis, Presbyter, aut Diaconus, quàm Epiſcopus. Singulara docet *Bellarmin. lib. 1. c. 16.*

DICO *S.* Hieronymum fuiſſe Preſbyterum Antiochenum; non Romanũ, non Cardinalem; ipſo teſte *Epiſt. 61.* Deinde etſi in Concilio 6. Carthaginenſi vltimi ſubſcripſerunt Cardinales duo; ſciendum tamen tunc ætatis Epiſcopos Cardinalibus fuiſſe maiores: poſtea verò mutatum eſſe.

QVÆSTIO XLVIII.

COELIBATVS *quo Iure ſit Ordinibus S. annexus?*

LVTHERO-CALVINISTÆ, poſt Iouinianum, Wiclieff, negant vllo, adeoque omninò hæreticiſſimè annexum eſſe. LVTHERVS *Libro de abroganda Miſſa*, Magdeburgenſes Centuriis ſingulis c. 7. maximè *Centuria 11. c. 7.*

BEZA, Martyr, CALVINVS *Inſt. l. 4. c. 12. §. 23.* &c. Documenta ſingulorum ſubiiciemus infrà.

AVTOR. 1. Votum Continentiæ non eſt Iure diuino additum Ordinibus *S*acris: proindeque eſt Diſpẽſabile. Quia ex ſolo Iure humano Apoſtolico vis eius dimanat. 1. Ita *D. Tho. 2. 2. q. 8. art. 2.* & plerique contra Medinam, Maiorem, &c.

1. Quia Matrimonium non pugnat cum S. Ordinibus ratione Eſſentiæ ſuæ, ſed Officii: ne actu coniugali, aut cura animus Sacerdotis eneruetur. Ideò non eſt iuris diuini, vt coniugati, ſi poſtea ordinentur, abſtineant vxoribus. Alioquin Eccleſia non potuiſſet Græcis permittere vſum vxorum ante Ordines acceptos ductarum.

2. Nulla in *S*acra Scriptura extat prohibitio: quin Veteri in Teſtamento licebat: in Nouo ad Timotheum & Titum iubet eligi caſtos.

3. Puritas miniſterii caſtitatem requirit, vt conuenientem; non vt Neceſſariam. Ideò Concilium Ancyranum, à S. Leone confirmatum, permiſit etiam poſt Diaconatum ducere Vxores.

II. Iure Eccleſiaſtico & Apoſtolico Cœlibatus eſt Ordinatis mandatus; vt nec prius ductis vxoribus fas vti. 1. Ex Sacra Scriptura vti deducant S. Patres: Vide meum *Antichriſtum part. 2. q. 19.* 2. Ita Concilia: vt Ancyranum an. 314.

Car-

Carthaginense IX. Canon. 2. anno 254. causam promit: *Vt, quod Apostoli docuerunt, & seruauit Antiquitas; nos quoque custodiamus.* Sic & Concilia Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ antiquissima anteannum 700. Mendax ergo Melanchthon in Confessione Augustana legem cœlibatus primum in Germania fixam esse postannũ 900. 3. Ro. Papæ, itemque S. Patres antiquissimi Græci, Latinique consentiunt apud *Bell l 1. c. 19.* 4. Exempla fauent laudatissimorum Episcoporum, & Clericorum inde vsq; ab Apostolis continentium.

Magdeburgenses Centur a 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. de vxo a is proferunt exempla multa.

At sunt *Vel* de ductis ante Ordinationem: *Vel* de minoribus Clericis: *Vel* de illaudatis viris: *Vel* expressè mentiuntur.

4. Quia Matrimonium impedit Ecclesiastica munia Sacrificandi, ob impuritatem: Orandi & Legendi, ob hebetationem ingenii: Prædicandi ad virgines & viduas de castitate: Curandi animas, ob curas temporales: Procurandi paupere, ob curam prolium. *Et* vix distinctio foret Clericos inter & Laicos.

QVÆSTIO XLIX.

Quæ Sectariorum sunt documenta?

I. LVTHERI & LVTHERANORVM.

IVbetur, Tit. 1. elegi ἀνέγκλητον, id est, sine crimine: quoisto? *Sit vnius vxoris vir, filios habens fideles,* sc n fornicetur.

RESPONDEO. 1. Sit sine vlla, quæ reprehendi posset, etiam specie criminis; vt bigamia, index est incontinentiæ. Ita *Chrysost. hic.* 2. *Aug. tract. 41. in Ioan. &c.* Sit sine grandi crimine: quin cum multiplice virtute, vt monogamia, sobrietate &c.

II. 1. Cor. 7. *Vnusquisque vxorem suam habeat,* vnam, non plures, nisi successiuè. 1. Tim. 3. *Diaconi sint vnius vxoris viri.*

RESP. Patres sic exponunt, non habeat, aut non habuerit, nisi vnam.

III. 1. Cor. 9. *Annon habemus potestatem circumducendi sororem Vxorem: sicut Apostoli, &c.*

RESP. *Mulierem* dicit, non *Vxorem*; & ad vsum vitæ, non luxuriæ.

IV. *Sit vnius vxoris vir,* id est, Luthero, vnam habeat; Magdeb. non plures simul.

RESP. 1. Tim. *Vidua eligatur, quæ fuerit vnius viri vxor,* id est, monogama: non vt Luth; & Magdeb. Nec id ætatis vlli gentium mos erat duas habere simul. Ita S. Patres. Ita praxis Ecclesiæ, bigamos nũquam ordinantis: ad Christi conformitatem, qui vnius Ecclesiæ Caput est.

V. Magdeburgenses. Sanctus Vdalricus scribit, S. Gregorium Clericis ademisse vxores; deinde in eius piscina reperta 6000. capitum: & mox decretum suum reuocasse, & pœnituisse.

RESP. 1. Ibidem dicitur, Papam posse cogere ad cœlibatum. 2. Epistola est ad Nicolaum II. qui obiit an. 867: At S. Vdalricus factus est Episcopus an. 903. Ergò fictitia est epistola: Sanè autorem probatum habet nullum.

CALVINI & CALVINISTARVM.

I. Deus reliquit matrimonium cuique libe rum: & eius prohibitio est hæretica. 1. *Tim. 4.*

RESP. Placet libertas: proinde Ordinandis ponitur conditio cœlibatus seruandi. Et Paulus notat reprobantes

nuptias vniuersè vt malas: qualis Tatianus, Marcion, Manichæus. Mentiturque Caluinus 1. Timoth. 3. ordinandis poni conditionem, vt esse debeāt *vnius vxoris viri*: cum nubere sit liberum cuiq;. *Qui nubit, benè facit; qui non nubit, melius facit.*

II. Heb. 12. *Honorabile connubium in omnibus*: ergo & in Sacerdotibus.

RESPOND. Ergo etiam in consanguineis foret honorabile; quod improbat tamen Caluinus *Instit. libr. 4. c. 19. §. 37.* Quare, *in omnibus*, significat ex omni parte; & pud omnes in omnibus legitimè copulatis.

III. Apostoli, *1. Corinth. 9.* circumduxerunt vxores: Philipp. vlt. Rogo te *Germane compar*; id est, germana.

RESPOND. 1. De Apostolorum vxoribus ante Apostolatum variant scriptores: Certum est, post vocationem eos, *Matth. 19.* reliquisse omnia, etiam vxores. Ita S. Hieronymus. &c. *1. Corinth. 9.* loquitur de piis fœminis; quales & Christum secutæ sunt. Ita Patres. 2. Dein; melior Versio est, *Sororem mulierem.* 3. Et *S.* Clemens ait, secutas, quæ fuerant vxores; cessante iam re vxoria.

Et Paulus ad virum Germanum loquitur. Sic Patres.

IV. Solus Paphnutius Concilium Nicænū inhibuit, ne interdiceret vxores Clericis.

RESP. 1. Is censuit permitti vsum earum, quas ante Ordinationem duxissent. 2. Et, Dissuasit pœnas grauiores decerni in incontinentes. 3. Et, ait *S.* Gregorius, *Socrates*, qui id scripsit, *multa mentitur.* 4. *Et*, Concilium Nicænum canone 3. prohibet, ne Sacerdotes, Diaconi, Episcopi, mulierem domi habeant, nisi matrem, sororem aut amitam. 5. Et fatetur Lutherus libro de Conciliis parte. 1. Concilium noluisse sequi Paphnutium.

V. MELANCHTHON. Coniugium est de iure diuino & naturæ: Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini*

RESP. Benedictio est, non præceptū Sique hoc; affirmatiuum est tunc, illos obligans, nunc, aliquos sic vocatos. Ita Tertullianus, Cyprianus &c.

VI. 1. Cor. 7. *Propter fornicationem vnusquisque propriam vxorem habeat.* Quia donum continentiæ non est cuiusque.

RESP. 1. Loquitur de incontinentibus: nam continentes dicit *melius facere.* 2. *Et*, Quia *non omnes capiunt Verbum hoc*; ideò non omnes fiunt Clerici. Deus autem, quibus dedit Velle continere, dat & Perficere, si velint. Ita *S.* Patres, Tertullianus, Nazianzenus, Chrysostomus, Hieronymus. &c. 3. Non igitur Celibatus scandala parit; sed abusus eiusdem violati.

QVÆSTIO L.

An Clerici DECIMAS, Possessiones, & Temporalia iure possideant?

LVTHERANVS Erasmus in annotationibus Novum Testamentum ait, Decimarum exactionem esse tyrannicam.

2. Fratricelli; deberi sibi, Apostolicæ paupertate viuentibus; non Ecclesiasticis habentibus, aut ditibus. 3. Wicleff: Decimas esse eleemosynas meras, possequenegari Clero propter peccata. 4. Canonistæ: Eas etiam quoad Quotam, iuris diuini; non Ecclesiastici.

AVTOR. 1. Clerum alià populo Magistratui contribui; iuris naturæ &c. Ita *Genes. 14.* Abraham Melchisedecho pen-

pendit decimas, vt Sacerdoti & Regi. Iuris diuini est idem, in Veteri Testamẽto sic iubente Deo Leuitis dari, *Leu vlt. Num. 18, Malach 3.* Quæ præcepta quà Moralia sunt, etiam Christianos obligãt; non quà iudicialia: teste Clemente *lib. 2. Const. Apostolic. c. 29. 38 &c.* Quippe Christiana debet *abundare iustitia*, Matth. 5. *plusquam Pharisæorum.* Sic & S. Patres, & Concilia prisca. Estq; ratio: quia Laborãt pro bono publico: ideò decimę debitæ sunt, non vt eleemosynæ, etiã dicolis. Ita S. Scriptura in *Antichristo p. 2. q. 20.*

II. Dare Decimas, quoad Quotam hanc, non est iuris diuini Christianis. Quia hoc nusquam extat. Et præceptum Veteris Testamenti non erat Morale: nec enim erat ante Moysen: Nam Abraham vltrò dedit: Iacob, *Genes. 28.* vltrò vouit. Nec est propriè Ceremoniale; quia non ad colendum Deum ordinatur; sed ad æquitatem inter homines. Et, Iudicialia sublata sunt.

Debentur tamen iure diuino quoad substantiam; etsi non quoad Quantitatem istam. Iura etiam Ecclesiastica quotam decimarum determinarunt, non vi Legis Veteris, sed exempli. Vnde tum Clericus potest renunciare suo debito decimali: Tum Ecclesia legem suam mutare: Tum Consuetudo contraria Legem abrogare. Ita D. *Tho 22. q 7. a. 2.* Idque quà Ecclesiastica est Lex de quota: non, qnà naturalis quoad substantiam.

QVÆSTIO LI.

Quo Iure sint EXEMTI Clerici, RES, & causæ Ecclesiasticæ ab Sæculari potestate?

LVTHERANI: 1. Vt Petrus Martyr *in Rom. 13.* negat Principes dare posse Clero priuilegium Exemtionis: quòd sit contra ius diuinum, omnes politico subiiciens Magistratui. 2. BRENTIVS *in prolegomenis.* Melanchthon *in Locis cap. de Magistr.* Res & Causas Cleri politicis subiiciunt tribunalibus.

3. CALVINVS Inst. l 4. c. 11. §. 15. In omnibus subiectos vult, exceptis causis merè Ecclesiasticis.

SVADENT istis. 1. Quia Constantinus edixit, *Si quis Episcoporum tumultuatus sit, mea executione coërcebitur:* Eiecitque Eusebium in exilium.

2. Martyr. Iure diuino *omnis anima sublimioribus Potestatibus subiecta est*, Rom. 13. *Ergo non potuerunt Reges Clerum eximere.* 3. Marsilius. *Matth. 17.* Christus soluit tributum, qu a debuit.

AVTOR. 1. In causis Ecclesiasticis Clerici sunt exemti iure diuino. 1. Quia regimen Ecclesiasticum distinctũ est à politico, & isto sublimiꝰ. patet supra *quæstione 2. 3. & 12.* 2. Christus Petro & Apostolis omnem potestatem suam commisit, vt Pastoribus in oues. Supra *q. 19. 20. 21.* 3. Apostoli, eorumque successores Ecclesiam diu rexerunt, cum nulli essent Principes Christiani: nec ad politicos causas retulerunt. 4. Sic Concilia sancierunt, Patres docuerunt. &c.

II. Clerici non sunt exempti ab legibus politicis, non contrariis iuri Canonico, aut officio Clericali: sed directiuè subsunt. 1. Quia Clerici sunt ciues & partes politiæ. 2. Papæ permiserunt.

Non tamen Clerici possunt iudicari à sæcularibꝰ, etsi in legem ciuilem peccassent. Quia sic Papæ, Concilia, Imperatoresque decreuerunt. Absurdum est Pastorem ab oue iudicari.

III. Bona Ecclesiastica sunt à tributis sæcularium exemta: idque iure, non simpliciter naturali, nec merè positiue;

tiuo; sed iure gentium, quod partim est naturale, partim positiuum. Hinc mos omnium fuit gentium; Sacris deditos; & quæ ipsorum essent, pro exemtis haberi. Vt Leuitæ, *Exod. 20. Num. 1.* Sacerdotes, *Genes. 47.* sub Pharaone: Et *1. Esdræ 7.* sub Artaxerxe. 2. Vt Anima corpori præest, non subest: ita nec Clerisia subesse debet Politiæ, in Sacris. Vide *Antichristum p. 2. q. 21.*

DICO AD I. Quos Concilium Nicænum prius damnarat Arianos; sententiam in eos est executus Imperator.

AD II. Rectè: At Ecclesiastica potestas est sublimior: ergo non subiecta inferiori sæculari in rebus aut sacris, aut ad sacra pertinentibus.

AD III. Christus soluit, quia voluit, non quia debuit. *Nam liberi sunt filii: Sed vt non scandalizemus eos, vade &c.*

VIII. DE MONACHIS.

QVÆSTIO LII.

Quàm dirum in Monachos odium Luthero-caluinistarum?

LVTHERVS *in obscœno suo Epithalamio ad 1. Cor 7.* omnes eos qui Cælibem vitam in monasteriis ducunt, idolo Moloch corpora sua ierem re confirmat. *Ibidem*, Statum Religionis nil valere; ethnicum, terrenum, sæcularem, ac veluti lutum esse scribit. &c.

Magdeburgenses Centuria 1. c. 10. aiunt. *Quis non hæc hominum monstra execretur, vt inimicos humanæ societatis, & contra totam secundam Tabulam delinquentes?* Melanchthon in Apologia articulo de votis: *Vota & opera Monachorum* appellat *obseruationes fatuas, hypocriticas simulationes, Traditiones pharisaicas, & Mahumeticas.*

CALVINVS *Inst. l. 4. c. 13.* ait, Monachos omnes esse Sophistas cucullatos, qui ab Ecclesia discessionem fecerint, & se totos diabolo consecrarint: Monasteria esse lupanaria; Vota monastica, retia Satanæ.

Sic & hæresiarchæ *in Genealog. p. 2. q. 15.*

AVTOR. 1. Filii tenebrarum æquis oculis nequeunt lucem Religionis intueri; desertores militiæ oderunt castra Sanctorum. *Nam*, ait S. Antonius apud S. Athanasium, *omnes quidem Christianos Diabolus odit; sed probos Monachos, Christi virgines tolerare nullo modo potest.*

2. Dissimillima de iis S. Patres, quorum pars magna & ipsi monasticen coluerunt: Quibus à Christo, *Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.* centuplum in hoc sæculo; sedes honoraria in iudicio; locus in cœlorum regno promittitur. Sed vtriusque versè hæc satis.

QVÆSTIO LIII.

Qualis Origo fuerit Religionum?

LVTHERANI. Vt Magdeburgenses Cent. 4. c. 6. *Cœpit hoc sæculo 400. primum monastice:* sc. ab Antonio, Machario &c. Idque Cent. 5. c. 6. *partim obscuratione doctrinæ de iustificatione, & veris cultibus Dei; partim ex prauæ æmulatione Essenorum:* Cent. 4. c. 6. *partem casu*, vt fugerent persecutionem; vt de Paulo S. Hieronymus testatur.

CALVINVS *Instit. l. 4. c. 13. §. 10.* Melanchthon *in Apologia articulo 27.* aiunt fuisse quidem quarto, & quinto sæculo Monachos aliquos, sed eos, qui nunc sunt, cum eis habere commune nihil: ideoque hodiernum monachatum rem esse nouam.

SVADENT istis. 1. Quia an liber de vita S. Antonii monachi sit ab Athanasio conscriptus, dubitant Magdeburgenses *Cent. 4. c. 10.* 2. Quia, Negant iidem *Cent. 1. l. 2. c. 10.* Erasmus, Lutherus, Caluinus. &c. liberum de Ecclesiæ hierarchia esse Dionysii Areopagitæ. 3. Quia negant, *ibidem c. 3.* Philonem de Christianis, sed Essenis, scripsisse.

AVTOR. Tria asserimus: vnde & Sva-

SVASIONVM vltrò liquebit solutio.

I. Religiosa vita diu ante quartum sæculum cœpit. 1. Teste S. Scriptura in meo *Antichristo parte 2. q. 22.* 2. S. Athanasius memorat S. Antonium, qui sæculo quarto claruit, petiisse monasticen edoceri ab sene monacho. 3. S. Dionysius, teste *Damaso*, ex monacho ad Papatum est assumtus anno 266. 4. *Tertullianus libro de velandis virginibus*, distinguit inter Virgines mundi, & Dei; quòd hæ solenni professione se consecrarent Deo. Sic & Cyprianus. 5. S. Dionysius Areopagita scripsit epistolam ad Demophilum Monachum: & *libr. de Ecclesiæ hierarchia, c. 6.* explicat monasticæ professionis formam. 6. Philo Iudæus *libro de vita contemplativa Supplicum* describit mores ac vitam monachorum & monialium; quos instituit S. Marcus in Ægypto.

II. Origo Religionis professæ non fuit *Casus*, vel *Error*, aut *prava Imitatio*; sed perfectionis studium. Nam, etsi Paulus persecutionem fugiens Eremiticam colere cœptauit; Antonius tamen, aliique ante eum Cœnobitæ, ac post eum Eremitæ solo perfectionis studio Monasticen obseruarunt. Paulus prior tempore; Antonius prior magisterio fuit; quòd hic discipulos habuit, iste nullum; secuti Basilius, Augustinus. &c.

III. Religiosi Ordines quoad essentiam, sunt iidem cum priscis; sc. quoad tria vota professa; testibus S. Basilio & Augustino; quos Caluinus ac Melanchthon agnoscunt pro antiquis Monachis. *Bellarmin. libr. 2. de Monach. cap. 5.*

QVÆSTIO LIV.

An sint CONSILIA Euangelica; differantq; à Præceptis vt Vtilia?

LVTHERVS *libro de votis monasticis, & in Epithalamio:* Melanchthon, Martyr, Brentius, CALVINVS *Instit. l 4. c. 13.* pernegant vllum esse Consilium Euangelicum. LVTHERVS *in assert. art. 3.* vnum esse virginitatis ait: At in Epithalamio reuocauit opinionem.

Distinctè tria dicunt. 1. Tria vota, si putentur esse Dei cultus, impietas est. 2. Obedire, cui non debetur, quasi ad Dei cultum; est stultum. 3. Castè viuere ad expeditius obeunda munia Euangelii, bonum est: Non tamen possibile, nisi qui scit datum sibi: Idque fit miraculo.

Sic & prisci olim, pluresque hæretici: Vide in mea *Geneal. p. 2 q. 15.*

APOSTOLICI, cum Pelagianis, contra opulentiam tria afferebant: 1. Matth. 19. *Facilius est camelum &c. quàm diuitem. &c.* Sed istud est impossibile: ergo & hoc. Ideo docuit Dominus Vendere omnia & dare pauperibus. 2. Luc. 14. *Nisi quis renunciauit omnibus: non potest meus esse Discipulus.* 3. Matth. *Estote perfecti;* dicitur omnibus; at hoc opus omnia vendere.

DICO AD I. Augustinus epistola 89 & 94. ait: *Quod impossibile est hominibus, possibile est Deo.* Quin & Crates Thebanus, Antisthenes. &c. ethnici philosophi potuerunt abiicere bona. Extenuetur camelus, & transibit acum.

AD II. Loquitur de præparatione animi; nam *& animam* vult renunciari.

AD III. *Matth. 5.* agit de perfectione cunctis necessaria: *Matth. 19.* de vtili solum.

LVTHERO-CALVINISTARVM SVASIONES sunt tales. 1. Matth. 17. *Angusta porta est, & arcta via: &c. & pauci intrant. &c.* Ergo plus facere, quàm lex exigit, ne-

mo poteſt. 2. Nunquam implemus legem; cũ in opere noſtro ſemper aliquid deeſt: ergo minus opera ſupererogationis præſtare poſſumus. 3. Luc. 17. *Cum feceritis omnia, dicite ſerui inutiles ſumus*: nil ergo ſupererogatorium eſt, ſed omne debitum. 4. Nunquam facimus, quod debemus: vnde orandum, *Dimitte nobis debita noſtra*. Ergo minus facimus plus, quàm debemus. &c.

AVTOR. Sunt Euangelica Conſilia plura, maximè tria votorum Religionis; & ea nec præcepta, nec indifferentia: ſed grata Deo. 1. Teſte Scriptura. Iſaiæ 56. *Non dicat Eunuchus; ego lignum aridum. &c. Dabo eis nomen melius à filiis, & filiabus.* En meritum. Eſſeque Conſilium, docent Patres Hieronymus, Cyrillus, Baſilius, &c.

2. Sap. 3. *Felix ſterilis & incoinquinata, quæ neſciuit thorum. &c. habitur enim ei fidei donum electum.*

3. Euangelica Teſtimonia vide in meo *Antichriſto p. 2 q. 23.*

4. Apoſtolica ſunt plura. 1. Cor. 7. *Bonum eſt mulierem non tangere. Dico innuptis & viduis, bonum eſt, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. Volo omnes vos eſſe, ſicut meipſum*, continentes. *De Virginibus præceptum non habeo; Conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis.* Item. *Qui matrimonio iungit Virginem ſuam, benè facit; qui non iungit, melius facit.* De Vidua: *Cui vult, nubat, tantùm in Domino: beatior autem erit ſi ſic permanſerit; ſecundum meum Conſilium. Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.*

I. LVTHERVS in Epithalamio vult ibi diſſuaderi Continentiam: quòd *propter fornicationem vnuſquiſq; ſuam vxorem habeat.*

CALVINVS aſſentitur, & addit: Illud, *Bonum eſt homini mulierem non tangere*: ſimile eſſe iſti: *Bonum eſt non comedere.* 2. Martyr illi opponit hoc Gen. 2. *Non eſt bonũ hominem eſſe ſolum.* Et dicit, Paulum loqui de certis ſui doni continentiæ. 3. Paulus ſolum laudat continentiam, vt vtilem temporaliter, quòd liberet à curis matrimonialibus: ita *Lutherus. Melanchthon* etiam ſpiritaliter; quòd cœlibes ſint expeditiores ad orandum, prædicandum &c. Non verò ad merendum, aut placendum Deo.

DICO AD I. Illud *Vnuſquiſq;* explicat ibidem iſto: *Qui non ſe continet, nubat.* Ita Aug. lib. de Virg. c. 16. *Exhortatur continentiam perpetuam, vt aliquantum etiam à nuptiis deterreret.*

AD II. Deus loquebatur ad carentem mala concupiſcentia ante peccatum. Adę, habentemque donum continentiæ, quando vellet: quod iam licet nõ omnes habeant, habere tamen poſſunt, ſi petant à Deo. &c.

AD III. Idem docuit Iouinianum Et S. Auguſtinus libr. de Sacris Virginibus dicit, quod *ſi mirabiliter deſipiunt.* Placet Deo continentes & merentur: quia *Virgo cogitat, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu.* Ibidem. *Non vt laqueum vobis injiciam; ſed ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.* Item: *Beatior autem erit ſi ſic permanſerit.* Eſt igitur continentia de Conſilio & poſſibili.

5. Accedit Apoc 15 *Nemo poterat dicere Canticum, niſi illa 144000. Hi ſunt, qui cum mulieribus nõ ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum.* En meritum ſingulare. Neque myſticè locus hic intelligi poteſt, vt *Magdeburgenſes* volunt, de non inquinatis idololatriâ &c. nica-

nicatricis Babylonicæ. Nam fictum hoc nouumque est: S. Patres de veris Virginibus interpretantur. Exempla, Patres, Rationes, vide in *Bell. l. 2. c. 10. 11. 12.*

QVÆSTIO LV.

Sitne possibile quid vltra Præcepta seruare?

LVTHERO-CALVINISTÆ pernegant quæstione præcedente argumentis quatuor. Quibus addunt ista:

1. MARTYR. Dominus iubet se diligi ex toto corde, &c. vnde nil superest non debitum. August. lib. 1. de Catech. Christ. *Cum ait, toto corde; nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat.* 6. Præceptum dilectionis, & illud *Non concupisces*; in hac vita impleri non potest. Ita Patres. 7. Nolle Deum plus amare, si plus possis, peccatum est: ergò nil potes superaddere, quod non debeas.

AVTOR. Possibile est & meritorium, satisfacere præceptis, pro humana fragilitate, ex gratia; & tamen etiam Consilia supererogatoriè obseruare. 1. Patet ex suprà allegatis. 2. Exemplis primitiuæ Ecclesiæ: *Act. 4.* Omnia in commune donantium; Continentiam colentium, vt *Act. 21.* quatuor filiæ Philippi; quod vt magnum quid refertur. Philo *libr. de vita contemplatiua.* Iustinus *in Apologia 2.* Tertullianus *in Apologetico c. 9* produnt de plurimis Continentibus. 3. Ratio: Omnis res ac natura duo habet: necessarium ad esse, & necessarium ad bene esse: Vt homo, quod constet membris, est ad esse: quod speciosus sit, robustus, &c. ad bene esse est. Sic Perfectio necessaria est ad esse Saluari p obseruationē præceptorum: Ad bene esse, gloriosius beari per Consilia obseruata.

DICO AD I. Lex Dei est difficilis exse: medium enim tangere, arduum: Facilis, habenti gratiam & charitatem. 1. Ioan. 5. *Mandata eius grauia non sunt.* Matth. 11. *Iugum meum suaue.*

AD II. Deest; quia tendimus ad perfectionem viatores; & hoc satis hîc Deo, nobisque est. Ideo Dominus respondentem iuuenem, se mandata seruasse, dilexit vt veracem, non vt mendacem. Nec isti perfectioni officit repugnantia concupiscentiæ; dummodo sint motus eius inuoluntarii. Hinc ama Deum, & time: *Cum omnia feceris, die, seruus inutilis sum.*

AD III. Dicitur: *Cum feceretis Hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis &c.* Vnde Ambr. l. de Viduis. *Hoc virgo non dicit: non ille, qui omnia vendidit: sed quasi reposita expectat præmia. &c. quasi seruus vtilis. &c.* vult tamen tales se humiliare, velut inutiles.

AD IV. Ita dicimus ob peccata venialia, in quibus *iustus in die septies cadit.*

AD V. Illud, *ex toto*: significat diligendum Deum appretiatiuè, nil ei præferendo vel æquando: Quod seruari potest; plusque, minusque diligi: Nam diligit ille plus, qui etiam à licitis abstinet &c. Vide *Bell. c. 13.*

AD VI. Præceptum dilectionis potest impleri appretiatiuè diligendo: Etiam hoc *Non concupisces*, scil. voluntario appetitu.

AD VII. Est peccatum, si nolis ex contemtu, vel acedia, vel superbia; velle tamen plus diligere, quàm diligas, etiam à licitis abstinendo, hoc licet; & fieri potest; & meritorium est.

QVÆSTIO LVI.

An VOTVM sit Cultus Dei?

LVTHERI, CALVINIQVE sententia eadem est: Vota ad Deum colendum fieri non posse, nisi de rebus præceptis.

SVADENT. Quia omnis cultus voluntarius, id est, non præceptus, Deo placere nequit: Rom. 14. *Quod enim non est ex fide* sc. verbi Dei præcipientis, *peccatum est.* Et col. 2 reprehenditur ἐθελοθρησκεία, seu superstitio.

AVTOR. Vouere est actus Religionis; ergo & Reddere: iuxta Isa. 19. *Colent Deum in hostiis, & vota vouebunt, & soluēt.* 2. Caluinus *Inst. l. 4. c. 13.* § 2. fatetur, Vouere esse officium religionis, & promittere Deo: ergo Reddere votum est fidem seruare Deo: at hoc est immediatè colere Deum. 3. Iuramentum est cultus Dei etiam de re non præcepta; fatetur Caluinus *Inst. l. 2. c. 8.* § 23. Ergo & votum. Num. 30. *Si mulier vouerit aliquid, & verbum de ore egrediens animam eius obligauerit iuramento, voti rea erit: reddet, quod promisit.* 4. Ex voto soluere rem non præceptam falsis Diis, idololatria est: ergo eandē ex voto soluere Deo, latria est.

5. Omni actu virtutis non præcepto, facto tamen in honorē Dei, colitur Deus: Vt, *Luc. 2.* Anna seruiit Deo ieiuniis. &c. Ergo magis colitur actibus votiuis. 6. Genes. 28. *Votum vouit Iacob. &c. Decimas offeram tibi. &c.* hoc de re non præcepta vouit. Dauid item vouit se templum extructurum Deo, *2. Reg. 7.* neque præceperat id ei Deus: Sic vota *Leu. 27. Num. 6. 30. Deut. 12. & 23.* non præceperat Deus; & facta tamen sunt ad cultum Dei.

DICO. Apostolus vocat ἐθελοθρησκείαν, actus Deo non probatos, rerum inanium, quę non sunt materia cultus diuini; vt est numerus lotionum, abstinentia à cibis, vti natura immundis. Et, *fides* tam est de Consiliis, quàm præceptis Scripturæ.

QVÆSTIO LVII.

An Vota in Nouo Testamento cessarint sublata, sublato antiquo Testamento?

LVTHERO-CALVINISTA Petrus Martyr contra etiam Lutherum & Caluinum id præfractè affirmat.

SVADET. 1 Quia Votum in Nouo Testamento non nominatur, nisi cùm de votis Legis fit mentio; ergo est Legale tantum. 2. Quia Professio fidei totos nos obstringit Deo: ergo stultè vouetur: vt si obsignatis tabulis ac testibus patriæ potestati se filius obligat, ante obligatus Decalogo. 3. Quia libertas Euangelii infringitur votis; vitæ enim genera esse libera voluit Christus, vt quæ nec omnibus, nec omni tempore conuenirent. 4. Qui vouet, iniuriam Deo facit, faciens necessaria, quæ is libera esse voluit.

AVTOR. 1. Negat *S.* Scriptura cessare vota in Nouo Testamento. Isa 19. *Colent eum in hostiis; Vota vouebunt Domino, & soluent.* Psal. 75. *Vouete, & reddite Domino:* At hæc Patres intelligunt de votis religiosis Noui Testamenti. 1. Timoth. 5. *Cùm luxuriatæ fuerint. &c. habentes damnationem, quia primam Fidem irritam fecerunt:* August. in Psal. 75. id est *Vouerunt, & non reddiderunt.*

II. Neque vota sunt ceremonia Legis: Quia ante legem vouit Iacob. Deinde illa solùm cessarunt, quæ in Veteri Testamento Christum venturum præsignabant. Vide *Bell. c. 17.*

DICO AD I. Res voti extat in Nouo, etsi non nomen. Et præceptum voti

voti soluendi Morale est; ideò non antiquatum.

Ad II. Obstringit in rebus præceptis; non in arbitrariis quæ sunt Consilii Euangelici. Ita patri se obstringere filius potest in rebus sui iuris.

Ad III. Si Christus libera vitæ genera esse voluit, cur multi se matrimonio vinculant? Dein; Negat Martyr quicquam esse adiaphorum & liberum, sed præcepta omnia. Libertas autem Euangelica est à peccato, non à lege. Rom. 6. *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.*

Ad IV. Non pugnat gratitudo serui, facientis sibi necessarium, cum benignitate Dei relinquentis quid liberum.

QVÆSTIO LVIII.

An promissio Baptismalis sit Votum?

Luthervs & Calvinvs consentiunt in tria. 1. Vota ad Dei cultum fieri solùm posse de rebus præceptis. Ideoq; commune votum esse, factam in Baptismo promissionem. 2. Posse vouerì ad negotia vitæ expeditius peragenda, vitandaque peccata. 3. Vota monastica esse impia ac soluenda: quod fiant opinione cultus diuini, & de rebus non præceptis.

Svadent de voto Baptismi. 1. Quia Christiani grauius peccant, & puniuntur, legem non seruantes, quàm infideles: igitur obligationem habent, quam non hi. 2. Augustinus in Psal. 75. *Quid debemus vouere? Credere, sperare, benè viuere secundum communem modum &c.*

Avtor. Promissio in Baptismo non est; propriè votum. 1. Quia vota esse voluntaria debent: Deut. 23. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Si vueris, non tardabis reddere*: At promissio baptismalis est necessaria: cùm ad eum obligemur omnes. 2. Quia alia vota, quæ pro infantibus edunt parentes, non sunt rata si adulti nolint: at in Baptismo facta pro iis promissio sic eos obligat, vt cogi possint inuiti, ceu mẽbra Ecclesiæ. 3. Si promissio baptismalis esset votum, peccata Christianorum essent duplicata, vt, contra Legem, & contra votum; essentque sacrilegia, nec minus peccarent, quàm religiosi.

Dico Ad I. Grauius peccant Christiani ob ingratitudinem; non ob aliam obligationem.

Ad II. Augustinus ibi votum accipit largo modo, quo votum propriè dictum, & etiam omnem promissionem comprehendit.

QVÆSTIO LIX.

An Paupertas voluntaria, & Obedientia rectè voueantur Deo?

Luthero-Calvinistæ negant.

Svadet Brentius *in Confessione Wirtenbergica cap. de votis*: Vouens paupertatem, 1. Si sit pauper, nil habet quod vouere possit; Vt si in morbo quis voueret se ægrotaturum. 2. Si dives; aut vouet daturum se in commune; & hoc est fugere paupertatem: 3. Aut daturum omnia pauperibus spe meriti; & hoc est contra fidem; quia Christus omnia nobis meruit.

Avtor. 1. Voluntariæ paupertatis Votum sanctum est: 1. Euangelio teste: Vide *in Antichristo p. 2 q. 26.* 2 Quia, Act. 4. *Credentium cor vnum & anima vna: Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia.* Idque ex voto facto.

teste S. Augustino serm. 1 de communi vita Clericorum: Sicque se fecisse ait: Et queritur non sic obseruasse votum Sacerdotem, qui *Deo societatem professus erat, vt hanc teneret, nihil haberet, testamentum non faceret:* fecit autem testamentum, & *Ecclesiam scripsit hæredem. O fructus natus non de arbore, quam plantauit Dominus!*

3. Ananias, *Actorum. 5.* & Saphira vxor eius contra vitæ communis professionem, sibi clam reseruarũt quid proprium; & morte subitanea conciderunt. Petrus Martyrait: Non video hic Votum. At circumstantiæ id ostendunt. 1. *Fraudauit de pretio agri, conscia vxore sua:* Ergo rem antè obligarat debitam: alioquin non fraudare potuisset. 2. Rem non præceptam vouerant: quia, *Nonne manens tibi manebat, & venũdatum in tua erat potestate?* 3. Deo rem deuouerat; ideo sacrilegium luebat: Vnde *Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto & fraudare de pretio agri?* Istud est fallere fidem, voto datam Spiritui Sancto. Ita S. Patres apud *Bellarm. l. 2. c. 20.*

DICO AD I. Etiam pauperes ab opib. rectè vouent; dant enim, quod acquirere potuissent. Augustinus epist. 89. *Neque mihi minus imputabitur; quia diues non fui. Nam nec Apostoli, qui primi hoc fecerunt, diuites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui & quod habet, & quod optat habere, dimittit.*

AD II. Ideo dixit Dominus, Matt. 5. *Beati pauperes*; non, beati ægroti. Idcò, omnia in commune ponere, & paupertatem amare, & amplecti, ceu *Credentium* primi, *Act. 4.*

AD III. Id contra fidem esset, quod Christus suasit adolescenti; *da pauperibus?*

II LVTHERO-CALVINISTAE obedientiam deuotam Deo aspernantur, vt stultam vtque impiam exccrantur.

SVADENT. 1. Quia, LVTHERVS libro de Votis Monasticis, Cum omnes res omnibus non Scriptura iubeat Phil 2 *Superiores inuicem arbitrantes sibi*, 1 Pet 2. *Subiecti estote omni creaturæ propter Deum: omnino contra Scripturam fit vni in manus professio obedientiæ quasi dicat: Deus, Vouco tibi nolle me secundum Euangelium tuum omnibus subiici; sed tantum vni mauri.* 2. Petrus Martyr in 1. Cor. 7. *Pretio emti estis, ne facti sitis serui hominum*, speciali voto obedientiæ.

CALVINI his consciscunt. Vide supra quæstione 54.

AVTOR. Grata Deo, meritoria Christiano professa est Obedientia. 1 Quia, *Ierem. 35.* Filii Ionadab laudantur, quòd in re non præcepta, aiunt Rabani hîc; *firmauerunt præceptum patris: populus autem iste non obediuit mihi.* Neque in hac re; non bibendo vinum, non serendo agros, non habitãdo in domo, sed tentoriis; tenebantur vi Legis diuinæ parere patri. *Firmauerunt tamen præceptũ*, etiam defuncto patre. Viuum exemplar futuræ Religionis professæ, ceu peregrinãtium super terram. 2. Sic Euangelium docet obedire. Videmeum *Antichristum par. 2. quæst. 26.* Proinde ait Augustinus in Psal. 75. *Nemo possit in Monasterio frater dicat: Recedo; Nam enim soli, qui hic sunt, peruenturi sunt in cælum: & illi qui ibi non sunt, ad Deum nõ pertinent. Respondetur ei: Sed illi non vouerũt. Tu vouisti.* In Ps 99. *Dum non perficere uerit implere quod vouit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non reddit.*

DICO AD I. Commendatur ibi humilitas; non confusa sub omnibus omnium obedientia. Sic enim nul-

li ci-

lieſſe deberent, qui iuberent. Per, *omni creaturæ*, intelligit omnem in poteſtate poſitum, *ſiue*, ait, *Regi tanquam præcellenti; ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis.* Neque tamen Reges ſunt immunes ab obedientia Deo & Legi debita.

AD II. Vetat obedire hominibus propter homines, ſed propter Deũ. Col. 3. *In ſimplicitate cordis timentes Dominum. &c. non ad oculum ſeruientes.*

QVÆSTIO LX.

Votum Continentiæ num ritè fiat, ac teneat?

LVTHERANI iuxta & CALVINIANI, cum priſcis hæreſiarchis, negant. Vide *Genealogiam par. 2. q. 15.* Suadere id nituntur pluribus; de iis nos infrà *q. 61.*

AVTOR. Sanctum eſt caſtitatis Votum. 1. Teſte S. Scriptura, in profeſſione Mariæ, Luc. 1. *Virum non cognoſco.* In doctrina Chriſti Matt. 19. *ſunt Eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter regnũ cœlorum.* In doctrina Apoſtoli, 1 Tim. 5. *Luxuriatæ, damnationem habentes; quia primam fidem irritam fecerunt.* Quæ ſingula S. Patres ad Votum caſtitatis profeſſæ interpretati ſunt.

2. Idem Votum aſſeruerunt Concilia plura, Pontifices item, ac Imperatores Patres quoque plurimi; Apud *Bell. l. 2. de Mon. c. 22. 23. 24. 25. 26. 27.*

2. Ratio ex Dignitate fauet, & Vtilitate. Dignius eſt ex Voto continere, quàm vti matrimonio: teſte Scriptura ſuprà *quæſt. 54.* Ideò S. Patres vitam continentem affirmant eſſe perfectam: quicquid ob gannat Martyr. Item vtilius ac ſalutarius eſt animæ, Deoque gratius, ex voto quid operari, quàm ſine voto: Cum ad votum hortetur Scriptura, Pſa. 75. *Vouete, & reddite*: Cùm ex maiore virtute procedat opus votiuæ virtutis, quã ſimplicis; vnde continentia eſt Temperantiæ: at votum continentiæ eſt, & temperantiæ, & Religionis: Cùm melius ſit quod ex firmata voluntate prouenit, quàm variabili.

OBIECTIONES LVTHERO-CALVINISTICÆ.

I. Contra Votum Deiparæ Virginis.

CALVINVS in Comment. in Luc. 1. apud Marloratum, tria a guit. 1. *Videtur S. Virgo non minus malignè reſtringere Dei potẽtiam, quàm prius Zacharias. Quod enim præter communem naturæ ordinem eſt, impoßibile eße colligit. Sic enim ratiocinatur: Virum non cognoſco, qui credam igitur futurum quod nuntias? Nec verò magnopere laborandum eſt, vt Eam purgemus ob omni vitio.*

2. Patres rodit Caninus ibidem. *Quod autem ex hoc loco occaſionem quidam ſumſerunt, vt dicerent Virginem habuiße Votum perpetuæ Virginitatis, quòd alioquin ſuperuacanea iſta fuiſſet reſponſio; nimis infirmum eſt, imò abſurdum, & ridiculum. Exiſtimabimusne Virginem paßam fuiße marito ſe collocari, vt eum luderet? Fuiſſet profectò PERFIDIA, graui reprehenſione digna, ſi ſanctum coniugii fœdus, non ſine Dei ludibrio, ſprenißet.*

3. Noſtro, inde argumento ducto, reſpondet: *Soluendum eſt obiectum; Quod Virgo in futurum tempus reſpiciat, ideoq; ſignificet. Nullam ſibi fore cohibitationem cum viro. Hæc verò coniectura & probabilis eſt, ſimplex; Quod rei magnitudo, vel potius maieſtas Virginem per-*

cu-

uerit, vt sensus omnes admiratione ligatos haberet, ac constrictos, cùm audit nasciturum esse Dei Filium, aliquid non vulgare concipit; Atq; hæc ratio est, cum coitum virilem excludat. Hinc attonita exclamat; Quomodo fiet istud.

4. PETRVS MARTYR ait. Interrogatio non est Virginitatis professio. 5 Conceptioni obstare innuit, quòd ordinariâ ratione virum non cognosceret; si extraordinariâ conciperet, cupit doceri.

DICO AD II. Non absurdum est, quod asserunt S. Patres, omnisque Theologia: Absurdum verò est dicere B. Mariam animo consummandi matrimonium cum Iosepho contraxisse: vt dicit *Caluinus in Luc. 1. Beza ibidem. Bucerus in Matth. 1. Martyr libro de cœlib. Centuriatores lib. 1. c. 10.* Nam sic non esset Virgo animo, sed carne. Dedit tamen verè Iosepho potestatem in corpus suũ; quia autem ex reuelatione sciebat, eum id non appetiturum, ideo habuit expressam voluntatem continendi semper; siue ante desponsationem vouerit, siue post.

AD I. S. Patres dicunt, interrogationem fuisse discere cupientis modum, non dubitantis. Deinde; Succine restrinxisset Dei potentiam, quæ *gratia plena*, cum qua Dominus? Cur non, vt Zacharias, punita fuisset?

AD III. Si coniecturat; cur tam certo S. Patres reprobat Caluinus? Quia humillima, non capiebat se Messiam parituram; quia Virgo deuota, nesciebat *quomodo* fieret.

AD IV. At processit ex conscientia voti facti.

AD V. At nunciabatur ei futurus conceptus: *Ecce concipies:* vnde stolidè interrogasset id, quod ordinario modo fieri poterat, aut etiam supernaturali: nisi nouisset impedimentum Voti facti.

II. Contra doctrinã Christi de Eunuchis.

LVTHERANVS Petrus Martyr lib. de Cœlib. 1. Dicit: *Si ita est, non expedit nubere*; non dicit, *non expedit vouere*: ergò de incommodi matrimonii differit Dominus, non de voto. 2. Per eunuchos verò intelligit Continentes, vt expeditius prædicent. 3. Non vis *in Eunucho* facienda, sed *in Scopo* parabolæ.

DICO AD I. Etsi Apostoli quæ fierint, an expediret nubere, & non de Voto; tamen Christus ostendit eis perfectionem altiorem coniugio, scilic. Votum ad non nubendum.

AD II. Augustinus lib. de S. Virginit. cap. 23. *Sapientia Dei dicit, eos qui ita Proposito ab vxore ducenda se continuerint, castrare se propter regnum cœlorum. Et contrà, humana vanitas impiâ temeritate contendit, eos qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem molestiarum coniugalium deuitare; in regno cœlorum amplius quidquam cæteris nil habe[re].*

AD III. Non hìc parabola est; sed duæ solùm metaphoræ, in *Eunuchi*, & *Castrarunt*: vt scilic sicut corporales Eunuchi habent coporalem necessitatem continendi: ita spiritales habeant spiritalem Voti: Est proinde vis facienda in vocibus his, in quibus vis sermonis consistit.

III. Contra doctrinam Apostoli de FIDE Viduarum.

I. LVTHERVS, lib. de Votis mon. *Primam fidem irritam fecerunt*, id est, à Christiana ad Iudaismum vel paganismum defecerunt. 1. Quia abi isse post Satanam dicuntur. 2. Qui aduersus Christum luxuriati sunt, id est, in apostasiam lapsæ.

II. CALVINVS. 3. *Primam fidem* in Baptismo datam scortando irritarunt. 4. Inuenculas promisisse continentiã contrà quã liceret: nam *vidua eligatur nõ minus L. V. annũ* ideo irritam fuisse promissionem. 5. Ea pro-

promissio non erat votum ad colendum Deum; sed administrandum expeditius in templo; verum ante ætatem habilem.

III. PETRVS MARTYR: 6. Locum ambiguum posse variè explicari; ideo nil solidè inde concludi. 7. *Habentes damnationem*, esse non pœnam peccati, coràm Deo; sed infamiam coràm hominibus.

DICO AD I. Noua est ea expositio. Si non vouerant; quid opus erat deficere ad infideles, vt nuberent? Nam eis nubere licebat Christianis, *1. Corinth. 7. tantum in Domino.*

AD II. Abire post Sathanam fit quouis peccato, non solum per apostasiam. Luxuriari contra Christum est scortari ad Christi iniuriam; non, apostatare à Christo.

AD III. Nubere volendo *irritam fidem fecerunt primam* Voti, non Baptismi: quia nulla in Baptismo promittit, se non nupturam: sed post votum *nubere volunt:* vnde damnatio. Aut post spiritales Voti facti delicias gustatas, *nubere Volunt.*

AD IV. Dum loquitur de sexagenariis, non agit de admissione ad votum Continentiæ; sed de electione ad præfecturam Diaconissæ; vt Tertull. & alii: Vel de admissis ad Præbendam, qua alebantur in Ecclesia: vt Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, &c. volunt probabilius.

AD V. Patres dicunt, verè fuisse votum Deo factum: At hoc volunt Sectarii posse rescindi: ergo magis Ecclesiæ factum: Cur igitur damnationem habebant?

AD VI. Non est ambiguus locus, ad quem conspirat Patrum consensus: Hic ambigua declarat.

AD VII. Infamia humana potest, & solet esse cum peccato coram Deo; maximè in Luxuria post votum.

QVÆSTIO LXI.

Qualia sunt Luthero-caluinistica DOCVMENTA contra Continentiæ Votum?

LVTHERO-CALVINISTÆ aiũt: Votum Continentiæ, *Quà* dicitur esse de Consilio Euangelico; est nullum: *Quà* fertur esse Meritorium; est impium: *Quà* obseruatu necessarium, aiunt, est impossibile: *Quà* perpetuum asseritur; est liberum: *Quà* latreuticum putatur; est stultum: *Quà* vtile creditur; est futile: *Quà* diuinum fingitur; est humanum commentum: *Quà* monasticum esse fertur; est antipoliticum: *Quà* Sanctum videtur; est antigamicum: *Quà* Christianum prædicatur; est Antichristianum prohibentium nubere: *Quà* Angelicum effertur; est Sathanicum: *Quà* castum laudatur & virgineum; est pollutum ac meretricium. Ita illi.

SVADENT: QVIA I. Scripturæ docent id esse melius, Deoque gratius, quod magis est voluntarium, liberum, minusque necessarium.

II. Quia Scripturæ imperant matrimonium patientibus carnis stimulum.

III. Quia Scripturæ docent, Continentiam esse donum Dei, quod non datur omnibus.

IV. Quia varia sunt Cœlibatus incommoda.

V. Quia Concilia, & S. Patres adversantur Voto continentiæ.

AVTOR. Vt clari⁹ liqueant omnia; in quęstiones totidem vocentur singula.

QVÆSTIO LXII.

An ideo Votum continentiæ Deo sit ingratum, quia affirmatur obseruatu necessarium?

LVTHERO-CALVINISTÆ omnes aiunt.

SVADENT iſtis. 1. Pſal. 53. *Voluntariè ſacrificabo tibi.* 2. *Quia*, 1. Cor. 7. *Non, vt laqueum vobis iniiciam, ſcribo.* id eſt, ait Martyr, *hortor vos ad Continentiam; non ad votum.* 3. *Quia*, 2. Cor. 9. *Vnusquisque prout deſtinauit in corde ſuo: non ex triſtitia, aut neceſſitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.*

AVTOR. 1. Vtraque, Libertas & Neceſſitas, triplex eſt. *Prima eſt Debiti* ex præcepto ſeu Voto: qua liberè facimus, ad quod non tenemur; neceſſariò, ad quod tenemur. *Hæc* Neceſſaria, non pugnat cum laude meritoue operis, ſed id auget: Libertas nõ eſt ad laudem meritumue neceſſaria. *Secunda Voluntatis* indeterminatæ ad vllum quodcunq;. *Hæc* libertas arbitrii eſt neceſſaria ad opus bonum æque, ac malum. Inde enim meretur, aut demeretur. *Tertia eſt Coactionis*, quâ Abſolutæ, qua quis facit, quod non vult: quâ conditionatæ, qua per ſe nollet facere, facit tamen coactus. *Hæc* libertas ad laudem operis eſt neceſſaria; non tamen præcepto ſeu voto cõtraria. Nam tanta alacritate poteſt exequi opera hic Voti non præcepta, quantâ is præcepta. 1. Paralip vlt. *Lætatus eſt populus cum Vota ſponte promitteret: quia corde toto offerebant ea Domino.*

2. Deinde trifariam in ſoluendo Voto ſe quis habere poteſt, ait *S. Thomas in Opuſc. 18. c. 12.* 1. Alacrem, quia placet & Votum, & Res. 2. Inuitum; quia placet Votum, etſi res diſplicet. 3. Contrarium Voto & Rei. Alacris meretur plus cum Voto, quàm liber ab eo. Itemque Inuitus plus; quàm liber à Voto. Contrarius vtrique, peccat ſimpliciter. Hinc liquet Reſponſio ad prædicta.

DICO AD I. *Voluntariè*, ſc. ſalua neceſſitate Voti aut præcepti.

AD II. *Laqueus* eſt vouentium temerè aut coactè; quod non vult Apoſtolus. Ita *Aug. l. de bono viduit. c. 5.* Hieronym. lib 1. contra Iouin. &c.

AD III. Non de neceſſitate Legis aut Voti loquitur; ſed de humana coacti directè, vel reſpectiuè.

QVÆSTIO LXIII.

An matrimonium ſit præceptum patientibus ſtimulum carnis?

LVTHERO-CALVINISTÆ affirmant; ac proinde Vouere caſtitatem eſſe temerarium & illicitum.

SVADENT iſtis. 1. *Quia*, 1. Cor. 7. *Si non ſe continent, nubant: melius eſt enim nubere quam vri.* 2. Ibidem. *Propter fornicationem vnusquisque ſuam vxorem habeat.* 3. Item: 1. Tim. 5. *Volo iuniores nubere, matres familias eſſe, filios procreare.*

CALVINVS eadem: *In 1. Corinth.* 7. diſtinguit tentationes carnis vrentes: 1. Vincentes animum; ſunt peſſimæ. 2. Victæ, vt nullam pariant intus perturbationẽ hæ non ſunt Vſtiones. 3. Mediæ, quæ cõtinent non plenè conſenſum, titillant tamen ſenſum, turbantque animum. Hæ proprie ſunt Vſtiones, quæ citant nos ad matrimonium ſic, vt peccetur non nubendo. Ita LVTHERVS *in Epithalamio*, S. Hieronymi arguit hæreſios Pelagianæ, quod grauius vſtus, vt *Epiſtola 22.* fatetur, non nupſerit quaſi ſenſiſſet, ſuis viribus, ſine Dei dono vincere æſtus poſſe. *Fundamentum* Lutheri, Martyris, Caluini eſt, quia Omnis motus Concupiſcentiæ prohibitus eſt, eſſet peccatum. *Quo de alibi.*

AVTOR. Tria hic aſſerimus. 1. Nulla Scriptura mandat Matrimoni-

um.

um ob Tentationes carnis; sed ob Incontinentiam vagam: Estque hoc *Vri*; non Tentari; sed Peccare incontinentiâ.

1. Quia *Vri* explicatur præcedente isto: *Si se non continent, nubant*, id est, si vrunrur.

2. Quia dicit, *Propter fornicationem vnusquisque, &c.* non ait *ob tentationem.*

3. Quia ait: *Reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam*; non ait, *tentatione*.

4. 1. Timoth 5. *Volo iuniores nubere*: Ob tentationem? Non; sed ob incontinentiam: Nam, *Nullam*, addit, *dare occasionem aduersario, maledicti causa. Iam enim quædam abierunt post Satanam.*

5. 2. Corinth. 12. *Datus est mihi stimulus &c.* sed *rogaui, &c.* Quod plerique Patres de re pudorosa interpretantur non de persecutione aut dolore capitis: quia hæc non sunt pudenda Vnde Rom. 7. *Mente seruio legi Dei; carne, legi peccati*: Sic: *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum.* Item. *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis.*

6. Ita S. Patres exponunt hoc, *Vri*: quod, ait ibi S. Thomas, est, non calere, se calore damnum perpeti.

II Incontinentes non vocantur scepticè ad nuptias; sed remedium eis ostenditur, quo vtantur, si velint. Quæ Permissio est non Præceptum citatoriũ; teste *hic S. Chrysost.* Vt, qui dixerit: Nolens pugnare, fugiat: fugere enim melius est quàm occidi: is suadet, non imperat.

2. Vt istud, *Reuertimini in idipsum*, dicit *secundum indulgentiam, non secundum imperium*: Ita & hoc; *Qui non se continent, nubant.* Ita & hoc, *Vnusquisque vxorem habeat*, qui duxit, *suam:* qui nondum duxit, ducat *ob fornicationem:*

3. Sicut istud, *Volo omnes esse sicut meipsum*, id est, continentes, est Consilii: Sic & hoc, *Volo iuniores nubere.* Ita S. Patres. *Bell. l. 2. c. 30.*

III. Hoc Consilium, seu Permissio, seu Remedium non datur obstrictis Voto; sed Solutis. Nam hi possunt Nubere, & *Vri*; Coniux autem, altero ad debitum impotente, licet Vratur, nõ tamẽ ei melius est Nubere; quia non licet talis bigamia: Ita & Castitatem professus. Sic Patres. Hinc liquet de obiectis.

QVÆSTIO LXIV.

An ob rarum Continentiæ Donum sit licitum Castitatis Votum?

LVTHERANI pariter & CALVINIANI Licitum negant ob Scripturas.

SVADENT istis. 1. Sap. 8. *Nemo potest esse continens, nisi Deus det.*

2. *Quia*, Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum hoc sed quibus datum est. Qui potest capere, capiat.*

3. *Quia*, 1. Cor. 7. *Volo omnes homines esse sicut meipsum. Sed vnusquisque proprium donum habet, vnus sic, alius autem sic.*

4. Ibidem. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem potestatem autem habẽs suæ voluntatis; & iudicauit in corde suo seruare Virginem suam bene facit.* Vbi S. Hieronymus l. 1. contra Iouinian. ait, quosdam habere necessitatem aut nubendi; aut scortandi.

Quare nemo debet Vouere, nî sciat certò se posse seruare. Nam, Eccl. 5. *Displicet Deo infidelis & stulta promissio:* At nemo scit an habeat Donum, aut an sit retenturus: Ergo nemo, nisi temerè, vouet. Vnde, *Qui*

vouerunt, poſſunt ac debent Votum reſcindere: Quia quæ non ſunt in noſtra poteſtate, non ſunt materia Voti.

AVTOR. 1. Continentia eſt Dei Donum; & tamen in hominis poteſtate. 1. Nam Dona Dei ſunt duplicia. 1. Quædam dantur homini ſiue eius cooperatione; vt ſanitas, forma, prophetiæ donum & linguarum. 2. Alia ſunt auxilii diuini, & ſimul humani ſtudia: vt credere, ſperare, tentationes vincere. &c. Horum opera pendent ab electione humana; tale eſt opus Continentiæ: & Sectarii volũt eſſe prioris generis.

2. Deinde Auxilium Dei duplex: 1. Sufficiens, vt poſſimus bene operari ſeu continere. 2. Efficax, quo actu ipſo Continemus, credimus, perſeueramus. &c. Sic 2 Theſſ 3. *Non omnium eſt fides*, continentia &c.

Eſſe tamen donum Dei; concedunt Sectarii: At Eſſe in poteſtate noſtra, Negant.

II. ESSE, PROBATVR. 1. Matt. 19 *Sunt Eunuchi qui caſtrauerunt ſeipſos*, ſuo libero arbitrio, non dono neceſſitante eos: quia ſic dixiſſe oportuit, *Qui facti ſunt à Deo.* At verè, *ſunt prophetæ, qui facti ſunt à Deo.*

2. Quia Chriſtus & Apoſtoli hortantur ad Continentiam: ſed ad ea, quę non ſunt in poteſtate noſtra, nemo ſanus hortatur: Nemo etiam eum, qui non habet donum: quia non poteſt continere: Nec eum qui habet; quia is, Bucero & Martyri, *in Matth. 19.* non poteſt non continere.

3. Quia. 1. Corinth 7. *Quod vult, faciat*: liberum relinquitur: ergo vtrumque eſt in poteſtate noſtra.

4. Cœlibes in Scriptura laudantur, & præmiantur.

5. Ita S. Patres.

DICO AD I. Dici id de Continentia in genere, de coniugali, viduali, Virginali: & earum aliqua ab hominibus haberi poteſt.

AD II. *Capere*, non ſignificat Naturalem capacitatem, vt Sectarii volunt; ſed voluntariam. Quia iſto hortatur nos Dominus ad continentiam: ergo ad voluntariam: non ad naturaliter neceſſariam, quæ nulla eſt. Item: *Qui poteſt* 1. Potentiâ proximâ. ſcilic. habens efficacem gratiam: Qui non habet, oret vt accipiat. 2. *Poteſt*, Potentiâ etiam grâ vel impeditâ, *capiat*, id eſt, oret vt poſſit *Velle* capere; Deus *Perficere* dabit.

AD III. Nil concludit: Nam alius eligit donum continentiæ, alius non, ſed nuptialem gratiam.

AD IV. Loquitur de extrinſecis & accidentaria neceſſitate, non de interna animi: Vt ſi filia nolit continere, ſi ſit ſeruа, non ſua, ſed domini.

III. Perendane eſt à Deo Cõtinentia? *Petrus Martyr l. de cœlib.* ait: Non; niſi ſub conditione; ſi expedierit. *Bucerus in Matth. 19.* Non dabit, qui neſciunt an Deus eis dare velit hoc donum. Rom. Quia oratio debet naſci ex fide; fides autem nititur promiſſo Dei: hoc verò nullum eſt de certò perennaturâ ſubſiſtentiâ.

DICO AT ſufficit generalis promiſſio Dei, Luc. 11. *Petite, & accipietis.* Si enim particularis requireretur, nec fides, ſpes, &c poſſet. Sat, quòd, 1. Ioan. 5. *Hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum; quia quodcunq; petierimus ſecundum eius voluntatem, audit nos.*

QVÆSTIO LXV.

Num quæ Incommoda naſcantur ex Cœlibatu, vt ideò fugiendus ſit?

Luthe

LVTHERO-CALVINISTÆ: Complura. 1. Cœlibatus repugnat naturæ, dantí sexuum diuersitatem, & vim generativam. 2. Mundus periret, si omnes continerent. 3. Ex cœlibatu minuitur numerus Christianorum. 4. Morbi subinde oriuntur; seruandi est autem valetudo. 5. Vis generandi est bona; quia erat etiam in natura nondum lapsa, estque in animantibus. 6. Virtus per se, vt bona, appetitur: Virginitas verò non propter se, sed ad expeditius orandum. &c. ergo non est virtus. &c.

AVTOR. Hoc verò nugari est in re grauissima.

DICO AD I. Hæc ratio fuit Iouiniani teste Hieronymo lib. 1. Iam est Lutheri & Erasmi. Naturæ dona sunt propter bonum speciei, non indiuidui præcipuè.

AD II. Semper erunt plures imperfecti quàm perfecti, id est, Continentes. Ita Hieronymus. At Augustinus: *Vtinam omnes continerent, multò citius Dei ciuitas compleretur, & acceleraretur terminus sæculi.*

AD III. Ambrosius lib. 3 de Virg. *Quis ergo quæsiuit vxorem, qui non inuenerit?* Item ea ratione oportet inducere polygamiam.

AD IV. Morbi ex Incontinentia & crapula nascuntur; non ex Continentia. Dein; hæc dignitate compensat vitę breuitatem, superat longæuitatem.

AD V. Inclinatio naturalis in absolutè necessariā rem, est comedere. &c. In cōditionatè necessariam ob circumstantias, est Nubere. Conditionata necessitas erat in natura integra, estque in lapsa: absoluta in animantibus. Nam hæc ad conseruandam speciem: illa ad serius, citiusue replendum cœlum, saluâ temperantiâ.

AD VI. Virginitas, vt est perfecta refrænatio concupiscentiæ, mediumque ad maius bonum latriæ purioris, sic est virtus. Cætera, quæ ex Conciliis, & S. Patribus adducunt, vide apud *Bell. l. br. 2. c. 33 34.*

QVÆSTIO LXVI.

Ecquibus Vouere Castitatem fas, nefasue?

LVTHERVS *libro de Votu monastico.* Viris nō ante annum 70. aut 80. Sic & Augustana Confessio *artic. 27.*

CALVINVS *Instit. l. 4. c. 15. §. 19* Olim vouere nefas ante 60. annum fœminis. Sic & Martyr.

SVADET. 1. Quia, 1. Tim. 5. *Adolescentiores viduas deuita, seu, reiice.* 2. Ibid. *Volo iuniores nubere.*

AVTOR. I. Fidelibus, in vsu liberi arbitrii constitutis, vouere castitatem licet. 1. Sic Scriptura & exempla, in *Antichristo part. 2. q. 27.* 2. Sic Patres S. Athanasius *libr. de human. Verbi*, dicit, Pueros Virginitatem profiteri doctos à Christo esse. Basilius *in quæst. fusè disput. quæst. 15.* Pueros ad monasterium recipiendos; at non ad professionem, nisi vsum habentes liberi arbitrii. Ambrosius lib 3. de Virg. *Non ætas reticitur; sed animus examinatur.*

II. AD Publicam tamen professionem recipiendus nemo ante ætatis annum XVI. *Trid. Sess. 25. c. 15.*

DICO AD I. *Reijce*, scilic. à numero præbendariarum, quæ alere se nequeant sexagenariæ; non autem à voto Continentiæ.

AD II. Id est Consilium; vt hoc: *Volo omnes esse sicut meipsum.*

II. LVTHERANI, vt MAGDEBVRGENSES *Cent. 4. c. 10. Cent. 6. c. 6.* Martyr, *l. de cœlib.* Nefas liberis, quantæuis ætatis, vouere castitatem, inireue Religionem, parentibus inuitis.

SVADET istis. 1. Quia quartũ Decalogi obligat in omni ætate. 2. Quia vxor absq; consensu viri, aut Domini, seruus nequit ingredi Religionem: Ergo nec filius sine parentum consensu.

AVTOR. Si parentes sine filiorum auxilio queant viuere; & attigerit pubertatis annum filius 14. filia 12. tunc licet vel inuitis parentibus inire Religionem. 1. Sic Scriptura, *in Antichristo part. 2. q. 27.* 2. Sic Canones & Patres: *Bell. l. 2. c. 36.* Ratio Amb. l. de Virg. *Cui licet maritum eligere; Cur non licet Deum præferre?* Chrysostomus homil. 84. in Ioan. *Cum spiritualia impediunt parentes, nec agnoscendi quidem sunt.*

DICO AD I. Ad hoc Eph. 6. *Obedite parentibus*, additur, *in Domino*, id est, nõ in iis, quæ impediunt pietatem.

AD II. Rectè, quia, 1. Cor. 7. *Vir non habet corporis sui potestatem, sed vxor*; & contrà.

III. LVTHERANI: vt Petrus Martyr in 1 Cor. 7. *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu, ad tempus.* Ergo vouere continentiam non licet, minus perpetuam. Quia 2. Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

AVTOR. At licet ex consensu mutuo. 1. Quia si *ad tempus*, vt vacetis orationi, licet; *& reuertimini in idipsum*, hoc dicit *secundum indulgentiam*: ergo secũdũ perfectionem licet in perpetuũ. Sic Hieronymus, Ambrosius, Theodoretus. 2. Exempla suppetunt complura: *Matth. 1.* Mariæ & Iosephi. Heluidij enim hæresis fuit, B. Mariam non seruasse Virginitatẽ. *Magdeb. Bucerus, Martyr, Calu.* dicunt eo contraxisse animo, vt per copulam prolificaret.

IV LVTHERANI, vt Kemnitius *ad Sess. 24. Can. 6. Trid.* Magdeburgenses *Cent. 1, lib. 2 cap. 12.* Erasmus *in 1. Cor. 7.* Per monasticam professionem solui nequit matrimonium seu ratum & consummatum, seu ratum tantum.

SVADENT istis. 1 *Matth. 19. & 1. Cor. 7.* insolubile pronunciatur, etiam Consummatum; nam actus coniugij non est eius essentia; ideo vtrumque deficit accidentaliter. 2 Ratum, est verum Matrimonium cum significet verè Christi & Ecclesiæ vnionem. 3 Ratum dat alteri potestatem corporis. Ergo inuito altero alter vouere nequit Continentiam,

AVTOR. Soluitur per Professionẽ matrimonium duntaxat Ratum: non soluitur Consummatum. 1. Ratum, quia licet ex cõsensu mutuo vouere perpetem continentiam. Liquet suprà. Et Sanctorum exempla Deus approbauit, & Ecclesia. 2. Consummatum verò non soluitur; 1 Quia minimum de consummato debent intelligi ista: Matth 19 *Quos Deus coniunxit. &c.* 1 Cor. 7. *Præcipio non ego, sed Dominus, mulierem a viro non discedere.* Ita Patres.

DICO AD I. II. Ea rectè probant Ratum non esse solubile ab humana autoritate: at non probant non dirimi à Deo posse: qui tunc dirimit, cum ad perfectiora vocat. *Ratum* igitur & *Consummatum* nec essentialiter differunt, nec accidentaliter; quia vtrumque est verum Matrimonium: Sed *perfectum* & *imperfectum* differunt. Hoc enim est in actu signato, illud in exercito.

AD III. In dando potestatem semper subintelligitur tacitè; Nisi vota altiora vocent ad spirtales nuptias cum bono tuo, sine damno comparis.

Quæ-

QVÆSTIO LXVII.

An vita EREMITICA sit probanda?

LVTHERANI vt Magdeburgenses *Cent. 4 & 5. cap. 6. & 10.* CALVINVS *Instit. l. 4. cap. 13. §. 16.* culpant duo: Solitudinem, & Austeritatem.

SVADENT. istis. *Solitudinem*; 1. Quia petitur ex odio generis humani; contrà Hebr. 10. *Non deserentes collectionem nostram.* 2. Quia deseruntur officia charitatis à Deo mandata: contrà Heb. 10. *Adiuuemus nos inuicem.*

Austeritatem: 3. Quia se exponunt periculis & tentationibus: contra Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* 4. Quia sui ipsorum homicidæ sunt ieiuniis. &c. contra Col. 2. *Habeto honorem corpori.* 5. Quia multi Religionem posuerunt in fatuis ridiculisque rebus: vt Simon Salus.

AVTOR. Vita eremitica est Sancta. 1. Testis Scriptura *in Antichristo meo part. 2 quæst. 28.* ab exemplo Heliæ, & Baptistæ: cuius & desertum, victum, cultumque mirè interpretantur Magdeburgenses *Centuria 1 libr. 1. capit. 6.* Bucerus & Zvvinglius, apud *Bellarmin. lib. 2. cap. 19.*

2. S. Patres eâm iustis vehunt encomiis.

3. Rectaque illam ratio tuetur multiplex. 1. Tulit enim viros sanctissimos 2. Quia Solitudo & Austeritas sunt optima media ad finem vltimum consequendum: accedit Oratio, Consolatio, victoria sui & cupiditatum, Pœnitentiæ fructus; *Ne leui saltem macula vitam crimine possint.*

DICO AD I. Non hominum odio; sed purioris Vitæ studio secedunt. Aug. l. 1. de morib. Eccl. c. 9. *Quid est quod vident, qui non possunt homines non diligere; et tamen possunt homines non videre? Profectò illud, quicquid est, præstantius est rebus humanis, cuius contemplatione potest homo sine homine viuere.*

AD II. Aug. ibid. c. 31. *Videntur nõnulli plus, quàm oporteret, deseruisse res humanas; Non considerantibus, quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur.*

AD III. Non, exponere se; sed temerè exponere periculo, peccatum est.

AD IV. Quin multi talibus perdiu vixerunt. Honore verò corpori habẽt; vt is, qui ait, 1 Cor. 9. *Castigo corpus meum. &c.* & tamen ei præbent necessaria.

AD V. Instinctus *S.* Spiritus id egit. Sic Isaiam *cap. 20.* iussit incedere nudum: Ieremiam, *cap. 28* catenatum: Ezechielem, *cap. 4.* edere panem fimo bouino coctum, cubare per 390. &c.

QVÆSTIO LXVIII.

An habitus monastici & tonsuræ sua sit Antiquitas, & Ratio?

LVTHERANI, vt Magdeburgenses *Cent. 4. cap. 6.* vtrumque superstitionis arguunt; difformeque Scripturæ, & Ecclesiæ puræ dicunt.

CALVINVS *Instit. l. 4. c. 19.* § 27. Vsum habitus cœpisse putat tempore S. Augustini: Causam tonsuræ, quod tunc solum delicati essent comati.

SVADET istis. Hortensius Landus: 1. Quia, Leu. 19. *Non attondebitis comam in rotundum.* 2. Ierem. 9. *Dispergam omnes circumtonsos in comam.* 3. Luit. 21. Sacerdotes *non radent caput, neque barbam.* 4. *Baruch vlt.* Ieremias ridet sacrificulos rasos caput & barbam.

AV

AVTOR. I. Habitu notabili profitentes mundi contemtum ac pœnitẽtiam indui peruetus eſt. Teſte *S.* Dionyſio lib. Eccl. Hierarch. c. 6. Athanaſius, ait *fuſcam ac vilem* gerunt: Palladius, *cucullis* vſas Sanctimoniales: Tertullian', *Deo dicatos habitus* ferunt. Ecce antiquitatem.

II. RATIO monaſtici habitus eſt Dionyſio Baſilio, 1. Mutatio vitæ, & ad deſignandum huius propriã profeſſionem. 2. Vt ſic inſignes habitu cogãtur rectius viuere, ceu cognitu faciles. 3. *Cucullus*, ait Caſſianus, denotat infantilem ſimplicitatem & innocentiam. 4. *Saccus*, ait Hieronymus & Caſſianus pœnitentiam, mundique contemtum indicat.

III. TONSVRARI peruetus eſt. Dionyſ. *Sacerdos ſigno crucis eum conſignatum tondet; omnique veſte detracta eum aliâ induit.* Anicetus Papa iubet in modum ſphęræ caput radi. Iſidorus & Beda aiũt, S. Petrum geſtaſſe primum coronam; ac inde clericalem deſcendere tonſuram, ſimilem hodiernæ monachali, teſte *Concilio Toletano.*

IV. RATIO Tonſuræ, 1. Quia, Concil. Agath. iubet pœnitentes tonderi. 2. *Iſidori:* Imitatio Nazaræorum, qui die conſecrationis ſuæ radebantur, coma infernè defluente. 3. *Bedæ.* Inſignecoronæ Dominicæ. 4. *Iſido.* In ſignum abiiciendorum ſuperfluorum. 5. *Dionyſius.* In ſignum vitæ apertæ & puræ.

Vnde figmenta Lutheri & Caluini patent.

DICO AD iſta *Iſichio teſte:* Sic tonderi, erat ornare comam: quod ueitum. *Deinde*, Sacerdotibus Iudæorum erat prohibita raſura; ne ſimiles eſſent gentilium ſacrificulis. *Demum*, iſta erant Ceremonialia; ideo nil obligant hodie.

QVÆSTIO LXIX.

An Monachis Laborare *neceſſe: & nefas* Mendicare?

CALVINVS *Inſtit. l. 4. c. 31. §. 10.* Cum Wicleffo pertendit, Monachos ſolum ſuis victitare laboribus oportere.

1. Idque vi ſui Præcepti, ſeu Conſilii *Eph. 4. 1. Theſſ. 4. 2. Theſſ. 3.* 2. Quia & Auguſtinus *lib. de opere Mon. cap. 17.* ait, contemplatiuos, vt maximè vult exemtos labore. 3. Quia, ſic mos perpetuus obtinet monaſticus.

AVTOR. Laborandi præceptum & uſus omnibus commune eſt.

1. Vt, Eph. 4. *non furetur quis.* 1. Vt Theſſ. 4. *Honeſtè ambuletis ad eos, qui foris ſunt; Et nullius aliquid deſideretis.* 2. Theſſ. 3. *Audiuimus enim aliquos inter vos inquietos eſſe, nil operantes, ſed curioſè agentes.*

2. Qua cauſa S. Auguſtinus arguit otioſos laboriſugas. Qui autem prædicant, ſacrificant, verè laborant operandi gni etiam mercede ſua. Quin, cap. 20. ait ex *Act. 11.* qui omnia in commune ad pedes Apoſtolorum depoſuerant, non coactos laborare; ſed collectis Graorum ſuſtentatos eſſe.

3. Nec contemplatiuos ad laborem obligat, cum intendunt altiori bono orationis, Pſalmodiæ &c. Quæ tamen vult interponi exercitio corporali.

4. Ad hoc quoſdam ſua regula adſtringebat principaliter: quòd plerique venirent laici ad monaſticen.

Hinc

Hinc corrunt obiecta prius.

II. LVTHERVS *art. vlt.* BRENTIVS *in Confess. Wirtenbergica c. de Votis* Nefas ducunt MENDICARE Monachos; esseque ob id extra statum salutis.

SVADENT. 1. Quia exponunt se periculo moriendi fame.

2. Quia eleemosinæ debentur solum impotentibus ad se alendos.

3. Quia diuina humanaque lex vetat voluntariam mendicitatem. Ita & olim damnati, hæretici in meo *Antichristo part. 2. q. 29.*

4. Quia Christus, etsi pauper, non tamen mendicauit; vt Adæ successor in orbis dominio, licet obstante ei lege ciuili.

5. Etsi mendicasset Christus, esset tamen opus admirandum, non imitandum: sicut ieiunium XL. dierum.

6. Apostolorum vita, omnia relinquentium, erat solum ad tempus instituta, & Dominus reuocauit, Luc. c. 22. *Sed nunc, qui habet sacculum, tollat, similiter & peram.*

7. Quia Apostoli ex iustitia victum à populo repetebant: Matth. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* 1. Cor. 9. *Quis militat stipendiis suis vnquam?*

AVTOR. Vitam MENDICANTIVM Religiosorum Pontifices, & generale Concilium Lugdunense approbarunt, vt sanctam: Et rectè. 1. Domini & Apostolorum fundatam Exemplo, & Doctrinâ. Vide in meo *Antichristo part. 2. quæst. 29.* 2. Illustratam à Deo miraculis; præsertim per S. Dominicum & S. Franciscum, qui ad instar Regulæ sibi acceperunt caput 10. Matthæi: sequentibus signis, ad innumeram infidelium conuersionem.

DICO AD I. Psal. 36. *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum. Spera in Domino, & fac bonitatem; & inhabita terram, & pasceris in diuitiis eius.* Adeo non periculum est de morte ex fame; nec est tentatio contra Deum.

AD II. Debentur maximè propter Christum pauperibus; inque Christi Euangelio laborantibus.

AD III. D. Thomas opusc. 19. Isto, *Non erit mendicus inter vos*, mandatur diuitibus liberalitas, ne quis egere sinatur. Deinde promittitur tanta vbertas, per quam *non erit mendicus.*

AD IV. Dominium illud originale periit per iustè introductam rerum diuisionem: vnde carere eo voluit Dominus. Nec tamen ex carentia dominii, sed amore solo Paupertatis, mendicus erat: nec ditescere voluit, cum potuisset, in Regem electus: quod fugit.

AD V. Est & imitandum; quò minus ad id miraculo opus; sicut nec ad dierum XL. ieiunium.

AD VI. Si ad tempus; ergo licita est in se vita mendica. Neque reuocauit Christus, vt patet, *1. Cor. 9* Sed ostendit, in quanto sint timore futuri tempore Passionis suæ. Nam qui dixit: *Nolite possidere aurum*: Ipse loculos habebat sub fure custode Iuda.

AD VII. Apostoli non ex debito ministrabant spiritalia populo, sed ex charitate, Christo quidem adhuc viuente; ideo non ex iustitia quoque exigebãt sustentationem; sed ex æquitate & charitate.

IX. DE LAICIS.

QVÆSTIO LXX.

An Politica Potestas sit bona, & licita Christianis?

DONATISTÆ Magistratuum Autoritatem omnino tollebant.

LIBERTINI nuperi, prætextu Christianæ Libertatis, idem innouarunt primi.

ANABAPTISTÆ & TRINITARII in Transyluania licet fateri cogantur, in Veteri

Teſtamento Magiſtratum à Deo fuiſſe; Chriſtianis tamen licitum eſſe negant, quin & diſplicere Deo: Ac proinde Chriſtum Falſum habere in ſua Eccleſia Reges, Principes: Chriſtum verum nil tale pati poſſe.

SVADENT iſtis. 1. Quia, Chriſtus & Apoſtoli vetant. Matth 17. *Reges Gentium. &c. Ergo liberi ſunt Filij.* Luc.22. *Reges gentium dominantur eorum: Vos autem non ſic.* Rom.13. *Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* 1. Cor. 7. *Pretio emti eſtis; nolite fieri ſerui hominum:* 2. Cor. 8. *Vnus Dominus:* Eph. *Vna fides. &c.*

2. Quia, plerique abutuntur potentiâ: vt Nemrod, Pharao, Nebuchodonoſor, Saul, Roboam.

3. Quia, Iudæis permiſſus fuit Magiſtratus ob imperfectionem, vt pueris: *Gal. 4.* At nos Viri ſumus perfecti, & Vncti.

4. Deus creauit hominem liberum; peccatum introduxit dominatum & ſubiectionem: At per Chriſtum liberati ſumus. Dictumque, *Dominamini piſcibus*; non *hominibus*. Quia naturâ æquales ſunt omnes.

AVTOR. Bonus, & licitus eſt Magiſtratus Chriſtianis. 1. Sic Scriptura *in Antichriſto part. 2. q. 30.* Nam licet Chriſtianos ſubeſſe Ethnico; ergo magis ſubeſſe Chriſtiano Magiſtratui: at ſubeſſe plus aduerſatur Chriſtianæ libertati; ergo magis etiam licet præeſſe Chriſtianis.

2. Quia viri ſancti geſſerunt Magiſtratum, Melchiſad. Ioſeph, Moyſes, Ioſue. &c. Regulus, *Ioan. 4.* Paulus Proconſul, *Act. 13.* Quod autem rara ſint in Nouo Teſtamento exempla, fit, quia Chriſto regnum auſpicari placuit à pauperibus, *1. Cor. 1.* Ne videretur Eccleſia creuiſſe ex humana potentia; quæ potius 300. annis oppreſſa creuit. Nec exempla malorum Principum eſſe probant malum *principari*; cùm & aliis in rebus mali abutantur bonis.

3. Natura humana ſocialem vitam requirit, ob mutuam neceſſitatē: iſthuc autem opus regimine eſt. Bruta ſufficiūt ſibi ipſis, per naturam ſat inſtructa; at homo ſit oportet homini Deus.

4. Quia politica poteſtas à Deo eſt in genere. &c. teſte Scriptura in Antichriſto: nam conſequitur neceſſariò ad naturam hominis; ergo eſt ab autore naturæ. Item in genere poteſtas pendet ex iure naturæ, non ex hominum conſenſu; nam debent ab aliquo regi, nî peiùs malint. Eſt autem ea poteſtas immediatè in multitudine iure diuino nam nullus in particulari præeſſe poteſt ex le magis, quam alter. Cùmque nec multitudo præeſſe queat, ideo tenetur eam tranſferre in vnum, aut plures, eo pacto, quo placuerit: Et hinc exiſtunt ſpecies regiminis Monarchia, Ariſtocratia, Democratia.

5. Quia ſtatus politicus fuiſſet quoque in ſtatu innocentiæ; cùm etiam tunc homo fuiſſet naturaliter animal ciuile & ſociale: ſocietas autem eſt multitudo ordinata. Vide *Bellarmin. libr. 3. de Laic. cap. 7.*

DICO AD I. Chriſtus non prohibuit principari: nam id ſolis dixit Apoſtolis, ne dominentur more ſæcularium. Voluit tamen eos præeſſe; ideo ibidem ait: *Qui Præceſſor eſt, ſicut miniſter.* Modum igitur vetat dominandi, nō ipſum *Præſidere.* Vnde iuſſit Matth. 22. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Proinde, Rom 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque*

qui

qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Non sine causa hæc gladium portat.

Ad II. Abusus rei est abutentium noxa, reiq; bonitati nil adimit. *Sic* foret institutæ à Christo potestas etiam Ecclesiastica etiam eliminanda; vt quâ multi sint abusi: item matrimonium. &c. Vnde, 1. Pet. 2. *Subditi estote omni tempore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.*

Ad III. Iudæis non ob imperfectionem permissus est magistratus; sed ob ius diuinum, & naturale. &c.

Ad IV. Quin ideo Deus fecit mulierem ex viro, & non creauit viros multos; vt ex vno omnes nati scirent esse ordinem debere & præfecturam, saluâ libertate arbitrii cuiusque. Peccatum verò induxit dominatum Coactionis, non Directionis; nam hic & in statu innocentiæ fuisset: Christus autem nos liberauit à seruitute peccati, non principatus.

Atque in istis sentiunt nobiscum Luthero-Caluinistæ. Sicut & in hoc: Dominium & in impiis esse posse.

QVÆSTIO LXXI.

Potestas politica an possit condere leges in conscientia obligantes?

WALDENSES olim, & ANABAPTISTAE hodie, negant licere Magistratui ciuiles condere leges: Iudicia exercere: Punire improbos.

SVADENT istis. 1 Matth. 5. *Si quis voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere; da ei & pallium.* 2. 1. Corinth. 6. *Delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Cur non magis fraudem patimini? Quare non magis iniuriam accipitis?* 3. *Dictum est antiquis*, Matth. 5. *oculum pro oculo, dentem pro dente: Ego autem dico vobis, Non resistere malo.* Matth. 26. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

AVTOR. Christiano Magistratui licet condere leges. 1. Teste S. Scriptura, in meo *Antichristo p. 2. q. 30.* 2. Ratio. Quia ciuili vitæ, cum sit socialis, necessaria est directio & regula suarum actionum in consuetudine, commerciis, obedientia. &c. Natura verò cùm solũ generalia ostendat principia; sunt hominibus particularia ex iis deducenda ac proponenda. Nec sufficit lex Euangelii; vt quæ sit de diuinis; de humanis igitur humanas leges dare est hominis, à Deo cæteris præpositi. Vnde, *Legibus antiquis res stat Romana, Virisq;.* 3. Libertas Christiana postulat leges ciuiles, quibus, post Deum, conseruetur à peccato, Libertati veræ contrario. Teste Scriptura in Antichristo. 4. Lex diuina non pugnat cum libertate Christiana; quia Adæ creato libero, lex data est, Genes. 2. *De ligno scientiæ boni & mali non comedes.* Ergo nec humana lex pugnat cum libertate: quia quoad obligationem diuina & lex humana sunt æquales.

II. IVDICIA EXERCERE licet Christianis Principibus: Nil enim prodessent leges, nisi licita forent iudicia. At leges tolli nequeunt: ergo nec iudicia. Ps. 2. *Reges intelligite, qui iudicatis terram.* Deut. 16. *Iudices & Ministros constitues in omnibus portis, vt iudicent populum iusto iudicio.* 1. Corinth. 6. *Secularia iudicia si habueritis, contemtibiles, qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad iudicandum. Sic non est sapiens quisquam in vobis, qui iudicare possit fratrem suum?*

DICO AD I. Augustinus epistola 5. ait. Ibidem dicitur: *Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe ei & alteram.* Christus tamen ipse percussus non præbuit alteram; docens Consilia non esse Præcepta.

AD II. Necesse est, quia delicta fiunt, vt & iudicia exerceantur. Non igitur hæc arguit; sed illa.

AD III. Lex vetus permisit talionē; Christus hanc sustulit, aiunt S. Patres. Dein; ait S. Thomas *in 3. dist. 30. Dictum antiquis, oculum pro oculo:* Non reprehēdit legem, aut talionem; sed prohibet priuatis appetitum vindictæ, quem ex ea lege Pharisęi licere contendebant. Istud, *Non Resistere malo*, intelligitur *non* offensiuè, sed Defensiuè resistendum.

III. PVNIRE licet perturbatores Iustorū. Gen. 9. *Qui effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Matt. 26. *Qui acceperit gladium*, iniustè; *gladio peribit.* Rom. 13. *Non sine causa gladium portat: minister enim Dei est Magistratus.*

Atque ista prolixè etiam docet contra Anabaptistas Caluinus *Instit. libr. 4. cap. 20.*

II. CALVINVS *Instit. l. 4, c. 10. §. 5.* Negat Leges ciuiles obligare in conscientia.

SVADET istis. 1. Politica potestas est temporalis; ergo nil ei cum conscientia. 2. Finis legum est Pax æterna: at hæc Dei est, nō regis. 3. Quia Rex non iudicat de internis. 4. Rex non absoluit: ergo nec ligat. 5. Bis puniretur peccatum, hic, & isthic. 6. Rex inferre nequit pœnam spiritalem; ergo nec ad eam obligare. 7. Rex plerunque non intendit obligare ad culpam.

AVTOR. Lex humana & diuina differunt firmitate: nam illa potest, hæc nequit abrogari: Obligatione non differunt.

1. Quia, vis obligatiua est de essentia Legis, vt regulæ morum, à qua recessus fit in peccato. Nec enim lex ideo solum obligat, quia est diuina; nam sic omnes æqualiter ligarent leges diuinæ: cum arctius illa liget, cuius violatio magis est contraria fini legis, scilicet charitati. *1. Timoth. 1.*

2. Quia lex diuina & humana sic differunt vt Lex, Papæ & Legati, Regis, & Proregis: at hæ nihil differunt in obligatione conscientiarum.

3. Sæculares Principes obligare possunt ad pœnam, ergo & ad culpam. Nam ait Aug. l. 1. retract. c 9. *Omnis pœna, iusta est, pœna peccati est.*

4. Sic Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non enim est potestas, nisi à Deo. 2. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. 3. Qui autē resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, æternam,* aiunt hic Patres. 4. *Idèo necessitate subditi estote. 5. Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. 6. Ministri enim Dei sunt.* 1. Pet. 2. *Subiecti estote propter Deum.*

DICO AD I. II. III. Ex istis sequitur, Magistratum politicum non posse obligare, nisi ad actus temporales & externos: non autem, non posse in hisce obligare conscientiam. Quia lex quà regula est, ab ea deuiare nefas est. Sicque potestas temporalis producit effectum spiritalem; quia lex & potestas in se sunt res spiritales.

AD IV. & VI. Rex non potest absoluere, aut punire pœna spiritali; at potest ad hanc obligare; quia pollet auctoritate Dei. Dein; lex obligat ad pœnā æternam non quia politica est; sed vt lex est ministri Dei.

Ad

AD V. Peccatum potest à pluribus puniri, quando plures offendit.

AD VII. Obligare pendet ex libera intentione Legislatoris.

QVÆSTIO LXXII.

An Christianis belligerare fas contra hostes?

MANICHÆI docebant bellum ex natura illicitum esse. Sic & Anabaptistæ, & Oecolampadius. &c. Huc plures adducit S. Patres Erasmus, apud *Bell. lib. 3. cap. 14.*

LVTHERVS *art. 34.* negat licitum Christianis contra Turcam gerere bellum.

SVADET istis. 1. Quia Voluntas Dei est, vt à Turca, ceu flagello puniamur: Dei autem voluntati resistere nefas. 2. Quia Ecclesiæ vtilior est tribulatio, quàm pax. Vnde Serm. de matrimonio, cui, at morem Ecclesiæ orantis pro pace. 3. Quia, ait *artic. 34.* Pontifici sunt peiores Tureis: at stultum est, pro peioribus contra meliores Turcas pugnare.

AVTOR. Odium in Papam huc impulit Lutherum.

DICO AD I. Permittit Deus nos exerceri, hoc fine, vt conuertamur à peccatis, non vt pereamus: Itaque vult vt resistamus molienti nobis interitum, quem Deus non vult. Immittit pestem; non vult tamen ei non resisti.

AD II. Quia tribulatio periculosa est, idcirco eam deprecari iubemur. Matth. 6. *Et ne nos inducas. &c.* Iubemur *1. Timoth. 2.* Orare pro regibus & pace.

AD III. Absurditatem suam Lutherus, *l. de Visit. Saxon.* postea reuocauit.

QVÆSTIO LXXIII.

An Principi sit dare libertatem Religionis, specie Conciliationis?

ETHNICI omnes Philosophorum sectas admittebant, ait *Aug. l. 18 de Ciuit. c. 51.* Themistius Philosophus Valenti Imperatori suasit, gratam Deo sectarum esse varietatem, dum ita modis plurimis colitur, fitque pluris, quò difficilius cognoscitur.

PROTESTANTES Spiræ anno 1526. sc obtinuisse ferunter libertatem religionis.

SVADENT istis. 1. Quia fides est libera. 2. Quia donum Dei est. 3. Quia experientiâ constat, cogendo nil profici. 4. Quia Christiani Iudæos, etsi hostes, semper toleraverunt.

AVTOR. Principis est tueri Catholicam Religionem; non alterius permittere libertatem.

1. Quia, Prouerb 20. *Rex, qui sedet in Solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Item, *Dissipat impios* hæreticos, *Rex Sapiens.* Psal. 2. *Reges erudimini, qui iudicatis terram; seruite Domino in timore.*

2. *Apocal. 2.* culpatur Angelus Pergami habens tenentes doctrinam Nicolaitarum. &c.

3. Contra libertatem eam sancierũt Papæ, decreuerunt Imperatores. Solum tres Imperatores eam indulserunt: Iouinianus, ideo grauiter à Concilio Antiocheno reprehensus. Valens, sed Arianus; & Iulianus Apostata.

4. Rationes sunt. 1. Quia, potestas sæcularis, & spiritalis sunt iunctæ in Ecclesiâ, sicut corpus & anima: ac huic illud parere debet præstare q; protectionẽ. Cùm autem dissensio in fide sit Ecclesiæ dissolutio; vinculum enim illi est confessio fidei, ideo fidei libertas ei exitialis est. 2 Quia, *Deut 17.* iubentur occidi, qui nõ obediunt Sacerdoti. Et, *cap. 18.* pseudoprophetæ exterminari: Et, *Aug. epist. 50* affert exempla Ezechiæ, Iosophat, Iosiæ. &c. destruentium lucos, idolorum fana, populumque ad verum Dei cultũ cogentium. 3. Quia, Pax reipublicæ dissuitur varietate religionum, subnascitur cuique mutua diffidentia: & sic *regnũ in se diuisum desolabitur.* 4. Quia, libertas credendi est libertas errandi in re o-

mnium periculosissima: nam Eph. 4. *Vna fides* solum esse vera potest.

Obiecta, vt refutatu sunt indigna, ex hisce tamen sat patent.

II. PACIFICANTES olim, ab Zenone Imperatore orti, teste *Euagrio lib. 3. c. 14 & 30* Et Apelles dicebant Sectas omnes conciliari posse, nec esse discutiendam fidei rationem; sat esse, credi in Crucifixum. Sic & nuper *Georgius Cassander*: Sit sua cuique fides, modò recipiant Scripturam & Symbolum Apostolorum; cætera Ceremonias esse in quibus dessentiatur.

AVTOR. 1. At non tam de horũ verbis, quam de sensu controuertitur, deque substantialibus articulis.

2. Rogabat & Valentis Imperatoris Præfectus Patres, ne tot Ecclesias vexari paterentur propter paruam dogmatum Arianorum subtilitatem; petebantque Ariani omitti vocem ὁμοούσιον, quæ nec in Scriptura vel Symbolo esset; imò literulam mutari in ὁμοιούσιον: ac spondebant pacem. Respondit S. Basilius: *Qui diuinis enutriti sunt eloquiis, corrumpere de iis ne vnam syllabam patiuntur; sed pro his, si contingat, omnes etiam mortis species amplectuntur.*

3. Non potest libertas credendi in vno concedi articulo, quin pariter & in aliis concedi debeat: Quia vna est formalis ratio fidei omnium ac singulorum articulorum: quique *peccat in vno, est omnium reus.*

QVÆSTIO LXXIV.

An hæretici damnati possint tradi gladio sæculari?

LVTHERVS *artic. 33 in assert.* Sicut & Huss *artic. 14* in Concilio Constantiæ damnato; negat iustè fieri. Sic & Donatistæ olim, teste *Augustino libr. 1 contra Parmen.* Vide *Genealog. p. 2. q. 16 & Antichristum p. 2. q. 30.*

SVADENT istis. 1. Quia, Ecclesia ab initio huc vsque nullum combussit. 2. Quia, non proficitur terroribus. 3. Ecclesia tolerat Iudæos. 4. *Matt. 18.* Iubentur haberi pro Ethnicis & publicanis; non comburi. 5. *Oportet hæreses esse*, 1. Cor. 11. *vt, qui probati sunt, manifesti fiant.* 6. Cupientibus comburi de cœlo Samaritas, ait Dominus; Luc 11. *Nescitis cuius spiritus estis.* 7. Matth 13. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem* 8. Dominus permittens multos abire, ait: Ioann. 6. *Nunquid & vos vultis abire?* 9. Fides est donum Dei; nemo igitur ad eam compelli debet. 10. Dominus tribuit Ecclesiæ *gladium Spiritus, quod est Verbum Dei*: non ferri ac flammæ. 11. Hæretici sunt extra Ecclesiam; at, 1. Cor 6. *Nihil ad nos de iis, qui foris sunt.* 12. Apostoli nunquam brachium sæculare contra hæreticos implorarunt.

AVTOR. Hæretici incorrigibiles, præsertim relapsi, sunt excommunicandi, relinquendique gladio. 1. Sic Scriptura in meo *Antichristo par. 2. q. 30.* 1. Quia sic praxis inde ab Constantino Magno contra Arianos & Donatistas, suppliciis affectos. 3. Ita S. Canones, Concilia, S. Patres, apud *Bellarmin. libr. 3. de Laicis c. 21.*

Ratio fauet. 1. Excommunicari possunt, quæ grauior est pœna: ergo & occidi gladio corporali, quod minus: teste *Aug. lib. 1. contra aduers. Legis c. 17.* 2. Quia, alii falsarii addicuntur neci. 3. Fœmina fallens viro fidem, est mortis: at Deo frangere fidem est grauius. 4. Tres causæ iusti sunt homicidii: *Ne mali bonis noceant: Vt* paucorum supplicio multi corrigantur, prosintque moriendo, qui viuendo noluere prodesse: *Et* ipsis improbis occidi satius est, cum deteriores euadunt. At hæ causæ in hæreticos conueniunt. Deus tamen ipsorum misertus mentem inspiret cunctis saniorem.

DICO AD I. Falsum est.

AD II. Contrarium constat experientia prisca.

AD III. Iudæi fidem Christianam nunquam deseruerunt: Coluntque Religio-

ligionem à Deo quondam institutam: at hæretici, ortam incentore diabolo.

AD IV. Nec adulteros, latrones, &c. Christus vnquam iussit occidi; rectè tamen plectuntur.

AD V. At non iubentur seminari, aut tolerari.

AD VI. Illi nunquam crediderunt: & Discipuli Zelo vindictæ mouebantur. At hæretici desciuerunt à fide; & Ecclesia non est vindictæ cupida.

AD VII. Zizania sunt omnes mali, non solum hæretici.

AD VIII. Christus non venit iudicare, sed iudicari: & ii recedendo se non obligarant, sicut hæretici obstinati.

AD IX. At est etiam actus liberi arbitrii, sicut & Castitas; &c. & tamen adulteri. &c. puniuntur. Et quidem fides etiam est libera infidelibus, vt eam acceptent; at Christianis est seruatu necessaria; ideo desertoribus pœna quoque debita est.

AD X. At ecce duos habet gladios.

AD XI. Sunt extra; sed cum debito pœnæ, aut reuertendi.

AD XII. Quia, ait *Augustinus epistola 50.* tunc nullus erat Princeps Christianus: secus, cum esse cœperunt Christiani, per IESVM CHRISTVM. AMEN.

Ecclesiomachiæ Luthero-Caluinisticæ

FINIS.

Gloria sit Triadi, Mariæ, & sit gloria Diuis.

COPPEN-

COPPENSTEINII LVTHERO-CALVINISTA SACRAMENTARIVS.

PARS TERTIA

MYSTERIOMACHIA LVTHERO-CALVINISMI

Sacrosancta Sacramenta impugnantis, DEMONSTRATA, AC REFVTATA.

I. DE CAVSIS SACRAMENTORVM.

QVÆSTIO I.

Sitne vtendum nomine Sacramenti?

LVTHERVS lib. de Captiuit. Babyl. cap. de Matrim. *Non habet vniuersa Scriptura hoc nomen, Sacramentum, in ea significatione, qua nostri vsus, sed in contraria. Vbique enim significat, non Signum rei sacræ, sed rem sacram & secretam.* Idem l. b. de abrog. Missa. *Fidelis conscientia meritò pauere debet, ne hoc Sacrificium appellet, aut credat; quod in Scripturis non sic dicitur. Qua enim furentior temeritas esset? &c.* 2. MELANCHTHON in Locis communibus cap. de Sacr. *Quæ alii Sacramenta, nos Signa appellamus?* Quin, σφραγῖδας, id est, Sigilla. 3. Sic & Andreas Carolstadius. 4. Zvvinglius, pater Sacramentariorum, libro de vera & falsa religione cap. de Sacramentis. *Vocem istam, Sacramentum magnoperè cuperem Germanis nunquam fuisse receptam.*

CALVINVS Instit. lib. 4. cap. 14. §. 17. *Veteres qui Sacramentorum nomen signis tribuerunt, minimè respexerunt, quis fuisset veteris huius vsus latinis; sed nouam hanc significationem pro suo commodo affinxerunt, quæ simpliciter sacra signa designarent.*

LVTHERVS viso, Carolstadium & Zvvinglium hostes suos, à voce Sacramenti abhorrere, mutat ideam, amplectitur impugnat, vocem, *Sacramentum*, pro; quòd, etsi non extet in Scriptura, Deus tamen eam nusquam prohibuit. Mox omnes Lutherani referunt idem, hodieque retinent, etsi ἄγραφον, ait Kemnitius.

AVTOR. Lutheranorum palinodia est quædam causæ iustæ victoria. Rectè igitur Lutherus lib. contra cœlestes prophetas, pag. 2. *Fatemur Christum non præcepisse, vt Sacramentum dicerur; sed dic, vbi prohibuit dici?* 2. Fa-

2. Fatentur Sacramentarii, in Bibliis idem esse *Mysterium*, quod *Sacramentum*: negant autem hoc propriè dictũ reperiri, in nostro significationis vsu. Ideo hi id reiiciunt, vt ἄγραφον: illi recipiunt, tametsi ἄγραφον. Sic tamen est in Scriptura, quatenus significat *signum rei secretæ*; & alubi etiam *rem secretam*. At Eph. 5. propriè significans exprimitur ibi, *Sacramẽtum hoc magnum est*: hoc sc. quod *erunt duo in carne vna*. Nìque ita significaret; Apostoli tota ratio periret. Probare enim nititur, debere viros diligere vxores suas; quia *hoc*; *Erunt duo in carne vna, magnum est Sacramentum*.

3. Ita S. Patres. Quare Kemnitius fatetur vocem, *Sacramentum*, inueniri in S. Scriptura propriè significantem; sed quatenus generica est; non quà specifica. Et ipse tamẽ vt specificâ vtitur in Exam. pag. 22. *Coniunctio viri, & vxoris in coniugio est Sacramentum coniunctionis Christi & Eccl-siæ.*

4. Omnis lingua ac natio vocem *Sacramentum* vsurpat propriè: vt vocum similium plurium Vsus obtinet cõmunis, quę tamẽ nusquam in Scriptura reperiũtur: vt *Trinitas*, *Consubstantialis*, *Persona*. &c. Ex his liquet vanitas Sectariorum.

QVÆSTIO II.

An Lutherana Sacramenti definitio subsistat?

KEMNITIVS ad eam octo requirit. Sacramentum est, 1. Signum materiale, 2. diuina mandatum institutione; 3. in Nouo Testamento. 4 perpetuum, 5. habens promissionem gratiæ, 6. annexam Signo. 7 ad peccatorum remissionem; 8. vt singulis, qui cum fide vtuntur Sacramento, in particulari obsignetur.

AVTOR. AD I. Idis nec docet, neq; alicunde vsquam è Scriptura docere potest: dicit solùm, quia pręsupponit, solum Cœnam & Baptismum esse Sacramẽta.

AD II. Esse Mandatum scriptum vel non scriptum, est Sacramentis per accidens, non essentiale: nam alioquin Christus & Apostoli non ministrassent vera Sacramenta ante, quam essent Euangelia descripta.

AD III. Rectè. Atque Caluinus *Inst. l. 4. c. 14. §. 7.* Kemnitius *in Exam. p. 2. c. de Baptismo Ioannis.* Melanchthon *in Locis.* volunt, Baptismum à Ioanne Baptista institutum, à Christo adprobatũ esse: Noui Testamenti verò autor cum Christus sit, Baptismum eis esse Veteris Testamenti institutum oportet, proindeque nec Sacramentum esse.

AD IV. Rectè: Malè igitur Lutherus *libr. de Captiuitate Babylonica cap. de Baptismo*, numerat inter Sacramenta Rorem velleris Gedionæi, Vmbram retrogressam Achazi.

AD V. Promissio gratiæ duplex potest videri: Vna, quæ sit effectus Sacramenti, vt signi efficacis ad iustificationẽ infallibilem Hæc apud Catholicos certa inuẽitur in Dei Verbo Scripto ad omnia Sacram: sed etiam in Tradito: apud Sectarios autem non. Nam Eucharistiæ extant promissiones tales, *Ioann 6.* At Luthero in Captiuitate Babylonica cap. de Eucharist. ibi *nec syllabâ de Sacramento loquitur:* Itemque Caluino ibidem cum asseclis. Nec vsquam extat alia: ergo ipsis nulla est; proinde nec Sacramentũ iis Eucharistia est. Nam *Mat. 24. Marc. 14. Luc. 22.* promissio refertur ad Sacrificium Crucis, non ad Sacramentum: *Tradetur*; ait, *Effundetur*; non, *Traditur*.

Altera promiſſio Præcedens, quæ Sacramento obſignetur, vti ſigillo Hęc neceſſaria non eſt, quia in Baptiſmo nequit offendi: ergo falſa eſt. Dicunt Lutherus in Viſit. Saxon & Melanchthon cap. de Baptiſmo: *Qui credit & Baptizatus fuerit, ſaluus erit*: En promiſſio. At non præcedens ſignum, ſed efficaciæ explicatio. Dein Baptiſmus eſt eis per Ioannē inſtitutus; illa promiſſio autem eſt poſt paſſionem facta. *Marc. vlt.* Et illud, Ioann. 3: *Niſi quis renatus. &c.* eſt comminatio, non Inſtitutio Baptiſmi.

Ad VI. Falſum eſt. Quia Verbum Signo annecti Ordinatione Dei iuſſum, nunquam eſt promiſſorium; ſed vel Aſſertorium vel Deprecatorium. Vt *Ego te baptizo*. Item: *Accipite & comedite. &c.* Lutherani & Caluiniani quod Verbū prædicatum eſſe formam dicant, id ex ſuopte fingunt cerebro; non ex Chriſto, vel Paulo.

Ad VII. Falſum eſt. Quia etiam Euchariſtia non eſt inſtituta ad remiſſionē peccatorum; ſed nutritionem viuorum. *Qui enim manducat indignè, iudicium ſibi manducat*, non remiſſionem peccatorū. Et tamen eſt verè Sacramentum.

Ad VIII. Sit quæſtio ſequens.

QVÆSTIO III.

An Sacramentum obſignet vt ſigillum, & confirmet vt miraculum?

LVTHERANI æquè ac CALVINIANI, aiunt. 1. LVTHERVS *lib. de Capt. Babyl. c. de Baptiſmo.* SVADET id ex miraculis Roris in vellere, *Iudic. 6.* Vmbræ retrogreſſæ, *3. Reg. 20.* quibus ſuas promiſſiones confirmauit. 2. Quia, 1. Pet. 2. *Saluos facit Baptiſma, non depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ interrogatio in Deum*, ἐπερώτημα, vertit Lutherus *Pactum*, ſic & Caluinus.

3. CALVINVS *Inſtit. l. 4. cap. 15. §. 5.* Circumciſio, *Rom. 4.* dicitur σφραγὶς, id eſt, ſigillum pacti Abrahæ facti. 4. Quia *Gen. 9.* Iris dicitur ſignum fœderis confirmati: Sic & Sacramenta.

AVTOR. Sacramenta non ſunt Sigilla, promiſſionem confirmantia inſtar Sigilli aut miraculi. 1. Quia ſic eſſe notiora & efficaciora deberent Verbo Dei: vt Sigillum Regis eſt notius literis; miraculum notius, non Verbo prædicato, ſed prædicantis fide. Atqui Sacramenta non ſunt notiora & efficaciora Verbo Dei: nam in omni re Verbum notius eſt quàm ſignum vel nutus. Et Lutherus ait, libro contra Cochlæum: *Verbum longè præualet ſigno viſibili; nullum tamen per ſe iuſtificat, niſi credentem.*

2. Quia Sacramenta eſſe Dei Sigilla neſcitur niſi per Verbum Dei: ergo hoc eſſe notius deberet ſigillo: at iſtud nullum de Sigillis extat. Et ſigillum regium ſine literis autoritatem habet; literæ verò nullam ſine ſigillo: atqui Sigilla Sacramentaria illa ſine Dei Verbo nullam habent autoritatem, & Verbum ſine iis habet.

3. Quia Eſſentia Sacramentorum nuſquam intelligi melius poteſt, quàm ex Verbis Inſtitutoris: At in his Sacramenta nuſquam dicuntur teſtimonia promiſſionū, ſed deſcribuntur vt Inſtrumenta Iuſtificationis. Vnde in Baptiſmo dicimur, *Ioann. 3.* naſci. *Eph. 5.* ſanctificari, mundari: Euchariſtia viuere in æternum, *Ioann. 6. &c.*

4. Quia bona opera ſunt teſtimonia adeptæ gratiæ longè meliora, quàm Ablutio vel Synaxis: cùm impii multi ficto corde baptizentur, & communicent: ergo ſi-

go sigilla ista gratiæ promissæ sunt aut superuacua, aut parum necessaria. &c. Plura in *Bellarmino libro 1. de Sacramentis cap. 14.*

DICO AD I. Hæc ad rem nihil. Nam miracula rectè fiunt ad probandũ Deum, eiusque promissa: quia, vt supernaturalia, ex se vim habent, non ex Verbo: At Sacramenta sine Verbo nullam.

AD II. *Interrogatio* ea Oecumenio est *Baptisma* ceu pignus *ad Deum.* 2. Lyrano &c. est interrogatorium baptismale; *Credu in. &c?* 3. Augustino, Basilio, &c. rectius est effectus ablutionis internæ, sc conscientia bona.

AD III. Pactum Circumcisionis trahi nequit ad omnia Sacramenta. Deinde, Apostolus vocat eam sigillum iustitiæ fidei Abrahæ, non promissionis & pacti: idque quia obsignatam tenebat Circumcisionem cordis, olim reuelandam. Demum priuilegium vnius Abrahæ transferri ad alios nequit: illud enim, quod esset pater fidelium, accepit merito iustitiæ, quam fide acquisierat; hinc *signum circumcisionis* fuit ei *signaculum iustitiæ fidei*, suæ, *vt sit Pater omnium credentiũ.* Vnde circumcisio omnib. est in σημεῖον, sed non omnibus σφραγὶς *Iustitiæ fidei.* Hinc Scriptura sæpius meminit signi Circumcisionis, ac hîc de Abraham solum Sigilli.

AD IV. Iris & Circumcisio signa fœderis erant; sed ad memoriam iuuandam; non ad fidem confirmandam: ceu & Baptismus & Eucharistia sunt Cõmemoratiua passionis Dominicæ; non Cõfirmatiua; quale est Verbũ Dei promissionis, à quo illa signa pendent: Qui enim Verbo non crederet, credet signo minus. Ita *Chrysost. hom. 39. in Genesin.*

S. Patres verò Sacramenta vocant sigilla, sensu alio, quàm Sacramentarii. 1. Tãquam notas summi Regis, queîs credentes separentur ab profanis: 2. Quia claudunt intra segratiam, ceu obsignata regis manu. 3. Quia sunt publica attestatio fidei.

QVÆSTIO IV.

Quæ aliæ potiores Sectariorum sunt definitiones Sacramenti?

PHANATICI, (vt eos Lutherus & Caluinus appellant) aiebant, Sacramenta esse symbola Christianæ Societãtis, seu, ait Melanchthon, *Tessera ac nota sunt quibus cognoscerentur, ad quos pertinent promissiones diuinæ*; id est, Christiani à non Christianis dignoscerentur.

AVTOR. Sacramentorum vsus vt sit Distinguere alios ab aliis, non tamen est solus, aut præcipuus. 1. Quia Scriptura nusquam loquitur Distinctionis; sed Iustificationis. 2. Quia Confessio fidei melius distinguit: cùm V. g. Baptismus sit veris Christianis communis cũ hæreticis. 3. Quia cùm Sacramenta vim habeant ex latere Christi passi, hoc nil opus fuisset: sat erat humanum placitum cuiuscunque tesserę. 4. S. Patres procul ab tali abhorrent sententia.

II. ANABAPTISTAE fingunt Sacramenta esse signa vitæ piæ, Christianæ; teste Melanchthone, Brentio, & Kemnitio.

AVTOR. Vt ille sit vsus ac finis eorum; non tamen solus, nec præcipuus: Tum ob prædictas rationes; tum quòd Sacramenta forent signa rerum futurarum vitæ emendatioris.

III. ZWINGLIANORVM, Sacramenta esse initiationem & oppignorationem, qua vtentes iis se obligant Christo: Ideoque esse testimonia, non iustificationis ei, qui ea suscipit; sed toti Ecclesiæ de obligatione suscipientis Christo facta.

AVTOR. Verum hoc: sed falsum, quod alium finem vsumque non agnoscat altiorem. 1. Quia sic Christus nil ageret per Sacramenta: At Ioann. 1. *Hic est, qui Baptizat*: Eph. 5. *Mundans eam.* 2. Quia Cinglius vult susceptorē Sacri: esse prius iustificatum; dein susceptione testari obligationem suam: At Scripturæ dicunt esse instituta Sacramenta ad iustificandum. 3. Quia *Rom. 6* Baptismus significat mortem & resurrectionē Christi; *1. Cor. 11.* Eucharistia est ad memoriam passi.

Orthodoxa Doctrina de Sacramenti ratione.

Sacramentum sit, 1. *Signum*, id est, res cognoscibilis, quæ ducat in cognitionem alterius. 2. *Sensibile* cuicunque sensui. 3. *Voluntarium*, seu datum non naturâ factum. 4. *Analogum*, rei significatæ, seu simile. 5. *Significatiuum* rei Sacræ, non profanæ. 6. *Effectiuum* rei significatæ, scil. sanctificationis, quæ hîc fiat cum suscipitur. 7. Et fiat *Vi Sacramenti*, ceu instrumentalis causæ. 8. Sitque status ac solennis *Ritus*, qui hominem Deo consecret. *Bell. l. 1. c. 9. de Sacrament.* Porro, *cap. 17. ibid.* de compositione Sacramenti.

Sacramenta Veteris Testamenti videntur habuisse Res solas non Verba: at Noui Testamenti constare debent Rebus, vt materiâ; & Verbis, vt formâ; sic, vt quà est signum, formaliter significet; quà est causa, vim habeat operatiuam. Non tamen necesse est, vt Res non sint Verba, aut verba non sint Res: sat, si aliquid fungatur vice Rei, aut Verbi: Neque necesse, vt res & verba coniungantur in omni Sacramento, vt partes essentiales rei eiusdem.

QVÆSTIO V.

An Forma seu Verbum Sacramenti sit Prædicatorium, an Consecratorium?

LVTHERANI & CALVINIANI, *in Baptismo* requirunt duo genera verborum: Concionale præcedens ad institutionem, & Baptismale in actu, *Ego te Baptizo &c.*

At *in Cœna* CALVINISTÆ requirunt vnum solum institutionis concionale, capiens verba Institutionis recitatæ.

LVTHERANI, verò hi recitant verba Institutionis historicè; isti cum intentione consecrandi; Alii non recitant: Vide *Kemnitium in Exam. p. 2.* Omnes tamen verè baptizant; sed non verè communicant.

II. LVTHERANI requirunt Verbum Concionale, non ad Essentiam Sacramenti; sed ad Fructum eius susceptionem.

CALVINVS verò & CALVINISTÆ Concionale Verbum requirunt ad Essentiā Sacramenti: Vnde patet, Verbum baptismale recitari ab eis in actu, Ego te baptizo &c. non vt Formam Sacramenti; quippe quæ sit Concionale verbum præcedens.

SVASIONES CALVINI, 1. Quia S. Augustinus tractatu 80. in Ioann. *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? Nisi faciente Verbo, non quia Dicitur, sed quia Creditur. Nam in ipso Verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, hoc est Verbum fidei, quod prædicamus. Vnde in Actu: Fide mundans corda eorum. &c.*

2. Calvini, Brentii, Kemnitii. Quia de murmurare verba super aquam, aut panem est species quædam magicæ incantationis.

3. CALVINVS Instit. libr. 4. c. 14. §. 4. *Quia minimè obscurum est, quid Christus fecerit; quid nobis facere mandauerit; quid secuti sint Apostoli; quid purior Ecclesia obseruarit. Imò ab initio vsque mundi notum est, quoties signum aliquod obtulit Deus S. Patribus, inseparabile*

rabilem fuisse Doctrinæ copulam, sine qua attoniti sensus nostri nudo aspectu redderentur. &c.

AVTOR. Tria asserimus. I. In omni Sacramento, nõ in solo Baptismo, necessaria sunt Verba à Deo instituta. Patet inductione in meo *Antichristo p. 3. q. 2.*

II. Verbum Concionale non requiritur ad Essentiam Sacramenti. 1. Quia in Scriptura fit mentio Baptismi sine Verbo. Vide in *Antichristo p. 3. q. 2.* Nec ad Cœnam fieri Concio iubetur vsquã, quæ vim Eucharistiæ explicet.

2. Quia si foret concio de Essentia Sacramenti, officium baptizandi & concionandi non distinguerentur, sicque omnis concionans baptizaret. At contrà dicit, 1. Cor. 1. *Non misit me Dominus baptizare, sed Euangelizare.* Et Petrus, *Actor. 10* prædicabat Cornelio, dein iussit eum ab alio baptizari.

3. Quia, Eph 4. *Vnum Baptisma:* at varium foret ob varietatem concionum.

4. Falsum Baptisma haberent hæretici quia falsa eorum est concio.

5. Baptismus Catholicorum datur sine concione: & tamen non iubet rebaptizari Caluinus *Institut. libr. 4. cap. 15. & 16.*

6. Paruuli non forent baptizandi; quia Eccl 32. *Vbi non est auditus, non effundas sermonem.* Lutherani volunt eos percipere concionem. Ergo, infert *S. Augustinus epistolà ad Dardanum*, habent vsum rationis. Caluinus *Instit. l. 4. c. 16* §. 20 cum suis dicunt, eos non percipere Sacramentum vtiliter pro tempore præsenti; attamen pro futuro. Ergo non percipiunt formam Baptismi essentialem.

III. Ad essentiam Sacramenti requiritur certa forma Verborum, quæ non tam instruat adstantes, quàm sanctificet elementum. 1. Quia verba à Domino præscripta formam habent inuocationis & benedictionis, non instructionis. Non enim dicit: *Docete nomen Patris, &c.* sed, *baptizantes in nomine. &c.* 2. Quia quòd Paulianistæ & Cataphryges non crederent Trinitatem, nec *in eius nomine* baptizabant: Ariani licet malè crederent de Trinitate, bene tamen *in Nomine. &c.* eius baptizabant; idcirco Concilium Nicęnum iussit illos rebaptizari; vetuit verò Arianos rebaptizari Cõcilium Arelat. 3. Idem docet Patrum consensus, ac temporum retrò omnium concordia.

DICO AD Rationem I. S. Augustinum instituisse exponere istud, Ioa 15. *Mundi estis propter Verbum*; ac ostendere omnem mundationem fieri per Verbũ seu Concionale, seu Sacramentale: Nam illud excitat ad fidem, hoc consecrat elementum; Et vtrumque mundat, quia creditur, non quia dicitur. A baptizando autem puero creditur potentiâ, actu ab adulto.

AD II. Hæc calumnia est & blasphemia. Non verborum conceptorum & sacrorum sensu vtimur ac fide; idque ex pacto & promissione Christi: at magia vim habet ex pacto diaboli: an ergo Christus erit diabolus?

AD III. Christus nullam Eucharistiæ præmisit concionem, neque mandauit præmitti: neque Apostoli, neque Patres mandarunt, aut consueuerunt; nisi vt Catechumenos instituerent, ceu hodieque facimus.

QVÆSTIO VI.

An Res & Verba Sacramentorum sint immutabiliter determinata?

LVTHERVS *libr. de Captiuit. Babyl. cap. de Baptis.* Sat esse ait, baptizari in nomine Domini: Imò suscipi in nomine Domini, etsi minister non det in nomine Domini. Hoc tamen reuocauit anno 1535.

BRENTIVS tamen & Zvvinglius concepta verba flocci pendunt. Planè deteriores Gnosticis, qui etsi instituta mutarent, sua tamen certa seruabant. Vide in *Geneal. p. 3. q. 1.*

AVTOR. 1. Res & Verba Sacramentorũ nouæ legis à Deo determinata sunt sic, vt mutare nefas sit, Additione vocis, aut Detractione, aut Mutatione synonimica, aut Corruptione syllabarũ, vel Transpositione, vel Interruptione longiore. 2. Sat tamen est seruari substantialem formæ integritatem, quæ in sensu ac significatu verborum consistit. Accidẽtalis nil derogat veritati Sacramẽti; nisi fiat studio nouum inuehendi ritũ in Ecclesiam. Sic enim non foret intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

RATIONES euincunt. 1. Quia cùm Sacramenta solum à Deo potuerint institui; etiam formam, vt præcipuam partem, institutam esse necesse est: adeò vt non sit Sacramentum, cùm non fit, quod Deus instituit. 2. Materiam Sacramenti mutare nefas: ergo & formam. 3. Verba Sacræ Scripturæ, ad significandum scripta, mutare nefas: grandius ergo mutare formalia Sacramenti ad Sanctificandum instituta.

4. Ita S. Patres. Augustinus libro 6. contra Donatistas, cap. 25. *Certa sunt verba Euangelica sine quibus non potest consecrari Baptismus.* Tertullianus libro de Baptismo. *Lex tingendi imposita est, & forma præscripta.*

QVÆSTIO VII.

Qualis Sacramentorum sit Necessitas?

LVTHERANVS Kemnitius in Exam. Trid. Sess. 7. Can. 4. *Necessitatem Sacramentorum opponunt* (Tridentini) *iustificationi per solam Fidem, &c. Sicut non sequitur; Sacramenta ad salutem sunt necessaria: ergo non solus Christus suo merito nobis eam acquisiuit: ita non sequitur; Ergo non per solam fidem accipimus gratiam iustificationis.* Plura eiusdem mendacia in Concilium Tridentinum vide in meo *Antipap. part. 3. quæst. 2.*

LVTHERVS libr. de Captiuit. Babyl. cap. de Bapt. *Baptismus neminem iustificat, nec vlli prodest; sed Fides in Verbum promissionis.* In Assert. 1. artic. *Nos dicimus, nec noui, nec Veteris Testamenti Sacramenta, sed solam fidem iustificasse.* Et libro contra Cochlæum. *Non potest vlla pars iustificationis tribui Baptismo.*

MELANCHTHON in Locis anno 1522. editis. *Non iustificant signa, vt Apostolus ait: Circumcisio nihil est: ita Baptismus nihil est; participatio mensæ Domini nihil est.*

II. CALVINVS in Antid. Trid. ibid. sic calumniatur. *Boni Patres pro sua crassitie non aduertunt; quicquid nobis gratiæ per Sacramenta confertur, nihilomnius fidei imputandum. Qui enim Fidem à Sacramentis separat, perinde facit, ac si animam à corpore tolleret. Ergo quemadmodum Euangelij doctrinam non excludimus, cum dicimus nos solâ fide Christi gratiam adipisci: ita nec Sacramenta: quorum eadem ratio est; cùm Euangelij sint Sigilla.*

Vna vtriusque calumniandi est sententia; Sacramenta non adeo esse necessaria, vt sine iis, facto, vel voto, salus nulli contingere queat; etsi vtilia sint. Nam sola Fides iustificare potest.

AVTOR. 1. Nulla Sacramenta habent absolutam necessitatem: quòd sine his saluare Deus valeat. Aliqua tamen necessitate præcepti, & medii sunt simpliciter necessaria; vt omnibus Baptismus; relapsis Pœnitentia: Ordo, Ecclesiæ; hic tamen non singulis. Quia Ioa. 3.

Nisi

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest intrare in regnum Dei. Luc. 13. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*

II. Eucharistia, Confirmatio, Extrema Vnctio, & Matrimonium ipsi Ecclesiæ necessaria sunt necessitate medii ad bene esse; non simpliciter.

III. S. Concilii Tridentini Sess. 7. Can. 4. definitio est ista.. *Si quis dixerit, 1. Sacramenta nouæ legis, non esse necessaria ad salutem, sed superflua:* (vt Anabaptistæ & Zvvingliani dicunt:) 2. *Et sine eis, aut eorum voto, per Solam Fidem, homines à Deo gratiam iustificationis adipisci:* (vt Lutherani & Caluinistæ volunt) 3. *Licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.*

Luthero-Caluinistæ autem negant cætera omnia esse Sacramenta; solum Baptismum, & Cœnam asserunt; quia hæc solum præcepta sunt, vt media salutis; Sed Vtilia tantum; vt fidem excitent, nutriant, augeant: Quia repræsentant id oculis, quod Verbum auribus. Ideoque necessaria ad bene esse; nō simpliciter. Vnde *Apologia Confessionis a. 13.* comparat ea picturæ, ad salutem necessariæ; sed solum valdè rudibus.

Dico Ad I. Kemnitii. Mendax calumnia est. Nam Concilium damnat hoc: *Solâ fide immediatè salutem accipi: ac proinde Sacramenta non absolutè esse necessaria.* Concilium quoque prærequirit fidem; non excludit: Et non sufficere solam docet; sed Sacramentum esse re, aut voto simpliciter necessarium.

Ad II. Caluini. Iam patet. Adde, nos docere, quod iustificet Deus remittens peccata ex Autoritate; Christus nē, sed & Meritoriè; Verbum Dei verò solum instrumentaliter; at Sacramentum quoque simpliciter & efficienter.

QVÆSTIO VIII.

Autor Sacramentorum an solus sit Christus?

Calvinvs *in Antid. Concilii Trid. Sess. 7. Can. 1.* Baptismum & Cœnam à Christo institutas solo: cætera esse nulla; minus à Christo. Lvtheranvs Kemnitius *p. 2. Exam.* huc citat S. Cyprian. Hug. nē, Lombardum.

Avtor. Concilium Tridentinum Sess. 7 Can. 1. *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non esse omnia à IESV Christo instituta: anathema sit:* Idque immediatè à Christo: ceremoniæ omnes cæteræ à Christo mediatè promanant ab autore Ecclesia. 1. Quia in Scriptura, Apostoli vocantur solum *Dispensatores & Ministri mysteriorum Dei.* 1. Cor. 4. 2. Quia etiam Veteris Testamenti Sacramenta à Deo solo erant instituta; à Moyse autem promulgata. 3. Ita Patres: ipseque S. Cyprianus.

Hugo & *Lombardus* intelligūt promulgationem, non institutionem. *Alex. ab Ales*, Confirmationem à Concilio Meldensi post mortem Apostolorum institutam esse: Idemque & *Bonauentura*. Pœnitentiam ab Apostolis, non à Christo. Ista defendi non possunt: adeò constat contrarium.

QVÆSTIO IX.

Minister Sacramentorum ordinarius an sit quilibet baptizatus?

Lvthervs libro de Missâ priuata: *Ego non dicam, quod Papistæ dicunt: Nullum Angelorum, nec Mariam ipsam consecrare posse. Sed è contra dico: Si diabolus veniret & ego postea resciscerem diabolum sic irrepsisse in officium pastoris Ecclesiæ, in secretè hominis vocantum ad prædicandum, & publicè in Eccle-*

Eccleſia docuiſſe, baptizaſſe, celebraſſe Miſſam, & abſoluiſſe à peccatis: & tali munere functum eſſe iuxta Inſtitutionem Chriſti, tunc cogeremur fateri Sacramenta ideo non eſſe ineffícacia; ſed verum Baptiſmum, verum Euangelium, veram abſolutionem, verum Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti accepiſſe. Quia fides & Sacramenta non nituntur qualitate miniſtri, ſed ordinatione Chriſti.

2. Idem *libr. de Capt. Babyl. cap. de Ord. & alubi*, Baptizatos omnem habere vult poteſtatem miniſtrandi Sacramenta: ſed priuatim domi; vrgente neceſſitate & alio non præſente; aut non tam bene ſciente. *Idem libro de abroganda Miſſa.* Chriſtianis omnibus licere prædicare, & Sacra omnia miniſtrare; quin & Fœminis. *Quia Sacerdos naſcitur in Baptiſmo; non fit.* Monet tamen non licere cuique vti iure, ob confuſionem; neſſeque plebis electionem expectandam.

Hinc infert, 1. Miniſtros à laicis differre ſolo vſu poteſtatis: non dignitate: 2. Miniſtrum fieri laicum poſſe, ſicut è laico miniſter factus fuit.

SVADENT iſtis ferè. 1. Quia, 1. Pet. 2. *Tanquam viui lapides ſuperædificamini in Sacerdotium Sanctum, & Regale Sacerdotium.* Apoc. 1. *Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes.* Apoc. 20. *Erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti eius.* 2. Quia, 1. Pet 2. *Vt Virtutes annuncietis eius, qui Vos vocauit.* 3. De fœminis concionatricibus, Ioel. 2. *Prophetabunt filii Veſtri, & filiæ veſtræ.* Act. 21. *Erant Philippo quatuor filiæ virgines prophetantes.* Sicut Maria, Exod. 15. Et, Iud. 4. Debora docuit Baruch. Olda 4 Reg. 22. Conſilium dedit Ioſiæ. Maria, *Luc. 1.* prophetauit. 1. Cor. 11. *Mulier velato capite oret & prophetet.* 4. Pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*; at Chriſtiani ſunt fratres Chriſti: ergo & Sacerdotes.

5. Omnes omnia Sacerdotalia poſſunt munia obire: vt ſunt Concionari, Baptizare, Conſecrare, Abſoluere, Sacrificare, orare pro aliis, & Iudicare de doctrinis. Singula docet è Scripturis. *Bellarmin. libro 1. de Sacramentis cap. 25.*

CALVINVS in Antid. Seſſ. 1. Can. 10. è diametro contrarius eſt. *Nemo Chriſtianus Chriſtianos omnes in Verbi Sacramentorumq; adminiſtratione pares facit: non ſolum quia decenter & ordine geri omnia in Eccleſia decet. Sed etiam quòd ſingulari Chriſti mandato ad eam rem ordinantur Miniſtri. &c. Porrò mulierculis iniunctum munus baptizandi vbi reperient, quemadmodum illis permittunt?* Itaque conſentit nobiſcum.

AVTOR. Concilium Tridentinũ Seſſ. 7. Can. 10. *Si quis dixerit, Chriſtianos ōmnes in Verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem; anathema ſit.*

1. Non igitur Angelus bonus, minus Ater, rectè poteſt adminiſtrare Diuina. 1. Quia, Scriptura id aſſignatum docet Apoſtolis. &c. Vide *Antichriſtum part. 3. quæſt. 3.* 2. Quia, ad ea requiritur verum & naturale elementum; ergo & Verbum tale: at hoc non eſt ab Spiritibus. 3. Quia, Lutherus vult, fundamentum illius poteſtatis eſſe in Baptiſmo, inque Dei mandato: at neutrum datum eſt ſpiritibus. Pendent igitur ea Miniſtri qualitate eſſentiali, vt ſit homo; non ab accidentali, vt ſit bonus. Hinc Iudas verè baptizauit.

II. Verus Diuinorum (præterquam Baptiſmi & Matrimonii:) Miniſter eſſe legitimè vocatus ab Eccleſia debet, & ordinatus. 1. Teſte Scriptura *in Antichriſto p. 3. q 3.* 2 Quia ſi omnes poteſtatem eam haberent ex Baptiſmo, priuari illius vſu nemo iuſtè poſſet, niſi in pœnam criminis: at ſine culpa multi priuantur. Neque ob metum confuſionis poſſet vllus repelli, qui vellet miniſtrare, etiam non vocatus à plebe, ſeu Magiſtratu. 3. Quia in Veteri Teſtamento, vbi imperfectiora Diuina, ſoli Sacerdotes erant eorum miniſtri: Neque in Circumciſione fiebant ſpiritales Sacerdotes; quare nec in Baptiſmo. Hinc Ozias attentans Sacra, 2. *Paralip. 26* percuſſus eſt leprâ.

DICO AD I. Eaintelligitur de ſpiritali Sacerdotio, quo ſpiritales offerimus hoſtias precum, laudum, operum. *1. Pet. 2.* Quale. *Apocal. 5. & 21.* Sacerdotium in cœlo: Et ſic Chriſtiani ſunt Sacerdotes, ſicut ſunt reges.

Ad III.

AD II. Annunciare est gratias agere, laudare Deum ob beneficia: vt Ex. 15. *Cantemus Domino gloriosè.*

AD III. Prophetare est futura prædicere, & gratia gratis data: At prophetare, id est, concionari, sic, 1. Tim. 2. *Mulieri docere non permitto.* 1. Cor. 14. *Mulieres taceant in Ecclesia; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse.* Concessit tamen Deus extraordinariè nonnullis priuilegium docendi. Sed priuilegia non faciunt legem.

AD IV. Christus est Sacerdos secũdum ordinem Melchisedech; in quo solum primogenitus erat Sacerdos, vti Christus *in multis fratribus est*: At in Aaronico Sacerdotio omnes fratres naturales erant & Sacerdotes.

AD V. Nihil ea euincunt, dicta in genere trahere in partem.

QVÆSTIO X.

An Ministri probitas seu fides ad Sacramentorum efficaciam requiratur?

LVTHERVS affirmauit; sed reuocauit. Iamque omnes, etiam Caluinistæ, pernegant. Salua res est.

HVSSITÆ aiunt; non obstante, quod ratas habeant Ordinationes Catholicorum; id quod eis dissuasit Lutherus. Huss tamen damnatus est in Concilio Constantiensi, quòd diceret, Pastores malos æquiuocè Pastores esse, id est, nullos.

2. ANABAPTISTIS quoque tribuit idem Kemnitius; 3. *Agrippinus* Episcopus Carthaginensis negauit esse Sacramenta ab hæreticis aut Schismaticis collata. Quoad Baptismum sensit idem S. *Cyprianus. Donatista* quoque etiam post definitionem Ecclesiæ; item *Luciferani*, Apostolici, Waldenses, Wicleff.

AVTOR. Sed à pluribus refutati sunt, & damnati sæpius; apud *Bell. l. 1. c. 26.* Prætereo.

QVÆSTIO XI.

An in Ministro Sacramentorum requiratur intentio faciendi, quod facit Ecclesia?

LVTHERVS lib. de Captiuit. Babyl. cap. de Baptismo. *Non in conferentis tantum, quantum insuscipientis fide vel vsu sita est virtus Baptismi: Vt legitur de Mimo per iocum baptizato.* Et art. 12. inter damnatos à Leone X. *Si Sacerdos ioco absolueret, et se tamẽ quis crederet esse absolutum, verissimè est absolutus.* Sic plerique Lutherani, Kemnitius, Heshusius, &c.

CALVINVS in Antid. Sess. 7. Canon. 11. *Quod de intentione consecrandi garriunt; à Sophistis nulla ratione probabili fuit proditum.* Infrà. *Ego verò sacrosanctæ Christi Institutioni tãtũ defero; vt, si Epicurus quidã, intus totã Actionem subsannans, mihi Cœnam à Christo mãdatam administret, non dubitem, panem & calicem illius manu porrecta, mihi vera esse Corporis & Sanguinis Christi pignora.* Huc proximè accessit Catharinus; qui se tamen Apostolicæ Sedi subiecit.

SVASIONES LVTHERI. 1. Quia Verbum Dei quacunque dicatur intentione, fidem excitat; & hæc iustificat. Vnde *Phil. 1.* gaudet prædicari Christum quacunque intentione. Sic puer Athanasius baptizauit pueros. &c. 2. Caluini & Kemnitii. Quia sic periret certitudo effectus Sacramẽtalis; cũ intentio nulli sit certa. 3. Quia, *lib. de Baptismo, c. 13.* Augustinus non audet definire, an Baptismus loco datus, sit ratus. 4. Innocentius I V. censuit ratum, *etiamsi gerat in mente non facere, quod facit Ecclesia.*

AVTOR. Ad minus est opus habere generalem intentionẽ faciendi, quod ea facit Ecclesia, quam credit esse veram. Sitque intentio actualis, aut minimum virtualis: habitualis non sufficit. 1. *Quia*, Ceu forma certa requiritur vt indifferentia materiæ determinetur; sic & aliquid, quo indifferentia formæ deter-

minetur: nam baptizat, qui tingit aquis lauando, medendo, refrigerãdo, &c. At qui nil fingi potest præter intentionem ministri: Non institutio Christi verba dictãtis, vt quæ per se operaretur, proferẽte verba institutionis qualicunq;: quia cur non foret Sacramentũ pronunciante ea etiam psittaco: 2. *Quia* Ministri Sacramentorum sunt instrumenta Dei, ratiõe vtentia; & horum liberi arbitrii est determinare actiones particulares suæ voluntatis; hoc autem fit per intentionẽ volũtatis agentis. 3. *Quia*, vt verba speculatiua, à quocunque pronuncientur, suam habent significationem: ita practica suam operationem, præsertim prolata ab habente ad id & potestatem, & voluntatem: vti habet minister ritè ordinatus: ergo intentione opus.

Dico Ad I. Excitat fidem quidẽ; quia ad hanc sufficit Significatio verborum, quomodocunq; prolatorum; Sed non operatur effectum realem; quia hic requirit vim efficientem, quæ pendet ex intentione pronunciantis, ritè ordinati, verba Sacra practica. Sic etiam ludentes ex recreatione possunt efficaci cum intentione verba pronunciare super capax subiectum cum præsente materiâ.

Ad II. Nullus hac in vita debet quærere certitudinem de salute sua infallibilem: sed, Phil. 2. *Cum timore salutem suam operari*, sic, vt, 1. Corint. 10. *qui stat, videat nec cadat*. Certitudinem verò moralem ac sufficientem habemus ex Sacramentis.

Ad III. Dubitabat, quia nondum id erat in Concilio definitum; ideo se Ecclesiæ submittebat.

Ad IV. *Non facere*, sc. vel quoad substãtiam actionis faciendę; aut quoad effectum actionis. Et, quoad hunc intellexit Innocentius: sc. etsi non intendat minister Iustificare hominem hoc medio. Priore modo intelligit Kemnitius falsò.

II. DE EFFECTV SACRAMENTORVM.

QVÆSTIO XII.

Quid sit conferre gratiam ex Opere operato?

Lvthero-Calvinistae bifariam exponunt.

1 Lvtherus *l. de Capt. Bab. c. de Bapt.* Papistæ fecerunt ex Sacramẽto præceptum, & ex fide opus: id est, ait Kemnitius p. 2 Exam. *Sacramenta conferre gratiam ex merito operis, quod exercet velit, qui celebrat, vel qui suscipit.*

Calvinvs *in Antidoto Sess. 7 Can. 8.* Sophistis conferre gratiã ex opere operato est, ex meritis hominum pendere efficaciam Sacramenti. Inst. l. 4. c. 14. §. 26. ait. *Quidquid de opere operato nugati sunt Sophistæ, non modo falsum est, sed pugnat cum Sacramentorum natura: quæ instituit Deus, vt fideles vacuis bonorũ operum & inopes, nihil præter mendicitatem adferant. Vnde sequitur, ea recipiendo, nihil istos agere vnde laudem mereãtur; vel in hac Actione, qua eorum respectu mere passiua est, nullum illis posse opus adscribi.*

Avtor. Hæc verò deditæ operę calũnia est. 1. Quia adeo Nos opus operatũ opponimus operi operantis. 2. Quia docemus contra Donatistas, Sacramenta minimè pendere ex bonitate ministri, id est, ex opere operantis.

II. Exponunt: Nos dicere, quod conferant gratiã sine fide, id est, ex opere operato.

Vnde Lvtherus ibid. *Statuunt Sacramenta posse prodesse iis etiam, qui in peccatis mortalibus sunt, nec requirit fidem.* Sic & Kemnitius p. 2. Exam. Et Confessio Augustana artic. 13. &c.

Calvinvs in Antidoto Sess. 7. Can. 5. *Fingunt*

gunt subesse vim magnam Sacramentis, quæ sit extra fidem efficax.

AVTOR. Expositio hæc pugnat priori. 1. Quia si opus operatum sit opus meritorium suscipientis; quî potest excludere fidem, *sine qua est impossibile placere Deo*? Heb 11. 2. *Conc. Trid. Sess. 6. Can. 6.* docet initium iustificationis fieri à Fide & pœnitentia.

Itaq; conferre gratiam ex opere operato, est, Conferre eam ex Vi Actionis Sacramentalis, ad hoc à Deo institutæ, & non ex merito operantis. Vnde Aug. l. 4. de Baptismo. c. 24. *Ipsum Sacramentum per seipsum multum valet*: sc. ex Dei volũtate, quæ est causa principalis; non fides operantis; quia hæc extrinsecè accedit ad efficientiam Sacramenti; & ab infantib' abest, in quibus tamen vis Sacramenti operatur.

QVÆSTIO XIII.

An Sacramenta conferant gratiam ex opere operato?

LVTHERVS cum omni Secta sua volunt, Sacramenta immediatè habere efficientiam gratiæ; sed nuda esse signa: mediatè tamen excitare fidem iustificantem, sic repræsentando oculis, ceu verba auribus. MELANCHTHON *in Locis*, horrendum errorem Papistarum appellat, quod Sacramenta iustificare dicant: cùm sint solum signa promissionis, sicut & pictura rerum, ait *in Apologia ad art. 13 & libro contra Anabaptistas*. Annis Posterioribus, forsan argumentis nostris pressus, phrasin loquendi mutauit in vicinam nostræ; sed nil sententiam; Patremque sua secuta proles est: præsertim *Kemnitius part. 2. Exam.*

CALVINVS *Inst. l. 4. c. 14. §. 6.* Constanter diserteque consentit; vsus eadem picturæ similitudine, & §. 18. exemplo Iridis ac Velleris. Et *in Antidoto Sess. 7. Can. 5.* Tum effectum habent Sacramenta, si fidei seruiunt. Et *Can. 8.* Eo modo gratiam efficiunt, quo Verbum prædicatum. Sic & BEZA, cæterique vniuersi:

SVADENT. Quia, 1. Heb. 10. *Iustus ex fide viuit*: ergo non ex Sacramentis. Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam. &c.* 2. Mar. vlt. *Qui crediderit & Baptizatus. &c.* Ergo qui nõ credit, etsi baptizatus sit, condemnatur. Dicit. *Qui non crediderit, condemnabitur*: Non dicit, qui non baptizatus fuerit, condemnabitur: ergo sola fides saluat, non Baptismus. 3. Rom. 4. *Credidit Abraham, & reput. &c.* Sicut ergo fides, non Circumcisio, eum saluauit; ita nunc & fides, non Baptismus. Hæc Luth. & Calu. 4. Zwinglius libro de vera & falsa religione, Luc. 5. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Ergo non Sacramenta. 5. Kemnitius Eph. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in Verbo vitæ*: Verbi igitur vis est tota ad fidem iustificantem. Testimonia Patrum & Rationes vanè aggeruntapud *Bellarm l. 2. cap. 10. & 11.*

AVTOR. Sacramenta sunt veræ instrumentales causæ gratiæ, idque ex opere operato. 1. Quia sic Scriptura in meo *Antichristo part. 3. q. 4.* 2. Huc prophetiæ spectarunt. Isa. 1. *Lauamini, mundi estoti*, id est, aiunt S. Patres, baptizamini, hoc cum effectu, vt mundemini. Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnib. inquinamẽtis vestris, et dabo vobis cor nouum.* Mich 7. *Proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Zach. 13. *Erit fons patens in ablutionem peccatoris.*

3. FIGVRÆ declarant idem apud *Bellarm. lib. 2. cap. 4.* Concilia prætereo, Nubemque S. Patrum Græcæ, Latinæque Ecclesiæ.

4. RATIONES cuincunt. 1. Sacramenta efficaciter conferuntur etiam non intelligentibus: ergo sunt signa verè practica, non solum significatiua ad excitandam fidem. 2. Verba & Signa Sacramentalia pendent ex diuina Institutione, non humana: Ergo etiam

ſupernaturale quid efficiunt. Quia cæteroquin ab humana autoritate potuiſſent inſtitui. 3. Sacramenta pendent à Deo non ſolum in Inſtitutione; ſed etiam Vſu: Ipſe enim eſt qui per miniſtros baptizat, conſecrat. &c. non ergo nudè ſignificant, ſed quid efficiunt. Nam cum cætera humana ſigna ſolum ſignificent; diuina nil ab iis diſtarent vt meliora. Plura vide in *Geneal. p. 3. q. 2.*

DICO AD I. Sed non *ex ſola viuit:* vnde & Sacramentis eſt locus. Et ſenſus verus eſt, Iuſtus ex fide conſtanter expectat promiſſa Dei. Ita *Abacuc. 2.*

AD II. Fides ſaluat, non ſola, ſed cum Baptiſmo; Eratque inferendum: Ergo non ſolus Baptiſmus ſaluat: Non; Baptiſmus non ſaluat. Vt ſi dicam: *1. Cor. 13.* Fides nil prodeſt ſine charitate: ergo fides nil prodeſt: Malè. Dein; à genere ad ſpeciem valent argumenta negatiua: vt non eſt animal; ergo nec homo: affirmatiua non valent; vt, Eſt animal, ergo & homo. Sic, *qui non crediderit, condemnabitur*: non contra ſemper.

AD III. Abrabæ fides & obedientia meruerat, vt primus haberet Sacramentum Circumciſionis in priuilegiũ, velut *Signaculum* σφραγὶς, non σημεῖον ſignum, *iuſtitiæ fidei*, id eſt, velut teſtimonium iuſtitiæ ſuæ, non vt ſignum propoſitum ei ad excitandam fidem. Vide *ſuprà quæſt. 3.*

AD IV. Atqui Chriſtus ibidem in paralytico oſtendit, ſe etiam vt Hominẽ peccata dimittere. Dein; hominibus dixit, Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata. &c.* Deus tamen Solus propria Autoritate dimittit.

AD V. Per *Verbum vitæ* non intelligitur concio; ſed forma Sacramenti, ſeu Verbum practicum conſecratorium. Ita ibi interpretes.

QVÆSTIO XIV.

An Sacramenta Veteris & Nouæ Legis differant in effectu iuſtificationis?

LVTHERVS lib. de Captiuit. Babyl. cap. de Baptiſmo. *Error eſt, Sacramenta nouæ legis differre à veteribus Legis, penes efficaciam ſignificationis: id quod noſtra efficaciter ſignificent faciendo, quod figuræ non illa.* 2. Diſtinguit autem Vetera Sacramenta habentia annexam promiſſionem, vt Iris Noe, Vellus Gedeonis, Vmbra reuerſa Ezechiæ. Alia nullam habentia; vt expiatoriæ ceremoniæ. Iſta noſtris paria; hæc inferiora facit in virtute efficientiæ ſignificatiuæ.

CALVINVS Inſtit. lib. 4. cap. 14. §. 23. *Hoc dogma, quod Veteris Legis Sacramenta Dei gratiam adumbrarint: hæc Nouæ præſentia conferant, penitus explodendum eſt.* Sic conſentit Luthero. Diſſentit in iſto: *Negotium tamen negamus, quod vberior ſub Chriſti regno percipiatur gratia.* Sic in Antidoto Seſſ. 7. Can. 2. Parem voluit Lutherus. Dein; Caluinus §. 12. Purificationes Iudæorum ponit inter vera Sacramenta paria cæteris: Luthero vult inferiora effectu.

KEMNITIVS *in part. 2. Exam.* admittit Lutheri diſtinctionem veterum ſignorum & vberiorem gratiam Caluino: Cum vtroque condemnat Catholicos.

SVADENT ferè iſtis: 1. CALVINVS *Inſtit. lib. 4. cap. 16. §. 3. & 4.* Pars eſt Circumciſionis & Baptiſmi promiſſio, ſcilicet de remiſſione peccatorum. Hinc *Eph. 2.* gentiles erant ſine Deo, quia ſine Circumciſione. 2. *Leuit. 4. 5. 6.* dantur oblationes pro peccatis remittendis. 3. Inſtit. l. 4. c. 14. §. 3. ex 1. Cor. 10. *Eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & eundem potum ſpiritalem biberunt. Quis inane auſit facere ſignum illud, quod veram Chriſti Communionem. Iudæis exhibebat? Ergo in Sacramentis pares nobis facit, nec vllam*

vllam prærogatiuæ particulam nobis relinquit. Sic & Martyr. & Kemnitius. &c.

AVTOR. I. Etsi sint, qui improbabiliter docent Circumcisionem in veteri lege gratiam ex operato contulisse; nō tamen æquant vetera cum nouis Sacramentis; quæ singula iustificant ex opere operato. Quia ita Scriptura prophetica. Psal. 9. *Holocaustum pro peccato non postulasti.* Quia, Psa. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Isa. 1. *Quò mihi multitudo victimarum vestrarum?* De Apostolica Scriptura vide *Antichristum part. 3. quæst. 5.*

II. Ex opere operantis, ex fide prodierant vetera Sacramenta: de hoc non est quæstio; sed, An ex Institutione fuerint vtilia cum fide vsurpata? Paulus ita distinguit: Noua saluare, regenerare, mūdare, iustificare, *1. Corinth 1. Eph. 5. Tit. 3.* Vetera autem egena esse elementa, nihil esse, nihil valere. *1. Cor. 7. Gal. 5. Hebr. 10.* Idem Vetera vocat vmbras nouorum, *Col. 2. 1. Cor. 10. Heb. 10.* Neque est, quod nostra dent maiorē gratiam: Nā vetera, nullā dabāt vi institutionis, vt, 1 Cor. 7. *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est:* Gal. 6. *Neque valet aliquid.* Quia sunt Vmbra, quæ non est minus corpus; sed nihil corporis. Et talia erant non solum tempore Apostoli, sed inde ab origine, considerata per se simpliciter, à lege abstrahendo. Nam Rom. 2. *Circumcisio prodest, si legem obserues.*

2. Vide S. Patres pro vtilitate sola, contra efficaciam veterum Sacramentorum stantes apud *Bellarman. libr. 2. cap. 15.*

3. RATIO militat. 1. Quia Sacramentum vt iustificet, habere debet annexam promissionem absolutam gratiæ: teste Luthero *in Assert. art. 1.* Melanchthone *in Locis.* Caluino *Inst. l. 4. c. 14. §. 3.* Kemnitio &c. Atqui nullum tale erat in Veteri Testamento: Nullum igitur iustificabat. Minor: quia Heb 8. *Melius sortitus est Ministerium, quantò & melioris Testamenti Mediator est, quod in melioribus Repromissionibus sancitum est.* Sic & Patres, & Lutherus lib. de Captiu. Babyl. cap. de Eucharistia: *Veteris Testamenti promissio erat, non remissionis peccatorum, seu rerum æternarum; sed temporalium; vt terræ Chanaan, per quam nemo renouabatur Spiritu. Vnde et irrationabilem pecudem, in figura Christi, oportebat occidi, in cuius sanguine idem Testamentum confirmabatur: vt, qualis sanguis, tale Testamentum; qualis hostia, talis promissio.*

CALVINVS negat Minorem, *Instit. libr. 4. cap. 16. §. 4.* dicens vnam esse eandemque promissionem Sacramentorum legis veteris ac nouæ.

AT Minor probatur. Quia nullū Vet⁹ Sacramentum habuit promissionem, nisi temporalem: Lutherus recenset Sacrificium Abel, Iridem, Vellus, Horologium Achaz: Vanè.

2. Ratio. Quia Vetus & noua Lex differunt, quòd hæc iustificat, non illa: ergo Sacramenta, quę pars sunt legis, pariter. Vnde Ioan. 1. *Lex per Moysen data est; gratia & veritas per IESVM Christum facta est.* Differuntque vt, *2. Cor. 3.* Litera occidens, & Spiritus viuificans: Vt, *Gal 4* seruitutem generans, & libertatē afferens: Vt vetus, quia veterem hominē non renouabat; & Nouū, quia renouat eundem: ideo, Tit. 3. *Lauacrum regenerationis.* Et quæ in Veteri fiebat remissio

peccatorum, ea Noui reſpectu fiebat.

3. Promiſſio in Sacramentis nequit impleri, niſi fide recipiantur: At promiſſio V.g. Iridis de non ſubmergendo orbe, præſtatur etiam infidelibus: Circumciſionis, de hoc, vt ſit pater multarum gentium, dareturque poſteris eius terra promiſſionis; data tamen & infidelibus eſt. Item promiſſio tot Victimarũ, de vnica Chriſti oblatione, impleta eſt orbi infideli. &c. Roman. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Abſit.* Ergo. &c.

DICO AD I. Circumciſioni nõ eſt promiſſio annexa remiſſionis peccatorum. Patet ſuprà. Et quia Abraham ante eam erat iuſtus: additaque eſt temporalis promiſſio: vt Geneſ. 17. *Multiplicabote; eruque pater mult. &c. Dabo tibi, & ſemini tuo terram Chanaan. &c.* Idem Roman. 4. Et gentes erant ſine Deo, quia ſine fide, non quia ſine Circumciſione: quam etiam incircumciſæ, ſed Deum colentes, vt Iob, Centurio. &c. ſaluabantur.

AD II. Vetera Sacrificia expiebant peccata quoad pœnam temporalem & immunditiam legalem; non quoad culpam, & pœnam Gehennæ. Ita Theologi *in 1. 2. q. 103. art. 3. & 4. d. 1.* Vide *Bell. l. 2. c. 17.*

AD III. 1. Pugnant ipſi ſecum. Nã hîc volunt Manna, aquam petræ, & tranſitum maris fuiſſe Sacramenta iuſtificantia: & alibi id negant; vt Caluinus *Inſtitut. libro 4. capit. 14. §. 19.* & Kemnitius *part. 2. Examinis pag. 41.* quia erant ceremoniæ non durantes. Ergo. 1. *Eandem eſcam*, non noſtram, ſed ſuam; nõ Sacramentalem; quam & beſtiæ bibebant, & edebant nec promiſſio aliqua facta eſt edentibus & bibentibus, niſi terrena. 2. *Spiritalem*, ob ſignificationem futuri Calicis Sacri; non ob effectum præſentem ſpiritalem: Vnde, *panis Angelorum manducauit homo.* Pſ. 77. Et, *Petra autem erat Chriſtus.* Ioann. 6. *Patres veſtri manducauerunt Manna, & mortui ſunt: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Proinde non requiritur, ait *Caluinus*, vt parem vim tribuamus Manæ & Baptiſmo, Mannæ & Euchariſtiæ: nam quo inferiora ſunt illa; eo fortius eſt argumentum Pauli. Si enim puniti ſunt contemtores figuræ, quantò magis contemtores Veritatis?

QVÆSTIO XV.

Eccunde quædam Sacramenta iterari non debeant?

LVTHERANI & CALVINIANI vnicum Baptiſmum eſſe initerabilem debere aſſerunt: cætera vel eſſe Sacramenta negant.

SVADENT iſtis. 1. Quia, ait Caluinus *Inſt. lib 4. cap. 18. §. 19.* Baptiſmus eſt ingreſſus in Eccleſiam, & initiatio fidei: vnde vt vnus Deus vna Eccleſia; ita & vnus Baptiſmus. 2. Kemnitius *in Exam. par. 2. fol. 349.* Quia, ſic eſt Inſtitutio diuina. 3. Quia, Heb. 6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, renouari iterum ad Pœnitentiam.* 4. Quia, Baptiſmus ſignificat Chriſti mortem; at ſemel eſt Chriſtus mortuus; 5. Quia, pactum Dei in Baptiſmo initum eſt perpetuum. 6. Quia, nuſquam eſt ſcriptum repeti poſſe, neque extat exemplum anabaptiſmi. 7. Quia, in Baptiſmo naſcimur ſpiritaliter; at vna eſt natiuitas.

AVTOR. I. Character eſt cauſa cur Sacramenta quædam iterari non debeant.

ant. 1. *Quia*, semel data semper manent in eodem effectu suo talia, quia non manent in suo effectu, qui est Gratia, ideo repeti possunt. 2. *Quia*, gratia augeri potest. 3. *Dein*; *quia* Character est & Sacramentum, & gratia: aliorum Sacramentorum effectus est solum gratia.

II. Characterem imprimunt solum Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Quia in his homo nouam accipit potestatem ac ministerium: In Baptismo, participādi Sacramantis, aliisque bonis: In Confirmatione, pugnandi officium contra dæmonem, carnem, mundum: In Ordine, munus distribuendi dona Domini: In cæteris dantur remedia vel peccatorum omnium, aut reliquiarum ex iis, aut concupiscentiæ, aut famis.

Dico Ad 1. At Baptizati validè apud hæreticos, non intrant Ecclesiā, quæ nulla est apud eos: & baptizati apud Orthodoxos subinde apostatant, excidūtq; fide. Et *vnum baptisma* est, quia solū Christi Baptisma saluat. Et etiam, 1. Cor. 12. *Vnus panis est*, & tamen repetitur.

Ad II. Atqui Deus nunquam prohibuit repeti: ergo non est institutio.

Ad III. Transeat.

Ad IV. Et Eucharistia significat eandem, & tamen repetitur.

Ad V. Pactum est conditionatè ppetuū; si sc. seruatis mandatis nō peccetur.

Ad VI. Nec scriptum est vt non repetatur. Aug. l. 7. Trin. c. 4. *Dicimus tres personas in Deo; non quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit.* Et est anabaptismi exemplum, *Act. 19.* iubente Paulo rebaptizari, qui solo Ioannis Baptismo erant tincti: cum tamen, iuxta errorem Lutheranorum, eadem vis Baptismi esset Christi & Ioannis &c.

Ad VII. Est ea solum congruentia quædam, non euincens ratio. Dein; homo etiam per fidem nascitur, perque Verbum Dei; & hoc sæpius. 1. Cor. 4. *Per Euangelium ego vos genui.* Nam spiritalis natiuitas potest repeti.

QVÆSTIO XVI.

An, & qualequid sit Character?

Lvtherani, vt Kemnitius *par 2. Exam. pag. 129. &c.* Heshusius *l. de errorib. Pontificiorum, tit. 15.* Caluinus *in Antidoto Concil. Sess. 7. Can. 9.* Negant cum Wicleffo Characterem posse doceri ex Scriptura, seu vlla ratione.

Svadent istis ferè. 1. Quia de eo in Scriptura & Patribus merū silētium. 2. Quia, Inter Scholasticos nil certum. 3. Quia, Autor eius primus fuit Innocentius III.

Avtor. I. Character est signum spiritale, à quibusdam Sacramentis animæ impressum: Sic Concilia.

II. Ex probabilibus est, esse quid reale ab anima distinctum, ac absolutā qualitatem, non solam relationem.

III. Eius officia sunt, 1. Aptum reddere ad cultum Dei: 2. Configurare Christo: 3. Distinguere ab aliis.

IV. Inhæret autem substātiæ animæ indelibilis. Quia non habet contraria; estq; in subiectio incorruptibili: cumque sit quædam consecratio animæ, durat ipsâ durante.

V. Nullū verò Sacramentum Mosaicum imprēssit Characterem animæ.

VI. In Christo tamen nullus inesse poterat. 1. Quia Character est participatio Sacerdotii Christi: 2. Et; signari Charactere est ouium, seruorum. &c. at Christus est Pastor, Dux, Dominus. 3. Neq; Christus vllū accepit Sacramentū Nouæ legis

legis, præter Eucharistiam. 4. Nos vero egemus; vt Christus velut ex pacto ad actiones Sacramentales nobiscum concurrat.

VII. Esse verò characterem, Scriptura docet in meo *Antichristo part. 3. q. 6.* Quam Caluinus in Commentario exponit de obsignatione promissionum à Deo in cordibus facta ad fidem confirmandam.

AT, nimis inconueniens esset locutio, Obsignari hominem, pro Obsignari promissiones homini factas.

2. Esse characterem docent S. Patres in mea *Genialogia part. 3. q. 3.* Et *Rationes* cuincunt.

1. Quia: Cùm homines hominibus conferunt officiũ, tribuũt simul aliquod externum signum potestatis: Deus vero internum infundit. Sicut autem diligendo facit bonum, cumque vult diligi, credi, sperari, infundit habitus dilectionis, fidei spei: ita credibile est, cũ quos ad sua quædam Sacra munia deputat; quod ad eadem certas qualitates infundat, id est, characteres.

2. Baptismus, sine fide perceptus, aliquid Sacramentale confert; cum gratiæ capax non sit infidelis: ita Confirmatio & Ordo; cætera solam dant gratiam; aut nihil, ponentibus obicem. Et istud vocamus characterem.

3. Baptismus, Confirmatio & Ordo repeti nequeunt, vti cætera Sacramenta. Et huius alia vera causa reddi nequit, nisi character. Quia per hunc manentem semper manent in effectu suo determinato; gratia verò aut perdita recuperatur per Sacramentorum repetitionem, aut seruata augetur: non sic character, quia ipse Sacramentum est; gratia non est Sacramentum.

Præter has rationes alia sufficiens reddi non potest. Patet supra in responsionib⁹ ad rationes Luthero-Caluinistarũ, cur Baptismus iterari non debeat.

QVÆSTIO XVII.

Quot sint Sacramenta?

LVTHERVS *lib. de Capt. Babyl.* variauit: Esse vnum iuxta Scripturam; Esse tria, negandaque septem; Esse duo, in rigore; Se non damnare septem, negari tamen in Scriptura doceri posse. Hinc Lutheranorum diuersæ sententiæ. I. Opinio *Lutheri*: Esse vnum: Etsi plura sint Sacramentalia. II. Esse duo, Baptismum & Eucharistiam: *Lutherus, Melanchthon, Illyricus, Selneccerus, Kemnitius.* III. Esse tria: Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam: Hæc communiter in Catechismis, *Confess. August.* IV. *Zvvinglii*: Esse tria, Baptismum, Cœnam, Matrimonium.

V. CALVINI *Inst. l. 4. cap. 18. §. 19. 20.* Esse duo, Baptismum & Cœnam: *cap. 14. §. 20. & cap. 19. & 31.* addit Ordinationem, monens ordinaria duo esse atque communia cũctis. Hinc *in Antidoto Sess. 7. Can. 1.* solum quatuor Sacramenta reiicit.

VI. LVTHERO-CALVINISTÆ: Esse quatuor; Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, & Ordinationem. Ita MELANCHTHON *in Locis* editis anno 1536. & 1552. & 1558. *Mihi maximè placet etiam addi Ordinationem, id est, Vocationem ad ministerium Euangelij: quia hæc etiam mandato Euangelico præcipitur & addita est promissio.* Sic & Lucas Lossius in Catechismo anni 1557. qui anno 1554. tria posuerat.

VII. *Luthero-Caluino-Zvvingliani*: Esse quinque; Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinationem, & Matrimonium. Ita *Melanchthon in Locis editis anno 15 8.* etc. quòd sit signum rei Sacræ habeatq; mandatum & promissionem. Obstare queritur vnum; quòd fuerit ante Christum.

AT, & Baptismus Ioannis fuit antè; quem tamen esse vult Sacramentum.

VII. Lu-

VIII. *Lutheranorum Mollium* opinio, non fides: Esse septem. Sic biennio post obitum Lutheri Synodus Lipsiana cum Wittenbergensibus & M. Lanchthone. Vnde *Mollet* vocati cœpti, teste *Surio anno 1548*, Quos ideo Illyricus appellat hæresiarchas Mollium. Ita sectis necdum consentiunt.

AVTOR. Sacramenta propriè dicta & vera sunt septem, 1. A Christo instituta vel mandata: 2. Cum certo Ritu seu Signo: 3. Cumque promissione gratiæ annexa: quam Apostoli sua confidenti Ritus vsurpatione atque Solenni sat testati sunt, effectu promissionis consequente. 1. Ita docent Sacræ Scripturæ in meo *Antichristo p. 3. q. 7.* Easque sic Patres intellexerunt: sic stabilierunt Decreta Conciliorum: Nec dissentit Congruentia rationum apud *Bell. libr. 2. cap. 25. 26.*

SVADENT verò id tribus LVTHERO-CALVINISTÆ. 1. Scriptura nusquam tradit esse septem. 2. Tradit solum duo, Ioa. 19, *& exiuit Sanguis & Aqua*: id est, (aiunt *Patres Chrysost. Cyril. Theophil. Damasc. Aug.*) Eucharistia & Baptismus. 3. Scriptura negat esse septem *Apoc. 17.* Bestia septiceps dicitur Sacramentum: ideo is numerus Sacramentorum pertinet ad Antichristum. Ita *Kemnitius Exam par. 2. pag. 18. & 50.*

DICO AD I. Suprà patet, quod Scriptura nusquam vllum numerum Sacramentorum exprimat: non tamen idcirco est nullus.

AD II. Recta expositio Græcorum: at non negantur esse plura alia. Nam *Hebr. 6.* fit mentio solum Baptismi & Confirmationis, omissa Cœna; non ideò foret hæc Sacramentum? Item Latini Patres intelligunt ibi Baptismos Sanguinis, & Fluminis probabilius. Nam sic Ioann. 5. *Hic est, qui venit per Aquam & Sanguinem Iesus Christus; non in aqua solum; sed in aqua & Sanguine*.

AD III. Istud blasphemia est. 1. Quæ Kemnitius statuit Sacramenta; ea sunt etiam inter septem nostra: ergone ea duo erunt, vel tria bestiæ capita? 2. Dein; Ioānes dicit ea 7. capita esse Sacramentum, non dicit esse 7. Sacramenta. 3. Demum Ioannes exponit esse 7. Reges. Potius bestia est Lutherus vnicum asserens Sacramentum. *Caluinus* pro se adducit Augustinum: Sed hic ibi ponit in exemplum, duo ex omnibus Sacramenta; non affirmat solum esse duo. *Kemnitius* Patres pro binario falsè adducit ac detorquet. Vide *Bellarmin. lib. 2. capit. 27.*

QVÆSTIO XVIII.

An Sacramentorum aliud sit alio præstantius?

LVTHERVS, cum asseclis, libro de instruendis Ministris ad Pragenses. *Vnum Sacramentum altero dignius esse non potest: cùm eodem Verbo Dei omnia constent.*

CALVINISTÆ dicere idem coguntur. Nam cum in Cœna ponant Christi præsentiam solum tropicè; non est, cur eam Baptismo anteponant. Vnde Caluinus & Kemnitius *ad Sess. 7. Can. 3.* Omisso statu quæstionis, ad iocos dissoluuntur calumniosi. Vt, definiri septem Sacramenta esse paria, cum septenarius sit impar. &c. Nugæ tales ibi plures.

AVTOR. Sacramenta VII. eiusdem sunt generis, ideoque verè Sacramenta sunt singula: attamen specie differunt: & nullum est quod non præstet alteri secundum propriam sibi rationem. Ita Omnibus antecellit 1. *Baptismus*, in effectu remittendi peccata, maximè originale, & pœnam: 2. *Confirmatio*, in gratia ad bene operādum Luc. vlt. *Se-*

dete, &c. donec induamini virtute ex alto. 3. *Euchariſtia* quoad Subſtantiam. 4. *Pœnitentia* præſtat neceſſitate cũctis, prę-ter Baptiſmum. 5. *Extrema Vnctio*, in effectu gratiæ ſpecialis. 6. *Ordo* præ-ſtat ratione Miniſtri cunctis prę-ter Confirmationem: nam ea conferre Epiſcopi eſt. 7. *Matrimonium* excellit omnibus Significatione.

QVÆSTIO XIX.

Eccuiũ ſit inſtituere ceremonias?

LVTHERANI iuxta & CALVINIANI quot, quantaſque in nos confingant calumnias; attigi nonnullas earum in meo *Antipapiſta Mendace p. 3. q. 3.* quò remitto, hicque omitto.

Conſentiunt porrò in iſta. 1. Nullas à Chriſto vel Apoſtolis inſtitutas eſſe ceremonias; quæ non extent in Scriptura: ex Traditione manantes, aſpernãdas eſſe. 2. Nullas, quæ non ſint Sacramenta, habere vim ſpiritalem. V.g. coercendi dæmones. 3. Non poſſe eas Eccleſiam inſtituere ſic, vt reneãtur fideles ad eas in conſcientia, etiam citra ſcandalum. 4. Tales ceremonias non eſſe bonas, aut meritorias, nec pars diuini cultus. 5. Lingua vulgari celebranda ac miniſtranda eſſe Sacramenta.

Diſſentiunt in hoc: *An Eccleſia nouas poſſit inſtituere ceremonias?*

LVTHERVS *lib. de form. Miſſæ.* Confeſſ. Auguſt. *artic. 15. & 16.* Melanchthon *in Locis de Ceremoniis, &c.* & communis Lutheranorum, Aiunt poſſe aliquas ad eruditionem, ſplendorem, & ordinem Eccleſiæ; modò abſit obligatio, & opinio cultus.

CALVINVS *Inſt. l. 4. c. 16. §. 11.* Negat id vllo licere modo. Sic & Brentius *in Confeſſ. Wittenberg.* & Kemnitius *in Exam. part. 2. pag. 166.*

SVADENT iſtis. 1. Quia, Iuſt. 4. c. 10. § 2. *Apoſtolus* 1. Cor. 7. *ne vna quidem in re laqueum iniecere auſus eſt. Proſpiciebat enim quantum vulnus inſligeretur conſcientiis, ſi earum illis neceſſitas imponeretur, quarum relicta eſſet à Domino libertas.*

2. *Ad Coloſſenſes docet non eſſe de vero Dei cultu petendam ab hominibus doctrinam.*

3. *Quia Dominus fideliter nos, & ad plenum inſtituit, qualiter ſit colendus.*

4. *In fine capitis damnat omnes* ἐθελοθρησκείας, *id eſt, fictitios cultus hominum.*

5. Idem §. 9. *Apoſtolus* Gal. 5. *non patitur vllo modo, vt fidelium conſcientiæ in ſeruitutem redigantur.*

6. Idem §. 10. 15. *Dominus*, Matth. 15. *reprehendit traditiones hominum.*

7. Ibid. §. 12. *Romanenſes partim de gentium deliriis ſumſerunt ſibi exemplum; partim ſimiarum more imitati ſunt veteres Iudæorum ritus.*

8. Ibid. § 14. *Deus Iudæos, vt pueros, docuit per ſigna ſenſibilia; Nos vt viros, ſimplicius.* Ioan. 4. *Veri adoratores in ſpiritu & veritate adorabunt.*

9. Ibid. 15. *Quicquid commendationis habent opera, id totum habent obedientiæ ſanctæ, quam ſolam Deus reſpicit. Non ergo placent quæ ſunt ceremoniæ, quas Deus non inſtituit.*

10. Ibid. §. 17. *Semel Eccleſia dicta audiret. Quod præcipio tibi, hoc obſerua: vt facias. Non addes quicquam, nec detrahes.* Prou. 30. *Ne te forte arguat, inueniarisque mendax.*

11. Ibid. §. 23. *Samaritæ à feris diſcerpti ſunt, 4. Reg. 17.* ob nouas ceremonias. Achaz 4. *Reg. 16.* ob altare nouum poſitum reprehenditur: *Spiritus deteſtatur audaciam illam: quod hominum inuenta in Dei cultu impurè ſint corruptelæ.* Et, 4. Reg. 21. *Aggranatur huic eiuſdem ſtantiã crimen Manaſſe, quòd altare nouum extruxerit in Ieruſalem.*

AVTOR. I. Chriſtus & Apoſtoli quaſdam Ceremonias inſtituerunt, quę ex ſola habentur Traditione. 1. Vt, Sacramentum Chriſmatis nuſquam eſt in

in Scriptura; & tamen solus Christus id potuit instituere, vtpote Sacramentum. Ita *S. August. l. 2. c. 104.* contra Petilianũ. 2. Apostolus, 1. Cor. 11. *Cætera*, ait, *cùm venero disponam*, scilic. de ritu Eucharistiæ: & nil tamen scriptum est quod dispositum: neque omiserit disponere. 3. *S.* Basilius *libro de Spiritu Sancto capit. 27.* plura enumerat tradita, non scripta: in his signum Crucis: Aquam vino misceri in Sacrificio, Christum instituisse, ait *Cyprianus libr. 2. Epist. 3. Augustinus l. 3. doctr. Christ. c. 21.*

II. Aliquæ Ceremoniæ vim habent spiritalem: Vt *S*ignum Crucis; idque tum apprehensione dæmonum; tum ex deuotione hominum: tum maximè ex instituto Dei & opere operato: nam infidelibus quoque legitur vsus *S*igni Crucis profuisse.

III. Ecclesia potest instituere nouas Ceremonias non ad iustificandum impium; sed alios ad effectus spiritales, scil. ad repræsentandum aliquod mysterium religionis; ad ornandum; ad curandos morbos; ad pellendos dæmones, peccata venialia, &c idque per modum impetrationis. 1. Sic Iacob, *Genes. 28.* erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper. &c. Noua hæc ceremonia. Synagoga autore Mardochæo, nouum festum instituit. *Esth 9.* Item *Iudith cap. vlt.* Item *1. Mach. 4.* nouum festum dedicationis. Apostoli, *Act. 15.* Vt gentiles abstinerent à suffocato & sanguine.

IV. Ecclesia potest obligare conscientias ad ceremoniam sub peccato, etiã citra scandalum. 1. Quia, Rom. 13. *Non est potestas, nisi à Deo: quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt &c. Qui autem resistunt, Dei ordinationi resistunt, & sibi damnationem acquirunt.* 2. Quia ob ceremonias ortæ sunt dissensiones ac hæreses in Ecclesia: Vt *Act. 15. Visum est &c. nihil vltrà imponere vobis oneris*: Onus conscientiæ ligat. Vt de Paschate, quo die celebrando: de hæreticis rebaptizandis; de ciborum delectu, festis, cereis, imaginibus. &c. 3. Nisi igitur lege sanciri possent ceremoniæ, nil in Ecclesia ordinatum, non conformitas perstaret: Ideò, 1. Cor. 14. *Omnia honestè & secundum ordinem fiant.* Caluinus *Inst. l. 4. c. 10. §. 27.* ait, dissolui neruis & deformari Ecclesiam, si cuique liceat mutare ceremonias. &c.

V. Ceremoniæ sunt res, non indifferentes, sed vtiles, meritoriæ, & pars quædam cultus diuini. 1. *Vtiles*, Ad augendam pietatem; informãdum intellectũ: ad memoriam: ad fidei exercitiũ & professionem: ad conseruationem religionis: ad distinctionem Catholicorum ab hæreticis. 2. *Meritoriæ*: quia sunt opera virtutũ, actus religionis, deuotionis. 3. *Sunt pars diuini cultus*: quia Cyprian serm. de Orat. *Placendum Deo est habitu corporis, & modo vocis.* Exteriora enim enunciant de interioribus: hæc autem bona Deo sunt grata: ergo & illa. Deus verè offenditur exteriore irreuerentia: ergo & colitur exteriore reuerentia. &c.

VI. Latinè sunt administranda Diuina: Non de iure diuino: neque de essentia Sacramentorum, sed proprium Ecclesiæ latinæ est. &c. Cur? Consule Bellarminum.

Dico Ad I. Agitur ibi de Virginitate seruanda, quam Dominus non imperarat, sed consuluerat.

AD II. Agit contra Iudaizantes Simonianos & Gnosticos, non contra ceremonias Ecclesiæ.

AD III. Verum est generali instructione, non particulari.

AD IV. Damnat Simoniana, & humano ingenio priuato inuenta.

AD V. Loquitur de seruitute Iudaica: & Caluinus falsò detorquet aliò.

AD VI. Pharisaicas Dei præcepto contrarias; vanas; pluris æstimatas, quàm Dei cultus.

AD VII. Est argumentum Manichæorum apud *Aug. l. 20. contra Faustum c. 4.* Est & Vigilantii apud Hieronymum. Dein; non omnia gentilium sunt mala & reiicienda; maximè à dæmonum cultu ad Dei cultum translata.

AD VIII. Ceremoniæ Iudaicæ vmbræ erãt futurarum: nostræ autem indices sunt præsentium rerum spiritalium; & requirunt internum cultum, excitantque ad cœlestia.

AD IX. At obedientiæ opera sunt meritoria, siue à Deo, siue ab Ecclesia mediatè instituta.

AD X. Non omnis additio prohibetur; sed corruptoria, superstitiosa, &c.

AD XI. Caluinus malâ fide vtitur exemplis: Nam iis idololatria reprehenditur.

III. DE BAPTISMO.

QVÆSTIO XX.

Baptismi quæ definitio, Materia, & Forma?

LVTHERANI, vt MELANCHTHON in Locis anni 1558. de Sacrif. *Baptismus signum est, quo Deus nobiscum agit, & recipit nos in gratiam.*

AVTOR. AT, hoc commune est omnibus Sacramentis.

CALVINVS Instit. l. 4. c. 15. §. 1. *Baptismus est signum initiationis, quo in Ecclesiæ cooptamur societatem, vt Christo insiti inter filios Dei censeamur.*

AT, nil hic de Essentia Sacramenti: nil de Effectu seu fine regenerandi primariò; solum quod testetur fidem ac alat. Tale signum erat & Circumcisio, inserens venturo Christo Iudæos. Itaque *Baptismus est Sacramentum*, en genus, *regenerationis per aquam*; en differentia, *in verbo vitæ*, en forma.

II. LVTHERVS *in Symposiacis, c. 17.* Baptismus est ratus, in lacte, cereuisia, aut quocunque liquore datus, qui nomine balnei possit appellari. Vide in min. *Antichristo p. 3. q. 8.*

III. LVTHERANI communiter docent, sutâ vtendum formâ; etsi non sit ea ad substantiam Sacramenti necessaria.

LVTHERVS *l. de Capt. Babyl. cap. de Baptismo* asserit, Baptismum esse ratum, 1. Quibuscunque verbis collatus, dummodò in nomine Domini. 2. Imò dummodò suscipiatur in nomine Domini; etsi in nomine diaboli daretur ab impiissimo; 3. Q. in etiam ab ipso diabolo. Vide *supr. q. 10.*

ZVVINGLIVS *lib. de vera & falsa religione t. de Baptismo* idem non necesse sueta vti forma, non se tamen vetare. Vnde quidem baptizabant *In Nominibus Patris &c.* quod Arianum est. Vide in *Genealogia p. 3. quæst. 4.*

AVTOR. Forma est: *Ego te baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Baptismus datus solum *in nomine Christi*, aut absolutè, aut sub conditione esset repetendus. Dicta forma colligitur ex *Matth. 28.* sed non euidenter: vt cogamur ad Ecclesię Traditionem recurrere: quam Caluinus ac Lutherus aspernatur. Patet: & sic declararunt Concilia, & S. Patres.

Sub nomine solius Christi baptizarũt Apo-

Apostoli, ex dispensatione, vt putant quidam: Alii rectius negant sic baptizasse; sed exponunt tres personas esse expressas: Nam responderunt Paulo, Act. 19. *Neq; si Spiritus Sanctus est, audiuimus.* Et ille: *In quo ergo baptizati estis?* Quin in Canonibus Apostolorum damnantur, qui nō baptizant *in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Itaque in nomine Christi, nō solius, sed in Instituto Christi: id est, in nomine Trinitatis, baptizasse dicendi sunt. Ita Patres.

QVÆSTIO XXI.

An, & quatenus necessarius ad salutem est Baptismus?

PELAGIANI, ait *August. lib de haref. c. 69.* negabant necessarium ad remissionem peccati originalis; sed ad cœli ingressum.

WICLEFVS etiam hoc negabat. Quod nil esset nisi merum symbolum externum.

1. ZWINGLIVS *l. de vera & fal. relig.* item negat vtrumque.

2. MARTINVS BVCERVS, *in Matt. 3.* item: Sed quod pueri prædestinati sine Baptismo saluentur; reprobi etiam cum Baptismo damnentur.

3. CALVINVS *in Antid. Sess. 6. cap. 5. & Instit. l. 4. c. 16. §. 23. 24.* vult paruulos fidelium etiam sine Baptismo sanctos esse, membra Ecclesiæ, & saluari si moriantur: Quod eis non imputetur peccatum originale, ex vi fœderis cum Abrahamo, Gen. 27. *Ero Deus tuus & Seminis tui.* Nos enim per Christum successimus in posteritatem Abrahæ.

4. Sic & Petrus Martyr: Quia, 1. Cor. 7. *Alioqui filij vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt.*

5. Sic & HENRICVS BVLLINGERVS, Zwinglii successor Tiguris: qui addit: Vi fœderis sanctos esse, quorum parentes aliquando fuerunt fideles: imò maiores olim.

AVTOR. Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 2. sic definit: *Si quis dixerit, Baptismum non esse necessarium ad salutem, anathema sit.* I. Sic istud Ioan. 3. *Nisi quis renatus. &c.* exponunt S. Patres, & ipse Dominus declarauit. Vide *Antichristum p. 3. q. 9.*

II. Quia Sectariorum interpretationes loci huius sunt vanæ.

Vt 1. Caluini in Antid. Kemnit. Patres, vt Basilium, per *Aquam* accipere *Mortificationem peccatorum.* Aut *Aquam* esse epithetum Spiritus Sancti.

AT, Contrarium Patres apud *Bell. l. 2. de Sacramentis c. 3.*

2. Petri Martyris *in 1. Cor. 7.* Sat esse si ex altero, sc. Spiritu Sancto: Et, enim non importat patrem vtriusque necessitatem.

AT, ambo *Aqua* & *Spiritus* ad eandē regenerationem requiruntur.

3. Zwinglii *in Marc. 1.* Totam sententiam accipi de pœnitentia.

4. Wicleffi: *Aquam* esse Christi passionem, è latere Christi manantem.

AT, Axioma est Theologorum: *Scriptura intelligenda est secundum proprietatē verborum, vbi non cogimur euidenti absurdo.*

III. Quia, Traditio est: Infantes perire non baptizatos. Sic Concilia; Testimonia Pontificum; S. Patrum. &c.

IV. Quia, Fundamentum Sectariorū sic euertitur. Esau erat optimi patris filius: & tamen, *Rom. 8.* Deus eum odio habuit: Non ergo nascuntur sancti filii sanctorum; nec omnes prędestinati: Cur autem aliqui non prædestinati? Nescio, dicant. Item, Dauid erat filius credentis: & tamen ait, Psal 50. *In iniquitatibus conceptus sum. &c.* Item, Paulus: & tamē Eph. 2. *Eramus & nos natura filii iræ,* etiam reatu, qui debetur ad iram.

5. Axioma est: *Christianos non nasci; sed fieri*: iuxta S. Patres etiam. Ergo. &c.

OBIICIVNT 1. Gen. 17. *Ero Deus tuus, & Seminis tui*: hoc nos sumus: ergo sancti. 2. 1. Cor 7. *Filij vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt*: Ergo ipsa natiuitate sunt sancti antè, quàm baptizentur.

DICO AD I. Ea promissio fuit peculiaris protectionis; non Remissionis peccatorum. Esto: fuerit etiam de spiritali gratia; hæc tamen ad nos descendit per Christum ex fide. Tunc enim incipimus esse filii Abrahæ, & fideles, cùm baptizamur, non cùm ex fideli nascimur. Neque scimus parentes nostros secundum carnem ab Abraham descendere: hoc scimus, eos fieri filios Abrahæ, *qui ex Deo nati sunt*.

AD II. Ibidem dicit, Coniugem infidelem sanctificari per fidelem; id quod tamen non fit, nisi conuertatur: *ita nunc sancti* non *sunt*, nisi in Baptismo sanctificentur.

QVÆSTIO XXII.

Baptismi minister quis esse debeat, ac possit?

CALVINVS *Instit. lib. 4. c. 15. §. 20. 21. 22.* Soli Ordinarii, ait: nemoque alius, nec in extrema necessitate. Sic & in *Antidoto Sess. 7. Can. 10.*

SVADENT istis. 1. Quia, Matt. 28 *Euntes docete. &c. Hæc dicuntur solis Apostolis, qui à Christo instituti sunt Ministri Verbi & Sacramentorum: Non ergo licet aliis id munus vsurpare.* 2. Quia, nec veteribus constitit, recènè laicis in necessitate permitterent baptizare: teste *August. l. 1. contra epist. Parmen. c. 13.* 3. Quia, Concilium Carthaginense prohibet mulieribus baptizare. Sic & Tertull. & Epiphanius docent. Marcion permisit mulieribus, quod nec Christi matri datum fuit.

AVTOR. I. Ius baptizandi propriè est ordinariè Sacerdotum, quibus id Episcopus concesserit: Aut Diaconis conuenit, absente presbytero: Idque cum solennitate.

II. Quin etiam Laicis in necessitate; absque tamen solennitate, licitum sit, fueritque; dubitatum in Ecclesia nunquam est.

III. An verò item non baptizatis liceat in casu necessitatis, veteres addubitarunt. *Aug. l. 2. contra Parm.* non audet determinare; donec Concilium id definierit. Factumque est in Florentino.

1. *Ratio*: Quia in ministro non requiritur fides, aut probitas, aut Ordinatio, vt ratus sit Baptismus: neque sexus certus; vt etiam fœmina tingere possit, absente viro.

2. Sic Scriptura docet in figura, *Exod. 4.* Sephora filium circumcidit contra Moysen; quem occidendum sic seruauit, & placuit Angelo: Quò iniuriosius eam traducit Caluinus, ac mendacius. Exempla ex Actis Apostolorum vide in meo *Antichristo p. 3. q. 10.*

3. Sic Patres. Tertull. libr. de Bapt. *Et laicis ius est baptizandi: Quod enim ex æquo accipitur; ex æquo dari potest.* Alexander Episcopus Alexandrinus ratū habuit Baptismum Athanasii pueri pueris datum.

DICO AD I. Dictum id omnibus fuisse, facta docent Apostolica: ratum namque habuerunt, concionari, & baptizare Philippum, Stephanum, Ananiam.

AD II. Iniuriam facit Augustino, affirmanti Baptismum à laico datum im-

impie repeti, & dari in necessitate, peccatum esse nullum, aut veniale.

AD III. Concilium excipit casum necessitatis. Et Patres licere negant cum solennitate: hoc enim foret ludibrium, vt ait Epiphanius.

QVÆSTIO XXIII.

An baptizandi sint Infantes?

ANABAPTISTA primus ex Lutherano factus, anno 1527. teste Cochlæo *in actis Lutheri*, Balthasar Pacimontanus, demum Viennæ crematus; negauit, cum hæreticis, tempore S. Bernardi coortis, ac ab eodem refutatis *Serm. 66. in Cantic. & epist. 240.* Nec voluit baptizari quenquam ante XXX ætatis annum. Lutherus & Caluinus acriter in Anabaptistas conturbexerunt. Ministri tamen Transiluani duos communi consensu libros ediderunt contra Trinitatem, Incarnationem, & Pædobaptismum

ERASMVS *in præfat. paraphrasis in Matthæum* docet, baptizatos in infantia, vbi adoleuerint, interrogandos, an ratum habeant quod in Baptismo promiserunt: si negent, liberos esse dimittendos. Transyluani adducunt argumenta, 6:

SVADENT illis. 1. Quia, de pædobaptismo nullum extat mandatum, seu præceptum in Scriptura. 2. Mandatum est prius *Docete*. 3. Christus, Baptista, Paulus non baptizarunt infantem. 4. Reprobi non sunt baptizandi, ne prophanetur Sacramentum; at inter infantes multi sunt reprobi. 5. Infantes non credunt. 6. Cogi ad Baptismum est plus tribuere Sacramento; quam par. 7. Non est articulus fidei pædobaptismus. 8. Si Baptizandi; ergo & communicandi sunt. 9. Non dandus Baptismus absque pœnitentia. *Mar. 1. Act. 2.* Nec sine oris confessione: hæc non possunt infantes &c. Vide *Bell. l. 1. de Baptismo c. 9.*

AVTOR. Infantes sunt baptizandi. Ita Concilium Tridentinum *Sess. 7. Can. 12. 13. 14.* 1. Quia, infantes circumcidendi erant; at, *Coloss. 2.* Circumcisio quidam Baptismus est. Luthero-Caluinistis, concionalem formam requirentibus, Anabaptistæ negant inuicti consequentiam. 2. Domini vniuersale edictum est, Ioann. 3: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* speciale, Matth. 19. *Sinite paruulos ad me venire. &c.* Et verò, Luc. 18. *Afferebant ad eum & infantes*; quos amplexans benedixit. Caluinistis hoc argumentum est infirmum: quòd negent *Ioann. 3.* agi de Baptismo. 3. Traditio Ecclesiæ perpetua custos est, fuitque pædobaptismi. *Melanchthon in Locis, de Baptismo:* hanc opponit in prima acie Anabaptistis. 4 Sic omnium retrò sæculorum Patres tradiderunt: Concilia sanciuerunt: Pontifices definierunt. Et ratio euincit. Vide in *Genealogia part. 3. quæst. 6.*

DICO AD I. Efficax hoc contra Luthero-Caluinistas est, nil extra Scripturam credentes. Nobis, Traditio conformis est Scripturæ, & vincit.

AD II. Is ordo seruandus in conuersione gentium erat: seruatque nunc Ecclesia in adultis.

AD III. Dicunt; docebunt nunquam. Ad Ioannem Iudæa omnis confluebat, quin & infantes ac paruuli, quis negarit? Ad Christum *afferebant infantes*. Paulus Stephanæ domum baptizauit: cur non & infantes:

AD IV. Sic nec adulti forent baptizandi. Validum argumentum est contra Luthero-Caluinistas, qui volunt Baptismum esse diuinæ beneuolentiæ Sigillum.

AD V. Euincit contra Luthero-caluinistas, requirentes fidem actualem in infantibus, ac sentire eos Spiritum Sanctum.

AD VI. Validè contra Caluinum: Nil ad nos.

AD VII. Est implicitè in Scriptura: expressè in Traditione.

Ad VIII.

AD VIII. Diſpar eſt ratio. Euchariſtia eſt adultis ſolum neceſſaria: nec tamen neceſſitate Medii, vt Baptiſmus in infantibus. Idem de pœnitentia. &c.

QVÆSTIO XXIV.

An, & qualis in pædobaptiſmo requiritur Fides?

LVTHERVS lib. de Capt. Babyl. anno 1520. aſſerit: *Omnia Sacramenta ad Fidem alendam inſtituta.* Item. *Non iuſtificant, nec proſunt quicquam; ſed ſola Fides.* Item: *Non implentur dum fiunt; ſed dum creduntur.* Demum ait: *Opponetur his Baptiſmus parvulorũ, qui promiſſionem Dei non habeant; nec fidem habere poſſint.* Reſpondet duo: 1. Infantes credere. 2. Acquirere fidem oratione Eccleſiæ, & fidem offerentium eos. *Quo in aſſerimus, prorſus non eſſe baptizandos, ſi verum eſt, in Baptiſmo non Credere; ne illudatur Maieſtati Sacramentum & Verbum.* Imò ante Baptiſmum, dum exorciſantur, vult eis infundi fidem; quæ eſſe actualis debet, non habitualis.

Hinc tres coortæ ſunt Sectæ. 1. *Anabaptiſtarum*: Infantes non eſſe baptizandos: quòd non credant; imò reclamitent: 2. *Sacramentariorum*: Eſſe baptizandos; ſed non requiri in eis fidem. 3. *Mollium* Lutheranorum: Eſſe baptizandos, & habere fidem ipſos. Sic anno 1536. Synodus Wittenberg. apud *Cochlæum l. 3. Miſcell. tract. 8. c. 2.* Eſtque communis; & ſic exponũt; Eos habere aliquam actionem: Quam, neſciri; certum eſſe motus ſanctos & nouos; inclinantes in fidem, ſimiles motibus fidei.

SACRAMENTARII. ſequuntur in hoc Lutherum: *Non requiri fidem:* Non ſequuntur in fundamento; nam ex alio id colligunt: ſcilic. ex promiſſione factâ Abrahæ & ſemini eius. *Gen. 17.* Lutherus eis huius præbuit occaſionem, ſcribens anno 1528. contra Anabaptiſtas. *Nil intereſſe, ſiue credant, ſiue non credant: quòd Baptiſmus non fundetur ſuper fidem dantis, aut recipientis; ſed ſuper mandatum Dei.* Similia in hom. de Baptiſmo, anno 1537. & 1540.

Vnde CALVINVS *Inſt. l. 4. c. 16.* ſequi priorem Lutheri ſententiam cupiebat; ſed nõ audebat, §. 18. 19. Sic Beza, *Confeſſ. c. 4. art. 48.* Martyr *in 1. Cor. 1. & 7.* Infantes non credere; rectè tamen baptizari: quòd antè ſanctificati eſſent, & membra Eccleſiæ facti per donum Electionis diuinæ, & factam parentibus promiſſionem in Abrahamo.

SVASIÓ LVTHERI. 1. *Si non crederent, illuderetur Sacramentũ ſacrilego mendacio, dum reſpondetur pro infante: Credo.* 2. Matth. 18. *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt; Igitur credunt.* 3. *Baptiſta exultauit in vtero.* Luc. 2. *Non igitur miriũ, ſi infantes habeãt nouos motus.* 4. Mar. 10. *Niſi quis acceperit regnum cœlorum, ſicut parvulus, non intrabit in illud. Igitur oportet infantes accipere aliquam ſp. Sancti operationem. At recipere non poſſunt fidem cum cognitione; ergo nouum motum ſine cognitione.*

AVTOR. I. *Infantes non habent actualem fidem.* 1. Quia, id Lutherani nullâ docere poſſunt Scripturâ. Et, Deut. *1. Ionæ vlt.* infantes non dignoſcunt bonũ à malo. 2. Quia, S. Patres eam ſententiam reiiciunt, vt Nazianzenus, ait, eos ſine ſenſu ſanctificationis ſanctificari. *Auguſt. epiſt. 57.* ait, iniuriam fieri ſenſibus. *Epiſt. 23. tract 80. in Ioan. l. 9. de Bap. c. 24.* Eos non habere fidem, quæ eſt in cogitatione: nec ſenſum fidei. Mentitur ergo Kemnitius, eandem Lutheri & Auguſtini aſſerens eſſe ſententiam. 3. *Fides ex auditu eſt,* Rom. 10. ordinario modo: at ſi omnibus infantibus à Deo fides reuelaretur, iam tum & hoc eſſet modus ordinarius, & infantes eſſent prophetæ. Minus autem *per vim Verbi* credunt, quia non intelligunt: eſtque hoc nouum ponere miraculum in auribus & mente infantium. Nec fides offerentium ſupplet; quia hi aliquando ſunt omnes hæretici. 4. *Auguſt. epiſt. 57.* Quia, infantes obſtrepunt Baptiſmo: ſi quo modo intelligerent, reos ſe facerent ſacrilegii.

II. *Non habent nouos motus, ſimiles fidei, & ſine cognitione.* 1. Quia, de tali fide nil in Scriptura, quæ ſit ſine cognitione. 2. Repugnat rationi: Nam motus ij

non

non esse possunt in corpore, quod fidei incapax: non in animo; quia implicat eos tunc esse absque cognitione. 3. Repugnat Luthero: qui vult solam fidem iustificare; at hæc non potest esse absque cognitione: nam motus intellectus est intelligere. Item; sine vera fide non est iustificatio: at illa absque cognitione nō est vera: ergo nec iustificans.

III. *Non iustificantur tamen absque vlla fide*, vt Sacramentarii volunt. 1. Quia, Ioann. 3. *Qui non credit iam iudicatus est.* Vnde probat S. Aug. *libr. 1. de pecc. mer. c. 33.* fidem esse medium necessarium ad salutem. Vide *Antichristum p. 2. q. 12.*

IV. *In Baptismo infunditur eis habitus fidei, spei, charitatis.* 1. Sic Concilia. Quia, Scriptura *docet sine fide impossibile placere Deo.* Fides autem cùm significet actum, vel habitum; actus verò nullus inesse pueris queat; habitum infundi necesse est. 2. Sic Patres: Ratio: Quia, paruuli dicuntur & sunt verè fideles: Nā, Eph. 3. *Christus habitat per fidem in cordibus eorum*, infusâ occultè eis gratiâ suâ.

V. *Paruuli actu credunt.* 1. Quia, *August. lib. 1. de pecc. mer. c. 7.* Ipsum baptizari, est credere. Sicut *non loquendo, sed moriendo confessi sunt*, teste Ecclesia. 2. Quia, aliena fide credunt: Ita vniuersalis Patrum consensus.

Dico Ad I. Aug. serm. 10. de verb. Apost. *Accommodat Ecclesia infantibus aliorum pedes, vt veniant; aliorum cor, vt credant; aliorum linguam, vt confiteantur.* Iure: Cùm peccato alieno grauentur.

Ad II. Illi grandiores erant: nam vocauit eos, venerunt; scandalizari poterant, teste Domino.

Ad III. *Aug. epist. 57.* Exemplum vnum non est regula generalis. Et Ioannes cognouit Dominum, ait Ambr. Beda; infantes autem non cognoscunt.

Ad IV. Recipiunt verè habitum fidei.

IV. DE EFFECTV BAPTISMI.

QVÆSTIO XXV.

An Baptismus peccata remittendo tegat; an tollat?

Lvthero Calvinistae tegi, non tolli, aiunt cum Origenistis & Massalianis.

Lvtherv art. 1. *In puero post Baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum & Christum conculcare.* In Assert. art. 1. *Aliud est, omnia peccata remitti, aliud tolli: Baptismus omnia remittit; sed nullam penitus tollit sed nequit tollere.*

2. Calvinvs in Antid. Sess. 6. *Manet verè peccatum in nobis, neque per Baptismum statim vno die extinguitur: sed, quia deletur reatus, imputatione nullum est.* 3. Kemnitius *in Exam. Sess. 5.* ait, verè remitti, tolli, ac deleri: manere tamen reliquias peccati originalis, quæ sint malum culpæ & peccatum, ob quod homo damnari posset, si Deus imputare vellet. *Lutherus & Melanchthon* mentiuntur idem docere S. Augustinum.

Fvndamentvm eorum est, quòd putent Concupiscentiam esse propriè peccatum, etsi repugnemus ei, & nil consentiamus De quo *supra par 1. & infra par. 4.*

Avtor. Baptismus verè tollit omnia peccata, vt nil remaneat, quod imputari queat. 1. Quia, Scriptura vtitur vocibus mundandi, lauandi, tollēdi, delēdi, auferendi. &c. quę per Non imputari nō possunt exponi. Ps. 50 *Dele tniquitatem meam.* Mich. 7. *Aufers iniquitatem.* Eph. 5. *Mundans eam lauacro.*

2. Quia dicit, *tolli maculas, inquinamenta, & iniquitates:* quæ voces significāt fœditatem, non solum reatum imputa-

titium. Cant. 4. *Tota pulc. &c. & macula non est in te.* Eph. 1. *Elegit nos, vt essemus sancti & immaculati*; Col. 1. *& irreprehensibiles.* 2. *Cor.* 7. Iubemur exuere veterem hominem & induere nouum.

Quia, comparatur ea mundatio rebus verè mundis. Ps. 50. *Lauabis me, & super Niuem dealbabor.* Isa. 1. *Sicut nix, sicut lana, alba erunt.* Isa. 44. *Deleui vt Nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata.*

4. Quia, Baptismus continet similitudinem mortis & resurrectionis Dominicæ. Rom 6. *Consepulti sumus* cum Christo per Baptismum in morte &c. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. *Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum Christo.* Tit 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Vnde pulchrè S. August. in Enchirid. c. 52. *Sicut in illo vera mors facta est; sic in vobis vera remissio peccatorum: & vt in illo vera resurrectio; ita in nobis vera iustificatio.*

5. Figuræ id docent. Mare rubrum, *1. Corinth. 10.* submergens Ægyptios. Iordanis, *4. Reg. 5.* sanans lepram. Porcorum, *Matth. 8* suffocatio. Probatica, *Ioann. 5.* cæci, *Ioann. 9.* curatio loti. Circumcisio verè realis. Greg. libr. 9. epist. 39. *Qui dicit peccata in Baptismate non funditus dimitti; dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.* Vide *Geneal. p. 3. q. 7. & Antichristum p. 3. q. 13.*

QVÆSTIO XXVI.

An Baptismus reddat homines impeccabiles?

LVTHERVS *l. de Capt. Babyl. & de Bapt.* errorem, tempore S. Augustini coortum, ipso *teste l. 21. Ciu. cap. 25.* Baptizatos non posse damnari, etsi perditissime vixerint, innouauit. Eius verba sunt: *Non potest homo damnari, nisi nolit credere.*

Cuius triplex est *sensus.* 1. Nullum esse verè peccatum, & in sese mortale, nisi Incredulitatem. Et hunc negant aduersarii; quin contra contendunt; omnia opera etiam optima, in se esse peccata mortalia, iuxta rigorem iustitiæ Dei.

2. *Sensus.* Qui habet fidem, nullum habere peccatũ, nec perire posse: & qui peccat, hoc ipso non credere: adeo omnia peccata esse coniuncta cum infidelitate; & fidem cũ iustificatione. Ita exponit Kemnitius: admittitque Caluinus: Vt enim, aiunt, peccata destruunt fidem; ita fides reuiuiscens destruit peccata.

3. *Sensus*: Posse hominem, dum peccat, retinere fidem; at peccata, ob fidem, non imputari. Hunc esse Epicureum dicunt Kemn. & Caluin. in *Antid. Sess. 7. Can. 6.* esseque Lutheri negat Kemnitius. Quicquid agat, Lutherus est innouato hæresis, tempore S. Augustini exortæ, ab eo refutatæ.

CALVINVS *in Antid. Sess. 7. Can. 7.* ait, semel verè iustificatum excidere salute & gratia nunquam posse. Idem *Inst. 3. c. 2. §. 11. 12.* Veram fidem, ait, semel habitam amitti nõ posse; esseque donum electorum propriũ: Et Baptismo, tanquam Dei chirographo, nos certiores reddi de perpetua adoptionis gratia. Sic olim & Iouinianus.

AVTOR. Conc. Trid. *Sess. 7. Can. 6.* prædicta omnia damnauit. 1. Iouinianismum Caluini refutauit S. Hieronym. *l. 2. contra Iouin.* & S. Aug. *l. de hæres. c. 82.* ex S. Scriptura Rom. 11. *Tu fide stas; noli aliũ sapere.* Heb. 6. *Impossibile est eos, qui semel sint illuminati, renouari ad pœnitẽtiam.* 2. Pet. 2. *Melius erat eis non cognoscere viam iustitiæ. Act. 8.* Simon baptizatus credidit, & tamen excidit. Istud igitur, *1. Ioa. 3. Omnis. &c.* intelligendum est in sensu composito; ceu istud Matt. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere:* scil. dum manent bona Ira Aug. Hieronymus.

II. Alterum errorem, Anonymum olim, nunc Lutheranũ, refellit S. Aug. *l. de hæres. c. 82.* & lib. de fide & operibus: istis: 1. Rom 8. *Si secundũ carnem vixeritis, moriemini.* 1. Cor. 6. *Nolite errare; neq; fornicarii,*

rii, neq; fures &c. regnũ Dei possidebunt &c. 2. Si ita, vt vult Caluinus, nulli vnquam fuissent Apostatæ: At Act. 20. *Ex vobis ipsis exurgẽt viri loquẽtes peruersa, vt abducant discipulos post se.* 1. Tim. 1. *Quidam naufragauerunt circa fidem.* 1. Tim. 4. *In nouissimis temporibus discedent quidam à veritate.* 1. Ioan. 2. *Ex vobis exierunt.*

III. Iam sensus tertius est Lutheri, quantumuis neget Kemnitius.

Nam ita Lutherus de Capt. Babyl. c. de Bapt. *Nulla peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas: cætera omnia, siue edeat, vel fiet fides in promissionem diuinam baptizato factam, in momento absorbentur per eandẽ fidem.* Idem l. de libert. Christiana: *Non facit personã bonam, nisi fides; nec malã, nisi incredulitas.* Idem q. Anopera faciant ad salutem; assert. 1. *Vt nihil iustificet nisi fides: & a nihil peccat nisi incredulitas.* Assert. 2. *Iustificatio propria est fides quarto modo; & peccatum incredulitatis &c.*

Sensus secundus est hæreticus. Quia, 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autẽ non habuero, nihil sum.* Vide *Geneal. p. 3. q. 8.*

QVÆSTIO XXVII.

An per Baptismum libere nos homines ad seruanda legem?

LVTHERANI omnes; in primis Kemn. *in Exam. p. 2. pag. 206.* ita docet: Facere contra legẽ, est peccatum quidem; Non tamen imputatur habentib. fidem. Quia salus non pendet ab implectione legis; sed à sola Dei misericordia, quæ per fidem apprehenditur. Ideo fere Cõmunis est: *Christiani non obligantur ad legem diuinam; sed tantũ ad fidem. Et in hoc consistit Christiana libertas.* Ita Luth. l. de Votis Monast. Vnde idem in Gal. 2. *Si conscientia dicat, Peccasti, responde, Peccaui. Ergo Deus puniet et damnabit? Non. At ita ex Dei hoc dicit. Sed nihil mihi cum lege. Quare? Quia habeo libertatem.*

CALVINVS *Inst. 3. c. 29. §. 2. 4. 7.* idem: Ac in *Antid. Sess. 7. Can. 7.* profitetur hunc Cã. 7. contra seã, suorumq; sententiã esse positum.

SVADET istis Kemn. ibid. & vulpinatur duo dicens. 1. Lutherũ non docere libertatem ab obedientia legis: sed gratiã Baptismi & iustificationẽ non pendere à Conditione legis implendæ; quasi nemo saluetur, nisi qui id antè meruerit obseruatã legem: sed gratis dari salutẽ. 2. Cõcil. definisse; quod Salus pendeat à Cõditione legis obseruandæ. At hæc est mens pseudoapostolorũ, teste Gal. 5. *Qui circumcidit se, debitor est vniuersæ legis faciendæ;* secundo Circũcisionem Ergo Conc. consentit cum pseudoapostolis. 3. Mentitur; Quia in Baptismo renunciamus Satanæ, & profitemur nos Deo seruituros; inde colligere Conc. Trid. quod Gratia Baptismi non pendeat à sola fide; sed à Cõditione legis. 4. Quia, non baptizamur in Mysten, sed in Christũ, id est, non in Legẽ, sed Euangelium: ideo Conc. Trid. pro voce *Euangelii* posuisse legẽ, vt indicaret, gratiã Baptismi ab Legis obediẽtia pẽdere.

AVTOR. Conc. Trid. Can. 7. ita habet. *Bapt. non id efficit, vt homo solius fidei debitor sit; non autẽ implẽdæ vniuersæ legis Christianæ.* Quia Mat. 19. *Si vis ad vitã ingredi, serua mãdata.* Ro. 8. *Debitores sumus nõ carni, &c. Si n. secũdũ carnẽ vixeritis, moriemini: Si autẽ spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Nã, Gal. 6. *Quæ quis seminauerit, hæc et metet, &c.* Resp. ad hęc Luth. est tale:

LVTHERVS in Gal. 3. *Cum illaqueãt te argumentis ex Scripturis, pro defensione bonorũ operũ desumtis, respõde: Hic mecũ est Christus; illic n. adsit Scriptura testimonia pro operib. Christus autẽ Dominus est Scripturæ, & bonorũ operũ. Item respõde simpliciter: Tu urges seruum, id est, Scripturam; quam relinquo tibi; Ego urgeo Dominum, qui Rex est Scripturæ.*

AVTOR. Nimirum hic aliàs merã crepat. Scripturam, vt Patres reiiciat; præque his solus audiatur: Nunc & præ Scripturis audiri affectat.

DICO AD I. Kemnitii. At disertè cõtrariũ ita Luth. l. de libert. Christiana.

Nullo opere, nullã lege Christiano homini opus est; cum per fidẽ liber sit ab omni lege. In arg. ad Gal. *Summa ars & sapientia Christiana est, Nescire legẽ, ignorare opera, et totam iustitiã actiuam.* Et infrà: *Ad nouum hominem nihil pertinet lex:* vtpote obseruatu impossibilis.

AD II. Mentitur Kemn: quin Contrariũ definit Conc. *Sess. 6. Can. 8.* sc. Nulla nostra merita esse ante gratiã iustificationis: Et *Can. 7.* Ab ipso Bapt. nasci debitũ seruandæ legis Christi. Nec Concil. citauit Paulum: Et hic habet, post Circũcisionem nasci obseruandæ legis debitũ, nõ ante. Nec Paulus loquitur de abusu pseudoapostolorum: teste Caluino *in Antid. ad Can. 7.* sed ex sua mente. Vnde ait: *Testificor omni homini, &c.*

AD III. & IV. Somniat, fingit, & affingit nobis sua deliria: Ecquæ enim consequentia: profitemur in Baptismo, nos Deo seruituros: verum est: Ergo, dicimus, Baptismi gratia pendet à legis cõditione? Vah putidam consequentiam; sed Kemnitianam; nunquam nostram.

QVÆSTIO XXVIII.

An Baptismus liberet à lege Ecclesiastica?

LVTHERVS *in Capt. Babyl. c. de Bapt.* Papa non potest vllum hominem per vllam syllabam obligare in conscientia. Idcirco Baptismus, cùm liberet à lege diuina obligante conscientias sic, vt, tametsi peccent in eam, non tamen imputetur: magis liberat ab Ecclesiastibus, legibus nil obligantibus, nec reatum inducentibus, etsi studiosè peccetur in ipsas.

CALVINVS *in Antidoto Sess. 7. Can. 8.* Lutherum propugnat; impugnat Tridentinum Concilium.

SVADENT. 1. *Vnus est saluator*, Iac. 4. *qui potest perdere & saluare: Vbi hoc falsum esse demonstrauerint, non recusabimus, quin suis nos legibus adstringant.*

2. Kemnitii in Exam. *Per Baptismum addicimur diuina seruituti: ergo liberamur ab omnibus aliis vinculis.* 3. *Atque hoc est, quod Scriptura passim docet;* Matt. vlt. *Baptizantes eos in &c. docentes seruare eos, quæcunque mandaui vobis.* 4. 1. Cor. 7. *Pretio emti estis, nolite fieri serui hominum.* 5. Col. 2. *Si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi; quid adhuc decretis mundi tenemini, iuxta mandata & doctrinas hominum?* Ezech 20. *In præceptis Patrum vestrorum nolite ambulare.* Matth. 15. *Frustra colunt me mandatis hominum.*

AVTOR. Ita Concil. Trident. Sess. 7. Can. 8. *Non liberat Baptismus homines ab obligatione Ecclesiasticæ legis.* Supra par. 2. q. de Pontif. id docuimus, Papam obligare conscientias posse.

DICO AD I. *Vnus est*, contra, & supra quem nemo potest: ligat, occidit; & quis est qui soluat, viuificet? At subdelegatos habet & in Ecclesia, & in Politia. S. Iacobus autem voluit, non detrahendũ esse hominibus: *Qui enim* ait, *detrahit fratri, detrahit legi. Qui detrahit legi, iudicat legẽ.* Nullus autem id attentare debet: quia *Vnus est legislator*, supremus omniũ, tametsi Scriptura etiam hominibus titulum officium q; iudicis tribuat. Pro 8. *Per me Reges regnant, & Legum Conditores iusta decernunt.*

AD II. Liberamur à lege Christo contraria, quæ impedit seruire Deo: at Ecclesiastica iuuat. Vnde Apostolus iubet obediri Magistratui: *Eph. 6. Col. 3. Rom. 13. Heb. 13.*

AD III. Atqui mandauit obediri Prælatis: Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.*

AD IV. Quatenus contrarii sunt Deo, *nolite.* Cæteroquin seruite *etiam hominibus propter Deum.* Col. 3. *Serui obedite dominis tanquam Christo.* De reliquis suprà q. 19.

QVÆSTIO XXIX.

An Baptismus liberet à Votis?

LVTHERVS *in Capt. Babyl. c. de Capt. & l. de Votis monast.* Kemnitius, turbaque cætera aiunt.

Item CALVINVS *in Antid. Sess. 7. Can. 9.* cum assectis affirmat liberare à Votis & rectis ante, & post futuris, stante vnico baptismali. 1. Quia, Deus in Veteri Testamento de singulis disposuit Votis; in Nouo nihil. 2. Si voueamus res præceptas; frustra id: Cum Baptismi votum omnia præcepta complectatur. Si non præceptas; Baptismo soluimur. 3. In Baptismo plus vouemus, quàm soluendo simus: ergo *displicet Deo stulta promissio.*

AVTOR. Ita Concilium Tridentinum

num Sess 7. Can. 9. *Per Baptismum non fiunt irrita omnia vota.* Vide suprà p. 2. 1. Quia, vota sunt de iure naturæ. Patet *Genes. 28.* in voto Iacob. 2. Etiam Apostoli præceperunt de Votis observandis. *1. Tim. 5. &c.* 3. Psal. 75. 3. *Vouete, & reddite.* Eccl. 5. *Si quid vouisti Deo, non moreris reddere*, Et hæc sunt moralia, non ceremonialia. Plura in responsionibus.

DICO AD I. Prius verum; falsum posterius. Liquet hîc, & suprà.

AD II. Res præceptæ, accedente voto, ligant arctius; faciuntque duarum actus virtutum. Non præceptæ, sed licitæ, per votum necessariæ, facilius faciunt abstinere ab illicitis, Deoque adstringunt arctius. Quin, violatio voti repugnat Baptismo: Nam in hoc profitemur, nos Legem Dei obseruaturos: at soluere vota præcipit Lex Dei. De quo alubi.

AD III. Blasphemum est assumtū. Nam Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Rom. 8. *Christus mortuus est, iustificatio legis impleretur in nobis.*

Neque ideirco Baptismus est insufficiens ad salutem; sed Vota plus adiuuāt. Demum & Iudæi in Circumcisione pollicebantur obseruationem legis, & tamen vouere poterant ad melius maiusque Dei obsequium; quantò magis in altiorem inuadere perfectionem fas, parque Christianis?

QVÆSTIO XXX.

An Memoria Baptismi dimittat peccata post acceptum eum facta?

LVTHERVS *in Cap. Babyl. cap. de Bapt.* Kemnitius *in Exam.* Caluinus *in Antid Sess. 7. Can. 10. & Instit l. 4. c. 15. §. 3. 4.* Cæterique vniuersi affirmant simpliciter; & propugnant pertinaciter, Sic, quod Baptismus iustificet repræsentando promissionem, excitandoque fidem: Idem verò præstat memoria, repræsentando & excitando. Vnde Pœnitentia nihil est, nisi memoria Baptismi, tollens pœnas cum culpis. Quocirca malè Tertullianus libr. de Pœnitent. & Hieronymus in Isa. 3. ait: *Pœnitentia est secunda post naufragium tabula:* quòd Baptismus nunquā frangatur. Vnde plura nobis affingunt & impingunt mendacia: de quibus *in Antipap. mend. p. 3. q. 4.*

SVADENT istis. 1 Lutherus: Quia Mar. vlt. *Qui crediderit, & Baptizatus fuerit, saluus erit.* At hoc semper verum permanet. Ita Israelitæ pœnitentes repetebant memoria exitum de Ægypto. 2 Kemnitius Quia, in Scripturis fit mentio de Effectu Baptismi iam in præterito, nunc futuro, alias præsenti: Vt Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum.* Mar. vlt. *Saluus erit.* 1. Pet. 3. *Saluos nos facit* Eph. 5. *Mundans eam lauacro.* 3. Kemnitius. Quia, fœdus Dei cum homine perpetuum est. Isa 54. *In misericordia sempiterna misertus sum tui.* Rom 3. *Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit?* 2. Tim. 2. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* 1. rem. 3. *Fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me.* Ergo fœdus Baptismi non frangitur vnquam. Hinc *Gal. 3. & 1. Cor. 11.* lapsos reuocat ad promissionem gratiæ baptismalis Demum Tit. 3. *Vt iustificati gratia Christi hæredes simus vitæ æternæ:* at hæc est generalis ratio iustificationis pro omni tempore.

4. Caluinus. Quia, in Baptismo communicatur Christi puritas: at hæc semper viget. Vnde Patres reprehendunt eos, qui Baptismum differunt ad vitæ finem.

5. Caluinus. Potestas Clauium nequit separari à Baptismo: neutra enim exercetur sine prædicatione Christi passi; cuius signum est Baptismus.

AVTOR. Ita Concilium Tridentin. Sess. 7. Can. 10. *Non potest fieri, vt solâ memoriâ & fide susceptî Baptismi peccata remittantur, quæ post Baptismum fiunt; sed necessarium est Pœnitentiæ Sacramentum.*

1. Quia, Heb. 9. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, iterum renouari ad pœnitentiam.* Vbi non dicimus cum Nouatianis, non dari reditum ad gratiam; sed nõ ad Baptismum dari docem⁹ cum Ambrosio, Chrysostomo &c. Id quod Kemnitius concedit *in Examin. pag. 240.* Patetque è vocibus *Illuminati, reuocati, Crucifigentes filium Dei*; quæ propria sunt Baptismi. Neque solum iterari posse negat Baptismum Apostolus; sed etiam baptismalem pœnitentiam: ideo ait *renouari ad pœnitentiam*; non ait, ad Baptismum. Deinde; eius propositum est baptizatos deterrere à peccato; quòd non pari facilitate pœnitere possint, quàm baptizari. At par, ac leuior facilitas est Lutheranis.

2. Quia S. Patres relapsis graues imposuêre pœnitentias: quos ideo Calu. *Inst. l. 3. c. 4. §. 38.* aut lapsos ait, aut austerè nimis locutos.

3. Ratio. Quia, baptizati sciunt voluntatem Domini, & contra faciunt; nondum baptizati nescientes eam, peccauerunt; istud autem est grauius: ideo & reconciliatio difficilior.

Dico Ad I. Est ea quidem perpetua; sed conditionata. Alioquin omnes apostatæ saluarentur. Nec memoria exitus ex Ægypto delebat peccata; sed arguebat peccantium ingratitudinem. Nec repetita animo Circumcisio delere valebat actualia; similior Baptismo.

Ad II. De præteritis concedimus: istud, *saluus erit &c.* conditionatum est; scilicet, si ita permanserit in gratia. Et, Rom 6. Baptismi *fructum habetis in remissionem*; *Finem verò vitam aternam*: iste Baptismi, hic perseuerãtiæ est. *1. Pet. 3.* comparantur tempora Baptismi & diluuii. *Ephes. 5.* semper mundat, non eosdem, sed alios atque alios. Et futura peccata eatenus purgat, ꝙ nõ nisi baptizatis prosit pœnitentia. Et, *Rom. 6.* docetur quî caueri, non quî remitti, debeant peccata.

Ad III. Improbè Scripturis abutitur Kemnitius. Nam, *Isa. 54.* est absoluta promissio de fouenda semper Ecclesia, vt sponsa. *Roman. 3.* absoluta de mittendo Missia. *2. Tim. 2.* Est conditionata: *Si sustinemus; & continemus: si negauerimus, & ille negabit nos. Ierem. 3.* De receptione ad gratiam, non ad Baptismum agitur. *Gal. 3.* docet, non iustificari per Circumcisionem. *1. Corinth. 12.* Nec gry de lapsis. Ad vltimum negatur consequentia. Nam latius patet iustificari per Christum; quàm iustificari in Baptismo per Christum.

Ad IV. Non iustificamur iustitiâ Christi nobis imputatâ; vt præsupponit Caluinus; sed propriâ inhærente nobis; quæ peccato extinguitur. Et Patres culpabant dilationem Baptismi ob periculum, & ob priuationem bonorũ Baptismi. &c. Sique futura deleri peccata credidissent per Baptismi memoriam; non erat causa differendi eum.

Ad V. At Eucharistia item est signum effusi Dominici sanguinis: ergo per hoc solum fieret reconciliatio. Et falsum est, coniuncta esse Claues & Baptisma. &c.

Quæ

QVÆSTIO XXXI.

An Baptismus Ioannis sit idem, quod Christi Sacramentum?

LVTHERVS lib. de Baptismo Legis, Ioannis, Christi, tria asserit discrimina Ioannis, non fuisse Sacramentum: Non remisisse peccata: Fuisse rebaptizandos in Christo.

LVTHERANI omnes & CALVINIANI, & Zwingliani; quòd ea sententia patrum cum cæteris de Sacramentis doctrina cohæreret; contrarium docuerunt. *Kemnitius* solam rebaptizationem in Christo relinquit in medio. *Petilianus Donatista* idem olim est commentus.

AVTOR. Christi & Ioannis Baptisma non fuerunt idem Sacramentum. 1. Quia, suum Ioannes ipse Baptisma instituerat: vnde & nomen tulit ab autore, non vt à ministro. Nec enim hominis est, Sacramentum nouæ legis instituere. 2. Quia, non baptizauit in nomine S. Trinitatis: quod fingunt Centuriatores *1. l. 2. c. 6.* Etsi, *Act. 19.* in eum, qui venturus esset post eum, vt crederent.

Probabile, nullâ vsum formâ: sed cæteros baptizasse, vt Christum: at Christū in nomine Venturi ab eo baptizatū fuisse ridiculum videtur. 3. Quia, Melanchthon in Locis anni 1558. Kemn. in definitione Sacramenti; volunt Baptismum & Cœnam à Christo instituta esse, & solū potuisse. 4. Quia, Baptismus Christi nō debet iterari; debuit autē Ioannis: Quia, ait Aug. l. 5. de Bapt. c. 9. *Baptisma Ioannis non facit Baptismū Christi.* 5. Petilianū Donatistam S. August *lib. 2 contra literas Petiliani, c. 32. 34. 37* iam olim refutauit; at damnauit hæresios, idem dicentem; Vnum eiusdemque efficaciæ esse Sacramentum Baptismum Ioannis & Christi. Vide *Gencal p. 3. q. 9.*

QVÆSTIO XXXII.

An Baptismus Christi & Ioannis eiusdem fuerint efficaciæ Sacramentalis?

LVTHERANI, excepto Luthero, itemq; CALVINIANI post Caluinum *in Antid. & Inst. l. 4. c. 15. §. 7. 8.* affirmant omnes.

SVADENT istis. 1. Quia erat, Mar. 1. *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* 2. Quia, in hoc, Mar. 1. *Ego baptizaui vos aquâ; ille vos baptizabit in Spiritu S.* distinguitur ministerium externum Baptistæ ab interno Christi. Deinde; Baptismus Christi erat hic illa Pentecostalis missio Sp. Sancti: iuxta *Act. 1. 11.* 3. Patres Caluino temnendi sunt.

AVTOR. Ita Concil. Trid. Sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit, Baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.* 1. Mar. 1 *Ego baptizaui vos. &c.* 2. Sic *S.* Patres quà Græci, quà Latini apud *Bell. l. 1. de Bapt. c. 21.* 3. Ioannis officium erat, esse præcursorem Domini, parareq; viā ei; quod non est dare salutem, sed disponere & dare *scientiam salutis.* Baptismus autem Christi iustificat verè.

DICO AD I. Baptism⁹ Ioannis vim habuit ex opere operantis ad remittēda peccata; at nō ex opere operato, vt Christi: de qua quæstio est. Istud vero maximū est discrimen. Ita Patres.

AD II. Non Ministerii; sed Temporis sit distinctio, quo distincti sunt dati Baptismi. Matth. 3. Luc. 3. *Ego baptizo. &c. ille baptizabit.* Baptismus vero Christi à Sanctis Patribus intelligitur isthic ille in aqua, non solum in igne. In primitiua autem Ecclesia; post Baptismum aquæ mittebatur & in igne visibilis. Fuerunt enim tria Baptismata:

Aquæ

Aquæ ſolius, vt Ioannis: In igne ſolo & Spiritu S. vt pentecoſtalis: In aqua & Spiritu S. vt communis, *Ioann. 3.*

AD III. Contemnere *S.* Patres, non eſt reſpõdere. Kemnitius in Exam. par. 2. pag. 190. ait cautius: *Relinquatur hæc quæſtio in medio; vt quæ in vtramque partem rationes habeat.* Sed de hoc ita quæritur:

QVÆSTIO XXXIII.

An poſt Baptiſmum Ioannis debuerit percipi Baptiſmus Chriſti?

LVTHERANVS Kemnitius dubitat CALVINVS, cæterique omnes negant. Et iſtud, *Act. 19.* Pauli iuſſum de baptizandis in nomine Chriſti baptizatis Baptiſmo Ioannis, variè exponunt.

1. Zvvinglius *lib. de vera & falſa religione*, vult toto eo capite vocem, *Baptiſmus*, accipi metaphoricè pro *Doctrina Chriſti, aut Ioannis.* 2. Lucas Oſſius *in Act. 19.* ſic capi; ſed Baptiſmum Ioannis, pro Doctrina; at Chriſti, pro donis S. Spiritus. 3. Henricus Bullinge rus *in Act. 19.* Capi Baptiſmum Ioannis pro doctrina; Chriſti, proprie. 4. Kemnitius *in Exam. part. 2 pag. 198.* contra; Chriſti Baptiſmum capi pro doctrina; Ioannis, propriè, illoſque XII. duntaxat ſemel baptizatos eſſe.

5. CALVINVS *Inſtit. lib. 4. cap. 15. §. 18.* Chriſti Baptiſmum capi impropriè pro donis Spiritus Sancti, non pro doctrina: Ioannis propriè.

6. Nicolaus Selneccerus *part. 2. Pædagogiæ*; Baptiſmum ibi ſemper accipi propriè, ſed agi ſolum de Ioannis Baptiſmo: Et illa; *His auditis baptizati ſunt in nomine Domini*; eſſe verba Pauli, non Lucæ, narrantis, quid agerent diſcipuli Ioannis, audientes prædicationem eius de venturo Chriſto; ſcilic. baptizabantur à Ioanne in nomine Chriſti. 7. Magdeburgenſes *Cent. 1. l. 2. c. 6.* Bucerus *in Matth. 3.* Vocem Baptiſmi capi propriè toto capite; biſque eos XII. baptizatos, quòd adulterato Ioannis Baptiſmo eſſent tincti ſine Sp. Sancti nomine. Fauet multum S. Ambr. *in Gal. 3. & lib. 1. de Sp. S. c 3.* ſcilic. defectum formæ fuiſſe. 8. Otto Arunſelcius *ad Act. 19.* Formam fuiſſe corruptam, ſed non in conceptis verbis, verum quòd neſciſſent ii XII. doctrinam & Baptiſmum Chriſti. 9. Muſculus *in Locis tit. de Bap.* Illos XII. malè fuiſſe rebaptizatos, & antè quam Paulus eò veniret. 10. Kemnitius *pag. 196 & 202.* Locum eſſe obſcurum: ex obſcuris autem nil probari poſſe.

AVTOR. Neceſſe fuit baptizatos Baptiſmo Ioannis rebaptizari Baptiſmo Chriſti. 1. Quia, Matt. 3. Luc. 3. Mar. 1. *Ego baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne.* Vbi fit collatio vtriuſque, teſte Communi Patrum Amb. Hieron. Chryſoſt. Hilarii, &c. 2. Liquet ex hiſtoria facti: nam exibant ad Ioannem omnis Ieroſolyma, Iudæa, vicinæque Iordani regiones, vt baptizarentur; ſicque plerique erant baptizati. Vnde inter tot die Pentecoſtes conuerſos neceſſe erat multos rebaptizari. 3. Quia, *Act. 19.* faſſi XII. viri, ſe non niſi Baptiſmo Ioannis Baptizatos, iuſſu Pauli ſunt tincti Baptiſmo Chriſti realiter, verè, & formaliter. Ita conſenſus Patrum indubitatus; quicquid dubitent nouitii Nouatores.

DICO AD I. & II. Nefas in hiſtoricis fingere tropos, vbi propria liquent, ex communi conſenſu.

AD III. IV. V. Abſurda tropologia eſt. Et S. Ambr. ait verè, propriè baptizatos; quod eum ait Kemnitius pagina 198. negare, & pagina 199. affirmare.

AD VI. Argutè, ſed non piè. Sed ſi iſta: *his auditis baptizati ſunt:* verba ſint Ioannis ad populum; ergo aut bis baptizatus eſt populus à Ioanne; aut Paulus malè narrauit factum.

AD VII. Nititur falſo: ſcilic. Ioannem baptizaſſe in nomine Trinitatis, aut Chriſti venturi: fitque iniuria S. Ambroſio.

AD VIII. Ignorantia non annullat Baptiſmum acceptum: alioquin, ait Caluinus *Inſtit. libr. 4. cap. 15. §. 18.* non ſufficerent flumina talibus rebaptizandis.

AD

AD IX. Hæc est deprauatio textus: nam audito Paulo & iubente, baptizati sunt.

AD X. Hæreticorum dissensionib⁹ nulla Scriptura censetur obscura; in qua liquet constans S. Patrum Consensus.

QVÆSTIO XXXIV.

Eequæ in his Obiectionum Luthero-Caluinisticarum constat Solutio?

CALVINVS, vbi suprà. In vtroq; Bapt. eadem fuit doctrina, ritus, oblatio gratiæ: ergo idem vterque fuit. Nam Ioannes prædicauit Christum esse hostiam pro peccatis: *Ecce Agnus. &c.* Ritus; baptizauit aquâ, & in nomine Christi: Gratia; quia in pœnitentiam & remissionem peccatorum.

H. KEMNITIVS *pag. 183* Eph. 4. docetur in Nouo Testamento vnum esse Corpus, Spiritum, vnam spem, fidem, vnum Dominum, Patrem. At hæc omnia inerãt prædicationi Ioannis: ergo & idem Baptisma fuit vtriusque.

III. *Eiusdem.* Quia, suauissima consolatio Christianorum, ex eodem Baptismo communi perit, si non est idem Christi & Ioannis. Christus autem est Ioannis Baptismo baptizatus; nos Christi.

IV. Dum baptizauit Christum Ioannes; aquæ omnes sunt sanctificatæ tactu Christi & præsentia Spiritus Sancti, & voce Patris; at eadem & in nostro Christi adsunt Baptismo: ergo idem est vterque.

V. *Eiusdem pag. 119.* Efficimur, *1. Cor. 2.* Baptismo vnum Christi Corpus; ergo idem Baptisma Christi accipimus.

VI. Vnum Christi Corpus sumus etiam cum baptizatis à prædicante Baptista, cumque ipso Ioanne, à quo & Apostoli sunt baptizati, & Apollo, *Act. 18.* & à suis discipulis ipse Ioannes.

DICO AD I. Hic Achilles est omnium. At Doctrina nil facit ad essentiam Sacramenti: alioquin hæretici haberent falsum Baptismum; quod Caluinus & Lutherani negant. Ritus idem facit in materia, sed non in forma. Quo ad gratiam, falsum est: Nam *Baptismapœnitentiæ* erat Ioannis; at Baptismus Christi non dicitur *pœnitentiæ*, sed *lauacrum regenerationis*: huc pœnitentia est dispositio, Act 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*, idque *in remissionem peccatorum*, vt immediatum effectum ex opere operato: at in Baptismo Ioannis erat ea aliqua, nõ par, sed ex opere operantis, & vi pœnitentiæ, non Baptismi. Ita *Basil. Nyss.* At *Tertull. l. de Bapt. Aug. lib. 5. contra Donatistas c. 10. Greg hom. 20. in Euang. Beda in Luc. 3.* hoc, *in remissionem peccatorum* referunt ad Baptismum Christi.

AD II. Ergo tempore Moysis & Dauidis fuisset Christi Baptismus: quia & tunc illa fuerunt Vnum. Item hæreticorum Baptisma non esset verum, quia nõ est vna doctrina &c.

AD III. Cùm Baptismus Christi sit lauacrum regenerationis, in adoptionẽ filiorum Dei necessarius; eum Christo tribuere, est ei iniuriam irrogare quasi filius Dei indiguisset adoptione.

AD IV. Antè, quàm Christus baptizaretur, idem erat Baptismus Ioannis, qui postea: non tamen is, quem Dominus accepit, erat idem cum nostro. Nam nostrum non accepit Christus; sed instituit; illum Ioannis accepit, sed non instituit.

AD V. Efficimur vnum eum Christo Corpus, per Baptismum, quia indigemus: Christus non indiguit fieri Caput; quod factus est vnione hypostatica, non baptismo.

AD VI. Ecclesia semper vnum fuit Corpus mysticum; sed non eodem semper medio, aliâs Circumcisionis, vt tempore baptistæ: nunc baptismi. Apostoli verò sunt baptizati baptismo Christi,

aiunt Tertull. *l. de Bapt.* Aug. *ep. 108. &c.* Quia, Ioann. 3. *Niſi quis renatus. &c.* Etſi, quod ſint baptizati, nuſquam ſit ſcriptum; ſicut neque de Galatis, Epheſiis, Philippenſibus, Philem. Timo. Tito, & aliis, tamen baptizatis. De Baptiſta per Chriſtum baptizato nec ſcriptum eſt, nec contrarium eſt ſcriptum. Et, mortuus eſt antè, quàm Chriſti Baptiſmus inſtitueretur.

QVÆSTIO XXXV.

An ſuetæ baptiſmales Ceremoniæ ſint tolerandæ?

LVTHERANI Magdeb. *Cent. 1. l. 2. c. 6.* autore Illyrico reſpuunt eò, quòd in Scriptura nullo ſint præcepto, vel exemplo commendatæ. CALVINVS *Inſt. l. 4. c. 15. §. 19.* acerbè omnes auerſatur. Imitati ſuum Ioannem Wicleffum, Sacris Ritibus infeſtiſſimum.

AVTOR. I. Ipſe *Caluinus* præſcribit ritus extra Scripturam, in libello *de formula Sacramentorum miniſtrandorum.* 1. Dominica die, aut alia concionatoria adferantur baptizandi. 2. Patrini interrogati ſpondeant ſe curaturos inſtitui Chriſtianè pueros. 3. Nomē imponatur. 4. Forma Sacramenti proferatur lingua patria. 5. Recitetur Credo, Pater, alieq; preces. *Lutherani* addunt; 6. Abrenunciationem Satanæ & pomparum eius. Ita *Agenda Saxonica*, Illyricus, Kemnitius. 7. Luther. *in ſuo Catechiſmo* vult pingi Crucem in fronte & pectore infantis. AT, talium nihil vſquam in Scriptura præcipitur: vt ipſi Magdeb. notarunt.

II. RITVS autem Catholici ſunt antiquiſſimi, planeque Apoſtolici. Vt 1. de Abrenunciatione Satanæ Clemens *l. 7. Conſt. c. 41. 42.* Dionyſ. Areop. *de Eccl. hierarch. c. de Bapt.* Tertull. *l. de Spect.* Cyr. *Cyr. Baſil.* &c. 2. Deinde de profeſſione fidei, iidem, *Orig. hom. 5. in Num. Hilar. Hier. &c.* 3. De ſigno Crucis *Dionyſ. Baſilius, Auguſtinus.*

4. De Exorciſmo, quem Calu. *Inſt. l. 4. c. 19. §. 24.* deteſtatur, confeſſa conteſtataque habet Eccleſia: ſcilic. Poteſtatem coërcendi dęmones exorciſmis, teſte Iuſtino in dialogo: Tertull. *l. de Corona militis. Lactant. l. 2. c. 16. Cypr.* Item officium ordinarium exorciſandi, teſte Concilio Antiocheno. *Can. 10.* Carthag IV. Laod. & Patribus. Item certos exorciſmos ac preces præſcriptas: *Conc. Carth. IV. Can. &c.* Item Baptiſmales ritꝰ ſolēnes, teſte *Dionyſ. Naz. Cypr. Ambroſio.* Exſufflatio iis iungi ſolita; *Auguſt. Ambr.*

5. De Guſtu ſalis: *Orig. hom. 6. in Ezech. Conc. III. Carthag.* Aug. 1. Confeſſ. c. 11. *Signabar ſigno Crucis eius, & condiebar eius ſale.* 6. De Saliua ad aures & nares expuit Caluinus; At contra *Ambr. l. 1. de Sacrament. c. 1. & Dominus Mar. 7.* 7. De impoſitione manuum, *Dionyſ. Clem. l. 7. Conſtit. c. 39. &c.* 8. De Vnctione olei in pectore & ſcapulis: *Clemens l. 3. recognition. Chryſ. hom. 6. in Col. 2. &c.* Hi Ritus ſunt præcedentes Baptiſmum.

Comitantes baptiſmum ſunt, 1. Nominis impoſitio, ſicut in Circumciſione. *Luc. 1. 2. &c.* 2. Patrinorum ſponſio de inſtructione: *Dionyſ. Tertull. &c.* 3. Conſecratio aquæ: Iidem Patres. 4. Merſio trina, ob tres perſonas; non vt Ariani, ob tres naturas.

Sequentes Bapt. ſunt: 1. Oſculum pacis, vt fratri. *Cyp. &c.* 2. Vnctio Chriſmatis in vertice. *Hier. Damaſus. &c.* 3. Cereus

reus ardens infanti datus, vt signum fidei. *Nazianz. Aug. in Ps. 56.* 4. Vestis candida: *Dionys. Ambr. August.* 5. Delibatio lactis, mellis, aut vini.

V. DE CONFIRMATIONE.

QVÆSTIO XXXVI.

An sit aliquod Sacramentum Confirmationis?

LVTHERVS *l. de Capt. Babyl. c. de Confirm.* negat esse verum Sacramentum; pro Ceremonia tamen recipi posse, qualis est aquæ &c. benedictio. ZWINGLIVS *l. de vera & fal. rel.* vult ritum fuisse examinandi pueros. Sic & Melanchthon *in Locis.* Kemnitius *p. 2. Exam. pag. 320.* eum Ritū præscribit à sex partibus. 1. Paruulos, sub annos discretionis in Catechesi informandos, tum Episcopo esse offerendos, qui coram Ecclesia eos moneat, quid in Baptismo acceperint, & promiserint. 2. Recitent publicè suam Catechesin. 3. De præcipuis articulis interrogati respondeant. 4. Moneantur, vt in hac professione ostendāt se dissentire ab aliis sectis. 5. Moneantur, vt in pacto Baptismi ac fidei perstent, & proficiendo confirmentur. 6. Fiant publicæ preces pro talibus.

CALVINVS *Instit. l. 4. c. 19. §. 4* Brentius in Confess. VVirtenberg. eadem.

Lipsienses tamen & VVirtenbergenses in conuentu Lipsiensi, anno 1548. receperunt VII. Sacramenta, & nominatim Confirmationem. At omnes ab ea sententia protinus desciuerunt, reiectâ Confirmatione. Nimirum cum Nouatianis, Donatistis, VValdensibus, VVicleffo, &c. sæpius damnatis. Vide *Geneal. p. 3. quæst. 10.*

CALVINVS *Instit. l. 4. c. 19. §. 5.* Kemnitius *p. 2. Exam. pag 276.* postulant ostendi è Scripturis tria: Promissionem gratiæ, Signū sensibile & Mandatum: *Tunc sciemus Medijs illis, vtpote diuinitus institutis, reuerēter esse vtendū.*

AVTOR. Confirmatio verum est Sacramentum; 1. Teste S. Scriptura demonstrante requisita tria ista in meo *Antichristo p. 3. q. 16.* Nam Promissio gratiæ est *Ioann. 14. 15. 16. Luc. vlt.* Signum, est Impositio manuum, seu Medium, *Act. 8. & 19.* Mandatum, testatur tam secura & ordinaria Apostolorum praxis.

CALVINVS eam Impositionem manuū sic interpretatur. 1. Fuisse oblationem baptizatorum Deo factam. 2. Caluin. & Brentius: fuisse collationem gratiarum gratis datarum; vt dona linguarum, miraculorum. &c. 3. Caluinus & Kemnitius: Fuisse priuilegiū singulare, vt sic darent Spiritum Sanctum soli Apostoli. 4. Kemnitius, Loci *Act. 8. & 19.* nil facere pro nobis; vt qui, reiecta manuum impositione, assumserimus Vnctionem.

DICO AD I. Solum dicit; non docet; *non altius mysterium subesse cogito; sed huiusmodi ceremoniam adhibitam interpretor, vt ipso gestu significarent se Deo offerre eum, cui manus imponebāt.* 2. Scriptura autem dicit, & docet, ad eam, imò per eam Impositionem continuò datum Spiritum Sanctum: Sicut, Tit. 3. *per lauacrum regenerationis saluos nos fecit*: hoc autem non erat simplex oblatio, sed Mysterium conferens gratiā. 3. Offerre Deo baptizatum est cuiusuis baptizantis: at Imponere manus non est cuiusuis: Vnde Philippus, *Act. 8* baptizat, & manus imponere nequit; itaque Petrus & Ioannes aduentabant *Act. 19* Paulo iubente baptizantur XII. viri; at ipse baptizatis manus imponebat. 4. Baptizatio est ipsa oblatio Christiani Deo cōsecrati.

AD II. Dona gratis data non dicũtur simpliciter Sp. Sanctus, qui habitat in accipiente ea: Nam Sap. 1. *Spiritus Sanctus effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis*: at gratis data dona, *Mat 7.* etiam improbis inesse queunt. 2. Impositio manuum conferebat, quod Dominus promiserat, *Ioann. 14. 15. 16.* scilic. Spiritum Sanctum; non gratias gratis dandas, sed gratiam roborantem in fide. 3. Gratia promissa est communis omnibus; at dona gratuita sunt paucorum. 1. Cor. 12 *Nunquid omnes proph. &c.* 4. Dona gratuita non pertinent ad salutem aut fundamenta fidei; at *Hebr. 6.* Impositio manuum cõnumeratur cum baptismo, fide, pœnitentia &c. 5. Philippus multa miracula operabatur; attamen Petro & Ioanni opus erat descendere Ierosolymâ in Samariam ad imponendũ manus baptizatis. Quare hoc est Officii, non Doni gratuiti. 6. Vmbra Petri, & Pauli dabat sanitates; at non Sp. Sanctum, vt instrumentum.

AD III. 1. *Mandatum* illud erat ad morbos pellendos, Marc. vlt. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*: non ad Sp. Sanctum conferendum. Et, quia istud omnibus dicitur, *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur*; non potest esse priuilegium solis datum Apostolis. Nam & Ananias, *Act 9.* manus imponebat Paulo, sed sanatrices. 2. Promissio dandi Spiritus Sancti, ad manuum Impositionem Curatiuam, nusquam est facta: alioquin sequeretur ordinarius Sp. Sanctus: at ne vel semel cum sanatione datus legitur; licet Christus quos sanauit corpore, sanauit & animâ: Quin & illa olim ordinaria sanatiua imposito manuum esse desiit ordinaria: Sicut illa ordinaria punitio peccantium visibilis, vt in Anania, Elyma, incæstuoso.

AD IV. Mentitur reiectam: bis enim geminatum vsurpat Episcopus.

QVÆSTIO XXXVII.

An S. Patres docuerint Confirmationem esse Sacramentum?

LVTHERANVS Kemnitius *Part. 2. Examin pag. 297.*

DICIT, 1. Multos citari autores pro Confirmatione apocryphos, & supposititios. 2. Autores probatos loqui de eo vt de Sacramento largè & impropriè dicto, vt de ceremonia baptismali.

3. CALVINVS Inst. l. 4. c. 19. §. 4. negat eam Patres vel agnouisse. 1. *Veteres, dum propriè loqui volunt, nusquam plura duobus Sacramentis recensent. Si ab hominibus petendũ esset nostræ fidei præsidium, habemus arcem inexpugnabilem.* 2. *Nunquam veteribus agnita fuisse pro Sacramentis, quæ isti Sacramenta ementiuntur. De manuum Impositione loquuntur Veteres; sed an Sacramentum vocant?* 3. *Augustinus apertè asserit*, in lib. 3. de Bapt. c. 16. *nihil aliud esse, quàm Orationem.* 4. Ibid. *Neq; hic mihi putidis suis distinctionibus obganniant; Non ad Confirmationem illud Augustinum retulisse, sed ad Curatoriam, vel ad Reconciliatoriam. &c.* 5. Simpliciter reiicit Patres, vt hallucinatos: cùm Sacramenta de cœlo esse debeant; non ab hominibus.

AVTOR. Esse Sacramentum Confirmationem constanter asserunt S. Pontifices; Concilia Generalia & prouincialia: Patres Græci ac Latini communiter, concorditer, apud *Bellarmin. libr. 2. de Confirm. c. 3. 4. 5.*

DICO AD I. Facita esse; at de aliquibus; an ergo de omnibus? Minimè gentium.

AD II. Falsum dicit falsificator Patrum.

trum. Nam Apostolorum actio, *Act. 8.* non fuit humana ceremonia adiuncta baptismo. Patet supra: Et Augustinus vocat Chrisma *Sacrosanctum Sacramentum*. Quæ alia mentiatur Kemnitius, vide in meo *Antipap. Mendace part. 3. quæst. 5.*

Ad III. Mentitur. Patet in meo *Antichristo par. 3 q. 7.* Et Augustinus ibi scribit de Confirmatione Reconciliatoria pœnitentium, non de Confirmatoria. Et hanc, vocat orationem; sed non negat esse Sacramentum. Nam Impositio manuum semper fit cum oratione. Errata semel, repeti nequit: at Reconciliatoria potest: de qua reconciliatione hæreticorum loquitur Augustinus. Nã resipiscentes hæretici solebant recipi cũ vnctione Chrismatis in Ecclesia Orientali, in qua Augustinus degebat; at sine hac, in Occidentali.

Ad IV. Iam liquet.

Ad V. At Confirmatio est de cœlo tum quia à Christo instituta solo: tum quia *S.* Patrum testimonium est de cœlo, vt *Sanctum*.

QVÆSTIO XXXVIII.

Quæ sit Materia Sacramenti Confirmationis?

Lvtherani, perindeque Calviniani totum S. Chrisma despuunt & irridٍent. Kemnitius *pag 324.* per despectum vocat Pinguedinem tortefactis calceis inungẽdis. Caluinistæ in Gallis ocreas eo pe unxerunt. II. Oleum S. vocat Kemnitius *pag. 287.* Chrisma excantatum. Calvinus *Inst l. 4. c. 19 §. 8.* oleum diaboli mendacio pollutum. Vterque benedictionem olei vocat superstitiosam & magicam.

Svadent istis. 1. Brentius *in Confess. Wittenb c de Bapt.* Quia, Chrisma pertinet ad iudaicas ceremonias, à quibus reuocamur. Col. 2. *Si mortui estis cum Christo ab elemẽtis mundi huius, quid adhuc his detinemini?* 2. Quia, Dionys. Areop. subindicat vsũ Chrismatis ab athleticis vnctionibus esse desumtum, & Mosaicis: atqui Deut. 12 *Caue, ne imiteris gentes, & requiras ceremonias earum.* 3. Quia, acta Conciliorum docent à Syluestro Chrisma institutum. 4. Kemnitius. Quia, *Act. 2. & 10.* datur Sp. S. sine Chrismate. Et, *Act. 8. & 19.* solum fit mentio Impositionis manuum, non Chrismatis. 5. Quia, Tertull. *l. de Bapt.* dicit, ritum Chrismatis petitum esse ex Veteri Testamento: Institutum ab hominibus: ergo non à Christo.

Avtor. I. Materia Confirmationis est Chrisma. 1. Quia, 2. Cor. 1. *Qui Confirmat nos Deus, & vnxit nos, & signauit, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Id quod Ambr. Ansel. Theodoretus &c. de Chrismate exponunt. Et rectè: nam *Confirmat*, roborando: *Vnxit*, En materiam *Signauit*: en Characterem. *Dedit pignus. &c.* en effectum. 2. Item, 1. Ioann. 2. *Et vos Vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* 3. Ita Consensus Patrum.

II Oleum verò sit, non simplex, sed mixtum balsamo. 1. Ita S. Dionys. Areop. *in Eccl. Hierarch.* S. Clemens *l. 7. Const.* Fabianus Papa. Cypr. Greg &c. 2 Fauetque figura, *Exod. 30.* de vnguento tabernaculi & Sacerdotum compositio: quod Chrismati conferunt Cyprian. & Petrus Damianus. 3 Ratio, *D. Th. 3 q 27 a. 2.* Quia, materia Sacramenti significare effectum eiusdem debet, qui est Cõfirmatio, in fide requirẽte Cordis puritatem & feruorem; ac oris Confessionem: Ceu Oleum est liquor

purus & ardendo lucens: balſamus odore fragrans. Quam congruentiã Kemnitius inimicè ſubſannat.

III. Chriſma prius eſſe conſecratum debet. 1. Quia ſic Traditio ex Clemente *l. 7. Conſt.* vbi ab Apoſtolis id manaſſe ait. Ita & Fabianus Papa. &c. & Concilia, Nycænum, Laodicenum, Romanum. &c. antiquiſſima ac locis diſſitiſſima. Sic & Patrum Conſenſus conſtans.

IV. Dandum verò eſt Chriſma ab Epiſcopo in fronte baptizati. Ita Patres. Concilia &c.

DICO AD I. Pariter nec aquâ in Baptiſmo foret vtendum, nec pane in Cœna: Quæ erant in Veteri Teſtamento inania elementa; at in Nouo ſunt gratiâ plena.

AD II. Mentitur: quia Chriſmatis doctrinam tribuit Apoſtolis: eſſeque ſimilitudinem ait cum ludaicis & athleticis vnctionibus.

AD III. At Syluester ſolum de Fronte vngenda præcepit.

AD IV. Datus ibi Spiritus Sanctus eſt ex priuilegio; non ex miniſterio. At, *Actor. 8. 19.* Impoſitio manuum eſt inunctio; quia hæc fieri nequit abſque illa. Quòd autem ſub initia Spiritus Sanctus viſibiliter apparebat ſuper confirmatis, id fieri ad ſolam manuum Impoſitionem potuit, ex priuilegio: Certior tamen ſententia Patrum eſt, factum ex Sacramento; quòd ſemper vſi fuerint oleo. Vide *Bellarmin. libr. 2 de Confir. c. 9.*

AD V. Sermo eſt ibi de typo.

QVÆSTIO XXXIX.

Quæ Forma Confirmationis?

LVTHERANI, itemque CALVINIANI certatim noſtram impetunt.

SVADENT iſtis. 1. Kemnitius Lutheranus, *part. 2. Examin. pagina 288.* Quia, hæc forma, *Signo te ſigno Crucis*, nec eſt in vetuſtioribus ſcriptoribus: nec eadem verbotim apud omnes.

2. CALVINVS Inſtit. libr. 4. c. 19. §. 1. *Conſigno te ſigno Crucis. Pulcrè & venuſtè: ſed vbi eſt Verbum Dei?*

3. Ibidem. *Quis eos in oleo ſalutem quærere docuit? &c. Salutem, quæ in Chriſto eſt, abiurant, Chriſtum abnegant, partem in regno Dei non habent. Oleum ventri, & venter oleo: vtrumque Dominus deſtruet.*

AVTOR. Forma eſt: *Conſigno te ſigno Crucis: & Confirmo te Chriſmate ſalutis: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Apud antiquos non verbis totidem, ſed ſenſu ipſo, hæc eadem habetur. Nam forma omnis conſiſtit in ſenſu, non in numero ſyllabarum ac ſono: alioquin græce &c. prolata forma eadem nil efficeret. Quod formam non plures veteres prodiderint ſcriptis, cauſa eſt; quod nec Baptiſmi formam expreſſerint communiter; ne ab infidelibus profanatio contingeret: Solum dicunt cum inuocatione S. Trinitatis baptizari. Dionyſ. *cap. vlt. Eccl. hier.* negat fas eſſe literis mandare formam.

DICO AD I. Iam liquet.

AD II. Sicut totum Dei Verbum eſt Traditum primitus; & poſtea ſcriptum, non totum tamen: ita & Forma Confirmationis eſt de Tradito Verbo, ceu & Baptiſmi. &c. Quin ipſe Caluin. *Ibidem* § 51. fatetur Ordinationem Miniſtrorum eſſe Sacramentum; nec vſquam tamen inueniet de eo, quod cum elemento faciat Sacramentum; vt

ipſe

ipse requirit de Confirmatione. Adhæc in genere habemus formam, *Act. 8.* vbi dicuntur Apostoli orasse cùm manus imponerent: alluditque ad *Preces Mysticas* Paulus *2. Cor. 1.*

AD III. Mentitur se ex Verbo Dei id dicere: *Non à me, sed à Domino audacter pronuncio: &c* Nec in oleo sine Christo salutem quærimus. Sic tamen dicitur *oleum salutis*; sicut 4. Reg. 13. *Sagitta salutis*; Luc. 1. *Scientia salutis*. Actor. 15. *Verbum salutis: &c.* Hocque magis, quòd ex opere operato sit saluti: Non ex natura elementi, vt & panis, & aqua, sed ex vsu Sacramenti.

QVÆSTIO XL.

Quis Confirmationis sit Minister?

LVTHERANI, vt Kemnitius *part. 2. Examin. pag 324.* & CALVINVS, cùm suis, post VVicleffum, *Institut. lib. 4. cap. 19. §. 10.* Confirmationem tum esse negant Sacramẽtum; tum, etsi foret, non ad solos id pertinere Episcopos pertendunt. Cùm scilicet vix tenue discrimen agnoscant Episcopi ab Sacerdote.

SVADENTistis. 1. Caluinus ait, Quia error est Donatistarum, à Ministri dignitate pendere Sacramentum. 2. Quia, Presbyteri succedunt Apostolis. 3. Quia, 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per Impositionem manuum Presbyterii.* Sic & Ananias, *Actor. 9.* manus imposuit Paulo laicus. 4. Quia Gregorius Confirmare etiam Sacerdotibus concessit. 5. Kemnitius: Quia Hieronymus ait, quòd solis id Episcopis tribuatur fieri ob honorem Sacerdotii: non ob legis necessitatem.

AVTOR. Solus Episcopus Minister est Ordinarius Confirmationis: At etiã ex dispensatione Sacerdos Confirmare potest. 1. Sic Scriptura: *Act. 8.* Petrus & Ioannes mittuntur vt Confirment à Philippo baptizatos in Samaria. *Act. 19.* Paulus imponit manus baptizatis per alios. 2. Sic Traditio Ecclesiæ constans, & vniuersalis praxis habet.

DICO AD I. Pendent à dignitate Ecclesiastica; non à Morali; vt Donatistæ volebant.

AD II. In aliquibus, non in omnibus: Nam in Cœna sunt creati Sacerdotes, per *Hoc facite*: at post resurrectionem, Episcopi, per hoc: Ioann. 20. *Ecce Ego mitto vos.*

AD III. Ibi agitur de Ordinatione, non de Confirmatione. Et hoc, *Presbyterii*, exponit Chrysostomus *Chorum Episcoporum*: Nam plures Ordinant; at vnus Confirmat. Ananię impositio manuum fuit Curatoria cœci, non Confirmatoria; vti ante Baptismum facta.

AD IV. Licitè; Extraordinaria potestate; idque potest Sacerdos ex potestate Ordinis, vt & Episcopus; nõ Iurisdictionis. Nam Character est signũ pacti, in Sacerdote, Cõditionati; in Episcopo, Absoluti; Vnde is est Episcopus inchoatus; hic, perfectus. Nec n. Character est physicũ quid; sed spiritale signũ à Deo inditum. Hinc & Scriptura nouit differentiã Presbyteri, & Episcopi: 1. Tim. 6 *Aduersus Presbyterum*, simplicem, *accusationem noli accipere*, tu Episcopus, *nisi sub duobus aut tribus testibus.*

AD V. Imò contrarium etiam probat *S.* Hieronymus ex *Act. 8.* Neque tamen negat, fieri nunquam posse extraordinariè; Nam ita lex seu necessitas de natura rei permittit; at vetat de ordinaria Domini voluntate. Quæ-

QVÆSTIO XLI.

Ceremoniæ Confirmationis quæ, quatenus ſint probæ?

LVTHERANVS Kemnitius *par. 2. Exam. pag. 283.* CALVINVS *Inſt. l. 4. c. 19 §. 10.* halitum Epiſcopi ſuper ampullam Chriſmatis vocant fœtidam inquinationem. 2. Iidē cum Heshuſio illud accinium Chori ad ſacratum Chriſma, *Aue ſanctum Chriſma*, vocant idololatriam. 3. Cætera Kemnitius pag. 323. tragicè exagitat; quòd hiſce dediti omittamus examen puerorum, fidei profeſſionem, & adhortationem.

AVTOR. Ceremoniæ Chriſmales ſunt Apoſtolicæ: teſte *Iſidoro, Alcunio. &c.* 1. Benedictio olei & balſami, *1. Tim. 4.* per Verbum Dei & orationem ſanctificatur. 2. Signum Crucis conſecrat omnia, teſte Chryſ. *hom. 55. in Matt.* Aug. *tract. 118. in Ioann.* 3. Anhelatio ſuper ampullam habet exemplū Chriſti, *Ioan. 20.* Apoſtolos inſufflantis. Nec magica eſſe poteſt vt quę ſignificet Sp. Sanctum, & à Deo petat benedictionem. 4. Salutatio eſt rei ſacræ honoratio; vti mulieribus Dominus Matth. vlt. dixit: *Auete, &c.* neque eo ipſas adorauit. S. Andreas paratum ſibi crucis patibulum ſalutauit. &c. 5. In Confirmatione eſt Patrinus, Preces Epiſcopi; Pax, & lctus manu planâ, Obligatio frontis inunctæ; Per hebdomadam non lauetur caput: tempus Paſchale aut Pentecoſtes, Ieiuniū Confirmantis. Hæc perantiquos habent teſtes Scriptores, myſticaſque ſignificationes.

QVÆSTIO XLII.

Verane ſit Præſentia Chriſti in Euchariſtia?

LVTHERVS demum oppugnator fuit Sacramentariorum; at Pater eorum prius, dum ſemina iecit erroris. 1. Nam *epiſt. ad Argentinenſes* ait, ſe valde in hoc propenſum, quod in Euchariſtia ſint mera ſigna; conatumque id aſſerere at obiectis Scripturis nequaquam ſe reſpondere. 2. *In Captiuit. Babyl. c. de Bapt.* affirit, Sacramenta eſſe nuda Signa. 3. *Ibidem* negat cap. 6. Ioannis ad Euchariſtiam pertinere. 4. *Ibidem*, *Hic panis eſt corpus meum*: ſcil. aut Tropicè, aut Aliter dē: Hinc Tropiſtæ nati. 5. *Lib. de Euch. ad Wal.* negat eſſe Adorandam; dubitat, an Diuinitas & Anima Chriſti ſit in Euchariſtia.

Hiſce inductus, anno 1525. *Carolſtadius* Lutheranus primus apertè negat Præſentiā Chriſti in Cœna; teſte Cochlæo in actis Lutheri: Zwinglius eodem anno 1525. *lib. de vera & fal. rel.* ſuam retractat ſententiam, de Præſentia Chriſti cum pane: aſſeritque illum de mero ſigno, abſentiaque Rei ſignatæ. Et hanc ait ſe multò antè agnouiſſe; alt, vt prudentem ſeruum tempori ſeruiſſe. *Oecolampadius* acceſſit Zwinglio; mox horum diſcipuli plures: vt Bullingerus Zwinglii ſucceſſor Tiguris, Ber. Ochinus, Petr. Martyr. &c.

CALVINVS anno 1536. idem vulgauit editis Inſtitutionibus ad Regem Galliæ Franciſcum; in auctioribus anno 1539. in auctiſſimis anno 1559. Anno 1540. reprehendit ſententiam Lutheri & Zwinglii; cùm ab hoc ſolum verbis differret: Vnde anno 1549. edidit librum de Conſenſu ſuo cum Tigurinis. Multi hunc ſecuti ſunt cæteri.

CALVINVS autem ſtudio obſcurauit ſententiam ſuā, aſſerens iſta:

1. *In Conſenſu cum Tig. & Beza in Summa de re Sacram. q. 6.* Symbola tantum eſſe in terra: Corpus Chriſti ſolum in cœli determinato loco, & alubi nuſquam.

II. Abſentem Chriſtum tamen ita ſigno coniunctum eſſe, vt, in Matth. 26. *Subſtantia Corporis Chriſti paſcātur anima noſtra.* Quod, Inſt. l. 4. c. 17. §. 5. *Sicut non aſpectu, ſed eſu panis*

IV. DE EVCHARISTIÆ VERITATE.

panis alimentum corporis sufficit: ita verè ac penitus participem Christi animam conuenit. Sic & Beza. &c.

AVTOR. AT, pugnāt, corpus Christi solum in cœlo esse; & hîc in pane comedi?

III. Respondet ibidem §. 7. *Huic mysterio nec mens cogitando, nec lingua explicando par esse potest.* §. 10. *Ergo concipiat Fides, Spiritum verè vnire, quæ locis disiuncta sunt.* Et, §. 32. *De Modo si quis me interroget; fateri nō pudebit sublimius esse Arcanum, quam comprehendi, vel enarrari queat.*

IV. Non ipsum Christum; sed vim Substantialem Carnis descendere per Spiritum Christi, vti Canalem. Ibid. §. 12. *Vinculum istius coniunctionis est Spiritus Christi, ceu Canalis. &c. Si Sol radius suam quasi Substantiam trahit ad generandos fœtus: Cur non & Spiritus Christi esset irradiatio ad communionem carnis?*

AVTOR. AT, ista Virtualis est, non Substantialis influentia; contra quam in I. dixit idem.

V. Ne igitur nimium tribueret Sacramento, sc. Realem Qualitatē è Carne Christi dimanere, ait, Vnionem fieri *per Fidei Māducationem.* §. 32. *Nec opus vt ad nos descendat: quasi si ad se nos euehat, non æquè potiamur eius præsentiâ?*

AVTOR. AT, pugnat hoc isti IV. quod *magno miraculo ad nos descendat Virtus. &c.*

VI. Nēque tamen idem esse dicit, §. 5. & 11. Credere, & Manducare; sed hoc effectum illius esse; & sic inesse nobis Christum obiectiuè; sicut omne, de quo cogitamus actu.

VII. Hinc sequitur, ait, §. 33. 34. Improbos symbola solum, non Christi corpus percipere: lib. de Consensu: Solos Prædestinatos verè credere, & communicare.

VIII. Ibid. §. 5. *Non facit Sacramentum, vt Christus panis vita esse primum incipiat: Sed in Memoriam vocat panem vitæ esse factum, quo assidue vescamur. Pollicetur enim nobis; Quicquid fecit aut passus est Christus, id ad nos viuificandos factum.* Itaque non dat fidem, non dat Corpus Christi, sed testatur solum & confirmat iam haberi.

AT, quid plus, minusue probis, quā reprobis symbola testantur? Iam hinc tria colligimus. 1. Caluini sententiam non esse incomprehensibilem ingenio: cum solum reuocent in memoriam Christi passionem: quod & imago crucifixi præstat. 2. Encomia illa, verè participari Corpus Christi; esse ludificationes meras, nil de Christo relinquentes. 3. Quod porrigere Cœnam sit testificari, accipientes iam antea sumsisse Cœnam.

AVTOR. Conc. Trid. Sess. 13. c. 1. *S. Synodus apertè & similiter profitetur: 1. Post 2. Panis & Vini Consecrationem, 3. Dominum nostrum Iesum Christum, 4. Verum Deum atq; hominem Verè, 5. Realiter, 6. ac Substantialiter, 7. sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Primū* est cōtra Vbiquistas Lutheranos, qui volunt etiam Ante Consecrationem adesse Corpus Christi. Est & cōtra Caluinistas; qui fingunt, Cœnam esse Signum cōiunctionis cum Christo iam antea factæ per fidem. *Secundum* est contra Vbiquistas; qui volunt vi Omnipræsentiæ, non Consecrationis, adesse. Contra Caluinistas: quòd adsit vi Promissionis, nō Consecrationis. *Tertium:* quod adsit totus: Corpus, sub specie panis: Sanguis, sub specie Vini: idque vi Sacramenti. At vi Concomitantiæ; sub Vtraq; iunctim & disiunctim, Totus. Estque contra Lutherum: *Quartum: Verè;* non Figuratè: est contra Sacramentarios Tropistas, seu Symbolistas. *Quintum: Realiter,* est con-

tra Caluiniſtas & Zvving. qui Fide apprehendi aiunt realem Chriſtum. *Sextum ſubſtantialiter*, ob Tranſubſtantiationē, cum exiſtendi modo Sacramentali, non Naturali: id eſt, ad modum Subſtantiæ, non Quantitatis: illa vero cætera conſequuntur, non habentem ab circumſtantia ſeu ordinem, ſeu locum. &c. *Septimū* clarius explicat exiſtēdi modum, non vt in loco, vaſe, aut velo: ſed ſicut ſubſtantia panis antea fuit ſub ſuis accidentibus: niſi quòd hæc inhæſerint panis ſubſtantiæ, nunc autem non inſint Subſtantię Chriſti. Idcò hæc tam diu perſeuerat, quàm diu duraſſet ſubſtantia panis. Idē eſt contra impoſturam Bezæ, Lutheranos iſto decipientis: Corpus Chriſti verum verè eſt in Cœna Domini: ſed intelligentis Cœnam, quæ in Cœlo à Sanctis celebratur, non, quæ in terra.

Exiſtis Regulas Enunciationum vide in *Bell. l. 1. c. 2.*

QVÆSTIO XLIII.

An, & Ecqui doceatur Præſentia Realis ex FIGVRIS?

AVTOR. Ita inquam. Figuræ ſunt neceſſariò minus præſtantes rebus figuratis: Vnde *Col. 2. Heb. 10.* dicuntur *Vmbræ*. Atqui, Si Corpus Chriſti non ineſſet Euchariſtię, iā huic figurę eſſent aut 1. Æquales, vt panis, *Gen. 14.* Melchiſedechi: Et panes Propoſitiōis, *Ex. 40. 1. Reg. 12.* Et Helię *3. Reg. 19.* 2. Aut Pręſtantiores: vt Agnus paſchalis, *Exod. 12.* Sanguis Teſtamenti aſperſus, *Exod. 24. Hebr. 9.* & Manna, *Exod. 16. Ioann. 6.* Quocirca rei figuratæ Euchariſticæ diuinius quid ineſſe debet, quàm figuris inerat.

PETRVS MARTYR *in defenſ. Euch. p. 3.* dicit duo. 1. In Veteribus & Nouis Sacramentis ſymbola eſſe diuerſa; at Rem eandem. Quia, 1. Cor. 10. *Eandem eſcam Nobiſcum manducauerunt, & potum biberunt: Petra autem eſt Chriſtus.* 2. Nouis Sacramentis tamen eſſe ſymbola præſtantiora antiquis: quia ſunt æternatura, ſimpliciora, clariora in verbis expreſſis; ſignificant rem factam, non futuram; acrius fidem excitant, vberius fructificant. 3. Et Apoſtolo eadem ſunt, Edere panem, & de pane: bibere calicem, & de calice, *1. Cor. 11.*

DICO AD I. Apoſtolus ait, quod *eandem eſcam* inter ſe, non Nobiſcum, *manducauerunt*. Nec ait, Eſcam, potū, aut Rem Sacramenti Hebræorum fuiſſe Chriſtum.

AD II. Iſtæ prærogatiuæ ſunt ſymbolis extrinſecę, ideo paruam afferunt ſignis dignitatem vt ſigna ſunt. Nam propria ſignorum dignitas eſt in Significādo: Et ſic Vetera melius ſignificant. Etiam Res ſymbolicæ veteres ſunt meliores; vt Agnus pane; Manna de Cœlo, quàm panis è furno. Quare noſtra Sacramenta veteribus eſſent inferiora; niſi quid aliud haberent diuinius. Verba etiam Vtriſque ſunt paria, ſeu Inſtitutionis, ſeu Promiſſionis. Conſecrationis tamē ſunt in Nouis præſtantiora. Atq; hoc explodunt hæretici.

AD III. Iſta ſunt vera. Non tamen ij dicuntur bibiſſe Petram, id eſt, Chriſtum; ſed *de Petra*: at nos edimus bibimuſque Petram ipſam.

QVÆSTIO XLIV.

An Præſentia realis probetur ex Promiſſione *Chriſti, Ioann. 6?*

LVTHERVS *lib. de Capt. Babyl. c. 1.* negat, Ioannis c. 6. agi de Euchariſtia; eſſ. que totum ſeponendum, vt quod nil ad rem pertin. at. Sic & Zvvinglius, Oecolampadius, Kemnitius. Cal.

CALVINVS in Ioan. 6. *Excipiunt, illic non agi de Sacramentali esu: quod ego fateor.* Putat tamen agi de *Spirituali* manducatione; teste Petr. Martyre *lib. contra Gardinerum.*

SVADENT istis. 1. Sermo, Ioan. 6. anno ipso ante institutionē Cœnæ est habitus; non igitur de Cœna est. Alioquin & cum aqua esset agenda Cœna; cùm ibi dicatur: *Qui biberit ex hac aqua, non sitiet.* 2. De manducatiõe, vitam dante, disserit: at Spiritalis sola dat vitã: ergo de hac sola disserit. 3. De manducatione ibi agitur, sine qua nemo viuere potest: at sine Sacramentali potest viui: ergo de hac ibi non agitur. 4. Augustinus docet infantes manducare Christũ, quatenus fidei cõmunicant: ergo ibi de manducatione per fidē agitur. Vnde Aug. tract 25. in 6. Ioan. *Crede, & manducasti.* Tract. 26. *Credere in eum, est mãducare panem viuũ.* Hæc Luth. & Martyr. 5. Zwinglius: Ibi differitur de fide: quia inquit: *Operamini cibum qui non perit.* Atqui, *Hoc est opus Dei, vt Credatis in eum, qui misit me.*

6. Etiam Catholici quidam consentiunt: quòd putent, vix posse defendi Communionem sub Vna, si Ioann. 6. *Nisi manducau. &c.* intelligatur de Sacramentali potius, quàm Spiritali esu.

AVTOR. I. Abistis: *Panis, quem ego dabo. &c.* ad vsque finem ferè agitur de Christi præsentia in Eucharistia. 1. Sic antiqua Concilia; vt Ephesinum, Synodus VII & Tridentinum & Ecclesia in Festo Corporis Christi hoc in sensu vtitur eodem capite. 2. Sic S. Patres Latini & Græci. 3. Quia sequerentur absurda: 1. Ioannem alioquin nil de Eucharistia scripsisse. 2. Christum nunquam exposuisse fructum Eucharistiæ vel Excellentiam. 3. Nullum extare de eo percipiendo præceptum diuinum. De circumstantiis literæ, vide *Antichristum. 3. q. 17.*

II. Realis Præsentia solidè hinc euincitur. Quia *hic Panis* dicitur is, *Qui de cœlo descendit*: Qui *est caro mea, quæ pro mundi vita datur.*

Dici autem hîc Carnem Christi figuratè, Martyr ait; AT falsum fictumque est. 1. Quia Christus vult suum Panem esse præstantiorem, quàm Manna. 2. Vult esse Panem verum de Cœlo miraculosum: At in pane Christum repræsentare solum, in mãducatione per fidē, nullum est miraculum. 3. Quia Christ⁹ aliquid promisit, quod Patres non habuerunt: at ij habuerunt Carnem Christi figuratè aut significatiuè: ergo hoc non promisit. 4. Quia manducatio per fidē, non est vera manducatio, nec distincta à bibitione: at hîc vera præcipitur: *Nisi mãducaueritis &c.* verèn, õ solũ apprehẽsiue.

DICO AD I. Sapiẽtissimè promissio longè præiit institutionem: sicut & Clauium promissio ipsam collationem. Clara autem promissio est: *Quem Dabo:* post hanc loquitur de Vsu, in præsenti. Istud, de aqua omnes exponunt de Sp. Sãcti gratia, Ioan 7. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem erant accepturi:* At panem exponunt plerique de Sacramento.

AD II. Falsa minor. Etiam Sacramentalis dat vitam: Vti in Baptismo interna ablutio mundat non sola, sed externa, etsi cum fide coniuncta.

AD III. Istud: *Nisi manducaueritis.* &c. præceptum adultis est; non infantibus. Non enim instituta Euch. est ad vitam dandam, vt Baptismus; sed ad conseruandam habentibus eam. At hæc cõseruatio est necessaria iis, in quibus minui vita potest, vt in adultis; non in infantibus. Nec enim hi manducant panem; Nec præcepti sunt capaces.

AD IV. Infantes in Baptiſmo cõmunicant Corpori Chriſti, non Spiritaliter, vt impotes Credere: Nec Sacramẽtaliter in re, vt incapaces: Sed Sacramentaliter in voto; quatenus renati in Chriſto, cibum renatorum appetunt quaſi voto implicito; dum obligantur in Baptiſmo vitam acceptam conſeruare, prout debent, & licet. Et ſic ſentit Auguſtinus, loquens de Sacramentali eſu, faciendo cum fide; ſed non ſolâ tantum. Ita & cæteri Patres.

DICO AD V. Agitur ibi de pane triplice: 1. De materiali, quem multicarat. 2. De alio quærendo & operando, ſcil. Seipſo incarnato, *qui de Cœlo deſcendit*: Hic fide apprehenditur: & non eſt ipſa fides, vt vult Zvvinglius. 3. De Euchariſtico poſt illos, dum ait: *Quem ego dabo. &c.* Itaque prius eſt ſermo de fide Incarnationis: dein de fide manducationis realis, non figuratæ.

AD VI. Ob defenſionis difficultatem non oportet deſerere Veritatem. Eſtque facilis ſolutio, cùm vis præcepti conſiſtat in Reipſa ſumenda; non in Modo ſumendi: Et mens Legislatoris erat obligare ad illam; non ad hunc. Res, eſt Chriſtus: Modus, ſunt ſpecies. Ratio mentis: Quia fructus Synaxios percipitur ex Re, non Modo.

QVÆSTIO XLV.

An Præſentia Realis doceatur ex Inſtitutione *ſic, vt Figuratæ expoſitiones Sacramentariorum eſſe improbæ conuincantur?*

LVTHERVS prodit, ſuâ ætate ferbuiſſe decem Sectas Sacramentariorũ de ſenſu Verborum Inſtitutionis. Anno 1577. edito libello numerabantur 200. expoſitiones. Harum nouem eminent. Tres de HOC: duæ de EST: Tres de CORPVS: vna de MEVM. De ſingulis ex ordine quæritur.

An Tropus ſit in HOC.

I. ANDREAS CAROLSTADIVS ait, *Hoc*, id eſt, *Hic*. Idque libro, edito anno 1524. Baſileæ, ſe ex Dei Patris reuelatione ait didiciſſe. Qua cauſa Lutherus librum ſcripſit contra cœleſtes prophetas.

II. BVCERVS in Retractat. *Hoc*, id eſt, *Hac actio tota Cœna*, vel In hac actione exhibetur *Corpus meus*.

III. IOSEPHVS LANGIVS annot. ad Apolog. Iuſtini. *Hoc*, id eſt, *Panis*, quaſi dixiſſet, *Corpus meum eſt Hoc*.

SVADENT iſtis. 1. Cùm Berengarius *Hoc* demonſtrat panem, quem merum tenebat manibus dicens *Hoc*: tunc enim nondum erat Sacramentum. Ergo panis eſt Corpus Chriſti. At propriè eſſe nequit; ergo figuratè. 2. Sicut illud *Ex hoc bibite*, debet ad vinum referri: ergo Vinum biberunt propriè, Sanguinem figuratè. Et ioſſit Dominus debere vinum? Aut, ſi de repente id mutauit, præſtigiis eſt vſus. 3. *Hic calix*, demonſtrat calicem, non Sanguinem: Similiter & *Hoc*, panem, non Corpus Chriſti. 4. LVTHERVS, *in Capt. Babyl. c. 1.* Cùm Hebræi non habeant genus neutrum, Dominus dixit, *hic eſt*, non *Hoc eſt*: ſicque panem, non Corpus, demonſtrauit. 5. CALVINVS. Quod *accepit, benedixit, fregit*, hoc & *dedit*. Sed *accepit &c. panem*: ergo & *dedit*: *Hoc* igitur demonſtrat panem.

AVTOR. *Hoc* demonſtrat, non panem, ſed Rem contentam ſub *hoc*, ſcilic. ſub ſpeciebus. Docebitur infra. 1. Proin ridiculè Carolſtadius *hoc*, id eſt, hîc ſedet. Quem cernebant, demonſtrare nil attinebat. *Accipite, Comedite*: cur? *Hoc*, id eſt, hîc

hîc enim sedet. 2. Ridiculè Bucerus; nam si *Hoc*, sit *hæc tota actio*; ergo & *Hic calix &c.* erit *hæc actio tota*: sicque duæ erũt actiones vna Actio Cœnæ. 3. Langius quoque ineptit. Nam 1. *Hoc*, si sit adiectiuum; concordet oportet cum substantiuo *Corpus*, hocque demonstret: si substantiuum esse velit; iam subiectum est ignotius prædicato; quod absurdum. 2. Luc. c. 22. ait; *Hic calix nouum Testamentum in Sanguine meo, qui effundetur. &c.* id est, non hoc vas, aut vinum; sed sanguis. Vt igitur *Hic calix* sanguinem demonstrat; ita *Hoc*, verum Christi Corpus. Beza respondere nesciens, dicit, Lucæ locum esse corruptum, nec integrum. At pari modo totam neget Scripturam.

Dico Ad I. *Hoc* demonstrat Corpus *Hic*, Sanguinem. Nam in propositionibus significantib⁹ id ꝙ tunc fit, cum dicitur, demonstratiua demonstrat id ꝙ Erit simul factũ dictũ; non quod est. Vt, *Hæc mando vobis*: & *Hæc* nondum erant, sed secutura erant. 2. Melius *D. Tho 3. q. 78. art. 2. & 5.* & in 1. Cor. 11. *Hoc*, demõstrat substantiam sub speciebus, & propriè pertinet ad Species: Non q. d. Hæc species est Corpus meum: sed *Hoc*, quod sub speciebus latet, *est Corpus meum.* Etiam Sacramenta significant, quod efficiunt: at non efficiunt Corpus Christi, quod semper fuit; nec vt *Panis* sit Corpus Christi; id enim fieri nequit: Sed vt sub speciebus panis sit Corpus Christi, id est, res contenta.

Ad II. Similiter istud, *Ex hoc*, refertur non ad Vinum, sed ad Contentum sub specie vini; Cur? *Hic est enim sanguis meus.* Mentiuntur igitur, aut iussisse Dominum, vt Vinum biberent, aut præstigias fuisse mutatrices. At præstigiatores aliud promittunt, præstant apparenter aliud; Christus, quod dixit, id fecit, & dedit.

Ad III. *Hic calix*, non vas, sed Rem Contentam significat.

Ad IV. Esto: At habent genus masculinum, quod græcè & latinè versum debet esse neutrum; ob proprietatem linguæ. Græcus autem vertit τοῦτο ἐστι, non ὁ ἄρτος ἐστι.

Ad V. Falsum: quia *accepit* panem vulgarem; & *dedit* Benedictum; vel vt Caluinistæ volunt, Sacramentalem. De mutata in vinum aqua in Cana dicere: *Hoc est vinum*: verum est: at falsum, *Hic aqua est vinum.* Ita Hoc, scil. sub isto contentum, *est Corpus meum*; verum: falsum, *Hoc*, id est, hic panis *est Corpus meum.* Itaque *Hoc* formaliter demonstrat species in obliquo, non recto: materialiter verò substantiam Corporis Christi sub speciebus.

An sit Tropus in EST?

IV. Zwinglivs *lib. de vera & fal. rel* Est tropus in Est, & non in *Hoc*: estque idẽ quod Significat.

V. Petrvs Boqvinvs *in Exam. lib. Heshusii*: Hoc Est, id est, Dicitvr. q. d. *Hic panis dicitur Corpus meum.* Sicut, hic homo est Deus. Et panem sic *Dici*, ait, ob idiomatum communicationem: quam fingit resultare ex Vnione: Non, Naturali; sc. animæ & corporis: Non ex Hypostatica, sc. Dei & hominis: sed ex Sacramentali, scilic. panis & Corporis Christi.

Simile Lvthervs *in Capt. Babyl. c 1.* Ita hîc panis est Corpus Christi; sicut Hic homo est Deus. Differt tamen ab eo in Vnione, vultque Rem esse ac veram panis & Corporis Christi: Boquinus, Sacramentalem, sc. vnitas res esse, licet cœlo tenãque distantissimas.

SVADENT istis. 1. Martyr, *libr. contra Gardinp.* 3. Papistæ coguntur *Est* per *Fit* explicare: Quia cum dicitur, *Hoc est*, tunc nondum *Est*, & tamen verba sunt eis operatoria. 2. Zwinglius; Caluinus, Oecolampadius. Vt *Semen est verbum Dei; Petra erat Christus*, id est, significat: Ita *Hoc est Corpus meum.*

AVTOR. I. *Est* nil significat, nisi *Est*. 1. Quia aliud nil potest propriè significare; vt in quod, ceu simplicissimũ, alia verba resoluantur: vt bibit, ridet. &c. id est, est bibens, ribens. &c. Et ita simplex est, vt *Est*, resolui in aliud nequeat, nisi in seipsum: *Est*, id est, est ens. 2. Idem est copula omnium enunciationum necessaria: ergo nunquam potest suam significationem dimittere, vt induat aliam. Vnde dicitur Substantiuum; alia Adiectiua sunt. 3. Nullus rhetor vnquam posuit in eo tropum.

Ideo cautiores Sacramentarii in *Corpu*, non in *Est*, tropum posuerunt. Nec in iis, Amare est diligere, id est, significat, tropus inest. sed signum prædicatur de signo, ideo explicatur per *Est*: cum essentia signi sit significatio.

II. Communicatio idiomatum nascitur, non ex qualibet Vnione; sed solum ex hypostatica duarum naturarum. 2. Ea non est inter naturas vnitas; sed in solo Supposito communi: Vnde non dicitur, Deitas est humanitas; sed Verbum est Deus & homo: ita nec hic panis est corpus; sed hoc Sacramentum est panis & corpus &c. Vanum igitur est figmentum Boquini.

DICO AD I. Verba Consecrationis nec perfectam Significationem, nec Effectum habent, nisi in instanti, quo vox vltima profertur: quod est vltimum mutatum esse. Vide *D. Tho. 3. quæst. 78. artic. 2. & 5.* Adde, verba sunt operatoria, etsi *Est* non ponatur pro *fiat*: quia dicente Deo, vt aliquid *Sit*, necesse est vt *fiat* quod ante non fuit. Debet autem dici *Est*, non vt *Fiat Lux*, Genes. 1. Quia verba Dei creationis operabantur solum efficaciter; at verba Sacramenti etiam *Sacramentaliter*, scil. in *Facto* esse: ideo dicendum, *Est*, non, *Fiat Corpus.*

AD II. Ibi *Est* copulat duo signa, scilic significans & significatum: sicut Amare est diligere.

An sit tropus in CORPVS? An in MEVM?

VI. IOANNES OECOLAMPADIVS. In *Corpus* est metonymia, quâ rei signatæ ponitur pro signo.

VII. CALVINVS *Institt. l. 4. c. 17. § 21.* Idem: sed addit, panem non esse nudam figuram Christi, sed quæ Rem ipsam exhibeat. Sic & Martyr; qui ait, *Corpus*, id est, Sacramenti Corporis, non mera figura.

VIII. CALVINISTÆ quidam apud Iansenium c. 59 Concord. *Corpus*, aiunt, id est, Mysticum Ecclesiæ: q d. *Accepit, & dixit enim Corpus meum*, id est, quia Vos estis Ecclesia mea.

IX. LVTHERVS in Iudibrium Sacramentarii, ann. 1527. pulcriorem, ait, proferam expositionem: MEVM, id est, à me factum & creatum. Iocum Lutheri accepit seriò Ioannes Campanus teste Lutheroano.

SVADENT istis. 1. Sententia hæc: *Hic est Corpus meum*; est Sacramentalis: ergo Sacramentaliter exponenda. Caluinus libro cõtra Westphalum, *Hic murus aheneus esto*, exclamat. 2. Caluinus *ibid.* § 23. Nisi Apostoli cogitassent *Corpus* accipi figuratè, turbati fuissent: at imperturbatè communicarunt Corpori Christi: 3. Klebitius l. de Victoria p. 1. *Manducate*: id est, dentibus terite *Corpus meum*: & hoc propriè fieri nequit ore; ergo corde & fide fit.

Av-

AVTOR. I. Oecolampadius errat temerè. 1. Quia, *Corpus* nunquam in Scriptura accipitur pro signo, sed pro vel reali naturalique corpore, vel pro Ecclesia: atque tunc vim impropriè accipit, seipsam exponit: vt Col. 1. *pro corpore eius quod est Ecclesia.* 2. Quin, *Hoc* non demonstrat panem; vt suprà liquet: ergo verum Corpus. Docent id sequentia; Luc. 22. *Quod pro vobis datur*; διδόμενον. 1. Cor. 11. clarius, *Quod pro vobis Tradetur* κλώμενον, id est, *frangetur:* At verum Corpus Christi traditum est, fractum, passum. Sicut Matt. Marc. Luc. de Sanguine vero *quod* ἐκχυνόμενον, id est, *effundetur*, id est, offertur. Quæ omnia non possunt tropicè dici aut intelligi; sed tantum Vel de Oblatione vera, Vel de Passione vera Christi.

II. CALVINVS dum ait: Panis est signū, non inane, vt aliud; sed efficax, ipsum Corpus Christi exhibens reipsa sic, vt id tunc sit & in cœlo, & nobiscum; sed datur tantum per Cōmunicationem ipsius, omniumque bonorū eius, quæ non requirit localem præsentiam: Idque fit per instrumentum fidei.

AVTOR. Falsum hoc figmentum est. 1. Quia sic Caluinus Inst. lib. 4 c. 17. §. 5 *Sunt, qui manducare Christi carnem definiant, esse in Christum credere: sed mihi sublimius videtur Christus voluisse. &c. Vt enim non aspectus, sed esus panis corpori alimentum sufficit: ita penitus participem Christi animam fieri conuenit.* Iam ita colligo. Credere in Christum Caluino non est verè manducare Christum: at eidem manducare Christum est solum credere in ipsum: Ergo illi non verè manducatur Corpus Christi. Nam ipsi nulla est actio manducantis in Cœna, nisi ipsum Credere: at Christum manducari est, se vnire manducanti.

Esto, *Eph 3.* Habitet in vobis Christus per fidem; tamen illud Habitare non est Credere, sed sequitur ad Credere: Nec illud Habitare in homine est actio hominis distincta ab actione fidei: Ita Vnio Christi nobiscum, per Manducationem spiritalem Cœnæ, non est actio distincta ab actione fidei: Ergo manducare Caluino debet esse solum Credere. 2. Nec Cœna est signum efficax magis, quàm Sacramenta vetera, aut imago Crucifixi: quòd illa repræsentarint passurū, hæc rememorent passum Christum. Ineptè verò diceretur aut illa aut hanc esse Christum ipsum: ita panis, si diceretur ipse esse Christus, quòd detur in signum ac memoriam Christi, sicque fidem excitet: vt ait Caluinus *Inst. l. 4. c. 17. §. 2. 5. &c.*

DICO AD I. Sacramentalis propositio est Vel *Explicans* Sacramentum: Vt Genes. 41. *Septem boues, septem anni sunt.* Matth. 13. *Semen est Verbum*: sic prædicata semper accipiuntur tropicè, non propriè Vel *Instituens* Sacramentum; vt Ioann. 3. *Nisi quis renatus. &c.* Matth. vlt. *Baptizantes eos. &c.* sic prædicata semper propriè accipiuntur. Nefas sentire est, Aquam in Baptismo, aut Formam *In nomine Patris. &c.* capi figuratè. Itaque & propriè ista; *Hoc est Corpus meum*, vt essentialia ad institutum Sacramentum conficiendū, capi debent. Et quia Sacramentum, teste ipso CALVINO *Institut. libro quarto capit. 41. §. 2.* est longè posterius verbo promissionis; ideo panis non est Sacramentum nisi post verba recitata. Quare illa fuit Sacramenti & Institutio & confectio non expli-

explicatio: quia id nondum erat. Ideo etiam hæretici verba ista Cœnæ suæ præmittunt; quod absque iis non putent esse Sacramentum. Denique in Scriptura vbique præcedit mysterium, & subiicitur explicatio: hæc autem verba præcedunt Sacramentum; non igitur sunt explicatoria, sed operatoria. Et sic aheneus murus, ecce luteus est.

AD II. Imperturbati communicarunt, 1. Quia, *Ioann. 6.* Dominus eos instruxerat. 2. Quia, traditor mysterii erat & mentium illuminator: hinc nec hodie rudes ad idem turbantur; sed infideles.

AD III. Corpus Christi propriè ore manducatur, id est, sumitur; non atteritur. Dein; species manducantur, & sub his Corpus Christi, non absolutè: sicut accidentia cuiusque cibi manducantur, non substantia.

AD IV. Lutheri jocum: Esto, panis & vinum sint à Christo creata; non tamen idcirco sunt Corpus & Sanguis Christi: quia de his dicitur; *quod pro vobis datur: Qui pro vobis effundetur. &c.* quæ istis nequeunt conuenire.

QVÆSTIO XLVI.

Verba, Hoc est Corpus meum: *propriè, an figuratè sint exponenda?*

SACRAMENTARII quàm infanda commenti sint, hactenus aperui: Pertendunt, inprimis autem CALVINISTÆ, inde ab Zwinglio, (vnde & Zvvingliani audiunt) Figuratè accipi oportere istud, *Hoc est Corpus meum.*

SVADENT, (præter iam dicta;) istis. I. Quia, ait Caluinus *Inst. libr. 4, c. 17. §. 21. 22.* Aut EST, in Scriptura ponitur pro *significat*, aut prædicatum figuratè: Vt Genes. 17. *Circumcisio est fœdus.* Exo. 12. *Agnus est phase.* Leu. 16. *Sacrificia sunt expiationes.* Matth. 3. *Columba est Spiritus Sanctus.* 1. Cor. 10. *Panis est Communicatio Corporis.* Matth. 13. *Ego sum ostium.* Et verò complures hæreses sunt ex pertinace Literæ proprietate exortæ; vt Antropomorphitæ. &c.

II. CALVINVS ibid. §. 23. *Corpus* significatur aut solum: ergo erit sine anima & sanguine: Aut totũ; ergo &c. 1. Vel batteologia erit, *hoc est Corpus, hic est Sanguis*; hæc enim idem significabunt: poterit que dici de pane, *hic est Sanguis. &c.* 2. Vel erit tropus intellectio dictus. Et sic debet tropicè capi.

III. CALVINVS, Martyr. &c. 1. Cor. 11. *Hic calix nouum Testamentum est in meo Sanguine:* Duo hic tropi: *Calix*, continens pro contento: *Testamentum:* nam Vinum aut Sanguis non sunt propriè Testamentum, sed signum. 1. Quia, alioquin omni die innouaretur testamentum. 2. Sæpè moreretur Christus, testamentum valeret. 3. Matth. *Hic est Sanguis noui Testamenti.* Ergo non ipsum testamentum. At quod erat in calice erat testamentum: teste Luca: Ergo in calice non erat Sanguis. 4. Lucas & Paulus alibi *Calix est Testamentum in Sanguine:* Sic esset sanguis in sanguine; quod absurdum; & impossibile, vt idem sit in seipso. Vnde Matthæus & Marcus, *Hic est sanguis meus*; id bè exponi per Lucam & Paulum, *Hoc est Testamentum in meo Sanguine*: id est, signum testamenti in Sanguine confirmati. Et *Hoc est Corpus meum*, debet exponi: *Hoc est Testamentum in Corpore meo.* Nam Corpus & Sanguis stabilierunt testamentum: non ergo capi debent propriè, nisi *Corpus & Testamentum* esse velimus idem. Hic Achilles Caluini.

IV. *Hoc facite in meam commemorationem.* At memoria est absentium: ergo panis & vinum non sunt Corpus & Sanguis: ergo hæc tropicè capi debent.

V. Nos

V. *Non bibam ex hoc genimine vitis. &c.* hoc dictum post Consecrationem: ergo post eam verum fuit vinum; quare dictum figuratè est *Sanguis.*

AVTOR. Dominus propriè locutus est. I. Docetur ex MATERIA, de qua sermo est; illa est *Pactum, Sacramentum, Testamentum, Lex, Dogma:* quæ omnia propriam locutionem requirunt; non figuratam. 1. *Sacramentorum* Institutio fit propriis verbis: Vt *Gen.17.* Circumcisio. *Exod.12.* Agnus paschalis. In Leuitico, Sacrificia: *Matth.28. Mar.vlt. Ioann.3.* Baptismi Institutio, aut promulgatio potius. Etsi vox, *Renasci*, figurata sit, mox tamen exponitur per, *Ex aqua & Spiritu Sancto.* Dein; illa pertinet ad effectum Sacramenti; non ad essentiam. 2. *Testamentum, Exod.24.* vetus propriis verbis instituitur: ergo & Nouum, Matt. 26. *Hic est Sanguis Noui Testamenti.* Luc.22. *Hic calix nouum Testamentum est in meo Sanguine.* Vide Hebr. 9. Sic & in ciuilib⁹ consuetum est condi Testamenta. *Bell. l. 1. c. 9.* 3. *Pactum*, item; ne cauillis sit locus; constare propriis debet. Ideo pactum vocatur testamentum, *Exod. 24. Hebr. 9.* 4. *Præceptum* item; vt hîc, *Accipite, comedite, Hoc facite.* 5. *Dogmata* item; non nisi propriis verbis tradi in Scriptura solent: ergo & istud: *Hoc est Corpus meum.*

Præcepta autem quædam sunt purè tantum præcipientia; quædam etiam exhortantia. Et in hisce tropi inueniũtur; non in illis. Deinde verissimè S. Aug. l. 2. Doct. Christ. c. 6. 9. *Nihil obscurè dictum in Scripturis, quod spectet ad FIDEM, vel MORES, quod non planissimè sit dictum in aliis locis.*

II. Docetur à personis: Dominus loquebatur Discipulis rudibus, non Scribis doctis, troporumq; gnaris; Tempore & loco, quæ lusum tropicum non admittebant: Euangelistæ & Paulus iisdẽ vtuntur verbis; cum alioquin sese explicare soleant. Nec vlli vnquam interpretes tropum in his agnouerunt; præter hæreticos.

III. Docetur à Communi Regula interpretandi Scripturam: quæ est, Nũquam dimittendus verborũ sensus proprius; nisi cogat Scriptura alia; aut Fidei articulus alius: aut Consensus communis sic intelligentium. *Sin'*; peribit fides; remanebitque opinio in Diuinis, errores innumeri seminabuntur. Patet in hæreticis, qui opinionibus circumaguntur, non fide.

IV. Docetur. Marcus, ait, *panem* εὐλογήσας, *benedixit*; *Calicem* εὐχαριστήσας, *gratias agens.* Luc. & Paulus de vtroque aiunt, εὐχαριστήσας: Vtrumque factum est, & vnum in altero intelligitur: sicut 1. Tim. 4. *Nil reiiciendum, quod cũ Gratiarum actione percipitur; Sanctificatur enim per Verbum Dei & orationem:* vbi in Gratiarum actione intelligitur Oratio sanctificans. Vnde Dominus *gratias agens benedixit*, id est, consecrauit: Non solum, vt Sacramentarii volunt, *benedixit Deo*, seu, *gratias egit.* Hinc, 1. Cor. 10. *Calix, cui Benedicimus:* εὐλογοῦμεν, id est, *quem benedicimus*, scil. quem accipimus, frangimus, damus. Dominus autem non sueuit res *Benedicere*, nisi Magnum quid patraturus: Benedictio autem Dei est Effectio Magni alicui⁹ ac Miri; vt *Luc. 9.* in panum multiplicatione, & *Matt. 15. Marc. 8.* & in Cœna. Aquam verò nus-

quam benedixit; quia in hac nulla futura erat transubstantiatio.

DICO AD I. Multipliciter peccat hoc argum: 1. Etsi *Est* sæpè figuratè ponitur; non tamen semper: at sæpius *Est* significat *Est* in Scriptura. 2. Exempla allata non sunt huic, *Hoc est Corpus meum*, similia: nam in iis disparata prædicantur de disparatis; vt *boues sunt anni; semen est Verbum. &c.* quæ propriè esse vera non possunt. 3. Quædam falso citantur: vt *Sacrificia sunt expiationes:* quod nec est Leu. 16. nec vsquam. Psal. 84. Arca *videtur Deus Deorum.* 1. Cor. 11. *Ecclesia est Christus.* &c. cùm dicatur *ita* est Christus. 4. Quædam malè exponuntur: Vt *Agnus est Pascha*, non quòd significet; cùm nulla sit inter occisionem agni, & transitum Domini similitudo; sed quòd ita *dicitur*: Vt, *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* *Necesse erat occidi Pascha.* In illo, *Petra erat Christus:* non Petra ipsa, sed spiritalis & inuisibilis petra, scilic. Christus sequebatur eos, vt Deus eis omnia prouidens. In hoc: *Panis est communicatio*: Non ita: sed *Communicatio panis nonne communicatio Corporis Domini est?* Sic, *Baptismus est lauacrum*, id est, non significat lauari, sed verè lauat animas. 5. In omnibus adductis locis est vel tropus, vel quid obscurum; additurque Explicatio: Et in Similitudinibus, parabolis, Visionibus *Est* accipi sine tropo pro *significat* potest: quia talium essentia posita est in significando. At istud, *Hoc est Corpus meum*, non est explicatio, aut similitudo, sed Assertio.

AD II. In *Corpus* intelligitur solum Corpus; in *Sanguis*, solus Sanguis; ob necessariam tamen Concomitantiam distracta non sunt: singula in singulis verbis significantur; Coniunctio tamen non significatur. Vt, Hoc est Corpus Petri: propriè *hoc* significat; non sequitur tamen id carere animâ: Vt, *Verbum Caro factum est*, non sola, sed cum anima.

AD III. In *Calix* est tropus: nam vas non ipsum bibitur, aut effunditur; sed liquor. Ideo explicatio additur ab Luca & Paulo; *Hic est calix*, apud Matthæum & Marcum *Hic est sanguis.* Vox *Testamentum* bifariam capitur: 1. Pro voluntate ipsa testatoris: Vt Exod. 24 *Hic est sanguis fœderis*, seu, vt Heb. 9. *Testamenti*: scilic. quo confirmatur Dei voluntas promissioq; 2. Pro authentico instrumento de voluntate testatoris, per quod hæres ius ad hæreditatem acquirit: Iudæi ad terram promissionis; Christiani ad Gratiam & Gloriam: quæ per Instrumenta Sacramentorum applicatur. 1. Vnde quotidie innouatur Repetendo, non Instituendo. 2. Nec Mors Christi fuit Testamentum, sed instituti huius confirmatio: & institutum infinities repeti potest. 3. Apud Matthæum capitur Testamentum pro Voluntate Christi: apud Lucam pro Instrumento: Vtrumque verè ac propriè. 4. Verum est, non absurdum: *Hic calix*, id est, Sanguis *nouum Testamentum est in meo Sanguine*: scilic. in cruce effuso, cruentè hic semel; ille Sacramentaliter præsens sub specie vini. Quia Sanguis Sacramentalis est Testamentum in Sanguine Crucis semel effuso. Vnde, IN, significat hic Causam instrumentalem, non Continen-

nentiam; ponitúrque pro PER. q.d. Testamentum nouum sanciri per Sanguinem. Sicut Ephes. 2. *Facti sumus propè in Sanguine eius.*

AD IV. Hoc, *in mei memoriam*, exponitur 1. Corinth. 11. *Mortem Domini annunciabitis*, sc. præteritam Christi præsentis: non in absentis Christi memoriam.

AD V. Lucas meminit duorum calicum: Vnius ante Consecrationem, post esum agni: & hunc vocat *genimen vitis*: Alterius post Consecrationem panis: & *hic*, ait, *est Sanguis*. Ita *S. Hieronym. in Matth. 26. Beda, Theophilactus. &c.* S. Augustinus id non expendit, ad alia properans.

QVÆSTIO XLVII.

An Realis Præsentia Christi in Sacramento docetur ex VSV in S. Scriptura contento?

SACRAMENTARII & Caluinistæ Realem Præsentiam negant: Asseruntque absentiam, ac

SVADENT istis. 1. Martyr ad Gardin. Christus est in cœlo ad Dexteram Dei: ergo non in pixide; nisi cœlum velimus in pixide contineri. Nam Christi Corpus est in cœlo, & est in Sacramento: ergo Sacramentum est in cœlo. 2. Petrus Martyr. *Quod intrat in os, in secessum mittitur; sed Christus non in secessum mittitur: ergo nec intrat in os.* 3. Matth. 24. Si dixerint: *Ecce hic, aut illic est Christus: nolite credere: ergo non est in altari, & cœlo.* 4 Matth. 26. *Me non semper habebitis vobiscum.* Ita Caluinus, & Martyr aiunt hoc falsum fore. Et Augustinus per hoc intelligit præsentiam Carnis: at Maiestatis, per illud: *Vobiscum sum omnibus diebus.* 5. CALVINVS Inst. l. 4. c. 17. §. 27. *Christus, quà homo ascendit in cœlum*; & Act. 3. *Oportet illum cœlum suscipere, vsque ad tempus restitutionis omnium*: Philipp. 3. *Vnde Saluatorem expectamus; tunc, non antè. Falsum igitur est, eum sæpè descendere in Eucharistiam.* 6. Caluinus ibidem. *Veritas carnis Christi probatur aspectu & contactu.* Luc. 24. At in Cœna solus panis videtur & tangitur. 7. Ioann. 6. *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam.* Hic Achilles Zwinglii. At, ait Martyr, *Capharnaitæ, & Papistæ putant carnem Christi corporaliter manducandam.* 8. Ioann. 12. *Vbi sum ego, ille & minister meus erit*: At sancti non sunt in Eucharistia; ergo nec Christus. Et, ait Martyr, *impiè faciunt, qui eum à gloria Patris ad hæc inferiora deuocant. &c.* Plura Bellarm. l. 1. c. 14.

AVTOR. Realis Præsentia Christi in Eucharistia docetur ex Vsu aliorum S. Scripturæ locorum. 1. Vt, 1. Cor. 10. *Calix Benedictionis, cui benedicimus, nonne Communicatio Sanguinis Christi est? Et Panis, quem frangimus, nonne Communicatio Corporis Christi est?* 1. Quia, *calix Benedictionis* est; ideo Consecratio necessaria est, & Effectiua, non precatoria. Et Effectiua vt vinum fiat Sanguis; non, ceu CALVINVS & MARTYR volunt, vt commune vnium fiat Sacramentum figuratiuum. Cur in aqua Baptismi, in Manna, in agno, &c. nulla opus Benedictione seu Consecratione? Quia, nulla isthic transubstantiatio. 2. Quia, *panis quem frangimus*, id est, offerimus, immolamus; vt rectè CALVINVS & MARTYR nobiscum volunt; non quem distribuimus. At non immolam' panem nudũ; sed Agnum mysticum, Christum. Vnde ait: *Communicatio est Corporis & Sanguinis.*

1. Quia sensus literalis & proprius semper est eligendus, nisi euidenter probetur contrarium. 2. Quia sic exposuerunt S. Patres. 3. Quia intendit Apostolus auertere Corinthios ab idolothitis carnium.

II. 1 Cor. 11. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium. &c. non diiudicans Corpus Domini. &c. Reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* At isti indigni id non recipiebant spiritu & fide; sed solo corpore: ergo verè præsens erat Corpus Christi in Eucharistia, Non enim ore capi potest, vti est in cœlo.

INSTANT. Caluinus *Inst. l. 4 c. 17. §. 33. & aly:* Indigni ideo sibi iudicium manducant, 1. Quia Symbola Corporis Christi iniuriâ afficiunt: iniuria autem imaginis refertur in eum, cuius est Symbolum. 2. Quia non percipiunt verè Corpus Domini, quod in symbolis offertur; quod est ac si Corpus Christi conculcarent.

DICO AD I. Hic suam ipsi iconomachiam destruunt. Belle! Deinde qui non intendit effigiato inferre iniuriam, is etiam discerptâ effigie non iniuriari censetur: At qui indignus Communicat, fit reus, etsi non intendat iniuriari Christum. Itaque specialis interior mundicies dignitasque requiritur.

AD II. Non ait Paulus, eos peccare quòd non recipiant; sed quòd Indignè percipiant, ac ita vt si non esset Corpus Domini, id est, *non diiudicant Corpus Domini.* Demum illa Sacramentariorum interpretatio violenta S. Patribus aduersatur. Vide *Bell. l. 1. c. 13.*

DICO rursus ad SVASIONES. AD I. Christus est in cœlo gloriam suam manifestãs; est & extra cœlum, gratiam impertiens: neque hoc extra cœlum esse est in cœlo esse: Nec Sacramentum est in cœlo, aut contrà.

AD II. Dominus loquitur de cibis ad alẽdum corpus: Vnde Dominus post resurrectionem verè comedit, nec tamẽ fecessit. Eucharistia verò sumitur ad alendam animam, non corpus: ideo corruptis speciebus esse desinit.

AD III. De pseudoprophetis id dicitur, non de Eucharistia: & suum apertum aduẽtũ cum illorũ cõparat aduentu clanculario. Vt sol ortus vbique splendet, nec dies tamen videtur: ita Christus apertè honoratur, nec tamen sub speciebus videtur.

AD IV. Dominus loquitur de præsentia sua visibili; quali obsequium præstitit Magdalena, more humano, ad vtilitatem Corporis Christi. At ibi, *Ego vobiscum sum. &c.* præsentia inuisibili. Vtrobique debetur ei obsequium Honoris at Vtilitatis in illa ei sola præstitum fuit. Et hanc vocat Aug. præsentiam Carnis: Dixit enim Christum adesse trifariam, per Maiestatem, aut per Prouidentiam, aut per Gratiam. Et per hanc est in Sacramento.

AD V. Ascendit quoad humanam naturam; se tamen potest constituere vbi, quando, quoties, quomodocunque vult, etiam alubi, salua suâ in cœlis existentiâ. Id quod Omnipotentiæ est.

AD VI. Aliud est Affirmatiuè colligere, vt Dominus facit: *Hoc palpate &c. ergo corpus est:* Aliud Negatiuè; vt *Hoc non palpatur: ergo non est corpus.* Falsum hoc, quia ibi est obiectum sensuum, hic non; Deo sic volẽte: sicut *Luc. 4.* Corpus suum fecit inuisibile, quia voluit: ita & in Eucharistia.

AD

AD VII. Caro SOLA non prodest quicquam sine spiritu viuificante. Ita Aug. Cyrill. Caro autem semper est Diuinitati vnita: at ij de sola intelligebant. Ita nec panis *prodest quicquam*, solus. 2. Deinde; non tam de Carne sua, quam de Carnali eorum intelligentia loquitur, ait Chrys. Theophil. Euthym. &c. Sicut & Nicodemus, *Ioann. 3.* carnalem cogitabat natiuitatem. *Verba, quæ ego locutus sum, spiritus & vita sunt*, sc. tum Significatu, tum Effectu & Veritate. 3. Denique; vt nuda caro humana est sententia peccatorum: ita nuda Caro Christi cogitata, est sententia hæresium, olim plurium; nunc Sacramentariorum.

AD VIII. *Vbi*, ait, non, *Vbicunque*. Sat, si Sancti sint *alicubi* cum Christo, etsi non *Vbique*. Deinde; Christus ibi promittit consortium regni; non agit de Eucharistia.

QVÆSTIO XLVIII.

An Veritas Christi in Eucharistia doceatur Ex Consensu *omnium Ætatum?*

CALVINVS in vlt. admon. ad Westphalum ait: *Constat Veteres omnes scriptores, qui totis quinque saculis post Apostolos vixerunt, vno ore nobis patrocinari*: sc. ad figuræ cœnaticæ figmentum. MARTYR *in præfat. contra Gardin.* ad Reginam Angliæ, iactat, se defendere sententiam Patrum Græcorum & Latinorum veterum de Eucharistia. PETRVS BOQVINVS, *lib. de Cœna contra Heshus.* ait, nullam esse rationem certioren & breuiorem inueniendæ Veritatis in hac causa, quàm insistendo vestigiis antiquorum Patrum.

AVTOR. Boquinus verè: at pro nobis. Martyr & Caluinus effrontes thrasonicè ac vanè. Age, per Ætates singulas obeamus inde à Christo atque Apostolis vsque hac. In Prima Centuria 1. S. Andreas Apost: ait; *Ego Deo immaculatum Agnum quotidie sacrifico. Qui cùm sit verè sacrificatus, & verè Carnes eius à populo manducatæ, integer perseuerat & viuus.* 2. S. Ignatius epist. ad Smyr. *Eucharistias & Oblationes non admittunt; quòd non confiteantur Eucharistiam esse Carnem Saluatoris. &c.* 3. S. Dionysius Areop. p. 3. Hierarch. c. 3. *Diuinissimum Sacramentum* inuocat, & adorat.

II. Sæculo. 1. S. Iustinus Mart. in Apolog. 2. ad Antonium Imperatorem *Non vt communem panem & potum hæc sumimus; sed vt per verbum Dei incarnatus IESVS carnem & Sanguinem habuit. &c.* 2. Pius I. Papa statuit pœnam, si cui quid de Eucharistia in terram decideret. Gratianus de Consec. dist. 1. can. *Si per negl.* 3. S. Irenæus l. 4. hæres. c. 31. *Quomodo constabit, Panem, in quo gratiæ actæ sint, Corpus esse Domini, & Calicem Sanguinis eius? &c.*

III. Sæculo. 1. Tertull. l. 2 ad vxo. *Etsi sciuerit*, maritus ethnicus, *Panem; non illum credit esse, qui dicitur.* Idem l. de resurrect. *Caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur.* 2. Origenes hom. 5 in diuersis. *Cùm mãducas et bibis Corpus & Sanguinẽ Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. &c.* 3. S. Cyprianus serm. de Cœna. *Panis, quem Dominus discipulis porrigebat, non Effigie, sed Natura mutatus, omnipotentiâ Verbi factus est Caro: Et sicut in persona Christi Humanitas apparebat, & latebat Diuinitas: ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infundit Essentia.*

IV. Sæculo. Concilium Nicænum. 1. idem profitetur, cum S. Athanasio, Hilario, Cyrillo, Ambrosio, Basilio, &c.

V. Sæculo. S. Gaudentius, Chrysost. Hieron. August. Synodus Ephesina &c. Ecce, *qui totis quinq. Sæculis post Apostolos vixerunt, vno ore nobis patrocinari* Orthodoxis contra Sacramentarios. Cætera: tum quid ætatum S. Patres huc porro subiicere attinet? Vide *Bell. l. 2. de Euch. toto:* simul & quam vim S. Patribus inferant interpretes Sacramentarii, vt & ipsos sui similes reddant coruos.

At, S. Patres Veritatem docent ex Vocabulis, 2. Comparationibus, 3. Transubstantiatione, 4. Mysterio. 5. Veneratione, 6. Effectu Eucharistiæ.

I. Vocant Eucharistiam Corpus & Sanguinem Domini: Tremendum Mysterium: Pretium nostrum. &c.

II. Comparant 1. Cum Sacramentis Iudæorum, differreque docēt vt Veritatem à figuris, corpus ab vmbra. 2. Cum Incarnatione Christi. 3. Cum Christo in ara, in præsepio, & cœlo. Chrys. 4. Christum in Eucharistia cum Angelis in forma corporea. August. 5. Indignè communicantes cum crucifigentibus Christum, Tertullian. Cypr. Basilius.

III. Mvtari Panem docent realiter, 2. Vt mutabatur panis per nutritionem Christo comedente. 3. Vt aqua in vinum: Virga in serpentem. 4. Huc requiri aiunt omnipotentiam, 5. Falli sensus.

IV. Mysterivm altissimum agnoscunt: 1. Intelligi non posse absque fide. 2. Hortabantur ad Fidem certam: 3. Esse miraculum superans captum humanum. 4. Non loquebantur de eo coram ethnicis & catechumenis.

V. Veneration em ei deferebant latreuticam: 1. Adorando, 2. Inuocando: 3. Cauendo ne quid excideret: 4. Ne aspiceretur ab infidelibus: 5. Asserendo Angelos adsistere tremebundos.

VI. Effectvs ei tribuunt reales: Vt 1. Christum vniri nobis Corporaliter. 2. Ideo corpora nostra resurrectura. 3. Coniungi Christum nobis reipsa, nō tantum per fidem, Chrys. Cyr. Alex. Nos fieri diuinæ naturæ consortes. Hæc quā Sacramentariis pugnent, liquet.

QVÆSTIO XLIX.

An Realis Præsentia esse Possibilis Deo deceatur ex RATIONE, sic, vt vnum Corpus possit simul in diuersis locis poni?

Ratio variis principiis Fidei subnixa iuuatur: cæteroquin hac in re caligat. Quæritur autem: An Possit, an Velit Se Christus sub speciebus exhibere?

Calvinvs Instit. l. 4. cap. 17. § 24. *Non quæritur, quid Deus potuerit; sed quid voluerit.* Veruntamen *Insane, quid à Dei potentia postulas, vt Carnem faciat simul esse, & non esse carnem?* Simul arguit a gumenta nostra pro possibilitate stantia. Sic & Martyr & Beza &c. Sic damnatus olim Wicleffus apud *Th. VVald. l. 1. c. 72.*

Svadent istis. 1. *Caluinus* in vlt. admon. ad VVestph. Mar. vlt. *Surrexit, non est hic.* 2. Deus nullo circumscribitur loco: Ier. 23. *Cœlum & terram ego impleo.* Ps 138. *Quò ibo à Spiritu tuo?* At Corpus Christi aut circumscribitur; aut vbique erit: Vbique verò, aut

Aug.

Aug epist 3 ad Volus. nullum corpus esse totum potest. 3. *Calu. Martyr.* Si vnum possit esse simul in multis locis, erit vnum, & multa. Nam Corpus in ara non continuatur cum eo in cœlo: sicque erit vnum, & non vnum. Nec venit in aram motu locali; nam sic desereret locum alterum: Non generatur, nam sic fieret. &c. Plura *in Geneal. p. 3. q. 12.*

AVTOR. I. S. Scriptura nihil à Dei Omnipotentia exemit; nisi quæ facere, esset Deum deficere: vt Mentiri, *Hebr. 9. Negare seipsum,* 1. Timoth. 2. Quale non est: Corpus vnum pluribus in locis esse: Et istud ex Scriptura docet meus *Antichristus p. 3. q. 19.*

II. *Mysteria quædam* fidei sunt captu difficiliora, factuque, quàm hoc: & facta tamen sunt, & credenda: vt Trinitatis in Vnitate: Vna hypostasis in duabus naturis Christi: Resurrectionis mortuorum: Creationis, & annihilationis: Æternitatis. Quæ Philosophi irriserunt. Vide in *Geneal. ibid.*

III. *S. Patres* testantur existentiam Christi pluribus in locis simul. 1. *Chrys.* Quia est in cœlo, & in ara. 2. *Chrysost. Ambr. &c.* Est simul pluribus in aris corporaliter. 3. *Cyrill. Theop.* Eucharistia sanctificat animas & corpora omnium, totum in singulis, ac indiuisum. 4. *Sanctus vnus* cùm simul diuersis in locis miracula facit, an ipse faciat, aut Angeli; superare vires ingenii, ait *Sanct. Augustinus.* Dum dubitat; non impossibile esse significat. Ita Sancti viui produntur hîc extitisse, & isthic procul visos.

IV. *Spiritus vnus* potest hîc, alubiq; esse simul: ergo & corpus. Nam ratio, cur non sic esse posse videantur, est Vnitas, non moles. Vnitas autem tam in Spiritu, quàm corpore est. Quanquam Corpus Christi non est Localiter in Sacramẽto, nisi ratione dimensionum panis: nã ordinariè locum non occupat.

V. *Vnus locus* potest capere duo corpora sibi adæquata simul; nec tamen loci vnitas diuiditur; nec corpora confunduntur: ergo & corpus vnum potest duo implere loca. Ita enim se habet locatum ad locum, sicut locus ad locatum. *D. Th. in 4. d. 44. q. 2. artic. 2. q. 5.* vult, Vnum corpus in duobus locis esse non posse localiter, sed tantum Sacramentaliter.

DICO AD I. Agitur ibi de facto; non de eo quod possit facere Deus. Et Mulieres mortuum putabant, ac iacere in sepulcro: ad earum mentem respondet Angelus, *Surrexit; Non est hîc.*

AD II. Deus de facto est vbiq;, & intrinsecus reb. essentialiter, vt non possit nõ esse vbiq;, & constringi loco nequeat. At Christi Corpus in cœlo est localiter: in ara Sacramentaliter; sicq; & pluribus in locis est vnus intrinsecè indiuisus, licet extrinsecè diuisus numero, non Corpore. Nec enim Vnitas essentialis pendet ex vnitate loci: cùm prius sit rem Esse, quàm Esse in loco.

AD III. Iam liquet, Corpus Christi nec localiter venit, nec generatur; sed incipit esse per Conuersionem panis in Ipsum. *Ecce,* ait Aug. 22. Ciuit. c. 11. *qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam postdet vanitas.* De regulis Potentiæ vel Impotentiæ Dei. Vide in mea *Geneal. part. 3. quæst. 12.*

Quæ-

QVÆSTIO L.

An Corpus Chriſti poßit in Euchariſtia ſine magnitudine, locum occupante, exiſtere?

CALVINISTÆ adeſſe negant Corpus Chriſti; quia adeſſet ſine magnitudine: vti ſenſit Durandus: Aut ſi foret cum magnitudine, hanc reipſa non eſſe diſtinctam à Subſtantia, ſed ita ſeſe penetrare ſingulas partes inuicem, vt earum nullus ſit ordo, forma nulla: vti Okam ſentit.

SVADENT id Caluiniſtæ argumentis Durandi & Okami. 1. Petr. Martyr, ex Aug. epiſt. 57. *Spatia locorum tolle corporibus, & nusquam erunt; & ideo non erunt.* 2. CALVINVS *Inſt. l. 4. c. 17. §. 29.* Habere dimenſionem eſt de eſſentia corporis: ergo implicat Eſſe corpus, & non eſſe in loco. 3. *Martyr lib contra Gardin.* Vt facultas intelligendi poſterior eſt anima, ſeparari tamen nequit, vt intrinſeca; ita occupare locum eſt intrinſeca proprietas Quantitatis. 4. Subſtantia nequit exiſtere, niſi ſubſtantialiter: ergo nec quantitas, niſi quantitatiuè. 5. Spiritus indiuiſibilis exiſtere nequit per modum corporis diuiſibiliter: ergo nec corpus diuiſibile exiſtit per modum ſpiritus indiuiſibiliter. &c.

AVTOR. I. In Euchariſtia non eſt Corpus Chriſti ſine magnitudine. 1. Quia ſine quantitate Chriſtus non eſſet Totus in ea: quod eſt contra *Trid. Seſſ. 3. C. 2.* 2. Sequeretur, Corpus Chriſti in Euchariſtia non habere operationes vitæ: quia hæ non ſunt ſine organis; & hæc non ſunt ſine quantitate. Hiſce argumentis euertitur etiam opinio Okami.

II. Eſt igitur Chriſtus Totus in Euchariſtia cum omnibus accidentib⁹ ſuis: (excepta relatione ad Locum Cœleſtem, quam habet vt in cœlo eſt; & iis, quæ ad exiſtentiam eo in loco conſequuntur) Et contrà; Totus in cœlo eſt cum magnitudine & accidentibus omnibus; excepta relatione ad ſpecies panis & vini, quam habet, vt eſt in Euchariſtia. *Deinde* Corporis Chriſti membra non ſeſe penetrant, ſed habent ordinem & figuram corporis humani.

NOTA autem Magnitudini conuenire tria: 1. *Extenſam eſſe in ſe*, id eſt, habere partem extra partem, ac proinde ſitum quēdam intrinſecum partium, ſeu ordinem. 2. *Coextendi loco*, & habere ſitum intrinſecum in ordine ad locum. 3. *Extrudere aliud ex loco.* Secundum eſt poſterius primo; poteſtque Dei potentiâ ſeparari à primo, hoc ſaluo ſtante: Sic & tertium ſequitur ex ſecundo, ſepararique poteſt, ita vt prius maneat ſine poſteriore; non contrà.

III. Hinc Corpus Chriſti in Euch. habet primum modum; nō ſecundum aut tertium, vt ſeparabiles: ideoque poteſt occupare locum; non tamen aliud corpus inde expellere: quæ propriè dicitur Penetratio; eſtque poſſibilis Dei potentiâ, vt corpus habeat primum & ſecundum modum ſine tertio. QVIA; quæ non implicant cōtradictionem, ea facere poteſt Deus; at corpus eſſe alicubi; & tamen non occupare locum, aut expellere aliud; non implicant: *Quia*, hæc non repugnant Eſſentiæ magnitudinis; cùm nil poſterius ſit de eſſentia prioris. *Deinde*: poteſt quantitas intelligi, & definiri ſine loco; patet in ſphæra vltima. Vide plura in meo *Antichriſto p. 2. q. 20.*

DICO AD I. S. Aug. ibi quædam dicit de Corpore Chriſti, quædam de aliis corporibus: quæ Martyr confundit.

De

De Corpore Christi solam Vbiquitatem refutat, dicens: *Cauendum est, ne ita Diuinitatem adstruamus Hominis, vt Veritatem Corporis auferamus. Non est autem consequēs, vt, quod est in Deo, ita sit ubiq;, vt Deus.* Vbiquitarii volunt Christi Corpus ita diffusum, vt nusquam figuram habeat humanam. Corpora proinde ait sic esse in loco extensiuè, vt pendeant à loco sic, vt sine loco sint nulla: at Deus & Corpus Christi non pendent à loco.

AD II. Coëxtendi loco non est de essentia corporis; sed consequens: proin separabile est à re.

AD III. Dissimilia sunt ea. nam Replere locum est actus, non potentia: at facultas intelligendi est potentia, non actus. Reliqua patent ex Notabili.

AD IV. Substantia non potest separari à suo existēdi Modo Essentiali; quod fieret, si inhæreret in subiecto: Potest tamen à Modo suo intrinseco seu proprio separari, qui est *Per se existere*. Ita substantia Humanitatis Christi existit in Verbo, non habens propriam substantiam, vt à quo sit seiuncta: Ita quantitas non potest existere nisi quantitatiuè primo modo; at potest secundo: Vt supr.

AD V. Causa formalis ab effectu separari potest; cùm sit prior effectu: at Quantitas est causa formalis huius effectus, Occupare locum. Ideo potest esse vera Quantitas sine hoc effectu: at non contrà. Spiritus autem, in se indiuisibilis, non potest extendi in loco; quia sic foret effectus formalis sine causâ, id est, posterius sine priore: quod fieri nequit. Vide *Antichristum part. 3. quæstione 20. Genealogiam part. 3. quæst. 12. Bellarmin. lib. 3. cap. 6.*

QVÆSTIO LI.

An Deus Voluit, Fecitq;, vt Corpus Christi præsens in Eucharistia adesset?

SACRAMENTARII voluisse negant: quòd nec Vtile, nec Decens videatur.

SVADENTistis. Quia frustra ponitur corporalis Præsentia, cum sufficiat eam habere in signo. 1. Quia finis Eucharistiæ est nutrire animas fide & charitate: at, CALVINVS Iust. l. 4. c. 17. §. 32. *Fide non minus lautè nos pascimus participatione Corporis Christi, quàm qui Christum de cœlo detrahunt.* 2. Petrus Martyr: Quia, Ioann. 16. *Expedit vobis, vt ego vadam*: Ergo corporalis præsentia non expedit. 3. Quia Baptismus confert gratiã ac vitam spiritalem, licet aqua non mutetur in Sp. Sanctum: ergo & Euch. 4. Corporis præsentia nullo sensu perceptibilis est, sed fide solâ: ergo huic nil opus est. 5. Qui Christum in signis cum fide percipiunt; verè communicant; qui sine fide, nullum fructum ferunt; ergo præsentia inutilis est. 11. 6. Absurda plura consequuntur ex reali præsentia: scilic. Christum cadere humi, ventre consumi & egeri, à muribus atrodi. &c.

AVTOR. Voluit, Fecitque Deus vt Christi Corpus præsens in Eucharistia adesset. 1. Quia omnes hæresios cõditiones in contrariam conueniunt sententiam: sc. *Autorem* habet certum ea *Nouitas Berengarium* Andegau. Archid. eam apertè professum sub annum MLI. in Gallia; pauperes scholares datâ stipe ad consentiendum pellicientem: Ad quam Ecclesiæ *admiratio*, ac *perturbatio* conciebatur; *contradictio* item, *Examen*, *Iudicium*, & *Condemnatio* sub Leone IX.

At nostræ sententiæ ac fidei cõstat *Antiquitas* à Christo ad Apostolos, ac porro vsq; huc. 2. Constat vniuersæ Ecclesiæ *Consensus*, per omnes ductus ÆEtates. 3.

In pluribus *Conciliis ea discussa* est hæresis: in Vercellensi, Turonēsi, in quatuor Romanis, sub Leone IX. Nicolao II. & Gregorio VII. ter eam eiurante Berengario: Inq; Viennensi, Constantiensi, Tridētino. 4. Ecclesiæ fides hæc claruit *S. Patronis* innumeris, vt S. Ansel Bern Malachia, Dominico, Francisco, Antonino, Thom. Aquinate. &c.

5. Sacramentarii verò sacri semper & intestabiles fuerunt Berengarium moribundus S. Fulbertus vidit humero ferre diabolū: At Calu. *admon. vlt. ad Westph.* eum suum agnoscit parentem; tum suspectum sibi, si quis eum Papa approbasset: Atqui ter periurum, mirè superbum, docentem insuper matrimonii dissolutionem, vxorum communitatem, & infantes non baptizandos. Infelices exit⁹ Wiclefi, Carolst. Zvving. Caluini. &c. sat constant, nec vllis ii miraculis clari. 6. At præsentiam veram veris Deus attestatus est miraculis multis. *Bell. l. 3. c. 8.*

DICO AD I. Multa haberi, fieriq; aliter poterant; quæ tamen Deo placuit SIC fieri, & non aliter. Vt poterat sine Incarnatione, Passione. &c. nos redimere; at sic voluit, vti fecit. Et realis præsentiæ fides magis excitat charitatem, deuotionē. &c. quàm absentia cogitata. Nam Christi cōtact⁹ quoq; saluti fuit infirmis.

AD II. Ibi non agitur de præsentia Sacramētali; sed de personali & mortali Viatoris Christi; hâc vtilior erat eius ascēsio. Sic *Cyr. Theoph.* Expediebat autem ab sensuali conuersatione Christi ablactari Apostolos: Ita Aug. Bern.

AD III. Disparia sunt ea: nam Euch. est Sacram. refectionis, & mutationis, & miraculū miraculorum, & causa resurrectionis ex contactu. Ita Hil. Cyr. At baptisma solum est ablutionis.

AD IV. Tangitur Corpus Christi, mediantibus speciebus, sensu; at immediatè, fide.

AD V. Spiritali Communione est vtilis: at non instituta, nec præcepta, vt realis & corporalis.

AD VI. Illi sunt euentus, casusque specierum non Corporis Christi: & absurda indignaq; Christiano est obiectio. Vide *Bell. l. 3. c. 10.*

QVÆSTIO LII.

Quis est Corpus Christi Modus Existendi *in Eucharistia?*

LVTHERVS quatuor asserit. *l. de Capt. Bab. c. de Euch.* 1. Panis maneat, an nō, cum Corpore Christi in Euch. defendi vtrūq; potest citra hæresin: Vnde possibilis est Transubstātiatio; at non est articulus fidei. 2. Scriptura conformius est, Manere panem. 3. Vera propositio est *Panis est Corpus Christi*; ceu vera hæc; *Christus homo est Deus*: Quæ est Impanatio Ruperti, & Parisiensis.

LVTHERANI tamen negant Vnionem personalē Christi cum pane, contra Ruperti & Paris. stantq; cum Bereng. 4. *In Confess. de Cœna*: Corpus Domini per Vnionem ad Verbum id assecutū est, vt sit, vbicunq; Verbum est, id est, Vbiq; quare etiam in pane Cœnæ inest.

LVTHERANI plures sequuntur hoc quartum de Vbiquitate: Pauciores, tria priora tenent.

SVASIONES vide *infrà quæst. 54. 55.*

CALVINISTÆ vociferantur omnes, Transubstantiationem esse sceleratam hæresin; ac prorsus impossibilem. Vide SVASIONES eorum quæstione sequente.

AVTOR. Errorū hac in causa cęterorū seriem dedi in *Geneal. p. 3. q. 13.* Catholica sententia ac Fides hæc est. Causa, cur in Euch. existat Corpus Christi, est Totalis Conuersio substantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi.

TRIA huc NOTAT Bell. ex D. Tho. quoad MODVM.

I. Ad veram Conuersionem requiri quatuor. 1. Vt, *Res conuersa desinat esse*: si

si Composita sit si; vt vxor Lothi desiit cōpositum esse: *Si* partes eius sint cōpositæ; desinant partes esse: vt fit in Euch. 2. Vt *Res alia succedat* in locū desiti: cæteroquin foret Corruptio, aut Annihilatio: cum termin⁹ actionis esset, Non esse rei. 3. *Sit Connexio desitionis* vnius & successionis alterius, ita vt vi Desitionis fiat Successio. Quia sine Cōnexione non esset *Vna* actio, quæ *Conuersio* dicitur; sed duæ, se concomitantes per accidēs, sc. Annihilatio vni⁹, & Creatio alterius. 4. *Sit Positiuus terminus* tā *à quo*, quā *ad quem*. Alioquin Eucharistica *Conuersio* nil differret ab Naturali, ab Creatione, ab Annihilatione; vt in quibus datur priuatio formę, non mutatio instantanea vnius in aliud.

II. Ad verā Conuersionem sat est; Vnum alteri succedere; siue id producatur, siue adducatur; seu quoquo modo fiat. *Conuersio* n. triplex est. 1. *Productiua*; si terminus ad quē non existens producatur: vt aqua vinū facta est. 2. *Adductiua*; si terminus ad quē existat; sed non ibi, vbi est terminus ad quem: Vt in nutritione, forma cibi desinit, & in materia cibi incipit esse anima, non producitur. 3. *Consecratiua*; si terminus ad quē, & terminus à quo simul eodem in loco existant, V.g. duo corpora sese penetrent altero in aliud verso, vi diuina: Vt in Eucharistia.

III. *Subiectum*, in quo recipitur hæc Cōuersionis actio, est partim *Panis*, vt in quo substātialiter Mutato recipitur: *Corpus Christi* partim, vt in quo Adducto recipitur sub specieb⁹: sicq; Corpus Christi acquirit Esse Sacramētale per Transubstantiationem. Ex his corruunt figmenta Lutheri, & assecłarum.

QVÆSTIO LIII.

An fiat, sitq; Transubstantiatio?

LVTHERANI, vt supra liquet, hanc possibilem esse annuunt; probabilemque putant: at improbabiliorem Scripturis asserunt: Tenent Corpus Christi esse in, sub, cum pane. De Vbiquitate infra.

CALVINVS *Inst l. 4. c. 17. §. 12. 13. 14. 20.* omnesq; Caluinistæ execrantur Transubstātiationem: canitque triumphum contra nos Caluinus, pro sua Metonymia.

SVADENT istis, quæ Kemnitius ex Luth. & Caluino collegit. 1. Vox *Transubstantiatio* noua, barbara est: ergo & res. 2. Vox ea, iuxta Audradium, Scotum, &c. non est in Scripturis, nec in Symbolo; nec S. Patres ad eius dogma cogunt: At nil pro articulo fidei recipiendū, nisi in S. Scriptura expressū: ergo nec Transubstantiatio. 3. In Scriptura vocatur Euch. panis ante benedictionem: Mat. 26. *Accepit panem*: Et de ipso ait: *Hoc est Corpus meum*. Sicut, Lucas & Paulus ait, *accepit calicem, benedixit, & dedit*: Ergo vt calix vini est calix Sanguinis: ita panis est Corpus Christi. At panis non potest esse corpus, nisi sit panis; nec vinum Sanguis, nisi sit vinum.

4. Euch. est Sacramentum: at, si desit substantia panis, tollitur ratio Sacramēti 1. Quia Verbum, accedens ad elementum, hoc non annihilat, sed facit Sacramētum; Transubstātiatio autē annihilat panem. 2. Signum visibile panem, facit spectrum panis, & ludificat nos. 3. Tollit analogiam Sacramenti duplicem; Vnam, vt panis nutrit: Alteram, vt ex multis granis constat: ita & Corpore Christi nutrimur, & vnum Corpus efficimur.

5. *Petrus Martyr*: Dicens, Ioan. 6. *Ego sum panis*, se non mutauit in panem: ergo dicens, *Hoc est Corpus meum*, non mutauit panem in Corpus suū. 6. Idem. Non potest panis totaliter desinere, quin annihiletur: ergo non cōuertitur in aliā transiens substantiā. Sic & Caluinus. 7. *Martyr, Calu. & icleff.* In Concilio Rom. Nicolaus II. *de Conf. dist. 2. c. Ego Bereng.* dicitur, Panis post Consecrationem est Sacramentum: Est verum naturale Corpus Christi: Et hoc sensualiter manibus tractatur; teritur dentibus: Idque non solum

ſit in ſymbolo, ſed etiam in Rei veritate. 8. Tranſubſtantiatio aperit feneſtram Marcionitis, Valentino, Eutych. Machom. &c. qui Corpus Chriſti phantaſticum eſſe fingebant: cùm Corpus Chriſti inuiſibiliter volitare per innumera loca doceatur; & ſenſus falluntur circa ſenſibilem ſubſtantiam, qui panem eſſe iudicant. &c.

AVTOR. Verè eſſe Tranſubſtantiationem S. Scriptura docet in meo *Antichriſto p. 3. q 21.* 2. Docet errorũ circa eam refutatio, in mea *Geneal. p. 3. q. 13.* 3. Docet Antiquitas, Conſenſus vniuerſalis, infra quæſt. ſequente. 4. Docet *Rationis Congruentia* duplex.

I. Quia congruum fuit, vt ſubſtantia panis abeſſet. Cur? 1. Quia, Cùm Corpus Chriſti maneat ſub accidentibus, non vt in vaſe, vel loco; ſed vti prius ſubſtantia panis; (niſi quod non informet, vti hæc) ideo mouetur ad motum accidentium, & his corruptis, eſſe ibi deſinit: Idcirco, ſi duæ manerent ſubſtantiæ, ambæ haberent ordinem ad accidentia, & ab his, vt ſignis, demonſtrarentur: Et ſic tum ordo primarius ad ea eſſet ſubſtãtiæ panis, ſecundarius Corporis Chriſti: tũ etiam Accidentia per ſe primò demonſtrarent ſubſtantiam panis, ſecundariò Corpus Chriſti: Quia ab illa, non ab hoc informantur. Aſt id abſurdum foret. 2. Ob venerationem. Nam ſi duæ eſſent ſubſtantiæ, Eccleſia foret in periculo Idololatriæ. 3. Quia ſimul manere cibum mentis & ventris non conuenit.

II. Quia congruum & neceſſarium fuit manere Accidentia panis: 1. Quia ſi abeſſent, nullum foret ſignum ſenſibile, proinde & Sacramentum nullum. 2. Quia ſic maius eſt meritum fidei. 3. Quia horror eſſet Carnem in ſpecie comedere. 4. Quia ſi totum in totum mutaretur, nilque maneret commune vtriq; termino, iſtud, *Hoc eſt Corpus meum*, verum eſſe non poſſet.

DICO AD I. Vide quæſtionem ſequentem.

AD II. Falſum eſt axioma Lutheranum iſtud: Deinde Andradius hypotheticè loquitur. *Etſi Tranſubſt. ex Scripturis, vt tu arbitraris, probari non poſſet, &c.* Non negat probari poſſe: vt mentitur Kemnitius. Scotus tria dicit, 1. Potuiſſet Deus feciſſe, vt Corpus Chriſti eſſet cum pane; ſed tunc minus fuiſſe miraculum. 2. Non extare locum Scripturæ, vnde quis cogatur admittere Tranſubſt. ſine Eccleſiæ declaratione. Et verum eſt. 3. Ob declarationem Eccleſiæ iam liquere, eſſe Tranſubſt. Errat autem in hoc: quod ante Conc. Lateran. non fuerit dogma fidei Tranſubſtantiatio.

AD III. Vt ſupra. *Hic calix*, demonſtrat rem contentam: ita & *Hoc* rem contentam; ſtantibus in vtroque accidentibus, ſed in mutatâ ſubſtantia. Dicitur tamen etiam poſt Conſecrationem *Panis*, Quia fuit; retinetque ſpeciẽ & effectus in cibando; Vel quia more hebræo omnis cibus dicitur panis: vt Manna.

AD IV. Subſtantia panis non pertinet ad rationem & ſignificationem Sacramenti; ſed Accidentia, vt ſigna: quib⁹ per accidens eſt habere ſubſtantiam, vel non; in hoc miraculo. Proinde Materia manet, quatenus eſt opus, ſc. in ſenſibilibus accidentibus, non in ſubſtantia. Manet & Analogia panis, q̃ eſt, non cor-

pora.

poraliter nutrire; sed significare nutritionem spiritalem per Corpus Christi. Sicut non opus erat, esse veram columbā, quæ Sp. Sancti realem præsentiam repræsentabat: analogiæ sat erat species externa.

AD V. *Ioann. 6.* loquitur de pane cœlesti, qui est *Vivus, Vita:* non de triticeo; ideo non opus erat mutatione; sed pro eodem supponit ista, *Ego, & Panis:* Atqui *Matth. 26* demonstrat diuersa per *Hoc*, sc. species & Contentum.

AD IV. Nihil annihilatur; substantia esse desinit; accidentia manent.

AD VII. Vera omnia: sed hæc in signo, illa in Contento fiunt.

AD VIII. Contrariæ conditiones sunt in Christi Corpore, & in phantastico. Hoc enim videtur oculis esse, quod in se non est; at illud non videtur sensibꝰ esse, quod est: ideo potius per id refutantur ij hæretici.

Neque Essentia accidētis est, (nisi naturaliter, iuxta Arist. At iuxta aliquos, nec naturaliter) inhærere subiecto actu, sed ordinari ad inhærentiam, ob existentiam eorum, à qua differt essentia. &c. Ordo autem accidentis ad substantiam est triplex: 1. *Essentialis*; quia est ens imperfectum; ideo eius esse est inesse; quatenus respicit substantiam. 2. *Potentialis*; quia appetit inesse: & hæc proprietas est posterior illius essentiâ. 3. *Actualis* inhærentia, seu existentia Vnde nulla est contradictio, suspendi accidentium naturam & proprietatem potentiâ diuinâ.

QVÆSTIO LIV.

An Transubstantiatio sit nouum commentum?

LVTHERVS *lib. de Capt. Babyl. c. 1.* affirmat inuentum esse S. Thomæ, & Thomistarum; approbatū ab Innocentio III. c. firmiter. in Concilio Lateranensi.

MARTYR, *lib. contra Gardin.* Innocentium III. id excogitasse ait anno 1215. Græcos ab ea voce semper abhorruisse. CALVINVS *Inst. l. 4. c. 17. §. 13.* Tempore S Bernardi nondum id orbi innotuisse. Kemnitius, *part. 2. Exam. Sess. 13. c. 4.* Tempore Lombardi nil certi de eo in Ecclesia constitisse ait, iam primum in Concilio Tridentino esse definitum.

AVTOR. I. Res Transubstantiationis ipsa inde à Christo manat, mansitque semper. I. Ætate, S. Iustinus *apologia 2.* ait cibum, quo pascimur, esse Carnem Christi. S. Irenæus l. 4 c. 14. *Constabit eum Panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse Corpus Domini.* II. Ætate Tertull. l. 4 in Marcionem. *Panem Corpus suum facit dicendo, Hoc est Corpus meum.* S. Cyprian *Panis discipulis datus, non effigie, sed naturâ mutatus omnipotentiâ Verbi factus est Caro.* III. Ætate, Cyr. Hierosol. Ambr. Greg. Nyss &c. IV. Ætate: Chrys. Aug. Cyr. Alex. Eus. &c. V. Ætate. S. Remigiꝰ, in 1 Cor. 10. VI. Ætate S. Greg. VII. Beda, Damasc. VIII. Theophyl. Strabus, Alcuinus, &c. IX. AEtate S. Fulbertus Carnot. Atque isti ante Berengarium floruerunt, docentque realiter Transubstantiationem.

X. AEtate contra Berengarium scripserunt idem Lanfrancus, Adelmānus, Hugo, Lingo, Guitmundus, Anselmus. XII. AEtate, Algerus, Petr. Cluniac Qui omnes ante Innocentium III. floruerunt.

II. Res Transubstantiationis definita sub anathemate fuit in Conciliis ante 500. annos. 1. In Concil. Romano sub Nicolao II. anno 1060. abiurante ibi

Berengario suam hæresin: teste Lanfranco, Guitmundo, Anselmo. 2. In Concil. Rom. II. sub Greg. VII. an. 1079. (teste Tho. VVald. *to. 2. de Sacram. c. 43.*) Berengario relapso resipiscente.

3. In Conc. Lateran. Generali & porro etiam *Vox Transubst.* est vsurpata sub Innoc. III. anno 1215. 4. In Conc. Ro. III. anno 1413. contra VVicleffum: Item in Constantiensi, anno 1414. Item in Conc. Florent. anno 1439. consentientibus in id Latinis & Græcis.

Vnde patent mendacia superius posita Sectariorum.

QVÆSTIO LV.

Vbiquitas *stabiliat, an euertat Sacramentum Eucharistiæ?*

LVTHERVS, vt *suprà quæst.* 52. vult, Corpus Domini per Vnionem ad Verbum, id assecutum esse, vt sit vbi & Verbum est, scilic. Vbique. Consentiunt ei plures Lutherani, eò, vt ne in Sacramentariorum incidant opinionem.

SVADENT istis; præter alia suprà *par. 1. quæst. 25. 26.* 3. Lutherus l. quod verba, *Hoc est Corpus meum* firmiter stant, Ex eo, quod Christus sedet ad Dextram Dei, sequitur euidenter, Corpus Christi in pane esse, etiamsi hæc, *Hoc est Corpus meum*, nec dicta à Christo, nec scripta fuissent. Quare cùm ex Vnione hypostatica Corpus Christi sit vbique, certè fuit etiam in pane: Symbola tamen sunt ad id instituta. 2. Opus verò est Eucharistiâ; quia licet Corpus Christi sit vbique, non tamen capi vbique posse, sed tantum in re à Christo instituta in qua vult quæri, non vbique. Nam est etiam in laqueo; non tamen debeo idcirco inferere collum. 3. Schmidelinus libro contra Sperlingium. *Corpus Domini non est in Eucharistia extra vsum; non intelligitur de præsentia; sed de distributione: quia non distribuitur extra vsum.*

AVTOR. Præsentia Corporis Christi in Eucharistia est vi Consecrationis; quam reiicientes Lutherani confugerunt ad Vbiquitatem chimericam: quæ refutatur istis. 1. Quia ea stante, Eucharistia non est Sacramentum. Nam Sacramenta pendent ex Institutione Christi, ritum & verba præcipientis: atqui Corporis Christi præsentia, iuxta istos, pendet ex eo, quod sedet ad dexteram Dei: ex Vnione hypostatica; & non ex vi Consecrationis seu Institutionis: Ergo Vbiquitas euertit Sacramentum. 2. Quia ex Vbiquitate sequitur, Christum non posse manducari ore corporali, sed tantum spiritali energicôs; idque solùm piis. Nam quod est vbiq;, moueri nequit aut transire aliò; vti Deus: ergo Cœna est superuacua, aut spiritalis manducatio Sacramentariorum est astruenda: quam execrantur Lutherani. 3. Non opus foret adire templa communicandi gratia. &c. quia vbique adest, etiam ante dicta verba Institutionis: ergo frustra Cœna est. 4. Docent omnes Lutherani, Corpus Christi adesse solum in Vsu; non ante, non post eum: At si vbique est; adest etiam ante & post vsum. 5. Quia fatentur Vbiquistæ se coactos inopiâ rationum, confugere ad Vbiquitatem: ita Brentius *libr. Recognit.* ne cogatur admittere Consecrationẽ. 6. Illyric. *lib. de mystica Cœna*, ait, oportet admittere Christi præsentiam in Ecclesia, vt sit Caput Ecclesiæ in terris Humanum; ne debeat admitti Papa.

DICO AD I. Ex hoc incidunt in symbolicam synaxin Sacramentarioris; quippe Symbola sola pendere aiunt ex institutione Christi, quatenus significant Corpus Christi.

AD II. Quod vbique est, vbiq; capi potest: Quia implicat, vt habeam panẽ, & non habeam in eo Corpus Christi vbique præsens. Neque, vt ait Brentius, Cœna habetur definitiuè ex instituto; extra

extra eam est personaliter: Nam ille modus astruit solam efficaciam Communionis cum Sacramentariis.

AD III. Etiam extra vsum Cœnæ distribuitur, cum sit vbique in omni re, quam distribui contingit.

VII DE EVCHARISTIÆ SACRAMENTO seu COMMVNIONE.

QVÆSTIO LVI.

Eucharistia an sit Res Permanens; an Actio transiens?

LVTHERO Martinus Bucerus, teste Cochlæo *l. 3. Miscel. tract. 8.* anno 1536. persuasit, In Eucharistia non esse Corpus Christi, nisi dum sumitur: ac proinde *Sumtionē* propriè esse Sacramentum: Rati, sic Lutheranos & Zwinglianos reconciliandos fore. At irrito euentu. LVTHERANI, Melanchthon, Brentius, Kemnitius. &c. Item CALVINIANI cum Caluino, *Inst. l 4 c. 18. §. 37 39.* Martyr *lib. contra Gardin.* &c. idem attipuerunt commentum; quòd ad Orthodoxam Eucharistię Adorationem illud valere destruendam cernerent.

CALVINVS tamen, Martyr, & Illyricus volunt, tunc solum esse Sacramentum, cum actu sumitur: Vt Baptismi aqua, dum affunditur: Non, dum ad egros defertur.

LVTHERANI verò, vt Kemnitius (quo S. Patrum eludat testimonia) volunt esse etiam, dum ad ægros defertur, immediatè à Cœna; Quidam quoque post triduum manere aiunt Sacramentum.

STVDENT istis. 1. Quia sic Institutio est facta. 2. Sicque est cum Baptismo. 3. Nec S. Patres sunt alieni. II. Caluinus. *Qui sic faciunt*, sc. asseruant Euch. *habent Veteris Ecclesiæ exemplum; Fateor. Verum in re tanta, in qua non sine magno periculo erratur; nihil tutius est, quam veritatem sequi.* III. Kemnitius ea vult S. Patrum testimonia admitti, quæ dicunt statim à Cœna missum Sacramentum ad ægros. IV. *Idem.* Alii Patres errarunt: 1. Sed quia ex simplicitate; ignoscipotest: 2. Alios cum his non consensisse ad asseruationem Euch. ideo Consuetudinem non fuisse Vniuersalem. 3. Et sicubi fuit, abrogatam esse. 4. Demum asseruatam esse ad manducationem, non ad superstitionem.

AVTOR. Eucharistia planè est Res permanens; non Actio transiens. Docent id verba Institutionis: *Hoc est enim Corpus meum.* I. Hoc dictum fuisse Verum necesse est; at ante manducationem dictum fuit. II. Fuit dictum, vt causa manducationis: q. d. ideo *manducate*; *Hoc est ENIM Corpus meum*: scilic. maximum Sacramentum; eoque sanctius motiuum. Præceptum est, *Manducate:* Simul *Hoc est enim Corpus meum* Exhibitio Rei est; Non Promissio, vt Caluinus finxit: Hæc enim futuri est, non præsentis boni.

III. Benedictio, rem communem faciens benedictam & sacram, est Actio per se perfecta; cuius Opus est Res rerum sacrarum sacratissima Corpus Christi: 1 Cor. 11. *Panis, quem frangimus, nonne Communicatio est. &c.* At istud est permanens, ad Communionem māducandam ordinatum, duratq; dum species perdurant: quibus corruptis, esse desinit.

IV. *Manducate*, præcepit; sed non addidit, continuò post Benedictionem *Manducate:* quod ergo Verba Institutionis non definiunt tempus manducādi; ecquâ Scripturâ Sacrâ docēte definiunt Sectarii, Manducandum esse simul ac benedictio facta est? Vnde docent; Benedictionem, & Manducationem vnā esse

Actio.

Actionem Cœnæ debere? Nos duas eſſe docemus, Benedictionem, Sacrificii; Manducationem, Sacramenti.

V. *Accipi, Benedici, Frangi*, ſunt Sacrificii, ſeu, ad Eſſe Sacramẽti faciũt. *Diſtribui, & Manducari*, ad *V*ſum Sacramenti ſpectant: Atqui Eſſentia rei, & *V*ſus eiuſdem nullam habent neceſſariam connexionem: ergo neque in hoc Sacramento. Proinde diuerſæ ſunt actiones Rei permanentis tam extra *V*ſum, quam in *V*ſu præſentis. Iam vt eſſentiæ illius eſt accidentarius; *V*ſus manducationis ita & Reſeruationis, Supplicationis. &c. eſt; vt ſine quo ſit Res nihilominus permanens ac per ſe ſubſiſtens. Hactenus ex Inſtitutione probatio ducta eſt.

V I. Iam Baptiſmi & Euchariſtiæ diſparitas docet eandem Permanentiam. Quia in Baptiſmo non eſt Res permanens; ſed Actio, quæ fit & dicatur Sacramentum: at in Euchariſt. non eſt Actio, ſed Res permanens, quæ ſit Sacramentum. *De Baptiſmo*: quia non Aqua eſt Sacramentum ſola; Non Forma ſuper Aquam dicta; ſed Actio per hæc circa baptizandum. Liquet. *De Euchariſtia* verò: 1. Quia, *Modus loquendi* omnium is fuit, vt nemo Fractionem, aut Benedictionẽ, aut Diſtributionem, aut Manducationem, vocarit Euchariſtiam; ſed rem permanentem; *V*t Iuſtinus, Panem ſanctificatum, Cibum. &c. Quem dicunt Patres offerri, Confici, Portari. &c. quæ conueniunt Rei permanenti, non Actioni: Quem conferunt etiam cum *V*erbo Incarnato. &c. 2. *Actio* nulla eſt, cui tota ratio Sacramenti conueniat: Nam *Manducatio* eſt ſuſcipientium; at horum actio non conſtituit Sacramentum. *Benedictio* ſeu *Conſecratio* eſt Miniſtri, qui facit eſſe Sacramentum; ſed non eſt ipſa illud. *Fractio & Diſtributio* non ſunt ſigna gratiæ inuiſibilis; ergo nec Sacramẽta. At *Pani Conſecrato*, vt rei permanenti, patet conuenire definitionem Sacramenti: ergo & eſt Sacramentũ VII. Docent idem S. Patres apud *Bell. l. 4. c. 4.*

DICO AD I. Iam liquet ex dictis.

AD II. Id agat ipſe, quod rectè iudicat agendum: at contra it.

AD III. At iſtud ſolus dicit S. Iuſtinus: reliqui Aſſeruationem quoq; iubẽt, aut docent. 2. Chriſtus nec detulit ad abſentes Euchariſtiam, nec iuſſit: vnde iubet Kemnitius? &c.

AD IV. 1. S. Cyprianus corrigit rudes Sacerdotes, ex ſimplicitate errantes contra V ſum communem. 2. Mentitur alios Communi Conſuetudini nõ conſenſiſſe. 3. Abrogatam fuiſſe commentitur: Itemque & 4. Aſſeruatam Euchariſtiam ad mãducationem ſolam. *Bell. c. 15.*

QVÆSTIO LVII.

Ecquæ debita ſit Euchariſtiæ Materia Panis?

LVTHERANVS Illyricus *Cent. 11 cap 8.* Schiſm. Græcorum in hoc & Latinorum ita deſcribit, vt ſtoriam det Græcis. Hinc Lutherani & Zwinglian fermentatum putant aptiorem azymo.

CALVINVS *Inſt l. 4 c. 17. § 43.* tia 1. Sit deque eſſe vtro vtaris. 2. Fermentati vſum duraſſe à Chriſto ad annum 125. 3. Alexandrum Papam inſtituiſſe azymum. Sic & Kemnitius *par. 2. ad Seſſ 22 c. 7* Caluiniſtæ hinc fermentato vtuntur omnes: Vt & Græci Schiſmatici.

SVADENTIſtis. 1. Matth. 26. *Non in die feſto, &c.* ſc. Paſchæ. *Marc. 15.* Ioſeph ſyndonem

nem mercatus est; Mulieres, *Luc.23.* pararũt aromata: Iudæi criminalem causam egerunt: quæ in festo vetita: Ioann 13. *Ante diem Paschæ.* Ioann.18. *Non introierunt prætorium, vt manducarent Pascha.* Ioann.19. *Erat autem parasceue Paschæ.* Ergo die profano Cœna peracta est in fermentato.

2. Patres ita docent ex *Deut. 16.* Agnum immolandum ad Vesperam luna XV. ergo Dominus XIV. cænauit in fermento.

3. CALVINVS. Primitiua Ecclesia vsque ad Alexandrum vsa est fermentato in Cœna.

4. *Græci.* Dominus accepit Panem: at azymus non est panis: Et azyma, Iudæorum est; proinde in hac Cœnare est Iudaizare.

5. Pentecoste celebratur die quinquagesimo ab secunda azymorum: at eo anno venit Pentecoste in Dominica; ergo & secunda azymorum: ergo prima fuit feria VI. proinde Dominus cænauit in fermento feria V.

AVTOR. Panis Azymus est Eucharisticus; vt in quo Dominus cænauit Luna XIV. ad vesperam, feriæ V. cum qua incepit Lunæ XV. feria sc. VI. solennis Paschæ. 1. Sic testis *S.* Scriptura in meo *Antichristo p.3.q.23.* 2. Omnes ferè S Patres dicunt Christum celebrasse Pascha die XIV. vesperi, captumque noctu: testibus Euangelistis, Ioann 13. *Ante diem festum* sc. Luna XIV. *sciens Iesus.* &c. pridie Passionis. Ioann.18 *Nobis non licet interficere,* sc. ob festum diei XV. feriæ VI. Ita Patres Chrys. Cyr. Aug. &c. 3. S. Patres dicunt occisum Christum ipso die solenni Paschæ Luna XV: at hæc cœpit pridie vesperi, sicque Gen. 1. *Factum est vespere & mane dies primus.* 4. Asiani egerunt Pascha cum Iudæis (teste *Cõcilio Nicæno*) Luna XIV. ad vesperam: vti & iudaizantes Quartodecimani. 5. Orthodoxi ideo, si Luna XIV. veniebat in Dominica, differebant Pascha in sequentem Dominicam; vti & hodie; ne iudaizemus.

DICO AD I. Fuit ea quorundam sententia: at altera vicit, vt *in festo* crucifigeretur. Opera autem pietatis non prohibita erant in festo; sed seruilia, & in Sabbato maior quies erat præcepta, quàm in festo. Luna XIV. autem erat *Ante diem festum* artificialem, sc. feriæ VI. Et hac XV. immolatos boues & oues manducabant Sacerdotes; qui Paschales sunt, *Deut. 6.* Agebantque eadem parasceuen in paschâ, sed non ante pascham: nam ad Sabbathum ea agebatur: Ioann 19. *Propter parasceuen, ne remanerent in cruce* Sabbatho.

AD II. Quidam Patres, *ad vesperã,* sc. mundi, intelligunt. Quidam Lunæ XV. vesperam; quâ & agnus typicus, & Christus est immolatus; qui pridie, initio Lunæ XV. finitâ XIV. cænarat.

AD III. Dicit: at nullo docebit autore; nam fingit. Leo IX. acerrimus Lunæ XV. defensor vsum Ecclesiæ inde à S. Petro repetit; non ab Alexand. I. cœpit, qui sedit anno 121.

AD IV. Rebus iisdem vti cum Iudæis, non est iudaizare; sed eodem vti ritu & fine.

AD V. Pentecostes dies numerandi sunt à primo die profano azymorum: proin, si secundus azymorum incideret in Sabbatum, tunc à tertio numerabatur: Et sic accidit anno Christi passi.

QVÆSTIO LVIII.

An Materia Vini *sit miscenda Aquâ ad S. Synaxin agendam?*

LVTHERANI & Caluinistæ, ceu Armeni, mero meracissimo vtuntur in Cœna,

absque aqua. Lutherus *l. contra Regem Anglia*, anno 1512 fatuos vocat aquam vino miscentes: *cum sit merum figmentum humanum, & pessimam habeat significationem*. Kemnitius *part. 2. in Sess. 22. Can. 7.* ait esse indifferens; cùm incertum sit, an Dominus vinum aquâ miscuerit: proinde miscere nil necesse esse; nec præcipi ab Ecclesia posse.

CALVINSTÆ aiunt, vt Richerus, esse hæreticos, sacrilegos, falsarios, qui miscent aquam, & sua commenta Euangelicæ puritati.

SVADENTIstis. 1 *Lutherus & Kemnitius*. Quia pessima est significatio, Isa. 1. *Vinum tuum mistum est aquâ*, id est, ait Hieron. *Verbi sinceritas corrupta est*. 2. Quia, quòd ex latere Christi fluxit Sanguis & Aqua; *ea ratio non probat miscendam aquam in calice*: quippe significat Baptismum & Eucharistiam, ait S. Aug. tract. 120. in Ioann. Vide *Geneal p. 3. q. 14.*

AVTOR. Miscere vinum aquâ in Sacramento Calicis, probabilius non est de necessitate Sacramenti: etsi improbabiliter pauci Esse aiant: Attamen, non miscere, grande peccatum est. 1. Quia Dominus vinum aqua mistum consecrauit: (quod probabile Kemnitio pro more nationis. Malè) Nam sec⁹ fert Traditio. Scriptura enim solius Calicis meminit, non vini, non aquæ. &c. Nisi ibi: *Non bibam de hoc genimine Vitis*. &c. quod dixit Dominus ad esum agni; non ad Eucharistiam; secundum potiorem Patrum sententiam. Traditio autem constat ex Liturgia S. Iacobi in Conc. Trullano: non ex Clementis Const. l. 8 cap. 17. ex Irenæo, Cypr Basil. &c. qui ex omni natione, misturam non tribuunt mori nationis, vt Kemnitius.

2. Quia, Ioann. 19. Ex latere Christi exiuit *sanguis & aqua*. Chrysost. hom. 24. in 1. Corinth. *Quid est in Calice? Quod ex Latere fluxit*. August. Ambros. &c. 3, Quia Eucharistia significat Vnionem Christi cum Ecclesia, vt vinū cum aqua. Sic Cypr. Euseb. Isid. &c. 4. Quia Eucharistiæ typus fuit, non solum, *Genes. 14*, Panis & Vinum Melchisedech: sed etiam aqua Petræ, *1. Corinth. 10.* Ita Ambrosius, Euseb. 5. Quia significatur sic duarum in Christo naturarum Vnio. Sic *Nuceph. l 18. c. 15.*

DICO AD I. In S. Scriptura res eædem sæpe contraria significant: vt Gen. 49. *Catulus leonis Iuda*. Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Iuda*. Contrà. Psa 90. *Conculcabis leonem*. Ira hîc.

AD II. Ista significant rectè: & etiam Significatur per mixturam calicis eadem profluxio Sanguinis & Aquæ. Quæ obstrepunt alia, liquent ex dictis.

QVÆSTIO LIX.

Qua FORMA conficitur Eucharistia?

LVTHERO-CALVINISTÆ in hoc consentiunt, vt Ecclesiæ Catholicæ sententiam non integrè admittant. Cætera, dissentiunt.

LVTHERANVS Martin. Bucerus *in Matth. 26.* verba Institutionis recitari necessarium negat: Quia Sacta Scriptura non id doceat vel iubeat: Habentque sectatores, teste Kemnitio *part. 2. Examin. ad Sess. 22. Can. 1.* Kemnitium ibid ista: 1. Tota Institutionis descriptio pertinet ad formam: proinde Papistæ eam mutilant. 2. Sola Christi verba sunt recitanda: At Papistæ multa permiscent; 3. Consecratio fit à Deo per os ministri: At Papistæ volunt eam opus esse hominis consecrati. 4. Verba ea non debent recitari sola historicè, vt Caluinistæ volunt; nec magicè, vt Papistæ: sed quasi quæ, operante Deo, sint efficacia ad faciendum, quod sonant: sic, vt verba ea sint instrumenta Dei, non ministri: Et sic efficacia sint, vt eodem

annum-

nuncient, certosque reddant, distribui in Cœna verum Corpus & Sanguinem Christi. Ita & Bucerus.

CALVINVS *Inst. l. 4 c. 17. §. 19.* Verba recitari vult per modum concionis seu lectionis, ad instruendam fidem; non ad consecrandum elementum. LVTHERVS *l. de Capt. Bab. & de Bapt.* parum referre ait, quibus verbis Sacramentum conficiatur; modò adsit fides accipientis illud: Eò, quòd Sacramenta cõsistant in promissionẽ; quæ non accipitur, nisi fide. Caluinus itaque iubet prælegi cœnantibus, ex *1. Cor. 11.* Institutionem.

SVADENT istis. 1. Caluinus. Dominus dicens, *Accipite.* &c alloquebatur Apostolos, non panem: ergo referuntur non ad hunc consecrandum, sed ad instruendos illos. 2. Nusquam scriptum, recitari oportere. 3. Papistæ multa addunt, & detrahunt istud: *quod pro vobis tradetur. &c.*

AVTOR. Eucharistica Forma hæc est ipsissima: *Hoc est enim Corpus meum. Hic est enim Calix Sanguinis mei.* I. *Contra Lutheranos* quatuor sunt certa. 1. Dominus pronunciauit hæc: testibus *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Paulo 1. Corinth. 11.* 2. Dominus iis Consecrauit: testibus cunctis S. Patribus & Theologis: *Item:* Si alio modo consecrari voluisset; alio modo docuisset: At nõ Prædicauit nil recitari iussit; nisi *Hoc.* Vnde, Sacerdos in persona Christi consecrat: ideo non dicit, *Hoc est Corpus* Christi; sed *Meum:* Quæ repetitio verborũ Christi, est Consecratio per verba Christi, non per solam Voluntatem Christi, vt Lutherani volunt. Nam solâ voluntate cõsecrare, non est Ritu Sacramentali, sc. visibili aut sensibili: talem autem instituit Ritum pro Sacramentis. Quod sine Talli facit per solam inuisibilem Voluntatẽ, id miraculum est. Sicut Magdalenam absoluit. 3. Dominus præcepit hunc Ritum: *Hoc facite*, in Re, & in Verbis: Sicut & quoad Baptismum, Pœnitentiam &c. Nusquam enim dixit: Dicite, *Ego te Baptizo*; aut *Absoluo* &c. Id quod Bucerus postulat expressum. 4. Dominus vi horum verborum Consecrantium transubstantiauit. Quia nisi Corpus & Sanguis Domini verè *Hoc* fuisset, Verba falsa fuisse oportuit. Vnde Apostolicus ritus est ex Traditione, post Consecrationem continuò Demonstrare Rem adorandam, scil. Iesum Christum. Hinc Græci ea verba clarè proclamant, & populus respondet, *Amen*, ac adorat.

II. TRADITIO id docet, ea Verba dici ad Panem & Vinum Benedicendum; non ad Instruendum populum: vt *Lutherani & Caluiniani* volunt. Patet ex Liturgiis Clementis, Iacobi, Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, ex Romana, quæ Sancti Petri esse censetur. Vnde Caluini ritus recitatorius, est omninò nouus, antè inauditus. *Item:* Sancti Patres dicunt Corpus Domini fieri Mystica prece, solenni benedictione, gratiarum actione: ceu ante & post hæc Verba suetum in Missa.

GRÆCORVM Refutationem vide in mea *Geneal. p. 3 q. 15.* Ex his ad Suasiones contrarias liquet responsio.

DICO AD I tamen. Quod in Basilii Liturgia post, *Accipite. &c.* dicitur *Fac Domine panem istum Corpus Christi: &c.* oratio est, vt in nobis fiat cibus ad vitam, non ad iudicium. Similia vidè apud *Bellarmin. libr. 4. cap. 14.* de Additione, Detractione, Transpositione, &c. Logi; nugæ nugarum.

QVÆSTIO LX.

Minister *Eucharistiæ quis?*

LVTHERVS *l. de Capt. Baby. c. de Ord.* vult omnem baptizatum habere officium Consecrandi Eucharistiam; neminem tamen id vsurpare debere, nisi legitimè vocatum. Putat enim Ordinationem solum necessariam ob disciplinam Ecclesiæ & Ordinem; *libr. de abrog. Missa.* LVTHERANI, vt Kemn. &c. timidè assentiuntur ei; ob euidentiam probationum Catholicarũ, & ob duo Principia Lutherana, alioquin deserenda. Primum: Sacramenta non operari, nisi excitando fidem; proinde non pendere à qualitate ministri. Secundum: In ordinatione non imprimi Characterem, datique solum officium, non potestatem nouam; proinde qui hodie Minister est, cras nullus erit.

CALVINVS *Inst. l. 4. c. 1. §. 22. & c. 3. §. 10. &c.* præfractè negat ratum esse Baptismũ, aut Cœnam, si ab alio, quàm publico ministro, detur. Ita & Bullingerus, Zwinglius; licet hic antè secutus sit Lutherum. Lutherus autem Wiclefum superauit, timentem definire, an laico fas ministrare Sacramentum?

AVTOR. Necesse est ab ordinato Sacerdote confici Eucharistiam, vi huius, *Hoc facite:* sc. omnes Christiani *manducate & bibite:* soli Sacerdotes verò Consecrate, Sumite, Distribuite. *Vide Antichristum p. 3; q. 25.* Ita docet Traditio firmata per Concilia Generalia quatuor Nicænum, Lateranense, Florentinum, Tridentinum. Per & S. Patres, S. Dionys. Eccl. Hierarch. p. 2 c. 5. *Nec ipse Sacerdos erit, nisi Pontificalibus officiis ad hoc fuerit promotus.* Qui secus faxit, eum vocat S. Ignatius epist. ad Trallianos, infideli deteriorem. S. Clemens Const. l. 1. cap. 31. *Omnis laicus sine Sacerdote aliquid tentans, frustra facit.* Idem *l. 8. c. vlt.* Quia solis dictum Apostolis, *Hoc facite,* sicque ad alios eadem manauit potestas. *Vnde* Tertull. *libr. de præscript.* ridet Marcionistas, quòd, quos hodie Clericos, cras habeant Laicos: & hos Sacerdotalia ministrare. S. Cypr. *l. 1. epist. 2. &c.* negat esse apud hæreticos Eucharistiam veram, cùm non sit verum Sacerdotium. &c. *Bell. lib. 4. c. 16.* Proinde in nullo casu necessitatis licuit vnquam vlli consecrare, nisi Sacerdoti.

QVÆSTIO LXI.

Qualis Eucharistiæ sumtæ sit Effectus, & sumendæ Præparatio necessaria?

LVTHERVS passim tria asserit: 1. Effectum Eucharistiæ esse Remissionem peccatorum mortalium. 2. Non opus vacare culpis mortalibus; sed eum esse aptiorem, qui plurium sibi conscius facinorum est. 3. Non opus Confessione ac Pœnitentia; sed fidem sufficere, quâ credat in Eucharistia sibi omnia esse remittenda. 1. 18. in Concione de præparat. ait: *Optima dispositio est, quâ pessimè es dispositus: tunc pessimè es dispositus, quando optimè es dispositus. Quia Christus non venit vocare iustos, sed peccatores:* qui papisticis præparationibus se polluunt &c.

KEMNITIVS *p. 2 Exam. Sess. 13. c. 2. 7.* propugnat primum Lutheri: secundum & tertium oppugnat: præquerequirit pœnitentiam & propositum abstinendi peccatis; vultque examinari communicaturos. Sic & Confessio Augustana.

CALVINVS *Instit. l. 4. c. 17. §. 40.* pugnantia asserit. 1. *Cibus hic spiritalis si in animam inciderit malitiâ nequitiâque pollutam; maior illam ruina præcipitat:* Proinde §. 41. fidem & charitatem requirit. 2. Contra §. 41. reprehendit nos, qui statum gratiæ prærequiramus: §. 42. Vult Cœnam remittere mortalia, quæ nisi adsint, frustra sumi. *Meminerimus,* ait, *has S. epulas ægrotis esse pharmacum, peccatoribus solatium, pauperibus largitionem: quæ sanis, iustis, diuitibus (si qui reperiri possent) nullum afferrent operæ pretium. &c. Cùm in vitam detur; intelligimus nos sine ipso in nobis plane mortuos esse.*

SVADENT istis. 1. LVTHERANI. 1. *Lutherus.* Quia non veni vocare iustos, sed peccatores. 2. *Caluinus:* Si peccatis immunes accedere soli debeant; omnes accebun-

cebuntur. 3. Kemnitius. *Hic est Sanguis noui Testamenti*, quod includit in se pactum remissionis peccatorum. Vnde; *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* 4. *Kemnitius.* in Liturgiis sunt preces pro remissione peccatorum. Sique venialia deleat; cur non posset & mortalia?

AVTOR. Eucharistiæ est principaliter, nutrire animas & præseruare à peccatis; non, peccata delere. Præparatio ad eam est Pœnitentia iusta. 1. S Scriptura teste in meo *Antichristo. p. 3. q. 25.* 2. Traditione, Patrũque Consensu teste. Vnde in Liturgiis Diaconus proclamans, *Sancta Sanctis*, infideles & Catechumenos exire, & inexpiatos non adire Synaxin iubebat: teste Chrys hom. 61. ad Antioch. Iustino in Apologia. 2. Cypriano, Ambrosio, &c.

3. RATIO suadet. 1. Euch. est Sacramentum à cæteris diuersum; ergo & proprium habet effectum nutriendi. Nam & *Lutheranis* Baptismi est abluere originale: Absolutionis, remittere actualia: *Calu.* verò est Baptismi p fidē remittere peccata per omnē vitā facta reliquā: Ecquid igitur Cœna opus ad remissionē? 2. Quia mos peruetus est post Baptismum continuò dare Eucharistiam, teste Cyrillo Ierosol. in Mystagog. 3. Cùm sola fides iustificet apud Luthero Caluinistas; quid Synaxi opus?

DICO AD I. Quos primum vocat Christ⁹, iustificat: at de in seipso cibat.

AD II. Ne arceantur, data potestas est remittendi prius peccata; quæ remitti absolutione certum est: at qui se sat digne disposuerit, certus est nemo.

AD III. Testamentum trifariam capitur; 1. Pro Voluntate testatoris. 2. Pro hæreditate cernenda. 3. Pro instrumento literarum, quod est & signũ Voluntatis, & causa adeundæ hæreditatis. Ita Eucharistia repræsentat mortem Christi passi, & applicat nobis meritum factæ remissionis, quam repræsentat in Commemoratione passionis.

AD IV. Prodest Eucharistia ad remittenda mortalia peccata nobis ignorata; Et ad persoluendam pœnam confessorum peccatorum. Et ad venialia dimittenda. Proin peccata mortalia potest delere Eucharistia; sed non est ad hoc primariò instituta.

QVÆSTIO LXII.

An Vtraque Species sit necessaria sic, quò totus in ea sit Christus?

LVTHERVS, Declaratione sermonis de Cœna. *Non dixi, nec consuevi, nec est intentio mea; vt Vnus, aut aliqui Episcopi propriâ autoritate incipiant alicui Vtrãque Speciem porrigere: Nisi ita præciperetur in Concilio Generali.* 2. In Assert. art. 16. *Consultum mihi videtur nunc Vt non modò per Concilium, sed quilibet Episcopus, etiam inuito Papa, Christum secutus in Euangelio, rursus Vtramque laicis daret.* 3. In formula Missæ: *Si quod Concilium statuerat Vtramque, non nequaquam Vni vtrâque vellemus: sed in despectum Concilii ac statuti, aut Vna, aut neutra. & minimè Vtraque vti vellemus, ma editurí vniuersos, qui ex potestate Concilii Vtraque vterentur.* Cochlæus in Septicipite c. 23. notat 36. Lutheri hac in re contradictiones.

II LVTHERVS *in eadem declar.* ait, 1. Non necesse dari laicis vtramque. 2. *Lib. Capt. Bab. cap. 1.* Sacerdotes iure diuino teneri, vt dent vtramque: Laicis tamen liberum esse, vt petant vnam vtramque, aut neutram. 3. In *Assert. art. 16.* Qui vtramque nequeunt impetrare, si omittant desiderare, impios esse. LVTHERANI vigent necessitatem Vtriusque.

SVASIONES vide infrà quæst 65.

III. LVTHERVS, An TOTVS CHRISTVS sit sub Vtraque, variat. 1. *Assert. artic 16.* ait, Totum esse in qualibet. 2. In Inform adamicum, idet Concomitantiam. 3. Lib ad Waldenses, frustra se torquere aliquos air, & dissimulat quæstionem. 1. LVTHERANI, vt Hesshusius negat Concomitantiam: Hamelmannus ait esse diabolicum inuentum: Illyricus item &c. 2. Alii, vt Brentius, in Confess. Wittenb. Kemnitius. &c. Totum esse aiunt in qualibet specie:

neque dicere coguntur ob Vbiquitatem suam. 3 Alii, vt Lutherus passim, MELANCHTHON art. 10. Confess. Aug. hanc quæstionem dissimulant.

4. CALVINVS cum suis Concomitantiam & ridet, & impugnat. *Inst. l. 4. c. 17. §. 18. 31. 47.*

SVADENT istis. 1. CALVINVS. *Quòd obtendunt Concomitantiam nimis friuolum est; cùm symbola, quibus includuntur, ita distincta sint. 2. §. 31. Si sua illa Cõcomitantia negetur, quid facient? Quis sanus & sobrius Christi Corpus* Christum *esse sibi persuadeat? 3. §. 74. Dominus panem ostendens Corpus suum esse dicit: Calicem dum ostendit, Sanguinem vocat. Humanæ rationis audacia contra reclamat, Panem esse Sanguinem, Vinum esse Corpus. Ac si Dominus nullâ causâ Corpus suum à Sanguine & verbis & signis distinxisset. Et vnquam fando auditum esset, Corpus Christi aut Sanguinem Deum & Hominem appellari? Sanè si designare se Totum voluisset, dicere poterat, Ego sum; non autem, Hoc est Corpus meum.*

AVTOR. Christus totus est in qualibet speciè. 1. Sic tria Cõcilia Generalia, Constantiense, Florentinum, Tridentinum, ex euidentia S. Scripturæ quam vide in meo *Antichristo p. 3. q. 26* 2. Sic vniuersalis Patrum Consensus: *B. Andreas* ait: Agnum immaculatum quotidie immolari, & à populo mãducari. Origenes: Illi dicimus, DOMINE *non sum dignus*. Hilarius ait: Manducatione fit, vt Filius Dei in nobis sit. *Cyr. Ieros.* ait, Nos esse Christophoros: summum Regem sumi; caue ne in terram excidat. &c. Quare qui Concomitantiam negant, se cadauer sumere asserant necesse est. 3. Miracula crebra Veritatem Totalitatis attestantur.

DICO AD I. Symbola sunt distincta, non ideo tamen & Res: nisi quòd Res diuersæ significantur.

AD II. Negentur & S. Scripturæ, & Patrum consensus, &c.

AD III. Mendacia fundit, nos dicere, *Panem & Sanguinem, &c.* Corpus Christi esse Deum. Denique dixit, *Hoc est Corpus meum*; non *Ego sum*; quia id expressit, quod signo repræsentabatur.

QVÆSTIO LXIII.

An tota Ratio Sacramenti sit in vna specie?

LVTHERANI sic ratiocinantur: Si panis & vina sint duo Sacramenta; toto fraudant Sacramento, qui calicem negant. Si vnum sint; ergo dimidiatum dant laicis, qui in conuiuio spirituali potum negant.

SVASIONES vide infrà *quæst. 66.*

AVTOR. Eucharistia trifariam consideratur. I. Vt pignus diuini amoris: Sic in Vna specie conseruatur: quia totum Christum exhibet. II. Vt Sacrificium: Sic Vtraque necessaria est: quia id significat Christi passionem, vt cruenti Sacrificii imitatio, quæ sine effuso Sãguinis signo non repræsentatur. 2. Deinde in Sacrificio esse debet re ipsa, quod fuit in typo Melchisedechano. Ideo Vsus Ecclesiæ nunquam passus est Sacrificari in altera sola: *D. Th. 3 q. 83. art. 6.*

III. Vt Sacramentum; Sic in alterutra perfectè est tota ratio Sacramenti, Ita *Concil. Trident. Sess. 21. Can. 3.* RATIO. Quia in vtralibet est *Significatio & Causalitas* gratiæ, quæ omni inesse Sacramento debent.

I. *Significatio vtriuslibet est Refectio spiritalis*, at hanc proinde vinum solum, vti & panis sol⁹ significat: potestq; alterutra species dici pars, (sed Materialis) Sacramenti, sc. Christi totius. Itaque in Scripturis Esurire & Sitire justitiam, *Matth. 5. Eccl. 24.* Manducare & bibere, vt *Ioan. 6.* pro eodem ponuntur: teste *S. Cypr. Serm. de*

de Cœna: Aug. in Ps. 103. 2. *Significatio vtriuslibet est Vnio fidelium*: Sicut vnus panis, & Vinum è multis granis constat: Ita Ecclesia. 2. *Cor.* 3.

II CAVSALITAS par Vtriq; inest: quia idem Christus totus Vtrobique: *V*nde & quæq; species habet propria, Materiam, Formam, Actionem; vt neutra pẽ deat ab altera, quin sit Sacramẽtum perfectum formaliter; non partiale, nisi specie tenus materialiter. Ita *V*niuersalis orbis Christiani ætatum omnium Cõsensus. Prætulerunt ita typi, quorum hi istã, vt Manna, Agnus, Panes propositionis: isti alteram speciem præsignarunt: *V*t aqua petræ. Nec duæ species Sacramenti duo sunt Sacramenta; sed vnum; dum in actione vna sumuntur ab Sacerdote: Nisi sic diuideret eam actione, vt hanc ante, istam post prãdium sumeret: quod nefas. Hinc patet solutio dilemmatis superioris Lutherani.

QVÆSTIO LXIV.

Par, an maior Vtilitas ex Vna, vel Vtraq; capiatur sumta specie?

LVTHERANI iuxta & CALVINIANI contendunt, ex Vna minorem percipi.

SVADENT istis. 1. Caluinus *Inst. l. 4 c.* 17. §. 47. Fraudatur populus magnã fide. Significatione: adeo clarius duæ, quàm vna species significat Christum totum. 2 *Georgius Cassander*. S. Patres tribuunt peculiarem effectum Sanguini Dominico. S Ambr. l. 5. de Sacram. c. 3. *Quotiescunq; bibes, remissionem accipis peccatorum et inebriaris Spiritu.* S. Cyr. l. epist. 2. *Quomodo docemus, aut prouocamus eos Sanguinem suum fundere; si ejus militaturis Christi Sanguinem denegamus?* 3. Ruardus Catholicus declarandæ Veritatis causa sibi obiicit: Altera species accedens, Si auget gratiam: ergo vtilis est: Si non auget; ergo verum Sacramentum non confert gratiam, estque frustraneum.

AVTOR. I. Quem aduersarii fructum quærunt in Sacramentis, is tam in Vna, quàm in vtraque datur; scilic. *Fidei excitatio & confirmatio*. Quòd velint Sacramenta non aliter prodesse, quàm significatione, promissionem Dei repræsentante. Id q̃ magis videndo, quàm manducando, obtinetur: cùm manducando symbolum absumatur, videndo manens repręsentet: Et *V*isus quàm gustus, sit spiritalior, adque intelligentiam aptior.

II. Quem Orthodoxi fructum quærimus, perinde capitur ex vna; sc. *Gratiæ collatio* ad salutem. Ioan 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

III. Tametsi, (facita esse) plus gratiæ ex *V*traque accederet sumenti; non tamen necesse foret, nec expediret *V*trã que dare omnibus. 1. Quia præstat altero bono non necessario carere, quàm Sacramentum periculo irreuerentiæ exponere. Hinc desiit Ecclesia pueris Eucharistiam porrigere: Hinc Matrimonium & Ordo non omnibus expediunt. Et præstat crebrò sub vna securè communicare; quàm rarè & periculosè sub vtraq;. Præsertim cum nihil ex duabus percipiatur, quod non capiatur ex Vna. Nec enim *S*ignificatio, sed Caussalitas rem efficit meliorem: vt suprà.

DICO AD I. Absurdum est dicere Fructum *S*acramentorum consistere in confirmanda fide, vt apprehensâ significatione moueatur animus. Nam sic rudiores parum, infantes nil vsi-

tatis

tatis perciperent plus ingeniosiores, nō autem meliores sed hebetes.

AD II. Etsi Deo Patri, & Filio, sua cuique peculiaria tribuantur; non tamē idcirco de Sp. Sancto negantur: Ita & in speciebus est: Vnde iidem S. Patres alubi eosdem effectus Sanguinis tribuūt Corpori: Ambr. libr. 4. de Sacram. c. 5. *Qui manducavit hoc Corpus, fiet ei remissio peccatorum.* Cypr ibid. ait, Martyres muniri protectione Corporis Domini debere. Ita Col. 1. *Pacificans per Sanguinem Crucis.* Infrà: *Reconciliavit in Corpore Carnis.* Ad: de quod effectum eum tribuunt nō speciebus, sed Contento.

AD III. Similiter posset quis argumentari de particulis S. Hostiæ: At malè. Nam non species, sed Contentum confert gratiam: hoc autem vtrobique idem est. Et cùm vtraque sumitur, est actio vna sumptionis perinde, vt cùm vna percipitur: sicuti & est Res vna vel sub mille particulis data.

QVÆSTIO LXV.

An Communio sub Vtraque sit Præcepta à Christo?

LVTHERVS, vt *suprà q. 62.* Sæpius dicit, Permissionem esse divinam, non præceptum: LVTHERANI tamen, vt Kemnitius, &c. esse præceptum contendunt.

CALVINVS Inst. l. 4 c. 17. §. 17. ait, *Edictum æterni Regis est, vt omnes bibant.*

SVADENTIBVS. 1. *Melancht. in Apolog. Confess. Aug. & Kemn.* In voce, *Fractio panis*, per figuram Intellectionis significatur & altera species: Vti & *Ioann. 6.* dum quater fit mentio panis solius. 2. *Kemnitius.* In Emaus sub Vtraque communicatum est, teste Augustin. *Verè in fractione panis Christum agnovit, qui non sibi indicium manducat & bibit.* Neque ibi dixit; *Hoc facite*, licet vnam porrexisset solam. Plura quæstione sequenti.

AVTOR. *Vtraque non est in præcepto divino.*

I. Quia typi plerique sunt de *Vna*: vt Lignum vitæ, *Genes. 2. 3.* Agnus Paschalis, *Exod. 12.* Manna, *Exod. 16.* Panis propositionis, *1. Reg. 21. Exod 25.* Caro Sacrificiorum. *Esto*; sint aliæ figuræ de potu: Non nos contendimus pro necessitate Vnius, vt pro duarum Sectarii. *Deus*, Melchisedechum obtulisse Deo panem & vinum constat: dedisse verò Abrahæ, non constat. *Adhæc*, aqua è petra data est sine cibo; non ideo Calix dandus est sine pane.

II. Doctrina, & exemplum Christi, & Vsus Apostolorum, docent Vnam tradi. Vide in *Antichristo part. tertia quæst 26.*

III. Vetus & primitiva Ecclesia Vitam sub Vna Communionem testatur trifariam. 1. Quia eam nunquam reprehēdit, tum in Orthodoxis: tum vel in Manichæis: qui, teste S. Leone *Serm. 4. de Quadrag.* sub vna communicabant, quòd vinum ducerent fel esse Draconis, & quòd negarent veram Christi passionem & mortem, & Sanguinis effusionem: vnde & signum in vino reiiciebant. Nec Epiph. nec Augustinus, qui eos exagitarunt, hoc in eis carpserunt.

2. Quia moris erat Eucharistiam deferre secum domum, & sumere cùm libuisset. 3. Quia Manichæi, vt hæresim tegerent, sub vna cum Orthodoxis communicabant Romæ: teste S. Leone ibid. Qui & observari iussit eos, qui nunquam vini speciem sumerent.

IV. Ritus Ecclesiæ docent idem. Vt

Asser-

Asseruatio Sacramenti, Communicatio domestica, Communicatio infantum, Ægrotorum, Laica, Communicatio ex Præsanctificatis. Vide *Bellarmin. libro 4. cap. 24.*

DICO AD I. Ista Historia sic coniungit Benedictionē panis cum Distributione, Recessuque Domini; vt nullus fuerit locus calici benedicendo ac dādo: Vnde nec locus figuræ est. Augustinus verò non dicit, Christum dedisse vtramque; sed agnitum in fractione panis; & huius fructum fuisse agnitionem. Cætera ex dictis liquent.

QVÆSTIO LXV.

Quæ argumenta sunt Vrgentium Vtramque?

TRriplicia. 1. Ex S. Scriptura. 2. Ex S Patribus. 3. Ex Ratione.

I. EX S. SCRIPTVRA 1. Bohemi, Ioann. 6. *Nisi manducaueritis Carnem filii hominis, & Biberitis. &c.*

II. Achilles, Lutheri, Buceri, Melanchthonis, Caluini, Kemnitii. &c. est Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes:* Hoc non solis dictum Apostolis est. 1. Quia non dixit *Manducate ex hoc omnes.* quòd præuideret futuros, qui dicerent, datum omnibus panem, non calicē. 2. Quibus, *Manducate,* iis & *Bibite* dictum: Si solis Presbyteris: ergo neutra licet laicis. Si laicis quoque dictum, ergo Vtraque licet eisdem. 3. Quia pro quibus Sanguis fusus, iis dictum, *Bibite ex hoc omnes, Hic est enim Sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur:* At fusus est pro omnibus.

III. CALVINVS Instit. l. 4. c. 17. § 48 &c. *Velim ad quinque postulata respondeant, quibus elabi non poterunt: 1. Quo oraculo reuelatum sit vobis hoc* Solis dictum *Apostolis? 2. Cur ab Apostolis ad mille vsque annos sine exceptione omnes fiebant vtriusque symboli participes? 3. Cur de pane simpliciter dixit, vt ederent: de Calice, vt Omnes biberent? 4. Si Deus solis Sacerdotibus dedit vtramque; quo iure datur nunc altera laicis? 5. Paulus traditionem declarat, Vt omnes promiscuè vtroque symbolo communicarent.*

IV. Iussit, *Hoc facite:* at Consecrauit, accepit, Dedit omnibus Vtramque. Quippe ait, *Similiter & Calicem.* q. d. ait Kemn. par ratio vtriusque est.

V. Paulus post, *Hoc facite,* dixit: *De pane illo edat, & de calice bibat:* Ergo sumenda & vtraque.

DICO AD I. Vis præcepti huius in Re, non in Modo consistit. Quia præcipit medium vitæ conseruandæ, quod consistit in Corpore & Sanguine Christi sumendo; non in speciebus seu modo. Vnde declarat illud *Nisi manducau. &c.* per hoc, *Qui manducat me, viuet propter me.* Deinde ET sumitur quādoque pro disiunctiua: vt *aurum & argentum non est mihi,* id est, aurum vel argentum. Demum; esto præceptum: Multa sunt Scripturæ præcepta non omnibus, sed aliquibus implenda. Vt, ait Augustinus illud: *Crescite & multiplicamini:* Ita & hoc, *Nisi manduc. &c.*

AD II. Id solis dictum Apostolis est, Quia hoc, *Omnes,* non semper vniuersalissimè capitur: Vt, *Omnes quærunt, quæ sua sunt:* at non Sancti: *Omnes peccauerunt;* at non Christus: *Clamauerunt omnes, Crucifige:* at non Apostoli. Ita hîc, *Omnes,* id est, certi generis homines. 2. Alioquin dandum & infidelibus foret; aut fideliū infantibus; aut adultis fidelib⁹ etiam abstemiis. 3. Et Marcus repugnat eo: *Et biberunt ex eo omnes,* sc. Discipuli. Nam *Cœnātibus* EIS, *&c. dedit Discipulis suis &c.*

RT Man-

Manducate: Item. *Accipiens Calicem. &c. dedit ILLIS* ſolis, qui *hymno dicto exiuerũt in montem oliueti: Tunc dixit ILLIS: OMNES, vos ſcand. &c.* De certis ſolis hæc omnia. De I. Dominus dixit, *Manducate ex hoc omnes*: teſte S. Canone Miſſæ: teſte S. Ambroſ. & Paſchaſio, &c. Eſto, non dixerit: Panis partem cuique dedit; & Calicẽ vni; qui & daret alteri, ſicque porro quiſq;; & dixit; *Bibite ex hoc omnes*, ne iterum conſecrare opus. De II. In hoc: Chriſtus non dedit laicis; ergo nec à nobis dandus eiſdem calix: negatur conſequentia: quia Chriſtus dari non prohibuit. De III. Fuſus eſt Chriſti Sanguis pro omnibus, impiis & infidelibus; non tamen his dandus eſt.

Ad III. 1. Oraculo Matthæi, & Marci 2 Falſum aſſumit: Nam liberum fuit vti vnâ, aut vtrâque. 3. Patet ſupra de *Omnes*. 4. Iure diuino permiſſiuo, 5. Mentitur tribuens Paulo, quod non dicit: Non enim declarat Traditionem, quaſi dicat Dominus, debere omnes diuino mandato vtrâque vti.

Ad IV. Lucas id præceptum poſuit poſt datum panem: poſt calicem omiſit. Hoc *ſimiliter*, refertur ad *accepit*, nõ ad reliqua verba actionis, nam debuiſſet & fregiſſe, & diſtribuiſſe calicem *ſimiliter* vt panem.

Ad V. Si eſt, *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*: Vbi modum præſcribit edendi, ſcilic. cum præuia probatione ſui: Et edere ac bibere in ſpiritualibus idem ſunt: vt fiant ambo in vtrolibet modo. Iſtud, *Facite*, poſt Panem abſolutè ponitur; conditionate verò poſt Calicem; *Hoc facite, quotieſcunque bibetis*. q. d. Non obligo vt ſemper bibatis; ſed quoties volueritis.

II. Ex SS. Patribvs Luthero-Caluiniſticas *S*uaſiones & Corruptelas, vide in *Bell. c. 26*

III. Ex Ratione Svadent ſic Vtramque. 1. In deſerto, 1. Corinth. 10. Omnes *eundem potum ſpiritalem biberunt*. Ergo & in Eccleſia ſic neceſſe eſt. 2. Inſtitutio facta eſt ſub vtraque: ergo ſic & obſeruãda. 3. Dominus & Apoſtoli dederũt calicẽ 1. Cor. 10. *Non poteſtis bibere calicem Domini, & calicem dæmoniorum*. 1. Cor. 11. *Omnes in vno Spiritu potati ſumus*. 4. Teſtamenti Chriſti legatum corrumpunt, qui alteram negant partem hæreditariam. 5. Finis eſt, mortem Chriſti commemorari: at hæc non perfectè ſignificatur Vnâ. 6. Remittius. Dulciſſima conſolatio eſt calicis; & hac priuaremur? 7. Si poteſt tolli pars Euchariſtiæ; ergo & Baptiſmi: ergo & Panis Cœn. 8. Datur laicis *S*anguis Domini; cur ergo negatur ſymbolum?

Dico Ad I. Manna & Aqua ſunt eis ſeparatim data, quodque ſolum. Et Biberunt ſpiritaliter, quod ipſum manducare eſt: & è contra.

Ad II. Inſtitutio, non eſt Præceptio. Illa Sacrificium fuit, & Sacramentum: iſtud, non hoc, vtramque requirit: quòd eſſe debuit *ſecundum ordinem Melchiſedech*. Præceptum verò diuerſum ab Inſtitutione, ſubiungitur ad vſum Panis; non Calicis.

Ad III. Ea probant, Vtramque non eſſe illicitam, non verò eſſe præceptam. Ad Corinth. autem agitur de potu Spiritus, quem in Baptiſmo haurimus; non de potu Sanguinis in Euchariſtia.

Ad IV. Hæreditas eſt Chriſtus totus in Euchariſtia, non ambæ ſpecies ipſæ

ipsæ: Res, non Modus est in præcepto.

AD V. Commemoratio duplex est; Repræsentatiua; ceu rei fit in scena: Narratiua historicè: Mortis Dominicæ memoria prior fit in Sacrificio, repræsentante Passionem totam: Posterior fit manducando & bibendo in Eucharistiæ Vna, vel Vtraque specie.

AD VI. Solatium idem in vna, quod in vtraque, habetur, ob Rem eandem.

AD VII. Pars Essentialis tolli nusquam potest; at potest Modalis. Vt Baptismus olim fiebat totali immersione; nūc solius capitis aspersione. Sic tolli potest panis, si detur calix: at vtrumque simul tolli nequit.

AD VIII. Dari Sanguinem, id est, totum Christum, est præceptum: at dari species ambas, non est præceptum.

CVR PRÆCEPIT VNAM ECCLESIA?

I. Quia quæ non ad substantiam Sacramentorum pertinent, ea potest ordinare Ecclesia: præsertim vbi Dominus regulam non statuit, vt seruetur certa; Ecclesiæ ibi relictum est, ordinis causa. Sic in Baptismo trinam imersionem mutauit in Vnam, *Tertull. l. de Corona mil. & Can. 49. Apost.* Rursus *Vnā* in Conc. IV. Tolet. c. 5. mutauit in trinam. Talis est ritus specierum, quæ non sunt iure diuino præceptæ; nec de Essentia Sacramenti; cùm vsus rei, non attingat essentiam eiusdem.

II. Quia licitus semper vbique fuit vsus vnius, aut vtriusque: Concilium Constantiense prohibuit tolli vsum Vnius.

III. Causa Hæreticorum, vttamq; ceu præceptam, vrgentium.

IV. Sic placuit Vniformitati Consentientis Ecclesiæ; quia licuit, & expediuit.

V. *Vt* irreuerentiæ & effusiones cauerentur.

QVÆSTIO LXVII.

Ecquæ SVMMA *Breuis omnium dictorum de* VNA?

INSTITVTIO est sub *V*traque: at non est Præceptum de *V*traq;, neq; omnib⁹ vtraq; præcepta est. Institutio autē rei & Præceptio differunt: Vt, Institutum est Matrimonium, Ordo: Prædicatio. &c. at non omnibus præceptum; Nisi vt Credant, colantque; non vt vsurpent omnes. Deinde; In Vsu præcepta est substantia Sacramenti; non Circumstantia accidens: illa examussim seruanda in vsu; hæc relicta est ordinationi Ecclesiæ. Vnde nullum de Circumstantia extat præceptum in S. Scriptura: nec vllum reperiunt aduersarii: Et nos euincimus de Vna.

ECCE aduersarios: 1. HVSSITÆ quærunt præceptum, Ioann. 6 *Nisi mand. &c.* 2. LVTHERANI reclamant ibi de Eucharistia quicquam agi: quæruntque præceptum Luc. 22. *Hoc facite.* 3. CALVINVS his repugnat; vult dictum solis Ecclesiæ ministris, non Laicis: quæritque præceptum Matth 26. *Bibite ex hoc omnes.* 4. MARCVS. c. 16 ad solos id Apostolos dictum ait: Qui *& biberunt ex illo omnes:* Et hic verè: illi erronèe.

II. VSVS Vnius à Christo comprobatus est. 1. VERBIS, *Ioann. 6.* 1. Hîc verò agi de Euch. Negat Lutherus & quidam Caluinistæ. 2. Concedunt Hussitę & Caluinistę Gallicani cum Plessæo. l. 4. Euch. c 2. Se igitur destruunt; nos confirmant; vt & tota Classis *S.* Patrum. 2 FACTO: vt *Luc. 24.* in Emaus: testibus S. Patribus: Textu isthic ipso & Effectu illuminationis. Et; Dominus ibi Consecrauit, id est, Sacrificauit *Vnā* speciem: Quod ex natura rei fit rectè: at nūc non rectè fieret; ob præceptum Ecclesiasticum. Christus ter benedixit panem. 1. Cum miraculo panes & pisces. 2. Cum *S*acramento in Cœna, 3. In Emaus. 3. APOSTOLIS VSVS fuit Vnius, *Act. 2. v. 42. & Act. 20. v. 7.* Ita *S.* Patres, & aduersarii:

Sed hi *S*ynechdochen ibi fingunt partis pro toto.

AT. Cur non pariter & *Ioann. 6.* foret Synechdoche in multiplicatione panū; vt intelligeretur cados vini propinasse? 2. Lucas ter meminit benedicti panis; nunquam vini: huius vel semel meminisset. 3. Iudæi multi, recens conuersi, abstinebant à vino, Act. 12. v 20 *Omnes æmulatores Legis* Mosaicæ, Nazaræi maximè, *Act 18. v. 18 & c. 21. v. 23.* at hi durante voto *erant perseuerantes in Doctrina Apostolorum, & Communicatione Fractionis Panis*: Ergo sub vna communicarunt. DICES Ergo & Apostoli sacrificarint in *V*na. RESP. Esto: licebat exemplo Christi: At nunc non licet, ob præceptum Ecclesiæ: In quo cum Noruegis dispensauit Innoc. VIII. teste Volater. l. 7. Geogra. Adde VSVS idem Vnius durauit post Apostolos vt licitus, non vt præceptus, vsque ad tempora Hussitarum.

III. CHRISTVS TOTVS Carne, Sanguine, Animâ, Diuinitate, est in vtralibet specie idem; sed Aliter: nam sub specie panis, vi Sacramenti, est carne solâ; sub vino, Sanguine solo: cętera tamen vtrobique vi Concomitantiæ naturalis. CALVINISTÆ Christum Carne, Sanguine, Animâ, Diuinitate esse in cœlo aiunt: in Sacramento esse negant: ridentque Concomitantiam. LVTHERANI Quidam Caluinizant; sed Christi Carnem solam esse sub pane; Sanguinem solum sub vino: Animam in neutra. Ita Illyr. Heshus. Hamelmann Quidam Catholizant, vt Vbiquitarii Brent Kēn. totum Vtrique inesse. Hinc isti totum nunquam accipiunt; ac proinde nihilo plus quàm Caluinistę: Quia diuidi Christus nequit quam mori amplius.

IV. CAVSÆ VNIVS permissæ sunt, 1. Quia Totus inest Vtrilibet. 2. Par fructus vtriuslibet ac vtriusque. 3. Multi Abstemii. 4. Loca multa carent vino. 5. Periculum effusionis. Ob hæc vnam licitè vsurpari posse censent etiam Brentius *apolog. pro Confess. Wirtenberg.* Melancht. *l. de vsu Sacramēt.* ait Ruthenos ꝑ vino vti posse medone, aut mulso. Si ergo iure diuino prohibitum est Cōmunicare sub vna; cur permittunt? Si non prohibitum; cur negant vsum vnius? At in Iure diuino dispensare nemo potest.

QVÆSTIO LXVIII.

Eucharistia sitne Adoranda ac Veneranda?

LVTHERANI distinguunt: 1. Extra Vsum, adoratio Euch. est idololatria. Luth. libr. ad Wald. In Vsu, Quidam damnant ibi adorationem, etsi præsentem

tem Christum agnoscant Corpore & Sanguine; Luth. ibid. Melancht. de Cœna, Illyr. in Confess. Antuerp. Quidam esse adorandam: Lutherus l. de verbis, *Hoc est Corpus*. Bucerus, Brentius, Kemnitius. Negant hi tamen adorandam sic, vt Catholici docent; quos ἀρτολάτρας vocant.

Calvinus *Instit. l. 4. c. 17. § 31. &c.* cum suis omnem Eucharistiæ adorationem proclamant esse Idololatriam. Tigurini in apolog. fatentur, se adoraturos Sacramentum, si crederent ibi Christum esse præsentem.

Svadent istis. 1. *Lutherus.* Ad verba Cœnæ attendendum; at adoratio impedit attentionem. 2. *Caluinus.* Apostoli communicantes non leguntur adorasse. 3. Christus in omni creatura est: ergo & adoranda foret. 4. Honorius III. instituit adorationem: Vrbanus IV. festum Corporis Christi: ergo humanum inuentum est.

Avtor. Christo in Eucharistia debetur Adoratio. 1. Deut. 6. Matt. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies:* At Christus Deus & homo est in Euch. Ergo. Dices: Adorandus est, vbi est, seque adorari iussit, sc. in Cœlo, non in Sacramento: Nec enim dixit, *Accipite & adorate.* Deinde, Christus non est in Cœna; sed Corpus eius. Resp. *Ioann. 4.* In omni loco adorandus est Deus. Nec in præsepio erat, vt adoraretur; sed vt quiesceret: rectè tamen adoratus est. Ita Adorari, est secundaria Sacramēti Institutio. 2. Traditio SS Patrum iubet adorari in Euch. Christum. *Bellarmin. lib. 4. c. 29.*

Dico Ad I. Adoratio ex verbis Cœnæ oritur, vt inde moueamur ad eā: tantum abest, quòd impediatur.

Ad II. Apostoli vt se habuerunt erga conuersantem cum iis Christum: ita & erga latentem sub speciebus. Semper vt Deum agnouerunt, sic & coluerunt.

Ad III. Non instituit Honorius, sed monuit Prælatos, ne Christum honore sinerent fraudari. Festum Vrbanus instituit, cuius officium id postulabat.

VIII. DE MISSA.

QVÆSTIO LXIX.

Missæ Sacrificium Vnde, Quid, Quotuplex esse dicitur?

Lvtherani. Missam deducunt à voce Mahhuzim, Dan. 11. *Deum Mahhuzim colet in loco suo.* Et Missam, ait Kemn. *p. 2. Examin.* robur esse Romani Antichristi. 2. Melancht. Missam dici vult ab *Missach*, id est, voluntaria oblatio.

3. Calvinvs *Inst. l. 4. c. 18. §. 18.* Melanch. *in apolog. Confess. Aug.* dictam volunt à mittendis muneribus, quasi symbolis.

4. Missam definit Melancht. ibid. *esse opus, quod Deo reddimus, vt eum honoremus.* Esseque vult Sacrificium duplex, Propitiatorium, seu Satisfactio pro peccatis Deū placans: Eucharisticum, seu gratiarum actio pro beneficiis; vt est Fides, prædicatio, oratio. &c. & bona quęcunque ad laudem Dei: Et hoc proprie vult Missam esse: teste S Aug. 10. Ciuit. cap. 6. *Sacrificium verum est omne opus bonum, quod agitur, vt S. Societate inhæreatur Deo; relatum ad eum finem, quo beati esse possimus.*

5. Calvinvs ibid. *Nos perpetuo Scripturæ vsu Sacrificium appellari scimus, quicquid omnino Deo offertur.*

6. Kemnitius ibid. ait; Sacrificium est Ceremoniale quid & externum; vt in Veteri Testam. Hostiæ, holocausta, decimæ, &c. 2. Sacrificium Crucis mors Christi. 3. Sacrificium Spirituale interius; vt prædicatio, oratio, eleemosyna, mortificatio &.

Avtor. 1. Missa, vox antiquissima apud S Ambr. *l 5 epist 31.* Aug *Serm. 91. de temper &c.* 1. dicitur à dimissiōe populi. 2. Accipitur etiam pro precibus. 3. pro Liturgia ab Offertorio vsque ad

finem. 4. pro tota Sacrificii Actione: Et hæc propriè eſt Miſſa: Eius formalis ratio conſiſtit in Oblatione, Conſecratione, & Sumtione; quoad materiam formam, finem.

II. SACRIFICIVM *eſt oblatio externa*, formaliter; *facta ſoli Deo*, (hæc quidditas) *quâ à legitimo Miniſtro*, rite ordinato, *Res ſenſibilis & permanens, ritu myſtico conſecratur, offertur, tranſmutatur*; Quo fine? *ad agnitionem humanæ infirmitatis, & profeſſionem diuinæ Maieſtatis.*

III. Sacrificium legis Moſaicæ, 1. Ratione *Materiæ*, erat *Victima* animalium: *Immolatio* frugum, panis, ſalis, thuris: & *Libamina* liquorum. 2. Ratione *formæ ac finis*, erat *Holocauſtum*; *Sacrificium pro peccatis*: & *Hoſtia pacifica*. 3. Ratione temporis, *Iuge*, & *Solenne*.

2. Legis Euangelicæ duplex: *Cruentum* Crucis: *Incruentum* altaris: Figuratum in lege vtrumque fuit. *In Cruento* plura inſunt. 1. Chriſtus oblatus: 2. à Patre in mortẽ: 3. Patri obediens: *Vt* Iſaac. 4. Verè occiſus; vt Victima. 5. Sanguine effuſo; vt aſperſa ſuperliminaria: 6. Sanguine nos mundante; vt Hircorum ſanguine, *Hebr. 9.* 7. Innocens occiſus: vt Agnus paſchalis: 8 Inſons cum latronibus deputatus; vt Hircus loco agni. 9. Cruranon fracta; vt Agni. *In Incruento* item plura ſpectanda. 1. Iuge eſt. 2 Caro Chriſti editur verè; vt agni. 3. Sub ſpecie panis & vini; vt Melchiſedech. 4. Edendum à puris; vt ſanctificatio filiorum Iob. 5. Sit præuia contritio; vt agreſtis lactucæ eſus cum agno. 6. Paratio in viam mandatorum; vt ſuccincti lumbos.

Cruentum & Incruentum Conueniunt, 1. In Chriſto per modum Victimæ oblato. 2. In offerente, qui principalis Sacerdos eſt Chriſtus. 3. In fine: nam vtrobiq; pro peccatis. *Differunt*, 1. Specie externâ, hominis veri in cruce; Panis & vini in ara. 2. In ritu ac modo offerẽdi; in cruce per mortem realem; in ara per myſticam Conſecrationem. 3. Miniſtro, ad aram Sacerdote; in Cœna Seipſo. 4. In Effectu, per Crucem acquiſito, in ara applicato. 5. In ſignificatione: Nam Sacrificium Cruentum nihil typi habuit: Incruentum eſt repræſentatio Cruenti: *Hoc facite in meam commemorationem.*

DICO AD I Rex culturus Deum Mahuzim erit Rex Aquilonis, *Daniel. 11.* quem Romani oppugnabunt, teſte Hier. Idẽ alios Deos non colet, niſi Mahuzim; At nos fingimur tot colere, quot Sãctos. Dein Antichriſtum fingunt natum poſt annum Chriſti 600. at Miſſa cœpit anno Chriſti 34.

AD II. At qualis voluntaria oblatio? Infrà, ad IV.

AD III. At hoc eſt contra omnem Antiquitatis Veritatem; quia confundit Miſſam cum Agapis, Conuiuiis corporalibus, ſeu ſportulis.

AD IV. *Non omne opus bonum ad laudem Dei factum, eſt propriè Sacrificium.*

1. Quia opera virtutum in Scripturis opponuntur Sacrificio. Oſe. 6. *Miſericordiam volo, & non Sacrificium.* 1. Reg. 15. *Melior eſt obedientia, quam victima.* Pſal. 50. *Si voluiſſes Sacrificium, dediſſem vtique, &c. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. &c.* II. Quia virtus in ſola actione conſiſtit; at Sacrificium aliquid præterea

ſcili-

sensibile offert Deo. Gen. 22. *Ecce ignis & ligna, vbi victima?* III. Quia actus proprius & elicitus non potest diuersarum esse virtutum: at Sacrificium est proprius actus religionis; teste Aug. *l. 20. contra Faustum, c. 21.* IV. Quia in Ecclesia vnum est propriè dictum Sacrificiū, iuxta Aug. *8. Ciu. c. vlt.* & omnes S. Patres. V. Sacrificium & Sacerdotium, propriè dicta, sunt relatiua: Hebr. 5. & 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera constituitur:* Ideo Lutherani propriè dictum Sacerdotium non agnoscunt; quia Sacrificium propriè dictum respuunt.: At qui non omnes, qui bona operantur, sunt Sacerdotes propriè dicti. V. Altare, & Sacrificium sunt relata: at ara non est omni operi bono necessaria. Vnde contra Melanchthonem Caluinus Instit. libro quarto capit. 18. §. 13. *Qui Sacrificii vocabulum ad omnes ceremonias, & religiosas actiones extendunt; quâ ratione id faciant, non video.* Quare S. Aug. suprà definit impropriè dictum Sacrificium.

Ad V. Omne Sacrificium est oblatio; sed non contrà: vt vult Caluinus. 1. Illud enim requirit mutationem & consumtionem. Non igitur προσπορὰ est θυσία aut τελιτὴ. 2. In Scripturis multa dicuntur offerri, vt aurum, argentum, fructus, byssus. &c. quæ dici nequeunt Sacrificari. 3. Quia Oblationes non requirunt altare, nec Sacerdotium.

Ad VI. 1. Decimæ nusquam in Scriptura dicuntur Sacrificium propriè dictum. Hoc enim soli Deo offertur; illæ autem Sacerdotibus, non Deo. 2. Ceremonialia & externa cum Vetere Testamento desierunt esse Sacrificia, ait verè Kemnitius: At idem contendit Baptizari, & Cœnare esse Sacrificia: sunt autem externa & ceremonialia: ergo non solum spiritalia interna sunt Ecclesiæ Sacrificia.

QVÆSTIO LXX.

An verum Sacrificium offeratur in Missa?

Lvtherus *in formula Missæ ad Wirtenb.* omnia adprobat vsque ad offertorium: inde, ait, *sequitur tota illa abominatio. Proinde repudiatis, quæ oblationem sonant, quæ pura, retineamus.* Sic anno 1523. In eo totus est, docere, Nihil à nobis offerri nisi orationes; quin à Deo nobis offerri Eucharistiam, in testimonium promissionis. Ideo anno 1521. edit librum *de abroganda Missa* priuata. Alium anno 1522. contra *Regem Angliæ.* Alium anno 1523. *contra Canonem.* Alium anno 1527 *de verbis Cœnæ* contra Zvvinglium. Alium anno 1528. quo fatetur supra omnes abominationes se habere Missam, nilque dolere grauius sibi, quàm quod XV. annis Missas patrarit. Anno 1534. *lib. de Missa priuata* fatetur se à cacodæmone edoctum de abominatione Missæ.

Lvtherani pariter spiritu furiantur eodem. Lutherus libro de Missa priuata. *Hic non moramur, si clamitent Papista, Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres. Quia hominum dicta, aut facta nihil in tam magnis causis curamus. Scimus ipsos etiam prophetas lapsos esse, adeo & Apostolos.*

Calvinvs Inst. libr. 4. c. 18. contendit Missam, 1. *Insigni contumeliâ Christum afficere.* 2. *Crucem eius sepelire:* 3. *Mortem eius in obliuionem tradere:* 4. *Fructum tollere:* 5. *Sacramentum dissipare.* Totum id caput furiosis scatet blasphemiis ac mendaciis. Proinde in sua formula Geneuensi de Sacramentis administrandis cauet, ne mentio fiat oblationis. Vbi supra, ait: *Pestilentissimo errore Satan totum pene orbem excæcauit, vt crederet Missam Sacrificium.* Ibidem § 12. *Non est cur vllâ hominum autoritate, vel annorum præscriptione patiamur nos moueri.*

Lv-

LVTHERO-CALVINISTÆ certatim vocant Missam, *Horribile Sacrificium, Idololatriam, commentum papisticum, exitialem voraginem, abominationem, &c.*

SVADENT istis. I. *Lutherus.* Cœna est Sacramentum, quo accipimus quid à Deo; est & Testamentum, continens promissionem hæreditatis: At Sacrificium est quo Deo quid offerimus. Et Hoc ex fide procedit; illud fide accipitur.

II. Dominus ad mensam sedit, Sacramẽtum distribuit; Non se Patri obtulit.

III. *Caluinus* quinque obiicit. Christus est *Sacerdos in æternum:* ergo successores non habet Sacerdotes; proinde nec plura Sacrificia propriè dicta sunt in terris: vti in Vet. Testamento erant inter mortales Sacerdotes: at *Hebr. 7.* Christus non moritur.

IV. *Caluinus.* Sacrificium Crucis vim habet infinitam & æternam: Quare alio nil opus: & tot Missas multiplicare, est negare vim Crucis. Nam, Hebr. 9. *Semel ad destructionem peccati per hostiam apparuit.* Et. *Semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata.* Heb. 10. *Vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* Ioann. 19. *Consummatum est.*

V. Confirmatio Testamenti Christi à morte Christi pendet: sed Missa est nouum Testamentum: ergo mori toties oportet Christum: Cùm hostiam occidi oporteat ex essentia Sacrificii. Idcirco Mors vnica Christi aut non creditur, aut nihili ducitur.

VI. Missa fructum crucis præripit: nam in hac videns nouam redemtionem, & peccatorum remissionem nouam, illius in cruce factę facile obliuiscitur.

VII. Christus non dixit, *Offerte*; sed *Accipite, comedite, & bibite.* Ergo Eucharistia ex Institutione est Sacramentum, non Sacrificium.

VIII. Nulla fit remissio peccatorum sine effusione Sanguinis: hæc nulla est in Missa: ergo nec ea est Sacrificium.

IX. *Paræus.* Nullum Sacrificium sæpius iteratum potest perficere cultores: at tale est Missa: ergo nequit remittere peccata.

AVTOR. Missam esse propriè dictũ Sacrificium docent, 1. Figuræ, Melchisedech, Agnus paschalis, Sacrificia alia. 2. Prophetiæ: 3. Promissio Christi, *Ioann. 4.* 4. Verba Institutionis. 5. Apostoli. 6. *S.* Patrum Traditio. 7. Ritus altarium. 8. Vox *Sacerdos.* 9. Liturgiæ plurium. 10. Et Traditio. Deplerisque ordine quæremus infrà.

DICO AD I. Et Sacrificium & Sacramentum sunt opus & actio Christi; non nostra, vt Lutherus assumit. Christus enim & se obtulit, ac offert Patri; sẽque dedit & dat nobis. Dein; Confundit Signaculum promissionis, consistẽs in Eucharistia; cum ipsa promissione, consistente in verbis, *Accipite, manducate, &c.* At potest Signaculum esse Sacrificium, vt quod potest Deus ceu victimã sibi oblatam assumere, in signaculũ promissionis. Sic omnia Sacrificia Legis erant simul signacula promissionis futurę. Demum: Eucharistiam dicimus esse Sacramentum, quà est signum externũ gratiæ inuisibilis, in sumtione datæ nobis: Dicimus esse Testamentum, quà est autenticum diuinæ voluntatis & promissionis Instrumẽtum. Efficq; Sacrificium, quà offertur Deo, quod accepimus à Deo.

AD II. Etsi Euangelistæ non expressè dixerint, se Patri Christum obtulisse, non tamen negarunt, eum se non obtulisse. At quod se obtulerit, scimus ex Circumstantiis Institutionis, Figuris, Vaticiniis, Patrumque Consensu. Plura similiter non expresserunt: vt quòd Agnũ immolârit, ederitque ritu consueto:

Quod

Quod vinum in calice habuerit; nam illud *degenimine vitis*, pertinet ad esum agni; non ad Sacram Cœnam.

AD III. Christus non habet successores, sed Vicarios siue Ministros: hi enim sunt viuorum, illi mortuorũ: Christus autem non moritur, sed viuit semper: quocirca Sacerdotes sunt Christi Vicarii in Sacerdotali officio. *Vt* Aaron, quoad vixit, Sacerdotes habuit inferiores; at mortuo successum est pari cum potestate. *Nos autem*, 2. Cor. 5. *pro Christo legatione fungimur.*

AD IV. Similiter retorqueo Sacrificium crucis vim habet infinitam: ergo nil opus Baptismo &c. Nil opus alio Sacrificio, aut cruenti Sacrificii repetitione; aut vt sæpius moriatur Christus: at opus, tum, vt simus memores beneficii tanti; tum vt huius fructus in particulari nobis applicetur. *Vtrumque* hoc fit per fidem, Sacramẽtũ, Sacrificiũ, prædicationem &c. *Vnde* horum nihil superfluum est, *O homo, tu quis es, vt dicas Deo, quare ordinasti sic?*

AD V. Missa est Sacrificium incruẽtum, repræsentatiuum vnici Cruenti; ideo dicere, mori Dominum, nefas est: sola præteriti repræsentatio repetitur ad gratitudinem, & Cruenti Sacrificii applicationem.

AD VI. Falsum præsupponitur, quasi Missa vim expiandi habeat sine Crucis Sacrificio: Et; Missa est opus Christi, non nostrum, nisi vt ministrorum: estque memoriale factæ redemtionis in cruce.

AD VII. *Vt* non illo, *Offerte*, vsus tamen est alio pari vocabulo, *Hoc facite in meam cõmemorationem* cum interna gratitudine, & externa in signo Sacrificii memoratiuo: quæ gratiarum actio vtraque est oblatio. *Vnde* S. Aug. l. 20. contra Faustum, c. 18. *Christiani iam peracti in Cruce Sacrificii*, memoriam celebrant sacrosanctâ Oblatione, & participatione Corporis & Sanguinis Domini.

AD VIII. *Sic* retorqueo: Nulla fit remissio peccatorum sine Sanguinis effusione: at in fide iustificante Lutheri Caluinistarum non est Sanguinis effusio: ergo nec per eam fit remissio peccatorum. At Apostolus loquitur de *Veteri* Lege, in effusione Sanguinis opus ad remissionem peccatorum. Facta tamen à Christo effusio Sanguinis diuersimodè applicatur nobis: Iudæis per Sacrificia cruenta typica; Christianis per Missam, aliaque Sacramenta.

AD IX. *Sic* retorqueo subsumens: At fides, aliaque opera pia ad Dei laudem (quæ aduersariis sunt Sacrificia) sæpius iterantur: ergo ea non possunt perficere cultores. At maior, (nullum Sacrificium sæpius iteratum potest perficere cultores;) falsò tribuitur Apostolo; qui id de Mosaicis dicebat.

QVÆSTIO LXXI.

An Oblatio Melchisedech fuerit Sacrificium, & typus Sacrificii Christi?

LVTHERANI iuxta & CALVINIANI; 1. Assentiuntur nobis, quòd *Melchisedech, Rex Salem erat, & Sacerdos Altissimi.* Genes. 14. 2. Negant in Sacrificium, ad gratiarum actionem pro victoria, obtulisse panem & vinum; sed ad corporalem Abrahę refectionem. 3. Negant ea in oblatione fuisse typum Christi: Vnde hoc non consi-

ſtit in oblatione panis & vini. Caluinus, Kemnitius.

SVADENT iſtis. 1. Caluinus c. 18. §. 2. *Perperam trahunt ad panem & vinum illa*: Erat Sacerdos Dei Altiſſimi: *quæ Paulus ad benedictionem refert minoris à maiore factam.* 2. Ibid. *Si Miſſæ typus fuiſſet, an Apoſtolus, qui minima excutit, rem adeo ſeriam & grauem fuiſſet oblitus?* 3. *Kemnitius pag. 750. p. 2. Exam.* Eſto; obtulerit Deo Sacrificium Melchiſedech; non tamen ſequitur, Chriſtum ſimile obtuliſſe. Nam Apoſtolus, *Heb. 5. & 7.* non attingit oblationem panis & vini. 4. Kemnitius. *Typus Melchiſed. conſiſtit in his, in quibus diſcernuntur Melchiſedech & Aaron: ſed Sacrificium quotidianum panis & vini fuit in Sacerdotio Aaronico; Exo. 29. Num. 28.* 5. Illyricus: Melchiſedech obtulit panem & vinum, at in Miſſa ſolum ſunt ſpecies, non ipſe panis ac vinum. 6. *Martyr.* Patres dicunt panem & vinum datum eſſe Abrahæ in cibum. Ergo. &c.

AVTOR. I. Melchiſedech, vt Sacerdos, protulit panem & vinum ſanctificatum; ac primariò obtulit Deo in Sacrificium; dein Abrahæ ac militibus dedit, vt Sacrificii eſſent participes: Non autem vt Rex, communem panem protulit, in refectionem corporalem; ceu volunt Luthero Caluiniſtæ.

II. Ille fuit typus Sacrificii incruenti Dominici; & ex parte etiam Cruenti.

I. RATIO. Quia Chriſtus fuit verè *Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech*; & non ſecundum Aaron; ergo ſimilis illi, non huic; ſcilic. in Cœna offerens panem & vinum; non animalia.

2. Ita *S.* Patres apud *Bellarm. lib. 6. 1. de Miſſa, c. 6.*

3. Melchiſedech fuit *Rex iuſtitiæ*, de nomine: 2. Officio *Rex Salem*, id eſt, pacis. 3. Origine, *ſine patre, ſine matre*: 4. Durratione, *Neq; initium dierum, habēs neque finem.* 5. Oblatione panis & vini: Ita & Chriſtus; & plusquam Melchiſedech hic.

Et hoc intendit Apoſtolus, ſcilic. explicare Excellentiam Sacerdotii Chriſti ſuprà Aaronis: ceu & Melchiſedech fuit ſupra Aaronem. 1. Quia ille benedixit Abrahæ, conſequenter & Aaroni, qui in lumbis Abrahæ fuit. 2. Quia accepit decimas ab Abrahamo. 3. Quia non habuit initium dierum aut finem. Itaque non diſputabat de typo & ſimilitudine inter Chriſtum & Melchiſedech, ſed de præcellentia Sacerdotii Chriſti per Moſaico; quo pane & vino nil opus.

DICO AD I. Falſum dicit, non trahere verba, *Erat enim Sacerdos Alt.* ad panem. Nam Abrahæ benedixit vt maior minori.

AD II. Iam patet intentio Pauli id ſcribentis.

AD III. Patet item ex dictis, eque Conſenſu S. Patrum; & ex ſimilitudine CHRISTI cum Melchiſedecho.

AD IV. In Aaronico panis & vinum fuit vt pars condimentalis in altero cruento Sacrificio principali: at in Melchiſedechano panis & vinum erant ſola & omnis materia Sacrificii.

AD V. Species Sacramentales ſunt eximiè panis & vinum ob rem Contentam diuinam.

QVÆSTIO LXXII.

An Missa esse Sacrificium propriè, doceatur ex FIGVRIS?

LVTHERANI vt Kemnitius p. 2. *Exam pag. 718.* De Agno Paschali negat, deq; figuris aliis; quod spectarint ad Missam; eò quòd in Sacrificio crucis fuerint impletæ, cuius & typi fuerant.

SVADET istud, 1. Aug. *lib. de Vnit. Eccl.* docet, Scripturas figuratas, quòd variè exponi possint, non facere fidem, nisi alio Scripturæ loco explicentur. 2. Dissimilia sunt pluta. Nam Agni immolatio erat cruenta: fiebat à populo: non erat propitiatoria pro peccato: ita Missa est incruenta: fit à Sacerdotibus solis; esse propitiatoria dicitur. 3. Sacrificia Vet. Testam fuerunt typi pro Sacrificio crucis, non pro Eucharistia, impletiq; sunt in Cruce, nihil est super pro Eucharistia implendum.

AVTOR. I. Celebratio Agni Paschalis figura fuit Eucharistiæ: quod Kemnitius negat: At illa erat immolatio victimæ oblatæ Deo: ergo celebratio Eucharistiæ, est quædam victimæ oblatæ Deo immolatio: vt figura respondeat figurato. 1. Maior 1. Cor. 5. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur.* Ecce figuram & veritatem. At ante passionem fuit epulũ, ergo ante hoc immolatio & peracta est in Sacrificio Christi incruenta; quæ Missa fuit. 2. Deinde Agnus immolabatur luna 14. ad vesperam: in memoriam Ttansitus Angeli per mortes: mãducabatur à circumcisis, & his mundis. Ita & Eucharistia prius immolatur in memoriam passi Christi, manducatur, &c. Esto fuerit typus hic in Cruce impletus; Missa est & huius repræsentatio cruenti, & prioris incruenti Sacrificii. 3. Ita & S. Patres attestantur. *Bell. l. 1. c. 7.*

II. *Exod. 24.* Post datam in Syna legem, & promissiones factas, sancitũ fœdus fuit solenni Sacrificio & sanguinis adspersione: *Hic est sanguis Testamenti, quod mandauit ad vos Deus.* Ita & in Cœna Sacra: *Hic calix nouum Testamentum est in meo Sanguine.* Vnde sic erroneè Lutherani: *Cœna est Testamentum Christi; ergo nõ est Sacrificium.* Quin contra infero: ergo est & Sacrificium. Vt enim Sanguis Testamenti erat sanguis Sacrificii prægressi: ita & Eucharistia est ex præuio Missæ Sacrificio.

2. Paria ecce: Testamentum fit à viuo; à libero, suique iuris: Mandante quid hæredibus: Relinquente promissam hæreditatem: Testes adhibente: Dicente se Testari: Instrumentum public. conficiente. Ita Christus in Cœna vixit; in cruce mortuus est: liber erat: dedit mandatũ dilectionis: promisit, *quod tradetur in remissionem peccatorum.* Testes erant Apostoli: Se testari dixit, *Hic est Sãguis meus Noui Testam:* Instrumentum public. fuit S. Cœnæ institutio Hæc eadem & in Cruce peracta sunt: Ergo vtrobique Sacrificium perpetratum est, prius Cruentum, Incruentũ posteri⁹: Sicq; figura cõpleta.

DICO AD I. Scriptura figuras trifariam explicat: 1. Immediatè post figuram; vt Dominus in parabolis fecit. 2. Scriptura testante Ecclesiæ explicationẽ sibi esse conformem, non contrariam. Teste Aug *l. 1. contra Cresc on. c. 33.* 3 Si cubi colligitur implendam figuram esse completam. Atque his modis rectè ex figuris facimus fidem probabilitatis minimum, sæpe certam.

AD II. Non omnia, quæ in Agno fiebant, rei figuratæ conueniũt; quia alia in typis aliis prænotata sunt rectius: vt in Manna, aut Melchisedechana, &c. Et eadem in figura quędã rectius quadrãt Cruento, alia Incruento Christi sacrificio: Vt illa de Agno, &c.

AD III. Iam liquet eoldem fuisse typos etiam Cœnæ seu Eucharistiæ: testibus S. Patribus.

QVÆSTIO LXXIII.

An Missa Sacrificium esse doceatur ex PROPHETIS?

LVTHERO-CALVINISTÆ perrendunt Vaticinia impleta esse in Sacrificio Crucis: Deinde pleraque intelligenda de spiritali Sacrificio bonorum operum ad laudem Dei.

SVADENT istis de Malachia. 1. *Malach. non dicit, Sacrificulum debere mimicis gestibus in pane & vino repræsentare passionem Christi.* 2. *Malach. dicit in genere futurum Sacrificium mundum: non explicat, quale. At in Nouo Testamento sunt solum spiritalia.* Huc citant S. Patres.

AVTOR. Prophetiæ sunt de Sacrificio S. Cœnæ propriè dicto; non de improprio Spiritali. 1. Malach. 1. *Offertù super altare meum panem pollutum, cæcũ, claudum. &c.* At verò; *In omni loco Sacrificatur, & Offertur Nomini meo Oblatio munda*; scil. Corpus & Sanguis Christi: quod immundum esse nunquam potest. Estq; Noua oblatio: At Caluino *Inst. l. 4. c. 12 §. 4. & c. 15. § 3.* sunt *sordes, inquinamenta*: Lutheranis, etiam peccata: Nec ea noua sunt, cùm in lege & Naturæ, & Mosaica fuerint frequentata. Itaque confertur ibi figuratum Sacrificium cum figurato.

AD SVASIONES liquet ex hisce refutatio: quæ Patribus vtuntur falsariè.

Cætera documenta ex Prophetiis, ex Prædictione Christi, *Ioann 4.* ex Institutione Cœnæ, ex Vsu Apostolorum, Vide in meo *Antichristo p 3. q. 27.*

QVÆSTIO LXXIV.

An Missam esse propriè dictum Sacrificium doceatur ex Antiquitatibus *Ecclesiasticis?*

LVTHERANI & CALVINISTÆ eluere studentac eludere Varias Antiquitates Ecclesiasticas, Sacrificii Incruenti testes, duplice præsertim commento vano: *Aut* esse testimonia Sacramenti Eucharistiæ; non Sacrificii Missæ; *Aut* monumenta Vnici Cruenti Sactificii in Cruce.

I. LVTHERVS de capt. Bab. c. 1 timidè ait; PERSONAN vocant Sacrificium Orationes ad Cœnam fieri solitas; &c. *Si nihil habetur, quod dicatur; tutius est omnia negare, quam Missam esse Sacrificium contineri.* Lib. de abroganda Missa. *Profiteor aduersus amatores, quod contra Ritum Ecclesiæ & Statuta Patrum decernam; nihil horum me auditurum.* Lib. cont a Regem Angliæ. *Dicta Patrum inducit Rex pro Missario Sacrificio, & ridet meam stultitiam, quòd solus velim sapere præ omnibus. Hoc est quod dixi: Thomisticos asinos debere nihil, quod præducant, nisi Institutionem hominum, & Vsum Antiquum.* Ibid. ait se nil curare, licet mille Augustini, mille Cypriani contra se stent. Lib. de Missa priuata. *Hic non moramur, si clamet Ecclesia Ecclesia, Patres, Patres: Quia hominum dicta & facta nihil in tam magnis causis curamus. Scimus enim ipsos Prophetas, Apostolos esse, adeoq; Apostolos. Verbo Christi inducamus Ecclesiam, Apostolos, adeoq; ipsos Angelos.*

CALVINVS *Inst. l. 4. c. 18. §. 10.* Initio, ait, Sacramentũ Eucharistiæ Patres vocant Sacrificium quia est memoriale Sacrificii Crucis. Ita & Kemnit. 2 *Quia Veteres videbant hanc Memoriam detorsisse, quam Institutam Domini conueniebat (quod repetita Immolationis faciem præ se ferebat:) nihil tutius, quam in simplice Dei ordinatione acquiescere.* Et §. 12. *Certè si cogitamus, Domini, non hominum Cœnam esse, non est cur vllà hominum auctoritate, vel annorum præscriptione patiamur nos ab illa dimoueri.*

II. KEMNITIVS par. 2. Exam. pag. 781. *Negari non potest, Veteres, quando loquuntur de celebratione Cœnæ, vsurpare vocabula Sacrificij, Immolationis, Oblationis, Hostiæ, Victimæ, &c.* Vt tamen eludat, quatuor fingit.

git. 1. Histrionicam illam Missæ gesticulationem ex Patribus doceri non posse. 2. Patres sic explicari, quod loquantur *Vel* de eleemosyna: *Vel* de Precibus Cœnæ: *Vel* de Gratiam actione: *Vel* de prædicatione mortis Christi: *Vel* de exercitiis pietatis variis: *Vel* de Oblatione, quâ fideles seipsos Deo vouere solebant. 3. Quia disertè dicunt, in S. Mensa sitam esse Agnum Dei inuentè immolatum ait, *Ego verò non nego hoc*: Et fingit tria. 1. Christum esse Sacrificium propitiatorium: Actionem Cœnæ dici Sacrificium, quia Consecratio & Distributio Cœnæ fit. 2. Quod sit Commemoratio Cruenti Sacrificii. 3. Demum causam desperans ait: *Neq; Veterum, qualescunq; sententiæ; sed Scriptura Canonica est regula fidei, & iudicij in hac controuersia.*

III. Lvtherani, vt Kemnitius vult, Vocem *Sacerdos*, *Sacerdotium*, Patribus capi pro ministerio prædicationes, & Cœnæ: non pro Sacrificiali Missa.

IV. Calvinvs ibid. mentitur, Veteres *honorem Sacerdotij* sic vni Christo tribuisse; vt Antichristi vocem putarint, teste *Aug. l. 2. contra Parmen. c. 8.* si quis Episcopum fecisset intercessorem inter Deum & homines. ibidem 11. *Imitati sunt propius Iudaicum Sacrificandi morem; quam aut ordinarat Christus; aut Euangelii ratio ferebat*: de Liturgiis S. Iac. Clem. Basil. Chrys. &c. loquitur.

Avtor. I. S. Patres, de Eucharistia loquentes, his vtuntur vocibus: *Sacrificium*, *Oblatio*, *Immolatio*, *Hostia*, *Victima*: *Offerre*, *Sacrificare*, *Immolare*. II. Altaria posuerunt & coluerunt iidē Sacrificiis: Supponunt igitur Eucharistiam esse Sacrificium. III. S. Patres. Ministros, qui Euch. offerunt vocarunt, *Sacerdotes*; eorum Ministerium, *Sacerdotiū*: At Sacerdotum munus proprium est, *Offerre Sacrificium*. Hebr. 5 1 & 8. 1. IV. Litvrgiæ perantiquæ S. Iacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, & Ambrosii *l. 5. & 6. de Sacramentis*, expositio earum. &c. testantium Missæ Sacrificiū. V. S. Patres Eucharistiam pro aliis in Sacrificio offerebant, offerendumque docent; quod de Baptismo aliisque Sacramentis nequaquam. VI. Tanta est Legis seu Religionis coniunctio cum Sacrificio; vt separari nequeant: Nulla enim gens, natio, Religioue vnquam caruit Sacrificio: at si tollas Missam, Christianis nullum erit externum. *Bell. l. 1. c. 20. 21.* VII. Consensus Ecclesiæ docet Missam semper, & vnicum fuisse Christianis Sacrificium. Idque fatetur Lutherus *lib. contra Regem Angliæ*: Caluinus *ibid. §. 1.* Kemnitius. &c.

Dico Ad I. Contemtus S. Patrum Luthero-Caluinistas arguit hæresios, & Defectionis Antichristianæ.

Ad II. Status quæstionis non est de Ritibus Missæ; verùm de Substantia. At quæ coaceruat Kemnitius, ea cunctis Christianis vtriusque sexus sunt cōmunia: Offerre verò sacrificium solius esse Sacerdotii volunt rectè S. Patres. 2. *Deinde*: Si actio Cœnæ ideo diceretur Sacrificium, quia est Sacra Actio; iam Sacrificium esset & Baptismus, omnisque actio pia: quod contra omnem vsum loquendi est, piam quamque actionem dicere Oblationem: quam solam Augustinus & Cyprianus vocant Sacrificiū Deo factum. 3. *Et mentitur* Kemnitius, ab eis Sacrificium dici Eucharistiæ distributionem. 4. *Item idem mentitur*, Oblationem & Sacrificia à S. Patribus solum intelligi de Sacrificio Crucis; & non de Missa: ideoque Cœnam esse Sacrificium duntaxat Commemoratiuum. *Bell. c. 15.*

AD III. Sciens falſum dicit: quaſi S. Patres neſciſſent diſtinguere inter Concionatorem, & Sacerdotem. Heb. 5. *Omnis Pontifex conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum; vt offerat dona & Sacrificia.* Sic & Heb. 8.

AD IV. Sacerdotes non vocantur propriè Mediatores per modum *Redemtionis*, ſed per modum *Deprecationis*. Neq; Miſſa eſt Sacrificium ad morem Iudaicum; ſed Veritas typicorum Sacrificiorum; quæ omnia Chriſtus in Cruce conſummauit, & antiquauit. Crucis Sacrificium vero non fuit proprium & vnicum Chriſtianis; ſed Commune omnibus veris Religionibus, quæ in lege naturæ, Moyſisque fuit; nam Sacrificia vtriuſque legis reſpectarunt ad hoc Crucis.

QVÆSTIO LXXV.

An in aliqua Miſſæ parte conſiſtat Eſſentia Sacrificii?

LVTHERANI item & CALVINIANI Catholicorum vtuntur & diuerſitate ſententiarum, & argumentis; quæ nos exercitii gratia mouemus: ipſi, à diuiſis partibus ſingulis ad totum: Malè.

AVTOR. 1. OBLATIO panis & vini pertinet ad Integritatem Sacrificii; nō ad Eſſentiam. Quia licet omittatur caſu Offertorium; verum tamen erit Sacrificium. Nam Corpus & Sanguis Chriſti ſunt propriè materiale quod offertur. Sic omnes. CONSECRATIO materiæ vtriuſque iunctim, eſt formalis Eſſentia Sacrificii; ſed probabilius Partialis, quàm Totalis. OBLATIO ſecunda, id eſt, Eleuatio eſt item pars formalis. Sic omnes. FRACTIO eſt pars integrans: Nam ſi in Calicem S. incideret tota S. Hoſtia, relinquenda foret, non frangenda; & verum tamen eſſet Sacrificium. SVMTIO, à Conſecrante facienda, pars eſt Eſſentialis.

RATIO. Quia tria requiruntur ad Sacrificium: 1. Vt res profana fiat ſacra per Conſecrationem. 2. Vt res ſacrata offeratur Deo. 3. *Vt* res oblata mutetur, aut ordinetur ad veram externam mutationem *D. Th. 2. 2. q. 85. art. 3.*

II. CONSECRATIO potiſſimum eſt Eſſentia Sacramenti; ita tamen vt includat præuiam Oblationem, & ſequentem mutationem, ſeu ſumtionem. 1. Quia nihil in Miſſa tam fit in perſona Chriſti, quàm Conſecratio: vt qui ipſe Conſecrauit. 2. Quia Apoſtoli, eadem proferendo verba, conſecrarunt; &, vti Dominus, ſumſerunt.

QVÆSTIO LXXVI.

An Miſſa ſit Propitiatorium, & Impetratorium Sacrificium?

LVTHERVS *l. de Capt. Babyl. c. 1.* In Confeſſ. Aug. *art. de Miſſa*: Confeſſ. Wittemb. c. 16. Item

CALVINVS *Inſtit. l. 4. c. 18. §. 13. 14. 15.* Kemnitius *p. 2. Exam. in Seſſ. 22.* Cœnæ diſtributionem, & Manducationem eſſe euchariſticam & latreuticam, vtpote ad laudem Dei factam, facilè annuunt. At vel eſſe Sacrificium propriè dictum, vel Propitiatorium aut Impetratorium, pernegant.

SVADENTQ; iſtis. 1. Lutherus. *Non poteſt vnus pro altero baptizari: ergo nec ſumtio Euchariſtiæ vnius pro alio fieri: non igitur Miſſa eſt propitiatoria. Quia Communio vnius prodeſſet alteri.* 2. Kemnitius. *Si Miſſa eſſet propitiatoria pro remiſſione peccatorum, vtile eſſet non accedere Sacramenta pro remiſſione peccatorum percipienda facilius*

& ſi-

& securius. 3. Multę Missę dicuntur pro peccatoribus, qui tamen non recipiunt donum pœnitentiæ: non igitur hoc conferunt Missæ ex opere operato.

AVTOR. I. Missa verè propitiatorium est Sacrificium. 1. Teste S. Scriptura in meo *Antichristo p 3. q. 28.* 2. Ita S. Patres. S. Iacobus in Liturgia: *Offerimus Tibi incruentum Sacrificium pro peccatis nostris, & pro ignorantiis populi: &c.* Sic quà Græci, quà Latini.

II. Idem est & Impetratorium: 1. Teste vtroque Testamento, in meo *Antichristo.* 2. Testibus Liturgiis S. Iacobi Clementis, Basilii, Chrysostomi, ac S. Patribus. 3. Ratio. Quod enim efficax est peccatis remittendis; id magis est pro impetrandis bonis ab datore vltrò parato Deo.

III. Etsi Sacrificium vim habeat magnam impetrandi ex opere operantis: eò, quòd omnis actio bona, est grata Deo, ac meritoria: Vis tamen Missæ potissima est ex opere operato, id est, ex seipsa. Ratio *Concil. Trident. Sess. 22. Can. 2.* Quia eadem est Hostia, & Offerens idem principalis, qui in Cruce, Christus, ex quo effectus principalis dependet.

AT NOTA. *Valor* ex opere operato bifariam in re aliqua reperitur. 1. *Instrumentaliter* in Sacramentis, quæ instrumenta sunt & efficiunt immediatè, per modum naturę, gratiam, ad quam sunt institura. 2. *Infallibiliter*; sed non instrumentaliter, nec efficienter & immediatè; sed infallibiliter tamen & independenter à bonitate ministri. Sic effectum producit Sacrificium, Deum placans, qui ob id impertit donū pœnitentiæ mediatè. *D. Thomas 4. di. 12. quæst. 2. artic. 2.* Ratio; quia Sacrificium aræ non habet vim maiorem Sacrificio Crucis: at hoc non immediatè, nec Efficienter iustificauit omnes, pro quibus offerebatur; sed sufficienter solū impetrando & merendo. Alioquin omnes vniuersim essent saluati, pro quibus est passus.

DICO AD I. Sacramenta sunt instituta vt prosint suscipientibus ea: Sacrificium verò etiam aliis prodesse datum est: quia per modum Orationis fit pro aliis; prodestque Sacrificanti soli quà sumit Sacramentum; at quà Consummat Sacrificium sumtione, prodest & aliis.

AD II. Iam dixi. Si Missa immediatè peccata remitteret, valeret argumētum; iam id præstant ad hoc instituta Sacramenta.

AD III. Missa infallibiliter impetrat nouum auxilium conuersionis peccatori: sed hoc variè operatur, pro peccatorum dispositione.

QVÆSTIO LXXVII.

An ritè pro Purgatoriis Sacrificetur?

LVTHERANI & CALVINIANI pertinaciter negant.

SVADENT Negationem. I. *Kemnit. in Exam p 2. Caluinus in Antidoto articulorū Parisiensium.* De vsu Eucharistiæ loquens ait: *Accipite, & manducate.*: netrū possunt mortui: ergo.

II. Kemnitius: Chrysostomi sententia, hunc ritum esse ab Apostolis, falsa videtur: 1. Quia Apostolica ea Constitutio in nulla *S.* Scriptura reperitur. 2. Quia *S.* Hieron. & Greg. dicunt Apostolos ad Orationē Dominicam sacrificasse. 3. Quia Tertullianus

nus *l. de Corona mil.* ait, hunc ritum ex Conſuetudine profluxiſſe.

III. Mortuorum in actione Cœnæ facta commemoratio fuit; ſed quòd pertinerent ad Corpus Eccleſiæ, & Communionem Sanctorum; non vt refrigerium & propitiatio eis fieret.

AVTOR. 1. Mach. 12. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare* in Sacrificio, *vt à peccatis*. i. peccatorũ pœnis *ſoluantur*. Ideo Iudas Machabæus iuſſit *offerri Sacrificium pro peccatis mortuorum*. 1. Qui liber improbè negatur à Luthero. Caluiniſtis eſſe canonicus. Eſto tamen; minimùm hiſtoricus docet perantiquam eſſe Conſuetudinem ſacrificandi pro defunctis; quam nec Chriſtus, nec Apoſtolus vllus, nec *S.* Patrũ quiſquã reprehendit: quin laudant. 2. Traditio, moſq; peruetus eſt Eccleſiæ, & is Vniuerſalis: cuius contrarium mendaciter affirmat Kemnitius *p. 2. Exam. Trid. de Eurg. S.* Chryſ hom. 69. ad Antioch. pop. *Non temerè hæc ab Apoſtolis ſancita fuerunt, vt in tremendis Myſteriis fiat defunctorum cõmemoratio.* Sic Liturgia Iacobi & Clementis. 4. Aërius hæreſiarcha, dãnatus ab Eccleſia, primus docuit, non eſſe pro defunctis ſacrificandum. 5. Conſenſ? Vniuerſalis *S.* Patrum illuc incumbit. Vide *Geneal. p. 3. q. 17.*

DICO AD I. Defuncti vt participare nequeunt de carne *S*acrificii, de Fructu tamen poſſunt. Idque dicebat Dominus, quibus præbebat *S*acramentum; non iis, pro quibus offerebat *S*acrificium.

AD II. Traditionem hanc refert *S.* Chryſ. ad Apoſtolos, non ad Scripturam: in hac ſi foret, traditio non eſſet. Eſt tamen etiam in *2. Mach. 12.* Eſto: dixerit id *S.* Gregorius: nil infert. *S.* Hier. non ſcripſit. Tertullianus dicit ex Conſuetudine hunc ritum eſſe retentum, fluxiſſe inde non dicit; finxit Kemnitius.

AD III. Item fingit idem contra nubem S. Patrum. Aug. in Enchirid. c. 110. *Pro non valdè malis Propitiatio eſt.* Neque enim pro Sanctis ſacrificati vnquam dicunt Patres.

QVÆSTIO LXXVIII.

An repugnet Inſtitutioni Miſſæ, vt in ea Sanctorum fiant memoria?

LVTHERANI maximè Kemnitius p. 2 Exam. pag. 818. ad illi verba S. Aug. 8. Ciu. c. 27. *Nec Martyribus non conſtituimus templa, Sacerdotia, Sacra, & ſacrificia* Subſumit mendaxita: *Atqui hoc in Apoſtolum eſt, & adhuc defenditur.* Idem *pag. 810.* Docet Patriſtæ, S Cœnam inſtitutam eſſe, vt in eius celebratione inuocentur Sancti.

SVADETiſtis. Kemnitius pag. 810. Chriſtus dixit *Hoc facite, non in Sanctorum, ſed in Mei commemorationem. 2. Ideo ſe tradidit in Cœna, vt miſericordiam conſequamur per merita vnicæ Oblationis Chriſti, non profanatur Cœna, cùm à Deo petitur, vt per merita & preces Sanctorum, in omnibus diuinæ protectionis munimur auxilio.* 2. Aug. 22. Ciu. c. 10. ait; In à Sacerdote Sanctos nominari quidem; nullo modo autem inuocari. &c.

AVTOR. I. Non repugnat S. Cœnæ Inſtitutioni, vt in ea Sancti honorentur. 1. Quia, *1. Tim 2.* iubet fieri Orationes, vt gratiarum actiones in Sacrificio: hæc cum fiant acceptis beneficiis, ſitque in his præcipuum, Sanctos in cœlum aſſumtos eſſe: quid ni pro iis Deo gratias reddamus? 2. Ita vſitarunt Liturgiæ *S* Iacobi, Clementis, Baſilii, Chriſoſtomi. 3. Id S. Patres tradiderunt, commendarunt. Et illius multiplex conſtat vtilitas. Vide *Bell. l. 2 c. 8.*

II. Non repugnat eidem Sanctos in eo Inuocari; Non, vt ipſis Oblatio fiat; quod

quod nequit citra idololatriam: Nec, vt preces ad eos dirigamus dicendo: S. Petre ora pro me: Sed vt preces ad Deũ dirigamus, à quo petimus adiuuari etiã Sanctis intercedentibus. Hoc arguunt hæretici. 1. At hoc S. Patres docuerunt, & vsurparunt in suis Liturgiis. 2. Ratio fauet. Nam Sãcti possunt orare pro nobis, & orant: bonum igitur est idipsum petere abs Deo, vt mediorum vnum salutis nostræ: Sicut petere licet bonos in terris doctores, reges. &c. Antecedens dant Lutherani & Caluiniani; licet negẽt eos nostras audire preces. &c. De hoc parte 1.

Dico Ad I. Neque dixit Dominus: *Hoc facite in meam* Solius *cõmemorationem*. Neque potest in Sanctorum memoriam directè sacrificari; cum Sacrificium sit ad commemorationẽ mortis Christi; non Sanctorum, nisi quatenꝰ hîc in morte Christi vicerint mortem moriendo: quod est Sacrificium actionis gratiarum.

Ad II. Gradu longè inferiore supplicamus per merita Sanctorum, quàm per merita Christi passi: nam hoc latreuticũs; istud per Duliam duntaxat. &c.

Ad III. Affingit id S. Augustino Kemnitius. Vide plura talia in meo *Antipap. p. 3. q. 7.*

QVÆSTIO LXXIX.

An Priuatæ Missæ sint à Deo permissæ?

Lutherani post Lutherum negant: vt Brent. *in Confess. Wirtemb.* Melanch. *in Confess. Aug.* Kemnit. *p. 2. Exam. pag. 838. &c.* Piget huc eorum blasphema scommata reddere.

Svadent illis. 1. Kemnit. pag. 862. *Hoc facite*, sc. Consecrantes & Distribuentes; ergo Consecrare, & non Distribuere, Cœnam profanare est. Nam, *Act. 2.* Cœna per *fractionem* describitur, id est, dispensationem: sic & *1. Cor. 10.* Et *1. Cor. 11.* priuatas Cœnas opponit Dominicæ: *Hic locus*, ait, *tanquam fulmen prosternit priuatas Pontificiorum Missas. Et clarissima ibi sententia Chrysostomi: Quod Dominicum est, priuatum fecerunt. Cœna enim Domini debet esse Communis.* 2. Commentum Cœnæ sine distributione, quod tamen ea prosit præsentibus; veteribus ignotum fuit. Chrys. hom 3. in Ephes. *Frustra habetur Oblatio quotidiana, cum nemo sit, qui simul participet.* Ibid. *Quisquis Mysteriorum consors non est, impudens & improbus adstat. &c.* 3. *Canone 19. Apost.* excommunicantur, qui peractã Consecratione non permanent in Ecclesia. Sic & *de Consec. dist. 2.* Ergo Missæ priuatæ fuerunt prohibitæ. &c.

Avtor. Missa dicitur sed modis Priuata. 1. *A Loco* seu oratorio priuato: Sic Dominus S. Cœnam instituit in domo priuata: & sub XII. Cæsaribus persecutionib⁹ pleræq; sic priuatim sunt celebratæ. 2. *A Tempore:* Vt publica sit, quæ festis; priuata quæ fit profestis diebus. At ideo, *Daniel. 12.* dicitur luge Sacrificium, quòd sit quotidianum. 3. *A Fine:* quia pro re aut persona fiat priuata. Et Missa si vni applicata tamen publica est, quia ab publico fit Ministro maximam partẽ pro tota Ecclesia. Sic in Vet. Test. Sacrificia agebantur pro priuatis causis. *Leu. 4. 5. Iob. 1. & 42. 2. Mach 3.* 4. *A paucitate adstantium.* Sic S. Augustini presbyter in casa rustica sacrificauit. *l. 22. Ciu. c. 8.* Et mẽtitur Melanchthon *in Apolog. Conf.* tempore S. Gregorii priuatas Missas fuisse ignoratas. 5. Comparatione Missæ Solennis, præter quam aliæ in eodem templo leguntur. At sic & in Vet. Test. vsu venit: inque primitiua Ecclesia hucusq; teste altarium frequentia. 6. Priuata Missa est, in qua solus Sacerdos communicat. Atque hanc maximè hæretici negant licitam. At S. Cœna fuit non solum Sacramentum; sed & Sacrificium: Sed & hoc non agnoscunt aduersarii. Sacrificium autem in se publicum semper

est Mysterium pro salute publica, omnique populo peractum à Sacerdote, id est, Ministro publico.

DICO AD I. Præceptum Domini est affirmatiuum pro loco, tempore, persona. &c. Neciussit semper iunctim, *Facere & Distribuere*; nec vetuit *Facere* sine *Distribuere*. Quia Sacrificium & Sacramentum administrare diuersa sunt, vt simul esse possint, non debeant; minus sunt idem. Neque Fractio est distributio Sacramenti, sed partialis actio Sacrificii. Nec *1. Cor. 10.* describitur ritus Cœnę peragendæ; sed participatio Mensæ Domini & dæmoniorum inuicem opponitur. Et, *1. Cor. 11.* Cœnam priuatam vocat cõuiuium, in quo *vnus esurit, alius ebrius est.* Nam, more Domini, cum vespertinis Cœnis Synaxes Sacras agebant. Ita S. Chrysostomus.

AD II. Falsum: nam Concilium Agathense ante mille annos, Missarũ meminit, quibus nulla fiebat distributio. Chrysostomus arguit raritatem cõmunicantium; & Oblationem ait frustra fieri, non in se; sed quatenus ordinatur ad Dispensationem communicantiũ. Deinde idem docet sæpè, Sacrificium etiam prodesse defunctis, & absentibus viuis; qui tamen non communicant Sacramentaliter.

AD III. Isti Canones iubent, vt cõmunicetur in Missis; non vetant Sacrificari sine communicantibus. Et adhuc arguimus excursores è Missis nondum finitis.

QVÆSTIO LXXX.

Num Circumstantiæ Sacrificii sint tolerabiles?

KEMNITIVS pag. 883. Missas non vulgariliugua patrari exagitat, vt suspectas. II. Submissa voce legi, vult esse contra Domini institutionem; quiesse Cœnam fieri per Annunciationem, ipso clarè S. Verba pronunciante. 2. Quòd Cœnæ actio esse visibilis debeat: ergo & pronunciatio audibilis.

III. LVTHERVS *Capt. Bab. c. de Euch.* ait, 1. Missa cò magis est Christiana, quò simplicior est, similiorque Missæ Christi, sine pompa vestium, gestuum, cantuum. &c. 2. Non tamen calumniandam Ecclesiam ob ritus antiquos. 3. Ceremonias sine fide esse irritabula impietatis.

IV. Kemnitius *pag. 852.* quadruplices Missæ distinguit Ceremonias. 1 *In S. Scriptura mandatas*, Vt Accipere, Benedicere, Manducare, Mortem Domini annunciare. 2. *Piasi* licet non scriptæ sint; vt psalmi, lectiones, preces. 3. *Superstitiosas* & impias; vt pro defunctis offerre: Sacrificare, Sanctos inuocare. 4. *Adiaphoras*; vt vestes, vasa, ornamenta.

AVTOR. I LATINA, Græca, Hebraica Lingua, non Vulgaris, est apta Diuinis, præsertim in Missa. 1. Quia Sacrificium est Actio Oblationis, Cõsecrationis, & Sumtionis: ad Deum colendũ magis, quàm instruendum populum. 2. Conceptis verbis sacrificandũ est: at vulgares linguæ persæpe variant; Et tollerentur communicatio Ecclesiarũ. Gallus non posset in Germania sacrificare. &c.

II. Submissa legi est ad reuerentiam Mysteriorum ait S. Basil. *l. de Spir. c. 7.* 2. Missę Iacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi præscribunt quædam submisse legi. Vt & *Leu. 16.* intra velum à solo Incensum offerebatur. 3. Et Christus Sacrificium Crucis silentio magis peregit, quàm clamore. Et memorandæ mortis Domini Annunciatio fit Actione magis, quàm sermone extra Prædicationẽ Dominum autẽ sic loqui oportuit, vt doceret Apostolos. 4. Neque verba in Sacrificio requirũtur, quòd ipsa sint Sacrificium; sed vt Christi præsentiam nobis efficiant. 5. Neque Dominus præcepit audiri; sed verbis *Hoc facite*; & hoc Sacerdotis interest, non populi.

III.

III. Lutheri dictum secundũ euertit primum. Tertium verum est: nam *sine fide impossibile est placere Deo*. At fidẽ is specialem putat de remissis peccatis cuiusque: Hæc damnatur à *Concil. Trid. Sess. 22. Can. vlt.* 2. Kemnitium in tertio errare liquet suprà: de quarto, plures illi reiiciunt: Necessarias esse negant vi præcepti Ecclesiæ: Vim eis nullã tribuunt. Mẽdatia Kemnitii vide in meo *Antipap. p. 3 q. 7.* De singularum ceremoniarum Antiquitate, &c. *Bell. l. 2. c. 14. 15. 16. 7. &c.*

IX. DE POENITENTIA.

QVÆSTIO LXXXI.

An Pœnitentia Sacramentum sit propriè dictum?

LVTHERVS lib. de Capt. Babyl. timidè negat, & variat. 1. *Neganda mihi sunt VII Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda: Bapt. Pœn. Panis.* Ibid. in fine. *Propriè Sacramenta vocari visum est, quæ annexis signis promissæ sunt. Quo fit, vt, si rigidè loqui velimus, tantum duo sint, Bapt. & Panis. Nam Pœnitentia signo visibili & diuinitus instituto caret: nec aliud esse dixi, nisi viam ac reditum ad Baptismum.* 2. Alubi Esse dat Sacramentum, anno 1545.

MELANCHTHON in Locis anno 1522. negat. *Pœnit. non est signum: est enim vetustatis nostræ mortificatio, & renouatio Spiritus; Sacramentum eius vel signum non aliud est, nisi Baptismus.* Idem tamen libris dein editis cum Luthero asseruit esse Sacramentum.

ILLYRICVS *in apol. Conf. Antuerp. c. 18.* Kemni. *p. 2. Exam. pag. 903.* scribere audent Confess. Augustanam non agnoscere Pœn. Sacramentum. Nimirum quia Lutherus & Melanch. priorem suum errorem reuocarunt ac Pœnitentiam negatam asseruerunt.

II. ZWINGLIVS *lib. de vera & falsa relig. cap. de Sacr.* respuit Pœnit. dicere Sacramentum. CALVINVS *Inst. l. 4. c. 19. §. 15.* plura aggerit argumenta. Item in *Antid. Trident. Sess. 6. c. 15.* Beza in Confess. c. 7 a. 11.

III. LVTHERANI multi Caluinizant in hoc, licet iurarint in Confessionem Augustanã: Vt Nicolaus Selneccerus *in p. 2. Pædagogiæ.* Wigandus, Illyricus, Kemn. in 1. *disput. de Pœnitentia. &c.* Vide in *Genealog. p. 3. q. 19.*

SVADENTISTIS CALVINISTÆ 1. Caluinus Inst. l. 4. c. 19. §. 15. &c. *Romanenses Scholastici anxiè in reperiendo hic Sacramento desudant. Nodum in scirpo. Quod tamen optimum habent, rem incertam, opinionumq; varietate confusam relinquunt.* 2. *Dicunt esse Sacramentum; sed non est ceremonia externa à Domino instituta ad fidei nostræ confirmationem, &c. Qui tale in ipso* Augustino, *vident, quod pœnitentiæ Sacramentum vocant?* 3. *Nego iure haberi Sacramentum primum, quòd nulla Dei promissio singularis ad hanc rem extet.* 4. *Deinde quòd, quæcunq; hic ceremonia proferatur, merum sit hominum inuentum, mendacium, & impostura.*

5. Kemnitius par. 2. Exam. pag. 903. *Ex diuina Institutione non habet tale externum elementum, quale in Baptismo & Eucharistia, quod ad integram definitionem, & genuinam proprietatem Sacramenti pertinet.* 6. Sacramentum Pœnitentiæ non habet fundamentum in Vet. Testamento, in quo fuit contritio & confessio; neq; tamen idcirco Sacramentum: licet etiam absoluerit Nathan Dauidem. Licet Petrus *Act. 10.* Paulus. *Act. 26.* dicant se pœnitentia & remissione peccatorum non aliter docuisse, quàm prophetæ. Neque Pœnitentia habet fundamentum in prædicatione Baptistæ, & Christi. 7. Neq; in hisce, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata. &c.* Neq; in doctrina Apostolorum aut exemplis, teste Paulo *Act. 26.* Petro, *Actor. 10. Vanum & falsum est Apostolos etiam docuisse pœnitentiam quoad substantialia, quâ impii ante Baptismum ad Deum conuertuntur, & quâ lapsi post Baptismum redeant in gratiam.*

AVTOR. Pœnitentia est propriè dictum Sacramentum: I. Ioann. 20. *Quorum remiseritis, &c.* Vide in *Antichristo p. 3. q. 29.*

Aduerſarii omnes contendunt hîc agi de Remiſſione per Prædicationem fidei excitatricem; non de Iudiciaria. Caluinus *in Antid. Trid. Seſſ. 6. C. 14.* agi de ea, quę fit per prędicationem in conuerſionem Infidelium ad fidem, & per Baptiſmum ad Eccleſiam. Sic & Kemnitius *pag. 915.* Qui tamen, etiam Fidelibus remittendi peccata, ait datam hic poteſtatem.

DICO, Explicatio loci prior eſt Cyrilli, eum intelligentis de & Infidelibus, & Fidelibus facienda remiſſione: At diuerſimodè iſtis, per Baptiſmum; his per Ritum Pœnitentiæ: Vtriſque per Sacramentum, non idem, ſed diuerſum, ſcilic. Ritu diuerſo: Nam & Kemnit. *pag. 917.* & Caluinus *Inſt. l. 3. cap. 4. §. 12.* agnoſcunt hinc colligi priuatam Abſolutionem à Domino inſtitutam.

Poſterior expoſitio, de ſolis Fidelibus abſoluendis, eſt probabilior. 1. Quia Ioannes non ſolet repetere, quæ priores Euangeliſtæ ſcripſerunt: at Matthæus & Marcus iam ſcripſerunt de Baptiſmo: de Pœnitentiæ Sacramento adhuc nullus. 2. Fatentur etiam Aduerſarii, hîc dari *poteſtatem Clauium*: at hæc non eſt ad Baptiſmum neceſſaria; ſed ad Pœnitentiã; Eſtque propriè Eccleſiaſticorum, at baptizandi poteſtas eſt etiam laicorum. 3. Clauium poteſtas eſt Iudiciaria: at de Infidelibus non iudicant Chriſtiani: 1. Corinth 6. *Quid ad me de his, qui foris ſunt, iudicare.* Ita S. Patres Chryſoſtomus, Theophilactus, Euthymius, Ambroſi⁹. &c. Atque hæc expoſitio euacuat omnes obſtringillationes Kemnitii: addito; Lucam, Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuquisque*, loqui de pœnitentia Infidelium ante Baptiſmum; Ioannem 20. de pœnitentia fidelium poſt Baptiſmũ.

Porrò idem doceo ex triplice definitione Sacramenti.

I. Sacramentum eſt ſignum viſibile ſacræ rei, ſc. gratiæ iuſtificantis quam cõfert. At Confeſſio pœnitentis, & Verbum Abſoluentis ſunt ſigna gratiæ iuſtificantis; illa, animi renouati; hæc, peccati relaxati. Ergo ea duo ſunt vnum Sacramentum. Ita Lutherus *lib. de Capt. Babyl. ſub finem*: Sacramenta ſunt, quæ ſignis annexis promiſſa ſunt. Sic & *Apol. Conf. Aug.* poſcit Sacramento Ritum à Deo mandatum; cum promiſſione gratię. At qui Abſolutio priuata habet mãdatum: 2. Cor. 5. *Poſuit in nobis Verbum reconciliationis.* Et: *Pro Chriſto legatione fungimur.* Habet gratiæ promiſſionem: Ioann. 20. *Remittuntur eis.*

III. Quæ octo Kemnitius requirit ad Sacramentum verum, in hoc elucent. 1. Senſibile ſignum: *Abſoluo te: Remitto tua peccata tua.* 2. Inſtitutionem id habent cum mandato Dei: *Quorum remiſeritis*, &c. 3. Idque in Nouo Teſtamento. Vt hîc. 4. Sit Ritus perpetuus, non temporarius: at ritus abſoluendi iam duravit 1600 annis ferè. 5. Adſit promiſſio gratiæ: At adeſt. 6. Et gratiæ iuſtificantis, non cuiuslibet: At hic eſt talis, *remiſſoria peccato.* 7. Sit ad ſignum externum: at id hic eſt: *Abſoluo te.* 8. Promiſſio in particulari ſingulis applicetur, non tantum in genere. At fit: *Ego te abſoluo à Tuis peccatis.*

IV. Caluinus Inſt. l. 4. c. 14. §. 1. Sacramentum definit: *Externum ſymbolum, quo benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones cõſcientiis noſtris Dominus obſignat: 2. Ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem: 3. Et nos viciſſim pietatem erga eum noſtram teſta-*

testamur. At & hæc tria insunt Ritui Cõfessionis & Absolutionis; non minus quàm Baptismi, aut Cœnæ ritibus. Quare est verè Sacramentum.

V. Denique Testimonia Patrum Latinæ & Græcæ Ecclesiæ ante, & post annum 1100. idem testantur apud *Bell. l. 1. Pœn. c. 10.*

DICO AD I. Ecclesia semper, & omnis Theologia nil vnquam sensit aliud, quàm Pœnitentiam esse Sacramentum: At quid in eo sit Sacramentum; quid Res tantum; quid res & Sacramentum simul; in his tribus disputant animi gratia. AD II. Iam patet ex dictis.

AD III. Patet itidem.

AD IV. Item; & verbum Concionale à forma Sacramentorum remouimus *sup. q. 5.*

AD V. Vt in Baptismo Aspersio, in Eucharistia signum externum est Consecratio & sumtio Rei permanentis Sacræ in Pœnitentia est signum externum Confessio Pœnitentis, & Enunciatio Verborum Absoluentis. Et vtraque est actio transiens; sicut & baptizatio.

AD VI. In Veteri Testamento nulla fuit potestas absoluendi à peccatis: proinde nec pœnitentia fuit ibi Sacramentum. Nathan erat Remissi nuncius Dauidi: *Dominus transtulit peccatum tuum à te.* Petrus & Paulus verò loquuntur de pœnitentia virtute, quæ in Veteri Testamento est eadem. At Sacramentũ Pœnitentię probamus ex Nouo; vbi id Christus primum instituit, *Ioann. 20.* Vnde Christo prædicante, & Baptistâ, nondũ erat Sacramentum. Quòd tamen Christus absoluit quosdam, fecit potestate suâ extraordinariâ Excellentiæ. Baptistæ defuit Absolutio, etsi fiebat Confessio.

AD VII. Patet supra. Apostoli nõ tradiderunt ibi Ritum Sacramenti; solũ scribunt prophetas testari, remissionem peccatorum accipere Credentes in nomine Christi. Sicut autem non leguntur audisse enumerationes peccatorum; ita nec impendisse Absolutionem; & tamen Sacramentum Pœnitentiæ administrarunt. *Denique* pœnitentia ante Baptismum est solum præparatoria ad eundem; non verò Sacramentum. Cætera Kemnitiana subiectis quæstionibus liquebunt vana.

QVÆSTIO LXXXII.

An Pœnitentiæ & Baptismi Sacramentum sit idem?

LVTHERVS *l. de Capt. Bab. c. de Bapt.* Lapsos per Baptismum, memoriâ, non reipsa repetitum, reconciliari. *Prabuit opinionibus occasionem verbum periculosum S. Hieronymi: siue malè positum, siue malè intellectum: quo Pœnitentiam appellat secundam tabulam post naufragium. Quasi Baptismus non sit Pœnitentia. Hinc enim, vbi in peccatum lapsi fuerint, deprima tabula seu naui desperantes, velut amissâ, secundâ tantum incipiant niti, Pœnitentiâ.* Ibid. sub finem *Pœnitentia signo visibili & diuinitus instituto caret, & aliud non esse dixi, quam viam, ac reditum ad Baptismum.* At eodem libro scripsit Tria esse Sacramenta, Baptismum, Pœnitentiam, & Panem: seu Vnum Sacramentum, & tria signa Sacramentalia. MELANCHTHON *in Locis anno 1521.* Signum Pœnitentiæ esse Baptismum.

CALVINVS. Inst. 4. c. 15. §. 4. Vim Baptismi ad omnia vitæ peccata se extendere dicit. *Dictum Hieronymi, quin plane impium sit, excusari nequit. Quasi vero per Baptismum deleatur peccatum, & non potius in memoriam reuocandum sit peccatori, quoties de remissione peccatorum cogitat, vt illinc se colligat, fidemq; confirmet.* Infra. *Aptissimè dixeris, si Baptismum vocaueris pœnitẽtiæ Sacramentum. Cum in confirmationem gratiæ, & fiduciæ sigillũ iis datus sit, qui Pœnitentiam meditantur.* Sic & Kemnitius. &c.

SVADENT istis. 1. Caluinus *Inst. l. 4. c. 19. §. 17.* Baptismus per peccatum non deletur, ergo per totam vitam est vtilis ad memoriam reuocatus. 2. *Hieronymus durè & impropriè dixit Pœnitentiam secundam tabulam.* Vide plura supra quæst. 30.

AVTOR. *Concil. Trid. Sess. 14. Can. 2.* dicit anathema confundentibus ea duo Sacramenta: Adeo diuersa sunt. 1. Docet id figura. *Col. 2.* Baptismus dicitur Circumcisio spiritalis; at hæc nusquam legitur iussa repeti cum memoriâ in remedium peccatorũ: Sed pro hoc Sacrificia, Expiationes, Cõfessio præscribũtur. *Leu. 4. 5. 6.* Ergo. 2. Non remittimur, *1. Ioan. 1.* ad memoriam Baptismi; sed *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, vt remittat nobis pecc. nostra, et emundet nos.* 3. Heb. 6. *Impossibile* est eos, *qui semel sunt illuminati*, per Baptismum aiũt S. Patres, contra Nouatianos; *& prolapsi sunt, rursũ renouari ad Pœnitentiã*, repetito Baptismo. Vnde baptizatum prius dein lapsum in incœstum, Paulus non remisit ad Baptismum. Et ibidem monet. *Non rursus iacientes fundamentum pœnitentiæ.* Quocirca, aut neganda est cum Nouatianis Reconciliatio; aut fateri Pœnitentiam esse distinctum à Baptismo Sacramentũ. 4. Post Baptismum lapsi, non sunt remissi ad memoriam Baptismi; sed ad pœnitẽtiam: Vt, *Act. 8.* Simon, *1. Cor. 6.* Incœstuosus. 5. Mirum, si vnicum salutis remedium foret; nec de eo S. Scriptura verbum: nil S. Patrum Traditio; at multa de pœnitentia.

RATIO. Quia, Luc. 12. *Seruus qui cognouit voluntatem Domini, & non facit; vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis; vapulabit paucis.* Ideo 1. Timoth. 1. *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Atqui post Baptismum scienter peccans facilius resanaretur, quàm ignoranter peccans ante Baptismum: quia is solâ memoriâ; non hic. Istud verò est absurdum. 2. Ritus Baptismi & Pœnitentiæ diuersam habent materiam ac formam: sunt igitur & Sacramenta diuersa. Item & Ministrorum est diuersitas: nam semper soli Episcopi & Sacerdotes Absoluerunt: Baptizarunt verò etiam Diaconi, adeoque laici ipsi.

DICO AD I. Baptismus, quà fuit actio transiens, transiit; quà dedit gratiam regenerationis, hanc fugat peccatum, & extinguit; non tamen Characterem impressum.

AD II. Peraptè dixit. Sic & Tertullianus libro de pœnitent. vocat eam *secundam ianuam, spem, secunda subsidia,* &c.

QVÆSTIO LXXXIII.

Quæ sint partes Essentiales Pœnitentiæ?

LVTHERANI: vt Illyricus *in apol. Conf. Antuerp. 8.* Kemnitius *p. 2. Exam. pag. 903.* cum Scoto *4. d. 14. q. 4. & d. 16. q. 1.* asserunt vnam, sc. Absolutionem. At Scotistæ tamen non negant pœnitentiam esse Sacramentum, neq; negant Confessionem esse necessariam; vt ij hæretici.

II. MELANCHTHON in Apol. Confess. Aug. art. 13. asserit duas: Ritum Visibilem, & Verbum absolutionis. *Corda simul per Verbum & Ritum mouet Deus. Verbum incurrit in aures, Ritus in oculos.*

III. ALII duas Baptismi recordationem, & Verbum Absolutionis, De his suprà.

SVADENT primi istis. 1. *Kemnitius pag. 935.* 1. Quia Antiquitati est ignota distinctio pœnitentiæ in Materiam ac Formam. 2. Nec inter ipsos scholasticos conuenit. 3. Sacramenta sunt actiones Dei; proinde si opera humana sint pars pœnitentiæ, his diuinitatem tribui necesse est. 4. Ante centum annos nil certi

certi constitit de materia pœnitentiæ. 5. Et Concil. Trident. timidè scripsit, Actionem pœnitentis esse materiam pœnitentiæ, vel quasi: Ergo ipsa est Sacramentum, vel quasi; & effectus eius est remissio peccatorum, vel quasi. 6. *Scotista.* Quia effectus pœnitentiæ aptè significatur per Absolutionem, non per Confessionem; at Sacramentum est signum rei: ergo. &c. 7. Id est Sacramentum, quod à ministro confertur; talis hic est Absolutio, non Confessio. 8. Absolutio sola est causa gratiæ, cum tota vis pœnitentiæ in Clauibus consistat: at hæ sunt Absoluentis.

AVTOR. Partes essentiales Pœnitentiæ sunt duæ: Absolutio Sacerdotis vt Forma; Actus pœnitentis vt Materia. Ita Communis: & Tridentinum *Sess. 14. Can. 3.* & Concil. Florent. Quia *pœnitentia est actio pœnitentis:* non, vt Scotus ait, *est Absolutio pœnitentis, facta certis verbis.* 2. Sacerdos absoluere non debet vllum, nisi quem ex signis visibilibus pœnitentem esse cognoscit; cum Sacramentum sit signum visibile gratiæ à Deo institutum: Cur igitur Confessio, tale signum, non foret pars Sacramenti? Significat enim confitens se voluntate recedere à peccato, ac proinde iustificari: quod Absolutione completur. 3. Confitens concurrit ad remissionem peccatorum; 1. Ioann. 1. *Si confiteamur peccata nostra fidelia. &c.* Proinde, vt Absolutus dicitur verè iustificari; sic & Cõfessus. Itaque Confessio & Absolutio sunt partes essentiales.

DICO AD I. Pariter & in Baptismo: at res perantiqua est; termini sunt recentiores, & rei explicandæ aptiores.

AD II. Conuenit: nam Communis tenetur; vt patet.

AD III. Actiones pœnitentis non habent vim Sacramentalem, nisi vt instrumenta sunt Dei: sicut & verba Sacerdotis.

AD IV. Ar. Gabriel *4. dist. 14. q. 2. art. 1.* docet de Confessione & Absolutione ex Communi sententia, & is vixit ante 100. annos, citatque *S.* Thomam. &c. Sic & Concilium Florent. anno 1439.

AD V. Sic ex hoc, *Quasi Vnigenitus à Patre,* liceret dicere, Christus est Vnigenitus, vel quasi. Vox *quasi* non semper extenuat rem. Et Confessio est *quasi materia*, quia est sensibile signum actionis transeuntis; non solida & subsistens.

AD VI. Etiam Confessio significat pœnitentem recedere à peccato; ceu Absolutio, Sacerdotem expellere peccatum.

AD VII. Minister Sacramenti est, qui vel totum, vel partem Sacramenti conficit potiorem; vt hîc Absolutionem Sacerdos; Confitens tamen cooperator est necessarius.

AD VIII. Operatur per Claues Absoluens; at & cooperatur Confitens: Vt homo constat ex corpore & anima; solâ hâc intelligit: ita Sacramentum constat partibus duabus; vnâ tamen operatur; & quidem non sine alia.

QVÆSTIO LXXXIV.

Quæ sunt partes Materiales Pœnitentiæ?

LVTHERO-CALVINISTARVM triplex errat sententia. I. LVTHERVS *lib. contra Bullam Antichristi art. 5* anno 1520, & 1521 etsi non neget tres esse partes; Satisfactionem tamen non esse iuris diuini; tamen anno 1545. in refut. art. Louan. propos. 29. negat esse tres: sed duas, art. in Smalcald. art. anno 1537. scz. Contritionem ex minis legis, & Fidem ex Euangelii promissis. Sic & Melanch. *in Locis, anno 1521. In Conf. Aug. anno 1530.* posuit eas Mortificationem, & Viuificationem. Sic Centuriatores &c.

II. LVTHERANI alii tertiam adduct, Opus bonum,

seu

seu uonam Obedientiam. Ita Lutherus in 1 Disput. contra Antinomos, anno 1538. propos. 1. Statuit Dolorem de peccato & Propositum melioris vitæ Hoc esse ait, *Disput.* 3. Fidem in Deum, & opera bona. Sic & Melanchth. in *Apolog. Confess. Aug.* assignat Contritionem, Fidem, Nouam obedientiam. Sic omnes Molles Lutherani contra Rigidos Illyricianos; vt sunt Confessionistæ Saxonici.

III. CALVINVS *Inst. l. 3. c. 3. §. 8.* asserit duas: Mortificationem, & Viuificationem: id est, Abnegationem veteris hominis, seu vitiorum totâ vitâ; seu Consolationem ex Euangelio, *Ibid.* §. 1. vult Fidem esse priorem Pœnitentia; idque contra Lutheranos, quos refellit; qui Terrores incussos priorem partem Pœnitentiæ affirmant, prodromum Fidei & Doloris.

SVADENTISTIS. 1. Caluinus §. 8. Isa. 1. *Quiescite agere peruersè discite bene facere.* Psal. 34. *Declina à malo, & fac bonum.* 2. Ibid. c. 4. §. 1. *Quia, Pœnitentia est, Anteacta peccata deflere; & flenda non committere.* 4. dist. 14.

3. Kemnitius par. 2. Exam. pag. 941. Quia, *Lex diuina peccatores minis terret: Euangelium consolatur propositâ Christi iustitiâ, quæ per Fidem apprehenditur. Ecce duæ: Terror & Fides.* Marc. 1. *Pœnitentiam agite, & Credite Euangelio.* Act. 10. *Testificans in Deum pœnitentiam, & Fidem in Iesum.* 4. Idem. Partes Pœnitentiæ esse visibiles debent: at Terrores sunt signa externa Contritionis internæ: & Fidei Confessio exterior, teste Scriptura. Ergo duæ sunt partes. Satisfactionis opera Pontificiorum non habet mandatũ in Scriptura. 5. Pontificiis tres partes etiam hypocritæ præstare queunt: & iis tamen tribuunt remissionem peccatorũ. 6. Iudas Fide carens speciali habuit tres partes pœnitentiæ Pontificias; & desperauit. 7. Tres eæ sunt sumtæ ex ritibus publicæ pœnit. abrogatæ. 8. S. Patres loquuntur de pœnitentia quæ est mutatio vitæ; non quæ est remissio peccatorum; Hoc non attento Monachi tres partes pœnitentiæ finxerunt.

AVTOR. I. TERROR ex minis Legis incussus, seu Mortificatio Lutherana, non est pars Pœnitentiæ; cor tamẽ ad hanc præparat: alia enim requiruntur ad Conuersionem; alia sunt partes Pœnitentiæ. 1. Quia *S. Scriptura* distinguit Terrorem ab Pœnitentia. Vide *Antichristum p. 3. q. 31.* 2. Terror est passio naturalis, non actus virtutis; esto; in pueris & brutis, quæ tamen non ideo sunt virtuosa. 3. Terrores sunt etiam in impœnitentibus, vt in dæmonibus, Iac. 2. *qui credunt & contremiscunt.* 4. Veram non nulli agunt pœnitentiam ex mero amore Dei, qui nullos sentiunt terrores: Vt illa, Luc. 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam Dilexit multum.*

II. NEC FIDES est pars pœnitent. licet ad hanc requiratur vt dispositio. 1. Sic Scriptura, in Antichristo. 2. Partes pœn. sunt eę actiones, quæ à virtute Pœnitentia manant: at Credere non est actus pœnitentiæ; sed virtutis Theologicæ. 3. S. Patres in definitionibus pœn. nunquam fidei meminerunt. Vt S. Gregor. hom. 34. *Pœnitentia est, præterita peccata plangere; & plangenda non admittere.* Sic & Amb. 4. Niniuitæ, *Ioan. 3.* credederunt in Deum, & pœnitentiã prædicarunt, egerunt; & tamen fidem eam specialem de remissis sibi peccatis non habuerunt: ideo spem inter & metum dubii dicebant: *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus.*

III. NEC OPERA BONA, post iustificationem facta, sunt partes pœnit. Quia multa bona fiunt nulla cum relatione ad peccata præterita; sed ex solo amore in Deum, iuxta fixum semel propositum vitæ melioris.

IV. MORTIFICATIO & Viuificatio

catio Caluiniana non sunt partes Pœnitentia. 1. Quia Caluinus & Beza volunt, Pœnitentiam, id est, duo illa esse fructus Fidei Iustificantis; ideoque Fide posteriores: At S. Scriptura docet, Pœnitent. esse viam ad Iustificationem: Ier. 18. *Si pœnit. egerit gens illa; agam & ego pœnit.* Act. 2. *Pœnit. agite, & baptizetur vnusquisque &c. in remissionem peccatorum, & accipietis donum Sp. Sancti.* Act. 3. *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Act. 5. *Saluatorem excitauit Deus, ad dandam pœnitentiam Israëli, et Remissionem peccatorum* Errant igitur ambo Lutherani quòd Pœnitentiam constituant in Dispositoriis motibus ante pœnitentiã: Caluinistæ, in fructibus fidei iustificãtis, qui veram pœnitentiam subsequuntur. 2. Quia, Luc. 15. *Iusti non egent pœnitentiâ.* sed Heb. 6 post *Fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis ad perfectionem ferimur.* Itaque peccatorum est pœnitentia: At Mortificatio & Viuificatio est iustorum, vti profectus: ergo partes esse pœnitentiæ nequeunt.

V. Contritio, Confessio, Satisfactio sunt tres partes pœnit. Sed non illius habitus pœnit. qui virtus, simplexque est qualitas; nec Actualis pœnit. eiusdem, vt cuius effectus sunt tria illa: sed Pœnitentiæ illius, quæ ad Remissionem in Sacramento ordinatur, ad quam tres ij Actus sunt necessarij: teste S. Scriptura in meo *Antichristo q. 31.* 2. Sic & S. Patres, apud *Bell. l. 1. Pœnit. c. 19.* 3. RATIO. 1. Pœnitentia Sacramentalis non est quicuis peccati detestatio & punitio; sed quà offensam Dei respicit, ad tollendum peccatum, & Dei amicitiam reparãdam. Hinc dicitur, Act. 20. *Pœnitentia in Deũ*, Act. 26. *Conuersio ad Deum*, & Ezech 18. 33. cuius finis est reconciliatio & iustificatio. Atq; illius est primum dolere de violata amicitia Dei; tum fateri culpam Deo; demũ pœnæ se subiicere; idque coram Ministro Dei: nec enim immediatè nobiscum agit Deus. 2. Natura docet pueros tria hęc, cùm se peccasse norunt: At Ps. 122. *Sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum: ita oculi nostri ad Dominum, donec misereatur nostri. &c.* 3. Vt tria sunt instrumenta peccandi, cor, lingua, manus; ita par est, eadem, Rom. 6 *seruire iustitiæ in sanctificationem.*

DICO AD I. Isaias ponit Pœnitentiam ante vitæ emendationẽ: at Caluinus postponit etiam eam iustificationi. Et Isaias docet Pœnit. esse Causam iustificationis, non fructum. At Psaltes numerat ibi partes iustitiæ; non Pœnitentiæ.

AD II. Non necesse est descriptionem rei omnes partes rei continere.

AD III. Terrores ij licet gignant pœnitentiam vt causæ; non ideo sunt eiusdem partes. Terrores præeunt, Consolationes sequuntur Pœnitentiam: ergo non sunt eius partes. Adductaq; loca repugnant Kemnitio.

AD IV. Esto, sunt signa; sed non vt partium concomitantia Pœnitentiam ad Deum: verũ sunt antecedentia.

AD V. Possunt & alia Sacra omnia præstare: ergone reicienda?

AD IV. Iudas erat baptizatus, & à Domino communicatus: an igitur Baptismus & Eucharistia respuenda? Deinde Iudas non habuit tres eas partes, imò nullam: ideo spem remissionis non habuit, nam desperauit.

AD VII. Dicitur: nunquam docebitur. Nam tres eæ etiam in Veteri Testamento fuerunt vsitatæ. patet in Dauid, & Niniuitis.

AD VIII. Iudicium hoc temerariũ est aut ignorantiæ, aut malitiæ. Id sequens aperit quæstio.

QVÆSTIO LXXXV.

Quæ sunt Pœnitentiæ partes Rituales?

AVTOR. Historica hæc quæstio est ac ritualis; non Controuersistica: nisi quantum Luthero-caluinistæ Kemn. & Caluinus mentiuntur. Semper igitur fuit Pœnitentia duplex: *Publica*; in qua peccatum publicum publicè luebatur: *Priuata*, in qua priuatim priuata & occulta Sacramentaliter expiabãtur, cum Secreto naturali & Sacramentali. *Publica* erat Solennis, alia Non solennis. *Solennis* erat de culpa publici scandali: semel in vita vni concedebatur: Sacerdoti non poterat imponi, nisi degradato: Quique solennem egisset, ad Ordines nequibat admitti. Nec coniugibus imponebatur sine mutuo consensu; idque à solo Episcopo.

II. Pœnitentes *ordinem* tertium tenebant: Clerici primum; Fideles secundum. *Habitus* erat pullus, cilicinus, caput rasum. *Tempus*, quo imponebatur, erat dies Cinerum: reconciliabantur in die Cœnæ, feria V. Pœnæ erant, abstinere ab S. Synaxi: à nuptiis, militia, à patrinatu baptismali: Carere aditu ad Clericatum: Extremã Vnctione priuari: Omni die Ieiuniorum humiliare capita Sacerdoti pro eis oranti: Sepelire mortuos debebant: Aliis stando orantibus, ipsi genua flectebant. &c.

QVÆSTIO LXXXVI.

Contritio *an sit actio bona, libera, & Euangelica?*

LVTHERVS *Disput. 1. contra Antinomes prop. 2.* ait Contritionem esse sensum legis in conscientia, id est terror ex peccato & pœnis legis. Quia Ierem. 23. *Verba mea sunt quasi malleus conterens petras.* Sic LVTHERANI RIGIDI in idem consentiunt. Hinc tria inferunt; 1. Non esse liberam, sed extortam Passionem, non Actionem. 2 Eam pertinere ad Legem, non ad Euangelium. 3. Non esse opus bonum, quin omni opere bono spoliare. Sic Rigidi contra Molles Wittembergenses; & Kemnitius.

LVTHERANI MOLLES aiunt Cõtra, esse opus bonum, Actionemq; Euãgelicam. Sic in colloquio Altenburgensi. Et CALVINVS *Institut. libro 3. capit. 3. §. 20.* eisdem & Nobiscum assentit.

SVADENT illi sic. 1. Ierem. 23 *Verba mea sunt, &c.* 2. Quia experientia docet, verè contritos fere contemnere; nil boni, multa mala in se agnoscere, nisi pœnisque dignos se iudicare. 3. Terrores ijnd sunt, nisi fuga Dei, fremitusque contra Deum, & via ad desperationem.

AVTOR. I. Contritio non est terror. 1. Docent metaphoræ: quia Conteri non est contremiscere; nec contra: potest enim quis contremiscere, & non conteri. 2. Humilitas ferè semper adest comes Contritioni; at non ita terrori: patet in dæmonibus, qui contremiscunt.

II. Contritio est Actio libera; non coacta. 1. Sic Scriptura in meo *Antichristo p. 3. q. 32.* 2. Quia Contritio est gratum Deo Sacrificium. *Psal. 50.* oculos Domini trahens *Isa. 66.* habensque promissio-

missionem gratiæ: At Passio nil agit, nil meretur. 3. Quia volunt esse passionem quòd eam esse terrorem fingant: at hoc falsum patet suprà.

III. Contritio pertinet ad Euangelium: Testibus Prophetis, Christo, Apostolis, quæ repete ex Antichristo. Ratio. Quia Euangeliũ etiã terret, & graui⁹, quã lex, minatur ignes inextinguibiles, vermes, stridores, &c. Lex verò etiam consolatur spe promissionum.

QVÆSTIO LXXXVII.

An includatur in Contritione odium peccati præteriti?

LVTHERVS *in serm. de pœnit.* negat: sed potius vitæ nouæ studium. *Confessuro tibi*, ait, *plus discutiendum est, quantum diligas iustitiam, quam quantum odias peccatum; multoq; maiore imò solo hoc labore tibi cogitandum est, quomodo futuram vitam agas bonam, quàm quomodo odias aut deseras præterita mala. Verissimum est enim prouerbium, & omni doctrina huiusq; de pœnit. data præstantius: Optima Pœnitentia, Noua vita.* Ibid. *Hæc tristitia*, de peccatis præteritis, *facit hypocritam, imò magis peccatorem, &c. Non ergo in vsu S. Scripturæ Pœnitentia dicitur dolor, sed mutatio vitæ & consilii.* Sic in epist. ad Stauilium.

II. Sed in art. Smalcaldicis muttauit sententiam: quam tenent hodie nobiscum Lutherani, & Caluiniani.

SVADET Lutherus istis. 1. Quia Lactantius ait μετάνοιαν, significare Resipiscentiam: non odium peccati. 2. Gal. 6. *In Christo IESV neq; Circumcisio, neque præputium aliquid valet; sed Noua creatura.* 3. Quæ, a Cor. 7. *secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* q. d. non actæ vitæ odium, sed amor nouæ. Nam factum infectum fieri nequit: itaq; factum dolere, stultum est.

AVTOR. Peccati memoria & detestatio necessaria est pœnitenti. Teste in Scripturis Deo, Prophetis, Christo, Apostolis, S. Patribus, ac ipsismet Luthero-Caluinistis: apud *Bell. l. 2. c. 4.* Adeo ab omnibus peccatores ad odium peccatorũ vocantur. Manet igitur illud S. Gregorii hom. 34. in Euang. *Pœn. est mala perpetrata plangere; & plangenda non perpetrare.* Quia naturalis est mortalibus Synderesis, male facta flagellans intus verbere cœco. S. Aug. l. 50. homeliarum hom. 27. *Nemo eligit vitam nouam, nisi quem veteris pœnitet.* Necsecus intelligi Pœnitentia potest.

DICO AD I. Atibid. l. 6 diuin. Instit. c. 24. addit, *eos verè resipiscere, quos erroris pœnitet.* Et vanum est in fistere etymologiæ vocis magis, quàm vsui.

AD II. Pœnitentia, vt & Baptismus, est via ad nouam creaturam: non amplius Circumcisio. Proinde dicitur, Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrùm.* Act. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.*

AD III. Ibi *tristitia* non est dolor de peccatis, sed mœror de obiurgatione natus, inducens ad pœnitentiam.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An includatur in Contritione Propositum rectè viuendi?

LVTHERANI variant. I. QVI Contritionem Fide priorem esse volunt, & Pœnitentiam diuidunt in Contritionem & Fidem; *Contritionem* definiunt terroribus & odio peccati; *Fidei* verò esse fructum aiunt rectè viuendi propositum. Sic ferè plerique

II. QVI Contritionem Fide posteriorem asserunt, vt Lutherus, & Caluinus *Inst. l. 3. c. 3.* hi admittunt bonæ vitæ propositum in Contritione contineri.

SVADENT itaque priores istis 1. Quid tantum dixit, *Peccaui.* Ninivitæ solum pœnitentiam egerunt oratione & ieiunio; sic prodigus, sic Publicanus. Nil de proposito vllo. 2. Contritio sufficit ad veniam: at propriè solum includit actum quod nollemus offendisse Deum sine proposito aliter viuendi; ergo sine hoc per illud solum iustificari possumus. 3. Dolor de peccatis admissis virtute includit melioris vitę propositum ergo sufficit solus. &c.

AVTOR. Orthodoxi in Contritione esse necessarium rectè viuendi propositum consentiunt; etsi in hoc, Virtuale an Actuale requiratur, dissentiant: potiores voluntactuale. Hoc misso; sat prius. 1. Quia formale Propositum requirunt ista, Amos 5. *Odite malum, & diligite bonum, & constituite in porta iudicium: si fortè misereatur Dominus*: Isa. 1. *Quiescite agere peruersè; discite bonum agere: si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*. Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam à peccatis. &c. & custodierit omnia præcepta mea. &c.* Eph. 4. *Deponite vos veterem hominem. &c. Renouamini autem spiritu mentis vestræ; Et induite nouũ hominem*: id est, ait Concil. Trid. Sess. 14. Can. 4. *Dolor sit de peccato cõmisso, cum Proposito non peccandi de cætero*. Ita & Concil. Florentinum.

DICO AD I. Non omnis dicens, *Peccaui*, iustificatur: quia & Iudas dixit, *Matth. 27*. Itaque hic oderat peccatum; sed sine proposito emendationis: Dauid cum proposito & non peccandi, & se emendandi.

AD II. Minorem negant Conciliũ Florent. & Trident. & *S. Tho. 3. q. 87. art. 1.* Quia nomen μετάνοια, ait Tertull. lib. 2. ad Marcionem, *non ex delicti confessione; sed ex animi demutatione compositum est.*

AD III. Dolor peccati, & Propositum emendationis quia mutuam coniunctionem habent necessariam; ideo nec ille solus, neque hoc solum sufficit.

QVÆSTIO LXXXIX.

An Contritio sit necessaria ad Remissionem peccatorum?

LVTHERVS in Assert. art. 11. *Si per impossibile, confessus non esset Contritus; aut Sacerdos non serio, sed ioco absoluisset; sitamen Credit se absolutum, verè est absolutus. Dixi, per impossibile: quia Fides sine Contritione esse non potest, cùm gratia non infundatur nisi cum magna conuersione animæ.* Clarè art. 11. *Si Sacerdotis Absolutionem obtinueris, Crede fortiter te absolutum; & absolutus eris: Qui quid sit de Contritione.* Itaque Contritionem non negat absolutè; sed ad remissionem peccatorum esse necessariam negat: quòd Contritionem postponat fidei, quæ sola ipsi iustificat. Sic & CALVINVS *Inst. l. 3. c. 3. §. 1.* nullam agnoscit Contritionem, quæ præcedat Iustificationem: cùm Pœnitentiam velit esse fructum fidei iustificantis. Itaque præscripta penitus exulat iis Contritio.

II. LVTHERANI, vt *Kemnitius p. 2. Exam. pag. 311. Melanchr.* Contritionem asserunt necessariam ante Confessionem: *omnes ij*, qui Pœnitentiæ partem priorem, Contritionem; posteriorem, Fidem esse volunt. Itaque isti, non hi, pugnant Eccl. fiæ.

SVADENTQ; istis. 1 Sacramenta conferunt gratiam non ponenti obicem: sed obicem non ponit, qui vitam nouam proponit, & nullius peccati complementiam seruat; etsi non ipsa detestetur peccatum. 2 Prou. 10. *Vniuersa delicta operit charitas*, vt sufficiant ad iustificationem, ergo nil opus contritione.

RATIO. Contritio saltem imperfecta, id est, Attritio est in adultis omnino de necessitate medii ad remissionem peccatorum. Ita Concil. Trid. Sess. 6 C. 14. 1. Quia Luc. 13. *Nisi pœnit. habueritis omnes similiter peribitis.* Act. 3. *Pœnitemini, & conuertimini; vt deleantur peccata vestra &c.* 2. Quæcunque sunt de necessitate medii, eadem sunt & de necessitate præcepti; Vnde Contritio præcepta esse debet in S. Scriptura vt medium ad salutem. 3. Impœnitentia est summũ peccatum, & prohibita: ergo Pœnitentia est præcepta.

DICO AD I. Sic habetur odium peccati implicitum; quod in catu suffi-

cit,

cit, sicut & Votum Sacramenti.

AD II. Vbi charitas, ibi & iustitia est, abest peccatum: sed ea præsupponit Contritionem.

QVÆSTIO XC.

Quantâ opus Contritione ad remissionem?

LVTHERANI, vt Kemnitius p. 2. Exam. pag. 964. *Impossibilis est sufficientia & perfectio contritionis: Et eius persuasio facit vel Pharisæos, vel desperabundos. Conscientia enim nunquam certa de sufficientia, semper dubia manet de remissione.* Item CALVINVS Inst. l. 3. c. 4. §. 2. *Conscientia miris modis torquentur, dum sibi debitam peccatorum contritionem imponi vident, nec assequuntur Debiti Mensuram.* Et §. 3. *Ostendant vnum, qui huiusmodi Contritionis doctrina vel non sit ad desperationem ad actus: vel simulationem doloris iudicio Dei opposuerit.*

AVTOR, I. Luthero-Calùinistæ sua doctrina pœnitentiali fideles adigunt ad desperationem. 1. Quia ad remissionem requirunt acrem, veram, seriâ Contritionem: Atqui hæc debet esse ex toto corde perfecta: iuxta Deut. 4. *Inuenies Dominum, si ex toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ.* Deut. 30. Rursus: At talem, (sicut & Dilectionem) asserũt aduersarii esse impossibilem in hac vita. Ergo necessariò impossibilis est remissio peccatorum: quæ est Desperationis doctrina.

Mentitur itaque Caluinus à nobis requiri parem iræ Dei; quæ, vt infinita, est homini impossibilis. At S. Scriptura nil impossibile exigit: exigit autem, Ioël. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Et sic conuersos aliquos testatur: 4 Reg 23. *Similis illi non fuit Rex, qui reuerteretur ad Dominũ in omni corde suo.* Item & conuertendos: Ierem. 24. *Ego ero illis in Deum, qui reuertentur ad me in toto corde suo.*

II. Dolor de peccatis debet esse summus Appretiatiuè: scilic. in appetitu Rationali, quo Voluntas summè detestatur peccatum. 2. Non autem Intensiuè, scilic. in appetitu Sensitiuo; in quo moralis possibilitas sufficit. Quia hoc est conuerti toto corde; licet alii magis, alii minus habeant sensum doloris: at Volũtatem habere oportet omnes. 3. Neque certum gradum doloris Scriptura requirit: Nam ea præcipit nobis cognitu, factuque humanitus possibilia; at de gradu nil docet. 4. Neque opus vt tot sint actus contritionis, quot sunt peccata; etsi perutile foret. Quia Pœnitentia esse momentanea potest. Isa. 30. *Cùm reuersus fueris; saluus eris.*

QVÆSTIO XCI.

Contritio an sit Causa Remissionis, idque etiam tantum Voto Sacramenti?

LVTHERVS in Assert. art. 12. *Volo contritionem: sed dico eam non operari iustificationem aut remissionem peccatorum: Fides enim in Verbum Dei iustificat & purgat.* Sic & CALVINVS Inst. l. 3. c. 4. §. 3. Kemnitius, &c. Quin hic etiam pertendit, Contritionem nec cum voto Sacramenti operari remissionem ante Absolutionem.

SVADENT istis. 1. Charitas præcedens Contritionem causat remissionem: Luc. 7. *Remittuntur ei, quia dilexit* scilic. antè, non iam diligit. &c. Plura *Bell. l. 2. c. 14.*

AVTOR. I. Contritio verè est causa remissionis. Sic omnis Theologia;

& Conc. Trident. & S. Scriptura, in meo *Antichristo, part. 3. q. 34.* Itemq; S. Patres. Et tamen gratis iustificamur; quia Contritio est ex Dono Dei; cui cooperatur cõtritus, & meretur in gratia gratiã auctiorem, de congruo, ex Dei benignitate; quod meritum est non simpliciter, sed aliquo modo. Sic *Aug. epist. 106.*

II. Contritio cum Voto Sacramenti operatur remissionem etiam ante Absolutionem. 1. *Peccaui Domino:* 2. Reg. 12. Et continuò Nathan ait: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Psal. 31. *Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meam: Et tu remisisti impietatem peccati mei.* 2. Charitas efficit filios Dei, *1. Ioann. 3.* ac proinde hæredes Dei, *Gal. 4.* 3. In articulo mortis, fatentur ipsi aduersarii, si non adsit Confessarius, aut Baptizans, potest quis iustificari contritione cum voto Sacramenti.

DICO AD I. Dilectio est dispositio vltima ad remissionem, coniuncta cum Contritione.

AD Kemnitium: Vult cum suis, Fidem solam iustificare: Hæc si excitetur ante Absolutionem auditione, lectione, aut Baptismi recordatione; quomodo iustificatio non erit peracta etiam ante absolutionem. Deinde Lutherus ait: *Crede te absolutum, & absolutus es, etsi loco absoluaris.*

QVÆSTIO XCII.

An vllum peccatum Pœnitentiâ non deleatur?

NOVATIANI negasse videntur de enormibus peccatis teste *Paciano epist. 3. Ambr. &c.* Idemq; Armachanus probabile esse censuit. I. Quia, *1 Reg. 2. si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: Si autem in Deum peccauerit vir, quis pro eo orabit?* II. Prou. 1. *Vocaui, & renuistis. &c. inuocabunt me & non exaudiam.* III. Antiochus, 2. Mach. 9. *orabat sceleratus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus,* Esau Heb. 12. *postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est. Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* IV. Peccatum in Spm Sanctum, est irremissibile. *Mat 12. Luc. 12. Mar. 3.* 2 & Heb 9. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati &c.* 3. Heb 10. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur hostia pro peccato* 4. 1. Ioan. 5. *Est peccatum ad mortem, pro eo non dico, vt roget quis.*

Vide supra *quæst. 80.* LVTHERVM ex parte; CALVINVM perfectè Nouatianissare. Vide item in *Genealog. p. 3 q. 19.*

AVTOR. Indubitatum est, effectu debet; omnia peccata, quot, quanta & qualia sint, expiari Pœnitentiâ posse. 1. Teste *S.* Scriptura in meo *Antichristo 3, q. 35.* 2. Sic definitio Ecclesiæ in Conc. Lateran. c. 1. 3. Ita *S.* Antiquitas S. Patrum ac Cõsensus: Hilar. Can 8 in Matt. Ambr. l. 2. de Pœn. c. 4. Hier. Aug. B. fil. Chrys &c.

DICO AD I. Indicat Heli peccata in Deum, quam in homines, difficiliùs remitti. Et, *quis orabit:* ait S. Amb. *l. 1. de Pœn. c. 8.* non significat, *nullus,* sed quis insignis amicus Dei: Qualis, *Exo. 32.* Moses exauditus est pro idololatria populi.

AD II. Illa de damnatis in orco dicuntur. Sicut *Matt. 25* fatuæ clamant, *aperi.* Itemque, *Luc. 13.* talibus dicitur: *Nescio vos.* Sic *Luc. 16.* clamat in flammis Epulo. Aut, qui ea de Viuis acceperit; is intelligat obstinatè impœnitentes.

AD III. Antiochus corporis morbum, mortem pue deprecatus est; non animæ. Esau benedictionis locum non inuenit; quòd iam in alium esset trãslata.

AD IV. Resoluendum quæruntur duo.

Peccatum in Spiritum Sanctum quod sit & quale?

Sententiæ variant.

1. Or-

I. ORIGENIS in Mat. 12. Peccatum in Sp. S. est omne, quod post Baptismum patratur. Quia finxit, Patrem omnibus in rebus esse; Filium in solis Rationalibus; Sp. Sanctum in Fidelibus. Sic & NOVATIANI, teste Hieronymo epist. ad Marcellam.

At hoc refellit *S.* Athanasius.

II. *S.* AVGVSTINI *in Euch. c. 85. & serm. 11. de Verb. Dom.* Esse Finalem impœnitentiam.

At hæc solum committitur in morte: in vita autem blasphemia in Sp. Sanctũ fit: Ita verò est huius Circumstantia quędam, non ipsa est. De peccatis ergo Viuẽtium Pharisæorum loquitur Dominus, *Mar. 3.* Item Apostolus, *Heb. 6. & 10.* De impœnitentibus etiam in agone, 1. Ioa. 5. *Est peccatum ad mortem. &c.*

III. D. THOMÆ *22. q. 14.* & Magister *2. dist. 43.* Peccatum ex Infirmitate esse in Patrem: peccatum ex Ignorantia esse in filium: peccatum ex Malitia esse in Sp. S.

AT peccata Malitiæ etiam in hoc sæculo remittuntur. Neque peccatum Malitiæ est certa species peccati; blasphemia verò in Sp. *S.* est speciale: Vnde omnis blasphemia in Sp. *S.* peccatum malitiæ; sed non contra.

IV. Sententia Verior: Peccatum in Sp. *S.* esse propriè Agnitæ Veritatis impugnationem. Quia Spiritui Sancto propriè tribuitur Illuminatio mentium, & Operatio miraculorum: Vt, qui *Ioann. 16.* Docet omnem Veritatem: Et, *1. Corinth. 12.* Diuidit singulis, prout vult, gratiam sanitatum, alteri linguarum. &c. Ita S. Patres Athan. Chrys. Hilar. Ambr. Hieronym &c. Peccatum in Sp. S. vocat Dominus illud Pharisæorum, Mar. 3. *In Beelzebub eiicit dæmonia.* Et, Matt. 12. *Ecce homo vorax & potator vini*: dicitur blasphemia in filium ab S. Athan. Hieronim &c. at peccatum dicentium *in Beelzebub eiicit. &c.* esse in Sp. S. quod per hunc facta miracula tribuerent spiritui nequam. Hinc negatio Petri, & persecutio Pauli non erant peccata in Sp. *S.* Nam illa ex infirmitate, hæc ex ignorantia acciderat.

Tale peccatum in Sp. Sanctum cur Irremissibile dicitur?

I. *Theophil. & Abul. in Mat.* Quia nunquam remittitur sine pœnitentia vt malitiæ, non ignorantiæ vel infirmitatis peccatum.

AT ita omnia peccata malitiæ forent in Sp. S.

II. *Richardus.* Irremissibile dicitur ratione temporalis pœnæ irremissæ post remissam culpam.

AT SS. Patres interpretantur id de irremissa culpa; quia absolutè loquitur Dominus.

III. *Athan. Hil. Hier. &c.* Ita peccantes tarò ad veram peruenire pœnitentiam; vt pote desertos à Deo, inque reprobum sensum datos.

AT tametsi verum hoc; temperandum tamen censet *S. Chrys. in Matth. 12. Ambr. l. 2. de pœn. c. 4.* Alioquin omnis agnitam Veritatem impugnans desperare deberet: quod absurdum. Item nos pro talibus non orare oporteret.

IV. *Expositio Communis S. Patrum.* Irremissibile esse; non Absolutè: sed ordinariè, vt plurimum non curatur remitti: 1. *Tum quia* repudiat gratiam Dei; 2. Tum quia nil in se habet, vnde excusari possit: cùm sit peccatum malitiæ; non infirmitatis, aut ignorantię. Veruntamẽ, Matth 19. *Quod impossibile est apud homines; apud Deum possibile est.* Hinc RESPONDETVR ad Hebr. 6. Apostolum ibi de Pœnitentia ante Baptismum adultorum loqui. Vt hic nunquam renouatur, ita nec illa: quia ait, *rursum crucifigentes Filium Dei*: nempè in bapti-

baptizamur, similitudini mortis Christi conformamur: at Christum oportuit semel tantum crucifigi; ergo & nos semel Pœnitentiâ baptismali renouari. Sic intelligitur hoc *Heb. 10.* Non relinqui hostiam, id est, non alium fore Christum crucifigendum. Ita Chrys. Amb. Istud: *Peccatum ad mortem*, dicitur, perseuerans ad mortem: Ita *Aug. l. de correpl. & grat. c. 12 Amb. &c.* Et pro tali; ait Hieron *l. 1. contra Iouin.* difficulter exauditur oratio: *Quis autem scit*, ait, *fratrem peccare ad mortem.*

QVÆSTIO XCIII.

Contritio ex timore pœnæ num bona sit?

LVTHERVS initio docuit, Timorem seruilem, (quo solus pœnæ metu à peccato abstinetur, aut de eo doletur) facere hypocritas, & magis peccatores.

LVTHERANI cæteri, & CALVINIANI affirmãt Vtilem esse, vt initium pœnitentiæ.

SVADET Lutherus istis, *in serm. de pœnit. & in assert. art 6.* 1. Contritio ex metu legis violenta est, vt extorta; ideo auget peccatum; quia remoto mandato placeret peccatum. 2. Odium peccati, ortum ex metu, non est verum odium; sed verum est, quod ex amore iustitiæ oritur. Vnde illud non promanat ex sincero corde; ideo hypocritam facit. 3. Quia timor seruilis est inordinatus; cùm pœnam magis, quàm culpam timeat.

AVTOR. Ex Timore pœnarum orta contritio, est bona. 1. Teste Sacra Scriptura: quæ docet timorem seruilem præcedere dilectioni in conuertendis: ideoque incutit timorem, vt pœnitentiam meditentur conscii: Et illum à Deo inspirari asserit. 2. Ita Traditio Ecclesiæ, Sanctique Patres. 3. Ratio: Quia naturale est timere malum Gehennæ, quod accidere potest. Deinde aut volũtatem, aut opus coërcet à malo: quod bonum. Demum ille timor est vnum è 7. donis S. Spiritus, vt initium sapientiæ. Ita S. Patres.

DICO AD I. Non est coactum, quod deliberato suscipitur ac liberè; vt hic timor, vtpote à Deo inspiratus; Deus autem non potest autor esse peccati vel hypocrisios. Quod si is solum opus impediat peccati, bonus est, sed non contritio; sin & opus & Voluntatem, contritio fit.

AD II. Dolor de peccatis ob timorem non est perfectum odium; ideo id vocamus Attritionem, non Contritionem.

AD III Imperfectus est, vt incipiens ab imperfectis ad perfectiora peruenturus. Et seruiliter timentes, mali sunt; nõ ipse timor seruilis, quia etsi sit in peccatore; non tamen est peccatum, aut causa peccati; sed obstaculum peccandi.

QVÆSTIO XCIV.

Confessio *an sit necessaria iure diuino coram Sacerdote?*

LVTHERVS *l. Capt. Babyl. c. de pœn.* Confessio secreta est vtilis, ac necessaria; Sed 1. Probari nequit ex Scripturis. 2. Necesse non est confitendi omnia Sacerdotibus. 3. Reprobat circumstantiarum Confessionem. 4. *In Serm. de pœn.* Confitenda esse non Venialia; nec Mortalia omnia; sed tantum manifestè mortalia: Alioquin, *art 9.* nihil relinquimus Deo ignoscendum. 5. *In serm. de Confess.* anno 1519. Confessionem Sacerdotibus fieri solitam, esse à Papa inductam solo Melancht. *in Conf. Aug.* Enumerationem peccatorum esse omnium impossibilem.

II. CALVINVS Inst. l. 3. c. 4. §. 7. *Minus quâ fronte ausint contendere, Confessionem Patris esse diuini. Cuius equidem vetustissimum vsum esse fatemur; sed quem facile euincere possim fuisse liberum*, Et §. 11. *Confessionem Generalem admittit Ministro faciendam in Ecclesia.* Et §. 12. *Priuatam quoque coram Pastore, cùm quis sic angitur, vt explicare conscientiam solus*

solu non queat. Et §.19. *Confessionem auricularem, rem adeo pestilentem, totque nominibus Ecclesiæ noxiam damnamus, ac sublatam è medio cupimus:*

III. KEMNITIVS Confessione generali & pœnitentis instructione contentus est. *Sic* & Brentius in Conf. wittenberg. artic. 11.

SVASIONES eorum infrà subiiciemus.

RATIO. 1 Confessio in *S.* Scriptura significat variè. 1. Laudem Dei. Ps. 9. *Cõfitebor tibi Domine Rex & collaudabo.* &c. 2. Gratiarum actionem, *Mat. 11.* 3. Professionem fidei *Rom. 10. v. 10.* 4. Protestationem Veritatis, *Ioann. 1. v. 20.* 5. Explicationem culpæ *Ps. 31. v. 5.*

Et hæc fit variè: 1. Soli Deo ob solam spem veniæ; 2. Solis hominibus, ob alias causas. 3. Deo simul & homini. Vt Iosue 7. *Fili, da gloriam Domino, & confitere mihi, quid feceris.*

Et hæc quadruplex est: *Generalis* in publico & in genere: *Publica* discreta fit speciatim coram pluribus. *Auricularis* discreta fit in specie Sacerdoti coram teste Deo. *Ella, hæc propriorum peccatorum manifestatio fuit, accusatio coram Sacerdote, cum spe veniæ, facta ab pœnitente ipsomet.* Ecce genus, Obiectum, Causam.

II. INSTITVTIO Confessionis Sacramentalis facta. 1. *Non in lege naturæ:* Quia nulla vnquam gens ante Christum tenebatur ad eam. Quę tamen facta proditur, ea fiebat in ordine ad Deum solũ; vt *Gen. 2. & 3. Iob. 32* Sic S. Amb. 2. *Non in lege Mosaica:* Quia Lex nihil addit ad perfectum; nullum enim Sacramentum operabatur ex opere operato. *Iosue 7.* agitur de Confessione iudiciali, criminali & publica, idque de vno facto. 3. *Nec S. Iacobus* eam instituere potuit, vt Minister Christi. Sacramenta enim instituere solius Christi erat: Et quia Vniuersali Lege vniuersalem Ecclesiam non potuit obligare, vt Vicarius vnius Generalis Petrus. *D. Tho. 3. q. 46. a. 2.* Promulgauit tamen eã vt Apostolus: & haud dubiè eius cohortationi obeditum est: sicque & vsitauit; Vt & cæteri Apostoli.

4. *Nec Vniuersalis Ecclesia* instituit; sed accepit *institutam* immediatè à Christo: Ita *Conc. Trid. Sess 7 c. 1. Tert. Cypr. &c.* Præceptã vero tenemus *Ioan. 20.* vbi Dominus dedit absoluendi Potestatem: ergo & prius Iudicandi: ergo ante iudicium & Cognoscendi; Cognitio autem fit ex Confessione. *Ratio:* Quia Ius Iudicandi non potest dari sine obligatione Iudicãdorum. Quocirca, vt Sacerdotes ad Absoluendum; ita Peccatores tenentur iure diuino ad Confitendum.

Præceptum hoc, tametsi quidam deducant ex Matt. 4. *Pœnitentiam agite.* Alii ex Ioan. 5. *Pater non iudicat quemquã: sed omne iudicium. &c.* Aut ex Iac 5 *Confitemini:* vt Aug. hom. 12 Chrys. hom 9. ad Heb. &c. Certissimò tamen deducitur ex *Ioan. 20.* iuxta Conc. Trid. *Sess. 14. C. 4.* De præcepto autẽ diuino rursus præcepit Ecclesia Determinationem certam modi, temporis, casus & causæ. Idcirco Ecclesia suam Determinationem abrogare potest: non Christi Institutionem. Ipse Papa quoque Præcepto Diuino quidem tenetur absolutè & simpliciter: Ecclesiastico etiam; non quidem Coactiuè, sed tamen Directiuè. Quia licet sit supra Concilium; tam Legislator tenetur lege sua vel Antecessorum.

QVÆSTIO XCV.

An Sacerdos iure diuino Iudex Confitentium esse doceatur ex Euangelio?

LVTHERANI æquè ac CALVINIANI negant esse Iudices Absoluentes; sed prædicatores Annunciantes Absolutionem à Deo factam Pœnitẽtibus: Ideoq; nullo iure opus esse Confessione, vt Sacramentali.

SVADENT istis LVTHERANI. 1. Melanch. in Apolog. Conf. Aug. art. de Confess. *Dicunt, Iudicem debere cognoscere causam, priusquam pronunciet, hoc nihil ad rem pertinet: Quia Absolutio est executio alieni beneficii; nõ Iudicium.* Idem in Locis anno 1543. de Confes. *Quia differunt Iudicium & Euangelii ministerium. In Iudicio necesse est fieri Cognitionem: At Ministerium Euangelii est mandatum certum impertiendi beneficii, sc. annunciandæ Remissionis peccatorum, siue nota sint, siue ignota.* Infra: *Ministerium est testimonium diuinæ Absolutionis.* Infra. *Quod Euangelium multis applicari possit, hoc testatur. Quodcunq; solueritis. &c.*

2. CALVINVS Inst. l. 3. c. 4. §. 18. *Quod contendunt, Non fieri posse iudicium, nisi causâ cognitâ: in promtu solutio est: Temerè hoc sibi arrogare, qui sunt à seipsiis Iudices creati. &c. Acsi esset Iurisdictio Quæstioni adiuncta: Hoc ius fuisse Apostolis incognitum, tota eorum Doctrina clamat.* Ibidem ait, *Remittere peccata*, esse, polliceri credentibus ex Verbo Dei remissionem: *Retinere*, esse, edicere damnationem non amplectentibus Christum. Similia & cæteri.

AVTOR. Sacerdotes audiunt confitentes, & absoluunt pœnitentes vt Iudices. 1. Teste S. Scriptura in meo *Antichristo p. 3. q. 37.* Neque negant aduersarii, Matth. 16. *Tibi dabo &c.* Matt. 18. *Quæcunq; allig. &c.* Ioan 20. *Quorum remiseritis. &c.* promitti, darique potestatem Remittendi peccata, & Retinendi; at negãt Modũ Iudicialem; affirmãt annunciatiuũ.

Nos hanc negamus: asserimus illã. 1. Ex metaphora *Claues*. Hæ dantur ad aperiendum vel claudendum; non ad significandum esse clausum aut apertũ. Deinde dantur Magistratibus in signum potestatis practicæ, non significatiuæ. Hinc, Apoc. 3. *Qui habet Clauim Dauid; qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit*: hoc omnes exponunt de Iudiciaria Christi potestate: At suas Christus Claues communicauit Petro & Apostolis: ergo & Iudiciariam potestatem.

2. Ex *Ligare, & Soluere*: Hæc actum sonant; non significationem aut annunciationem: alioquin fuisset dicendum: *Quæcunq; ERANT*, non *ERVNT soluta. Et remissa fuerunt*, non, *remittuntur eis.*

3. Ex *Quorum*, sc. non omnium indefinitè, sicut Matt. 28. *Prædicate Euangelium omni creat. &c.* sed discretè, scilic. *quorum* peccata iudicarint absoluenda.

4. Ex ceremonia, *Insufflauit*: quo dedit Sp. Sanctum peccata vt flammã flatu extinguendi: Iuxta Isa. 44. *Deleui, vt nubem peccata tua.* Non igitur impertit Annunciandi Spiritum; quem *Act. 2.* in specie linguarum misit. Ita S. Patres.

5. Ex Ratione. Nam si Annunciando tantum fiat ad significandum, peccata iã esse remissa per Fidem; ergo. 1. Annũciatio ea necessaria non est; iam enim fides perfecit quod necesse fuerat. 2. Pertere nemo posset ex eo tantum, quod habere non queat Sacerdotem à quo recõcilietur: cũ fides cũctis esse promta queat; et posse etiã sic perire testatur S. Aug. ep. 181. 3. Surdi reconciliari non possent; quia annunciantẽ non audiunt. Eccl. 32. *Non effundas sermonem, vbi non est auditus.* 4. Omnis homo, laicus, fœmina, infidelis, absoluere posset; quia annunciare potest.

D.co

DICO AD I. Beneficium Redẽtoris factum constat omnibus in genere; at in specie an hic & ille &c. sint illius capaces, an non, hoc iudicii est; neu contra istud fiat: Matth 7. *Ne mittatis margaritas vestras ante porcos.*

AD II. Tit. 1. *Nec quisquam sibi sumit honorem* Sacerdotalis iudicii huius; *sed qui Vocatus à Deo est.* Et ritè vocato ac exposito Sacerdoti data est potestas Cognitionis, & Iurisdictionis vel ad Absoluendum, aut ad retinendum.

QVÆSTIO XCVI.

An Cognitionem peccatorum pertinere ad Sacerdotes doceant Figuræ?

LVTHERANI, vt Kemnitius p. 2. *Exam. pag. 986. Et* CALVINIANI negant: typos nostros refutantes.

SVADENT sic. 1. Caluinus Inst. l. 3. c. 4. § 4. *Misit Dominus* Mat. 8 *leprosos ad Sacerd tes. Misitne ad Confessionem? Quis unquam audiuit audiendis Confessionibus præfectos Leuiticos Sacerdotes?* 2. Ibid Leu. 13. 14. *De lepra pronunciare, Sacerdotum est. At translato Sacerdotio, necesse est Legis translatione fieri. Omnia Sacerdotia ad Christum translata sunt in eo impleta & finita.* 3. Ibid *Importuna est eorum allegoria, qua legem merè politicam inter ceremonias reponit. &c. Ad veros Christi Ministros nil in hoc legale pertinet.* 4 Kem. *Quando quis adducebat hostiam pro peccato*, Num. 5. Leu 5 *non exigebatur, vt peccatum in specie Sacerdoti exponeret.* 5. Baptizandi, *Matth. 3. Mar.* 1. confitebantur peccata Ioanni in genere, non in specie; id est, Agnoscebant peccata sua. Ita Caluin. & Kemn. 6 Caluin. Dominus Iudæis, non Apostolis de Lazaro dixit: *Soluite.* Neque allegoriæ valent ad confirmanda dogmata *Ad ignoscentiam magis nos flectere debet Iudicis exemplum; vt ne vinctum vellent, quem ipse soluisset a morte.*

AVTOR. Typi præteriti ostendũt rem figuratã præsentẽ; non directè probant subinde. Sicut tamen Baptismus & Eucharistia docentur ex Figuris in lege Naturæ, & Moysis, ex Christi promissione, ex Institutione & Vsu: *Sic* & Confessio: Quanto magis hæc est de peccatis in specie facienda, corã Ministro Dei Absoluente in Noua Lege, cum in Vetere sit facta absque Absolutione? Nam Adæ, *Gen. 3.* Abeli, *Gen. 4.* Minister erat Angelus confitentibus: ait Ambr. Greg. Chrys. hom. 18 in Genes. 2. *Leu 13. 14. Matth. 8.* Ostensio lepræ facienda Sacerdoti fuit typus Confessionis, ait *Hieron. in 16. Mat. Chrys. l. 3. de Sacerd. 3. Num. 5. Leu. 5.* Sacrificia offerebantur pro peccatis, loco satisfactionis: teste Thoma Wald. *S.* Antonino *p. 3. 14 c. 6 §. 2.* & Rabinis apud Galatinũ. 4. Hoc de Lazaro: *Soluite, sinite abire*: allegoricè interpretantur ad Absolutionem peccatorum S. Patres. *Ambr. l. 2. de pœn. cap. 7. Auguſt. Greg. 22. Mor. c. 13. &c.*

DICO AD I. Hæc sycophantia est. Non dicimus missos ad Confessionem: sed inde vt ex typo simili argumentum ducimus cum S Chrysostomo & Hier.

AD II. Sacerdotium omne est ad Christum translatum; at eius executionem facit per Ministros, non per Se; sic & per hos iudicat de lepra spiritali. Vt igitur lege vetere completa lex Noua viget; sic & Sacerdotium nouum.

AD III. Non est politica; sed merè ceremonialis, & typica, nil pertinens ad laicos. Et esto; sit politica; cur non simul esse typica potest? Non igitur hoc ius legale ad Christianos pertinet; sed simile spiritale.

AD IV. In ſpecie peccata edici ſolita docet ex Hebræo *Bell. l. 3. c. 3.* Vide etiam in *Antichriſto p. 3. q. 37.*

AD V. Ipſi dicunt; non docēt, hoc eſt, fingunt. AD VI. Ad Apoſtolos dictum aiunt *S.* Aug. *ſerm. 8. & 44. de verb. Apoſt.* Et, *Greg. hom. 26. in Euang.* Hi mentiuntur Caluino. Et eſto; ſoluere ſint iuſſi. Iudęi, manet nihilominus ſimilitudo typi. Et Caluini iſta expoſitio nullius eſt S. Patrum; ſola ipſius, & conficta.

QVÆSTIO XCVII.

An Iudicium Sacerdotale doceatur ex Apoſtolorum Vſu?

LVTHERANI iuxta & CALVINIANI certatim negant: & S. Scripturas id aſſererentes ſecius interpretantur.

SVADENTQ; ita. Lutherus per *Actus*, Act. 19. intellgit in verſione ſua, *miracula*: Sic & Brentius. Kemn. vero actiones eorum intelligit, quæ non congruerent normæ Verbi Dei: Licet in ſpecie ſint aliqua confeſſi peccata; ſed per modum exempli. 2. Melanch. Illud; *Confitemini alterutrum, &c.* intelligit de confeſſione offenſionis in fratrem ad obtinendam veniam: Vel, ait Caluinus, de confeſſione peccati, quæ fit ſpiritali viro vt inſtruat, & oret pro eo Deum. 3. Illud, 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata, &c.* intelligitur de Confeſſione Deo facta, non homini.

AVTOR. 1. Apud Ioannem, *Matt. 3. Mar. 1.* baptizandi confitebantur peccata ſua: Quare ſicut eius Baptiſmus figura fuit Chriſtiani Baptiſmi: ita & Confeſſio ea typus Chriſtianæ fuit Confeſſionis. Neque ſolum, vt Caluinus & Kemn. fingunt, agnoſcebant peccata, idque in genere fatebantur; ſed planè in ſpecie; & agnoſcere peccatorem ſeſe, non eſt confiteri peccata. 2. De Lazaro iuſſit Apoſtolos Dominus, *Soluite*; Vbi S. Iren. l. 5. c. 13. ait: *Hoc ſymbolum eſt hominis, qui illigatus fuerat in peccatis.* Vnde mentitur Caluinus, ſoluere iuſſos Iudæos circumſtantes: deinde Allegorias non probare dogmata poſſe: At tum probant, cùm eas Scriptura explicat, aut *S.* Patrum Cõſenſus. 3. Act. 19. *Multi Credentium veniebant, Confitentes, & annunciantes actus ſuos.* Ecce baptizati, poſt Baptiſmum lapſi, confitentur, Idque in ſpecie *actus ſuos*, nõ ſolum in genere: Et Paulo; non ſoli Deo. 4. *Dedit nobis*, 2. Cor. 5. *Miniſterium Reconciliationis; & poſuit in nobis Verbum reconciliationis: Pro Chriſto ergo legatione fungimur.* Hæc ad poteſtatem Clauium pertinere, publicumque & priuatum earum Vſum fatetur Caluinus *Inſt. l. 4. c. 1. §. 22.* At legatus ad reconciliandum aliũ cum rege ſuo nequit fungi munere ſat rectè, niſi cognoſcat cauſam & iudicet. 5. Iac. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Hæc cohortatio præſupponit infallibilem Chriſti Inſtitutionem. 6. *Si confiteamur peccata noſtra*, 1. Ioan. 1. *fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra:* Non ait, ſi agnoſcamus peccata, & confiteamur nos peccatores:

DICO AD I. Eam expoſitionem reiicit Conſenſus Patrum, & Melancht. Caluinus, Beza, Bullingerus, Sarcerius, &c. Et inauditum eſt miracula dici actus noſtros, cùm ſolius ſint Dei. Deinde, ἀγγέλλω ſignificat diſtinctè annuncio: nam Syriaca & Hebræa ſonat, *Numerantes peccata ſua.*

AD II. Orig. *hom. 2. in Leu.* Chryſ. *hom. 3. de Sacerdotio* exponunt de Confeſſione facta Sacerdoti. Sic & cæteri, *alterutrum*, id eſt, homo homini: Vt 1. Pet. 4. *Gratiam in alterutrum adminiſtrantes.*

AD

AD III. *Fidelis & iustus*, respicit promissum Dei istud: *Quorum remiseritis, &c.* At hoc factum hominibus est: ergo & hic si *confiteamur* homini Sacerdoti, &c. Confessione Sacramentali.

QVÆSTIO XCVIII.

Ecquæ sint argumenta Ius Confessionis diuinum negantium?

CALVINVS Inst. l. 3. c. 4. §. 7. Confessionis *vetustissimũ vsum esse fatemur; sed quam facilè possumus euincere, fuisse liberum. Certè nullam statam de ea fuisse legem ante Innocentii III. tempora, eorum quoq; Annales testantur.* 2. Idem ibid. *Constat fuisse politicam disciplinam ab Episcopis institutam: non legem à Christo, aut Apostolis positam:* Exemplo Nectarii Episcopi Constantinopolitani ab eo deprauati, docere nititur; qui ob confitentis fœmellę consuetudinem cum Diacono, Confessionem abrogauit. *Silex Dei erat auricularis Confessio, qui ausus esset Nectarius eam refigere?* 3. Chrys. hom. 2. in Psa. 50. *Peccata tua dicito, vt deleas illa. Si confunderis alicui dicere, quæ peccasti: dicito quotidie ea in anima tua. Non dico, vt confitearis conserno tuo, qui exprobret: dicito Deo, qui curat ea.* 4. Ibid. §. 9. *Delicta quis intelligit* Psl. 18. & Psl. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Quis suorum peccatorum nunc supputatiõem cogitet, vbi Dauidem videt suorum numerum inire non posse?* 5. Ibid. § 18. *Qui remissionem à Christo obtinuisse leguntur, non leguntur in aurem Sacrificuli confessi, quia Confessarii non erant. Et multis posteà sæculis inaudita fuit hæc Confessio.* Ergo *Quoties ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Huic verbo qui audet aliquid adiicere, non peccata legat, sed Domini misericordiam.*

6. LVTHERANVS Kemnitius par. 2 Exam. pag. 976. *Sicut misit me Pater*, Ioan. 20. *& ego mito vos. At ipse ad Generalem Confessionem, ore, vel signis expressam, absolutionem impertiebatur; non singulorum peccatorum enumerationem exigebat.* 7. Ibid pag 1007. *Confessio Publica mutata est ab Episcopis in priuatam, tempore Decij; Postea tempore Nectarii, Priuata est abrogata: ergo neutra necessaria est iure diuino. &c.*

AVTOR. DICO AD I. Christus Confessionem lege sancierat vt nil opus esset vlli Concilio sancire: solum Concilia prisca determinarunt tempus. Cætera mentitur Caluinus.

AD II. Cuique Ecclesiæ vnus præponebatur Pœnetentiarius, orto more post exortos Nouatianos, negantes graviora peccata dimitti: Is notoria peccata publicabat populo, vt pro eo Deum cõprecarentur; occulta, seruabat in secreto. Peccatrix autem illa imprudens & hoc peccatum cum Diacono publicabat ipsa. Ideo Nectarius abrogauit omnem publicam Pœnitentiam, saluâ Confessione secretâ.

AD III. *S.* Chrysostomus, Nectarij successor, abrogatam pœnitentiam publicam carpit sæpius; priuatam nunquã. Et ibi loquitur de publica: nam ad priuatam non sequitur exprobratio. Deinde, quod peccatum dicitur in priuata, id Deo dicitur. Itaque priuatam suadet; dissuadet publicam.

AD IV. Enumeratio solum requiritur moraliter diligens de mortalibus: non exacta. Nam & Deo soli enumerare omnia cui possibile?

AD V. Quo tempore Christus autoritatiuè peccata remittebat; Sacramẽta nondum instituerat: itaque vt sine baptismo, sic & sine Eucharistia iustificabat solâ voce aut voluntate. Et ipse Caluinus ait, Confessionis *equidem Vetustißimũ esse Vsum fatemur*: quomodo igitur *multis inauditum sæculis*? Proinde semper ita fuit, vt, qui verè ingemuerit, etiam mediæ veniæ desiderarit at vsurparit: quod Christianis est Confessio.

AD VI. Kemnitii. *Sicut* hic non dicit similitudinem in omnibus; alioquin etiam vti Sacramentis non eguissent Apostoli magis, quàm Dominus. Missus igitur Christus est vt Filius; Apostoli vt Ministri; ad eundem vtrique Finem, non Modum in omnibus.

AD VII. Adeo falsum est, vt Episcopi tunc eam appendicem de publica Cõfessione adiecerint ad S. Canonem priuatæ teste Socrate. Quòdque permanserit testatur casus sub Nectario postea factus: post quem accidit publicæ Coefessionis abrogatio non priuatæ. Quot in vno mendacia Kemnitii.

DE SATISFACTIONE ANNOTATIO.

1. Cùm *Satisfactio sit compensatio iniuriæ factæ læso*; differt ab Restitutione, quæ *Rerum*; illa *Actionum* æqualitatem restaurat: eò quòd hęc *Damnum in re* factum; illa *Iniuriam actione* illatam respiciat. Deo autem inferri damnum nequit; iniuria potest: ideo *Satisfactio* ei, non *Restitutio* præstanda est ex Iustitia.

2. IVSTITIA verò actionis duplex est: *Absoluta & perfecta*; quâ tantum redditur honoris, quanta fuit læsio. *Imperfecta seu conditionata* cum pacto, quâ redditur, quantum læsus paciscitur. Iam cùm Deum inter & hominem esse æqualitas non possit, solùm conditionata cum iustitia fit læso Deo satis, aliquâ intercedẽte *Donatione*, & *Acceptatione Dei*.

3. SATISFACTORIA COMPENSATIO conditionata respicit *Inæqualitatem Iustitiæ, & Amicitiæ læsæ* factam, *D. Thom. 4. q. 1. art. 3.* Hinc aliquando vna actio satisfacit Amicitię læsæ ad Recõciliationem; sed non Iustitiæ pactę Iam peccator pro læsa Amicitia Deo satisfacere nõ potest: quia *Satisfactio* Deo, præsupponit Acceptationem Dei gratuitam; hæc, Amicitiam Dei. *Dein*, Satisfactio fit ad aliqualem æqualitatem: at læsi infinitas & lædentis vilitas finita, nullam habere proportionem possunt: proinde nec Amicitiæ satisfactionem læsæ.

Hinc necesse, vt in satisfaciente ex pacto insit aliquod principium satisfactionis, simile Deo infinitè bono; & hoc est *Sp. Sancti* gratia inhabitans in pœnitente. Hæc autem est merè gratuita Donatio Dei. Ex hac opus satisfactorium valet ex pacto Dei; SIC Volentis placari. Hinc axioma Theologicum manat: *Satisfactio non offertur Deo, nec exigitur ab hominibus pro Culpa; sed ab hac Deus nos iustificat gratis*, id est, eam condonat, Amicitiamque suam reddit. Et post hanc receptam gratis homo potest satisfacere. Quod negant hæretici.

QVÆSTIO XCIX.

An remissâ culpâ maneat subinde pœna luenda debitum?

LVTHERVS *in Assert. art. 5.* affirmat, & cum eo plerique Lutherani Nobiscum.

IDEM concione de indulgentiis anno 18. negat: & cum eo CALVINVS *Inst. l. 3. c. 4. §. 31.* ait, Deum non exigere pœnas peccati; sed castigare solum paternè ad profectum nostrum.

SVADET Caluinus ita. 1. Chrys. hom. de Pœnit. *Deus propter hoc imponit nobis pœnam; non de peccatis sumens supplicium: sed ad futura nos corrigens.* Itaq; flagella sunt Paternæ correptiones, non Iudicis vltiones. 2. *Aug. l. 2 de pecc. meritis.* Mors est nonnunquam exercitatio virtutis; etsi ordinariè sit pœna peccati originalis.

AV-

AVTOR. Pœnę temporales remanent sæpè, post remissam culpā; & eæ remittuntur in vita Futura ex Condigno: in præsenti, ex Congruo: 1. Teste S. Scriptura in *Antichristo p. 3. q. 38.* 2. S. Chrys. ibid. ait: *Deus videt, quod peccatis ipsis non minus damnosum sit Non puniri: propter hoc imponit pœnam. Et ne inulti efficeremur deteriores, non remisit supplicium:* sc. Vtilitatē magis quàm Vltionem intendit. Iuxta Oseæ 6. *Misericordiam volo, non Sacrificium. S Aug. ibid. c 33. 34.* Pœnas, Dei amicos affligentis, esse materiam dicit virtutis: sed non negat esse etiam peccati vltiones. Vnde in Ps. 50. ait: *Veritatem dilexisti, hoc est, impunita peccata eorum etiam, quibus ignoscis, nō dimisisti. Sic prærogasti misericordiam; vt seruares & Veritatem?* 3. Calvinus ibid. c. 8. §. 6. *Non modo infirmitatem nostram præuenire; sed præterita etiam delicta corrigere habet Deus; Vt nos in legitima erga se obedientia contineat. Proinde, quoties affligimur, subire protinus in mentē debet anteactæ vitæ recordatio: ita reperiemus nos admisisse, quod dignum eiusmodi castigatione esset.*

DICO AD I. Caula mortui filii Dauidis dicitur, *2. Reg. 12* non, vt in futurum caueat; sed *quia blasphemare fecisti inimicos nomen Dei, propter verbū hoc filius tuus moritur.* Ideo etiam fleuit Dauid, ad luendum præteritum malum; non ad cauendum futurum. AD II. Infantes mortem subeūt; at in quam exercitationem virtutis? Planè in pœnā peccati præteriti, Gen. 2. *Quacunq; die comederis, morte moreris.* Rom 5. *Et ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccauerunt.* Esto, sit quandoq; mors materies virtutis; nō tamē ideo debuit esse pœna peccati.

QVÆSTIO C.

An bonis operibus redimi possit remanens pœna temporalis?

LVTHERVS *in Assert. art 5.* etsi nomen Satisfactionis respuit, pœnis tamen spontaneis manum Dei posse præueniri concedit & auerti. Sic & Martyr, Kemnitius, cæterique Lutherani.

CALVINVS *Inst l 3. c. 4. §. 30.* peccatorum pœnas vllis operibus redimi posse negat.

SVADET Caluinus ita. 1. *Nullis operibus delicta procurare iubet; sed sola sacrificia in expiationem requirit. quòd ita testari vult, vnicum esse Satisfactionis genus. Nam sacrificia Israelitarum non hominum opera censebantur; sed vnico Christi Sacrificio æstimabantur.* 2. Peccata tua eleemosynis redime: *Non voluit significare, Iustitiam & Misericordiam esse Dei propitiationem, & pœnarum redemtionem. Absit enim vt alia vnquam fuerit ἀπολύτρωσις, quàm Sanguis Christi.*

AVTOR. 1. Pœnæ Purgatorii redimi possunt operibus piis. patet *p. 1. sup.* 2. Pœna in hac vita sunt aliquando necessariò tolerandæ, vt irredimibiles: vt Mors omniū. Mors filii Dauidici: *2. Reg. 12.* Moysis ex terra promissa exclusio; q nec orans fuit exauditus, *Deut. 3.* 3. Aliquando pœnæ hîc redimi possunt: Sic Niniuitæ, *Ionæ vlt.* pœnas auerterunt. Id, *2. Par. 7.* promittit Deus *Ierem. 18.* Daniel. 4. *Peccata tua* superbiæ, rapinæ. &c. *eleemosynis redime.* Nam, Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & morte liberat.*

DICO AD I. Assumtum vtrumque falsi arguit *S.* Scriptura: adeo multa docet esse satisfactoria, præter sacrificia. Et hæc respectabant ad & Vnicum Cruentum, & ad Incruentum specie vnum, numero multa.

AD II. Patet solutio: Non voluisse Deum dicit; non docet, Caluinus: nec alius docuit hactenus.

Quæ-

QVÆSTIO CI.

An opera laboriosa pœnæ temporali expiandæ rectè suscipi sponte, & iniungi à Sacerdotibus possint?

LVTHERVS *in Assert. art. 5.* Etsi Ecclesia suos puniens manum Dei rectè præuenit; non tamen id pertinet ad Claues soluendi, 2. Melanch. in Locis de Satisf. similiter. *Ecclesia rectè imponit aliquas mortificationes agentibus pœnitentiam Mortificatio autem debita est aut dolor in contritione, aut patiētia sustinens afflictiones. Vt Dauid obiurgatus primum expauit vero dolore; deinde calamitates pertulit.* Infra. *Non sunt mortificationes sine mandato Dei accersitæ corporis lacerationes; sicut Sacrificuli Baal. &c. Hæc pertinent ad regulam; Frustra colunt me mandatis hominum. Pugnant istis; Non occides: Item, Habeto honorem corpori.* 3. Kemnitius par. 2. Exam. pag. 1079. & Susceptas, & Iniunctas pœnas reiicit satisfactorias.

AVTOR. I. Rectè *Conc. Trid. Sess. 14. C. 9* tres modos ponit Satisfactionum: Patientiam flagellorum Dei: Susceptionem spontaneam pœnarum. Impositionem earum Sacerdotalem. De sponte susceptis Iob. vlt. *Insipienter locutus sum; idcirco me ipse reprehendo, & ago pœnitentiā in fauilla & cinere.* Dauid, *2. Reg. 12.* sponte ieiunauit; humiliacuit, Ps. 68. *panem sicut cinerem manducauit*, Psal. 101. Achab, 3. Reg 12. *Quia humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Niniuitarum pœnitentia merè spontanea fuit; At salutaris eadem. Ita S. Patres.

II. Pœnalia opera rectè ab Sacerdotibus imponuntur: Iuxta *Matth. 16. 18. Quæcunque allegaueritis.* &c. scil. ad pœnam æternam cum retenta culpa; aut ad temporalem dimissâ culpâ; *ligata erunt; aut soluta.* Par enim potestas Clauium est & in culpas, & pœnas. Ita S. Patres apud *Bell. l. 4. c. 5.*

Ratio fauet. Peccata ante Baptismum, facta sunt in ignorantia, incredulitate, à carentibus gratiâ: at post eum patrata fiunt sciēter, in fide, in gratia exclusa: ideo omnem cum culpa pœnam tollit Baptismus; non verò semper pœnitentia; vt iustè Minister huius ingratis relapsis pœnam imponat. 2. Coniuncta sunt Misericordia & Iustitia Dei; ideo par est sic ab illa dimitti peccata, vt tamen & huic debitum pendatur. At licet Christi Passio fecerit satis; par est & nos ei compati; vt sensu peccātes puniamur eodem, &c.

DICO AD *Lutherum*; dicit; non docet: nec doceri potest.

AD *Melanchthonem*: Si ea loca probarent eius intentum; iam argueretur Iob, Dauid Achab, &c. *Mandata hominū* dicuntur vel contraria Dei mandatis, vel horū neglectoria: Alioquin obedientia homini præstita est grata. Et placet Deo pœn. interior, & exterior. Neque hæc est homicidiaria, aut corpori inhonora.

QVÆSTIO CII.

An Oratio, Ieiunium, Eleemosyna sint opera Satisfactoria?

MELANCHTHON *in Conf. ss. Aug. &c. & in Apolog. & in Locis*, negat ea esse satisfactoria quòd tamen pro iis habeantur, esse ceremonias inutiles, ex humana traditione manantes. II. KEMNITIVS p. 2. Exam. ait esse ea diuinitus mandata; sed ad dies certos, modos, & pœnitentiam applicari superstitiosè.

AVTOR. I. Ea non sunt solum Ceremoniæ; sed res & vtilissimæ, & S. Scripturis commendatæ sunt, vt ad quæ cætera bona opera referantur ab Theologis: *Tum quia* satisfacere Deo debemus per nostra, quod fas & potest: itaq; de bonis Animi damus Orationem; de Corporis bonis leiunium; de fortunæ bonis Eleemosynam: *Tum quia* ad tria vitia referuntur omnia, *1. Ioann. 5.* ideo & remedia sunt tria; leiunium, Concupiscentiæ

carnis

carnis; Oculorum, Eleemosyna; Superbiæ, Oratio: Quæ cùm pœnosa sint; rectè satisfactoria dicuntur, & sunt: teste Sacra Script. 1. De Oratione: Ps. 49. *Inuoca me in die tribulationis; & eruam te:* Ecce mandatum, & promissum. 2. De Ieiunio exemplum constat Dauidis. *2. Reg. 12.* Præceptum verò & promissum, *Ioël. 2.* 3. De Eleemosyna, exemplũ Tob c. 1. præceptũ & promissum Luc. 11. *Date Eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Itaque Tob. 12. *Bona est oratio cum ieiunio & Eleemosyna:* Quorũ regulæ exponuntur, *Matt. 6.* 4. De cinere & cilicio est Ionę 3. Et Dauidis, *1. Par. 21. Matt. 11.* Vnde S. Hier. ad 3 Ionę: *Saccus & ieiunium sunt arma pœnitentiæ.* 5. De percussione sui, 1. Cor 9. *Castigo corpus meum.* ὑπωπάιζω, id est ad vsque liuorem contundo. *Luc. 18.* Publicanus percutiebat pectus suum.

II. Hæc opera etsi quoad Modũ, mãdata non sint, ideoque eatenus sint indebita; non tamen sunt ingrata Deo: Sicut de Consiliis Euangelicis alubi docuimus. *Num. 30.* vota de ieiuniis sponte facta, erant grata Deo, & reddenda. Sic & Baptistæ asperitas vitæ, *Matt. 3. Luc. 3. Mar. 1.* etsi nusquã in scripturis imperata. Sic Annæ vita, quæ Luc. 2 *non recedebat à templo ieiuniis & obsecrationibus* spontaneis &c. Quibus hæretica vanitas euanida cedat oportet.

QVÆSTIO CIII.

An iustificatus verè Deo possit satisfacere pro reatu pœnæ temporalis?

LVTHERANI etsi fateantur, quandoq; dimissa culpa pœnã remanere temporalem. Et pœnis sponte assumtis manum Dei pręueniri & auerti: Deniq; Ieiunium, Orationẽ, & Eleemosynam, operaque laboriosa placere Deo: Satisfacere tamen pernegant.

LVTHERVS in Assert. art. 5. *Vehementer odi, & sublatum vellem hoc vocabulũ,* Satisfactio, *Quòd non modo in Scripturis nõ inuenitur, sed & periculosum habet sensum; quasi Deo quisquam possit pro vllo peccato satisfacere: cùm gratis ille ignoscat omnia.* Melancht. in Apol. Cõf. Aug. *Hæc, tota res est commentitia, recens conficta, sine autoritate Scripturæ, & veterum scriptorum. &c.* CALVINVS *Instit. l. 3. c. 4. § 39.* Fingit Satisfactiones fuisse publicas excommunicatorum.

KEMNITIVS p. 2. Exam. pag. 1087. *Ante Baptismum peccator recipitur in gratiam sine propriis satisfactionibus, propter satisfactionem Christi: post Baptismum lapsus non dimittuntur peccata alsq; vlla propria ipsorum satisfactione, quàm pro peccatis.* Sat. orthodoxè.

SVADENT istis. 1. LVTHERVS. Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei, quacunq; die conuersus fuerit.* 2. Adulteræ solum dictum, Ioan. 8. *Vade, & noli amplius peccare.* 3. *Dicant vel apicem Scripturæ pro peccato mortali debere satisfieri VII annis: Vbi pro differentibus peccatis differentes pœnas statuat Christus vel Apostoli? Hæc omnia sunt postea inuenta.* 4. MELANCHTHON. Olim satisfactiones fuerunt excommunicatorum publicæ pœnæ, quales Phœnicis, Orestis, Pelei. &c. solum exempli causa. 5. *Cogitentur,* ait, *aliæ maiores causæ calamitatum, & iram Dei expauescamus, & rursum veram consolationem nobis proponamus.* 6. *Deliramenta monachorum obscurant Legem, & Euangelium, & amplificant dignitatem Traditionum humanarum.* 7. CALVINVS Inst. l. 3. c. 4. § 2. *Talibus mendaciis,* Satisfactionum, *oppono gratuitam peccatorum remissionem; quâ nihil in Scripturis clarius.* 8. *Qui dicunt post Baptismum resurgendum esse per Satisfactiones; ij Sanguinem Christi nihil prodesse, nisi quatenus per Claues dispensatur, volunt. At ipse est propitiatio nostra. &c.* Plura talia apud *Bell. c. 14. 15. 16. &c.*

AVTOR. OPERA pœnalia verè sunt Satisfactoria Deo pro reatu pœnæ temporalis, ex Congruo; non ex Condigno. 1. Sic Scriptura in meo *Antichristo p. 3. q. 47.* 2. Sic Traditio & veteris Ecclesiæ, & S. Patres, apud *Bell. l. 4. c. 9.* prolixè recitatos: cum obgannitiunculis Sectariorũ.

DICO AD I. Non nocet, sed cõuerso; quoad mortem æternam; temporaliter tamẽ nocere potest; sicut iusto sua iustitia prodest ad tẽporale præmiũ. Quot enim, quantosq; post conuersionem hîc puniunt.

AD II. Nil hîc constat de condonata satisfactione: nisi exemtam à lapidatione fuisse. Dein, factũ Autoritatiuæ potestatis non conferendum est facto potestatis ordinariæ.

AD III. Id ostendisse nil ad rem facit. Nam fatemur determinationẽ satisfactionum quoad tempus, modũ &c. Attamen Dauidi Deus *2. Reg. 24.* remisso peccato dictauit septennalem pœnam, aliam trimestrem, triduanam aliã. Item Nabuchi pœna septennis erat. Deut. 24. *Pro mensura delicti erat & plagarum modus.* Apoc. 18. *Quantum se glorificauit & in deliciis fuit: tantum date ei tormentum & luctũ.* En differentes pœnas.

AD IV. Christiani de Satisfactione doctrinam habent ex S. Scriptura, non ab ethnicis Nec causa exempli, sed mandati, ac promissi præstari docetur: idque sponte, sæpè occultè: vt Achab, *3. Reg. 21.* Ioram, *4. Reg 6.*

AD V. Solum memorat immissas à Deo afflictiones necessariò ferendas: quę etsi possint esse satisfactoriæ: has tamen eas propriè dicimus, quę sponte assumũtur, aut à Iudice spiritali imponuntur.

AD VI. Satisfactiones obscurare legem, repugnat S. Scripturę. Nam Mat. 19. *Hæc omnia*, mandata, *seruaui à iuuentute*, dicenti, offert Dominus Consilium, *Vẽde quæ habes. &c. & sequere me.* Ergo plus valet præstare Christianus quàm præceptum sit, cum Dei gratia. Alia duo, Obscurari Euangelium, Amplificari Traditiones: falsa sunt & conficta. Itaque opera satisfactoria dicuntur indebita, id est, quę indebita essent, si in innocentia maneremus.

AD VII. At ea asserit S. Aug hom. 50. c. 15 *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere: nisi etiam de iis, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem. &c.* cooperantibus eleemosynis.

AD VIII. Ita omnis S. Patrum docuit consentiens Antiquitas.

X. DE EXTREMA VNCTIONE, & ORDINE.

QVÆSTIO CIV.

Vnctio infirmorum an sit propriè dictum Sacramentum teste S. Scriptura?

LVTHERVS *lib. Capt. Babyl.* non reiicit Ritum, sed negat esse Sacramentum.

CALVINVS *Inst. l. 4. c. 19. § 18. 19. &c.* Kemnit. Melancht. Brentius, Magdeburgenses, & negant esse Sacramentum: & petulanter ostendent: cum priscis hæresiarchis. Vide *Genealog. p. 3. q. 21*

SVADENT refutatiunculis nostræ probationis. I. *Lutherus, Kemnit.* Epistola Iacobi non est canonica, teste Hieron. *lib. de Scrip. Eccl. S. Euseb. l. 3. hist. c. 25.*

II. Lutherus *Si esset Iacobi, dicerem, non licere Apostolo suâ autoritate Sacramentum constituere.*

III. *Lutherus, Wicleff, Melanchthon, Brentius, Caluinus &c.* Ea erat vnctio, quâ morbos miraculosè curabant: Wicleff ait, naturaliter: Melanchthon, partim naturaliter, partim miraculosè. Ideo non magis fuit Sacramentum, quàm Probatica, lutum cum sputo, aqua Siloë. 1. Quia Iacobus loquitur ex Marco qui de vnctione curationis, non miraculo loquitur. 2. Quia Iacobus vtitur vocibus corporalis sanationis ἐγείρω, ἰάομαι. 3. Iacobus loquitur solum ad homines suæ ætatis, nullo perpetuationis iudicio.

IV.

IV. *Lutherus, Caluinus, &c.* Alius tunc fuit, alius nunc vngendi ritus est. 1. Tũc quicunq; iubentur inungi; nunc moribundi. 2. Seniores aduocabantur: nunc vnus Sacerdos. 3. Tunc olei simplicis vsus erat: nunc benedicti.

V. Iacobus eum effectum tribuit orationi, non Vnctioni: *Oratio fidei saluabit eum.*

VI. *Caluinus.* Sigebertus prodit hunc Ritum ab Innocentio I. institutum: *Kemnitius* à Felice IV. anno 528.

AVTOR. Extrema Vnctio est propriè dictũ Sacram. à Christo Institutum: Promulgatũ à S. Iac. *c. 5.* Traditũ ab Ecclesia. *Conc. Trid. Sess. 7. c. 1. & Sess. 14. c. 1.* dicit id *Mar. 6.* esse Insinuatũ, id est, adumbratũ.

I. Tametsi sentiãt quidam *Mar. 6.* esse Institutũ: Quòd Christus omnia Sacram. ante passionem instituerit; idq; nusquã alibi prodatur: Et quòd ea Vnctio animas etiã lanarit, Sanior tamẽ, & potiorũ, est sententia, istud negantiũ sed solâ Iacobi nitentiũ promulgatione. 1. Quia Vnctio Marci dabatur promiscuè ægris, cœcis, surdis, 2. Ab nondũ Sacerdotib⁹. 3. Referebatur ad solã corporũ sanationem de alia nil extat. 4. Dabatur etiam non baptizatis, imò infidelibus. 5. Sanabat ex opere operãtis solũ. At Vnctio Iacobi dabatur solũ ægris ad mortem: 2. Ab solis Sacerdotibus: 3. Ad animas à peccatis liberandas primariò: 4. Solis baptizatis: 5 Sanat ex opere operato animas. II. Iacobi c. 5. Omnia ad Sacramentũ requisita sunt præstò. *Ritus*; Olei vnctio: *Promissũ*, alleuiatio, & remissio: *Institutio* colligitur ex tam indubitata Apostoli promissione. &c. Vide *Antichristum p. 3. q. 41.* III. Sic Traditio & Conciliorum & SS Patrum apud *Bell. c. 5.*

DICO AD I. Est Canonica, teste omni retrò Antiquitate. Clemens Can. vlt. Apost. Innocentius I. Gelasius: Cõcilia, S. Patres. S. Hier. ait, Quibusdam visam esse nõ canonicam: Sic & Eusebi⁹: qui addit: *Nos autem scimus esse in Ecclesiis publicè receptam.*

AD II. Non instituit S. Iacobus: *Superbia verò* Lutheri ingens sic audentis resistere Apostolo. Sique scriberet à se institutum; credendum esset factum ex speciali iussũ Domini.

AD III. Non loquitur de Naturali curatione: Quia oleum non est medicinale ad quosuis morbos, vt *Marc. 6.* erat. Nec ad animarum morbos, vt *Iac. 5.* Item miraculosè curãtes vtebãtur plerũq; noxiis: Vt Serpente æneo Moyses, Helisæus aquâ Iordanis, Isaias massâ ex ficis: Dominus luto ad oculos. Petrus vmbrã, Paulus sudariis. &c. Quò certior fides erat miraculo. Quare solũ de Sacramẽtali vnctione fit sermo. Vide in Antichristo. 2. S. Iacobi verba potissimũ referuntur ad sanationem animæ; ad corporis, per accidens: Vnde, *si in peccatis fuerit, remittentur ei.* 3. Necesse est Sacramẽta perpetuare: at hoc ad singula verbis exprimi necesse non est. patet in Baptismi institutione.

AD IV. Vnctio fit, vt remedium supernaturale; cũ spes vitæ desit, mediũq; naturale. Itaq; extremè laborantes iubet inũgi, κάμνοντα, id est, deficientẽ qui exire nequeat, adiri debeat ab inductis Presbyt. Deniq; si iubeat Iacob⁹ omnes inũgi ægrotos; cur Sectarii nullũ inungunt? 2 Dicit *Presbyteros inducat* sicut dicimus, peccator confiteatur Sacerdotib: Qualitas personarũ, non numerus indicatur: 3. Iubet ægros quid agant; non Sacerdotes, quale adferant oleum; id quod eorũ relinquit officio: Neq; negat oleum prius esse benedicendum.

AD V. *Oratio fidei* dicitur hîc non fides Miniſtri; ſed *Verbum Sacramentale*, quod S. Aug. vocat *Verbum fidei*: Et hoc includit materiam Vnctionis, non excludit, vt Sectarii volunt: itaque ſimul vtrumq; operatur. Et in aliis Sacramentis ſæpè tribuitur effectus alteri partium; Vt Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum.*

AD VI. Innocentius I. præceſſit Felicem plus centum annis: & hic nec gryde Extr. Vnctione: Ille *ep. 1. c. 8.* dicit eſſe Sacrament. teſte S. Iacobo: non inſtituit.

QVÆSTIO CV.

An Sacramentum Vnctionis etiam aliunde doceatur?

LVTHERANI & CALVINIANI doceri alicunde vſquam poſſe negant.

SVADENT id iſtis. 1. Lutherus. *Vnctio non habet effectum infallibilem: quòd paucissimi sanantur.* 2. Caluinus. *Si Sacramentum colligitur ex eo, quod inungebant oleo & sanabant: debet etiã colligi ex eo quòd luto sputo, aquâ Siloë sanauit Dominus.* 3. Kemn. *Vnctio ea originem ducit ab hæreticis & ethnicis. Nam Valentiniani, teste Irenæo l. 1. c. 18. vngebant per modum Sacramenti, sine dono curationis. Ethnici, teste Virgilio, corpusq; lauant frigentis*, id est mortui, *& vngunt. Vnde Apuleius l. 9. de asino aureo id vocat vltimum lauacrum. Similia Dionys. c. 7. de Eccl. hierarch.* 4. Kemnit. *Primum Apostoli sanabant oleo vulgari: dein alii benedicto, vt plures Sancti, Martinus, &c. Tandem cum cessassent miracula; ne otiosa maneret ceremonia, Felix IV. voluit vngi infirmos.*

RATIO. S. Vnctionem inde à Christo autore Sacramentum fuiſſe teſtatur Vſus tam certus, vt circa eum nulla quæſtio facta legatur, niſi anno 402. Egubino Epiſcopo percunctante ex Innocentio I. an Epiſcopus dare Extremam Vnctionẽ poſſit; an ſolus Sacerdos? Et Magdeburg. ex hoc probant conſuetudinem vngendi ægros illo ſæculo. In Conc. Niceno diſtinguitur oleum infirmorum ab oleo Chriſmatis, & Catechumenorum.

RATIO ſuadet eſſe Sacramentum, in *Conc. Trid. Seſſ. 14.* Dei prouidentia conſuluit ingreſſui hominum in Eccleſiam; & progreſſui in ea: & defuiſſet egreſſui, in quo ſumma ſalutis vertitur.

DICO AD I. Concilia & Theologi conſentiunt, ſanitatem corporalem promitti conditionaliter. Si ſaluti animæ expedierit. AD II. De luto, ſputo &c. mediis aliis miraculoſarum ſanationũ non extat præceptum, vt ea vſurpemus: nec promiſſio gratiæ: nec certus Miniſter deſignatus.

AD III. Hæretici vngebãt mortuos non morituros, *Epiph. hær. 37.* Item aqua & oleo perfundebant eos loco baptiſmi. Item vtebantur horribilibus verbis hebraicis. Ethnici verò mortuos & lauabãt, & vngebant; vt perinde baptiſmus per id impugnari poſſit, ac extr. Vnctio. Nec vnctionem Chriſtiani ab ethnicis, ſed hi eam ab Hebræis ſumſerunt. Hinc datur Magdalena, quod Matt. 26. *Ad sepeliendum me fecit*; Ioan. 19. *Sicut mos est Iudæis sepelire*.

AD IV. Dicit de vſu ſimplicis olei, non docet: idque contra Clement *Conſt. l. 8. c. 35.* Baſilium, qui olei benedictionẽ refert ad Traditionem Apoſtolicam. Item que Beda in *Iac. 5.* Cætera ſimiliter fingit Kemnitius.

QVÆSTIO CVI.

An Ordinatio sit vere & propriè Sacramentum?

LVTHERVS, *lib. de Capt. Babyl.* Illyricus *in Conf. Antuerp. c. 11.* Kemnit. *p. 2. Exam. pag. 102.* Negant. Cal-

CALVINVS *Inst. l. 4. c. 14. §. 20. & c. 19. §. 31.* affirmat: & alubi se duo solum assignasse ait, vt quæ cunctis essent communia. MELANCHTHON *in Locis primò editis*, duo solum asseruit cum Caluino Sacramenta, Baptismum & Cœnam: At *in editis anno 1536, 52 58.* item *in Apol. Conf. Aug. art. 13.* docet prolixè tertium Sacramentum esse Ordinationem. Sed quatenus accipitur pro Ordinatione Ministrorum; non autem pro Sacerdotio.

SVADENT istis ferè, Vt *Kemnitius pag. 1167.* Quia 1. *Impositio manuũ* erat symbolũ Orationis pro aliquo factæ; non Ordinationis: Ita Ministros destinatos cõmendabant Deo. 2. *Promissio gratiæ* legitur adiuncta chirotoniæ; sed non gratiæ iustificantis, quæ omni Sacramento necessaria est. 3. *Institutio seu Mandatum* constat quidem: sed absq; Ritu certo ac solenni ordinationis: solum *Hoc facite* & *Quorum remiseritis. &c.*

AVTOR. Ordinatio, id est, Impositio manuũ cum Oratione, vt forma, est proprie dictum Sacramentum. I. Sic docet S. Scriptura Ritum, Mandatũ, Promissum; & horum solennem Vsum: in meo *Antichristo p. 3. q. 42.*

II. Sic habet Traditio perpes. S. Dionysius Areop. *libr. de Eccl. Hierarch. c. 5.* docet esse Sacramentum conferens gratiam Idque fatetur Lutherus, cum mendaciis. *Hunc solum*, ait, *scio autorem habere ex antiquis pro Septenario, Sacramẽtorum; licet Matrimonio omisso senarium tantũ dederit. Nihil enim prorsus in reliquis S. Patribus de istis Sacramentis legimus: Nec Sacramenti nomine censuerunt, quoties de his rebus locuti sunt. Recens enim est inuentio Sacramentorum.* Mera hæc mendacia. Nam Papæ, Concilia, Patres Ordinem agnoscunt Sacramentum. S. Innocentius I. epist. 18. dicit Recipi hæreticos cum suo baptismo; at non cum suo Ordine: quòd solum baptismum validè dare permittãtur. S. Leo I. *epist. 81.* ait Ordinem dari solum in vespera Sabbati, gratiamq; cõferri. Patres. S. Athan. *epist. 2.* Greg. in *4. Reg. 5.* Concilia, Chalced. c. 2. Bracarense, Flor. Trid. &c. *Bell. l. 1. c. 3 de Ord.*

III. RATIO fauet congruentiæ. 1. Quia cum *Dei perfecta sint opera*, Deut. 32: dans potestatem, addit & requisita ad rectum eius Vsum: Vt animalibus potentias armat organis: sic, cum in Ordine det Potestatem, dat simul gratiam exequendi munus Ordinis dati. 2. *Deinde*: Vt in Baptismo datur potestas sumendi Eucharistiã: sic in Ordine datur ius perfungendi Ordine; quò speciali opus gratiâ gratum faciente. 3. *Demum*, Aduersarii non habent, quod obiiciant, nisi argumentilla negatiua.

DICO AD I. At *Chirotonia* in Scripturis aliquando iuncta Orationi legitur; aliquãdo sola ponitur: vtrumque vt Ritus certus ac solennis, gratiam conferens; vt Sacramenti materia cum Forma precatoria, & effectiua. Vide *Antichristum p. 3. q 42.* AD II. Si id verum, iam nec Eucharistia foret Sacramentum; vt quæ non sit instituta per se ad gratiam iustificantem, seu remissionem peccatorum; sed ad gratum facientem.

AD III. Etsi non sit in Verbo Scripto Ordinis Institutio; est tamen eius Vsurpatio talis, quæ Institutionem necessariò præsupponit. Dominus verò Ordinauit Apostolos verbo autoritatiuè, forsan absque chirotonia: ceu eosdem sine Sacramento Confirmauit, Magdalenam absoluit. Neque tamen credere cogimur absque chirotonia Ordinatos, quia scriptum non est; multa enim dicta factaq; sunt, quæ scripta non sunt. Yy 3

QVÆSTIO CVII.

Ordinationis ecqualis Materia, Forma, Minister, Effectus, et Ceremonia?

LVTHERO-CALVINIANI non agnoscunt Chirotoniam: non Verbum Sacramentale certum & efficax; nõ effectum Characterem, non Ceremoniam Vnctionis: vti ficta & superstitiosa. Volunt Ministerium Ecclesiasticum esse merũ Officium functionis: hocque cessante cessare. Hinc iis, qui hodie Presbyter aut Diaconus est; cras, motus officio, est laicus.

SVADET contra Vnctionem & Rasuram *Kemnit pag. 1171.* ita. 1. Christus & Apostoli non sunt illis vsi. 2. In historia Ecclesiastica nullum extat exemplum 3. *S.* Patres Vtriusq; nil meminerunt, præter supposititios libros Cypriani & Anacleti. 4 In Ecclesia Græca non fuit vsitata vsque ad annum 1200. 5. Ritus est Iudaicus, ait *Caluinus §. 30. 31.*

AVTOR. I. Materia Principalis Sacri Ordinis est Impositio manuũ. 1. Liquet suprà Scripturis &c. Minus principalis tamẽ etiam essentialis, est porrectio calicis, & Euangelii: de quibus nil in Scriptura. Ac licet in Confirmatione fiat etiam Impositio manuum; accidẽtaria tamen est ibi; primariũ verò Chrisma. 2. ha Traditio Pontificũ, Cõcilorũ. Patrũ, & pars Potior Theologorũ. Itaq; Sacerdotes ordinantur, cùm dicitur ad porrectionẽ; *Accipe potestatẽ Sacrificium offerẽdi*; & ad Chirotoniam, *Accipe Sp. Sanctum* Et hæc est Forma, seu Verbum Sacramentale: Actio vtraque est vna Ordinatio.

II. Effectus est duplex: 1. Potestas spiritalis perpetua cum indelibili charactere: 2. Gratia gratũ faciens, ad fungẽdũ munere. Cyp. serm. de ablut. pedũ *Nemo S. Ordines iterũ renouat*. Sic & Aug. &c. III. Minister solus est Episcopus ordinatus: Nec aliter factos agnouit vnquã Ecclesia. IV. Vnctio est ceremonia verè Sacramentalis; non autem Rasura.

DICO AD I. Kemnitius toties ex proposito mentitur. 1. Nam etsi de Christo & Apostolis nil scriptum; tamen S. Dionys. *l. hierarch. c. 4.* Pontificem vti sacro oleo in Consecratione, Traditũ esse ab Apostolis. 2. Eusebius *l. 10. hist. Eccles. c. 4.* Metaphrastes *in vita S. Chrysostomi. &c.* Vnctionis meminerũt. 3. Patres Item, vt Pacianus *ep. 3.* Greg *in 4. Reg. 5.* &c. 4 Contrarium docent Dionysius, Euseb. Metaphrastes. 5. Non est Iudaismus, vti rebꝰ, quibus & Iudęi sunt vsi: sed modus ac finis vtẽdi illum constituunt.

XI. DE MATRIMONIO.

QVÆSTIO CVIII.

An Matrimonium sit verè Sacramentum teste S. Scriptura?

LVTHERVS *l. de Capt. Babyl.* negat; quòd nec Signum habeat à Deo institutum, nec Gratiæ promissionem.

II. CALVINVS *Inst. l. 4. c. 19 §. 34.* ait, Non magis rationem Sacramenti conuenire Matrimonio, quàm agriculturæ, aut tonstrinæ.

III. MELANCHTHON *in Loch.* & Kemnit *pag. 1161.* agnoscunt in Matrimonio Mandatum Dei, & Promissum gratiæ; sed non iustificantis à peccato; ac proinde negant propriè dici Sacramentum, vt sunt Baptismus & Cœna: esse tamen aliquo modo.

SVADENT istis. Lutherus, Calvinus, Erasmus, BEZA, in Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum est*; tria volunt. 1. Papistæ ex sola voce hac definiunt Matrimonium esse Sacramentum; cum græcè sit μυστηριον. 2. Intelligitur ibi coniunctio Christi & Ecclesiæ; non viri & fœminæ: Hoc enim quotidianum est: non mysterium. Vnde ait; *Ego autem dico, in Christo & Ecclesia.* 3. Sic & Aug. tract. 9. in Ioan.

Erunt

Erunt duo in carne vna, hoc est Sacramentum magnum.

AVTOR. Matrimonium est à Deo *Institutum* bifariam. 1. Physicè vt duorum est coniunctio ad prolificandum. Sic à Deo esse, ac bonum, negabant hæretici veteres: Vide *Geneal. p. 3. q. 23.* At bonæ sunt nuptiæ: teste S. Scriptura, Genes. 2. *Non est bonum hominem esse solum.* &c. Aug. l. 9. in Gen. ad lit. c. 7. Concilium Gangrense & Bracarense hæreses eas damnarunt.

2. Christianè; vt duorum cõiunctio est rei sacræ significatio, sanctificans eosdem. Sic Matrimonium esse Sacramentum negant Luthero-Caluinistæ. At contra Apostolum *Eph. 5.* Vbi tria: 1. Sacramentum propriè dictum: 2. Idque in coniunctione viri & fœminæ; non Christi & Ecclesiæ: 3. Nec Adami ac Euæ.

II. Matrimonium est SIGNVM REI SACRÆ. Quia habet annexam gratiæ promissionem, quæ cum solius esse Dei debeat ac possit; à Deo Institutionẽ Matrimonii factam esse necesse est. 1. Illud dant vltrò Melanchthon *in Apolog. Conf. August. art. 13.* Caluinus *Inst. l. 4. c. 19 § 2.* Kemnitius *p. 2 Exam. pag. 13.* Quare Matrimonium est & contractus ciuilis, & Mysterium rei sacræ. 2. Ita S. Amb. in Eph. 5. *Mysterii Sacramentum grande in vnitate viri ac fœminæ esse significat.* Ita Hieron. Chrys. August.

Vnde Sectarii studeant errori dicẽtes; intelligi coniunctionem Christi & Ecclesiæ; non viri & fœminæ. Quia, *Hoc* demonstratiuum est rei præcedentis, scilic. illius: *Relinquet homo patrem. &c. & erunt duo in carne vna:* Hoc magnum est. Item, quia caput totum tractat de coniugio, vt re grandi; quæ terminetur in Christum & Ecclesiam. Vnde Aug. l. 1. de nupt. c. 21. *Quod in Christo & in Ecclesia est magnum Sacramentum, hoc est in singulis viris & vxoribus minimum; sed tamen coniunctionis inseparabile Sacramentum.* Itaque Matrimonium, quà est *Vinculum insolubile*, magnum est Sacramentum in Christo & Ecclesia: quà est *signum sacræ coniunctionis*; sic magnum est Sacramentum in Christo, at minimum in hominibus, qui Christo comparati, minimi sunt. Notanda distinctio.

Neq; *hoc magnum Sacramentum* referri potest ad Adam & Euam, vt vult S. Hier. licet significarunt Christum & Ecclesiam: Quia sermo est de futuro, *Relinquet*; Et Protoplastæ non habebant *patrem & matrem*: Nec dixit, *Ego relinquam*, de se; sed de posteris indefinitè, *Homo*. Sic & Dominus, Matth. 19. *Quod Deus coniunxit*, indefinitè, *homo non separet*; at protoplastæ iam erant morte separati: ergo de iis esse sermo nequibat. Non enim dicit; *Sacramentum hoc magnum Fuit*; sed *Est*.

III. GRATIÆ PROMISSIO est adiuncta Institutioni. Quia Matrimoniũ est signum tum Coniunctionis Christi & Ecclesiæ: Tum & Spiritalis Charitatis mutuæ, in qua Christo adhæret Ecclesia per Fidem, & spem, subiecta ei per Obedientiam. Et hanc Spiritalem coniunctionem maximè vrget Paulus. Quia per hanc Christus est iunctus Ecclesiæ soli vt sponsus; per naturæ conformitatẽ verò iunctꝰ est toti humano generi. Quia Viri & fœminæ coniunctio illam spiritalem maximè significat; vnde *magnum est*

Sacra-

Sacramentum. Quia ſic, 1. Tim. 2. *Saluabitur per filiorum generationem: ſi permanſerit in fide, dil. & ſatisfactione cum ſobrietate*. Iſtud Domus Dei vocatur ibid. *Vnusquisq; domum ſuam habet ex Deo, vnus quidem ſic, alius autem ſic*. Itaque 1. Theſ. 4. *Sciat vnusquisq; vas ſuum poſſidere in ſanctificatione*.

DICO AD I. Falſum eſt. Nam vox *Sacramentum* habetur *Tob. 12. Dan. 2. Col. 1. 1. Tim. 3. Apoc. 1. 17. Eph. 1. & 3.* Nec tamē ibi Sacramentum propriè dictum aſſerimus: vt hic *Eph. 5.* Proinde Sectarii ex iiſdem locis calumnioſe multiplicant nobis Sacramenta.

AD II. In viri & fœminæ, non in Chriſti & Eccleſiæ coniunctione, eſt *Sacramentum*: idq; *magnū* reſpectu Chriſti & Eccleſiæ, & pro magnitudine gratiæ promiſſæ *in Chriſto et Eccleſia*, id eſt, in charitate Sacramentali.

AD III. *S.* Auguſtinus loquitur de Sacramento nunc reſpectu Vinculi inſolubilis: nunc vt de ſigno rei Sacræ: illud eſt in Chriſto & Eccleſia: hoc in viro & muliere Sacramentum, vt ſignum cū illius, tum gratiæ conferendæ.

QVÆSTIO CIX.

Quibus porrò probetur, & oppugnetur Matrimonium eſſe Sacramentum?

LVTHERANI, vt Kemnitius *p. 2. Exam pag. 1225.* Ante Auguſtini tēpora nec generale nomen Sacramenti eſt tributum Matrimonio. CALVINVS *Inſt. l. 4. c 14. § 24.* Ante S. Gregorium nemini viſum dari Matrmonium pro Sacramento BEZA *in Eph. 5.* Nuſquam in Auguſtino & Hieronymo appellari Sacramentum Matrimonium.

II. Luthetus Capt. Babyl. *Nuſquam legitur aliquid gratiæ dari vxorem ducenti. Quin nec ſignum eſt gratiæ.*

III. Idem. Matrimonium fuit apud infideles, non Sacramentum, nec Sanctum; & multi eorum ſunt meliores fidelibus: ergo non eſt *Sacramentum* nouæ legis.

IV. CALVINVS. §. 34. In Matrimonio non eſt ceremonia exterior poſita à Deo ad confirmandam promiſſionem.

V. *Caluinus, Kemnitius.* Id appellant Pontificii pollutionem apud Magiſtrum & Syriciū Papam: At ea nequit eſſe Sacramentum.

VI. Matrimonium pugnat cum Sacramento Ordinis, quia negant ambo in vno poſſe conſiſtere: at id abſurdum.

VII. Papiſtis Coitus eſt pars Sacramenti; à quo arcent Sacerdotes. At id abſurdum.

VIII. *Kemnitius.* Durādus apertè negat id eſſe Sacramentum, docetque multis.

AVTOR. Mentitur iniquitas ſibi.

AD I. igitur S. Leo I. claruit anno 440 ante S Gregoriū annis 150. S Chryſoſtomus claruit anno 370. ante S. Aug. annis 30. S. Ambr. Auguſt. & Hironymo antiquior: Syricius Papa æqualis Ambroſio. &c. Et ii tamen Matrimonium appellant verum Sacramentum, & docent. *S.* Leo epiſt. 92. *Cùm ſocietas nuptiarum ab initio conſtituta ſit, vt præter ſexuum coniunctionem haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum; dubium non eſt, eam mulierem Non pertinere ad Matrimonium, in qua deceatur non fuiſſe Nuptiale Myſterium*, id eſt, Sacramentum. S. Ambr. l. 1. de Abraham. c. 7. *Qui ſic egerit, peccat in Deum, gratiam ſoluit, & Sacramenti cœleſtis amittit conſortium.* Syricius epiſt. 1. c. 4 ait, Sacrilegium committit, qui viuente tranſit ad aliam: at peccatum contra ciuilem cōtractum non eſt ſacrilegium. S. Auguſtinus tribuit Matrimonio & nomen Sacramēti, & rationem, docens id non eſſe Sacramentum, niſi in Eccleſia: Ideoque eſſe Inſolubile. Nomen tamen Sacramenti non

ti non vno semper modo accipit; vt supr. notauimus. RATIO quoque fauet docens esse *Sacramentum* propriè dictum. Vide *Genealog. p. 3. q. 23.*

DICO AD I. At suus Melancht. negat id illi, docens conferre gratiam: Kemnitius, docens esse signum.

AD III. Solum in noua lege Matrimonium est Sacramentum: Etsi quidam sentiant non bene, etiã in Veteri lege fuisse. Illud definiunt Conc. Florent. Trid. *Sess. 24. C. 2.* Et *D. Th. 4. d. 26. q. 2. a. 2.* & Theologi: Fuisse Institutum in officiũ naturæ in statu innocẽtiæ; in lapso, ad remedium: in reparato in Sacramentum. *Nam* in statu innocentiæ non erat opus gratia Sacramentali; ligatâ concupiscentiâ. In Lege, *Leu. 18.* restrictio eius facta est ad certas personas; nõ Institutio; *Et* permissa erat polygamia & repudium; contraria Significationi Sacramẽtali. *Et*, argumenta partis contrariæ refutata iacẽt. *Neq.* Matrim. Sacramentum magis polluitur per malos Christianos, quã Baptismus perceptus aut Eucharistia &c.

AD IV. *Sacramenta* sunt instituta ad Significãdam & Conferendã gratiam; non ad Confirmandã: patet *sup. q. 3.*

AD V. Calumnia mendax est in Ecclesiã, & Magistrum, qui id nusquã dicit Syricius coniugũ adulteria, & Sacerdotum scortationes vocat Sacrilegia: & rectè: *Adhæc* ipsi coniuges erubescunt suum actũ. Quod coëuntes dicuntur, Apoc. 14. *cum mulieribus coinquinati.* 1 Reg. 2. Non *mundi à mulieribus* & in 1. Cor. 7. *Qui in carne sunt*, vt mulus & equus, *Deo placere non possunt.* At sancti cõiuges *vxores habent tanquam non habentes.* Et *Virgo est sancta corpore & Spiritu.* Et Sacerdotib⁹ dicitur *Sancti estote.*

AD VI. *Sacerdotes* arcẽtur à Matrimonio ob impedimenta matrimonialia functionum Sacerdotalium; non ob *Sacramentum* ipsum Matrimonii.

AD VII. De Copula Quidã sentiũt, eam esse actum & officiũ matrimonii: Quidã, improbabilius; esse partẽ Sacramenti Integralẽ; sed non Essentialẽ. Vtrique & omnes docẽt, ideo Matrimonium esse totum ac plenum sine copula. S. Amb. l. de inst. Virg. 1. 6. *Non defloratio facit coniugiũ; sed pactio coniugalis.* Aug. *l. 1. de nup. c. 11.* inter Iosephum & B. V. verum ait interces sisse matrimonium.

AD VIII. Durandus errauit; inque altera editione se explicat; esse verè *Sacramentum*; sed non vniuocè; quod logicum est, nõ Theologicum. At hic prætextus erat inanis: vt & eiusdem arguitiones vanæ; vt sequitur.

QVÆSTIO CX.

An Matrimonium sit Vniuocè Sacramentum?

LVTHERANVS Kemnitius obiicit Durandum, hoc negantem. Eiusq; vtitur argumentis istis. I. In Sacramentis aliis, quod exterius agitur, excedit rationem naturalem; nec potest reddi causa, nisi per lumen fidei. At quod in matrimonio exterius agitur naturalem causam habet; quam etiam cuis, videns contractum, reddere posset: in aliis non posset. Ergo non est vniuocè Sacramentum. II. Sacramenta cætera constituunt in re sacra extrinsecus applicata; idq; præsentibus. At tale nihil, aut nõ eo modo, applicatur in Matrimonio. Ergo III. Cætera Sacramenta conferunt gratiam: hoc non; aiunt Canonistæ, & Magister 4. d. 2. Quia licitè fit matrimonium cum pacto pecuniæ; at hoc in Sacramẽto illicitum & Simoniacum est. Deinde Matrimonium non confert primam gratiam, sc. remissionem peccatorum; nec secundam, sc. augmentum gratiæ. IV. In cæteris Sacramentis Ordinatio Ecclesiæ vim præcepti habet sed non de necessitate est Sacramenti: at in hoc ordinatio Ecclesiæ est de necessitate Sacramenti: vt de gradibus consanguinitatis, de præsentia parochi. &c. V. Cæterorum Sacramentorum capax nemo est absq; præuio Baptismo: at etiam non baptizati sunt capaces Matrimonii: ergo non est propriè Sacramentum.

AVTOR. Matrimonium est Vniuocè cum cæteris verè & propriè Sacramētū.

DICO AD I. Falsa minor. Nam nō quælibet Vnio viri & fœminæ, quæ videtur, exterius illud est; sed illa Insolubilis tum contrahentib⁹, tum Magistratui: illa ciuilis intelligitur; hæc Sacramentalis solum fide capitur: quia ista est corporū; hæc animorum cum gratia data, & necessaria. AD II. De ratione Sacramēti est vt aliquid sit Signum practicum gratiæ; non vt res aliqua foris applicetur: Et ita quodque Sacram. habet quid proprium sibi; non tamen idcirco non sunt Vniuocè *Sacramēta*. Sic placuit Institutori. Et quia Matrim. cōsistit in Consēsu sese ligātium; ideo ipsi sunt Ministri Sacramenti huius; nec egent alio absolutè.

AD III. Paucis Canonistis aduersatur Cōmunis omnium consensus: apud Nauar. *in Enchir. c. 19. n. 22.* Aduersantur & Theologi. Nam in genere gratia gratum faciens habet etiā vim peccata delēdi, & ab omnibus cōfertur *Sacramentis*: at in specie ad Principalē finem instituta sunt alia; vt tribuant Remedium peccatorum, & gratiam adiutricem: vt Bapt. Quædā in remediū tantum, vt Matrimonium. Quædam in gratiam tantū augendā. Et sic Magistrū exponit D. Thom.

AD IV. Ecclesia nil potest ordinare quoad essentialia Matrimonii, vt Diuina: at potest quoad personas, quæ sunt prærequisitum fundamentum essentialium: vt quæ sint legitimæ personæ. &c. vt in Euch. qualis panis requiratur. &c.

AD V. Quidā putant coniuges conuerso post Bapt. debere renouare cōtractum: Alii eorum matrimoniū post Baptismum hoc ipso fieri Sacram; nisi alter conuerti nolit: tunc est solubile.

QVÆSTIO CXI.

Quæ sit Materia & Forma Matrimonii?

LVTHERANVS Kemnitius negat, cum Melch. Cano, Matrimonium esse Sacramentum; quòdeius materia & forma nequeant demonstrari. Canus vult verba Consensus contrahentium efficere matrimonium: at Verba solennia Ecclesiastici constituere Sacramentum. Quidam sentiunt, Verba consensus contrahentium esse materiam & formam: Alii, Personas esse materiam, Verba, formam.

Kemnitius ait Groppero formam esse illā Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; Ideo inter nos non constare de materia, forma, ministro.

AVTOR. I. Dum fit matrimoniū, eius essentia consistit in verbis mutui cōsensus, vt in forma: Personæ verò sunt materia circa quam. Ita *D. Th. 4. d. 26. q. 2. a. 1.* Dum factum est, iam ipsa permanēs coniugum societas est signum externū vti Euch. parmanens. &c.

Affingit autem id Kemn. Groppero, qui solū ex iis, *Matt. 19.* colligit formam; nō ipsa esse dicit formam. Constat igitur nobis certa & materia, & forma, & minister idem, qui materia: *Sicut* vēdens ipsū est minister venditionis, & res vēdita.

II. Canus autē errat. 1. Quia sicē *Scriptura* doceri non posset forma & minister Sacramenti; sed solū matrimoniū nā de hoc solo habetur in ea: at illud absurdū est & absonū: ergo idē est vtriusque minister & forma. 2. Conc. Flor. & Trident. oportuisset discrimini isti assignasse ministrū. &c. *Sed* ea nō agnoscunt discrimē inter matrim. & *Sacramentū* apud Christianos. 3. Cōmunis Theologorū id nesciuit vnquā; estq; Can⁹ omnino singularis nouitatis inuētor. Ac licet Theologi in diuersa discedāt quoad materiā; quoad formā tamen & ministrum consentiūt. 4. Matrimonia Christianorū si continent in se vinculū insolubile; ergo sunt Sacramētum: *Si* non id contineant

nent; ergo erunt solubilia; & non erunt Sacramentum: polygamia licebit: at hæc absurda: Ergo.

QVÆSTIO CXII.

An Polygamia sit licita Christianis?

LVTHERANVS Kemnitius *par. 2. Exam. pag. 1220.* ait nos cum Montanis prohibere polygamiam successiuam, id est, successiuè plurium: Quòd secundas nuptias non benedicamus, ceu prostitutioni & fornicationi: Teste Decreto Gratiani: *can; hac rat. 31. q. 1.*

II. LVTHERVS de Bigamia propos. 65. *Nota sunt iura Mosaica, quæ cogunt plurium esse vxorum virum, quæ non sunt magis abrogata, quàm reliqua; sed libera, nec prohibita, nec præcepta.* Exemplo Abrahæ, ait in Genesin.

ANABAPTISTAE sequūtur Lutherum, teste Kemnit. pag. 1219. vbi rectè damnatos ait à Concil. Tridentino.

AVTOR. I. Polygamia successiua, licita & iusta est; cōtra Montanistas: teste *S.* Scriptura in meo *Antichristo p. 3. q. 44.* 2. Concil. Nicenū can. 8 iussit Nouatianos nō recipi in Ecclesiā, nisi prius communicarint cū secundò nuptis, aut sępi⁹. Accedit S. Patrū consensus. Secūdis tamen nuptiis nō benedicimus; quòd prior benedictio non expiret. Ita S. Patres. Canonū verò Collector Gratianus vixit ante 1200. annos & apertè contrariū dicit, quàm ei Kemn. affingit. *Bell. cap. 9.*

II. Polygamia cū plurib. simul vnius est à Christo abrogata, ac vetita: patet in Antichristo ex *S.* Scriptura. 2. Deinde, Iure Euāgelico vir & fœmina pares sunt quoad fidē & debitum. 1 Cor. 7. *Vxori vir debitum reddat, et vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter* è contrà. Ita alter se tradere nequit alii sine iniuria comparis: Absurdius tamen est, mulierem plures habere viros.

3. Quia Polygamia pugnat iuri naturæ, & rationi Matrimonii. Huius n. fines sunt quatuor: 1. Prolis susceptio & educatio: 2. Societas domestica: 3. Remedium concupiscentiæ: 4. Sacramentū Christi & Ecclesiæ: His inimica Polygamia est. 4 Denīq; nulla gens vnq̄ inter Christianos reliquit exemplū polygamiæ Quod si exēplo Patriarcharum libera sit; cur exēplo caruit & imitatione? Volunt autē quidam, vnā Patriarchis vxorē fuisse, cæteras concubinas: Alii singulas veras vxores extitisse: quod probabilius est & communius.

QVÆSTIO CXIII.

An Matrimonium consummatum sit solubile quoad Thorum solū permanente Vinculo?

LVTHERVS *l. Capt. Babyl. de matrimon.* Melanchthon *in Locis de Coniug.* Kemnitius *p. 2. Exam. &c.* aiunt esse: sed simul quoad & Thorum & Vinculum; non autem quoad thorum solum. Kemnit. etiam reprehendit Ecclesiam, quæ soluit manente vinculo.

SVADENTIstis. 1. CALVINVS, BEZA. &c, Kemnitius pag. 168. *Definitio illa Diuortii, quòd sit separatio Matrimonii quoad thorum, manente Vinculo, noua est ex Paulo malè intellecto:* Præcipio non ego &c. *vbi loquitur de iniusto diuortio ex leuibus rixis: non de iusto, in causa fornicationis.* 2. Idem *Christus*, Mat. 5 &c. *dimissionem coniugis, nisi propter fornicationem, pronunciat esse illicitam; Contra Pontificii decernunt, præter fornicationem, multas alias causas, propter quas liceat.* 3. *Christus ideo prohibet dimissionem, extra fornicationis causam, quòd sit periculum Vstionis.* Sed de hoc ij non sunt soliciti. 4. *Pontificia separatio Vinculum multis modis soluit. Nam quid sit Vinculum, Scriptura docent;* Adhærebit vxori. Faciamus ei aiut. Mulier non habet potest. Iterum conuenite, ne. &c. *Sunt Vna caro, &c. Hæc omnia soluunt. Ergo separant, quod Deus coniunxit.*

AVTOR. I. Matrimonium Infidelium solubile est etiam quoad Vinculū. 1. Cor. 7. *Si infidelis discedit; discedat.* Vide Antichristum p. 3 q. 45.

II. Matrimonium Consummatum Fidelium est solubile solū quoad thorū; non quoad vinculum. Idque duabus de causis: 1. Ex Consensu mutuo, ob statū altiorem adeundē, scil. religionis. 2 Sine consensu, ob crimen Adulterii, Infidelitatis, & Peccati ineuitabilis. Patet in meo Antichristo Scripturis. Ita *Trident. Sess. 24. Can. 8.*

NOTA. 1. Viro & vxori par eſt libertas diuortium faciẽdi. 2. Et quoad thorum poſſunt autoritate ſuâpte ſeparari ob certum adulterium: quoad Cohabitationem verò opus eſt iudicio Eccleſiæ. 3. Separatio tamen ob adulterium fit illicita; 1. *Si* vxor ſit vim paſſa. 2. Si vterque coniux ſit adulter: 3. *Si* poſt cognitum adulterium rem cum compare habuerit: 4. Si autor coniugi fuerit ad adulterium.

DICO AD I. *Aug. l. 1. de adult. cõiug. c. 1. 2. 3. 4.* diſtinguit verba Pauli; quòd loquatur de ſeparatione iniuſta ibi: *Præcipio vxorem à viro non diſcedere.* De iuſta ibi: *Quod ſi is deceſſerit, manere innuptam.* Errant igitur Luthero-caluiniſtæ locum totum de Iniuſta exponentes ſola.

AD II. Et verò ſunt plures. Nam ibidem *Matt. 19* poſitâ cauſâ fornicationis; promittit centuplum dimittentibꝰ vxorem, & ſequentibus Chriſtum. Item, *1. Cor. 7.* ob infidelitatem fieri diſceſſionẽ poſſe permittitur. Itaque ſententia Chriſti ſic intelligenda eſt, vt non pugnet cũ Chriſto, & Paulo. Ratio: quia dimiſſio poteſt ſolum fieri ob crimina in damnũ comparis vergentia: aut ob maius bonũ. Fornicatio enim opponitur directè fidei matrimoniali: cætera crimina ſolum per accidens. Deinde liberat comparem ad omnem vitam à debito reddendo: alia crimina non liberant.

AD III. Quia iuſta eſt dimiſſio ob fornicationem; ideo periculum dimiſſi non imputatur dimittenti iuſtè. Ex duobus enim periculis minus eligendũ eſt: at alienum nocentis cenſetur minus proprio innocentis.

AD IV. Iſta, de quibus Scripturæ, non Vinculum ipſum efficiunt; ſed ad illud conſequuntur: alioquin longior peregrinatio eſſet prohibita. Vinculum autem eſt obligatio, quâ alter ſit alterius proprius in omnem vitam.

QVÆSTIO CXIV.

An Fidelium Matrimonium Conſummatum ſit ſolubile quoad Vinculum?

LVTHERVS *I Capt. Bab.* ſtatuere nil audet; optat tamen definiri, Non ab Epiſcopis, ſed duobus doctis & bonis. Licitè ſolui etiam Vinculum ob vel fornicationem, vel decennem abſentiam alterius: Si anno 1521. At anno 1523. *comment in 1 Cor. 7.* Licitè ſoluitur, ſubter ſit ethnicus, aut falſus Chriſtianus, aut rixoſus, aut ad quodcunq; peccatum inducat, aut pauper ſit, aut amici coniunctos nolint. BRENTIVS *in Mat. 19.* Quoties iter alteri non eſt commodus: aut quacunque de cauſa ſibi diſplicent.

MELANCHTHON *in Locis*, Licitum vel ob fornicationem, aut ſi alter iniuſtè diſcedat ab altero. CALVINVS *Inſt. l. 4. c. 19. §. vlt.* arguit tyrannicam legem eſſe, quæ non permittit ſolutionem Vinculi ob adulterium aut Infidelitatem. Kemnitius ſequitur Caluinum. ERASMVS anno 1515. docuit licere ob fornicationẽ etiam vinculum ſolui: *Sic* & Caietanus, & Catherinus: Qui duo tamen ſe ſubmiſerunt Eccleſiæ. Licere tamẽ maximè volunt innonti.

SVADENT iſtis, quæ ex omnibus collegit Kemnit 1. Lex innocentem nubere alteri vetans priuat iure ſuo citra culpam. 2. Diuortium, à Chriſto conceſſum ob fornicationẽ, eſſet laqueus inſonti, qui Vritur. 3. *Mat. 19.* quæritur de dimiſſione quoad Vinculum, non quoad thorum: nam ſolam illam norant, qua ducere aliam licebat. *Deu. 24. Leu. 11. Ier. 3. Ezech. 44.* Ergo, *qui dimiſit ob fornicationem, & aliam ducit*, non *mœchatur*. 4. *Præcipio non diſcedere*: ſubaudi, niſi ob fornic; *Si diſceſſerit*, iniuſtè & non ob fornicat. tunc *Manere innuptam*: ergo ſi iuſtè ob fornicationem diſceſſerit, nubere poteſt. &c. *Bellarm. c. 17. 5. Mat.* 5. Generalis ſententia eſt: *Qui dimiſerit vxorem*

rem, sc. iniustè, *exceptâ fornicationis causâ* quę iusta est; *facit eam* insontem *mœchari. & qui dimissam* sontem seu insontem *duxerit, adulterat:* Ideo trāsire ad altera vota licet insonti: non licet sonti, in pœnam. Et loca *Mar.* 10. *Luc.* 16. quæ silent de fornicationis causa, debent exponi per Matthæum 19, quòd liceat ob fornicationem & dimittere, & ducere aliam. 6. Verba, Rom. 7. & 1. Cor. 7. *Viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Quia *ligata est:* hæc generaliter capienda sunt; non in casu fornicationis, ait Caietanus, Caluinus, Erasmus, Bucerus Kemnitius. &c q. d. Generaliter mors est expectanda in diremtione Vinculi, non autem in Dimissione.

AVTOR. Theologis *Diuortium* est separatio matrimonii consummati quoad thorum aut Cohabitationem, manente Vinculo: *Repudium*, soluto vinculo. Iuristis *Repudium* est seu sponsæ seu vxoris: *Diuortium* solius vxoris. Theologis facto ob fornicationem diuortio, nubere neutri licet, ob permanens Vinculum. 1. Ita S. Scriptura in meo *Antichristo p. 3. q. 45.* 2. Ita Traditio singula per sæcula S. Patrum. Clemens in Can. Apost. can. 48. Vide *Bell. c. 16.* 3. RATIO. Quia Matrimonium est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia in vinculo insolubili: ergo & ipsum est tale. Sic *Aug. l. de bono coniug. c. 7. 15. 18. 24.* 2. Si liceret, liberis pater fieret vitricus, viuâ matre, ait *S. Ambr. in Luc. 16.* 3. Repudiis innumeris fieret porta: ait *S. Hier. in Matt. 19.* 4. Vbi lex prohibēs sontem dimissum nubere? Soluto vinculo quid eum prohibet magis, quàm insontem? Nec ethnici, vbi disciplina vigebat, repudium permittebant, teste *Tertull. in Apolog. c. 6.*

DICO AD I. Lex ea est Christi, non Papæ: & priuat insontem sine culpa quidem; sed non sine causa.

AD II. Insons, si cōtinere nequeat, lapsę ignoscat, & retineat eā in remediū: nā dimittere non tenetur. Non autem videri durum debere, culpis ignoscere cōparis, docet *S. Aug. vbi supr.* Sin eam retinere non licet; ecce remedium, Matt. 2. *Petite, & accipietis* donum continentiæ. Quid si vxor in morbum incideret perpetuum? aut ab hoste abriperetur? &c. ita Augustinus.

AD III. Istud: *Nisi ob fornicat.* Si Exceptiuè sumatur, tunc sermo est de dimissione ob fornicationē, perstante vinculo: licet Pharisæi interrogarint de dimissione quoad thorum et vinculum. Nam in Vinculo sunt duo: Dimissio, & Potestas ducendi aliam: illam Dominus concessit ob fornicationem: at hanc omninò sustulit. Si verò Negatiuè accipiatur, cum Aug. tunc damus loqui Dominum de dimissione quoad vinculum; sed negamus eam in causa fornicationis.

AD IV. Loquitur de discessione solum ob iustam causam; alioquin si daret optionem; pugnaret secum ipso, & cum Euangelio.

AD V. Si prohiberetur nubere in pœnam; & tamen soluta esset à vinculo; nubēs non mœcharetur, etsi matrimonium fieret irritum: quod absurdū. Neque per Matthæum exponuntur sequentes Euangelistæ; iste enim ante hos scripsit; & Marcus Romanis, quæ eis Petrus; Lucas Gentibus, quæ Paulus eis prædicarat: non vt supplerent in eo; sed vt pseudomatthæum redarguerent.

AD VI. At plana esse verba dicit S. Aug. Nec Apostolus vnquam addidit exceptionem. Ei consentiunt S. Patres, & ratio. Quia docere intendit legem

obligatio ad legem, donec vel Lex abrogetur, vel coniux moriatur: ita morte Christi factum, & Lex mortua est, & homines in alium translati sunt statum, ceu mortui legi veteri.

QVÆSTIO CXV.

An, & Quæ sint Impedimenta *Matrimonii?*

LVTHERO-CALVINIANI promiscuè, ex parte Consensus impedimenta matrimonium contractum Dirimentia admittunt tria, Errorem, Conditionem, Coactionem: Addunt Defectum consensus paterni. Ex parte Personæ, duo simpliciter. Impotentiã reddendi debiti, & Ligamen: Duo non simpliciter admittunt, Cõsanguinitatem, & Affinitatem; sc. quoad Gradus in Leuitico designatos: cætera reiiciunt, ac damnant. *Melanchr. in Locis tit. de Cõiugio.* Lutherus serm. de Matrim. *Duodeuiginti causas in suo Iure effinxit Papa, quibus omnibus matrimonium vel dissipet, vel impediat: Quas tamen ferè omnes & reiicio, & condemno.*

AVTOR. Impedimenta sunt duplicia: 1. Impedienita; sed non Dirimentia; quæ aduersantur Matrimonii, non Essentiæ, sed Solennitati, vel accidenti. Quæ sunt duo:

Ecclesiæ Vetitum; nec non Tempus Feriatũ, Impediunt fieri, permittunt facta teneri

2. Impediẽtia & Dirimentia, quę Essentiæ Matrimonii aduersantur sic, vt cũ iis nunquam sit verum matrimonium. Hinc contractum de facto, non de iure irritum reddunt. Sunt ea XII.

Error, Conditio, Votũ, Cognatio, Crimen, Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamẽ, Honestas, Affinis, Si fortè coire nequibis. [stas,

Hæc socianda vetant connubia; facta retractant.

Essentialia autem matrimonii sunt tria, 1. *Consensus*, vt causa Efficiens quiponit Intentionem: 2. *Cum Signo expressus*, vt Formâ; quod tale est, qualis Consensus verus, aut falsus: 3. *Inter Legitimas Personas*; quæ sunt Materia. Ex parte *Consensus* est Ignorantia personæ, vel conditionis; & Coactio. Ex parte *Personæ*, cætera accidunt omnia.

Porro nos de iis solum, quæ controuertunt Aduersarii.

QVÆSTIO CXVI.

An Consensus parentum requiratur necessariò ad Matrimonium Ratum?

LVTHERVS Serm. de Matr. Si ex Matrimonio cum consensum parentum contracto, sit nata proles, primum esto matrimonium. Si nondum sit nata, in potestate parentum erit confirmare vel irritare. 2. Erasmus in Dialogo de matr. *Inscio parentibus contractum, ne Natura sensus adprobat; nec Veterum leges: nec Moses ipse; nec Euangelica, aut Apostolica doctrina.*

3. Bucerus *in Mat. 19.* optat reuocari in vsum leges ciuiles, quæ vetẽt contractas absq; parentibus. 4. Brentius in Catech. iubet eo stare iudicio magistratus: quòd sint casus in quibus consensu parentum nil opus. &c & Kemnitius. CALVINVS. &c

SVADENT istis, quæ collegit *Kemnitius p. 2. Exam. pag. 1271.* ex prædictis. 1. Quia Pontificii quidam, vt Gropperus *in Inst. Colon.* affirmant requiri consensum. 2. *Talis esse debet coniunctio, vt eius autor esse Deus possit. Nem. Mat. 19. Quod Deus coniunxit, &c. At Deus non est autor illius, quod contra eius præceptum contrahitur. Nam in quarto Decalogi iubentur liberi obedire parentibus: Ido, exponitur Colos. Filii obedite parentibus* PER OMNIA. Proinde Istud *Relinquet homo patrem, &c. Et adhærebit vxori*, intelligi debet de matrimonio consummato. Sic lex Dei *Exo. 22. Deut. 22.* Item, *Num 30.* Si puella quid vouit inscio patre, hic irritare potest: ergo & sponsionem matrimonii Deniq; Deus mediante præcepto iungit duos, sine quo Medio nulla est coniunctio. 3. Iura Ciuilia irritant sic cõtracta: quæ aiunt *Ciuilis & naturalis ratio suadet hoc fieri, in tantum, vt iussus parentum præcedere debeat.* 4. Ius Canonicum sæpè iubet idem.

Av-

AVTOR. I. Solo parentum consensu, inuitis liberis, fieri matrimonium nequit. Ideo Gen. 23. *Vocemus puellam, & inquiramus eius voluntatem.* Sic & Ius Canonicum. Sic RATIO: Quia eorum cõsensus requiritur, qui formam matrimonii pronunciant: *Ego te accipio in meam, meum.* Hæc enim falsa foret absque consensu contrahentium.

II. Solo prolium consensu, insciis aut inuitis parentibus fieri matrimoniũ ratum valet; nec parentes seu Magistrat⁹ id irritare valet. 1. Sic Esau, *Gen. 26.* duxit duas, & *Gen. 28.* duxit & tertiam: & tamen eas scriptura vocat *Vxores*, nec inuiti parentes irritarunt. Iacob, *Gen. 29 30.* insciis parentibus legitimè superinduxit tres alias, Tobias, *cap. 7* insciis parentibus duxit Saram; nec Angelus eũ monuit paterni consensus. 2. Sic Ius Canonicũ. 3. Sic RATIO: Quia nihil Essentialiũ deest, non Ministri intẽtio, nõ Materia, nõ Forma. Cõsensus autẽ plenus est, cui est arbitrii Libertas, & Maturitas cõsilii non necessaria: subiectio sub parẽtibus nil obstat, nec adimit libertatem arbitrii. 4. Coniugiũ seruorũ, inuitis Dominis, est firmum: ergo magis liberorũ: ac tametsi Ius gentiũ induxerit seruitutẽ, impotens tamẽ fuit ad ius illud seruis adimendum. 5. Lutherani volunt Consummatum valere, vt *Luth. Melancht.* at copula nec addit prudẽtiam, nec eximit à patria potestate; ergo solum arbitrium eorum sufficit. Deinde; si iure fuit consummatum; ergo & iure contractum fuit: Si non iure consummatum fuit; ergo nec iure potest irritari. Nec stuprum Virgini factum, efficit matrimonium; *Exod. 22.*

III. Proles insciis vel inuitis parentibus, sine iusta & rationabili causa cõtrahentes, peccant, vt inobedientes, nisi parentes iniustè resistant. Quia horum est liberis prospicere; vt, *Gen. 24.* Abraham Isaaco. Exo. 34. Patentibus præcipitur: *Filiam tuam non dabis filio eius Cananæi.*

DICO AD I. Gropperus loquitur de clandestino matrim. facto insciis parẽtibus, & Ecclesia; idq; malè negat esse Sacramentũ; non negat tamen esse matrimonium. Et Groppero vni omnes opponimus Theologos priscos & nouos.

AD II. Ista probant, liberos sic contrahendo peccare; non autem non fieri matrimonium verum. Deus verò est autor matrimonii, cuius adest materia, forma, & minister, cum intentione prolis gignendæ. &c. Ac licet non adsit autor Deus ex parte contrahentium cum peccato, adest tamen iusto contractui & Sacramento. Quartũ verò præceptum est ad mores formandos, non ad Sacramẽta ministrãda. In *Deut.* & *Exod.* agitur de futuro matrimonio, nõ de contracto. *Numer. 30.* agitur de impuberibus, queis non plenum est iudiciũ. Media Matrimonii valent eò, vt sit gratum Deo; non vt sit ratum ac verum in se.

AD III. Ius naturæ docet, plesdebere sublici parentibus; non tamen ideo docet inualidum reddi matrimonium.

AD IV. Iura Canonica militant cõtra Luthero-caluinianos. Vide *Bell. c. 20.*

QVÆSTIO CXVII.

An Votum, & Ligamen inhabiliteat ad contrahendum?

LVTHERVS, *l. capt. Bab. c. de matr.* Ligamen Sponsaliorum dirimit sequens cum alio matrimonium, iure diuino.

SVA-

SVADETistis. 1. *Qui Sponsa'ia contraxit, iam non est sui iuris*; Ergo *non potest se alteri dare.* 2. *Deus Prohibet, ne quis in negotio fratrem circumueniat; quod seruandum est supra omnes humanas traditiones.* 3. *Si Votum Religionis facit alienum; cur non etiam fides data & accepta? Cum hæc sit præcepti, & fructus Sp. sancti, Gal. 5. Illud autem arbitrii humani.* 4. *Licet Vxori virum suum repetere, voto religionis nil obstante facto. Ergo & Sponsa suum sponsum repetere licet, etiam copulâ secutâ cum alia.*

AVTOR. Simpliciter inhabilitant ad matrimonium quatuor: *Vo*tũ solenne, Ordo sacer, Ligamen cum vxore ducta; & Impotentia coëundi. At Votũ simplex Continentiæ impedit contrahendum. Quia est licitum, Eccl. 5 Deut. 23. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere.* at reddi nequit in matrimonio: Ergo factum licitè, seruandũ est debitè; impeditq; cõtrahẽdum. 2. Quia Votum simplex nõ facit statum certũ, nec mutat: vnde nec ad id seruandũ cogi potest per viã Iudicii, sed per modũ correctionis. Vide *supr. p. 2. q. 60. 61. &c.* Et in *Antichristo p. 2. q. 27. & p. 3. q. 46.* II. Votum simplex non dirimit Matrimoniũ post id contractũ: id cp nobis assentiuntur aduersarii. Quia non transfert dominium sui in alium; vnde se alteri donans, ratè donat. Quò magis post sponsalia cõtrahi cum altero potest; licet peccetur. III. Volũ Solenne Dirimit Matrimonium post votu cõtractum. Quia sic antiqua Concil. Toletanum 1 Can. 16. an. 400. celebratũ. Chalcedonense Generale, & plura deinceps vsq; ad Tridentinum. 2. Sic & Decreta Pontificum; vt an. 385. *Siricius epist. 1. c. 6.* an. 402. Innocentius *l. ep. 2 c. 12.* Gelasi⁹. &c. 3. Sic Patres. S. Cyp. *l. 1 epist. 11 &c.* IV. Matrimonium dirimitur à voto solenni præcedente; idque iure diuino naturali & Ecclesiastico. Quia Votũ solẽne est sui traditio de præsenti in perpetuum obsequium Christi; differtq; à simplice voto, vt matrimonium à sponsalibus: At iure diuino & naturali dare nemo potest alteri, quod suum non est. Negant tamẽ Canonistæ & Scot⁹ sic differre vota illa; quòd S. Scripturis nequeat conuinci. V. Ecclesia potuit iure positiuo statuere hoc impedimentum Dirimens: Quia iam olim id ita statuit in Conciliis, Decretis, & Consensu S. Patrum. 2. Inhabilitare personas ad matrimonium, non est mutare Sacramenti essentiã: Declarare autem contractus legitimos aut illegitimos, personas habiles vel inhabiles, proprium est Ecclesiæ: Nam Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Matt. 16. *Tibi dabo Claues.* &c. Ioan. vlt. *Pasce oues meas.* 3. In Veteri Testamento præterius diuinũ & naturale erant leges iudiciales & ceremoniales; quas antiquauit Christus: itaq; & in Ecclesia præter ius diuinũ & naturale oportuit esse leges Ecclesiasticas. Non minus quàm Politicæ sunt de actib⁹ humanis: Matrimonium verò est cõtractus ciuilis en Sacramẽtalis: vnde disponere de eo potius est Ecclesiæ, quàm Politiæ. 4. Quia vouentes solenniter statum adeũt altiorẽ; à quo ad inferiorem reuerti absurdum est; quin & scandalosum professionem publicã publicè infringere: Quare subiectos Ecclesiæ hæc cogere ad votum reddẽdu potest; arcereq; à cõtrario.

DICO AD I. Desponsatio non est donatio vlli facta; itaq; relinquit hominẽ sui iuris. II. Peccat post sponsalia contrahens cum alio; contractum tamẽ non dirimit. AD III. Vouere & Desponsare est cuiq; liberum: at Votum seruatu est necessarium, ob statum: Desponsatio autem nõ seruata inducit peccatum; non tamen ideo dirimit contractum insolubilem.

AD

AD IV. Vxor repetit, quod habet, prium: *Sponsa* verò nondum possedit.

QVÆSTIO CXVIII.

Impediantur, an Dirimantur Matrimonia per Crimen, & Disparitatem cultus?

LVTHERVS *in Capt. Babyl.* Melanch. *in Locis. &c.* carpunt Ecclesiam, quòd adulterium cum homicidio ponant esse impedimentum dirimens matrimonium subsecutum. Quia Dauid, 2. *Reg.* 11 duxit Bersabæam post adulterium & homicidium.

AVTOR. Qui aliam adulterat, postea cum ea contrahens, habet impedimentum, dirimens contractū matrim. Item, qui viuo compare sibi spōdet matrimonium. Item qui coniugem alterius occidit, vt alteri nubat. Quia sic sanxierunt Concilia, & Papæ.

DICO AD Dauid: Quia hoc impedimentum est de solo iure Ecclesiastico, non diuino: ideo non impediebat contrahendum, nec dirimebat contractum. Neque forsàm iam nunc dirimeret; quia Bersabea vt cōsenserit in adulteriū, non tamen in homicidiū, vt de quo nesciuit.

II. LVTHERVS. *ibid.* Cultus disparitatem negat dirimere aut impedire matrimonium fidelis cum infideli seu non baptizato, seu baptizato *Quia* Deus id non prohibuisse legitur: hinc S. Monica nupsit infideli. Melanchthon *in Locis* ait, bono id animo ab Ecclesia prohibitum; sed vellet minus rigidè obseruari.

AVTOR. I. Fideli cum infideli aut hæretico cōtrahere nō licet. 1. Sic Scriptura in *Antichristo p. 3. q. 46.* 2. Sic Concil. Chalcedonēse, an. 541. Agathense anno 506. &c. 3. Sic Patres, Tertull. Amb. August. 4. *Ratio.* Quia id multa affert incōmoda, vt periculū apostatādi: at Eccl. 3. *Qui amat periculū, peribit in illo*: discordia, scandalum, prolis eductio mala. &c.

II. Cōtractum tamen tale nō est irritum iure vllo Dei, naturæ, aut Ecclesiæ. Nam, etsi *1. Cor. 7.* permittatur discessio fideli, ab infideli nolēte conuerti; tamen cōtrahere nō prohibetur cum tali in spe conuersionis. 1. Quia id nō tollit omnino fidē matrimonij, etsi quodam modo impediat. 2. Sic Iacob duxit idololatras, Ioseph Ægyptiā, Moyses Æthiopissam, Esther Assuerum, Salomon alienigas, Dauid filiam regis Gessur *2. Reg. 3.* Monica infidelem. &c.

III. Idem tale Matrimon. non est etiam impedimentum Dirimens vllo iure Diuino positiuo. Nā illa: *Tantum in Domino*; Et, *Nolite iugū ducere cum infidelibus*; probant solum Matrimon. non esse contrahendum: nō autem, quod sit irritum. Irritatio proinde, *1. Esdræ 9. 10.* facta fuit iudicialis, nō naturalis; ideo lex vetus talia matrimonia cum infidelibus vetabat, facta, nō irritabat. Idē de Cultu disparitate est iudiciū; factū tenet; etsi fieri vetetur.

IV. Matrimonium fidelis cum nō baptizato infideli est irritum, ex more Christiano, vim legis obtinēte. Sic n. iam ab 400. annis habitum est in Ecclesia *4. d. 9.* Gratian. *28. q. 1.* Theologi & Canonistæ. *Dispensare* tamē Papa potest, cùm non sit præceptum vel diuinum, vel naturale.

DICO AD Lutherum & Melāchthonem, &c Exēpla legis naturæ, aut Mosaicæ nil præscribunt hac in re Christianis: quia *Vel* nō faciebant in legē naturæ; *Vel* conuertebantur infideles; *Vel* apertè redarguuntur, vt Salomon; *Vel* ignorantia, & consuetudine praua excusantur.

QVÆSTIO CXIX.

Quota Cognatio Impediat, Dirimatue Matrimonium; & quo Iure.

I. WICLEFVS *l. 4. Trialogi. c. 20.* Cognatio in primo gradu recto solum, non in transuerso prohibet vt fratres & sorores inire matrimonia possint licita; teste Th. Wald. *tom. 2. de Sacram. c. 134.*

II. LVTHERVS *in Capt. Babyl. &c.* Bucerus *in Mat. 19.* Solos cognationis gradus, Leuitici *cap. 18.* expressos, prohiberi, primum & secundum: cæteros, vt confictos, reiiciendos.

III. MELANCHTHON. *in Locis tit. de Coniugio* Kemnitius *par 2. Exam pag. 1230.* Et illos in Leuitico, & alios in Eccleſia antiqua rectè prohiberi, quòd naturalem iuſtitiæ normam contineant: Modò non obligent ad peccatum, ſed libertatem conſcientiæ relinquant.

IV. BRENTIVS *in Conf. Wirtemb. & in Apolo eiusdem*, vult in his ſeruari ſolum legem Ciuilem Imperatorum. Idem *in Comment. in Leu. 18.* aſſerit. 1. Legem diuinam Leuitici nil ad chriſtianos pertinere, 2. Solius Legislatoris eſſe, conſtituere gradus. 3. Moyſen, Papam, Cæſarem de iis ſtatuiſſe; at nullum ſimpliciter admitti poſſe 4 In quibus gradibus tres ij conſentiunt; eos cenſeri eſſe legis naturæ. 5 Seruandam præterea eſſe Conſuetudinem cuiuſq; loci, ad arbitrium prudentium.

V. CALVINVS *Inſt. l 4. c. 19. §. vlt.* reprehendit Eccleſiam, quòd gradus prohibuerit præter morem Gentium, & Moyſis politiam: & excogitarit cognationem ſpiritalem. BEZA *lib. de repudiis* diſtinctius: 1. Gradus ſupputãdi modum Canoniſtarum abſurdum eſſe: 2. Gradus Leuitici ſeruandos iure diuino. 3. Collectos à ſimili item. 4. Itemque Leges ciuiles.

AVTOR. 1. Cognationis gradus bene ſupputat Ius Ciuile, vt ſint tot gradus, quot perſonæ à ſtipite, in ordine recto: in quo nõ differt à Iure Canon. At in Trãſuerſo numerat à ſecundo, qui eſt fratrum plurium; nam vnus dicitur filius, nõ frater, &c. 2. Ius Canonic. melius ſupputat ab ſtipite. Quia *Cognatio eſt vinculũ ab vno:* ideo gradus optimè ſumitur ab illo vno: Hinc quot perſonæ numerantur à ſtipite excluſiuè, tot & gradus ſunt. Iura Graduum ſunt iſta:

1. Conſãguinitatis linea: *Recta eſt Tranſuerſa in gradu 1. Irritat iure naturali*
Recta ſolius in gradu 2. minimum vetat iure naturali (ſtico.
Vtriuſq; in gradu 1.2.3 irritat iure Eccleſia-

2. *Affinitas* lineæ Rectæ in gradu 1. minimum vetat iure naturali:

At certè vetat in primo tranſuerſæ iure eodem. In Vtriuſque gradu 1.2.3.4. irritat iure Eccleſiaſtico.

3. *Paternitas & Compaternitas* irritant iure nouo Trident. olim etiam Fraternitas irritabat.

QVÆSTIO CXX.

An omnia præcepta Leuitici de gradibus Cognationis ſint de Iure naturæ?

LVTHERVS, Bucerus, Melanchthõ, Kemnit. CALVINVS, Beza, &c. affirmant: omnia eſſe Naturalia; ac proinde indiſpenſabilia

SVADENT iſtis. 1. Melanch. Brent. &c. Deus, *Leuit. 18. & 20.* ait, ſe puniturũ Palæſtinos ob incæſta connubia, quæ ibidem prohibet vt abominationes: Ergo ſunt legis naturæ, non Iudicialia; vt quæ gentes obligabant. 2. Paulus inceſtuoſum Corinthiũ punuit: ergo tenebatur lege naturali & Chriſtiana, non Iudiciali. 3. Baptiſta confirmauit legem Leuitici Mat. 14. Mar. 6. *Non licet tibi*, Herodi ethnico, *habere vxorem fratris tui.* 4. Pœnæ Leuitici grauiſſimæ indicant legẽ eſſe naturalem, vt necari, filiis orbari, excludi aditu templi. 5. *Brentius.* Moyſes & Cæſar conueniunt in prohibendis gradibus multis: ergo lex prohibens eſt Naturalis, non Iudicialis. 6. S. Auguſtinus videtur gradus Leuitici omnes reducere ad Decalogum. Ergo.

AVTOR. 1. Non obligant iure Diuino Chriſtianos præcepta omnia gradũ in Leuitico; quia non ſunt naturalia omnia: ſed quædam Iudicialia.

Naturale autem præceptum prohibitoriu trifariã capitur. 1. De re intrinſecè mala, vt mẽtiri, mœchari, &c. De re mala ſemper, niſi in extrema neceſſitate: vt tollere alienũ inuito Domino. 3. De re mala abſolutè ſumta: quę tamẽ mutatis circumſtantijs fieri bona poſſit: vt occidere hominẽ. Hoc tertio modo præcepta naturalia habẽt vim legis, ſi agatur de re nudè ſumtâ: ſecùs de ſumta cũ circũſtantijs: ſic enim res ea mutabiles ſunt, & non apud omnes eædem. Gradus Leuitici ſũt iuris naturalis 1. & 2. modo: iuxta Theologos potiores: ideoque diſpenſabiles, ſumti cum circumſtantijs, non nudè ſolũ. Et hoc modo ſunt naturales; non iſto.

Ita-

Itaq; in Leuitico grad⁹ quidã sunt legis naturalis; quidã Iudicialis. 1. Quia patet ex pœnis *Leu. 20.* vbi matrimonia Cõsanguinitatis in 1. gradu lineæ rectæ & trãsuersæ: Et Affinitatis 1. gradu lineæ rectæ, puniũtur morte: cętera in gradu 2. & 3. lenius. Ita n. iunguntur ibi Sodomæ, quę est contra legẽ naturæ. 2. Quia Lex naturę semper obligat omnes; at *S* Patriarchæ cõnubia adierunt in 2. & 3. gradu Leuitici: vt Iacob habuit duas sorores, *Gen. 29.* Iudas, *Gen. 38.* primogeniti vxorẽ dedit secundogenito; & promisit tertiogenito: Moyses, *Exod. 6.* natus est cõiugio nepotis & amitæ. Neq; hæc facta sunt dispẽsante Deo propter mysterium; sed ex Cõsuetudine, quâ licuit duas sorores vni viro nubere: nec *S.* Patres vnquã ibi mysteriũ agnouerunt. Neq; peccarũt vt volunt Calu Beza, Melancht. quia mansissent in peccato illo. 3. Quia ibi prohibita alibi fiunt licita in eod. gradu 2. vel 3. vt auunculi cũ nepte ex sorore. Vide *Bell. c. 27.* 4. *Deut. 25* præcipitur, vt frater vxorem ducat fratris illiberis mortui: quod cõtra ius naturæ non est: & tamẽ *Leu. 18.* prohibetur: ergo non omnia ibi prohibita sunt iuris naturę. Item, *Gen. 1.* Abrahã & Nachor fratres duxêre duas filias sui fratris Arã in 2 gradu; nec cõtra iꝰ naturę.

Dico Ad I. Puniebantur ob cõnubia vndè cõtraria naturæ, ob adulteria, & Sodomias, & idololatriã Nam istud Leu. 18. *Ad proximã sanguinu tui nemo accedat*, vndè, sine circumstãtiis est legis naturæ: cum circumstantiis non est legis naturæ in 2 & 3. gradu.

Ad II. Probabili est S. Ambr. & S. Thomæ Corinthiũ viuo patre incestasse nouercam; nam 1. Cor. 7. *Scripsi propter eum qui passus est iniuriã.* Ad III. Christus non Baptista, finiũt legẽ; & hanc profitẽs Herodes eâ tenebatur, teste S. Hier.

Ad IV. Liquet suprà. Ad V. Falsum assumtũ: quia Cęsar vetat connubiũ cum sorore vxoris mortuæ; Moyses permittit, teste Brentio. Ad VI. Augustinus distinguit, vxorẽ ducere patris, fratris, patrui Viuẽtis, adulterari est contra Decalogum & Leuiticũ: at Mortui, non.

QVÆSTIO CXXI.

An rectè prohibeantur Coniugia olim ad septimũ; nunc ad vsq; gradum quartum?

Lvtherani & Calviniani iuxtà negãt rectè prohiberi ab Ecclesia Patet *s. pr. q. 119.*

Svadent istis. 1. Brentius in Leuit. 18. *Christus non venit leges potitas condere; sed prædicare Euangelium. Ergo nec Pontifex debet leges ferre politicas.* 2. Luther. in Capt. Babyl. & Bucerus in Mat. 19. *Deus non prohibuit coniugia, nisi vsq; ad secundum gradum in linea inæquali: ergo temerè audet plures prohibere* Papa 3. Beza, Kemnitius; in Concilio Epaunensi can. 30. Tutonensi 1 *Can. 12.* solum prohibentur vsque ad 2. gradum; ergo antiquitati fuerunt incogniti gradus 3. 4. 5. 6. 7.

Avtor. Ecclesia potest ferre leges; tulitq; iustę, de gradibus cognationis. 1. Quia ait S. Aug. l. 15. Ciu. c. 16. *Inest humanæ verecũdiæ quiddã naturale, vt, cui debet propinquitatis verecundiã, ab eo contineat libidinẽ.* 2. Quia cognati vsq; ad 4. gradũ plerũq; in eadẽ domo degunt: quo magis viuãt innoxii, quasi necessaria accidit hęc prohibitio. Sic *S. Amb ep. 66.* 3. Vt charitatis studiũ latius inter extraneos propagetur. Sic *S. Amb. ep 66.* 4. Cõsanguinei se naturaliter diligunt, si amor cõiugalis accederet, foret immoderatus. Sic *Aristoteles l. 2. Politicorum.*

Dico Ad I. Christus & non tulit ferre tamẽ potuit: ergo potest & Vicariꝰ Christi. Deinde cum matrim. sit Sacramentũ, leges de eo non sunt merè politi-

cæ, sed & Ecclesiasticę: Vnde & Christus sustulit polygamiã, & repudium, lege latâ matrimoniali. AD II. Aliud cõuenit vni Iudææ; aliud toti Ecclesiæ omniũ nationũ. Cùm autẽ Iudæi essent proni ad repudia, ideo in eadẽ tribui, & cognatione nubere sunt iussi, vt rariora essent cõnubia: quæ ratio non valet inter Christianos, ait *S. August. l. 15. Ciuit. c. 16.*

AD III. Falsum est antiquitati ignotos grad⁹ plures secundo vel tertio fuisse. Nã Alexãder II. in Conc. Lateran. anno 1060. prodit olim vsq; ad 7. gradum prohibita cõnubia. S. Greg. *l. 12. ep. 31.* sub annum 600. dispensauit cum Anglis conuersis in 3 & 4. gradu. &c.

QVÆSTIO CXXII.

Num quæ alia sint impedimenta?

LVTHERVS *in Capt. Babyl.* & Beza *lib. de repud.* Omnes Christiani sunt spiritales fratres; ergo aut cognatio spiritalis non est impedimentum connubiale; aut cum solis ethnicis erat contrahendum.

AVTOR. Verè impedimẽta sunt. 1. *Cognatio spiritalis & legalis*: ob causas quatuor prædictas, Et ea non quælibet, sed nominata per Ecclesiã, sc. quæ ex Baptismo & Cõfirmatiõe oritur: in quib. vnus ab alio recipit esse spiritale, vt ei idcirco reuerentiã debeat. 2. *Publica honestas* est inchoata quædã affinitas; ideo vt perfecta affinitas dirimit in omnib. gradibus; sic in aliquo inchoata. 3. *Affinitas ex fornicatione* est vera affinitas nã 1. Cor. 6 *Qui adhæret meretricii, vnũ corpus efficitur*: sicut per affinitatẽ ex matrimonio perfectã *erunt duo in carne vna* Ideo Dauid, 2 *Reg. 20.* cõnubinas suas, ab Absolone cognatas, à sese separauit, seu factas sibi nurus in filii connubio.

II. LVTHERANI & Caluiniani nunc probant, quòd clandestina reprobemus: at improbant, quòd ante Concilium Tridentinum habita sint rata.

AVTOR. Impedimentũ nõ dirimens est Interdictũ Ecclesiæ illud de Clandestinis matrimon. Olim in Concil. Later. prohibita sunt; nũc in Trid. etiã irritata sunt; vt, tametsi essẽtialia matrim. adsint omnia, nõ tamẽ modus honestus; ideo censentur detestanda: Sicut, qui in peccato mortali sciens baptizatur, verè baptizatur, sed modo detestabili.

III. KEMNITIVS *par. 2. Exam. pag. 1270.* CALVINVS *Insti. l. 4. c. 19. §. vlt.* laudant legem de temporibus innuptialibus: arguunt tamen, 1. Quòd causa olim instituti illius cessarit; sc. quòd Christiani ter in anno communicarent; nunc semel tantum. 2. Quòd nunc affingatur tempori sanctitas, impatiens copulæ coniugalis.

AVTOR. Tempora innuba rectè sunt constituta, vt sanctiora ob mysteriũ sãctius recolendũ triplex, Natale, Paschale, & Pẽtecostale, quib. in Conc. Agathensi cõmunicare singuli iubebantur. Concil. Trid solum Aduentum, & Quadragesimam constituit.

DICO AD I. Non sola Synaxis, sed etiam festorũ celebritas est causa prohibitionis innube. AD II. Calumnia est mẽdax non solũ nuptiarũ celebratio prohibetur; nõ copula cõiugalis, non sponsalia. Abstinere tamen à copula coniugali decet, ob orationẽ: Vt, *Eze. 19.* Hebræi ad legẽ accipiendã: 1. *Cor. 12.* Solum mundis ab vxoribus nesci licebat panibus propositionis.

IV. MELANCHTHON *in Locis*, Brentius in Confess. *Wirtemb.* Causas matrimonii soli tribunt sæcularibus magistratui. KEMNITIVS distinguit Respondere ad casus conscientiæ ex Verbo Dei, est Ministrorum: Sanciunt autem leges de matrimonio est politici magistratus: Sic Theodosius tulit leges matrimoniales.

AVTOR. Causæ coniugales merè *Politicæ*, de dote, hæreditate. &c. ad sæcularem Magistratũ pertinent: *Spiritales* mere, vt de partibus Sacramenti, de benedictione, ad Ecclesiasticũ. *Mixtæ*, vt de gradibus, diuortiis, impedimentis, ad sæcularẽ, sed subordinatè sub Ecclesia. Quia matrimonium & Sacramentũ sunt inseparabiliter coniuncta: Et eorũ leges pendent ex Verbo Dei: Et Christus ipse respondi ius de diuortio & repudio, *Mat. 5. & 19.* Et Apost. 1 *Cor. 7.* Sic & Concilia, Papæ, Episcopi: ergo: Demum in Vet. Testa. in rebus dubiis adiri iudebatur Sacerdos vt Iudex, non vt Consiliarius: adeo vt inobediens, *Deut. 17.* mandaretur occidi. Hinc aliquot responsio Nouatores.

FINIS.

COPPENSTENII LVTHERO-CALVINISTA.

PARS QVARTA

CHARITOMACHIA LVTHERO-CALVINISMI

Gratiam Impugnantis,

DEMONSTRATA, AC REFVTATA.

DE GRATIA.

HÆc traditur quadripertita: 1. Donata simul & Amissa: 2. Reparata: 3. Iustificans: 4. Operans. Hæque singulæ subdiuidi assolent.

I. DONATAE amissio accidit cum succedente Peccato, 1. Causato: 2. Originante: 3. Originato, seu Traduce: 4. Huiusque Natura ac Pœna.

II. REPARATAE Gratiæ attenditur, 1. Natura: 2. Communicatio: 3. Liberi arbitrii circa eam natura: 4. Et eiusdem vires in Naturalibus: 5. in Moralibus; 6. Et Supernaturalibus rebus.

III. IVSTIFICATIONIS Gratuitæ Iustitia attenditur, 1. Vt in se est: 2. Vt Inhærens: 3. Vt Operatoria: 4. Vt Meritoria.

IV. GRATIA OPERANS spectatur in Oratione, Ieiunio, & Eleemosyna.

I. DE BONO GRATIÆ AMISSO.

QVÆSTIO I.

Fuerintne Protoplastæ conditi cum dono Supernaturali?

LVTHERVS Comment. in Gen. 3. *Statuamus Iustitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum à natura hominis, sed fuisse verè Naturalem: vt natura esset Adæ diligere Deum, Credere Deo, agnoscere Deum. Hæc tam naturalia fuerũt in Adam, quàm naturale est, quòd oculi lumen recipiant.* Et infra. *Hæc probant, Originalem iustitiam esse de natura hominis: eâ autem per peccatum amissâ non mansisse integra naturalia, vt Scholastici delirãt.* Sic & cæteri assecclarum.

CALVINVS Inst. 1. c. 15. §. 8. *Animã hominis Deus Mente instruxit rationis. Huic adiunxit voluntatem, penes quam est Electio. His præclaris dotibus excelluit prima hominis conditio.* Et mox: *In hac integritate libero arbitrio pollebat, quo, si vellet,*

adipisci posset vitam æternam. Infrà. *Qui in homine, in spiritale exitium demerso, liberum arbitrium adhuc quærunt inter Philosophorum placita, plane desipiunt, vt nec cœlum, nec terram attingant.* Ita & cæteri sectarij Pelagianizant apertè: de quo *in Genealog. p. 4. q. 1.* Quum igitur originalem iustitiam fuisse naturalem, velint; ac ei liberũ arbitrium in lapsu deperisse; ideo luctam carnis ac spiritus continuum esse peccatum aiunt: ac inde iustissimos quosque necessariò peccare. Quia verò eã rebellionem naturalẽ esse aiunt, sic à Deo conditã ac inditam nobis; idcirco Deum fieri auctorem peccati necesse est.

SVADENT. istis. 1. Si originaria iustitia fuit supernaturalis; ergo Concupiscentia erit naturalis, ideoque bona, Et à Deo. At 1. Ioa. 2. *ex mundo est, & non ex Patre:* Vnde Paulus *Rom. 7.* eam se odisse dicit, vt malam & naturæ contrariam. 2. August. in Enchir. c. 11. dicit, Animorum vitia esse naturalium bonorum priuationes: at vulnera, ex peccato Adæ relicta, sunt ea vitia: ergo vulnera eadẽ sunt naturalium priuationes bonorum sc. originalis Iustitiæ, vt Naturalis. 3. Aug. 12. Ciu. c. 1. *Vitium angelicæ naturæ est, Non adhærere Deo: Vnde adhærere Deo, naturæ conuenit.* Ergo & humanæ naturæ est idem naturale; vt non opus fuerit supernaturali dono. 4. *Aug. in Enchir. c. 106.* Vitam ait æternam nunc munus esse gratiæ; quæ, si perstitisset homo, fuisset meriti merces. Itaque tunc nullâ opus erat gratiâ; sed caritas, qua meremur, naturalis erat conditio. &c.

AVTOR. I. In Creatione fuit homo longè felicior, & rectior, quàm nunc in Natiuitate. 1. Teste S. Scriptura *in Antichristo p. 4. q. 1. 2.* Ita S. Patres. S. Iren. l. 5. hæres. c. 6. *Si defuerit animæ Spiritus, animalis est verè talis, & imperfectus; Imaginem habens in plasmate; Similitudinem verò non assumens per Spiritum.* Vnde Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & Similitudinem nostram.* Vbi S. Basil. hom. 10. Hexam. *Per Imaginem animæ impressam meæ obtinui Rationis vsum. Verum Christianus effectus vtig, similis efficior Deo.* S. Hier. in Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis: Imago tunc facta est tantũ: Similitudo in Baptismo completur.* Itaque Imago ad rationem & voluntatem naturæ; similitudo ad sapientiam & iustitiam Gratiæ refertur: Hæc amissa est; ista debilitata.

II. Cum animi Rectitudine homo simul accepit Gratiam gratum facientem: quæ, ait *B. Albertus Mag. & D. Tho. 1. q. 95. a. 1.* ita superiorem animæ partem Deo ad obedientiam subiiciebat; sicut iustitia Originalis inferiorẽ superiori. 1. Teste S. Scriptura in Antichristo. 2. sic & Concil. Arausicanum II. & Trident. sess. 5. 3. sic & S. Patres. S. Cypr. epist. 3. ad Pomponium. *Inspirauit in faciẽ eius spiraculũ vitæ,* id est, gratiam Sp. Sancti infudit.

Non igitur Sanctus Augustinus est Autor Quæstionum noui & veteris Testamenti, sed alius hæreticus; quia negat Adamum in gratiâ esse conditum; aliaque absurda similia; Quem & refutat S. Hieronymus.

III. Adam in Originali iustitia, cum habitu gratiæ gratum facientis conditus, nõ eguit speciali gratiâ quâ excitaretur ad bene operandum, aut peccata cauenda. Dona in homine quatuor considerari possunt: 1. Habitus gratiæ perficiens naturam ad obedientiam appetitus, rationi, & huius Deo præstandam. 2. Conseruatio habitus. 3. Cooperatio Dei per auxilium *Generale* in naturalibus: *Speciale* in supernaturalibus. 4. Motio excitans ad vtendum prioribus donis. Ista S. Augu-

Augustinus. Et in hisce perseuerare posse, ante lapsum erat in viribus liberi arbitrii; post lapsum non est. Quia ipsa gratia fuit ante in viribus arbitrii; nunc non est; quia egemus gratiâ excitante nos.

IV. Rectitudo; quâ cum Adam creatus fuit, & sine qua nascimur; fuit supernaturale donum: Idque Non, (vt volunt sectarii:) fuit sanitas debita naturæ, aptaque nasci ex natura bene constituta; ac fluens ex principiis naturæ velut per accidens: Sed per se fuit absolutè, & non potens fluere ex natura: Eoque spoliatus homo cõstitit in puris naturalibus, ceu conditus fuit. Ita *Communis omnium Theol.* Vnde ex actu Actualis peccati sequitur *directè* inclinatio ad malum: at ex habitu originalis peccati sequitur *indirectè*; sc. velut ex remouente prohibẽs. Sicque naturæ languor, ex ipsa suus ante lapsum, & post lapsum factus vulnus peccati. Liquet *Luc.* 10. in lapso inter Latrones; quem 1. *Despoliarunt*, 2. Dein vulnerarunt *plagis impositis*. Ita S. Patrum consensus.

Ratio euincit idem. 1. Quia naturale est sensui concupiscere bonum sensibile; & spiritui rationali spiritale. Sicque *Spiritus concupiscit aduersus carnem* naturali pugna: at hac caruere protoplastæ; ergo ex dono naturali.

2. Si istius rebellionis causa non sit natura, post ablatam gratiam; Ecquid causa erit? Dicunt Deus. At reclamãt scripturæ, Cõcupiscentiã ex Deo esse negant. 1. Ioan. 2. *Concupiscentia non est ex Patre, sed ex mundo Iac.* 1. Nemo tentatur à Deo; sed à Concupiscentiâ suâ. Lex mentis, *Rom.* 7. Non concupisces, est à Deo: Ergo lex membrorum concupiscens non est à Deo, minus cogit nos concupiscere Deus: Neque id in pœnam est datum à Deo, se sponte naturali consecutum ad remotionem gratiæ. Vnde S. Aug. l. 4. in Iulianum c. 13.

Non in fructu ligni erat libido; sed obedientia libidinis in ligno admissa, Deo deserente surrexit; no interente.

3. Nunc ex peccatis actualibus amittitur gratiæ donum, & acquiritur propensio ad peccatum: at peccatum fuit actuale & quoad ipsum, personale, eiusdemque generis cum nostris, (licet originale fuerit, vt Capitis:) Ergo. &c.

4. Si (vt volunt sectarii:) natura humana mala est, & necessariò peccat, etiam remoto peccato originali, ac ideo non potuit à Deo creari sine iustitia origin. Ergo mortuus non potest à Deo suscitari sine iustitia originali: nam vt creari, sic & reparari, est solius Dei. At Lazarus, puer Heliæ & Helisæi, sunt resuscitati cũ peccato origin. & sine iustitia origin. Ergo sine hac & creari potuit. Itẽ: Deꝰ potuit resuscitatorũ corpori, peccatis obnoxio, iungere animas iustas & sic creatorũ.

5. Si Adæ gratia erat naturalis: ergo naturaliter erat filius Dei: at hoc absurdum. Vnde S. Aug. l. 3. in Maximinum c. 15. *Homo fit gratiâ filius, quia non est natura.* Christus *dedit nobis potestatem filios Dei fieri*, per adoptationem; Christus *est filius vnigenitus Dei, & Heres*; nos *coheredes Christi*; qui ideo *est primogenitus in multis fratribus* ijs, qui *naturâ filij iræ sumus.*

Dico ad I. Concupiscentia est

naturalis, ex conditione materiæ; nõ tamen ideo bona; sed naturæ morbus facta est post lapsum, & pœna peccati: ideo non est ex Deo, quia Deus eam sustulerat, seu vinxerat dono & vinculo gratiæ. Ad II. S. Aug. loquitur de vitiis per crebros actus acquisitis, quæ priuant naturali rectitudine, qualis esse potuit ante lapsum. Deinde ait, vitia, seu mala quæ bonis naturis insunt, priuant contrariis virtutibus.

Ad III. Docet ibi, adhærere Deo Angelos per charitatem; non purè naturaliter, quasi solis naturę viribus: sic & Adam prius; & iusti nunc: Vnde & istis & hisce vita æterna est merces & gratia. Differimus tamen isto; Angelis & Adæ erat gratia relicta in libero arbitrio, qua vti poterãt, si vellent: nos nec velle possumus, nisi gratia nos aduuet; ideo vita æterna est illis merces meriti; nobis gratia doni. Plura apud *Bellar. c. 7.* Ita de supernaturalibus animæ donis: porro de corporis mortalitate vide *in Genealog. p. 4. q. 2.* De paradiso prolixè Bellar. Sed hodie vix dum controuersa. De peccato originali, deque Concupiscentia inferius plura.

QVÆSTIO II.

An Iustorum peccata sint tantùm venialia?

I Iovinianvs finxit, Omnia peccata esse æqualia.

II. Pelagivs; Omnia esse mortalia.

III. Wiclefvs distinguit Mortalia: 1. Vt possunt inducere mortem; sic omnia sunt mortalia: 2. Vt de facto mortem inducunt, sic Reproborum duntaxat peccata sunt mortalia: at Electorum, venialia, absolutè omnia. Vide in mea *Genealog. p. 4 q. 2. & 3.*

Calvinvs Inst. 2. c. 8. §. 59.

Habeant filij Dei. 1. Omne peccatum mortale esse. Quia est aduersus Dei voluntatem rebellio, quæ eius iram necessariò prouocat; quia est legis prauaricatio. 2. Item *Habeant Sanctorum delicta Venialia esse. Non ex suapte natura, sed quia ex Dei misericordia veniam consequuntur.* Idem Inst. 3. c. 4. §. 28. *Ex Dei misericordia nulla est condemnatio ijs, qui sunt in Christo IESV. Quia Non Imputantur, quia venia delentur.* Sic Idem Inst. 3. c. 2. §. 11. *REPROBI nunquam sensum gratiæ, nisi confusũ, percipiunt; vt vmbram potius apprehendat, quam solidum corpus. Quia peccatorũ remissionem Spiritus propriè in Solis* ELECTIS *obsignat; vt ea speciali fide in vsum suum applicent. Supra ibid. Ergo vt Solos Electos semine incorruptibili Deum perpetuum regeneret, & nunquam disperat semen vitæ in eorum cordibus insitum; ita solide in illis obsignat adoptionis suæ gratiam, vt stabilis ac rata sit.* Sic eiusdem & Assectæ.

Lvtherani Caluinianis in hoc resistunt acriter per Exempla scripturæ. Nos pauca.

Avtor I. Quædam peccata sunt ex natura sua Mortalia; nullo respectu ad vel Prædestinationem, vel Regenerationen: Et ea mortis æternæ reos constituũt. Sic Communis Theologorum, cum *D. Th. 1. 2. q. 88. a. 1.* exceptis paucis per disputationẽ, nõ peruicaciã, sec⁹ docẽtibus. 1. Quia peccata quædã ex iustis constituũt iniustos, *Ezech. 18. 1. Cor. 6.* Quædam ita iustis inhærent, vt iustitiã tamen non excidant: Vnde illa mortem afferunt animæ certam, hęc nullam: Quę quanta peccatorum inęqualitas est, sc. quanta finiti & infiniti. 2. Conc. Mileu. can. 7. & Trid. sess. 6. c. 11. damnauit Pelagianismum hunc, Iustos hoc, *Dimitte nobis debita nostra*, orare pro alijs, non pro se se. 3. In idem ruit S. Patrum Cõsensus.

II. Quæ-

II. Quædam peccata accidunt etiam Iustis ac Electis mortalia; vt accepta semel tam Fide, quàm Charitate seu Iustitia, excidere valeant. Vide *Antichristum. p. 4. q. 3. 1.* Adam fuit *gloria & honore coronatus* supernaturali, fidei & Sp. sancti plenus: Peccauit; animæ corporisque mortem incurrit. *Rom. 5.* licet verè prædestinatus.

Caluinus negat eum fidem perdidisse.

At Tert. l. 2. contra Marcionem: *Quis dubitabit ipsum illud Adæ delictum hæresim appellare? &c. Rudis hæreticus fuit.* Ambr. epist. 33. *Agnoscis Adam te nudum, quia bona indumenta Fidei perdidisti.* Sic Aug. Prosper. &c.

De Dauide iusto, sed & peccatore grandi facto: deque Sancto Petro, Dominum negante, scriptura & S. Patres testantur idem. Non sua eos prædestinatio conseruauit à peccato; sed liberauit. Qui steterunt ex Deo, ceciderunt ex seipsis; sed eos restituit Deus pœnitentes. S. Aug. tract. 66. in Ioan. *Mortuus est negando; & reuixit plorando, quia benignè ille respexit.*

2. Peccata Adæ, Moysis, Dauidis, Petri, verè voluntaria, vel consistere cum Fide potuerunt; vel non. Si non; ergo erant lethalia: nam hæc cum fide consistere posse negant Caluinistæ. Si potuerunt; ergo semel iustificati possunt liberè præuaricari; quia manente fide non imputari aiunt Caluinistæ. At hoc absurdũ. Patebit quæst. sequente: sic n. nõ remitterẽtur peccata, sed condonarentur.

Et hanc peccandi licentiam eligit, statuitque innoxiam Caluinus in Antidot. sess. 6. can. 27. *Semen aliquod fidei manere in homine, suffocatum licet, etiam inter grauissimos lapsus, non nego. Id quantulumcunq; est, particulam fateor esse veræ fidei, & Viuæ; quando aliter ex ea non posset oriri fructus. Verùm quoniam non apparet ad tempus, perinde habetur atq; emortua, quoad sensum nostrum.*

QVÆSTIO III.

Numquid Lutherani distinguant inter Peccata?

I. Lvtherani nil distinguunt inter Mortalia & Venialia. Lvtherus art. 32. ait, *Omne opus iusti est peccatum.* Damnante istud Leone X. addidit; *Id q; ex natura sua mortale; ex Dei misericordia veniale* Idem in Capt. Bab. c. de bapt. *Vides quàm diues sit baptizatus; qui etiam volens, non potest perdere salutem suam, quantiscunq; Nisi nolit credere.* Credentibus igitur vult omnia solùm venialia esse, & non imputari.

II. Melanchт. in Locis vult, 1. In non renatis peccata omnia esse mortalia: 2. In renatis verò solùm motus primo primi venialia censentur: 3. Venialia tamen ex se iram Dei merẽtur; condonãtur autẽ credentibus, qui; grati sunt Deo. 4. Mortalia sunt, quæ Fidem excutiunt: talia autem sunt peccata voluntaria. Sic Hesshus. Magdeburg. Kemn.

Summa breuis omnium: I Peccata venialia sunt, quæ à Deo non imputantur; etsi ex se mortis sint rea. II. Non imputantur, quæ cum fide in misericordia Dei consistunt. III. Consistunt sic, quæ sunt Inuoluntaria.

Avtor. I. Venialia dici, quæ non imputantur; repugnat scripturæ. 1. In isto, *Dimitte nobis debita nostra*, de venialibus agi consentiunt nobiscum Lutherani: non sunt ante condonata per nõ imputationem, quàm petantur remitti. 2. Deinde non imputatio pugnat remissioni, hanc enim tollit vt superuacaneam. Moyses, Aaron, & Samuel erant iusti fideles; peccarant; nec eos tamen peccato liberauit Non imputatio; sed Ps. 98. *Tu propitius fuisti eis, & tamen vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* 3. Itaq; *pro hac* Remissione *orabit ad te omnis Sanctus.* Et-

iam, ait S. Aug. tract 6. in Ioan. *Quotidie lauat pedes nobis, qui interpellat pro nobis: Et quotidie nos opus habere, vt pedes lauemus, in oratione Dominica confitemur; Dimitte nobis. &c.* Malè igitur peccata venialia dicuntur Melanthoni *condonata*; Illyrico, *Non imputata* ob fidē in Christum: Heshusio, *tecta*: Caluino, *nihil condemnationis esse ijs, qui sunt in Christo IESV.*

II. NON IMPVTATA censeri, ideoque venialia ea, quæ cum fide consistunt, commentum est falsum. 1. Quia sic nullum foret peccatum mortale, præter solā Infidelitatem; hoc n. solū excludit necessariò fidem, aliud nullum. Nec enim latro, adulter. &c. est ob id infidelis. 2. Nec Specialis fides de sibi remissis peccatis ob Christum, reddit omnia peccata venialia: Quia eâ gloriantur æque Lutherani ac Caluiniani, & tamen alteri alteros de pluribus damnant hæresibus: sic & Trinitarij, Anabaptistę. &c. fidem specialem iactant, vt solam iustificantem: cui non repugnat quælibet Infidelitas, sed sola non credens sibi Deum esse propitium: minus ei repugnant peccata alia quantacunque; proinde omnia dici deberent venialia: 3. Si peccata mortalia cum fide nequeunt consistere, ergo nemo committeret furtum, fornicationem, homicidium, &c. quin fieret hęreticus: nā peccata mortalia excluderent fidem iustificātem, volunt Sectarij. At discrimen semper maximum habitum in Ecclesia fuit inter Hæreticos, & malos Christianos: *Quod*, ait Sanctus Augustinus lib. qq. in Matth. q. 11. *hæretici falsa credunt, mali Catholici vera credentes, non viuunt ita, vt credunt.*

III. Peccata inuoluntaria posse cum fide consistere; quod non imputentur; ideoque sint venialia: Commentum est Melanthonianū. 1. Quia & voluntaria grauissima omnia consistunt cum fide, etiam speciali, præter infidelitatem solam, seu diffidentiam. 2. Prorsus inuoluntaria nec quidē venialia sunt. Aug. l. de vera relig. c. 14. *Peccatum voluntarium adeo malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*: idque in iudicio diuino; non in ciuili, vt vult Melanch.

Demum ex scripturis ista docti repete ex *Antichristi p. 4. q. 4.*

QVÆSTIO IV.

An ex natura sua distinguantur peccata Mortalia & Venialia?

LVTHERANI, cum Iouiniano, & Pelagio absolutè negantibus, negant conditionate: se enarrare ei nil differre ea: at ex Misericordia Dei, ob merita Christi, & fidem Christianorum, sunt iam solum venialia, quantacunque in se fuerint; quia Deo non imputantur. Infidelibus autem imputatur; ideoque sunt mortalia eisdem.

CALVINISTÆ volunt omnia Reproborum esse Mortalia: Electorum, venialia. Liquet exprædictis.

SVADENT ex Scripturis, S. Patribus, & Ratione. I. Scripturis quæ generatim de omni peccato pronūciant: *Maledictus omnis.* Deut. 27. *qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt.* Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Rom. 6. *Stipendium peccati mors:* Iac. 2. *Qui offenderit in vno, factus est omnium reus.* Matt. 5. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur. &c.* Ergo in se omnia peccata sunt lethalia.

II. Peccata venialia dicuntur simpliciter & absolutè peccata. Vt 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus. &c. si autem confiteamur peccata nostra &c.* Iac. 3. *In multis offendimus omnes:* Et hæc directè.

III. Le-

III. Indirectè idem docent istæ scripturæ. CALVINVS. Mat. 22. *Diliges Dominũ Deũ ex toto corde &c. quãlibet leue peccatũ legis obseruantiæ repugnat. Qua n. vitiosa cogitatio obrepet in animũ, si totus Dei amore occupetur?* IV. Ioan. 13. *si non lauero te*, ait ibi Aug. & Bernard. à peccatis venialibus; *non habebis partem mecum*: ergo & venialia sunt lethalia. V. Mat. 10. *Qui dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam.* Ergo & minima peccata merentur pœnam æternam. Suasiones è Sanctis Patribus vide in *Bellar. lib. de statu peccatorum cap.* 13.

VI. EX RATIONE. Quæuis culpa iustè puniri potest à Deo pœnâ mortis æternę; cùm malum culpæ leuissimæ sit maius quouis malo pœnæ grauissimæ; hæc n. potius subeunda est, quàm illa: Ergo quæuis culpa est mortalis. Potest etiam peccatum veniale numquam remitti; quia remissio ex gratia Dei; ergo non tenetur fieri. &c.

AVTOR. Distinguuntur illa ex naturâ rei. 1. Teste S. Scriptura in *Antichristo. p. 4. q. 5. 2.* Sic Traditio tum Conciliorum, Mileu. *can. 6. 7. 8.* & *Trident. sess. 14. c. 5.* tum Sanctorum Patrum Latinorum & Græcorum, qui venialia vocant minuta, leuia, quotidiana breuia, minima.

3. Sic Ratio. 1. Si peccata venialia essent suâ naturâ mortalia, & solùm fidelibus non imputarentur; certè infidelibus imputarẽtur, essentq; mortalia: vt fatentur sectarij. At id falsum & absurdum est: ergo & hoc, venialia esse mortalia. Minor, quia eodem in genere peccati fidelis grauiùs peccat, quàm infidelis. Luc. 12. *Seruus sciens vol. Domini, & non fa. vap. mul.* &c. Heb. 10. *Quanto putatis deteriora mereri supp. qui filium Dei concul. &c.* Infidelem excusat nonnihil ignorantia 1. Tim. 1. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorãs feci in incredulitate.* 2. Quia veniale esse aiunt, quod est veniâ dignum: Hoc tale est, quod cum fide consistit: At cur cum fide consistens est veniale; mortale, sine fide? Quia aiunt hoc est voluntarium, illud inuoluntarium. Atqui hæc est intrinseca differentia ex natura rei: ergo peccatum veniale & mortale differunt ex naturâ suâ. 3. Quia Peccatũ veniale ex naturâ suâ nõ ponit auersionem hominis à Deo, cum non repugnet charitati: at pœna æterna debetur culpæ ob auersionem ab æterno bono: Ergo peccatũ veniale ex se non facit reos pœnæ æternæ. Sic *D. Th. 1. 2. q. 87. a. 5. & 3. q. 86. a. 4.* 4. Quia Nec inter homines offensio leuis lędit, ac punitur, vt grauis: ergo nec apud Deum. Quod enim ex natura rei est; id conuenit ei semper & vbique. 5. Quia peccatum dicitur de veniali & mortali analogicè, non vniuocè. Vide *Bellar. cap.* 11.

DICO AD I. Venialia dicuntur imperfectè peccata, si cum mortalibus comparentur: at in locis citatis agitur de solis mortalibus. Quia si de venialibus ageretur in eis, sequeretur iustos reipsa excidere gratiâ, ac mori, esse maledictos. &c. At hoc ne ipsi aduersarii sentiũt fieri ob sola venialia. Adhæc adiuncta citationum docent idẽ, si obieris per singulas. AD II. Assumptum negatur. AD III. Bifariam diligitur *ex toto corde*: 1. super omnia Deus: Et sic peccata venialia non pugnant cum caritate, nec cum legis obseruantia. 2. semper actu: Et hoc cõprehensorum est, non viatorum. AD IV. *Si non lauero te*, corporaliter ait S. Basil. *non habebis partem mecum*, scilicet ob inobedientiam mortalem. Vel,

Spiri-

spiritàliter à vènialibus *si non lauero; non habebis partem mecum*, sc. ad tempus; at non in perpetuum. Ad V. Nõ dicit, vitam æternam possidebit; sed *non perdet mercedem*, quantulamcunque. Dein dare præmium operi, est liberalitatis; at dare pœnam est iustitiæ; proinde in hoc æqualitas requiritur; non in illo. Demum dare haustum frigidæ magnum est caritatis opus, non minimum.

Ad VI. Aug. l. 3. contra Iulianum c. 18. *Deus potest aliquos sine bonis meritis liberare; quia bonus est: Non potest quemquam sine malis meritis damnare; quia iustus est.* Quia isto se Dominum, hoc Iudicem declarat; & culpis pœnas clementer, etiam in irâ proportionat. Cum autem pecc. venial. potest nunquam remitti, id est per accidens illi, non ex sua natura, quâ remissibile est; sed ex adiuncto pec. mortal. Dein Remissionem pec. venial. facit Deus ex gratia; ergo potest non facere. Potest absolutè non condonare. Sed condonat tamen, quia promisit, Mat. 6. *Si remiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cæl. delicta vestra.* Gratia igitur est vel habitus inhærens homini; vel Dei liberalis condonatio: ex vtraque est pec. ven. remissibile.

An Deus sit Autor peccati?

Vna hæc quæstio ab R. P. Becanõ subsecatur ex Illustrissimo Bellarmino rectè in plures quæstiones. Nos ordinem ex illo, Rem ex vtroque perstringemus. De hæresiarchis & Luth. vide *in Genealog. p. 4. q. 4.*

QVÆSTIO V.

An DEVS ab æterno prædestinaris peccatum Adæ.

Calvinvs Inst. 3. c. 23. §. 4. *Fateor sanè, in hanc, qua nunc illigati sunt, conditionis materiam, Dei voluntate decidisse vniuersos filios Adæ.* §. 7. *Diserte verbis hoc extare negant, Decretum fuisse à Deo, vt sua defectione periret Adam.* Infrà. *Decretum quidem horribile, fateor: infitiari tamen nemo poterit, quin præsciuerit Deus, quem exitum esset habiturus homo: & ideo præsciuerit, quia decreto sic ordinauerat.*

Svadet istis, Ibid. 1. *Quasi verò Deus, quem scriptura prædicat facere, quæcunque vult, ambiguo fine condiderit nobilissimam ex suis creaturis.* Quo? vt peccaret, ac periret. 2. *Prædestinatio in posteris sese profert. Neque enim naturaliter exciderunt omnes, vnius parentis culpâ. Quid eos prohibet fateri de vno homine, quod inuitis dicto hum. genere concedunt? &c. Hoc cum naturæ adscribi nequeat, ab admirabili Dei Consilio profluxum esse, minimè obscurum est.* 3. Quia *Præsciuit Deus quem exitum esset. &c.* vt suprà.

Avtor. Deus ab æterno præuidet peccatum Adæ; sed non prædestinauit, non voluit, non necessitauit: vt heret. 1. *Quia* nusquam id S. Scriptura dicit: at nil diuina fide credendum, aiit Caluinistæ, nisi in S. Scr. expressum; sed passim is casus tribuitur serpenti diab. Adæ, Euæ, Vide *Antichristum p. 4. q. 6. 2. Quia* Deus seriò, additâ pœnâ, prohibuit protoplastis peccatum: ergo fieri id voluisse non potuit, nisi cõtrarius sibi mendax & impostor. 3. *Quia* Deus seuerè vindicauit patratum peccatum. At, ait S. Fulgentius, *Deus non est vltor, cuius non est auctor*: Et nil iustæ excusationis fuit Adæ. 4. Quia Eccl 15. *Deus reliquit hominẽ in manu consilij sui*: vt potuerit præceptum implere, aut

re, aut prævaricari. Tert. l. 2. contra Marcionem. *Non enim comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non & contemptus legis in arbitrij libertatem homini deputaretur.* 5. Deus amicum suũ Adam innocentem fecisset sibi inimicum iniustè, contra Prou. 27. *Amicum tuum ne dimiseris.* Eccl. 6. *Amicus fidelis protectio fortis, medicamẽtum vitæ, & immortalitatis.* At neutrum fuisset Adæ Deus. 6. Quia si Adam peccauit liberè; ergo falsum, quod volẽte Deo: Quia *voluntas Dei est rerum necessitas*; vt dat Caluinus. Si non liberè; ergo falsum illud Caluini Inst. 1. c. 15. §. 8. *Potuit Adam stare, si vellet; quando non nisi propria voluntate cecidit.* Quoquo se vertat, in se incurrit Caluinus.

DICO AD I. Dato antecedente, negatur consequentia: quia probari nequit ex scriptura. AD II. Naturaliter cecidit Adam, & omnes Eph. 4. *Eramus & nos natura filij iræ.* Aug. tract. 44. in Ioa. *Quomodo, nisi peccante primo homine, vitium pro natura inoleuit?* Et ipse Caluinus ib. *Quod naturaliter inest omnibus, id certè originale est: naturaliter verò nos omnes damnationi obnoxios Paulus docet,* Eph. 4. Voluit ergo Deus, vt si Adam peccaret, tota posteritas rea culpæ foret: Non tamen ideò voluit peccare Adamum cum posteris. AD III. Non omnia fiunt Deo volente, quæ Permittente: Nec ideò vult omnia, quia prævidit. Aug. l. 4. de lib. arb. c. 4. *Si vt tu, Quæ fecisti, meministi: nec tamen, quæ meministi, omnia fecisti; Ita Deus omnia, quorũ ipse autor est, p̃scit; nec tamen omnium, quæ præscit ipse autor est. Quorum a non est autor; iustus est vltor.* Idem lib. 1. de anima c. 7. *Præscientia Dei peccatores prænoscit, non facit.*

QVÆSTIO VI.

An Deus prædestinarit omnium hominum peccata?

CALVINVS, Inst. 1. c. 18. §. 1. *Effugium est, Dei permissu, non volente hoc fieri. Quod a nil efficiant homines, nil deliberando agitent, nisi arcano Dei nutu & directione, innumeris testimoniis probatur.* Inst. 3. c. 23. §. 6. *Frustra de præscientia lis mouetur, vbi constat ordinatione potius & nutu omnia euenire.* Ibid. §. 9. *Excusabiles peccando haberi volunt reprobi; quia euadere nequeunt peccandi necessitatem; præsertim cum ex Dei ordinatione sibi inijciatur huiusmodi necessitas. Nos verò negamus ritè indè excusari: quia sic Dei constat æquitas.*

SVADET istis. 1. Scripturis: Gen. 45. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum:* at in eo peccarant fratres Ioseph. Item Gen. 50. Act. 2. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis.* Et Act. 4. idem. 2. Beza Eph. 1. Deus est, *qui operatur omnia*, etiam peccata, *secundum consilium voluntatis suæ.* 3. Calu. sæpe peccatum est peccati pœna. Rom. 1. *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum vt faciant, quæ non conueniunt.* 4. Quia aut Nolens permittit peccata Deus; tunc non est omnipotens: aut Volens; tunc falso id negant Papistæ.

AVTOR. Non prædestinauit Deus fieri peccata.

I. Sic scriptura *in Antichristo p. 4. q. 5.* docet, Deum detestari mala, ac nolle quoad se: quin quæ prævidit, velle ea in bonum vsum conuertere: Vt Gen. 50. *Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonũ, vt exaltet me; Et saluos faceret multos populos.* Aug. In Enchir. c. 100. *Non sineret Bonus fieri mala, nisi Omnipotens etiam de malo facere posset bene.* In hunc sensum accipit omnes scripturas, etiam quæ contrariæ

videntur, omnis Sanctorum Patrum consensus.

II. Deus non potest velle, quod vt naturæ suæ contrarium execratur: illa autem est infinita bonitas; at peccatum est malitia: quæ inter nulla est proportio: causæ verò & effectus est proportio: non igitur esse Deus causa peccati potest. Quia, Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Et Sap. 14. *Odio est Deo impius & impietas.* Et Caluinus Inst. 3. c. 23. §. 4. *Deus iustitiam naturaliter amat, iniustitiam auersatur.* Ratio: Quia voluntas Dei & natura Dei sunt reipsa idem; vndè Dei odium in peccatum est Deo naturale ac necessarium; vt & amor boni.

III. Deus non potest velle fieri, quod seuerè prohibet fieri; cum non possit contrarias habere voluntates. *Hoc* ait Calu. Inst. 1. c. 18. §. 3. *facilè diluitur.* Post multa concionabunda ita diluit *Quomodo idem diuerso modo Nolit fieri, & Velit, non capimus.* Fingit autem præter apertam Dei voluntatem, qua in scripturis vetat peccata, occultam aliam qua velit eadem: sed eam confinxit ipse.

IV. Qui punit, quod sua voluntate factum est, tyrannus est: at Deus punit peccata: ergo si illius cum voluntate fierẽt, tyrannus esset. Esto: puniat bono fine vt ostendat suã potentiã: At eo sæuior foret tyrannis, velle delinqui, vt puniat.

V. Si Deus vellet peccari, homo peccando non peccaret; quia se Dei voluntati conformaret.

1. Cum igitur sic nemo peccâsset, aut peccet; ad quid venisset Christus peccatis tollendis?

2. Sic vera Libertinorum esset hæresis, *Peccatum nihil est, nisi falsa opinio.*

3. Quodque amplius peccando seruaremus legem Dei: Cum *Dei voluntas*, ait Calu. Inst. 3. c. 23. §. 2. *si non modò ab omni vitio pura, sed summa perfectionis Regula, & Legum omnium Lex nostra*, velitque nos peccare.

4. Quin peccatum foret bonum factum; quia Legi, Regulæ summæ, voluntati Dei conforme: sicut Israëlitarum spolia rapta Aegyptijs, Oseæ cum fornicaria nuptiæ, destinata ab Abrahamo cædes filij: quæ in se peccata erant, at iussu Dei facta, virtuti ducebantur.

VI. Si prædestinasset peccata singulorum Deus; frustra nos orare docuisset, *Ne nos inducas intent.* adeò immutabilia sunt decreta Dei. Item peccâssent omnes, quotquot vnquam lege peccata vel prohibuerunt, aut punierunt: vitia forent virtutes appellanda, ac remuneranda. Item iniustè Catholicis sueè censerent hæretici, ab illis sese ferro flammisque deleri cum Deo volente fiat.

Dico ad I. Deus ad præuisa mala circa Iosephum, & Christum patranda se habuit permissiuè: at actiuè ad eorum factam in maius bonum conuersionem. 2. Scripturis Scripturas, & illarum sensum sequiori sensui apparenti, ex S. Patrum consensu opponimus. Cum enim scriptura rem eandem hic asserit, negat alibi, tunc illi adhærendum parti, cui fauent magis & verba, & sensus Scripturæ, & Patrum consensus. At Caluinistæ hac in causa non habent vllam scripturam claram & euidentẽ; nos habemus &c.

Ad II. In-

Ad II. Infrà quæst. 9. liquebit, quod, quæ operatur Deus, operari eum voluntate sua: at *operatur omnia*, præter peccata.

Ad III. Sequens peccatum prioris est pœna, impropriè & indirectè; sc. dum peccatum prius fugat gratiam, à qua desertus homo pronior ruit in & peccatum aliud, aut in infamiã.

Ad IV. Aug. in Enchir. c. 100. Deus peccata permittit volens; fiunt autem Deo non volente. Permissio iusta est; peccatum iniquũ. Nec ideò, quia peccatur inuito Deo, Deus non est omnipotens; quia inter velle & nolle Dei medium datur Permittere malum, & tamen id Non velle.

QVÆSTIO VII.

An Impellat Diabolum Deus, vt nos ad peccandum inducat?

Caivinvs ait, Inst. 1. c. 18. §. 1. *Scimus Sathanam se coram Deo sistere, ad excipienda iussa, non minus quàm Angelos, qui sponte obediunt: diuerso id quidem modo & fine; sed tamen ne quid aggredi possit, nisi volente Deo. &c. Ergo quicquid agitent homines, vel Sathan ipse, Deus tamen clauum tenet, vt ad exequenda sua iudicia conuertat eorum conatus. Vult Deus perfidum Regem Achab decipi; operam suam offert diabolus: mittitur cum mandato certo, vt sit sp. mendax in ore Prophetarum. &c. Ridiculum foret, Iudicem tantùm Permittere, non Decernere, quid fieri velit, & mandare executionem ministris.* Ibid. §. 2. *Fateor, interpositâ Sathanæ operâ sæpe Deum agere in reprobis; sed vt eius impulsu Sathan ipse partes suas agat & perficiat, quatenus datum est. &c. Dicitur Sathan excæcare infidelium mentes: vnde hoc; nisi quod ab ipso Deo manat efficacia erroris? &c.* §. 5. *Spiritus ergo impurus, Dei spiritus vocatur; quia ad eius nutum potentiamque respondet, instrumentum magis ipsius in agendo, quàm à seipso autor. &c.*

Avtor. 1: *Nemini mandauit Deus impiè agere*, Eccl. 15. adeò nec diabolo vnquam; cuius impietati voluntariæ patronum agit Caluinus; culpatque Deum ceu mandatarium Sathanicæ malitiæ.

2. Deus contraria mãdaret: homini, vt non peccet, resistatque diabolo: Sathanæ, vt inducat ad peccandum. *Item* Dei mandata de procurandis peccatis habere semper vim & effectum: at ea de vitandis ijs, ac virtutibus operandis, non sortiri effectum semper; *Item*, Inde promptior Deus foret ad mala, quàm bona; cum illa semper, hæc non semper eueniant. *Item*, Deus plus Sathanę quàm Angelis tribueret: nam mandato suo diaboli efficaciter concurreret semper; non pariter Angelis dato. Vnde Deus omnia nobiscum simulato ageret inhortans ad virtutes: Frustrà Apostolus, Eph. 6. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli*, hoc est Caluino, aduersus mandatum Dei.

3. Deus odit peccatum, vt suprà liquet: non ergo Sathanam incitat eidem procurando. Vide *Antichristum p. 4. q. 6.*

QVÆSTIO VIII.

An occulta vi moueat ac Necessitet nos ad peccandum Deus?

Calvinvs ait, Inst. 1. c. 18. §. 2. *Quantum ad arcanos motus spectat, quod de corde Regis prædicat Salomon, flecti huc & illuc, prout Deo visum est, ad totum certè genus humanum extenditur, tantundemq; valet, ac si dixisset: Quicquid animis concipimus, arcana Dei inspiratione ad suum finem dirigi. Et certè nisi Deus intus operaretur in mentibus ho-*

minum, non rectè dictum esset, auferre labium à veracibus, & à senibus prudentiam: auferre cor Principibus terræ, vt errent per devia. &c. Vnde apparet certa destinatione Dei impulsos sc. Assyrios. Et §. 4. *Homo iusto Dei impulsu agit, quod sibi non licet.* Inst. 3. c. 23. §. 9. Excusabiles peccando &c. suprà quæst. 6.

SVADET istis. *Dominus* 2. Reg. 16. *Præcepit Semei, vt malediceret Dauid.* Et 2. Reg. 24. *Commouit Dominus Dauid dicens: Vade, numera Israel & Iudam.* Ezech. 14. *Ego Dominus decepi prophetam illum.* Et 2. Thess. 2. *Mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* Ps. 43. *Declinasti semitas nostras à via tua.* Ps. 104. *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius.* Ioan. 13. *Quod facis, fac cito.*

AVTOR. DEVS neminem tentat ad malum, minus necessitat.

1. Teste S. Scriptura in *Antichristo p. 4. q. 7.* Notat tamen S. Aug. l. 2. de consensu Euang. c. 3. duplex genus tentationum, vel ad probandum: Vt Gen. 22. *Tentauit Deus Abraham*: Vel ad seducendum; sic Iac. 3. *Ipse neminem tentat.* Imò 1. Cor. 13. *Fidelis Deus, qui nõ patietur vos tentari supra id, quod potestis*; tantum abest, vt tentatione inducat in casum. &c.

2. Deinde, est in Ecclesia Discretio spirituum 1. Cor. 12. *Diuisiones gratiarum sunt*: At si Deus impellit nos ad bona, & mala, semper existimare possum ex Deo instinctum esse. Sed contra monemur ibidem: *Nolite credere omni spiritui; sed probate spiritus, si ex Deo sint*? Caluino autem bona, mala; vera, falsa perindè inspirantur à Deo: Nullus igitur sensus Scripturæ foret hæreticus: nec verus à falso discerni posset.

DICO AD obiecta. Deus circa hominum peccata facit plura:

1. Non impedit conatum peccare volentium.

2. Negat eis, gratiâ destitutis, auxilium speciale contra peccatum.

3. Permissiuè sinit pronos ad peccandum peccare.

4. Occasionem offert subindè peccandi.

5. Peccata impiorum dirigit ad salutem electorum. Hinc liquent Scripturæ.

QVÆSTIO IX.

An Deus Operetur nobiscum peccata nostra?

CALVINVS ait Inst. 1. c. 17. §. 5. *Ego illa concedo, fures. &c. esse diuinæ prudentiæ instrumenta.* Idem c. 18. §. 1. *Ergo, quicquid agitent homines vel Sathan ipse, Deus clauum tenet.* Infrà. *Absalon incæsto coitu patris thorũ polluens, detestabile scelus perpetrat: Deus tamen hoc opus suum esse pronunciat.* §. 2. *Certè nisi operaretur in mentibus hominum, non rectè dictum esset, auferre labium à veracibus.* Distinctius declarat Inst. 3. c. 4. §. 2. *Omitto hic Vniuersalem Motionem Dei, vnde creaturæ omnes, vt sustinentur, ita efficaciam quidem agendi ducunt: de illa speciali Actione tantùm loquor, quæ in vnoquoque facinore apparet.* Hæc hausit ille ex sequentibus: Nam

LVTHERVS ista fudit: *Mala opera in impijs Deus operatur.* Quæ verba dein Lutherani erasérunt. ZVINGLIVS Serm. de prouid. c. 6. *Quando facimus adulterium, homic. &c. Dei opus est motoris, autoris, impulsoris.* MELANCHT. Ad Rom. 8. *Adulterium Dauidis, & proditio Iudæ ita est proprium opus Dei, sicut conuersio Pauli.* Sed hi sententiam verterunt.

SVADET Caluinus istis. Isa. 45. *Ego Dominus, & non alter, faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.* Vnde Absolonis incæstus, erat malum culpæ, & tamen à Deo.

AVTOR. Deus non operatur nobiscum peccata.

1. Sic Scriptura *in Antichristo. p. 4. q.* Quia odit peccata Deus, & peccatores. Quare *Esau odio habuit: Cur non similiter*

militer dixit: Solem dilexi, & Lunam odio habui: quærit S. Aug. l. 1. ad Simpl. q. 2. Respondet : *Vt intelligamus omnium creaturarum artificem esse Deum: omnis. a. creatura Dei bona est; & homo, in quantum homo est creatura; non in quantum peccator. &c. nec odit in homine, nisi peccatum. Non odit Deus Esau hominem; sed odit Deus Esau peccatorem.*

2. Ratio: Quia quicquid Deus operatur, id volũtate operatur; at peccata non vult; ergo nec operatur. Itẽ si Deus in peccato sit agens principale, homo instrumentum; ergo peccatum foret Dei potius, quàm hominis: Et homo iniustè puniretur. Hoc negat Caluinus; Cur? Quia *vix capit id sensus carnis.* Zvvinglius ait, *De hoc Deum interroga; ego ei non fui à consiliis.* Denique peccatum consistit in priuatione & defectu : Deus autem non potest in agendo deficere: Caluinus verò putare videtur, quod peccatum consistat in entitate & speciali influxu Dei in illud, qui id effectiuè producat.

Dico Ad Caluinum, cum Tert. *Malis culpæ, & malis pœnæ, suum cuiq; parti definimus autorem: Malorum quidem peccati, diabolum: malorum verò pœnæ Deũ creatorem, qui est mali permissor, quia dominator: non autor, quia non effector.* Proindè præuisa Absolonis mala voluntate placuit vti ad puniendum Dauidem; non tamen dedit voluntatem malam, sed permisit. Ita Aug.

QVÆSTIO X.

An Deus simpliciter sit dicendus Autor peccati?

Calvinvs affirmat Inst. l. c. 18. §. 3. *Iam satis apertè ostendi, Deum vocari omnium eorum Auctorem, quæ isti censores volunt otioso tantùm eius permissu contingere;* vt Achabi tyrannidem, incæstum Absolonis, conuicium Semei, apostasiam & idolomaniam decem tribuum, incendia Chaldæorum, parricidium Christi, iudicium iniquum Pilati. &c.

I. Idem *lib. de at. prad.* Negat Deum esse autorem peccatorum.

II. Distinguunt verò sic Caluinistæ: Deus est autor furtorum, adulteriorum: &c. sed nõ tamen peccatorum: Quod opera ea, quatenus procedunt à Deo, non sint peccata; sed quatenus à mala voluntate promanant; quæ propriè est solius hominis, vt bona Dei: 3. Huius causas ferunt quatuor:

1. Quia natura humana est tota corrupta.

2. Quia Deus non vult peccatum, vt culpam; sed vt pœnam præcedentis peccati.

3. Quia Deus habet finem bonum; homo malum.

4. Quia ait Zvvinglius, Deo non est posita lex; homini est posita; ideò hominis voluntas transgreditur, non Dei.

Avtor. Deus nequaquam dici autor peccati potest: At iuxta Caluinistas debet. Quia hisce Deus physicè, effectiuè, & vt principale agens producit furta, adult. &c. ergo est causa peccati physica, &c. *Item* qui alium incitat, impellit, necessitat ad peccãdum, is moralis est causa & autor primarius: *Item,* qui vtitur instrumento, est operis eo facti primarius autor: *Item* qui efficaciter procurat, vt quis peccet, is autor peccati est: Hæc talia facit Deus in peccatoribus, iuxta Caluinistas. Ergo.

Dico Ad I. Caluinus ait, Negatque idem. Disputans contra Catholicam Dei permissionem; Affirmat: Differens contra Libertinos, ex Luthero & Caluino natos, Negat sei-

psum in filiis oppugnans.

Ad II. Id effugium suis Libertinis negauit Caluinus, vt vanum *in epist. ad Rotomagen.*

Ad III. Non est eodem in opere voluntas Dei bona; hominis ob fines mala. Ideo allatæ causæ sunt vanæ. 1. Quia natura humana non fuit corrupta in Adam, nec angelica in Lucifero; & tamen peccarunt. 2. Quia in ijsdem nullum fuit præcedens peccatum. 3. Esto: nihilominus Deus est Caluino causa Intentionis in peccāte, quæ ad finem libidinis explendæ consequendum fertur, vt quem fieri Deus decreuit: Vnde mala ea intentio est effectus prædestinationis; proinde & peccatum, quà tale, est effectus Dei. 4. Id refellit Caluinus, Inst. 3. c. 23. §. 2. *Non fingimus Deum Exlegem.* Rectè: Quia sua ipsi natura & bonitas lex est. Peccata verò aduersantur legi naturæ, hoc est, bonitati Dei. Ideo siue Deus, siue homo eligeret furtum, mendacium. &c. aut vtriusque voluntas foret mala, aut neutra. Hactenus pleraque iuxta Becanum ex Bellar. Porrò exhuius fontib⁹ diuinis cętera.

QVÆSTIO XI.

An DEVS, & an SOLVS sit Autor omnis peccati?

Zvvinglivs, Calvinvs Beza. &c. Verbis disertè negant, apud *Bellar. li. 2. c. 2.* At facto ipso per alias propositiones affirmant: De quibus suprà *quæst. 5. 6. 7. 8.* ex Caluino, cui Symmystæ sui conspirant, apud *Bellar. c. 3.* Quorum, præsertim Bezæ in Aphorismis, hæc summa est. 1. Aphor. 18. *Deus per ea, quæ condidit, tanquam per Instrumenta exequitur suo tempore, quicquid ab æterno decreuit.* 2. Aphor. 19. *Quicquid agit Deus, bonum est: Et discrimen boni & mali in instrumentis duntaxat locum habet.* 3. Aph. 20. *Instrumēta bona benè agunt, Deus quoque per illa: Mala (excorruptione, non creatione) malè semper agunt, ideoque iustè incurrunt in iram Dei: quatenus autem Deus per illa agit, bono Dei operi vel inuita, vel per ignorantiam seruiunt.* 4. Aphor. 22. *Sic autem per illa agit, vt non tantum sinat illa agere, nec tantum moderetur euentum, sed etiam Excitet, Impellat, Moueat, Regat, atq; adeò etiam creet vt per illa agat, quod constituit. Quæ mnia sine vlla iniustitia agit.* 5. Aphor. 31. *Agit Deus sui operis respectu; Permittit verò eius operis respectu, quod Mala Instrumenta sponte peragunt, quatenus Actiua sunt, non, Passiua. Iustè tamen permittit iniusta: quia peccata, vt à Deo Nolente permittuntur, peccata non sunt, sed peccatorum pœnæ sed eadem vt à Sathana & malis proficiscuntur, peccata sunt: quæ quâ talia Deus nunquam permittit, sed vetat.*

Avtor. Ex his talibus tria manifesta euadunt.

I. Deum Sectariorum esse Autorem peccati.

1. Quia Rom. 3. *Non sunt facienda mala, vt veniant bona*; quod facere Deum volunt: ergo quæ intrinsece mala sunt & ex obiecto, bona facere nequit Intentio, finisque bonus: Cæteroquin liceret furari ad eleemosynas faciendas. Esto, vitiet intentio mala bonum opus; non tamen malum opus bona iustificat intentio.

2. Deus est autor intentionis in homine malæ; quia impellit, mouet occultè, cogit voluntatem, vt aiunt, ad peccatum: at hoc nisi mala fiat intentione, peccatum non est: ergo vtriusque idem est autor Deus, & efficax procurator.

3. Si Deus ad furtum impellit hominem malum, vt instrumentum suum; ergo hoc vult parere sibi, teneturque

turque hoc obsequi ad opus: sicque peccat, & non peccat; Deusque vult eum peccare, & non vult. Deinde nõ quidem est lex posita Dei, vt ideò nec in legem committat; Quæ tamen est lex nobis, ea est natura Dei; cui non repugnare tenetur Deus. At repugnaret, si operarẽtur in homine malum. Sic nec iusto lex est posita, quæ sc. eum terreat; cum eam sponte seruet.

4. Denique Peccatum est patratio operis lege prohibiti: sed Deus est autor operis, vt volunt; ergo & peccati.

II. Devs Caluinistarum verè aè propriè peccat Nam ad peccatum tria requiruntur: 1. vt sit præuaricatio legis alicuius: 2. sit actio à causa libera, sc. hominis non mente capti: 3. Sit à causa particulari, quæ vniuersalem determinet indifferentem ad omnes actus, faciatque actum talem in specie sic, vt deformitas ad solum particulare agens, nõ ad vniuersale referri debeat. Sicut & monstra fiunt ex defectu causæ secundæ. In duobus consentimus; dissẽtimus in tertio, negamusq; actuum in specie talium deformitatẽ in Deum posse referri, vt causam eorum particularem. Affirmant aduersarii adeò vt Deus influxu speciali tum sinat decipere Sathanam, tum & intus ipsi cooperetur in mentibus peccantium: sicque vis erroris promanet omnis à Deo. Certè asserit Zvvinglius *serm. de prouid. c. 5. & 6.* fuisse necessariam iniustiam, & mendacium, vt cognosceretur iustitia & veritas. ergo Deus propriè in particulari intendit actionem mendacii & iniustitię. Quin Beza Aphor. 22. ait Deum creare hominem eo fine vt intentas à se decretasque actiones perficiat.

Adhæc, verè colligimus quod asserant, Deum esse auctorem peccati: ergo & verè peccare dicunt.

III. Devs Caluinistarum Solvs propriè peccat; non homines. Quia nemo peccat in eo, quod vitare non potest: At protaplastæ in statu innocentiæ vitare peccatum nequiuerũt; iuxta Caluinistas: ergo minus homines in statu lapso. Et quia vitare peccatum non possunt, etiam nec ipsum *velle peccare* vitare possunt. Minor patet *suprà quæst. 5.*

IV. Ex istis necessariò sequitur Libertinismus iste; *Peccatum nihil esse nisi falsam opinionem:* Quia nec Deus peccat; nec homines, qui necessitantur. At omnem istam impietatem etiam recta ratione refelli vide *in Genealog. p. 4. q. 4.*

Dico ad Aphorismos Bezæ; ex iis tria consequuntur absurda.

1. *Peccata,* quatenus fiunt ab instrumentis vt actiuis permitti à Deo, & non fieri: Item simul sub eadem ratione Non permitti à Deo, sed fieri physicè, ac propriè.

2. *Opera eadem,* ab actiuis instrumẽtis facta, Esse verè peccata: item simul eadem sub ratione Non esse peccata; vt quæ Deus non permittat, sed vetet.

3. *Instrumenta actiua* operari Deo vel ignorante, vel inuito. Si nouit; ergo vel cõsentit, vel repugnat, vel permittit: quartum dari nequit. At Deo repugnante nil fit; permittente rem vetitam, nil peccatur: Consentiente Deo, Deus simul peccat.

II. De

II. DE PECCATO ORIGINANTE.

QVÆSTIO XII.

An, & Cur permiſit Protoplaſtæ tentari?

I. LVTHERANOS quoſdam refert *Lutherus Comment. in Gen.* 1. docuiſſe; Protoplaſtas non potuiſſe tentari, aut peccare; nec peccaſſe.

SVASERVNT ex principiis Lutheri. 1. *Iuſto.* 1. Tim. 1. *lex non eſt poſita, ſed peccatori*: at ij erant iuſti: Ergo vbi non eſt lex, ibi nec præuaricatio eſt.

2. Deinde prohibitio de non edendo, admonitio fuit qualis medicorum eſt; non lex.

II. S. Proſper cenſuit, cauſam permiſſionis, occultam fuiſſe ſuperbiam prodromam tentationis.

III. *Ophitæ* fingebant, Serpentem fuiſſe Dei ſapientiam, quæ oculos aperuit tentatis, in odium creatoris. *Manichæis*, erat Chriſtus: *Origeni*, Delectatio: *Cyrillo*, ſpecies ſerpentis aſſumpta: *Iuliano*, fabula, beſtiam loqui: *Ioſepho*, naturale tunc brutis fuiſſe loqui.

AVTOR. I. Verè obnoxij fuerunt tentationi; & peccarunt, teſte pœnâ mortis inflictâ. Neque hanc cauſauit eſus de ligno; ſed peccatum.

1. Patet ex Scriptura *in Antichriſto p. 4. q. 10.*

2. Si ideo peccare nequiuerunt, quia non habuerunt legem, vt iuſti: ceu aiunt; ergo lex prærequirit peccatum, vt poſita peccatori, & id peccatum rurſus aliud, ſicque porrò. Fuit itaq; lex naturæ lata ante peccatum.

II. Cauſa permiſsionis fuit ſoli nota Deo, teſte *Aug. l. 11. in Gen. 4.* Congruentiæ tamen afferuntur à *Bellar. lib. 3. c. 2.*

III. Tentatio autem facta eſt à vero, naturalique ſerpente: Teſtibus S. Patribus: Ex quo dæmon eſt locutus. Sap. 2. *Inuidiâ diaboli mors intrauit*, &c. Non igitur ex natura ligni optimi ſecuta mors eſt.

DICO AD I. Iam liquet. Addo ex Aug. l. de ſpir. & lit. c. 10. *Lex* pœnarum comminatoria *non eſt poſita iuſto*, qui ſponte, & amore recti recta operatur. Sicut, Rom. 6. *Nõ eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Vel vt Ambr. in Pſal. 36. *Iuſto lex*, in tabulis ſcripta, *non eſt poſita*; nã ſcripta in corde ſeruat, probatque opere: *Sed iniuſto*; ceu legis oblito, aut contemptori.

AD II. Pœna mortis & verba ipſa eſſe legem ſeriam teſtantur. Porrò Ophitæ, ex Valentino hæreſiarcha nati, ſerpentem colebant pro Deo; Damnati anno 172. verus a. ſerpens fuit tentator; vt cui vera inflicta pœna fuit. Neq; tunc bruta loquebantur; quia & nunc loquerentur; cum nil naturale perdiderint.

QVÆSTIO XIII.

Fuitne ſuperbia, an Infidelitas, primum Protoplaſtarum peccatum?

LVTHERVS in Comment. ad Gen. 3. aſſerit Infidelitatem fuiſſe; quod ſe morituros non credderint.

CALVINVS Inſt. 2. c. 1. §. 4. *Infidelitas talis defectionis fuit. Hinc autem emerſit ambitio & ſuperbia.*

SVADENT. iſtis. 1. *Luth.* Serpens inprimis id perſuadere ſtuduit Euæ. *Scit enim Deus, quia qua die comederitis, aperientur oc. veſtri. &c.*

2. *Luth. Calu.* Fides eſt radix iuſtitiæ: ergo inuſtitiæ, infidelitas.

3. *Calu.* Quia nunquam Adam auſus fuiſſet

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

fuisset repugnare Deo, nisi incredulus ipsius verbo.

4. S. Bonau. & Scoti, ex *S. Aug.* 14. *Ciu. c.* 11. Peccatum primum fuisse Inobedientiam Adæ ex amore vxoris nimio. Quia ait Scotus, homo prius cognoscit alia, quàm se; ideo prius in Adamo fuit inordinatus vxoris amor, quàm propriæ excellentiæ.

5. Esto fuerit Superbia, quò fierent ficut Dij; Sed id fieri posse crediderunt; ergo prior fuit in eis infidelitas. Id si non crediderunt; vnde appetierunt fieri ficut Dij?

AVTOR. Superbia fuit initium peccati, ita *D. Th.* 2. 2 *q.* 163. non vxorius amor amicitiæ vt S. Bonau. & Scotus volunt.

1. Teste S. Scriptura *in Antichristo p.* 4. *q* 10.

2. Ita S. Patres Basil. Chrys. &c. *S. Augst. lib.* 8. *de Gen. ad lit. cap.* 11. cui Superbia & Inobedientia Adæ pro eodem sumuntur: cum omnis inobedientia superbus sit præcepti contemptus.

3. RATIO fauet. 1. Cum malos inter actus priores sint interni, quam externi idque circa obiectum tam intelligibile, quàm sensibile; Cumque pars inferior à superiore deficere nequierit, nisi prius hæc à Deo defecisset: ideo concupiscentia boni sensibilis prævalere Non potuit in animo, nisi prius ipse animus à Deo defecisset: Itaque nec amor vxorius fuisse prior Elatione potuit.

2. Inter actus internos circa bonũ intelligibile, prior est actus circa finem hominis, qui in malis est Excellentia propria vt obiectum superbiæ; quam circa media: Quia media appetuntur propter finem; non contrà.

3. Mens illuminata obscurari nequit errore, nisi prius obscurata per auersionem à Deo lumine vero: vt docet *S. Aug.* 14. *Ciu. c.* 13. At superbia, appetens altiora se, fuit obscuratrix prima. Vnde Aug. l. de pastoribus. c. 8. *Superbia mater infidelitatis est.*

4. Quia Auersio à bono increato per se non est appetibilis, cum solum bonum sit obiectum voluntatis: At, non velle Deo credere, talis est auersio. In peccatis autem prior est conuersio ad bonũ creatũ vt ideo auertamur à Deo, quia conuertimur prius ad creatum bonum. Prior ergo fuit superbia, quàm infidelitas. Hæc tamen illam secuta fuit, in Eua prius ex serpente, Dein ex Eua in Adamo.

DICO AD I. Textus docet suasam superbiam: Aperientur oculi; Eritis sicut Dij: & huc aspirarunt seducti & excæcati.

AD II. Contrariũ consequentis sequitur: Nã Quia fides est origo iustitiæ, ideò infidelitas est finis iniustitiæ, nõ origo. Quippe primum in generatione est vltimũ incorruptione, vt ædificationis principium est fundamentum; euersionis, tectum.

AD III. Adam non fuisset incredulus, nisi per elationem: & sine hac non ausus fuisset discredere Deo; igitur elatio prior erat. Sic *Aug.* 14. *Ciu. cap.* 17.

AD IV. S. Augustinus vult amorem vxorium nimium fuisse priorem inobedientiâ; at non priorẽ superbiâ. Dein Adam prius cognouit se, quàm vxorem; ob infusam scientiam. Nec necesse prius amari, quod prius cognoscitur, cum quid cognosci possit, &

non amari. Demum Euæ pecc. primum fuit, ait Scotus, amor proprius; ergo & Adæ esse potuit idem.

Ad V. S. Aug. passim ait superbiam in eo fuisse, quod optarint fieri Dij per imitationem, non per naturam; ne vlli subessent. Quod votum potuit inesse animo per inconsiderantiam sine errore præuio.

III. DE PECCATO ORIGINATO SEV TRADVCE

QVÆSTIO XIV.

An sit peccatum aliquod Originale?

Hvldricvs Zvvinglivs, patre suo Luthero iunior septennio, in Comment. ad Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt*, sc. non propriè peccatum, ait, sed Effectum peccati, id est, *morbum seu defectum: qui tamen per se culpabilis non est*, ait lib. de bapt. tract. 3. *nec damnationis pœnam inferre potest*. Ibid. *Peccatum originale non est peccatum, nisi metonymicè; Sed morbus: id est, conditio, miseria quidem illa, at multò lenior, quàm crimen meruerat*. Infrà: *Ista ad peccandum amore sui propensio est peccatum originale, non propriè peccatum, sed fons quidam & ingenium* sc. actualium peccatorum. Bullingerus, Bucerus, Gualt. excusant istum, quod originale distinguat ab actuali, & non neget esse peccatum orig: sed esse *Actionem sceleratam* dicat. Sic & Anabaptistæ.

Erasmvs Comment. in Rom. 5. *in quo omnes peccauerunt*, sc. imitatione, non propagatione, negat expresse originale esse peccatum: In secunda editione: obiecto ei Pelagianismo, fatetur se pecc. orig. agnoscere; at de modo Imitationis, seu Generationis silet.

Ergo tria asserit Zvvinglius de pecc. Original.

1. Esse morbum, sc. Concupiscentiam:

2. Hunc metonymicè esse peccatum: Recte: Sed contra Lutheranos & Calu. qui volunt esse propriè peccatum.

3. Peccatum originale esse metonymicè peccatum.

Lvtherani coguntur idem asserere. Quia peccatum originale est doni supernaturalis priuatio, quod superadditum fuit homini; & habitualis à Deo auersio: at hoc donum negant fuisse superadditum homini: ergo & negare debent pecc. orig. esse propriè peccatum.

Svadent Zvvingliani istis cum Pelagio.

1. Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.*

2. Rom. 5. *Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt MVLTI*; non omnes. Ergo Imitatione actuali multi; nam si Generatione; iam *Omnes* constituerentur.

3. Ibid. *Per vnum hominem*, imitatione: non per duos generatione, *peccatum intrauit mundum.*

4. 2. Cor. 4. *Omnes manifestari oportet, vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gesserit.*

5. Rom. 5. *Vbi non est lex* sc. cognita, *ibi non est præuaricatio*; at non est cognitio legis infantibus: ergo nec pecc. orig.

6. Rom. 7. *Absque lege peccatum mortuum erat; Ego autem sine lege viuebam aliquando.*

Ratio 1. Christi iustitia non credentibus nil prodest: ergo Adæ peccatum nil obest non peccantibus.

2. Deus remittit pecc. propria: ergo non imputat aliena.

3. Ratio peccati est esse voluntarium; at nil voluntarium inest infantibus.

4. *Iulianus.* Non peccat natus, non genitor, non creator. Ergo nemo.

5. Quia gignit, sæpè est à p.or. ablutus.

6. Si p.o. trahitur generatione; foret naturale vitium. Hoc absurdum est: ergo non est peccatum.

7. Si nascuntur homines potestati Satanæ subiecti: ergo Sathan eorum est conditor.

Avtor

AVTOR. Est propriè dictum, peccatum originale:

1. Teste S. Scriptura *in Antichristo p. 4. q. 11.*

2. Testibus S. Patribus contra Pelagianos, etiam ante hos coortos existentibus inde ab Sancto Dionysio.

3. Conc. plura damnarunt illum Pelagianismum: vt Palæstinum, anno 198. Mileuitanum anno 402. &c. *Bellar. l. 4. ca. 6.*

4. RATIO. 1. Quia iubet Apostolica Traditio, teste S. Diony. Orig. &c. infantes, de vita periclitantes, esse protinus baptizandos: Nec id Pelagius, Zvvinglius, Erasmus &c. negarunt. Atq; ad remissionem peccati id fit. Act. 12. *Ablue peccata tua &c.* Eph. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Nisi enim Ioan. 3. *quis renatus fuerit. &c.*

2. Quia Exorcismus in primitiua Ecclesia fuit vsitatus: vt argumentatur S. Aug. l. 6. contra Iulianum, c. 3. *Id tu commemorare timuisti; tanquã ipse à toto orbe exsufflandus esses, si huic exsufflationi; (quâ princeps mundi à paruulis ejicitur foras) contradicere voluisses.*

3. Quia Circumcisio fuit remedium contra peccatum orig. testibus S. Patribus.

4. Quia mors est pœna peccatoribus; at moriuntur & infantes nil voluntate peccantes.

5. Christus mortuus est pro omnibus: ergo & pro infantibus. &c. *Bellar. cap. 7.*

DICO AD I. ex S. Aug. l. 6. contra Iuli. c. 12. *Non portabit*, quia per Regenerationem abluetur; iuxta Ieremiam 31. Item nec actuale p. patris portabit; nisi imitetur.

AD II. S. Aug. ibid. *Multi*, id est, omnes Adamigenæ; quia verè *multi*. vt Gen. 17. *Pater multarum gentium*; & cap. 22. *In sem. tuo benedicentur omnes gentes.*

AD III. *Autor Hypognostici l. 2.* Vir & mulier non sunt duo, sed vna caro. Vnde Eccl. 24. *A muliere initium peccati; & per illam omnes morimur.*

AD IV. *Aug. ibid.* Si infantes non sint in iudicio manifestandi; nil ad eos hoc dictum attinet: Si sint manifestãdi; hanc regenerati recipient *propria corporis* glorificati; *prout gesserunt* in Communione sanctorum, licet non per seipsos.

AD V. Multi legem ignorantes verè tamen peccant in eam: inde peccata ignorantiæ. Nam Rom. 2. *Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.*

AD VI. *Absque lege peccatum*, non erat Nullũ, sed non cognitum pro peccato; extitit tamen: Rom. 5. *Vsque ad Legem peccatum erat in mundo Non autem imputabatur, cum lex non esset*: Ante Moysen *viuebant sine lege*, in naturæ statu: *At vbi lex aduenit, peccatum revixit.* id est cognosci cœpit.

AD RATIONEM. I. *Aug. l. 3. de pec. mer. & remis. c. 2.* Christi iustitia prodest credentibus suâ, aut alienâ voluntate: sic & Adæ pec. obest infantibus alienâ voluntate lapsis.

AD II *Aug. ibid. c. 8.* Deus remittit peccata propria baptizatis; nõ baptizatis imputat alienum.

AD III. In peccato insunt duo: Actio mala, & Reatus; illa voluntaria esse debet, non hic; Reatus igitur in-

est infantibus absque voluntario proprio.

Ad IV. Aug. l. 2. de nupt. c. 28. *Quid quæris latentem rimam, cum habeas apertissimam ianuam? Per vnum hominem peccatum intrauit.* Ibid c. 26. *voluntarium peccatum primi hominis est originalis causa peccati.*

Ad V. Aug. l. 2. *de nup. c.* 25. 26. 27. baptizatus generat vt homo, non vt baptizatus. Item generat sibi similem in specie, nõ in indiuiduo; vnde pater communicat filio communia naturę, non indiuidui.

Ad VI. Pecc. orig. eatenus est naturale, quod *simus natura filij iræ*: ideſt, à natiuitate; seu ex conditione materiæ nostræ.

Ad VII. Sathan non conditor, sed corruptor naturæ est bonæ. Porrò ob argumenta Sectariorum de Tradu ce p. or. paucis quædam de Anima sunt præmittenda.

QVÆSTIO XV.

Qualis Origo sit animæ humanæ?

Opiniones quinque reijciendæ; tenenda est sexta. Adeò verò hinc cognisci tur verum illud Tertulliani lib. contra Hermog. *Philosophi, hæreticorum Patriarchæ censendi sunt.*

I. Stoicismvm hunc; *Animas esse particulas substantiæ Dei*; verterunt Gnostici, Manichæi, & Prisc illianistæ in hæresin.

II. Platonismvm hunc: *Animas hominum à Deo creatas cum Angelis, per fastidium cœlestium, & amorem terrestrium, deturbatas in carceres corporum*: i hæresin vertit Origenes. De his duobus prolixè *in Genealog. p. 4. 9. 6.*

III. Rabinismvm hunc Hebræorum quidam olim retinuerunt: *Animas cum Angelis omnes creatas esse*; quod Deus nil crearit post diem septimum: nõ quod peccarint in cœlo, luantque iam in corpore detrusæ.

Svadent istis. 1. Deus *Gen.* 1. hominem creasse die sexto ad imag. & similit. suam, q æ est in anima: Deinde, *Gen.* 2. die septimo formauit hominem de limo, quoad corpus. Cum autem partitio omnium animarum, parque corporum: plebs creatæ fuerint omnes animæ die sexto; corpora septimo.

2. Absurdum videtur aliquid produci post absolutam creationem septimi diei.

Avtor. Istam opinionem vocat S. Hieronymus stultam apud *S. Aug. epist.* 27. Eam *S. Tho. 1. q.* 118. *a.* 3. sic refutat. Anima, vt pars, est natura imperfecta; ac proinde naturaliter appetit coniungi cum sua materia. At absurdum à Deo factum opus imperfectum, altero die id perfeciſſe. Est autem imperfecta; quia alioquin forma non foret: nec naturaliter iungeretur corpori, sed violenter in corpore maneret: Inque pœnam è cœlo demitteretur in corpus.

Dico ad I. Vtrobique narratur productio hominis totius, sed hic breuius, isthic prolixius. Nam *Gen.* 1. Creato masculo & fœminæ dixit: *Crescite, & multiplicamini.*

Ad II. *S. Aug. epist.* 28. dicit: Deum die septimo cessasse ab opere creationis, & continuò cœpisse opus gubernationis, & operum multiplicationis, in sua quodque specie: Sic & animas multiplicari ex vna eiusdem speciei, in quæ omnes erant virtute, non actu, voluit: qua eadem voluntate animas singulas hodieque creat corporique disposito infundit.

IV. Lvciferianorvm errorem: Animas gigni à parentibus, vt corpora: vide *in Genealog. p. 4. 9. 6.*

V. S. Avgvstinvs passim, cum pluribus, censuit, Latere originem animæ; nec temerè id definiendum.

Avtor. Animæ singulæ tunc crean-

creantur ex nihilo, cum infunduntur corpori sat præparato.

1. Sic Communis S. Patrum; (excepto S. Aug. & Greg. Nysseno:) apud *Bellar. l 4. c. 11.*

2. Sic omnis Theologia scholastica.

3. Sic causa, cur S. Augustinus senserit latere originem animæ erat, quod nusquam sciret, quomodo peccatum originale possit cum noua animarum creatione defendi contra Pelagianos: At remota quæstione peccati orig. creationem animarum nouam veram esse sensit. Verè autem nec creatio animarum impedit peccati orig. traductionem, nec propagatio animarum ex anima Adæ iuuat propagationem peccati orig. vt protinus liquebit.

QVÆSTIO XVI.

Quomodo deriuatur ad nos peccatum Originis?

I. Tertvllianvs, Propagari ait pec. originale, quod tàm anima, quàm corpus sit ex traduce, seu animâ patris.

Avtor. Error est iste. 1. Quia sic carnis vitium inficeret animam, & corpus ageret in spiritum.

2. Labes carnis non est peccatum antè, quàm accesserit animæ; cui propriè inest peccatum, indeque transit vis in corpus.

II. Magister, Gandauen. &c. Animam volunt creari à Deo; carnem inquinatam traduci, & inquinare, ob libidinis ardorem, ex qua p. o. traducitur; Sicque morbidam qualitatem corporis redundare in animam.

III. Halensis, Bonauent. volunt Animam à carne inquinari; non quod carni p. o. inhæreat; sed quod caro, iustitia originali carens, rebellet spiritui, trahens animam deorsum, ac distorquens.

Avtor. Contra hoc militant ista.

1. Quia Infantes ante vsum rationis non habent rebellionem carnis, nisi in potentia; ergo nec haberent pec. orig. quod falsum.

2. Homo in puris naturalibus eam pateretur rebellionem; nec tamẽ haberet pec. orig.

3. Si Deus tolleret omnem fomitem; homo tamen contraheret pecc. orig.

4. Spiritus carni vel resistit; tunc non peccat: vel non resistit; tunc peccat actualiter non originaliter.

IV. Sententia igitur Vera est *D. Tho. t. 2. q. 81. a. 1.* & plerumque.

I. Ad traductionem peccati orig. tantum requiri; vt homo per veram generationem ab Adamo descendat: Roman. 5. *In quo omnes peccauerunt*; vt in cuius lumbis omnes fuerunt. Medium itaque, quo pec. or. traducitur, est Generatio, quæ per seminalem rationem patris, tanquam principalis Agentis, procuratur. Sic *Conc. Trid. sess 6 c 3.*

II. Non tamen anima ex sua creatione maculatur; sic n. Deus peccati foret autor: Inquinatur autem ex infusione sui in corpus, respectu corporis; non infundentis. Quia creatio est solius Dei simpliciter: infusio autem est & Infundentis Dei, & Recipientis corporis simul.

Obiicvnt Pelagiani: 1. Peccat. orig. sedem habet in anima, non in carne: sed anima non trahitur ex Adamo: ergo nec peccatum originale.

2. *Iulian.* Non peccat natus, non gignens, non creans: ergo non est peccatum originale.

3. Si per generationem pecc.or. deriuetur; hæc erit causa peccati; ac proinde malum erit matrimonium.

4. Si per generationem fit p. or. ergo vitium erit naturale; & vel tribuendum Autori naturæ; vel non dicendum peccatum.

DICO AD I. Compositum trahitur ex Adamo, & natura humana, cui inest pec.or. Vnde gignens producit p. or. per accidens, ratione generationis; non per se.

AD II. Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit: in quo*, vt capite, & specie generis humani, *omnes Peccauerunt*, peccato cum Natura pertransiente.

AD III. Homo per accidens, non per se, nascitur cum pec. or. Nam hoc accidit naturæ, quæ matrimonio propagatur aliunde corrupta: fuisset n. etiam in statu innocentię matrimonium.

AD IV. Naturale dicitur quid bifariam:

1. Essentialiter, quod vel pars est essentiæ, vel immediatè ex hac fluit.

2. Accidentaliter aduenies: Hoc; non priore modo, peccatum originale est animæ naturale vitium, tribuendumque capiti hominum Adamo, non Deo.

QVÆSTIO XVII.

An omnes homines concipiantur in peccato originali Ordinariè?

I. LVTHERANI plerique volunt, pec. originale fàm in corpore toto, quàm animæ inesse; vt *à planta pedis vsque ad verticem non sit sanitas in eo.* KEMNITIVS *p. 2. Exam. ad Trid. sess. 5.* vult etiam embrionem informem, ac inorganizatum, teneri pec.or. Itaque neminem ab eo excipiunt.

II. ZVVINGLIVS *lib. de bapt. &c.* Certum statuit, in filiis Fidelium nil de pec.or. inesse. Probabiliter de prolibus Infidelium censet idem: Quin, absolutè negat esse peccatum originale.

III. CALVINVS *Inst. 4. c. 16. §. 24. 25. Et in Antidoto ad sess. 6. c. 5.* asserit, Fidelium Proles non imputari pec. or. Quin sanctas esse ante baptismum, membraque Ecclesiæ. Sic & Bucerus, Martyr, Bulling. &c.

SVADENT isto fundamento: Gen. 17. *Statuam pactum meum inter me, & te, & semen tuum post te, in generationibus tuis fœdere sempiterno; vt sim Deus tuus, & seminis tui post te.* Plura pacta de bapt.

2. Cal. 1. *Cor.* 7. Filii fidelium sunt sancti: ergo.

3. Pecc. orig. in parentibus est deletum per baptismum, seu potius fidem: ergo quod non habent, non dant.

AVTOR. I. Pec.or. non inest corpori per se. Quia *D. Th.* 1. 2. *q.* 83. *a.* caro non est capax culpæ, cum nullo modo pollet voluntate; culpa autem esse voluntaria debet voluntate propria, vel aliena.

2. Est autem pec.orig. in Semine, vt in causa instrumentali: Quia per virtutem seminis actiuam & dispositiuam peccatum originale cum natura traducitur, mediante semine.

3. In Anima verò propriè, vt in subiecto, inest; vt quæ sola esse culpæ subiectum queat.

4. At an sit in Essentia animæ; vt D. Thomæ rectius placet: an in voluntate; vt Scoto; an in Appetitu sensitiuo; vt Durando videtur: sus deque est in præsens.

II. Omnes qui per ordinariam generatio-

nerationem ex Adamo descendunt, pec. orig. contrahunt. Nisi quod B. V. Maria videtur speciali priuilegio excepta: Christus autem fuit sine patre conceptus; Vnde Christi Corpus fuit in Adamo quoad Substantiam; sed non quoad Seminalem rationem. Sic *D. Tho. 3. q. 31. a. 1.*

III. Fidelium infantes non sunt peccati orig. exortes.

1. Sic Scriptura *in Antichristo. p. 4 q. 12.*

2. Sic S. Patres omnes; vt nec vnum pro se adducere sectarii queant. S. Hieron. epist. ad Lætam. *Christiani non nascuntur; sed fiunt.* S. Aug. l. 2. de pec. orig. c. 40. *Regeneratus non regenerat filios carnis sed generat; ac per hoc in eos, non quod regeneratus est, sed generatus, trajcit. Sic igitur siue reus infidelis, siue absolutus fidelis, non generat absolutos vterque, sed reos. Quomodo non solùm Oleastri, sed etiam oleæ semina, non oleas generant, sed oleastros.*

3. Sic Conc. Mileuitanum can. 2. Siricius Papa epist. 1. c. 2. Sic vsus Ecclesiæ totius festinat cum paruulis ad baptismum.

Dico AD I. Ea promissio facta est Abrahæ secundum Fidem, non Carnem, *Rom. 1. 9. Gal. 3. 4.* ideo fidelium proles pertinere ad fœdus illud populumque Dei incipiunt non ratione carnis, sed fidei per baptismum; quem suscipere quoddam credere est.

AD II. Dicuntur ibi filij infidelium sancti, sicut, infidelem coniugem sanctificari per fidelem, dicitur, sc. nõ sanctificationè à peccatis.

AD III. S. Augustinus respondit suprà, Sic ex circumciso nascitur incircumcisus; ex Christiano non Christianus. Sic ex non nigris rebus fit atramentum: Ex filicis & calybis tactu existit ignis, qui neutri tamen inest.

QVÆSTIO XVIII.

An Conceptio B. Mariæ fuerit affecta peccato originali?

LVTHERANI duo asserunt infanda.

I. POMERANVS *in Comment. c. 1. & 44. Ierem.* Papistis articulus est fidei, B. Virginem & sine peccato, & ex Sp. Sancto fuisse conceptam.

II. ILLYRICVS *Cent. 9. c. 10.* Hesshusius, Kemnitius *in sess. 3.* Sententiam de Immaculata B. Virginis Conceptione esse erroneam; Defendi contra verbum Dei; Non posse pro ea scripturas afferri, non Traditionem, non Patres; sed reuelationes crepari solas.

SVADENT multis. I. SCRIPTVRIS. 1. Quæ, ait Kemn. solum Christum excipiunt à peccato: vt 2. Cor. 5. *Eum qui peccatum non nouerat.* Heb. 7. *segregatus à peccatoribus.*

2. Quæ vniuersis hominibus peccatum adscribunt. Vt. Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt.* 2. Cor. 15. *In Adam omnes moriuntur.* Eph. 2. *Eramus naturâ filii iræ.*

3. *Si vnus pro omnibus mortuus est*, 2. Cor. 5. *ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est Christus.* Quod si B. V. semper iusta fuit; ergo nec antè, quàm esset in rerum natura, nec postea, fuit peccato obnoxia.

II. S. PATRES negant fuisse Immaculatam.

1. *Manifestum est*, ait Kemnitius, *quod non sentiat*, Augustinus, *Mariam sine peccato conceptam fuisse. Alias enim non opus fuisset, conferri Ipsi gratiam ad vincendum peccatum.* Collatam verò esse docet *S. August. l. de nat. & grat. c. 36.*

2. Aug. l. de fide, c. 26. *Firmissimè tene; Omnem hom qui per concubitum concipitur, cum pec. orig. nasci:* Sic & S. Ambr. & Eusseb. Emis. hom. 2. de Nat. Dom. *A peccati orig. nexu nullus immunis existit; Ne ipsa Genetrix Redemptoris.*

3. Aug. l. de perfect. iust. *Quisquis fuisse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos putat; excepto vno Mediatore Christo; quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum; contrarius est S. Scripturæ huic: Per vnum hominem pecc. &c.*

4. S. Aug. l. 5. in Iulianum, c. 9. *Per concupiscentiam Christus concipi noluit. & c. Mariæ corpus, quamuis inde venerit; tamen eam,* concupiscentiam sc. *non traiecit in Corpus,* Christi sc. *quod non inde concepit. Corpus Christi inde dictum esse, in similitudine*

carnis

carnis peccati; quia Omnis alia hominum caro peccati est; quisquis negat. &c. detestandus hæreticus inuenitur.

5. S. Bern. epist. 17. ad Lugd. Can. & S. Anselmus docent B. V. conceptam in pec. orig.

III. Ex Rationes. 1. Si B. V. non fuit captiua; ergo nec verè redempta fuit.

2. Christus mortuus est pro omnibus peccatoribus, non pro iustis.

3. B. V. omnes humanas pertulit ærumnas, ac mortem; athæc sunt stipendia peccati.

4. Gloriæ Christi derogat, si priuilegium immaculatæ conceptionis alteri tribuatur.

IV. Mendacia Kemnitiana sunt: 1. *pag* 520. Tempore Lombardi ignota fuit opinio de Immac. Concept. B. V.

2. Lombardus ex S. Augustino disputare cœpit: B. Virginem in conceptione Christi liberatam ab omni peccato, & fomite etiam.

3. Posteri eius excogitarunt sanctificationem in vtero, & sanctam Natiu. Virginis.

4. Inde è contra est nata opinio de Immacul. Concept. Virgin.

5. Demum Conc. Trid. in append. de concept. B. Virg. vt & Sixtus IV. liberum fecit opinari extra, præter, & contra Dei verbum.

Avtor. De hoc duo: Certa, & Probabilia. Certa sunt quatuor: 1. B. Mariam in vtero sanctificatam fuisse.

2. In Adamo aliquatenus peccasse.

3. Ante Animationem non fuisse sanctificatam.

4. Non esse de fide Immaculatam conceptionem. Probabile vnum; de Immaculata conceptione. Atque hęc contra hæreticos differemus.

I. B. Virgo, nondum nata, fuit in vtero sanctificata.

1. *Quia* credendum, Deiparæ maiora data priuilegia, quàm cuiquam Sanctorum: at Ieremias *cap.* 1. Baptista, *Luc.* 1. sanctificati in vtero fuerunt.

2. *Quia* festa instituit Ecclesia non nisi Sanctis: at B. Mariæ Natiuitati festum indixit: *dist.* 3. *de Concep. c.* 1.

3. Sic & S. Patres apud *Canisium l.* 1. *Marial. c.* 5. Itaque id negare, prorsus erroneum est: Catharinus vult esse hæreticum: Malè: quia non est apertè definitum. Neque tantum est probabile ac pium; vt Caietano visum; Sed verum ac certum.

II. Deipara peccauit in Adam; & ex vi conceptionis suæ fuit obnoxia pec. orig. siue; habuit debitum id contrahendi; nisi gratiâ Dei fuerit impeditum.

Est contra Catharinum & Galatinum l. 7. c. 10. qui ideo negant: Quod ad pec. orig. constituendum duo requirant: Contentum fuisse in carne Adæ: Et in Pacto Dei cum Adamo: At B. Mariam potentiâ fuisse in Adami Carne, sed non in Pacto Dei.

Sed probatur 1. Rom. 1. *Omnes in Adam peccauerunt.*

2. Quia cæteroquin B. V. non fuisset redempta à Christo, pro Omnibus mortuo. Mat. 1. *Ipse saluum faciet populum suum.* Ioan. 1. *Agnus Dei qui tollit peccatum Mundi*: 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo viuificabuntur.*

3. Alioquin non contraxisset penalitates mortalium.

4. Tota ratio contrahendi pec. or. est generatio per seminalem modò: at talis fuit Beatæ Mariæ generatio ex Ioachim & Anna.

5. Potest dici quis conceptus in pec. or. etiam cum est embrio informis & inanimatus; licet pec. or. propriè non existat nisi in anima rationali; quia tamē reuera tūc incipit homo existere quoad partē vnam, sc. corpus quod ex natura corrupta trahit ortum; dici corrupta potest; vt ei ex vi generationis debeatur nasci inde pec. caro-

catorem hominem, vbi primum fuerit animatus. Idem erat debitum S. Mariæ: Sed Priuilegium exceptionis occurrit.

III. Ante Animationem B. V. nec Formaliter, nec Radicaliter potuit Sanctificari. *Non formaliter*, sc. per formalis sanctitatis infusionem; quia huius subiectum est persona, homo, anima rationalis. *Non radicaliter*, sc. in parentibus, vel semine, ita disponendo statum, vt non posset esse organum, per quod pec. orig. transfunderetur: Quia in semine nulla ineſt qualitas, qua intelligi possit semen mundari, & prolem in eo, seu radice, sanctificari. Nam, suppositio Adæ lapsu: conceptio naturalis semper est inefficax, vt ex vi illius gratia inducatur. 2. Quia decretum diuinum est immutabile; Sed illud erat; vt, Adam peccāte, omnes posteri conciperentur inimici Dei: Cui decreto repugnat, vt quis, sub eo contentus, sine pec. or. concipiatur. 3. Adhæc, B. V. fuit obnoxia peccato orig. Ergò vel minimum in primo conceptionis instante fuit obnoxia: Nam antè id habere non potuit debitum orig. pecc. Quare, (posito quod in Adam peccarit; vt ponere necesse est:) non potuit in primo conceptionis instante gratiam habere: hoc enim repugnat isti, esse obnoxiam orig peccato; licet etiam solum in alio, sc. Adamo: qualis enim Homo præfuit in Ada; talis est etiam in se primo suæ conceptionis puncto, quo esse Homo incipit.

NOTANDVM. Peccatum Adæ communicatur cum posteris trifariam.

I. Peccarunt in Adam, cum hic præceptum transiret. Ast, vt tunc nō in se actu, sed in Adamo potentia subsistebant; ita in eo peccarunt potentiâ, non in se actu.

II. Peccant in priore *conceptione seminali* inanimes, ante conformationem & animationē fœtus, ratione vnius partis, ex naturâ corruptâ vitiatæ.

III. Peccant in altera *conceptione Rationali*, seu in Animatione; in qua propriè homines esse incipiunt.

I. Modo, B. Mariam in Adamo peccasse Quidam negant: Quod ab ea lege vetiti esus, sola Deipara fuerit excepta: ac proinde gustârit quidem cum Adamo pomum; sed non peccârit contra prohibitionē, & exempta ab illa. AT Bellarmino hæc sententia non admodum tuta videtur. Quia omnibus conuenit, Deiparam esse redemptam; *Christus enim pro Omnibus mortuus est*, 2. Cor. 5. sine exceptione: at B. V. Si nec actu nec potentiâ; nec in se, nec in Adamo peccauit, quomodo redempta dici potest?

II. Modo, B. V. non fuit libera ab or. pec. quia per seminalem rationem, vt omnes, concepta fuit: vt supra docuimus.

III. Modo, putatur in primo creationis sui puncto, Deipara præseruata ab or. pec. fuisse: Et hoc solo Diua differt à cæteris, Ierem. ac Baptista sanctificatis. De hoc quæstione sequente.

DICO AD POMERANVM, cum mētiri. Nam Sixtus V. in Constit. *Graue nimis*: de reliquiis; dicit nondum esse quæstionem de Conceptione B. V. definitam: & excommunicat damnantes

nantes alterutram sententiam hæresios. Sic & *Concil. Trid. sess.* 5. Et Pius V. *in Constit. edita* desuper. Conc. Basiliense quidem definiuit Immaculatam conceptionem: Sed Papa id non approbauit.

I. Dico Ad Scripturas, 1. Rectè eas docere Christum solum or. peccati expertē; vt qui nec in se, nec in Adamo peccauit: vtpote conceptus solus ex Sp. Sancto, absque virili semine. Deipara verò caruit pec. orig. ex priuilegio gratiæ; non vi generationis humanæ.

AD II. Deipara peccauit in Adam, & mortua fuit in eodem; fuitque naturâ filia iræ: Sed gratiâ semper filia misericordiæ.

AD III. Vt mortua in aliquo fuit Deipara, sc. ex vi generationis; ita & in eodem Christus pro ipsa viuificanda mortuus est. Tribus autem temporibus obnoxia morti fuit:

1. Dum in lumbis Adæ, maiorumque suorum fuit.

2. In vtero matris concepta primum materialiter ex parte.

3. In primo instanti Animationis, vbi ordine naturæ prius est subiectum, quàm accidentia; prius persona, quàm peccatum, aut iustitia inhærens.

II. Dico AD S. Patres. 1. Gratiâ opus ei fuit ad præseruationem à pec. or. & actuali.

Ad II. III. IV. patet ex dictis.

Ad V. Sanctus Bernardus docet, quæ sunt contra Kemnitium.

1. Beatam Mariam antè fuisse sanctam, quàm natam.

2. Fuisse omnis pec. actualis exortem.

3. Suam pro Sanctificatione sententiam submittit Rom. Ecclesiæ.

4. Conceptam dicit in pec. or; subaudi, Conceptione priore seminali; non altera Animationis.

5. Sanctificatam; subaudi in infusione animæ; non post eam. Sic & S. Anselmus est intelligendus.

III. Dico Ad Rationes: Ex dictis satis liquet responsio.

AD IV. Redempta fuit Anima præseruata; non Caro. ideo hæc rumnosa permansit. &c.

IV. Dico Ad Mendacia Kemn. I. S. Bern. & S. Anselmus diu antè Lombardum id docuerunt.

AD II. Ex iisdem, vt ex S. Augustino liquet iam olim hanc viguit quæstionem.

Ad III. At Sanctificationis item dem patet antiquitas altior.

Ad IV. At *S. Bern. epist.* 174. sentit contra Immaculatam conceptionem.

Ad V. Libertas opinandi alterutrum relicta est eò, quòd neutrum S. Scripturæ repugnaret.

QVÆSTIO XIX.

An B. Mariæ Animatio fuerit Immaculata, an Sanctificata?

Lvtherani, vt quæst. præcedente liquet, nullo discernunt Marianam conceptionem ab omnium nostra. A page profanum vulgus.

Avtor. Quæstio hæc Moralis est, & ingenii, & exercitii; non Fidei, inter Orthodoxos. Nihil adhuc definiuit Ecclesia: Festum Conceptionis insti-

instituens declarauit solum, magis videri pium conceptionem Immaculatam.

2. Asserens tamen alterutram sententiam esse falsam, peccat lethaliter; estque excommunicatus, vt temerarius: *Extrauag. Graue nimis.* Innouauit hoc decretum Conc. Trid. & Bulla Pij V.

3. Concionatoribus interdictum est sub pœna excommunicationis coram populo, vt incapace, de hoc disputare pro suggestu, cũ alterutrius refutatione: solum referre quid obiter permissum fuit.

4. Nunc ea permissio ad Immaculatam Conceptionem solam est restricta: Non obstante, quod *Antiquior ac prior* priscorum Scholasticorum, cum S. Patribus, sibi constiterit sententia de Sanctificatione: *& Recentior*, post Scotum, cœperit inualescere de Immaculatione.

5. Vtraque ducitur Scripturis, S. Patribus, Ecclesiæ Consensu, & Rationibus: *Prior* insuper Antiquitate; Sed solam intra Probabilitatem; extra Euidentiam.

6. Vtrimque præcisè solum quæritur de primo Animationis Marianæ puncto; *Fueritne Priuilegiatum, necne?*

7. PRIVILEGIATIO nulla vtrinq; agnoscitur seminalis, seu actualis; in via & serie generationis inde ad Adam descendente, vsque ad primum Instans negatiuũ Animationis B. Mariæ: Primum positiuum autem infusionis animæ in corpus sub dispositionis Vltimum quod sic, censetur æterno præseruationis à pec. orig. id est, Immaculationis; aut Sanctificationis, priuilegio gaudere.

IMMACVLATIO propriè dicitur priuilegiata; non Sanctificatio: Doceturque istis.

1. Scripturis probabiliter. 1. Adam, 1. Cor. 15. *Forma fuit futuri Christi:* Sed ex terra nondum maledicta formatus fuit; ergo & Christum decuit ex matre Nunquam, an Non, maledicta formari. S. Andreæ Apostoli hæc vox fertur: *Sicut de terra immaculata factus fuerat homo primus: ita nec esse erat, vt de Immaculata* (ex priuilegio, aut Sanctificatione) *Virgine Christus nasceretur.*

2. Eua fuit immaculatè formata: at S. Patrib⁹ est figura Mariæ: ergo & hãc decebat immaculatâ animâ informari: An & debuit? Vnde patet debita præletuatio?

3. Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas; sic Amica mea inter filias.* Cant. 4. *Tota pulcra es Amica mea; & macula non est in te &c. Hortus conclusus, fons signatus.* Hæc de Deipara; at sic, vt & de Ecclesia; exponunt S. Patres. Et hæc canit; *Nigra sum; sed formosa.*

II. SS. Patres. 1. S. Ambr. *Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati:* originalis, an actualis? per Sanctificationem, an immaculata. S. Hier. *Deduxit eos in nube diei: Nubes ea non fuit in tenebris sed semper in luce,* B. Maria. Semper, est tempus; instans, non: ideo nec implicant.

3. S. Aug. *De V. Maria, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur;* an actualibus? nam originale est vnicum: habere volo quæstionem; *Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit, ad Vincendum omni ex parte*

peccatum; Vtrumque? Originale, vt euaderet; actuale, ne inuaderet? *quæ cõcipere, & parere meruit eum, quem constat Nullum habuisse peccatum.* Nota differentiam: Christus, nullum habuit: Maria vincere potuit: Hoc verò glorioſum vtrique eſt; illud Neceſſarium; non hoc. Christus, ait idem l. 5. in Iulianum, c. 9. *Profectò peccatum maius feciſſet; ſi paruulus habuiſſet*: Sic & B. Maria, niſi Sanctificatione viciſſet: at Immaculatio nõ habuit, quod vinceret: Niſi fortè ſeminalem potentiam ad pec. orig.

4. S. Cyprianus forſan: *vas electionis*, Maria, *naturæ communicabat, non culpæ*; Nec Inſtantaneæ: an diutius inhærenti? *Naturæ vitiatæ?* an Priuilegiatæ?

5. Sophronius. *Mariæ, ab omni contagione liberatæ.* Quomodo per ſanctificationem, an priuilegiationem?

6. S. Damaſc. *Naturam gratiam anteuertere auſa non eſt.* Liquida vox, diſtinctioniſque incapax aſſerit Immaculationem.

7. Idiotus ait ante annos 800. *Macula originalis non eſt in te*: Poſt animationem: At in hac *Fuit: ne* quæſtio manet.

8. S. Damianus: Altiore genere ait ſanctificationis Beatam Mariam fuiſſe mundatam; quam Ieremias & Baptiſta. *Mundatam, ſanctificatam* ait. Cætera S. Patrum, de gratia poſt animationem vnius capi poſſe videntur.

III. Eccleſiæ Conſenſus in Immaculationem (vt piam ac probabilem) eſt mirificus, inde ab Sixto IV. in Extrau. *Cum præexcelſa & Graue.*

2. Leo X. Ordinem Immaculatæ conceptionis confirmauit.

3. Conc. Baſiliense Oecu. iſthuc conſenſit; licet Papa nullus approbauit.

4. Academiæ quædam iurant in Immaculationem.

5. Feſtum Conceptionis dicitur vulgò Immaculatæ.

6. Conc. Trid. poſt traditam Cõmunem de pec. or. doctrinam, declarat *Non fuiſſe mentem S. Synodi B. Virginem his decretis includendi.*

IV. Ratio fauet. 1. Quia præſeruare exemptam Deus potuit: Decuit eſt: Ergo & Voluit. At voluntas vnde liquet? Decretum obſtat Dei Concipiendos omnes in Orig. iuſtitia; ſi mandatum ſeruarit Adam: ſine concipiendos in orig. peccato. At decretum hoc voluntatis vniuerſalis perſtat in via generationis communis; nil tamen derogat extraordinariæ Bonitati Dei ac voluntati Particulari; ius huic non ademit. At hæc particularis voluntas vnde liquet: Cum *quod natum eſt ex carne, caro eſt?*

Voluit autem Deus. 1. Quia honor Matris eſt prolis.

2. Maxima Chriſti & Mariæ coniunctio erat: at nulla Chriſti ac Belial.

3. Quia *ſapientia non habitabit in corpore ſubdito peccatis.*

4. Deus voluit in cœlis euectam ſupra omnes Angelos: ergo & in terris priuilegiari, præ protoplaſtis cum iuſtitia orig. creatis; ſed lapſis; præque Angelis iuſtis, ſed non lapſis. Reuelationes S. Brigittæ huc fauent probatæ.

IV. DE

IV. DE NATVRA PEC. ORIGINALIS ET POENA.

QVÆSTIO XX.

Peccatum Originale an sit substantia?

1. MATTH. ILLYRICVS Lutheranus finxit ista: 1. Peccatum generatim est ens transcendens: speciatim pertinet ad prædicamentum substantiæ, aliaque aliò. 2. Pec. orig. est substantia; & substantialis imago diaboli: 3. Vnde anima rationalis per id substantialiter est corrupta, & ex imagine Dei in diaboli imaginē transformata, non mutata solum.

2. LVTHERVS in Genes. c. 3. *Sicut iustitia* orig. *fuit de essentia hominis: ita peccatum quod successit, est de essentia hominis.* Idem in Psal. 50. *Fœtus in vtero, antequam homines esse incipimus, peccatum est. Massa, ex qua conceptus sum, tota est vitio & peccato corrupta.*

3. WIGANDVS contra Illyricum disputans ait Pec. orig. esse rem ream, & scholasticos dicentes Accidentia corrupta, non substantiam, vocat Sophistas. *Hesshusius*, antagonista Illyrici, ait, substantiam per pec. orig. corruptam esse, id est, imaginem Dei versam in diaboli imaginem. Sic Lutherani plures. *Kemnit. in sess. 5.* ait totam massam animæ extremè corruptam esse &c. Atque iste est Manichæismus.

SVADEBAT Illyricus istis. 1. Scripturæ in describendo p. or. vtuntur verbis substantiam significantibus. Vt Gen. 8. *Figmentum cordis humani malum est ab adolesc.* Rom. 6. *Vetus noster homo crucifixus est, vt destruatur corpus peccati.* Ibid. *Non regnet peccatum in corpore. &c.*

2. Pecc. orig. est fons omnium peccatorum; quia *Rom.* 7. operatur in homine omnem concupiscentiam: at huius fons Cor est: Vnde Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes mala, adulteria. &c.* Cor autem est substantia; ergo & peccatum originale.

3. Peccatum est omne quod cum lege pugnat. 1. *Ioa.* 3. at homo totus cum lege pugnat; nam *Caro concupiscit aduersus spiritum*, Gal. 5. id est homo totus concupiscit: quia *quod natū est ex carne, caro est.* Ergo totus homo est peccatum, & contra.

4. Imago Dei in homine est substantia eius, non accidens: quia *Creauit Deus hominem ad imaginem suam*, quæ est substantia: Ergo & imago diaboli est substantia: At homo per peccatum amisit imaginem Dei, diabolique induit. &c.

AVTOR. Peccatum est priuatio & defectus, non substantia, aut natura aliqua.

1. Teste Scriptura in meo *Antichristo p. 4. q. 13.*

2. Teste & Symbolo Apostolico, *Credo in vnum Deum*, sc. solum substantialiter iustum: at Illyrico mentes humanæ & angelicæ, vt post lapsum sunt substantialiter iniustæ, seu diaboli; ita ante lapsum erant substantialiter iustæ: ergo tot antè erant Dii, quot mētes iustæ; proinde non vnus Deus. Item, *Credo vnum Creatorem*: at si peccatum transformet mentes in diabolos; ergo multi sunt creatores transformantes substantialiter. At hic Manichæismus est. Item *Incarnatus est de Sp. S.* Anima humana si est peccatum, tunc Christus vniuit sibi peccatum, dum Humanitatem assumpsit. Item, Resurrectio est eius, quod cecidit; sed substantia hominis cecidit; ergo si hæc tota sit peccatum, peccatū quoque resurget: quod absurdum & impium.

3. S. Patres reclamant apud *Bell. l. 5. c. 2.* damnantque Manichæum dicentem *Malum esse substantiam.*

4 Ratio reclamat multiplex. Si enim peccatū corrumpit animam, ergo hæc foret corruptibilis; Ergo alius

substantialiter Adam fuisset post lapsum, quam ante fuerat. &c.

Dico ad I. Scriptura figuratè loquitur, cum de peccato verbis substantiam significantibus vtitur; sic *Cor* est cogitatio cordis; *vetus homo* est vita vetus; *corpus peccati* est congeries peccatorum; &c.

Ad II. Fac ista ita esse; non sunt tamen: nihilominus non sequitur, peccatum orig. aut concupiscentiam esse substantiam, seu fontem omnis peccati.

Ad III. Kemnitio insolubile. At pugnans cum lege Actio est accidens, non substantia; & accidens priuatiuum, non positiuum, id est carentia rectitudinis. Et actio non est homo agens: quare nec peccatum est homo peccans.

Ad IV. Imago Dei est natura animæ; & ea non est amissa per peccatum, aut transformata, vt Origenes errauit: teste *Epiph. hær. 6. 4.* proinde nec peccatores gerunt naturam diaboli.

QVÆSTIO XXI.

An peccatum Originale sit Actuale?

Lvtherani multi aiunt, nilque distinguunt: vt *Lutherus in Assert. art. 3.* Impossibile ait, vt fomes sit absque actuali peccato. *Ibid Originale peccatum, vt omnia peccata, ita & incredulitas est.* Art. 2. Fomes, seu Concupiscentia est peccatum orig. In Gen. 2. *Pec. orig. est incredulitas, desperatio. &c. Ideo fomes est verè peccatum actuale.*

Melanch. in Locis anni 1522. *Pec. orig. est natiua propensio, & genialis impetus & energia, qua ad peccandum trahimur, propagata ab Adam &c. Scriptura non vocat hoc orig. hoc actuale: Est enim & orig. pec. planè actualis quædam cupiditas.*

Kemnitius ad sess. 5. pag. 456. Similiter primum mentis in vtero motum esse rem malam; vt & deliberatus.

Avtor. Pec. originale non est actuale: Nec infantes concepti vel nati vsum habent mentis seu bonum, seu malum; neq; vel primos motus. Quia S. Aug. *l. 1. de pecc. merito. c. 35.* ridet Pelagianos quosdam, id fabulantes actualia esse peccata: vt contrarium Scripturæ, Rom. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali* sc. Iacob & Esau. Deut. 1. *Filij, qui ignorant distantiam boni & mali.*

Sed variant ideo, dicuntq; *p. o. est actuale*, i. *actualis priuatio seu defectus rei, quæ debet adesse*, sc. iustitiæ or. i. *& actualis positio infirmitatis, & aliorum affectuum, quæ deesse debent.* Rectè hoc; male istud, *Pec. orig. est actuale.*

QVÆSTIO XXII.

An relicta ex pec. orig. Vulnera sint ipsum Originale peccatum, ac damnent; nisi Deus ea non imputet?

Lvtherani, itemque Calviniani communiter affirmant. Lutherus in assert. art. 1. Melanch. in Locis. Concupiscentiam naturâ suâ esse reatum ait. Sic & Kemnitius. cæterique communiter.

Calvinvs, Inst. 2. c. 1. §. 8. Sic definit pec. or. *Hæreditaria naturæ nostræ prauitas & corruptio, qua primum facit reos iræ Dei; tum etiam opera in nobis profert, quæ Scriptura vocat opera carnis:*

carnis: (Non omnino malè:) *Atq; id est propriè, quod à Paulo sæpius peccatum nominatur.* 1. Rom. 6. 7. scilicet concupiscentia. Malè, hæreticè Paulum interpretatur. Sic & Martyr in Rom. 5. ait pec. or. esse priuationem rectitudinis & potentiarum; dein & positiuam propensionem ad malum. *Si quæras, An sit peccatum, quod manet in Regeneratis? Respondemus Esse.*

SVADENT. istis. 1. Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*, quasi dicat semper est in eo, licet non semper regnet. *ad obediendum concupiscentiis vestris.* Item Rom. 7. *Peccatum non cognoui, nisi per legem: Nam Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Item Rom. 7. *Lex spiritalis est; ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. &c. Quod odi, facio; & mente seruio legi Dei:* Item Rom. 7. *si, quod nolo, facio; consentio legi, quia bona est:* ergo motus etiam inuoluntarii sunt peccatum. 2. Gen. 6. 8. *Cuncta cogitatio cordis humani intenta est ad malum omni tempore.* Psal. 18. *Delicta quis intelligit?* Ierem. 17. *Prauum est cor hominis. &c.*

3. Rationes; Deus Concupiscentiam in baptizatis odit. Rom: 7. *Quod odij facio.* 4. Christus, Heb. 4. *Per omnia tentatus, absque peccato:* nam Concupiscentiam carnis non assumpsit 5. Martyr. Omne, quod non est cõforme legi diuinæ, peccatum est: talis est humanæ deprauationaturæ. &c. Porro calumnias vide in *Antipap. Mend. p. 4. q. 1.*

AVTOR. Concupiscentia, vt est in se, non potest vllam habere peccati rationem; non solum quia non imputatur; sed etiam quia imputari non potest.

1. Quia defectus integræ naturę nõ tollitur per baptismum: at peccatum tollitur. Exo. 34. *Qui aufert iniquitates & peccata.* Ps. 50. *Dele iniquitatem meam.* Isa. 27. *Dimittetur iniquitas Iacob, vt auferatur peccatum eius.* &c. Vide *in Antichristo. p. 4. q. 13.*

2. Quia peccatum propriè est defectus perfectionis hic necessariæ, vt à morte statim ineatur beatitudo: Est enim defectus à lege Dei præscriptæ perfectionis in ordine ad beatitudinẽ: At talis non est integræ naturæ defectus; alioquin nullus omnino posset à morte continuo saluari, & malè cupisset Paulus, Phil. 2. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.*

3. Quia Iac. 1. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum:* ergo ipsa in se nõ est peccatum; sed parit per motum Suggestionis, Delectationis, & Consensus; *Peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.*

Caluinus ait: *parit peccatum*, scilicet operis actuale: *Consummatum*, id est, totius vitæ cursu completum.

At hæc noua ipsius est fictio: dicit; non docet. Iacobus autem loquitur de actu peccandi, non de vitæ cursu continuato. Ita S. Patres. &c.

4. Ratio persuadet. 1. Quia concupiscentia est affectus & pœna peccati orig. sicut & mors. ergo nõ est ipsa p. orig. sic *Aug. l. 5. in Iulianum, c. 3. 2. Idem ibid.* Si quis nasceretur non ex Adam, cum Concupiscentia, hæc non esset peccatum ex se: nil enim merè naturale est peccatum: ergo neque nunc est eadem peccatum; quia necessarium & continuum esset peccatum, idque autore Deo. Sicque foret infeliciorhomo bestiis, quæ concupiscunt, & non peccant. Neque Christus nos verè, sed tantum *Non imputatiue*, liberasset. At Ioan. 8. *Si vos Filius liberauit, verè liberi eritis.*

DICO AD I. Concupiscentia in renatis, quatenus integrâ iustitiâ caret, vocatur ab Apostolo peccatum, non pro-

propriè, sed figuratè per metonymiam: quia est Effectus peccati orig. & Causa peccati actualis, ad hoc inclinando.

Quærit Illyricus, Quaaudacia præsumat Trid. Conc. tam impiam glossam afluere Apostolo?

Dico I. Quia sciuit peccatum esse apud Apostolum ὁμώνυμον. teste *S. Augst. l. 6. in Iulianum, cap. 11. & l. 1. de nuptiis, c. 23.*

2. Deinde sic explicare cogimur; alioquin ibidem sibi contradiceret Apostolus dicens Rom. 6. nos *per baptismum mortuos peccato, & viuere Deo: Mortificatos legi p Corpus Christi*, c. 7. &c. De concupiscentia verò contraria pronunciat.

3. *Postea*. Non ideo concupiscentia est peccatum, quia repugnat legi mētis: nam & Caro, Mundus, Dæmon repugnant eidem.

4. *Ad hæc* Id solum est formaliter peccatum quod Legi formaliter repugnat, id est in ea proh bitum est: at Concupiscentia in se non est vlla lege sic prohibita: Vnde nō dicitur; *Non sit*; sed *Non regnet in vobis ad obediendum concupiscentijs eius.*

5. In hoc autē: *Non cōcupisces*: prohibentur non motus primi; quia non sunt in potestate nostra; vtpote merè naturales: Sed voluntarii interdicuntur soli.

Ad II. Loquitur ibi de tunc viuentibus secundum carnem tantum, deque actualibus peccatis eorum. Sicq; & alubi alij, deque pronitate ad malum innata.

Ad III. Non odit vt peccatum actu; sed vt languorem ex pec. orig. relictum: odit ergo eam metonymicè.

Ad IV. Christus nec Ignorantiam assumpsit naturæ communem: ergo vti hæc non est peccatum; ita nec Cōcupiscentia. Solū assumpsit eas miserias, quæ ad Redemptionem conferre poterant.

Ad V. De pec. in genere, verum est: At de peccato in moribus actu, restringi debet propositio ad conformitatem legis, præcipientis actus mortales: Alioquin peccata naturæ erunt propriè peccata, & punienda: quod absurdum. Sic & minor vera est, de lege ingenere; falsa, de lege aliquam specie quid prohibente; nam huius præuaricatio est certum peccatum actuale.

QVÆSTIO XXIII.

Quid & Quale sit peccatum Originale?

Lvthero-calvinistæ duo asserunt.

1. Ipsam Concupiscentiam, per se solam nulla superaddita morbida qualitate.

2. Idque etiam post acceptum Baptismum esse ipsum peccatum originale. Sed breuiter, satque refutati sunt suprà.

Avtor. I. Pec. Or. non est Morbida Qualitas; quæ peccantis Adæ carnem infecisset, ac per generationē transfusa generet spiritalem animam. Qualitatem morbidam, qua voluntas inclinetur ad concupiscenda Sensibilia contra rationem. Hācque in Sensualitate residētem dici *Malum in carne habitans*, Rom. 7. Non est ita, licet

licet asserat Magister in 2. sentent. de Gandauo, Driedo. &c.

RATIO. Quia si esset Positiua Qualitas haberet & causam positiuam.

1. *Deum?* At foret autor peccati, vel tentationis: contra *Iac.* 1.

2. *Dæmonem?* At hic nil potest in anima producere; sed solum in rebus corporeis.

3. *Serpentem?* At hic afflare nequit spiritalẽ qualitatem corporalis; & solum cum Eua, non cum Adamo, locutus est.

4. *Hominem?* At hic, vt possit in sese per actum peccandi efficere dispositionem ad similem actum; non potest tamen producere Qualitatem perpetuò hærentem, adque mala inclinantem.

5. *Pomum?* At hoc naturâ suâ bonum erat; licet prohibitum. Et corporale erat impotens ad spiritalem qualitatem in anima producendam. Deinde Dominium Cõcupiscentiæ non tollitur baptismo; etsi per Gratiam religetur. Quare quid aliud erit *Concupiscentia*; vti *vitium, quo proni sumus ad appetenda sensualia contra ordinem rationis.*

II. Concupiscentia non est prima transgressio Adæ: vt placet Pighio, Catherino. &c. in 2. *dist.* 30.

RATIO. Quia hi volunt, 1. Peç. or. esse vnum numero in omnibus.

2. In Adam realiter; in posteris imputatiuè inesse.

3. Infantes solum denominatione externa dici peccatores, ob pec. Adæ. Nam Priuationem iustitiæ, Maculam, Reatum, &c. volunt habere rationem pœnæ, non culpæ; nisi impropriè, velut causa capi pro effectu assolet: Sicque transfundi pec. orig. non inse, sed in pœnis.

At *Conc. Trid. sess.* 5 definiuit iam, pec. or. transfundi propagatione, non Imitatione.

2. Et distinguit idem pec. orig. à pœnis; eoque Pelagianos antiquos & nouos condemnat.

3. Cuique proprium pec. orig. inesse.

4. Ac remitti in Baptismo; id est, absolutè tolli totum; Non imputari solum.

III. Pec. Originalè *Formaliter* ac essentialiter est priuatio Iustitiæ orig. quatenus mens Deo subiiciebatur: *Materialiter* verò & denominatiuè est Concupiscentia. Ita *D. Tho. q.* 82. *a.* 3. Quem ita explicant.

1. Si peccatũ or. capiatur pro actione contra legem; tunc pec. orig. propriè est Adæ transgressio; quatenus Species erat generis humani. Ita verum hoc Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt* olim aliena voluntate; quæ cum totius naturæ fuerit, etiam nostra esse censetur. Sic Patres.

2. Si pec. or. capiatur pro eo, quod in homine remanet post actionem; tunc *pec. orig.* propriè & formaliter *est tantum Habitualis* Auersio humanæ naturæ in singulis, ex actu primo Adę profecta. *Nam*, Vt anima cum iustitia orig. erat conuersa ad Deum: Sic illo dono priuata, dicitur auersa à Deo, & iniusta habitualiter: Et nil in anima culpæ post actum peccati remanens habere peccati rationem potest, nisi Auersio illa & Macula: Nam reatus, (qui est dignitas odii, & indignitas

gratiæ) est effectus Auersionis : item Reatus pœnæ; Offensa Dei; Dispositio seu habitus acquisitus: item Ordo ad actum præcedentem, seu priuatio innocentiæ: Hi effectus remanent in anima post causam Auersionem.

DICES. 1. Priuatio iustitiæ orig. est effectus peccati orig.; ergo eadem non est ipsum pec. orig.

2. Dein, ista priuatio est à Deo spoliante hominem: at à Deo peccatum formaliter esse nequit.

RESPONDEO. Iustitia orig. erat bipartita.

1. *Mentem Deo subijciebat*: Sic ipsa est Formale ipsum in pec. or.

2. *Carnem Spiritui subdebat*: Sic eadem est Materiale in pec. or. Iam *ratione Prioris*, Priuatio iustitiæ originalis est ipsum peccat. original. Est voluntaria, nam voluntariè Adam se auertit à Deo: Et sic non dicitur propriè tolli à Deo: sed ab ipso homine proiici & excludi. At *ratione posterioris* ea Priuatio iustitiæ orig. est Effectus peccati orig. seu Auersionis: Estque Inuoluntarius ac pœnalis omnibus: Et dicitur propriè tolli à Deo; quia iusta pœna à Deo est.

QVÆSTIO XXIV.

An POENA pecc. orig. sit decedentium absque Baptismo Damnatio?

I. ZVVINGLIVS *in declarat. de pec. orig.* fingit: Fidelium paruulos, præreptos baptismo, saluari, certum esse: Probabile, & Infidelium. Quod vniuersa natura humana sit à Christo reparata. Sic &, quoad Fidelium proles, CALVINVS, Martyr, Bucerus; & multi. Cum Vincentio quodam per S. Aug. lib. 1 de orig. animæ cap. 9. refutatum.

II. PELAGIANI, teste Aug. fingebant Excelsi quidem cœlis; at in terris naturali beatitate emactari. Sic & Catherinus & Pighius. &c. eos velut in terrestri paradiso beatos asserunt. Quorum & subiecta sunt argumenta.

SVADENT istis. 1. Propter Christum iustificantur: nam *& pro illis vltimo loco destruetur inimica mors; neque sub diaboli perpetuo potestate erunt: Quia & pro illis eiectus erit diabolus foras.*

2. Quia, Dan. 12. *Multi de his, qui dormiunt, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper.* Multi, quasi dicat, alij non euigilabunt: *Hi, qui erant, nisi pueri?*

3. S. Aug. serm. 14. de verbis Apostoli, assignare paruulis medium locum inter gehennam, & cœlum, hæresin esse Pelagianam: Et lib. ad Renatum ait, *eos secum ferre damnationem.*

4. Non conuenit quicquam suo fraudari fine, qui ei secundum naturam competat homini quâ homo conuenit quædam naturalis felicitas scilicet nosse Deum & substantias separatas, iuxta modum naturæ: ergo hæc debita pueris dabitur, forsan super terram, vt locum homini proprium, tunc purgatissimam. &c.

AVTOR. Decedentes sine baptismo infantes simpliciter sunt damnati, perpetuoque cœlesti & naturali beatitudine carebunt.

1. Sic Scriptura in *Antichristo p. 4. q. 14.*

2. Sic definierunt Concilia prisca & Trid. sess. 5. Sic sancierunt Papæ plures, vt S. Syricius, S. Leo, S. Gregorius. Sic docuerunt & Sancti Patres.

3. RATIO fauet. 1. Quia non baptizati sunt captiui Sathanæ: nam Col. 1. per Christum eripimur potestate tenebrarum: ergo talibus nulla est natu-

ra-

turalis beatitudo; vt qui naturaliter horrent ad Sathanam.

2. Quia Communis tenet, Locum non baptizatorum esse carcerem horridum.

3. Si vera sententia Catharini & Pighii foret, paruuli ij felicioris essent conditionis, quam si in puris naturalibus obiissent: egerentque solum baptismo vt à bono ad melius, non à malo ad bonum transirent: At hæc est hæresis Pelagiana.

Dico I. Hæc ratio militat contra S. Patres & Concilia; & stat etiam pro maioribus peccatoribus æquè ac paruulis. Quia Christus 1. Tim. 2. *dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*: Et 1. Ioan. 2. *est propitiatio pro peccatis totius mundi*: Verum ea non omnibus applicatur: Nec mors omnibus destruetur in resurrectione; nec omnes subesse diabolo desinent.

Ad II. Aug. 20. Ciu. c. 23. *Multi*, id est, ait, *omnes*; sic & Theod. Sic Rom. 5. *Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt Multi*: id est, *In quo Omnes peccauerunt*. Multi, id est Ioan. 5. *Omnes, qui in monu. sunt, procedent qui bona fecerunt, in. &c.*

AD III. Rectè: at non est locus medius damnatis; & quidem pœnâ damni, etsi non pœnâ sensus.

Ad IV. Deus omnia dirigit in suum finem, at iustè permittit quosdam excidere fine suo. Nec ea felicitas vel naturalis est, vel debetur naturæ; nisi reparatæ & expiatæ. Neque terra noua erit habitabilis; vtpote submergenda aquis. &c.

QVÆSTIO XXV.

An decedentium sine baptismo Pœna sit ignis sensibilis?

Sicut Calviniani & Zwingliani eos in cœlum euehunt: ita Lutherani eosdem deiiciunt in orcum. Extremis improba gaudent Liquet ex Luthero & Melanch. dum pec orig. cum actuali confundunt: Et Heshusius inter sexcentos errores Pontificiorum e iam refert, quod damnatos doceamus sine baptismo demortuos. Sentit cum iisdem Greg. Ariminen. & Driedo; sc. damnatos esse pœna & Damni, & sensus.

Svadent istis. 1. Matth. 3. *Paleas comburet igni inextinguibili*: tales inbaptizati: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur. &c.*

2. Matth 13. *Angeli separabunt malos de medio iustorum & mittent illos in caminum ignis*. Mat. 25. *Ite maledicti in ignem æter.*

3. Apoc. 20. *Beatus, qui habet partem in resur. prima: in his secunda mors non habet potestatem.*

4 *Omnes resurgent. &c. qui mala egerunt, in ignem æter.* ait Symbolum Athanasii.

5. Hic viui patiuntur pœnam sensus, famem, morbos. &c ergo & isthic punientur pœnâ sensus acriore. Vnde post resurrectionem habebunt corpora passibilia, non gloriosa: ergo semper patientur.

Avtor. Illa sententia non est apertè quidem reprobata ab Ecclesia; in scholis tamen reiicitur.

1. Quia Apoc. 18. *Quantum se glorificauit & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum*. At paruuli nil se glorificarũt; ergo nec tormentum promerentur. Nec, *Isa. vlt.* vermis conscientiæ in eis vixit; ergo nec ignis vret eos.

2. Innocentius III. l. 3. Decret. ait eos pœna damni teneri. Sic & S. Patres, vt Greg. Nazian. Ambr. Aug. qui ait: *Pœna quæ, qualis, quanta sit, definire non ausim*: Nec audebat de talibus pronunciare illud: *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

3. Ratio. Peccatum orig. tollit in homine solum Donum Supernaturale; non Naturale: ergo pœnam pec. o.

esse oportet priuationem Boni Supernaturalis, id est, carentiam visionis Dei, non pœnam sensus, quæ naturam lædat.

2. Ratio. Nemo punitur pœnâ positiua & sensibili ob culpam habitualem, sed ob actualem: atqui pec. orig. est culpa habitualis solum. ergo.

3. In Ecclesia nulli satisfactio imponitur pro pec. orig. ergo credibile, quod nec in altero sæculo pœna ei sensibilis reseruetur.

4. Peccato naturæ respondet pœna naturalis: at peccato personæ pœna sensus.

Dico Ad I. Area est Ecclesia; infantes non baptizati nondum sunt in area, ait *Aug. l. contra Donat. post Collat. c* 10. Sic & De adultis est sermo, qui possunt fructus facere.

AD II. Conclusio ea est parabolæ de sagena, id est, Ecclesia; in qua nō sunt inbaptizati.

Ad III. Istud solum de adultis dicitur: quia *iudicati sunt secundum opera ipsorum*. Quamquam & paruuli sint iudicandi, vt qui opus habeant alienæ voluntatis natiuum, pec. orig. *In ignem verò ibunt, qui mala egerunt* ipsi.

AD IV. dicitur idem. Deinde fames, sitis, &c. consequuntur ad naturam spoliatam iustitiâ orig. non infliguntur directè in pœnam: at gehenna est directa in pœnam actualis peccati.

QVÆSTIO XXVI.

An decedentium absque baptismo Pœna sit Dolor interior mentis?

Orthodoxorvm hic duplex opinio.

Prior Theologorum: Sine baptismo defunctos vacare interno, externoue dolore omni.

Docet istis. 1. Hoc, *Quantum se glorificauit*. &c. rectè probat, eos pœnam sensus non passuros: ergo nec animi dolorem passuros; qui subtilior est sensus.

2. *S. Aug. in Enchir. c.* 93. Dolor eorum mitissimus erit: at animi dolor de amissa gloria acerrimus erit.

3. Concors hic Doctorum est consensus, nil eos perpeti doloris.

4. Intelligunt se iusta Dei ordinatione carere beatitudine: ergo non dolent; sin', peruersæ forent voluntatis.

5. Singularis prouidentia Dei abstergeret eis dolorem amissi boni, per gaudium declinati mali.

Avtor. Altera S. Patrum & quorundam Theologorum sententia videtur probabilior: quod animi dolorem sentient de amissa gloria; deque carcere suo perpetuo: Sed mitissimū, vt qui verme careant; nec in delicijs fuerunt carnis actu; & securi sint à diris damnatorum. Ita S. Augustin. quatuor diuersis in locis: S. Fulgentius, Gregorius, Cyprianus.

Dico Ad I. Dolor sensus directè infligitur ob culpam propriam sensus: at Ani-

at Animi dolor consequitur naturaliter ad priuationem iustitiæ; sicut miseriæ in hac vita consequuntur ad p. or. non directè infliguntur.

Ad II. S. Augustinus comparat pœnam paruulorum cum pœnis damnatorum; sic mitissima dicitur: non pœnam damni in animo, cum pœna corporis.

Ad III. At S. Patrum Antiquitas stat contra Theologos hodiernos: Et S. Thomas & S. Bonauentura sunt interpretatu faciles.

Ad IV. Patiuntur patienter, non impatienter: sicut & animæ purgatoriæ patiuntur in sensu.

Ad V. Id non constat. Videtur, vt paruulos in hac vita sinit pati incommoda; sic & sinet isthic perpeti dolorem animi, sed mitem.

QVÆSTIO XXVII.

Qui Effectus, vel Pœnæ ex peccat. original. contrahuntur in hac vita?

I. Pelagiani, teste Aug negantes pec. orig., Concupiscentiam in bonis naturæ ponebant: Cætera vitæ incommoda esse naturalia asserebant. S. Augustinus tam eos oppugnauit acriter, quam expugnauit feliciter: damnauit Ecclesia perenniter.

Avtor. Concupiscentia carnis, qualis iam inest nobis, mala est, seu vitiosa; non bona.

1. Teste S. Scriptura in *Antichristo. p. 4. q. 14.*

2. Quia eget ea freno rationis, vti immoderata ex sese.

3. Ob eam concubitus etiam legitimus, vitat conspectum hominum; at ob bona erubescit nemo. Sic *August. 14. ciuit. c. 17.*

3. Malum est & contra rationem, vt inferiora superioribus aduersentur: at ob concupiscentiam id fit in homine, ergo.

4. Sic consensus S. Patrum docet, ipsique ethnici.

II. Miseriæ Humanæ cæteræ sunt quoque pœnæ pec. orig.

1. Ignorantia: Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus.*

2. Malitia voluntatis: Eccl. 7. *Fecit Deus hominem rectum; & ipse se infinitis miscuit quæstionibus.*

3. Concupiscentia partis inferioris. Ideo *Gen. 3.* erubuerunt an nuditatem suam.

4. Labor & dolor corporis. Gen. 3. *Insudore vultus tui vesceris pane tuo.*

5. Mors. Rom. 5. *Intrauit per peccatum mors.* Cap. 6. *Stipendium peccati mors.*

6. Ira Dei Psalm. 33. *Vultus Domini super facientes mala.* Rom. 1. *Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem:* at nascimur filii iræ.

7. Captiuitas sub diabolo. Nam 2. Pet. 2. *A quo quis superatus est, huius & seruus est.*

8. Crudelitas hominum in homines. Iacob. 4. Vnde *bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?*

9. Rebellio bestiarum. Nec enim hanc in paradiso futuram indicat familiare serpentis cum Eua colloquium. Et Genes. 2. Animantia omnia obedienter coram Adam comparuerunt.

10. Calamitas omnis à cœlo, terra, mari, casusque omnis: Istis enim cunctis vnum rerum Dominum Hominem Deus fecisset altiorem, quam vt vel adspirare ad eum potuissent; si in Dei charitate & subiectione stetisset.

III. LVTHERO-CALVINISTÆ prædictas miserias nil infitiantur quidem: Affingunt tamen tres alios, quos non agnoscimus.

VT 1. Amissionem Liberi Arbitrii.

2. Corruptionem naturæ tantam esse vt etiam iustificatus homo non possit non peccare.

3. Odisse Deum, Fugere iudicium Dei, Dubitare de promissis Dei, Desperare peccat. remissionem, & salutem: hæc esse volunt nunc ipsum pecc. orig. nunc fructus eiusdem.

AVTOR. At læsum, non extinctum, nouimus Liberum arbitrium.

2. Viribus naturæ Corruptæ præstare nil meritorium salutis; at Reparatæ, per gratiam possumus plurimum. Quæ duo infrà.

3. Prædicti motus non omnes sunt effectus peccati originalis, nisi remotè, vt omnia peccata: proximè enim ac immediatè sunt voluntatis nostræ.

Dein iidem inveniuntur in carentibus peccat. originali, vt in dæmonibus: & in multis habentibus pec. o. inueniuntur, vt in non baptizatis.

II. DE GRATIÆ REPARATIONE.

Huius partes sunt, Gratiæ, 1. Diuisio, 2. Communicatio, 3. Cum Liberi arbitrij Natura, 4. Ac Viribus in Naturalibus, 5. Moralibus, 6. Et supernaturalibus rebus.

I. DE GRATIÆ DIVISIONE ET DEFINITIONE.

Schema Diuisionis Gratiæ.



1. Gratia

1. *Gratia* est donum supernaturale, inhærens animæ; eamque ad Esse supernaturale euehens.

2. *Gratia Aeterna* est amor Dei, quo suos ab æterno dilexit & prædestinauit. Eph. 1.

3. *Gratia Temporaria* sunt beneficia Vocationis & Iustificationis, quæ ex gratia Æterna promanant vt illius effectus Nam, Rom. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit. &c.*

4. *Gratia Gratis data* est donum absque debito ad aliorum salutem datum: Estque multiplex. 1. *Cor.* 12.

5. *Gratia Gratumfaciens* seu Iustificans est donum absque debito ad propriam cuiusque salutem datum.

6. *Gra. Gratumf. Habitualis* seu *Permanens*, est donum gratuitum homini durabiliter datum.

7. *Actualis*, vel *Auxilij specialis*, est Motio Dei, qua homo adiuuatur ad operationes, naturam aliquo modo superantes; Idque vel simpliciter ex genere suo: vt actus fidei, spei. &c. Aut ratione status peccati, in quo debilitat° homo indiget auxilio: Aut ratione circumstantiæ accidentis, vt tentationis, aduersitatis. &c.

8. *Actualis Excitans* est Exterior vocatio, Prædicatio, Exempla, Miracula, Aduersa, Beneficia. &c. Aut potissimum est Interior Illuminatio mētis, Inspiratio voluntatis à Deo.

9. *Actualis Adiuuans* est, quæ cum voluntate *Elicit* actum internæ Cooperationis: quæ *Dirigit* ob intellectus ignorantiam & instabilitatem: quæ *Protegit* gratiæ semen contra hostes.

10. *Sufficiens* est, qua Deus dirigendo, protegendo, & cooperando paratus est iuuare, vt possit velle credere, conuerti, bonum operari; homo tamen reipsa non velit credere. &c.

11. *Efficax* est, qua Deus ita vocat hominem, vt infallibiliter reipsa velit, credat, bonum faciat.

12. *Efficax Operans*, Phil. 2. *Deus est, qui operatur in vobis Velle, & Perficere.* 1. Thes. 2. *Accepistis illud non vt verbum hominum; sed (sicut verè est) verbum Dei qui operatur in vobis, qui credidistis.*

13. *Efficax Cooperans*: vt Mar. 16. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante.* Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Gratiæ gratumfacientes pleræque, non re, sed ratione differunt.

QVÆSTIO XXVIII.

An gratia Gratumfaciens sit qualitas, per modum habitus in homine permanens?

Lvtheranvs Kemnitius in Exa. Trid. Hesshusius. &c negant, Ecclesiamque affirmantem arguunt.

Calvinvs in Antidoto sess. 6. c. 7. *Falsum esse contendo, vllam iustitiæ partem in qualitate sitam esse, vel habitu, qui in nobis resideat; Sed gratuita acceptione nos esse iustos.* Allusit eisdem Pighius, lectione Caluini seductus, statuentis Imputationem solam iustitiæ Christi.

Svadent. istis. 1. Quia S. Augustinus comparat lib. arbitrium iumento, gratiam sessori; quod gratia non sit habitus, quo vtimur; sed Spiritus sanctus qui nos regit.

2. S. Aug. refutat Pelagianos, quod dicerent, necessariam gratiam habitualem, per quam homines euehantur ad statum filiorum Dei.

Avtor. 1. Gratia est habitus infusus, qualitasque mentis permanēs.

Sic

Sic omnis Theologia: sic Ecclesia in Conciliis Viennensi, Trid. sess. 6. Hoc tamen noluit definire, habitus ne sit, an qualitas; esse tamen ait qualitatem per modum habitus permanentem in anima; sc. esse non solam remissionem peccatorum, sed & sanctificationem inhærentem.

1. Sic Scriptura docet in meo *Antichristo p. 4. q. 15.*

2. Ita Consensus S. Patrum, apud *Bellar. l. 1. c. 4.*

3. RATIO fauet. 1. Diligere Dei est velle bonum; & hoc est efficere bonũ: efficax enim est dilectio Dei: at iustos diligit; ergo est in eis quædam pulcritudo dilecta.

2. Qualis est forma, talia sunt & opera: homo autem conditus ad gloriam operari debet supernaturalia: quare & formam ei supernaturalem inesse necesse est: id est, 2. Pet. 1. *effici diuinæ consortes naturæ.* Ita S. Dionys. in Hierarch. p. 1 c. 2. Neque homo tum solum est iustus, cum iusta operatur; sed etiam cum cessat operari.

3. Baptismus iustificat etiam infantes, amentes. &c. qui rationis vsum non habent, & quibus actualis inesse iustitia nequit: ergo erit habitualis. Deinde baptismo regenerari est nouam formam accipere, vnde filii Dei nominamur & sumus. Demum Sacramenta, vt instrumenta gratiæ, efficiunt in suscipientibus gratiam, non actualem teste experientia; ergo habitualem.

II. Porrò habitus Gratiæ, & habitus Charitatis; an differant re & subiecto, sicut anima & eius Potentiæ: an verò sint idem re, & differant ratione: disputant Theologi salua fide. At charitatem esse virtutem seu gratiam creatam; & non ipsum Spiritum S. in persona; docet Ecclesia vniuersa, cum *S. Thom. 2. 2. q. 23. art. 2. Et in quæstionibus disputat. quæstio. de caritate art. 1.*

DICO AD I. S. Augustinus loquitur de gratia creata, & increata, id est, de Deo, qui per dona sua sedet in nobis. Sic, Ro. 8. *Qui spiritu Dei agũtur, hi sunt filij Dei.* Et Deus per habitus creatos & infusos habitat in nobis, Eph. 3. *Christus habitat per fidem in cordibus.* Rom. 5. *Charitas* Dei diffusa est. &c.

AD II. Pelagiani negabant in paruulis remitti pec. originale per baptismum; eos tamen adoptari in filios Dei concedebant: & illius, non huius ergo arguebat eos Augustinus. Gratiæ igitur necessitatem ad remissionem male negabant.

QVÆSTIO XXIX.

Sitne Gratia Sufficiens, quæ non sit tamen Efficax?

CALVINISTAE partitionem gratiæ, in Sufficientem & Efficacem, omnino repudiant. Quia volunt Motos à Deo debere necessariò bene agere: Non motos non posse bene operari: Sicque eis omnis Dei Motio est efficax; Sufficiens, nulla.

CALVINVS Inst. 2. c. 3. §. 10. *Volunt autem monet gratia, non, qualiter multis seculis traditum est, & creditum, vt nostra postea sit electionis, motioni aut contemperare, aut refragari; sed illam efficaciter efficiendo.* Lutherani communiter consentiunt.

II. PELAGIANI, teste *Aug. lib. 1. contra epist. Pelag. ca. vlt.* eandem repudiabant: Quia solum lib. arbitrium asserebant sufficiens ad salutem consequendam.

AVTOR.

AVTOR. Sufficiens omnibus est gratia; at Efficax non omnibus.

1. Teste S. Scriptura in meo *Antichristo p. 4. q. 16.*

2. Sic de vtraque docet S. Augustinus locis diuersis.

3. Sic Ratio persuadet. Quia si non detur gratia Sufficiens, tria sequentur incommoda.

1. Adamum non sua culpa lapsum, ait *Aug. l. de corrept. & grat. c. 9.*

2. Deus amicos suos desereret antè, quam deseratur ab eis; cùm non habeant gratiam sufficientem ad resistendum peccatis.

3. Nemo verè posset dicere, nõ se tãtum fecisse boni, quãtum potuit; quia iuxta sufficientem fecisset: at omnes sancti semper accusant se ignauiæ, quod non satis cooperentur gratiæ.

Demum negata gratiæ Efficacia tollitur fundamentum prædestinationis. *Prædestinatio enim*, ait S. Aug. l. de prædest. c. 10. *est gratiæ præparatio; gratia verò, ipsa donatio.*

QVÆSTIO XXX.

Qua in re sita sit gratiæ Efficacia?

LVTHERANI pariterque CALVINIANI tradunt

1. Non omnibus, sed paucis & solis prædestinatis Christum suam largiri gratiam; vtpotè pro solis iis mortuum.

2. Christum his paucis dare, non quamcunq; gratiam, sed tantum Actualem; nulli verò habitualem & sanctificantem.

3. Hanc Actualem tam parcè dari, vt nemini sufficiat ad seruandam Legem.

4. Hanc eo cum onere dari, vt accipientes illâ vti libere non possint, aut cum ea cooperari. Hæc summa, præsertim Caluiniana.

Hic igitur status quæstionis propriè est inter duo extrema: 1. Efficacia gratiæ sitne sita in voluntatis assensu cooperante gratiæ, sic vt in potestate humana sit sufficientem facere efficacem. 2. An verò sit Dei solius actio physica determinans voluntatem ad eligendum bonum, ei per Excitantem gratiam inspiratum: sicque fieri non possit, quin effectus infallibilis sequatur?

DE Posteriore, CALVINVS ita Inst. 2. c. 3. §. 10. *Voluntatem mouet, non*, &c. vt suprà quæst. 29. Hoc est, vt voluntas mota consentiat diuinæ motioni, sic necessariò, vt non possit non consentire: vel expressius: Vt mota voluntas nil agat consentiendo, sed se purè passiuè habeat; Deus verò agat omne solus, eãque necessitet. Ideo ait 7. *Non rectè à Chrysostomo scriptum est; Nec gratiam sine voluntate; nec voluntatem sine gratia, quicquam posse operari.* In quo vno insunt errores duo: 1. Voluntatem nil agere, nil cooperari gratiæ. 2. Non esse in potestate voluntatis, Consentire, aut Refragari.

SVADET Priusita. 1. *Deus*, 1. Cor. 9. *operatur omnia in omnibus.*

2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Phil. 1. *Deus operatur in nobis Velle & Perficere.* 2. Ro. 8. *Quicunque spiritu Dei AGVNTVR, ij sunt filij Dei.*

e 3. Iac. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est.*

Posteriusita. 4. Ezech. 36. *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Vt ergo non est in potestate lapidis verti in carnem; sed merè passiuè se habet: sic & voluntas.

5. Vtrumque sic suadent. Quia illustratio, inspiratio, suasio interna pertinent ad literã; non ad gratiam aut spiritum. Quod enim facit Concio externa; id & suasio interna.

6. Si Efficax gratia est, ita vocari vt aptum est vocato, ne spernat vocantem: Sufficiens est ita vocari, sicut vocato non est aptum, ne

spernat vocantem: At hoc absurdum est, Deum sic vocare, sicut aptum non est vocato.

7. Scholastici videntur Efficaciam gratiæ non tam in ipsa Gratia, quam in voluntate humana ponere.

AVTOR. I. Efficacia gratiæ non est sita in Voluntate humana, sufficienti gratiæ consensum dante. Neque est in potestate hominis positum, vt ex sufficiente faciat Efficacem, quando voluerit.

1. Quia S. Scriptura reclamat, in *Antichristo p. 4. q. 16.*

2. Quia ea opinio euertit fundamentum Prædestinationis diuinæ, vt à qua sola pendere Efficaciam doceat Scriptura. Nam ait S. Aug. lib. de correpт. & grat. c. 7. ex Rom. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit*: quomodo? *Omnia cooperantur in bonum his, qui SECVNDVM PROPOSITVM Vocati sunt Sancti*: non secundum Voluntatem Vocati: Alioquin hæc nullũ locum relinqueret Prædestinationi; sed tantũ Præscientiæ: Nec verè diceretur, Rom. 9. *Vt secundum Electionem Propositum Dei maneret: Non ex operibus*, volentis hominis Vocati; *sed ex Vocante dictum est ei. &c.*

3. Quia illa opinio abhorret ab sẽtentia S. Augustini: qui docet, *lib. de prædest. c. 8.* Efficacem gratiam à nullo duro corde respui; quia cor emollit. *Et l. de spir. & lit. c. 34.* Cur Deus vni suadet, vt persuadeat, alteri non: Causam refert in *Altitudinem diuitiarum sapientiæ Dei.*

4. Quia sicut error Lutherocaluinistarum destruit gratiam Sufficientem, & tollit Liberum arbitrium: ita illa opinio destruit & gratiam Efficacem, & Prædestinationem.

II. Gratiæ Actualis duplex est officium: Prius, Præuenire, excitare, præparare voluntatem nostram ad consensum: Posterius, voluntatem iam præparatam adiuuare, & cum ea cooperando elicere consensum. *Probatur ex* S. Augustino quadrifariam.

1. *Ex ijs Locis*, quibus docet Efficacem gratiam consistere in vocatione, illustratione interna, seu persuasione; proinde physicam Dei actionem esse potius gratiæ Excitantis, quam Adiuuantis.

2. *Ex ijs*, vbi dicit Efficacem gratiã esse Præuenientem tum suapte natura, tum & tempore sic, vt sine nobis operetur: Ergo esse nequit determinãs necessitansq; voluntatem nostrã. Vnde S. Aug. epist. 107. *Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici, Comitante, non Ducente, pedissequa, non præuia Voluntate* Quam S. Augustini sententiam Caluinus audacter reiecit, Inst. 2. c. 3. §. 7.

3. *Ex ijs*, quibus probat gratiam sufficientem, quæ simul non sit Efficax.

4. *Ex ijs*, quibus ostendit, vnde fiat, quod sit Efficax, licet non determinet physicè voluntatem, sed moraliter solum, per modum suasionis.

2. *Probatur* argumentis quatuor præmissam sententiam refutantibus: quæ simul & Caluinianam refutant, & nostram Sancti Augustini confirmant.

III. Voluntatem Nihil omnino agere; hæreticum est.

1. Quia contrarium S. Scripturæ, in meo *Antichristo p. 4. q. 16.*

2. Quia si Deus adiuuat; sanè & nos aliquid agimus. Vnde S. Aug. ser. 13: de

de verb. Apost. *Nomen Adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis.* Idem tract. 72. in Ioan. *Operanti in se Christo cooperatur homo salutem aternam, & iustificationem suam.* Idem in Ench. c. 31. *Hominis voluntatem Deus præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* S. Bern. l. de grat. & lib. arb. *Conatus nostri cassi sunt, si non adiuuantur; & nulli, si non excitantur.*

IV. Dicere, Non esse in potestate hominis, Consentire, vel Refragari gratiæ; hæreticum est.

1. Quia contradicit S. Scripturæ: Vide in Antichristo.

2. Reclamant S. Patres. S. Aug. lib. de Sp. & lit. c. 34. *Consentire vocationi Dei, vel ab ea Dissentire, propriæ voluntatis est.* Idem in titulum Psal. 71 *Non erat in potestate tua, vt non nascereris ex Adam; Est in potestate tua, vt credas in Christum.*

3. Ratio euincit. Scriptura dicit, alios diuinæ voluntati Consentire; vt Matthæus in telonio, Paulus in itinere, Zachæus in arbore, Latro in cruce: Alios Dissentire; vt Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Prou. 1. *Vocaui, & renuistis.* Vtrique fecerunt id Vel liberè; ergo Consentientes sunt vituperandi, & Dissentientes laudandi: Vel Deus cogit Dissentire per gratiam eosdem, queis dedit eam. Quod absurdum vtrumque.

Dico ad I. Agitur ibi de gratiis gratis datis, non de iustificante gratia. 2. Cor. 3. & Phil. 1. dicitur quod omnia possimus in eo, qui nos confortat; & sine eo nihil possimus: non tamen necessitamur à gratia; id est, ait Aug. l. de grat. & lib. arb. c. 9. *Non ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est.* Et. ca. 17. *Vt velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur.*

Ad II. Aug. serm. 13. de verb. Dom. Dicet quis: *Ergo agimur; nõ agimus. Resp. Imò & agis, & ageris. Et tunc benè agis, si à bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor est.*

Ad III. Ita; sunt bona omnia à Deo: nec inde tamen sequitur, nos ijs nõ cooperari. Quin ideo dãtur à Deo, vt ijs cooperemur, vt talentis ad lucrum; 2. Cor. 6. *Hortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

Ad IV. Voluntas est res media, quæ successiuè esse nunc lapidea, nũc carnea potest; neutrum tamen sine ipsius libera cooperatione. Hinc Ezech. 31. Proiicite à vobis iniquitates vestras, id est cor lapideum; *& facite vobis cor nouum*, carneum. Idque tum, cum ego *Dabo vobis cor carneum.*

Ad V. Disparitas magna est: nam Concio solum tangit aures corporis, non infundit lumen menti; non adspirat affectum cordi: at suasio interna Dei ad cor hæc omnia præstat, & adiuuat voluntatem ei cooperans physicè.

Ad VI. Certum est, vocari multos, vt eis non est aptum vocari, ne spernant vocantem; & tum vocari quando eos non secuturos videt Deus; & contrà, vocari, cum præuidet eos secuturos: vt *Matt.* 11. Tyrii & Sidonij. Nec tamen præscientia Dei est causa obdurationis: nec absurdum est facere Deum iustè, quod vult: licet causa nobis sit occulta.

Ad VII. Liquet iam suprà.

II. DE COMMVNICATIONE GRATIÆ.

QVÆSTIO XXXI.

An SVFFICIENS Auxilium detur omnibus ad salutem?

LVTHERVS *in assert. art.* 36. CALVINVS *Inst.* 3. c. 22. §. 10. & c. 24. §. 12. 16. Negant Dari Reprobis ab æterno; sed solis prædestinatis. Contrarium Pelagiani: Posse omnes voluerunt solis lib. arbitrij viribus, absque gratia præueniente consequi Sufficiens auxilium ad salutem.

I. SVADENT Pelagiani istis. 1. Quia Sap. 6. *Æqualiter est illi cura de omnibus.*

2. Ioan. 1. *Lux vera illuminat omnem hominem. &c. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

3. Luc. 2. *Omnis, qui petit, accipit: Et dabit Sp. bonum petentibus se.*

4. Matt. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis. &c.*

AVTOR. I. Deus suâ gratiâ præuenit omnem auxilij inuocationem.

II. Nec tamen auxilium gratiæ adest æqualiter cunctis.

1. Teste S. Scriptura in Antichristo p. 4. q. 17.

2. Sic definitio Conc. Arausicani can. 3. 4.

3. Sic ratio. Quia si æqualiter adest omnibus Deus; quomodo permisit olim omne ingredi vias suas, *Act.* 14. & nunc annunciat pœnitentiam? Cur Paulus spirãs minas conuersus est; relictiq; meliores? Cur optimi viri proles sine baptismo decedit, & adulteri filius baptizatur?

4. Ita Sanctorum Patrum consensus.

DICO AD I. Sensus est: Dei prouidẽtia nulli rei deest: etsi non *æqualiter* gratia adsit singulis: cum diuersæ donationes sint gratiarum.

AD II. Christus quoad se illuminationem offert omnibus, quoad homines, multi lumen non recipiunt: Expectat tamen Deus, vt recipiatur cum fide.

AD III. Aug. l. 4. in Iulianum, c. 8. ait Spiritus bonus non potest peti nisi ex sp. bon. Rom. 10. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Itaque Iac. 1. *Postulet in fide.*

AD IV. Vocat omnes vt veniant; non ait tamen solis naturæ viribus eos venire posse. Nam, Ioan. 6. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum.*

II. SVADENT LVTHERO-CALVINISTÆ istis suum Commentum.

1. Quia Scriptura dicit homines à Deo indurari, excœcari: *Exod.* 9. *Isa.* 6. *Matt.* 13. *Rom.* 1. *&c.*

2. *Act.* 14. 17. Deus dimisit omnes gentes ingredi vias suas despiciens tempora illa ignorantiæ.

3. Rom. 10. *Quomodo credent sine prædicante?* At innumeri caruerunt tali.

4. Pater non trahit omnes, vt ad Filium venire possint. &c. plura ex Aug.

AVTOR. I. Detur auxilium sufficiens omnibus aut aliquibus; de nullo tamen, dum spirat, desperandũ est: & nulla in Deo inesse iniustitia potest. Sa. 12. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti?* Ioel. 2. *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem.*

II. Sufficientia gratiæ datur omnibus pro loco, tempore, modo: etsi non

semper

semper, & vbique. 1. Sic Scriptura. Sap. 12. *Debitos mortis cum tanta cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia.* Matt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis. &c.* Sap. 11. *Parcis omnibus quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.* Ezech. 33. Viuo ego; *Nolo mortem impij; sed vt conuertatur.* 1. Tim. 4. *Qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium.* 1. Cor. 15. *Pro omnibus mortuus est Christus.* 1. Tim. 2. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Plura in Antichristo p. 4. q. 17. 2. Sic & S. Patrum Consensus, perpetuaque doctrinæ successio.

III. Auxilium sufficiens ad resurgendum à peccato non adest omnibus omni tempore; etsi enim semper conuerti possit, nō potest tamen eam potentiam in actum reducere semper.

1. Eccl. 7. *Considera opera Dei, quod nemo potest corrigere, quem ille despexerit.* Ioan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias; Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum*: Hoc stante, non poterant. Ideo 2. Tim. 2. *Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis.* Itaque donum pœnitentiæ non semper adest.

2. Idem docent S. Patres, & Ratio. Quia nemo potest conuerti sine gratia præueniente: at hæc non semper adest, aut non auditur, & spernitur. Nimirum ita status est viatorum, vt non omnia possimus omnes omni tempore.

IV. Sufficiens auxilium ad deuitāda peccata omnibus semper adest, mediatè, vel immediatè.

1. Quia Scriptura iubet nos orare ne intremus intentationem, *Mat. 6.* Quare Eccl. 15. *Non dicas per Deum abest.* Quippe, Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel.*

2. Sic & S. Patres; & Ratio; Quia nulli sunt, licet excæcati, qui non propriè peccent, dum deliberatè legem transeūt: at nemo peccat in eo, quod vitare non potest: ergo nulli sunt, etsi excæcati, qui non possint legem Dei non transgredi: Ignorantia tamen Antecedens excusat à peccato; Concomitans, non quia illa efficit inuoluntarium; non hæc. vt si quis occidisset hominem, putans esse feram, non peccasset. Sic est res cum Impotentia se conuertendi Antecedente, & Concomitante: illa excusat; hæc non. Vide *Bell. l. 2. c. 7.*

Dico Ad I. Durante excæcatione conuerti nequeunt: quin tamen aliquando eos stimulet Deus negari non debet.

Ad II. Præteritis non defuit gratia; sed non tam copiosa adfuit tunc, vti nunc.

Ad III. Docet id, aliquando deesse conuertendi se auxilium; sed non semper.

Ad IV. Pater trahit omnes; Sed non semper & vbique. Nec venit ad filium omnis, qui tractus audit; sed *qui audit, & discit*, Ioan. 6. Deinde certius:

Est ibi mentio de gratia efficaci. &c.

QVÆSTIO XXXII.

An Prædestinarit DEVS aliquos ad vitam sine merito ipsorum?

CALVINISTÆ quæ de Efficacia gratiæ fingant, huc repete ex quæst. 30. Istis consectaria sequuntur isthæc: CALVINVS Inst. 3. c. 21. §. 5. *Prædestinationem vocamus æternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de vnoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes, sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur.* Ibidem §. 7. *Hoc Consilium Dei, quoad Electos, in gratuita eius Misericordia fundatum esse asserimus, nullo humanæ dignitatis respectu. Quos verò damnationi addicit, his iusto quidem & irreprehensibili; sed incomprehensibili ipsius iudicio, vitæ aditum præcludi.* Idem c. 22. §. 3. *Vbicunque hoc regnat Dei placitum, nulla in considerationem veniunt opera.* Ibid. §. 11. *Si non possumus rationem assignare, cur suos misericordiâ dignetur, nisi quoniam illi ita placet: Neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam eius voluntatem.* Idem c. 23. §. 1. *Minimè consentaneum est, præparationem ad interitum alio transferre, quam ad arcanum consilium Dei.* Hæc Caluinus.

In quibus duo: Prędestinatio Electorum, & Reprobatio damnandorum. Sed vtriusque *duplex* est *sensus: Prior verus.* Ante præuisum pec. orig. Deum ex toto genere humano, adhuc incorrupto, hos ad vitam, alios ad mortem elegisse. *Posterior hæreticus.* Deum post præuisum pec. orig. corrupto iam humano genere, hos ex misericordia elegisse ad gloriam: alios in massa perditionis reliquisse in vasa contumeliæ, sine ipsorum actuali culpa; non tamen sine orig. culpa.

AVTOR. Etsi gratia Sufficiens omnibus detur; diuinæ tamen prædestinationis nulla omnino causa ex parte nostra dari potest: sed tota & omnis in solam Dei Voluntatem est referenda.

1. Teste S. Scriptura quæ docet quinque.

1. Esse Electos.

2. Ad Dei regnum.

3. Eos infallibiliter saluari.

4. Ex mera Dei Misericordia.

5. Idque gratis, absque vlla operum bonorum præuisione. Vide *Antichristum p. 4. q. 18.*

Et eatenus consentiunt nobiscum aduersarii; Sed inconstanter, vt protinus ostendam.

2. Docetur veritas ex Traditione Ecclesiæ; sic definiente Celestino Papa: deinde Conc. Arausicano: Et antè sic docente S. Patrum consensu, *S. Aug. S. Prospero, Petro Diac. S. Fulgentio. &c.* Qui docent, vsum boni liberi arbitrij, quatenus ad salutem ordinatur, procedere ex gratia: quæ causa tota prædestinationis, promanat à Deo solo.

3. Ratio euincit. 1. Quia nemo potest saluari sine fide: sed fides est donum Dei; nec datur omnibus, sed quibus vult Deus, *Phil.* 1. Vnde oratur pro infidelium conuersione. Et Pelagianismus est, saluari ex vsu boni liberi arbitrii.

2. Quia sine Perseuerantia nemo saluari potest: at ea donum est Dei, quod ex grat a, non ex meritis datur. Licet enim iusti perseuerare possint, si velint: vellε totum tamen hoc ex gratia est, ideo soli perseuerant, qui id ex dono acceperunt. Quia Rom. 9. *Non est volentis, nec currentis; sed miserentis Dei.*

3. Quia volitio finis prior est, quam mediorum: sed gratia & bona opera nostra sunt Media: ergo prius voluit

Deus

Deus iis dare gloriam, quam vellet & ordinaret Media: ergo hæc non causa voliti finis.

Dico nunc igitur Ad Priorem sensum Caluini, non quidem esse hæreticum; asseri tamen ab eo inconstanter.

1. *Quia* si electio facta est ante præuisionem pec.or., ergo & ante decretam Christi Incarnationem. Quomodo igitur Electio potuit esse facta in Christo, inque eius meritis fundari? vt fatetur Caluinus *Inst.* 3. *c.* 24. §. 5. nos in Christo electos esse. At *Inst.* 2 *c.* 12. §. 4. docet, Christum non venturũ fuisse in carne, nisi peccasset Adam. Vnde sequitur, prius præuisum fuisse pec.orig, quam decretam Christi Incarnationem: & ante hanc, præisse Electionem.

2. Quia Electionem factam ait ante præuisionem omniũ operũ: Et tamen asserit; Infantes, sine baptismo decedentes, saluari in fide parentum. Ergo Deus in Electione paruulorum habuit aliquem respectum ad Fidem parentum. Itaque Caluinistæ sic ipsi se iugulant sua contradictione.

De Pelagianis, causam prædestinationis constituentibus in vsu bono liberi arbitrij, bonisque operibus: vide *in Genealog. p.* 4. *q.* 10.

QVÆSTIO XXXIII.

An detur causa REPROBATIONIS ex parte Reproborum?

Calvinvs Locis suprà citatis, & Caluinistæ cæteri in causa prædestinationis, ad solam Dei Eudokiam referenda, nobiscum aduersus Pelagianos consentiunt: Nisi quod in asserenda veritate secum ipsis pugnent: In caussa item *Reprobationis Negatiuæ*, quæ est voluntas Dei Non saluandi reprobos, conueniunt nobiscum: Itemque in causa *Reprobationis Positiuæ*, quæ est voluntas Dei damnandi reprobos, ob præuisum peccatum originale vel actuale: à nobis Dissentiunt: Voluntque *Deum æterno & immutabili Decreto quosdam ad mortem destinasse sine Respectu aut Præuisione peccati orig. aut Actualis*; sed pro solo suo beneplacito.

Svadet *Scharpius in cursu Theologico* quindenis argutatiunculis: & nostra refutare sibi videtur argumenta. Sed quibus vtrisque omnibus vna sufficit securis.

2. Aries eorũ ac neruus omnis roboris est iste: Ex parte reprobi non datur causa primi effectus reprobationis: ergo nec totius reprobationis. *Antecedens:* Quia primus effectus est illa prima permissio, qua Deus permisit Adamum labi in peccatum primum, quo tota natura est infecta: Sed illius permissionis nulla est causa ex parte reprobi; quia est ante omne peccatum. Ergo nullum peccatum est causa reprobationis. *Confirmatur.* Quia Prædestinatio & Reprobatio opponuntur: sed nulla est causa, ex hominis parte, illius: ergo nec huius.

Avtor. Velut contra Pelagianos defendimus cum Caluinistis Prædestinationem: ita & Reprobationẽ, aduersus Caluinianos: Quippe, qui; cum homines ante præuisionem peccati, ad peccatum & damnationem prædestinatos pertẽdunt; directè cum Dei iustitia pugnant; inque Deum, vt Autorem, flagitia omnia refundunt.

Nota verò in Reprobatione duos inesse actus.

1. *Negatiuum*, quo Deus noluit dare gloriam aliquibus.

2. *Positiuum*; quo Deus voluit aliquos

quos ob eorum peccata damnatos. Sicque est Diuinum Decretum Reprobationis Negatiuæ: & Decretum Damnationis, seu Reprobationis positiuæ.

I. Reprobationis Negatiuæ nulla est causa ex parte hominis; sed sola Dei voluntas.

1. Teste S. Scriptura in *Antichristo p. 4. q. 19.*

2. Ita S. Aug. epist. 105. *Cur illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest iudiciorm eius tam magnum Profundum; veruntamen caueat præceptium.* Vtriusque causam ait lib. de corrept. & grat. ca. 8. & 13. esse referendam inter occulta iudicia Dei.

3. RATIO. Quia hoc ipso quod quis non prædestinatur, reprobatus intelligitur negatiua reprobatione: At prædestinatio facta est ante præuisionem operum: ergo & Reprobatio negatiua, similiterque neutra causam habet ex parte hominis.

II. Reprobationis Positiuæ, qua Deus vult ad pœnas Damnare, causa est ex parte hominum, sc. peccata ipsorum præuisa.

1. Teste Scriptura in *Antichristo quæst. 19.*

2. Sic S. Aug. l. 3. in Iulian. c. 18. *Deus potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est: Non potest sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Idem epist. 106. *Hæc Massa si esset ita media, vt quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur; nõ frustra videretur iniquitas, vt ex ea fierent vasa in contumeliam: Cum verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem vniuersa defluxerit; procul dubio quod ex ea fiunt vasa in honorem, non ipsius iustitiæ, quam gratia nulla præcessit sed Dei misericordiæ: quod verò in contumeliam, non Iniquitati Dei, (quæ absit, vt sit apud Deum) sed iudicio deputandum est.*

3. Ratio fauet. 1. Quia condemnare aliquem sine causa, est punire sine culpa; quod iniustum est; & Deo, vt iustissimo, conuenire nequit: Nam ait S. Au. l. de grat. & lib. ar. c. 23. *Deus reddit mala pro malis, quia iustus est: bona pro malis, quia bonus est: bona pro bonis, quia bonus & iustus est: Solum non reddit mala pro bonis, quia iniustus non est.*

2. Quia reprobatio præsupponit prædestinationem Christi: sed hæc præsupponit præuisum peccatum: ergo & reprobatio præsupponit peccatum.

Maior: Quia omnis effectus reprobationis ordinatur ad gloriam Christi, qui constitutus est Iudex omnium.

Minor. Qui Christus dicitur à D. Thoma prædestinatus, vt esset Redemptor, ac destrueret peccatum. Atqui hæc præsupponunt peccatores præuisos. Ergo.

3. Quia Reprobatio est actus iustitiæ vindicatiuæ: ergo præsupponit peccatum.

4. Quia Deus nunquam reprobat bonũ, sed malum; ergo prius est malus, quam reprobatus: atqui ante peccatum sunt omnia bona. Ergo.

DICO AD I. Pleræque Scharpij euasiones colliduntur ad scopulum hunc Distinctionis; qua & Prædestinatio, & Reprobatio fit vtraque duplex.

1. *Prædestinatio in se*, siue via intentionis diuinæ, causam habet omnem in Deo;

in Deo; nullam in nobis: At *Prædestinatio respectu Effectus sui*, seu in via *Executionis*, habet aliquam in Prædestinato causam, sc. bona opera, quæ sunt fructus gratiæ Efficacis.

2. *Reprobatio Negatiua*, in se cõsiderata, seu simplicis nolitionis diuinæ causam habet in Deo voluntatem eius antecedenter; & respectiuè massæ materiam in se suaque natura corruptibilem: *Reprobatio Damnationis* vero seu *Positiua* causam habet peccatum orig. aut actuale præuisum.

Ad II. Permissio Dei prima non est effectus reprobationis.

1. Quia Deus permittit vt etiam prædestinati peccent.

2. Quia de facto permisit, vt omnes in Adam peccarent; nec tamen omnes ideo voluit reprobatos.

3. Illa permissio Non est reprobationis effectus Vltimus; quia punitio vindicatiuæ iustitiæ posterior est permissione: Nec est primus; quia hęc per se ordinaretur ad finem Reprobationis, scil. ad puniendos homines; quod à Dei bonitate alienum.

Ad Confirmationem. Disparitas est: Quia omnia bona in prædestinato sunt Dei; at mala in reprobo sunt huius, non Dei.

Deinde causa prædestinationis est Dei misericordia: reprobationis verò peccatum, vt possibile viribus naturæ solis.

QVÆSTIO XXXIV.

Cur; cùm eo fine creati simus, vt saluaremur omnes; aliqui ab hoc fine excidant?

Calvinistae, vt docuimus, omnem & solam causam referunt in vnam Dei voluntatem, ab æterno statutam, etiam sine præuisione vllius culpæ. Et quidem pauculi sunt eis prædestinati: Et circa hos solos suam exercet, aiunt, misericordiam Deus; iustitiam contra reprobos indictâ causâ eos damnans morti, ad peccatum incitans, quo puniendi habeat occasionem. Sic verò crudelem faciunt Deum contra insontes.

Svadent istis. 1. *Cum nondum nati fuissent, &c. Esau odio habui:* Rom. 8.

2. Ibid. *Non est volentis, neque currentis; sed miserentis Dei.*

3. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.*

4. *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam.* &c. Ergo reprobationis causa est sola Dei voluntas, non reprobati culpa.

Avtor. Deus ex se, suaque bonitate creauit hominem, genusque humanum eo fine, vt omnes salui fierent: hucque media naturæ & gratiæ dedit necessaria. Quod autem excidimus omnes, & multi reprobentur; id accidit vitio hominum, non Dei ordinatione. Ita S. Patres Chrys. Dama. D. Thomas. Vnde duplex fit *Dei voluntas. Primaria seu Antecedens* opera nostra: *Secundaria seu Consequens* opera nostra: illa est ex Deo, hæc ex nobis occasionem sumit. Illa est bonitatis, & vult omnes saluos fieri; hæc est iustitiæ. Vnde Tert. l. de resur. *Deus de suo Optimus; de nostro Iustus est.*

Docetur tribus. I. Gen. 1. *Creauit*

Deus hominem ad imaginem, quoad dona naturæ, *& similitudinem suam*, quoad dona gratiæ; eo fine, vt saluaretur: parque sors futura totius erat posteritatis. Nullus igitur ante lapsum ad interitum erat à Deo destinatus. Illud fatetur Caluinus Inst. 1. c. 15. §. 4. *Sub imagine, ad quam homo conditus est, comprehenditur quicquid ad æternam vitam spectat.* Sic & alubi sæpius. Si ergo Deus homines condidit ad vitam æternam; vt vere ait Caluinus; quomodo quosdam ad damnationem Voluntate Dei Antecedente destinatos contendit? Deinde ita iubemur, Eph. 4. *Renouamini Spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est*, sc. ad imaginem ac similit. primogeniam: at ita per Christum renouamur. Sic & Colos. 3. *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum.* Ergo ante lapsum Adæ omnes erant iusti: nullus reprobus.

II. Adam in persona totius posteritatis potuit seruare præceptum Dei; alioquin mortem intentantis, *Gen.* 2. & potuit idem transgredi. Ergo sicut liberè transgrediendo traxit omnes posteros in mortem; sic liberè obtemperando se & posteros à morte vendicasset. Non igitur Deus prohibitu suo destinauit homines ad mortem: Quia Sa. 1. *Deus mortem non fecit.* Quin Sap. 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem: inuidia autem diaboli mors intrauit.* Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Et sic, 1. Cor. 15. *In Adam omnes moriuntur.* Adde, quod ipse fatetur Caluinus Inst. 2. c. 1. §. 10. *A carnis nostræ culpa: non à Deo nostræ carnis perditio est: Quando non alia ratione perimus, nisi quia degenerauimus à prima nostra conditione.* Ib. *Homini TANTVM suum exitium adscribendum apparet; cum Dei benignitate rectitudinem adeptus sua ipse dementia in vanitatem delapsus est.* Itaque rursus hisce contradicit sibi Caluinus asserens: aliquos ad damnationem esse destinatos ex sola Dei voluntate, sine præuisione peccati.

III. Quia Deus decreuit magis suam Misericordiam circa nos declarare, quam Iustitiam. Nam, Ps. 24. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Ps. 144. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Quare hoc qui negat, vti Caluinus, est impius. Hocque amplius, quod Dominus nos hortatur, *Luc.* 6. vt misericordes simus etiam erga inimicos: tum quia isto superamus gentilium benignitatem: tum quia sic filij Dei sumus, qui iustis iniustisque benignè facit. Quo minus credendum est sine præuisis peccatis quosdam reprobasse. Planè nostra sententia spem suscitat peccatoribus; Caluinus cunctis obiicit desperationem, Deique tyrannidem.

Manet igitur istud: In decedentibus absque baptismo paruulis reprobationis causa est pec. orig.: in Adultis baptizatis, pec. actuale finale: in Infidelibus pec. or. & actuale.

DICO AD obiectas Autoritates.

1. Eæ loquuntur de homine corrupto per pec. orig. iuxta S. Patres, non de reprobatione ante præuisum peccatum, vt Caluinus fingit.

2. Agunt de reprobatione à gratia: at Cal-

at Caluinus infert reprobationem à gloria ante præuisum peccatum. Cur igitur hic reprobatur, non ille? Quia impius est & peccator. 1. Cor. 11. *Propter incredulitatem.* Aug. l. 1. ad Simplicianum. c. 9. *Deus non odit Esau hominem; sed odit Esau peccatorem.* Idem epist. 105. *Quibus Deus misericordiam non impertitur*, vt non impertiatur, merentur. Ergo Mat. 25. Ite maledicti: &c. esuriui enim, & non. &c.

QVÆSTIO XXXV.

An decretum Dei tollat arbitrij libertatem, vt inuitabili necessitate, hi saluentur, illi pereant?

LVTHERVS in Assert. art 36. ait: *Liberum arbitrium est figmentum in rebus; seu titulus sine re. Quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni; sed omnia sub Deo sunt contra quem nihil possumus. Vnde Poeta: Certa stant omnia lege.*

SVADET isto. Isa. 41. *Bene, aut Male, si potestis facite.*

AVTOR. De isto hic strictim; infrà de plano & pleno.

I. Vsus liberi arbitrii in moralibus pendet ab naturæ viribus: Teste experientia. At in supernaturalibus pẽdet à gratia: Quam vt habeamus non est in nostra potestate: Est tamen hoc, vt donatâ rectè vtamur cooperantes eidem.

DICO AD Isaiam, hunc ibi loqui de idolis gentium; nòn de hominibus.

CALVINVS affirmat *Inst. 3. cap. 21. §. 7. 2.* Item c. 23. §. 8. *Obtinere volunt, permittente modo, non autem Volente Deo, perire impios.* 3. Ibid. *Non dubito abo cum Augustino simpliciter fateri, Voluntatem Dei esse, rerum Necessitatem; atque id necessarium futurum esse, quod ille noluerit.*

SVADET igitur ista Caluinus istis. 1. Quia Nil fit permittente, sed omnia Volente Deo fiunt.

2. Voluntas Dei est necessitas rerum.

3. Idque teste S. Augustino.

4. Extinctum, aut labefactatum est lib. arbitrium orig. peccato.

5. Quia vt lapsus in latrones, spoliatus est vestibus gratiæ, & vulneratus est in carne: sic & lib. arb. est exutum gratia, & semiuiuum in naturę donis. Vnde laborat ab Ignorantię, Malitiæ, Infirmitatis, & Concupiscentiæ vulneribus.

6. Præscientia Dei est infallibilis: ergo quicquid futurum præscit Deus, id infallibiliter futurum est: At præscit omnia quæ facturi sumus: ergo infallibiliter sunt futura; fientque necessariò.

AVTOR. Cum homo in statu innocentiæ cum lib. arbitrio sit creatus; ipso teste Caluino *Inst. 1. c. 18. §. 8.* idque Caluinus amissum velit: age quo Modo amissum erit?

1. Per pec. originale?

2. Actuale?

3. Gratiam Dei?

4. Præscientiam Dei?

5. Voluntatem Dei?

6. Prouidentiam & Prædestinationem Dei?

At horum nullo modorum.

I. NON per Pec. Orig. 1. Ita Conc. Trid. sess. 6. can. 5. ex Scripturis: Vide *Antichristum p. 4. q. 20. Num. 30. In arbitrio viri erit, siue faciat, siue non faciat.* Hoc & similia dicuntur de homine post lapsum; ergo habet lib. ar. & non amisit per pec. orig.

2. Experientia docet omnes homines esse liberi arbitrij in omnibus humanis actionibus.

II. NON per Pec. Actualia: Quia, tametsi peccator nequeat agere opera meritoria, & supernaturalia sine

Dei gratia; potest tamen moralia & naturalia. Testes in Scriptura omnes insigniti peccatores à Cayn vsque ad Hominem peccati.

2. Ratiocinatio S. Augustini lib. de vera relig. c. 14. est euidens: *Vsque adeo peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium.* Et infrà *Et quoniam peccari dubium non est; nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium.*

III. Non per Gratiam tollitur lib. arb., sed confirmatur.

1. Quia non per Præuenientem; cui, ait *Trid. sess. 6. c. 5.* homo liberè assentitur, & cooperatur, ita vt possit dissentire. Hinc tam sedulò nos Scripturæ monent conuerti, audire, obedire, sequi, adduntque minas, & increpationes.

2. Non per Gratiam Adiuuantem. Quia concursus Dei ad naturalia non tollit libertatem arbitrij; ergo nec gratia Adiuuans, quæ est concursus Dei ad supernaturalia.

3. Nec per Iustificantem gratiam; quia hæc perficit naturam, non destruit. Nec obstat istud Ioan. 6. *Nemo venit ad Me, nisi pater meus traxerit eum.* Quia tractio Dei inuitat amore, affectuq; voluntario; non necessitat: ait *Aug. tract. 26. in Ioan.*

IV. Non per Præscientiã Dei tollitur aut impeditur libertas Arbitrij. Quia cum illa sit duplex, Conditionata & Absoluta; neutra derogat libertati arb.

1. *Conditionata* antecedit liberũ decretum Voluntatis diuinæ quâ præcognoscit Deus, quid liberum arbitrium hominis aut Angeli facturum esset, ex hypothesi, si sic & sic in rerum ordine poneretur; Vt iniustos acturos pœnitentiam, si hęc ei prædicaretur: iustos lapsuros, nisi fugerent, aut è vita &c. raperentur.

2. Absoluta sequitur Decretum Dei liberum: quâ præcognoscit ipsa futurum: Sic in Vet. Testa. prædixit futura in Nouo. Vnde Tertull. l. 2. contra Marcionem: *Præscientia Dei tot habet testes, quot habet Prophetas.* Vtraque est infallibilis; quia Dei intellectus est infinitus, extendens se ad omnem veritatem.

Neutra pugnat libertati arbitrij. *Non Conditionata*; quia nec ponit minus in re quicquam; quia ex hypothesi præscit. *Non absoluta*; quia nil causat minus necessitat in re; nisi secundum Modum rei futura præscit vt necessaria necessariò, contingẽtia contingenter, quoad nos, libera liberè futura præcognoscit.

2. Deinde *Aug. l. de bono perseu. c. 9. 10. Et l. de Corrept. & grat. c. 8.* Præscientia Dei non tollit lib. arb. *quia Præscientia est*: alioquin & nostra tolleret: vt si præsciret Iacob à filiis faciendã. *Gen. 48.* eos nil necessitauit ad ea: Non *quia Dei est*, alioquin tolleret & Deo libertatem, præscit enim quæ facturus est.

3. Demum Adam in statu integro habuit lib. arb. vt fatetur Caluinus; & aliquid ex eo peregit: & acturum id præsciuit Deus; non tamen hæc præscientia ademit ei libertatem arbitrij.

V. Non per Decretum Dei impeditur libertas arbitrij.

1. Non

1. Non *decreto concursus sui Generalis* ad omnes lib. arb. actiones naturales: quia est simul tempore & causalitate cum nostra actus determinatione; nõ est prior, nec determinat nostram voluntatem ad agendum.

2. Nec *decreto concursus specialis* per gratiam præuenientem, adiuuantem, aut iustificantem: vt suprà liquet. Vtrumque Decretum Dei est, vt præscientia, secundum Modum cuiusque rei; ad quam ipsa res condidit; vt necessaria necessariò fiant; libera liberè; liberaque bona causet liberè; mala, permittat liberè fieri.

VI. Non Per Providentiam seu Prædestinationem infringitur libertas ar. Quia in illa solum spectari potest Præscientia & voluntas Dei: at neutra lædit lib. arb. in se, aut in actis.

Dico Ad I. Absurdum id: quia sic Deus vellet fieri peccata, quę permittit fieri.

Ad II. Absurdum. Quia omnia, etiam ciuilia, fierent necessariò.

Ad III. Falsum est. Nam *S. Aug. l. 6. de Gen. ad lit. c.* 15. docet creationem non fuisse in potestate creaturæ, sed Dei; *cuius*, ait, *voluntas rerum necessitas est*, sc. creandarum, non faciendarum postea, vt falso interpretatur Augustinum Caluinus.

Ad IV. Supernaturalia dona perdidit homo; naturalia consequenter in sese debilitauit; non perdidit. Malè igitur Pelagiani aiebant, lib. arb. nullatenus esse læsum: Malè Caluiniani; Esse extinctum: Benè Trid. sess. 6 c. 1. *Non extinctum, sed viribus attenuatum.*

Ad V. Homo tria habuit ex iustitia originali.

1. Gratiam iustificantem, siue Rationis sub Deo subiectionem.

2. Appetitus sub ratione subiectionem.

3. Corporis immortalitatem. Spoliatus primo, dicitur vulneratus in secundo, propter rebellionem & reliqua incommoda consecuta: tertium fatale erat & est. Animæ enim vt quatuor sunt Potentiæ; sic & vulnera: *Intellectus*, ignorantia; *Voluntatis*, malitia; *Concupiscibilis*, auiditas absentium, voluptas præsentium Bonorum verorum, seu apparentium; *Irascibilis* de niq; metus de absentibus; ira de præsentibus Malis.

Ad VI. Præscientia Dei dat rebus futuris Certitudinem, non Necessitatem: cum illa, non cum hac, potest stare salua libertas. *Necessitas* verò duplex est: *Antecedens*, quæ oritur ex causa antecedente necessaria: vt eras oriri solem necesse est: *Comitans*, seu consequens, quæ oritur ex ipsa positione effectus seu liberi, seu necessarij: vt hominem sedere, sedisse, sessurum, posito, quod sedeat, sederit, aut sit sessurus. Hæc necessitas est absoluta, expositione facti: non illa. Quare ideo futura à Deo prænoscuntur, quia fient: Non ideo fient quia prænoscuntur: Sicque præscientia est rebus futuris posterior, non prior. Ita S. Patres & Scholastici.

III. DE LIBERI ARBITRII NATVRA.

QVÆSTIO XXXVI.

Ecquid est Liberum Arbitrium?

AVTOR. I. *Liberum arbitrium est Iudicium* rationis, *cum Electione* voluntatis: ita Magist. 2. Sent. 2. Alijs significat *solius rationis actum*, id est, iudicium: Quia, ait *S. Bern.* liberè de actu voluntatis iudicat. Vel, ait Tapperus, quia indifferens est; & in particulari iudicamus, vt volumus.

3. D. Thomæ, & S. Patribus *significat actum solius Voluntatis*; eò quòd is solus verè & propriè liber sit: Diciturque *Electio*, quæ est quædam quasi iudicium vltimum voluntatis. Sic dicitur, viue pro arbitrio.

Arbitrium verò dicitur potius, quã iudicium; quia Arbitri sunt liberiores Iudicibus: Hi enim tenentur sequi leges in iudicando; vt, si iudicare secius videantur, ab eis possit appellari: Arbitri verò sententiam ferunt, vt volunt; nec ab eis datur appellatio.

Arbitrii, & voluntatis eadem potentia est; Et potentia hæc, quâ respicit finem, *Voluntas*; quâ media, *Arbitrium* dicitur.

Libertas triplex est: *Naturæ*; quâ concreatâ nobis liberamur ab naturali inclinatione, nos ad determinatum actum necessitante. *Gratiæ*, quâ ab peccatis; *Gloriæ*, quâ ab mortalitate liberamur.

Libertas Naturæ duplex est.

I. *A Coactione simplici:* Sic libera sũt, quæ, etsi non possint non fieri, fiunt tamen spontè: Vt cum Deus gignit Filium, cum appetimus beatitudinem.

II. *A Necessitate*, quâ libera sunt, quæ pro arbitrio possumus velle, aut non velle, aut nolle: vt dum loquimur. &c.

I. CALVINVS Inst. 2. c. 2. §. 4. coniunctũ hoc, (*Liberum arbitrium*) fert impatienter. *Nimis*, ait, *Philosophicè hac de locuti sunt, qui se Christi iactant discipulos. Nam quasi adhuc integer staret homo, semper apud Latinos* Liberi arbitrii *extitit nomen. Græcos verò non puduit multò arrogantius vsurpare vocabulum; siquidem αὐτεξούσιον dixerunt; ac si potestas sui ipsius penes hominem fuisset.* 2. Ib. §. 8. *Si quis vocis huius* (Liberum Arbitrium) *vsum non prauâ intelligentiâ suppremittat; per me quidem non vexabitur ob eam rem. Sed quia sine ingenti periculo non posse retineri arbitror; magno contrà Ecclesiæ bono futurum, si abolEATVR. Neque ipse vsurpare velim, & alios ne consulant, ABSTINERE optarim.*

AVTOR. Etsi vocabulum hoc, *liberum Arbitrium*, in S. Scriptura non sit; res ipsa tamen habetur. Num. 30. *In arbitrio viri erit. &c.* 2. Reg. 34. *Ecce datum tibi optio datur, elige.* Dan 12. *Quæ ligam.*

DICO igitur Caluinistis, quod S. Aug. *l. 7. c. 9. de Trin.* Pascentio Ariano contendenti vocem ὁμοούσιον in scriptura non extare; respondit, *Etsi nomen non reperitur: res tamen habetur inea.*

Liberum arbitrium igitur *est potentiæ* non habitus, vel actus; *libera* non indeterminata ceu voluntas; *intelligentiæ naturæ attributa*, vt subiecto; *ex his, quæ ad finem aliquem conducunt*, vt obiecta potentiæ, versantis circa Media tantum, *vnum præ alio eligendi*, actu contrarietatis seu specificationis; *aut respuendi*, actu contradictionis.

QVÆ-

QVÆSTIO XXXVII.

Vtra Libertas requiritur ad liberum arbitrium constituendum?

LVTHERANI, apud *Mart. Bucerum lib. de concordia doctr.* requirunt solam à Coactione libertatem, negant illam à Necessitate: Sicque volunt intelligi istud, Hominem esse liberi arbitrii.

CALVINVS *Inst. 2. cap. 2. §. 6.* idem asserit ipsum: & affingit Lombardo *2. dist. 25.* eandem sententiam; quod à coactione soluti simus.

AT idem Cal. ib. c. 3. §. 5. sibi contradicit; *Lombardus*, ait, *cũ necessitatem à Coactione distinguere nesciret, pernitioso errori materiam dedit.* Alphonsus à Castro dicit idem cũm Caluino; sed explicat se; Coactionem esse quamlibet determinationem ad vnum aliquid.

SVADENT istis ex S. Aug. Bern. & S. Thoma.

1. Aug. in Enchir. c. 105. *Beati esse sic volumus, vt esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.* Beatitatem libere volumus, & tamen aliter non possumus. Ergo libertas à Coactione sufficit ad arbitrium liberum.

2. Aug. Deus liberè vult iustitiam, & eam tamen necessariò vult. At hæc est libertas à coactione; eademque est homini.

3. lib. 5. Ciu. c. 10. *Si Necessitas est, qua necesse est, vt ita sit, aut fiat aliquid: nescio cur eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim & vitam Dei, & Præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse esse Deum semper viuere, & cuncta præscire.*

4. S. Bern. serm. 81. in Cant. *Nescio quo miro modo ipsa sibi voluntas, peccato in deterius mutata, necessitatem facit; vt necessitas, cum voluntaria sit, excusare non valeat voluntatem: nec voluntas, cum sit illecta, excludere necessitatem.* Infrà. *Anima malè liberâ necessitate & ancillâ tenetur: Et ancilla libera propter & necessitatem; & voluntatem; Eóque rea, quo libera, eóque ancilla, quo rea; & per hoc eo ancilla, quo libera.*

5. S. Tho. *q. 10. art. 2. ad 5.* ait solam coactionẽ repugnare naturali libertati voluntatis. Et *q. 83. art. 2. ad 3.* ait, per peccatum perisse libertatem gratiæ, non naturæ, *quæ est à coactione.*

AVTOR. Libertas à Necessitate omninò requiritur ad liberum arbitrium; & non sufficit libertas à coactione.

1. Quia Ec. 15. *Deus dereliquit hominẽ in manu cõsilij sui: adiecit mandata: si volueris ea seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi ignem & aquam. &c. quod placuerit ei, dabitur illi:* Ecce libertatem contradictionis Volendi & non volendi: Item Contrarietatis, in eligendo & respuendo.

2. Sic definierunt Concilia: vt Arausicanum can. 25. Trident. sess. 6. c. 5. Et decretum Pii V. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit. &c. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

3. Ita & S. Patres, cum Theologis ex Magistro Lombardo.

4. Ratio. Si ad lib. arb. sat foret libertas à coactione, sequerentur absurda ista.

1. Etiam pecoribus esse lib. arbit. nam sponte feruntur ad pabulum.

2. Etiam pueris, furiosis, &c. vsu arbitrii priuatis esset liberum arb. quia sponte agunt, ait *Arist. 3. Eth. c. 2. 3.* Deũ ex libero arb. genuisse Filium; quia non coactus genuit.

4. Nulla foret controuersia; quia nec philosophi, nec Manichæi, nec vlli negarunt homines esse liberos à coactione. Demum est Consultatio; ergo & libera Electio.

DICO

Dico Ad I. In appetenda beatitudine voluntas nostra in hac vita est libera, quoad Exercitium; quia potest eam appetere, & cessare ab appetendo: at libera non est, quoad Specificationem; quia non potest velle miseriam. Neque Beatis tollitur in cœlis libertas per necessitatem non peccandi; quin confirmatur.

Ad II. Vt beati habent necessitatem, quoad specificationem; quia non possunt velle miseriam; nec ideo tamen priuantur libero arb. Ita Deus vult iustitiam ex necessitate, quoad specificationem; quia non potest velle iniquitatem: nec ideo tamen non est liberi arb.

Ad III. Aug. ibid. distinguit necessitatem *in Vnam* quæ facit, vt res non sit in potestate; qualis est necessitas moriendi: *Inque Aliam*, quæ facit rem non esse in potestate: Priorem ait pugnare cum lib. arb. at Posteriorē non. Et huius posterioris dat exempla de vita Dei, præscientia Dei, potentia Dei, deque lib. arb. humano. *Necessitas ait, non facit vt opera lib. arbitrij non sint libera; sed cogit vt sint libera. Nō enim cadit illa necessitas super Opera, sic d super modum. Non enim necesse est absolutè, vt homo hoc velit, aut illud: sed est in eius potestate velle hoc aut illud, aut nō velle; tamen posito quod velit, necesse est eum liberè velle.*

Ad IV. Loquitur de necessitate Conditionata, quæ non repugnat libertati, vti Absoluta. Sic arbor mala, dum est mala, non potest bonos fructus facere: ita & voluntas, dum vult malè, necesse est vt faciat malum, sed liberè.

Ad V. S. Thomas loquitur de voluntate simplice; non vt est principium electionis. Itemque de coactione vt est determinatio ad vnum, siue necessitas.

QVÆSTIO XXXVIII.

An DEVS sit liberi arbitrij?

Lvtherus in assert. art. 36. adprobat sententiam Wicleffi, dicentis, *Deum non posse facere, nisi ea quæ facit; Omniaque ex necessitate absoluta euenire.* Bvcervs *lib. de Concordia. &c.* tradit, Deum necessariò agere quicquid agit, nec posse aliter facere.

Calvinvs Inst. l. c. 16. §. 3. *Sanè omnipotentiam sibi vendicat; ac deferri à nobis vult Deus; non qualem Sophistæ, Papistæ, singunt, otiosam, & ferè sopitam; sed operosam.* Infrà: *Ideo censetur Omnipotens, non quod possit quidem facere, cessat autem sed quia. &c.* Carpit nos docentes, Deum multa posse facere, quæ non facit; & posse multa non facere, quę facit; ideoque propriè liberum esse.

Svadent istis. 1. Arbitrij libertas in eo est, vt possit quis velle & non velle; hoc, non illud: at istud repugnat Immutabilitati Dei.

2. Voluntas Dei & Sapientiæ conformis sed hæc non potest non iudicare id esse melius fieri, quod reipsa fieri melius est: ergo nec voluntas non potest non idem eligere.

3. Velle Dei est necessarium; quia eiusdem quod esse Dei. ergo non est liberum.

4. Devs ab æterno voluit omnia quæ fecit, facit, facturus est; ergo iam determinatus est ad vnum, nec aliud velle potest.

5. Inde terminatio imperfectionem significat: non ergo locum habet in Deo.

6. Si Devs posset facere, quod non facit, haberet potentiam passiuam & otiosam: quod absurdum.

Avtor. I. Devs est liberi arbitrii vndequaque; fecitque hominem ad imaginem & similitudinem suam.

1. Sic Scriptura in meo *Antichristo p. 4. q. 21.*

2. Huc

2. Huc conuenit S. Patrum consensus: Greg. Naz. Nyss. Amb. Aug. in Enchir. c. 95. *Tunc videbitur, quam multa possit* Deus, *& non velit; nihil autem velit, quod non possit.*

3. Ratio 1. Deus est causa efficiens omnium intelligentiarum ac rerum: ergo voluntate, non necessitate operatur. Cur enim tot essent Intelligentiæ, & non plures; virtutis tantæ, nec maioris, minorisue: &c.

2. Quia Deus est infinitus; ergo potest & plura & perfectiora facere; quã fecit.

3. Si ex necessitate, non liberè, faceret omnia Deus; frustra ei preces, aræ, sacraque fierent propitiando: at communis naturæ instinctus hæc docuit omnes gentes.

4. Denique homo est liberi arbitrii; ergo & Deus.

II. Nota ex *D. Th. q. 24. de Verit. art. 3.* Posse velle bonum & malum, nõ est simpliciter Arbitrij, nec de essentia eius: sed vti id est in natura creata ex nihilo, ac proinde defectibili: Sed sat est libero arbitrio, habere optionem & electionem rerum diuersarum. Et hæc libertas non conuenit Deo, Angelis, Beatis: posse eligere malum, imperfectio est. Idem est de Posse mutare actus Volendi & Nolendi; Hæc enim sunt creatæ naturæ, non Arbitrij simpliciter. 2. *Velle Dei* dupliciter capitur: 1. *Absolute*, vt est idem quod esse Dei: Sic est necessarium, non liberum. 2. *Obiectiuè*, vt dicit ordinem *ad obiectum Intrinsecum*, scil. ad Dei sapientiam, potentiam. &c. Sicque est idem cum Esse Dei: Vel *ad Extrinsecum*, sc. ad res creatas; sic liberum est, non necessarium. *Quia* Deus non potest non velle suam essentiam: potest autem non velle res creatas. *Vel*: Deus vult amatq; seipsũ necessariò: alia verò liberè: Quia velle Dei non necessariò terminatur ad hanc rem vel illam: quia res non sunt Deo necessariæ; suntque ex hypothesi appetibiles, quâ sc. Dei gloriam manifestant.

Dico Ad I. Velle, & non velle in Deo non significat mutationem actus; sed quod terminetur, vel non terminetur ad tale obiectum: itaque in hoc vt creato, non in Deo fit mutatio.

Ad II. Conformitas Sapientiæ diuinæ cum Voluntate non importat necessitatem: Quia Eph. 1. *Deus operatur omnia secundũ Consiliũ voluntatis suæ.*

Ad III. Velle Dei est necessarium quoad actum volendi; at non quoad ordinem ad creaturam.

Ad IV. Actus voluntatis diuinæ determinatus est absolutè in se; sed non obiectiuè; Et hoc modo, non illo, potest se aliter habere.

Ad V. Indeterminatio oritur Vel ex causa, in actum exire potente; Vel ex effectu, non habente necessarium ordinem ad causam; Illa non est in Deo, sed in iis, qui rem non perfectè cognoscunt, ideoque deliberant: Hæc dicit perfectionem in causa, vt in dependente ex Effectu.

Ad VI. Potentia passiua nondum est reducta in actum, vnde & ab actu distinguitur; at Dei potentia, cum sit Diuina Essentia non distinguitur ab actu; sed est purus actus; ideo nulla passiua potentia inesse Deo potest.

IV. DE VIRIBVS LIBERI ARBITRII IN Naturalibus rebus.

QVÆSTIO XXXIX.

An Viribus naturæ cognosci possit Deum esse, & vnum esse?

CALVINVS *Inst. l. c. 2. & lib. 2. c. 2.* fatetur ethnicos solo naturæ lumine generatim cognouisse Deum; quòd sit aliquis; at nescisse Deum verum, vnum ac solum esse.

Proinde LVTHERANVS Heshusius *l. de erroribus Pontificiorum*, ponitistud: Dicunt Romani in Catechismo, Posse, Deum esse, & vnum esse lumine naturali cognosci. Id quod negant Luthero-caluinistæ.

SVADENT istis. I. Quia Ioan. 1. *Lux in tenebris lucet; & tenebræ eam non comprehenderunt. In mundo erat, & mundus eum non cognouit.*

2. Aug. l. 10. Confes. c. 6. ait, *Cœlum & terra clamant; Ipse fecit nos, & non ipsi nos; surdis tamen canunt, nisi Deus altius misereatur.*

AVTOR. I. Mens humana per peccatum orig. non ita est læsa, vt nō possit solis naturæ viribus multas veritates theoricas & mæchanicas cognoscere. Constat inter omnes etiam aduersarios.

1. *Quia* nulla res destruitur propria operatione: sed Intelligere verum propria est intellectus operatio.

2. *Quia* non est impotentior intellectus intelligendo, quam sensus insentiendo: sed hic potest sine auxilio gratiæ specialis sentire: ergo & is intelligere.

II. Deum esse, & Vnum esse solis naturæ viribus cognosci potest.

1. Sic Scriptura in *Antichristo p. 4. q. 22.*

2. Sic & S. Patres: S. Iustinus Mart. Irenæus, Tertul. Cyp. Lact. lib. 1. Instit. c. 3. *Nemo est, qui sapiat, rationemque secum putet, qui non Vnum Deum esse intelligat.*

Ratio fauet. Quia si non posset cognosci naturaliter vnus Deus, sieret *Vel quia* obiectum est supernaturale: Non hæc; quia Sap. 13. *A magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter potest horū Creator videri.* Vt testātur demonstrationes factæ à S. Patribus ex effectis naturæ: quod autem naturalibus doceri potest rationibus, non superat naturalem intellectum. *Vel quia* actus intelligendi vnitatem Dei est difficilis, aut impossibilis. At nec hoc: Quia vbi affertur demonstratio, ibi assentiri difficile non est: sicque nil opus speciali auxilio.

DICO AD I. Ea dicuntur de Christo ac proinde de S. Trinitatis mysterio, quod naturæ soli incognoscibile est *Deiu*; vt lux illuminet tenebras; hæ tamen lucis sæpe prævalent. *Item*: hæc relicta naturæ, *in tenebris* ignorantiæ *lucet* aliquantisper. Vnde S. Aug. in ep. ad Rom. *Quos arguit Salomon Sap. 13. non cognouerunt per creaturam Creatorem: Quos autem arguit Apostolus, cognouerunt; sed gratias non egerunt.*

AD II. S. Aug. ibi loquitur de Amore, non de Cognitione Dei; quod homines non, vt Deum cognouerunt, sic ament ac laudent.

QVÆ

QVÆSTIO XL.

An homini sit liberum arb. in operibus Naturalibus & Ciuilibus?

LVTHERVS & Melanchton principio negarunt: Dein postea retractarunt: Ipsi tamen inuicem sibi contradicunt.

LVTHERVS in assert. art. 36. *In cæteris ferenda est lentas & stultitia Papæ: sed in ar. de seruitute arbitrij, quæ rerum nostrarum summa est, dolendum ac flendum est miseros si insanire.* Idem *lib. contra Regem Anglorum* ait, qui secus doceret, quod damnet Deum, maneatque filius gehennæ. Idem in summa doctrinæ art 36 *Liberum arbitrium est figmentum in rebus, & titulus sine re Quia nulli est in manu quicquam cogitare boni vel mali; vt Wicleffi articulus, Constantiæ damnatus, recte docet; sed omnia de necessitate absoluta eueniunt.* Infra: *Non est dubium Sathana Magistro in Ecclesiam venisse hoc nomen Liberum arbitrium.*

AT idem retractat lib. de Visit. Saxon. *Homo habet ex propria virtute liberum arbitrium ad faciendum vel omittendum opera externa, per legem & pœnas adactus. Potest & sæcularem probitatem facere ex propria virtute, à Deo adhoc datâ. Paulus enim vocat eam iustitiam carnis. Et sic vtique habet libertatem fugiendi malum, & faciendi bonum.*

MELANCTHON in Locis Commu. anni 1521. detestatur nomen lib. arb. vt à Scripturis alienissimum. 2. Defendit Laur. Vallam contra Eckium, 3. Arguit philosophiam. 4. Tollit omnem libertatem & Contingentiam. 5. *In Comment. ad Rom.* 8. ait Non solum opera indifferentia; sed etiam peccata in nobis à Deo fieri.

AT iisdem in Locis posterius editis directè contradicentia asserit; & rectè. Quocirca hac in re nulla nobis cum Lutheranis intercedit controuersia: multa verò cum Caluinianis.

CALVINISTÆ negant habere hominem, post lapsum, vlla in re liberum arbitrium; ac ne vel in indifferentibus & ciuilibus. Ita Lau. Valla *lib. de lib. arb.* Bucerus *lib. de Concordia.* CALVINVS *Inst. 1. c. 16. §. 8. Et l. 2. cap. 4. §. 6. &c.*

SVADENT Caluinistæ istis Scripturis ex Caluino. *Exod.* 11. Ægyptii pretiosiora dedere Iudæis impulsu Dei. 2. Gen. 43. *Det vobis Deus inuenire misericordiam coram viro:* Ergo Deus flectit arbitrium. 1. Reg. 17. *Irruit super eum spiritus Domini.* Deus, 2. *Reg.* 11. fecit vt Absolon non sequeretur consilium Achitophel. Inclinauit cor Roboam, 3. *Reg.* 12. vt sequeretur consilium iuuenum. &c. *Luth. & Melanchthon* his plura addensant, apud *Bell. l. 4. cap.* 11.

AVTOR. I. Non ferenda temeritas est non ferentium vocem *Liberum Arbitrium*; idque in *Seruum arbitrium* mutantium.

1. Quia 1. Tim. 6. *Vocum nouitatem de vita:* talis est *seruum arbitrium.*

2. Quia omnium ætatum scriptores Christiani sunt voce *Lib. arb.* vsi; vel ipso teste Caluino Inst. 2. c. 2. §. 4. *Semper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit: Græcos verò non puduit arrogantius vsurpare vocabulum αὐτεξούσιον.*

3. Si vox ea est bona: ergo retinenda: si mala & ab Sathana inuecta; ergo nunquam fuit Ecclesiæ doctrina pura; Nec verum sat illud: *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

4. Demum quod ea nusquam extet in Scripturis, causa est, quod post has conditas oppugnare lib. arbitrium cæperunt hæretici.

II. Homo in naturalibus & ciuilibus est liberi arbitrii.

1. Sic Scripturis liquet in *Antichristo p. 4. q. 23.*

2. Huc consentiens Traditio S. Patrum conspirat. Nam eos hæresios arguerunt, qui liberum arbitrium negarunt: Vt 1. Simonem Magum S. Clemens *l. Recognouit.* 2. Bardesanem

sub annum 170. S. Aug. *l. de hæresib. c.* 35. 3. Manetem sub annum 270. S. Hieronymus *in præfat. dial. aduersus Pelag.* 4. Priscillianum, sub annum 390. S. Augustinus *l. de hæresib. c.* 70. Istos idcirco condemnat S. Leo *epist.* 91. & Conc. Bracaracense I. *Can.* 10. 5. Abailardum damnatæ hæresios innouatorem damnauit Innocentius II. & Conc. Senonen. 6. Wiclefum item anathematizauit Conc. Constantiense sess. 8. 7. Denique Lutheranos Leo X. Caluinum, Conc. Trid. condemnauit. Testimonia S. Patrum hic densare nil attinet obuia.

3. RATIO pugnat 1. Quia sic communis Sapientum ethnicorum semper docuit consensus omnium & nationum & ætatum.

2. Nulla fuit respubl. aut Communitas, cui non fuerit Consilium publicum, leges, pœnæ, præmia: quæ præsupponunt libertatem arbitrii humani.

3. Quia experientia constat, quod, qui negant liberum arbitrium suos ij hortantur, compellunt, præcipiunt, minantur, puniunt, sc. vt liberos arbitrio.

4. Euidens est homines peccare; at peccare nemo potest sine libero arbitrio: Necessitas enim non habet legem, neque peccat: ait *S. Aug. l. de vera relig. c.* 14.

5. *S. Greg. Nyss. l. 7. de philosophia. c.* 1. Consultatio ad Electionem ordinatur; ideo vti est vis consultatiua, ibi & electiua est; at vbi hæc, ibi Libertas arbitrii.

6. Demũ Calu. *Inst. 1. c. 5. §. 8.* existo Ec. 15. *Deus creauit hominẽ, & reliquit illũ in manu consilij sui*: fatetur conditum hominem fuisse cum lib. arbitrio; lapsum tamen eo excidisse. Cur autem perseueraſſe liberum arbitr. neget, causam habet non aliam; nisi quod fingat id pugnare prouidentiæ Dei.

AT hæc non incepit primum post Adæ lapsum; facit enim eadem ante, nec impediebatur à libertate arbitrij: cur igitur post lapsum impediretur? Præsertim cum illius sit conseruare naturas, non destruere.

DICO AD SCRIPTVRAS obijci solitas NOTANDA ista.

1. Libera Electio, & libera Executio electi differunt; quod illa, nõ hæc, sit ad liberratem arbitrij necessaria vt notat S. *Damasc. l. 2. de fide c.* 26. Vide potest Deus, & homo impedire Executionem saluâ tamen libertate arbitrij Eligentis.

2. Nec libertas arbitrij excludit operationem Dei: nam hæc minimè necessitat voluntatem; sed inuitat, agit & adiuuat ad bonum semper; verum iuxta Modum cuiusque naturalem; qui in homine est liberè eligere, sequi, aut respuere gratiã sufficientẽ. Si vocem eius audieritis, istud euadit verum, Isa. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*, per gratiã: Huc *hominis est præparare cor*: Attamen *homo cogitat viam suam*, liberè; Ideoque persæpè *Non viæ meæ viæ vestræ.*

3. Quatuor modis inclinatur voluntas à Deo. 1. *Physicè* eam determinando ad vnum certum immediatè. 2. *Mediante forma* quam in voluntatem imprimit: Sic *D. Th. q.* 22. *de verit. art.* 8. 3. *Obiectiuè*, per internam suasionem efficacem. 4. *Obiectiuè sic*, vt efficacia pro-

proueniat ex disposition voluntatis, nõ ex impressa vi psuasionis. Secundo & quarto modo sæpe vtitur Deus, salua libertate arbitrij: id quod controuersum non est. Scripturæ igitur obiectæ, pleræque pertinent ad secundum & quartum modum. Cæteræ ex prædictis liquent.

QVÆSTIO XLI.

Libertas arbitrij concordetne, an pugnet cum Prouidentia Dei Cooperantis?

Calvinvs totam rationem, cur hominem carere velit libero arbitrio, ponit in eo; quod libertas arbitrij (vt fingit) pugnet cum prouidentia Dei. *Bellar. l. 4. c. 7.*

Svaderistis. 1. Aug. l. 6. de Gene: ad lit. c. 1. *Conditoris voluntas, rerum est necessitas.* Et c. 17. *Hoc autem necessario futurum est, quod Deus vult: & ea ferè futura sunt, quæ ille præsciuit.* Deus igitur necessariò prænoscit omnia futura sic, vt falli nequeat: ergo futura necessariò eueniẽt.

2. Præscientia Dei, (quam includit in se Prouidentia) est causa rerum: ergo res ideo erunt, quia futuras præscit Deus; nõ contra: alioquin Deus penderet à rebus creatis; foretque scientia eius mutabilis, & accidentaria.

3. Dei Voluntas rerum est omnium prima causa, decreuitque ab æterno, quid fieri velit: quæ cum sit efficacissima, videtur nulla arbitrii libertas posse cum ea stare. Confirmat Caluinus experientiâ; nam sæpe in rebus apertis deficit nos consilium; in obscuris subita lux affulget: sæpe in leuibus negotiis animus flaccescit; in arduis sese erigit: quæ indicia sunt, mentes nostras à Deo gubernari.

Avtor. I. Dei Præscientia, (quam includit Prouidentia) est certissima; neque tamen futura necessitat; nec cum libero arb. pugnat. Qvia: 1. *Non quà Præscientia* est; quia tum & hominum præscientia necessitatem inferret rebus; at non infert; cum non sit causa rerum, neque aliquid in rebus ponat. 2. *Non quà Dei* est; quia hæc nõ est causa rerum; cum actus nequeat esse causa obiecti sui; sed contrà, obiectum est causa actus. Vnde *Non ideo res eueniunt, quia Deus præsciuit futuras; sed ideo Deus præsciuit, quia futura erant.*

II. Scientia in Deo duplex est.

1. *Simplicis intelligentiæ*, qua res omnes possibiles cognoscit.

2. *Visionis*; quâ tantum ea cognoscit, quæ reipsa sunt, erunt, aut fuerunt. Quia Visio terminatur ad existentiam rei; non ad solam possibilitatem: Et ita simplex intelligentia est prior visione; inter eas media voluntas. Vt hic esse ordo videatur: 1. Deus cognoscit res, quæ quoquo modo esse possunt. 2. Voluntate decernit ex his, quas velit aliquando existere. 3. Res volitas existere præuidet in suo tempore existentes. Vnde Scientia Dei, quæ est causa rerum, est scientia simplicis intelligentiæ, non Visionis: Quia hæc præsupponit rerum existentiam; illa solam possibilitatem.

III. Modus concordandi Cooperationem Dei cum libertate liberi arbitrii optimus est D. Thomæ. *q. 3. de Potent. a. 7. & 1. q. 105. a. 5.* Nimirum: Deus cum causis secundis ita concurrit, vt eas moueat, adque opus applicet secundum conuenientiam conditionis earum naturalis, seu dispositionis. Hæc autem in voluntate est solum *NEGATIVA determinatio*, præcedens tum Influxum Dei tum elicitum

voluntatis actum, quo ea finit se, aut non finit, moueri ab obiecto per rationem ei proposito. Et hæc prærequiritur *Negatiua determinatio*, seu dispositio: quòd ante influxum Dei non possit vlla positiua dispositio esse; cum nil positiuum sine Deo fieri possit: Vnde *Sine me nihil potestis*. Ioan.

Porro isti negatiuę dispositioni voluntatis nostræ prior incidit motio Dei: 1. Ioan. 4. *Quoniam ipse prior dilexit nos*. Ioan. 15. *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos*. Rom. 11. *Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et hæc Præueniens gratia sic mouet hominem, vt non necessitet: nam Dei motio est in potestate voluntatis liberæ, vt ea vtatur, vel non; vt eam sequatur, vel non: si moueri se à Deo sinat, Deus ipsam protinus applicat operi: si non se moueri sinat, Deus eam non applicat ad actum: sic *Ex te perditio: ex me*, ait Deus, *auxilium tuum*. Ideo D. Thom. 1. 2. q. 10. a. 4. ad 3. concludit: Posita motione Dei debet voluntas moueri, pro naturæ suæ conuenientia & libertate in alterutram partem. Hinc liquet Suasionum solutio.

Dico Ad I. Loquitur S. Augustinus de necessitate Consequentiæ; nõ Consequentis: quasi dicat quod Deus vult fieri, fit infallibiliter; sed necessaria necessariò, libera liberè: nõ autem sic, vt absolutè non potuerint nõ fieri.

Ad II. patet superius ex §. II.

Ad III. Dei voluntas est rerum omnium causa; attamen in liberis nil decreuit sine præuisa dispositione dicta negatiua, & causarum secundarum determinatione, liberâ in liberis, necessaria in necessariis.

V. DE VIRIBVS LIBERI ARB. IN MORALIBVS REBVS.

QVÆSTIO XLII.

An possit homo solis naturæ viribus Cognoscere Verum Morale sine speciali auxilio Dei.

Calvinvs *Inst.* 2. c. 2. §. 24. 25. 26. solum sufficere auxilium Generale Dei asserit, ad omne Verum morale cognoscendum: reiectatque Speciale, vt commentitium. 2. Theologi quidam Speciale, vt necessarium, affirmant adquod cunque.

Svadet istis. 1. Ex Ariminensi: 2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo*. 2. Gen. 6. *Figmentum cordis humani tantum malum*. 3. Ps. 93. *Cogitationes hominũ vanæ sunt*. Vide Aug. ep. 105. *Nemo rectè sapit, rectè intelligit, si acceperit spiritum sapientiæ & intellectus*. 4. Rationibus pugnant: Vulnus ignorantiæ accepimus per pec. or., à quo, nisi per Christum sanari nequimus. Prudentia acquiritur cognitione veri moralis: sed illa est ex dono Dei Generali: ergo & hæc. Omnium moralium eadem est ratio: ergo si vnum possit naturaliter cognosci, possunt & omnia.

Avtor. I. Etsi quidam Theologi sentiant, Nullum Verum morale posse in statu lapso, absque Speciali auxilio Dei cognosci; probandi tamẽ non sunt; At verò istud necessariò verum est: Non posse hoc in statu naturæ viribus cognosci omnes veritates morales, quæ ad vitam rationi conformẽ pertinẽt. Quia Sa. 9. *cogitationes hominum incertæ, &c. & corpus q. corrũpitur, aggrauat animam, & terrena cogitatio deprimit sen-*

sensum multa cogitantem. Ratio. Quia ob acceptũ ignorantiæ & infirmitatis vulnus nequimus totum naturæ Verum intelligere. Vnde tot tanti errores Philosophorum.

II. At aliqvas morales veritates potest homo in hoc statu naturæ viribus, seu cum Generali solum auxilio Dei, cognoscere. Nam debilitatũ est, non extinctum lumen rationis practicæ.

1. Sic Scriptura in meo *Antichristo p. 4. q. 24.* Insignitè Rom. 2. *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi lex sunt: Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Hoc quidam S. Patres exponunt de Christianis qui fuerant gentes; sicque dici *factores legis iustificari:* At potiores verius de gentilibus actu id accipiũt: & eodem quoq; scopus Apostoli ducit; voxque clara *Gentes:* vt Mat. 6. *Hæc omnia gentes inquirunt.* Patet & inde: *Qui legem nondum habent*: at habent Christiani facti. Illæ etiam merè *naturaliter, quæ legis sunt faciunt.*

Dicit Caluinus posse quid naturaliter cognosci in vniuersali, sed non in particulari.

At tunc Psaltes ad hoc Ps. 4. *Quis ostendit nobis bona?* Non satisfaceret dicendo: *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Quid enim prodest cognitio vniuersalis nisi ex ea colligi possit particularis; cum actiones sint particularium? 2. Consentiunt istis S. Patres, *Chry. Hiero. Aug. Prosper. &c.*

3. Ratio euincit. Quia potentia potest exercere actum circa obiectum sibi proportionatum, cum solo auxilio generali: at intellectui est verum aliquod morale proportionatum. Ergo. sin', foret superuacaneus. 2. Quia homo sine speciali auxilio cognoscit prima principia Veri moralis: Ergo & particulares inde conclusiones inferre potest sine eodem: cùm idẽ lumen, quod vniuersale, cognoscat & eius particulare aliquod.

Dico Ad I. Fit sermo ibi de pietate ad vitam æternam proficua; id est, tum Iustificante, tum promerente; non de quacunque: ad eam non ad hanc, opus speciali gratia, Sic *Aug. l. 1. de prædest. c. 2.* Et ibid. *Qui idoneos nos fecit ministros Noui Test. non litera, sed spiritu.*

Ad II. Est ibi figura Intellectionis, perfrequens in S. Scriptura *tantum malum*, id est, vt plurimum. Vt ibidem. *Omnis caro corrupit viam suam*: non tamen Noë ibidem exceptus.

Ad III. *Vanæ* sunt *cogitationes hominum*, quia pleræque è solis naturæ viribus sunt, quæ nil proficiunt ad salutem. Sic & S. Augustinus intelligendus est: Sic & Con. Mileuitanum, damnans Pelagianos fingentes, Datam diuinitus legem Iudaicã & Christianam esse donum Dei; at eam seruari posse viribus naturæ.

Ad IV. Vulnere læsa, non extincta vis est naturæ. Ideo & aliqua prudentia per eam acquiri potest; Non autem omne verum morale cognosci; Qua causa Deo supplicandum est, Ps. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Iustificationes tuas doce me*, ad salutem necessarias. De hisce, 1. Cor.

1. qui

1. *qui gloriatur, in Domino glorietur: quid enim habes, quod non accepisti?*

QVÆSTIO XLIII.

An solis naturæ viribus homo possit Implere Omnia præcepta Moralia, quoad substantiam operis?

LVTHERANI, vires liberi arb. adeo extenuant, vt extinguant, fingentes, solis naturæ viribus nihil boni moralis fieri posse, neque solum sine auxilio speciali, sed etiam sine Fid: iustificante, omnia, quæ fiunt, esse peccata. Quin iustorum opera esse peccata; Non tamen ob fidem imputari: imputari autem infidelibus. Ita *Lutherus in assert. art. 6. & 36. Melanch. in Apol. Confes. & in Locis Comm.*

CALVINVS *Inst. 2. c. 3. §. 1. & in Antid. Trid. sess. 6.* Kemn. *ibid.* idem, cæterique CALVINISTAE. *Luth. Melanch. Kemnit.* id ita limitant: Posse viribus suis aliquem implere legem de non occidendo, de non furando. &c. quoad opus externum; at non quoad internum actum mentis, aut peccatum.

SVADENT istis. 1. Deut 30. *Mandatum hoc*, Decalogi, *quod ego præcipio tibi, non est supra te, neque procul positum.*

2. Eccl. 15. *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te.*

3. Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.*

4. Præcepta legis naturæ sunt proportionata naturæ; ergo huius viribus seruari possunt. Esto, sit infirma; ideo non potest tam facilè; potest tamen seruare omnia.

5. Deus, aiunt S. Patres, non præcipit impossibilia: ergo præcepta ea impleri possunt ab destitutis quouis auxilio.

6. Potest quis vnum præceptum seruare: ergo & omnia: quia non occurrunt multa simul obseruanda, sed aliud alio tempore.

AVTOR. Nemo potest solis naturæ viribus omnia præcepta moralia, quoad substantiam operum, longiore tempore, obseruare, quin labatur sub inde in peccatum. Hęc media est sententia contrariorum inter & Pelagianos & Lutheranos. Illi tribuunt omnia solis naturæ viribus; hi penè nihil, sed Fidei omnia soli. Veritas docetur

1. Scripturis in *Antichristo p. 4. q. 25.*

2. Ex Traditione Ecclesiæ, definiente sic Conc. Mileuitano, can. 5. Arausicano can. vlt. Sic & Papæ plures, & S. Patres.

3. Ratio S. Thomæ: quia natura per pec. or. deprauata, auersaque à Deo est, & conuersa ad sese, & creaturas, & suum in his finem ponit actu, vel habitu, vel propensione: vnde ex hoc fine præconcepto quasi naturaliter inclinatur ad malum, dum quid agit, aut euitat. Atque ideo necessaria est gratia præueniens & adiuuans naturæ fragilitatem; sine qua caderet vel infirmaretur.

DICO AD I. Cum Aug. *l. de perfect. iust.* Gratiâ fretis facile esse mãdatum. Vel cum Abulen. Loqui Moysem hic de facilitate cognoscendi illud; non de obseruatione Ita exponitur *Roman. 10.*

AD II. Seruare scil. cum gratia adiuuante.

AD III. Naturaliter seruari aliquod potest mandatum; at omnia non nisi cum gratia.

AD IV. Natura infirma est, tum quia iustitiæ orig. sanitate caret; tum ex conditione materiæ, & concupiscentiam freno solutam.

AD V. Deus, ait S. Leo, serm. 8 de Pass. *iustè instat præcepto, qui præcurrit auxilio:* hoc posito, non præcipit impossibilia.

AD VI. Præcepta non omnia sunt pariã

paria; proinde seruato vno, non continuò seruari omnia possunt.
Dein occurrunt aliquando plura simul obseruanda: vt in oratione si occurrat tentatio. &c.

QVÆSTIO XLIV.

An veram Tentationem quis superare possit solis naturæ viribus?

PELAGIANI duo asserebant. 1. Sine Dei auxilio, solis lib. arb. viribus posse vinci tentationes sic, vt vincendo etiam commereti vitam beatam quis possit.

2. Vel in ipso æstu tentationum seruari omnia præcepta moralia posse solis naturæ viribus. Teste *S. Hieron. l. 2. in Iouinian. &c.*

SVADENT PELAGIANI istis 1. apud S. Hieron. *Liberi arbitrij nos condidit Deus; nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin vbi necessitas, neque damnatio, neque corona est.*

2. Iac. 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus:* at Naturaliter, Gen. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius:* ergo naturæ viribus tentationi resisti potest.

3. Hodierni: Voluntas non potest necessitari à passione, ait S. *Tho. 1. 2. q. 10. a. 3.* nisi passio rationem penitus absorbeat: ergo manente libero rationis iudicio potest tentationi resisti.

AVTOR. Nemo tentationem grauiorem vincere naturæ viribus solis sic potest, vt vincendo quid promereatur. Grauior autem dicitur, quæ naturæ vires superat; nam his par, aut inferior non opus habet speciali auxilio vt vincatur; Vt mereatur tamen quid ad salutem vincens tẽtationem simpliciter eget gratiâ; nam ad meritum supernaturale non pertingit natura.

1. Teste S. Scripturâ. Sap. 8. *Nemo potest esse continens, nisi Deus det.* At continere, dum abest tentatio difficile nõ est. Deinde istud, 1. Cor. 10. *Fidelis Deus, qui nõ patietur vos tentari supra id, quod potestis:* indicat tentationes posse supra naturæ vires excrescere. Proinde, Mat. 26. *Orate, ne intretis intentationem.* Mat. 6. *Et ne nos inducas in tentationem.* Ps. 27. *In te eripiar à tentatione.*

2. Sic & Ecclesiæ Traditio docet. Vt Synodus Palæstina apud *Aug. ep.* 106. Mileuitana apud *Aug. ep.* 26. Innocentius I. ad Conc. Carthag. apud *Aug. ep.* 91. pluresque Papæ & S. Patres, *Chrys. Ambr. Hier. &c.*

Demum ideo Ecclesiæ mos nil perinde frequentat sæpè, ac, *Deus in adiutorium meum intende. &c. Vt in hac die ad nullum declinemus peccatum; Ne nos apprehendat callidus tentator.* &c. quæ Specialis auxilij necessitatem testantur.

DICO AD I. ex S. Aug. *l. de nat. grat. c.* 65. Loqui S. Hieronymum de natura, vt erat à Deo condita; non devitiata. Dein, hæc non trahitur necessitate, quæ ab implorata adiuuatur gratia.

AD II. Superior pars animæ naturaliter imperat inferiori; non quidem *despoticè*, ceu seruus domino, vt parere cogatur; sed *politicè*, ceu populo Magistratus. Nam potest rebellare appetitus rationi, abutens libero arbitrio. Vnde Ratio non tam dominando, quam alliciendo debet eum ducere. Quia Inferior diu viget antè, quam euigilet ratio; vnde rationis iugo perægrè assuescit: habetque obiecta sensuum bona præsentia; at ratio futuris pascitur in spe.

AD III. Significat D. Tho. *non necessitari physicè* voluntatem, scil. determinatam quasi ad vnum, sicut bruta: *Necessitatur* tamen *Moraliter*, b'anditiis,

tiis, apparentiis fucatis. &c. Dein non ait S. Tho. eam simpliciter necessitari; sed si rationem contingat absorberi.

QVÆSTIO XLV.

An homo sine fide, cum, vel sine auxilio speciali, possit bonum morale perficere, si nulla vrgeat tentatio?

LVTHERANI, vt Kemnitius, ac similes; item CALVINIANI contendunt, Opera omnia infidelium mera esse peccata; etiam ea, quæ cum speciali auxilio Dei fecerint. Atque hoc negare, esse hæresin Pelagianam. *Caluinus Inst. 3. c. 15. Melanch. in Apol. Conf. Aug. de iustific.*

SVADENT multis. 1. LVTHERAN. Kemnitius: Scriptura docet, opera omnium impiorum displicere Deo, quamuis speciosissima. Isa. 1. & 66. Prou. 15. *Incensum abominatio est; & solennitates vestras odit anima mea.*

2. Caluinus & Kemnitius Gen. 6. *Omne figmentum cordis humani tantùm est malum.* Sic enim ipsi verterunt.

3. Psal. 13. *Omnes declinauerunt, simul inutiles. &c.*

4. Psal. 61. *Mendaces filij hominum, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum,* id est, vanitate leuiores. &c.

5. Mat. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere,* id est, homo impius: sic & *Matth. 12. Luc. 6.*

6. Ioan. 3. *Quod natum est ex carne, caro est;* at caro tota mala est.

7. Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.*

8. Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* &c. Plura talia *Bell. l. 5. c. 10.*

AVTOR. Infidelis sine fide, sine gratiæ auxilio speciali, aut etiam cum hoc potest Moralia opera bona facere; si nulla vrserit eum tentatio: Non igitur omnia infidelium opera sunt peccata.

1. Sic Scriptura in *Antichristo. p. 4. q. 26.*

2. Ita consensus habet S. Patrum: Basil. Chry. Hieron. *Aug. l. 5. Ciu. c. 15.* ait, Deum Romanis orbis imperium dedisse, vt hac in vita morales eis virtutes remuneraretur.

NOTA: Quod infidelis potest solis naturæ viribus obseruare præceptum secundum substantiam operis: patet *quæst. 43.* etiam cum peccato: vt si restituat depositum, quò ille despoletur. At bonum morale cum peccato fieri non potest: ideo hoc facere, maius est illo. Quò deterior est in hoc Luthero-caluiniana hæresis; quam isto Pelagiana.

3. RATIO fauet. 1. *Ab absurdo.* Quia si infideles non possent vllum facere opus bonum; ergo satius eis foret, remoto præcepto, opera ex obiecto bona non facere; nam faciendo peccât, vt aiunt: non faciendo non peccarent. 2. *Deinde:* Si infidelium omnia opera forent peccata, id fieret, 1. *Vel* quia deesset eis finis, vt non fierent propter Deum: At naturaliter cognoscunt Deum esse, curam habere nostri; ergo & moralia bona facere possunt, vt obediant Deo. Neque necesse est, omnia in Deum referre explicitè. 2. *Vel* quia fiunt à peccatore, sicq; à sua causa inficiuntur, licet in se bona sint, vt vult Kemnitius: At opus in se bonum nequit à malitia causæ inficì, nisi ex malitia processerit. Vnde impudicus potest eleemosynam dare. 3. *Vel* quia bona opera non habent proportionem cum viribus naturæ; At hæc in puris

natu-

naturalibus habuisset iustam proportionem ad moralia omnia; neque nũc infirmior est, licet vitiata sit: ergo & nunc habet eandem. 4. *Vel* quia moralia nimis sunt difficilia ob carnem, dæmonem, mundum. At hic est quæstio de facilibus naturæ consentaneis; & omni tentatione remota.

Dico AD I. Sacrificia & Moralia longè differunt, ob finem. Sacrificia enim fiunt ad colendum Deum, & stante peccato displicent Deo: at Moralia quæque vnum habent finem bonum: vt eleemosyna, egenti facere benè.

AD II. *Omne*, id est, pars maior: Vnde ib. *Omnis caro corruperat viam suam*; cùm tamen *Noe vir iustus fuit, atq; perfectus*. Sic Luc. 18. *Oportet semper orare*. Ioan. 12. *Mundus totus post eum abit*. Vnde S. Aug. l. de Vnit. Eccl. c. 12. In Scriptura sæpè arguuntur omnes, cum solum mali intelligantur.

AD III. Omnes sumus in statu peccati & inutiles ex nobis ad supernaturalia; at non ad naturalia & moralia: Et *non est qui faciat bonum* totam seruando legem perfectè.

AD IV. Homo vanitas est, quod ex se facere nil queat aut cogitare in ordine ad salutem.

AD V. *Mala arbor* hic est Voluntas aut Intentio mala; nõ natura, quasi per se mala esset. Deinde Doctrina mala intelligitur arbor mala: nam monet caueri falsos prophetas, *Mat.* 12. & *Luc.* 6 Demum *fructus boni* sunt opera ad salutem meritoria.

AD VI. *Caro* ibi accipitur simpliciter pro homine ab S. Chry. Aug. Cyrillo. &c. i. Esse naturale homo ex homine ducit; sic & moralia operari posse; at non supernaturalia.

AD VII. *Nihil*, scil. ad salutem supernaturale: moralia autem ex se nõ attingunt salutem.

AD VIII. *Ex fide*, non qua in Christum credimus; sed qua credimus ali quid licere; quod est *Conscientia*.

CALVINVS porro sic ratione pugnat.

1. Peccator & infidelis mortuus est; & resuscitatur per Euangelium: ergo vitale nihil operari potest.

2. Homo per peccatum est, vt curua tibia distortus, quæ vt ambulando claudicat; sic peccator operando peccat.

3. Dæmones habent naturales potentias integras, scil. intellectum & voluntatem, & carent concupiscentiâ carnis: at hi nullum queunt opus facere bonum: ergo nec homines.

DICO AD I. Mortuus est morte gratiæ, non naturæ, cuius in operando principia sunt ratio & voluntas.

AD II. Curuitas in homine est Cupiditas; ex hac quod fit, peccatum est; At nemo ex hac operari necessitatur: potest enim ac debet quisque iuxta rationem naturalem operari.

AD III. Dissimile. Nam Dæmones obfirmati sunt in actuali odio Dei, rerumque ad Deum pertinentium; at non sic homines. Quæ ex S. Patribus afferant vide in *Bell. l. 5. c. 11.*

QVÆSTIO XLVI.

Sit ne homo liberi arbitrij in Moralibus?

LVTHERANI, CALVINIANI, ZVVINGLIANI, SCHVVENKF. &c. totaque propago Lutheri; NEGANT.

SVADENT bifariam: 1. Negationem suam stabiliendo Scripturis. 2. Affirmationis nostræ argumenta reuellendo.

I. Scripturis: 1. Isa. 41. *Benè agite, aut malè si potestis.*

2. Ezech. 36. *Dabo vobis cor nouum, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Quasi dicat qui non habent cor nouum, nec ambulare in præceptis possunt.

3. Psa. 118. *Inclina cor meum in testimonia tua.* Sic & 3. *Reg.* 8.

4. Ioan. 8. Rom. 6. 2. Pet. 2. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* At seruitus & libertas opponuntur.

5. Ioan. 15. *Sicut palmes non potest à semetipso ferre fructum nisi manserit in vite: ita & vos, nisi manseritis in me.* Ergo non possunt non ferre fructum manentes; non manentes non possunt fructificare: proinde vtrisque sublata libertas est, parque incumbit necessitas.

6. *Quid habes, quod non accepisti.* 1. Cor. 4. At qui nihil habent proprii, non sunt actionum suarum domini. Quæ ex S. Augustino proferant irrito conatu, vide apud *Bell. lib. 5. c.* 30. Mendacia, & ineptias Heinsianas vide in Antipap. Mendace. p. 4.

DICO AD I. De Idolis, non hominibus, id dicitur irrisoriè.

AD II. *Dabo cor nouum*, id est, gratiam, qua seruare omnia præcepta possint: Non tamen negat sine gratia aliquod seruari posse. Deinde suadet: Ezech. 18. *Facite vobis cor nouum & spiritum nouum.*

AD III. Docent hæc, sine gratia non posse omnia mandata seruari: & non, quod homo non sit liberi arbitrii.

AD IV. Seruitus peccati opponitur libertati à peccato; non libertati naturæ, quæ est arbitrii. Itaque hæc cum seruitute stare in eodem potest.

AD V. Homo palmes non potest sine succo vitis, id est, Christi gratia fructificare ad salutem suam; potest tamen à vite recedere, si velit, rursumque inseri.

AD VI. Ibidem ait, quod homo aliquid habeat proprij: *Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundum laborem SVVM*, ἴδιον, id est, proprium. Quia ex dono liberi arb. sumus actionum eius domini.

AVTOR. Homo in statu naturæ lapsæ, est liberi arbitrij in Bono Morali eligendo, & Malo deuitando.

PROBATVR. I. Quia peccatum Aut est necessarium: ergo non est peccatum: Aut voluntarium; ergo vitari potest. Homo igitur in Moralibus est liberi arbitrij.

CALVINVS RESP. Negans vtramque consequentiam.

Priorem: Quia non est peccatum ex Creatione ortum, sed ex naturæ corruptione.

2. Quia dæmon semper necessariò male agit; & tamen verè peccat. Et Angeli necessariò benè agunt; & tamen vere bona operantur.

3. Posteriorem. Quia Voluntarium est quod à sola Coactione liberum est.

DICO AD I. Contrarium ipse asserit Caluinus Inst. 3. c. 23. Peccatum Adami, ex quo naturæ orta corruptio, fuisse ex decreto Dei, & ineuitabili voluntate commissum. Ergo haberemus excusationem vt qui ex necessitate peccemus.

AD II. Vtrique, respectu finis vltimi, non habent liberum arbitrium à Necessitate, sed tantum à Coactione; Respectu mediorum verò habent etiam liberum arb. à necessitate. Quia multa faciunt, quæ possent non facere; & contra. Et in talibus dæmones verè peccant, angeli benè agunt.

AD III.

AD III. At nostro in argumento intelligimus liberum à necessitate: Item voluntarium, & Necessarium opponuntur.

II PROBATVR. Quia si non est in homine liberum arbitrium, nullus erit pœnæ, præmioue locus.

CALVINVS RESP. 1. Id argum. fuisse Pelagianorum.

2. Negat sequi, quia pœna debetur culpæ; at culpa est in nobis ob naturæ corruptionem.

3. Bona merita rectè excludũtur eò, quòd non sit lib. arb. in homine. Vnde ait S. Aug. Deus coronat sua munera, non merita nostra.

DICO AD I. At eodem vsos familiariter Chry. & Hieronymum fatetur Caluinus: itemque alij S. Patres eo vsi contra Manichæos. Illine Pelagiani? Dein Pelagiani eo docere nitebantur, non, lib. arbitrium non esse; sed non egere gratia: Patres verò Esse liberũ & egere gratia. Itaq; Caluiniani stant cum Manichæis contra S. Patres.

AD II. Petit principium. Ponit enim, quod quæritur, scil. An sit vera culpa, quæ vitari non potest?

AD III. Præmia & merita bona negat, & pœnas concedit: At in hoc sibi contradicit; nam vt ab lib. arbitrii vsu malo mala, sic à bono bona merita existunt: Bona verò sunt ex gratia talia, quæ est causa coronationis.

III. PROBATVR. Si non esset lib. arbitrium, non essent alij boni, alij mali: Sique omnes boni; non forent aliis alii meliores.

CALVINVS RESP. Diuersitas bonorum & malorum oritur ex Electione diuina; non ex lib. arb.

DICO. At fatetur Caluinus id argumen. esse Chrysostomi & Ambr. Et electio diuina ad moralem bonitatem prærequirit lib. arbitrium: alioquin ea posset etiam infantes, furiosos, bestias facere moraliter bonas. *Dein* electio finit esse malos, non facit. *Demum*, Ex bonis mali fiunt; Deus autem nulli est causa cadendi.

IV. PROBATVR. Si non est lib. arbitrium; ergo tollentur cohortationes, obiurgationes, laudes, præcepta, consilia. &c. Quia aliter homines facere non possunt. Ita *S. Aug. l. de vera relig. cap.* 14. Vnde & priora petantur.

CALVINVS RESP. 1. Sufficiant exempla Christi: vt Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Rom. 9. *Non est currentis.* 1. Cor. 3. *Neque qui plantat, est aliquid.*

2. Correptiones, cohortationes. &c. reprobis sunt flagella; vtque sint inexcusabiles electis excitamenta.

DICO AD I. Illa docent nil posse homines ad salutem, nisi per gratiam: at de morali bonitate hic agimus.

AD II. At flagellantur, vt, si velint, emendentur: itaque adhuc præsupponunt liberum arbitrium. Vide *Bell. l. 5. c. 17.*

Hactenus argumenta ab impossibili petita. Porrò ostensiua ex Scripturis.

V. PROBATVR ex Præceptis Scripturæ, quæ sunt regulæ quid agamus, aut fugiamus: at frustra datur regula necessitatem patienti vt non possit non deficere, aut non possit deficere. Liberum arb. autem in via morum potest deficere, aut non potest: ergo frustra dantur præcepta homini, si libertate careat arbitrij.

CALVINVS RESP. 1. Lex datur, vt cognascatur

ſcatur peccatum, *Rom.3.* non quod ſit lib. arbitrium.

2. Lex habet promiſſiones; vt ſciatur eſſe ex dono gratiæ, non arbitrij.

3. Lex eſt impoſſibilis; docetque neceſſitatem gratiæ, non libertatem arbitrij.

Dico AD I. Lex plures habet fines; & in his etiam iſtum, qui exigit libertatem arbitrij. Quod autem data lege ſuperabundet peccatum; id eſt per accidens, ex hominibus malum eligentibus; non per ſe ex fine legis intento.

AD II. Datur donum gratiæ, ſed poſito libero arbitrio; non neceſſitato per eam; quin adiuto.

AD III. Falſum. At de hoc alubi.

VI. Probatvr ex Promiſſis Scripturæ factis ſub conditione: Iſa. 1. *Si volueritis.* Mat. 19. *Si vis ad vitam ingr.*

Calvinvs Resp. Non eſſe abſurdum, quod Deus quid promittat ſub impoſſibili conditione; cum ſciat ipſe cur faciat; ſc. Impiis, vt ſciant ſe promiſſis indignos: Piis, vt promiſſis alliciantur, quos præcepta parum incitant.

Dico. Nil hoc ad rem. Non quæritur, cur Deus promittat; ſed an cõditionata promiſſio præſupponat liberum arbitrium. Et affirmamus. De in, loca promiſſionum nullus ironicè unquam expoſuit. Demum ſi ex neceſſitate forent indigni reprobi; eſſent planè excuſabiles.

VII. Probatvr ex Scripturis docentibus, per hominem ſtetiſſe, quo minus benè ageret & peccata vitaret. *Num.14. Deut.30.&c.*

Calvinvs Resp.1. Iure Deus queritur de hominum improbitate, licet non poſſint nõ peccare: quia hæreditaria ſuâ malitiâ peccant.

2. Reprehenduntur tamen, vt tœdio ſcelerum reſipiſcant.

3. *Deut.30.* agi de promiſſione Euangelij, non de lege naturæ.

Dico AD I. Hæreditaria ea malitia eſt pœna ex pec.o.; non culpa: Ac culpam eſſe dicit Caluinus; docuit nunquam.

AD. II. Si poſſunt reſipiſcere; ergo habent liber. arb. & non neceſſitantur.

AD III. Vim loco facit Caluinus. Nam ita Moyſes: *Mandatum Hoc, quod Ego præcipio tibi hodie. &c. Si audieris præcepta & cæremonias, quæ in lege HAC* Decalogi *ſcripta ſunt:* Et eam naturalem ſeruare, vel non ſeruare docet eſſe in arbitrio hominum.

VIII. Probatvr ex ſcripturis dicentibus, Deum quaſi recedere, & explorare quid acturi ſint homines; vt Deu. 8. & 13.

Calvinvs Resp. Deus non aufert gratiam; ſed permittit afflictionem.

1. *Vt videat, an poſt longas calamitates capiat eos recordatio Dei, & quærant eum.*

2. Vt inducat ad cognoſcendam propriam hominum ἀδυναμίαν.

Dico AD I. Rectè; ſed id euincit libertatem arbitrij.

AD II. Et hoc docet eandem. nam ſi neceſſitaremur; explorare nos ipſos non poſſemus, quid valeamus ſeu ex nobis, ſeu cum gratia; ſi velimus.

IX. Probatvr Gen.4. *Nonne ſi bene egeris, recipies: &c.* Eccl.15. *Appoſuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris. &c.* Ibi de peccato, non Abele, locutus eſt Dominus, teſtantur ſic S. Patres & Eccleſiaſticum improbè reprobat Caluinus. Vide in *Antichriſto p. 4. f.* 27.

VI. De

VI. DE VIRIBVS LIBERI ARBITRII IN Supernaturalibus.

QVÆSTIO XLVII.

An homo post lapsum sit liberi arbitrij in rebus ad salutem pertinentibus?

LVTHERVS lib. Operationes in Psalmos. *Error est, quod liberum arbitrium habeat aliquam actiuitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur. Velle enim, credere, sperare, diligere &c. semper est passio. Quid actiuitatis habet lutum, quando figulus ei formam effingit? Nonne mera passio ibi cernitur?*

KEMNITIVS in Exam. sess. 6. Erubuit ad hanc absurditatem dicens, dandam Luthero veniam; quod initio conuersionis retineret phrases Scholasticorum; cum nihil in te errarit illud *Voluntatem passiuè concurrere*, intelligens esse, *non liberè concurrere*.

LVTHERANI omnes ab Lutheri sententia defciuerunt, cumque CALVINO *Inst.* 2. c. 2. §. 27. & cum Caluinistis duo asserunt.

1. Voluntatem nostram nil spiritalis boni efficere posse absque speciali auxilio Dei. Rectè: At falsò communi Scholasticorum sententiæ tribuunt, quod solus Cassianus & Faustus olim opinati sunt; sc. bona desideria in homine, licet debilia præcedere gratiam.

2. Voluntatem nostram in spiritalibus sic agi à Deo, vt non possit non agere; & vt actiue concurrat, tamen ceu merum instrumentum naturale; non vt causam liberam, actusque sui dominam.

Ideoque negant rectè dici, Eam cooperari Deo, Adiuuari à Deo; sed solum agi, cogique.

SCHARPIVS in cursu Theol. tit. 16. c. 4. de lib. arb. *Homo ad sui regenerationem se merè passiuè habet; vt Deum operantem non sequi non possit; licet non coactè, sed sponte sequatur. Homo quidem non regenitus liberum arbitrium habet; si liberum pro spontaneo sumas: At si liberum sumatur pro eo, quod in vtramque partem ferri possit, ad bonum, vel malum; liberum arbitrium non habet, sed peccato seruit. Quia hæc libertas post lapsum prorsus amissa est: cùm non possit non gratiam respuere, & malum tantum eligere liberè, id est, sponte: Et contra Renati.*

SVADENT isti 5. 1. Ezech. 36. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in Præceptis meis ambuletis.*

2. Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua. &c.*

3. Psal. 99. *Ipse fecit nos; & non ipsi nos.*

4. Ioan. 6. *Omnis, qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.*

5. Et 2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.*

6. 1. Cor. 12. *Qui operatur omnia in omnibus.*

7. Phil. 2. *Qui operatur Velle & Perficere pro bona voluntate:* hoc est simpliciter facere, non adiuuare.

8. 1. Ioan. 3. *Qui natus est ex Deo, non potest peccare: quia semen Dei manet in eo.* Caluinus: *Eccè sic efficaciter gubernari diuinitus piorum corda, vt inflexibili affectu sequantur.*

9. *Ioan. 5. & Eph.* 2. 5. peccatores dicuntur mortui, sepulti: quòd nisi per solam Christi gratiam suscitari nequeant.

AVTOR. Affirmatiua responsio est simpliciter de fide.

I. Sic Scripturæ 1. Quæ vocant homines cooperatores: 2. Quæ præcipiunt, Suadent. &c. 3. Quæ docent homines à Deo adiuuari: 4. Vocatos à Deo venire posse, aut emanere. Vide in nostro *Antichristo p. 4. q.* 28.

II. Sic Ecclesiæ Traditio & communis S. Patrum consensus.

III. RATIO. Quia si homo non sit liberi arb. sequentur hæc absurda.

1. Non peccabunt nolentes credere, cauere peccata, agere benè.

2. Nec laude, præmioue digni erunt volentes credere conuerti. &c.

3. Fru-

3. Frustra erunt præcepta, monita. &c.

4. Omnis diligentia erit tollenda; ac in solam fidem incumbendum: cætera cessandum esset.

Dico Ad I. Liberum arb. nec est carneum, nec lapideum; sed vis media & naturalis, quæ formam vtriusque potest induere. Ita *Aug. l. de spir. & lit. c. 33.*

Ad II. Cor mundum creari est cor mundari.

AD III. Litera agit de prima creatione: Dein & de iustificatione capitur: Ipse enim iustificat nos.

Ad IV. *Venit* sic vt possit non venire: *Venit* autem sequens vocantem non coactè.

Ad V. Cum *non sumus sufficientes*, ergo aliquid possumus.

Ad VI. *Operatur omnia*; sed non sine nobis cooperantibus.

Ad VII. Neque excitat, nec iuuat Velle nostrum sine nobis: vnde ait: *salutem vestram operamini.*

Ad VIII. *Semen* non est gratia Dei necessitãs ad operandum, vt vult Caluinus; sed charitas infusa, ait *S. Hieron. l. 2. contra Iouin.*

Ad IX. Id probat, peccatorem sine gratia reuiuiscere non posse: at non probat, peccatorem non posse, præueniente gratiâ excitatum, cooperari suo resuscitatori.

QVÆSTIO XLVIII.

Quæ, & qualis sit Cooperatio Gratiæ, & Liberi arbitrij?

Orthodoxæ hîc doctrinæ synopsin reddere pretium erit.

I. Processus renouationis Christianæ est septigradus.

1. Homo gratiâ destitutus iacet.

2. Vocatione Dei interna excitatur.

3. Huic assentiens eligit pœnitentiam.

4. Opera facit pœnitentiæ.

5. Sic dispositio gratia iustificationis infunditur.

6. Iustificatus statuit opera iustificationis exercere.

7. Exercet ipsa.

II. Homo ante omnem gratiam pollet libero arb. ad Naturalia, Moralia, & Supernaturalia: teste *S. Aug. l. de Spir. & lit. c. 33.* Quia lib. arb. non potest Dari, Tolliue per gratiam, aut peccatum: *Nam* libero arb. possumus bene malè ue vti; at gratiæ donis nemo malè; peccato nullus bene vti potest. *Non tolli potest*; quia gratia perficit naturam, peccatum debilitat, non extinguit eam.

2. Habet igitur ante gratiam homo *Potentiam remotam* & imperfectam ad opera pietatis. Aug. l. de prædest. c. 5. *Posse habere fidem, & caritatem naturæ est hominum.*

3. Atque idcirco nihil ex se facere ad salutẽ potest. Ita Aug. li. 1. Retract. c. 22. *In potestate hominis est, mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est, nisi detur à Deo; vt scriptum: Dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

Kemnitivs. Homo habet vires, Aut aliquas: ergo poterit aliquid sine Deo, contra Ioan. 5. *Sine me nihil potestis*: Aut nullas; ergo extinctum est lib. arb. & cooperari gratiæ nequit.

At

At ex dictis patet *de Potentia Remota.*

III. Gratia Excitans interna necessariò præit conuersionem; & Adiuuans nõ sufficit per prædicationem Euangelij, lectionem. &c. Vt Luthero-caluinistæ contendunt.

1. Quia Ioan. 6. *Nemo venire potest ad me, nisi Pater meus traxerit eum,* gratia Excitante.

2. Sic *Con. Arausic. can. 7. & Trid. sess. 6. c. 5. &* 6. & S. Patres.

3. Ratio. Quia Adiuuans gratia requiritur ad exercitium actus: Excitans ad specificationem.

Lvthero-calvinistæ Instant. Si semper requiritur Excitatio præueniens; 1. Ecqui conuertuntur aliqui in momento? 2. Non erit in potestate hominis sua conuersio; sicut nec excitatio. 3. Fidem habentes per eam orare possunt; ideo non egent excitante. 4. Aug. l. de Spir. & lit. c. 34. *Visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & credamus; siue extrinsecus per euangelicas exhortationes, siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate, quod ei in mentem veniat.*

Dico AD I. Conuersio accepta pro actu consentientis vocationi, semper est momentanea; sumpta pro toto opere vocationis, deliberationis, assensionis, eget tempore, nec longo.

AD II. Augustino, *lib. de Spir. & lit. c.* 31. id est in potestate, quod adest, cum volumus; & abest, cum nolumus: vt fides, conuersio, gratia præueniens.

AD III. Fides est in peccatore, sed mortua; egens excitante gratia.

AD IV. Excitantis est, proponere obiectum menti congruum: & hoc fit est si fiat extrinsecus: teste ibi S. Augustino: qui tamen non negat internam Dei suasionem.

V. Gratia Excitãns datur homini sine meritis præcedentibus, aut præparatione vlla: sed non datur sine actione hominis; etsi detur sine cooperatione lib. arbitrij. *Quia* Excitans dat initium bonæ cogitationis & desiderij; at hæc sunt hominis, si repentina; sin' & motus secundi sint, tum sunt liberi arbitrii.

VI. Ad Assentiendum gratiæ Excitanti necessaria est gratia Adiuuãs. *Trid. sess. 6. c. 5. Aug. Enchir. c. 32.*

2. Neutra tamen necessitat voluntatem. Nam gratia Sufficiens reijci potest: Efficax, ex hypothesi non potest; at absolutè potest repudiari. *Quia ea est suasio, quæ non determinat voluntatem, sed* inclinat per modum proponentis obiectum; sed sic, vt aptum esse homini scit Deus.

3. Adiuuans verò consistit in Directione hominis; in Protectione: in Cooperatione intrinseca. In hisce vocatus homo liberè mouetur in Deum ac sponte; quia potest vocationem recipere & reiicere: quod non est necessariò moueri; vt quidam exponunt Conc. Trid. *sess. 6. c. 5. can.* 4. Vide *Bell. lib. 6. c.* 15.

VII. Conuersio hominis, aut Opus pium quodlibet, quà *Opus*, est arbitrij cum auxilio generali; quà *pium* est gratiæ; quà *opus pium*, est ab vtroq; simul. Proinde ad reliqua Conuersionis opera ext. seu interna, non requiritur Nova Gratia; sed continuatio datæ Efficacis, vt ad quam indubiè cætera opera consequuntur.

VIII. Habitus gratiæ Iustificantis à solo Deo infunditur; nõ tamen sine prœuia dispositione nostra. Quia, cùm

non educatur è potentia materiæ, creari debet: quod solius est Dei. Aug. in Psal. 118. *Quis facit in homine iustitiam, nisi qui iustificat impium?* Homo iustus autem potest acceptam iustitiam exercere, cùm vult, cum Gratia Adiuuante; noua excitante nil opus *ordinariè*, nam in arduis planè opus speciali est.

III. DE IVSTIFICATIONE.

De hac quinque: 1. *De Iustificationis quidditate:* 2. *De Iustitia Inhærente.* 3. *De Naturalis iustitiæ Qualitate:* 4. *Operibus:* 5. *& Meritis.*

QVÆSTIO XLIX.

Quid & Quotuplex est Iustificatio?

I. IVSTIFICATIO *est trãslatio hominis à statu peccati, ad statum gratiæ.* Vel, *Nõ est sola peccatorum remissio; sed & Sanctificatio seu Renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.* Vnde bipartita est; Remissio peccati, & Infusio gratiæ: Estque duplex: *Prima habitualis*, ex impio faciens iustum: *Secunda actualis*, ex iusto iustiorem. Ita S. Aug. *Con. 26. in Psa.* 118. De hac hîc.

II. Acceptio Iustificationis in Scriptura est quadruplex: vt significet

1. Declarare iustum: vt Prou. 17. *Qui iustificat impium, & condemnat iustum.* Hanc propriam solam esse contendunt Luthero-caluinistæ.

2. Præcipere Lege iustitiam: Psal. 118. *Iustificationes tuas custodiam.*

3. Acquirere iustitiam: vt Rom. 3. *Iustificati gratis.*

4. Augere iustitiam. Eccl. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.*

III. Iustificationis causa est quadruplex: Finis, Efficiens, Materia, Forma.

Causa
- Finalis, 1. *Principalis*, Deus: 2. *Minus principalis*, Gloria Christi, & hominum beatitudo.
- Efficiens, 1. *Primaria*, Misericordia Dei: 2. *Meritoria*, ex condigno Christi passio: 3. *Instrumentalis*, coniuncta Christi Humanitas: 4. *Separata*, est Scriptura.
- Materialis, 1. *Subiectiua* est Anima humana: 2. *Dispositiua*, Voluntas.
- Formalis, 1. *Intrinseca* est habitus gratiæ: 2. *Extrinseca*, vel, *Exemplaris*, est Christi iustitia: 3. *Formalis in actu*, sunt opera bona.

QVÆ-

QVÆSTIO L.

Quid in genere tenendum de Dispositionibus ad iustificationem?

LVTHERANI & CALVINIANI iuxtà contendunt, hominem simpliciter à Deo agi: & agere nihil: quin cogi ac necessitari. Vide suprà *quæst.* 47.

2. LVTHERANI requirunt fidem actualem in infantibus ad iustificationem. Vide *Luthero-calu. p.* 3. c. 24.

3. Lutherani ante iustificationem requirunt, plenam Fidem vt instrumentum, non vt dispositionem: alij Terrores, alij nouæ propositum vitæ. Patebit infra.

AVTOR. I. Carentibus vsu rationis necessaria non est propria dispositio; sufficit aliena. Quia infantes solum aliena voluntate sunt auersi à Deo: Nec vrget præceptum eos, vt incapaces præcepti. Illud Mar. vlt. *baptizantes docete.* &c. de adultis dicitur.

II. Adultus ratione vtens eget propria dispositione vt iustificetur à peccatis. *Trid. sess. 6. c. 5. can. 9.* Hinc orat Ecclesia pro conuersione peccatorũ. 1. Reg. 7. *Præparate corda vestra Domino.* Prou. 16. *Hominis est præparare animam.* Mat. 3. *Parate viam Domini.*

III. Præparatio idonea est ex gratia præueniente, cum qua concurrit homo Actiuè; non passiuè. Ezech. 18. *Facite vobis cor nouum.* Mat. 7. *Facite arborem bonam.* Mat. 3. *Agite pœnitentiam.*

IV. Dispositionum principalior autor est Deus, vt causa mouens lib. arbitrium. Sunt autem Actus VII. queis disponuntur adulti: Fides, Timor, Spes, Dilectio, Pœnitentia, Propositum Sacramenti suscipiendi, vitæ nouæ, & obseruandi præcepta. *Trid. sess. 6. c. 6.* Quos implicitè habere sat est; explicitè singulos elicere nil opus. Nemo autem infallibiliter cognoscere potest sufficientiam dispositionis suæ. *Trid. sess. 6. c. 9.* Quia nemo certò scire valet se esse in gratia; aut dicere, *Mundum est cor meum.*

V. Per dictas dispositiones nemo meretur gratiam iustificationis: Contrarium nobis affingit Kemnit. *Trid. sess. 6. c. 8.*

Porrò de DISPOSITIONIBVS in specie.

QVÆSTIO LI.

Quid sit Fides iustificans?

LVTHERO-CALVINISTÆ Tripisti, tres fides distinguunt; Historicam, *Hebr.* 11. Miraculorum, 1. *Cor.* 13. & Promissionum. *Mar. vlt. Saluus erit.* Et hanc *Generalem*, qua promissam omnibus credimus salutem. *Specialem*, qua sibi quisque promissionem Dei applicans credit; seu potius Fidit dimissa sibi propter Christum esse peccata, ex speciali misericordia. Hanc Fidem Melanchthon *præfat. in tomum* 2. *Lutheri*, eum accepisse tradit ab Confratre sui Ordinis, citante S. Bernardum.

LVTHERVS in Dom. 2. Quadrag. *Fides est certa diuinæ bonitatis & gratiæ, per Verbum Dei cognitæ ac manifestæ Fiducia*, scil *Specialis*; ait Assert. art 1. & 15. Sic & Melanch. in Locis, tit. Fides, Opera. Item Electorales Theologi in Colloq. Altemburg. fol. 3

CALVINVS Inst. 3. c. 2. §. 7. *Fides est diuina ergo nos beneuolentiæ firma certaque COGNITIO, quæ gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata per Sp. Sanctum; & Reuelatur mentibus nostris, & cordibus Obsignatur.* Vbi obiectum fidei statuit *Misericordiam solam*; & Fidem de hac esse *Notitiam*, Obsignatam verò notitiam esse *Fiduciam*: Nam ibidem §. 8. ait Assensionem fidei potius esse cordis & affectus, quam cerebri & intellectus.

SVADENT Fiduciam istis. 1. Hebr. 11. *Fides*

est sperandarum substantia rerum ὑπόστασις id est, expectatio. Iuxta Psal. 38. *Quæ est expectatio mea: nonne tu Dominus? Et substantia mea apud te est.* Sic Heb. 3. *Quæ domus sumus nos, si Fiduciam & gloriam spei vsque in finem firmam retinuerimus.* Et infrà: *Participes enim Christi effecti sumus; Si tamen initium substantiæ eius vsque in finem firmum retineamus.*

2. Rom. 4. Abraham *iustificatus est ex Fide*, id est, Fiducia misericordiæ: Nam *contra spem in spem credidit.* Et *Non hæsitauit diffidentiâ.* Sic Mar. 11. *Quicquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis*; id est, *confidite.* Sic Iac. 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* 2. Par. 20. *Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis.* id est, *confidite.*

3. Reprehensa Apostolorum timiditas refertur in defectum fidei; vt Mat. 6. *Quanto magis vos modicæ fidei?* Mar. 8. *Quid timidi estis modicæ fidei?* Mat. 14. *Modicæ fidei quare dubitasti?* Mat. 16. *Quid cogitatis modicæ fidei?* At Timor opponitur Fiduciæ. *Hebr.* 11. 1. *Pet.* 5. *Eph.* 6.

4. Rom. 4. *Ideo ex fide vt secundum gratiam firma sit promissio*: ergo Fides est Fiducia: Vnde 1. Ioan. 5. *Qui non credit, mendacem facit eum.*

5. Fides historica S. Scripturæ non iustificat: quia auget pauores & desperationem: Nec ea de minis & iudicio, eãdem ob causam: Nec ea de præceptis, quia auget desperationem, vt de impossibilibus obseruatu: Nec ea de Generalibus promissionibus: quia hæ non afferunt quietem animæ nisi in speciali applicentur. Ergo sola specialis fides iustificat omnes credentes: Iuxta 1. Ioan. 5. *Hæc scribo vobis, qui creditis in Filium Dei; vt sciatis, quia vitam habetis æternam. Infra quæst.* 54. plura.

AVTOR. In tribus ab hęreticis, hac in causa Fidei, dissentire necesse est: In fidei Obiecto, Speciali misericordia: in Subiecto seu potentia Intellectus: in Actu intellectus.

I. VNA FIDES est (non triplex) iustificans. Quia, Heb. 11: *est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: at hęc vna est & Historiarum, & Miraculorum, & Mandatorum, & Promissionum S. Scripturæ. Patet ex contextu capitis 11. cum 10. Nam eidem Fidei tribuitur ibidem,

1. *Per eam intelligimus aptata esse sæcula*; quod est Historiæ:

2. *Per eam Sancti vicerunt regna, obturauerunt ora leonum.* &c. Hoc est miraculorum.

3. *Per eam adepti sunt repromissiones.*

EXPLICO *Fides est* ὑπόστασις ἐλπιζομένων id est, ait Augustinus sæpius, *sperantium fundamentum*, sustentans iustos in spe bonorum ęternorum: Vnde, Heb. 10. *Iustus ex Fide*, ceu anima *viuit.* Græci tamen, *Sperandarum rerum* legunt: quod eodem redit. Quia est subsistẽtia rerum speratarum in animis sperantium ex fide. Et hoc est in intellectu de futuris.

2. *Argumentum*, conuincens intellectum *non apparentium*, scil. seu *rerum Sperandarum*, seu quarum cumq; *Reuelatarũ.* Et hoc est in intellectu de ipsũ transcẽdẽtib⁹. Distinguitq; Fidẽ Christianã ab Opinione, suspicione, dubitatione, vti cogens ad assensum: sicut vox *Substantia* distinguit eam à fide politica; quæ est fallax, sine basi ac fundamento infallibili. Vox, *Non apparentium*, distinguit fidem à scientia & intellectu, vt quæ luminis euidentiam requirant, & nullam patiantur obscuritatem. Plura de Apostolica fidei definitione in subiectis qq.

DICO AD I. S. Patres Græci nulli ὑπόστασιν exponunt *Expectationem*, sed substantiam, & basim; vt fides sit quasi anima rerum speratarum; quod has apprehendat mentique repræsentet

ab

absentes, seu futuras, quasi præsentes. Dein, Esto, significet *Expectationem*; non tamen hinc probatur fides specialis. Quia hoc, *rerum sperandarum*, refertur ad vitam æternam, & resurrectionem; Rom. 8. *Expectantes redemptionem. &c. Spe enim salui facti sumus*: at Expectatio vitæ æternæ non est fides iustificans, etiam iuxta Sectarios; quia his ea fides est de præsentis misericordiæ certitudine; non de futuræ expectatione.

AD II. Fides ibi accipitur pro Catholica, id est, omnibus à Deo revelatis quæ fuerunt, sunt, erunt; non pro sola promissionum fiducia. Promittebatur Abrahæ filius; & erat ei fides miraculi, posse fieri supernaturaliter: atque hinc ei spes supernaturalis contra naturalem. Illud, *credite quia accipietis*, sc. vera fide; sed sub conditione, *si bene petatis*. Sic & cætera de vna vera fide, non de sola promissionum intelliguntur.

AD III. Timiditas refertur ad defectum fidei; quia fiducia oritur ex fide: non tamen idcirco fides est fiducia; vt pomus non est pomum, vel contra.

AD IV. Ibi loquitur, non de promissione remissionis peccatorum; sed de promissione quod erat futurus pater Gentium vocandarum ad iustitiam: ac *ideò ex fide*, non ex lege, seu operibus solius naturæ, futura erat iustificatio promissa in Christo gratuita. Malè igitur Sectarii in voce *promissio* volunt intelligi Remissionem peccatorum; & in voce, *Fides*, Fiduciam; cum necessariò debeat intelligi Fides Dogmatica, teste textu ibi toto; & promissio Vocationis gentium ad iustificationem.

AD V. Posito; quod ponunt aduersarii, certos esse homines oportere remissionis peccatorum & salutis; benè ratiocinantur: sed assumũt vt certum, quod est probandum. Nam Fides, cum sit Vna sola, respicit historias, miracula, mandata, promissiones: Et hæ generales testantur sufficientiam pretii, & meritorum Christi pro omnibus; sed non testantur in omnibus suum sortiri effectum absque conditione ex parte hominum; quia requirunt Fidem & Sacramenta.

QVÆSTIO LII.

An fides iustificans rectè fiat triplex?

LVTHERANI vt Kemnitius *p. 1. Exam. Trid.*

CALVINIANI, vt Caluinus *Inst. 3. c. 2.* & similes, fidem fingunt tricipitem. *Historicam*, qua in scripturis vera narrari: *Miraculorum*; qua omnia à Deo fieri posse: *Promissionum*; qua gratuita per Christum remissio peccatorum creditur. Historicam *diuinæ Veritati*; Miraculorum, *Potentiæ*; Promissionum, *Bonitati* respondere prædicant.

Fidem promissionum *Generalem* iustificare negant; *Specialem* verò solam affirmant.

SVADENT istis, vt *Scharpsius in cursu Theol.*

1. Fides iustificans est propria electorum. Rom. 10. *Omnis qui credit in illum, non confundetur.* At historica est piis, impiis, diabolóque communis. 1. *Cor.* 13, 2. *Iac.* 2. Ergo historica non iustificat.

2. Simon Magus habuit fidem, Act. 8. At non Iustificantem; Nec miraculorum ergo historicam; quæ non iustificat.

3. Multi fuerunt fideles, qui tamen fidem miraculorum non habuerunt: vt Abraham, Isaac, Iacob, Baptista. &c. Ergo hæc non iustificat.

4. Iudas habuit historicam fidem & miraculorum, *Mat.* 10. at non iustificantem.

5. Multi, habentes fidem miraculorum, damnabuntur. *Mat.* 7. at cum iustificante nemo damnabitur. *Mar.* 16.

6. Fidei historicæ obiectum est totum Dei verbum; Actus, omnia in eo credere: Miraculorum obiectum est Dei potentia; Actus credere eam omnia posse: Iustificantis fidei obiectum est Totum Dei verbum, & præcipuè promissiones; Actus promissa Sibi Applicare certò. ergo.

Avtor. *Ista triplex fides*, ait Maldon. in Mat. 9. *quam isti nuper inuenerunt portentum est, Chymæra est: Et si VNAM haberent Fidem, omnem haberent: Quia Triplicem habent, Nullam habent.* Verè.

I. Quia Fides Specialis nouiter cõficta est; in Scripturis nusquam reuelata docetur.

II. Quia Miraculorum Fides iustificat: qualis illa Mar. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* At hęc est Miraculorum; patet ex subiectis, *SIGNA autem eos, qui crediderint, hæc sequẽtur. In nomine meo dæm. &c.* Item Caluinus Inst. 3. c. 18. §. 8. fatetur de fide iustificante loqui Apostolum, 1. Cor. 13. *Manent tria hæc Fides, Spes, Charitas.* Atqui eam esse miraculorum dixit ibidem; *Si habuero OMNEM Fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum.*

III. Fides historica iustificat: Quia hac credimus Christum natum, passum, mortuum. &c. At hæc sunt historiæ, non fabulæ; & credita iustificant: teste Symbolo Apostolorum: & Ro. 9. *Si in corde tuo crediderit, quod DEVS Illum suscitauit à mortuis; saluus eris.* 1. Cor. 15. *Notum vobis facio Euangelium, per quod saluamini; quo Christus mortuus est pro peccatis nostris. &c.*

IV. Quia si loquuntur Trifidij de Habitu fidei, seu dono habituali ac permanente; iam Vna est tantum, se extendens ad omnia Reuelata credenda. Si de Actu fidei; iam tot erunt fides, quot particulares articuli fidei sortiturq; nomina diuersa speciatim ex obiecto vario, sc. historiæ, miraculorum, promissionum, mandatorum, consiliorum. &c. In istis nulla est vi quam *specialis*, quam Verbum Dei aut Scriptum, aut Traditum reuelarit.

Dico AD I. Maior est falsa & minor. Nam fides formata est electorum; non formata, impiorum est ac dæmonum: quia credunt; non diligunt Deum.

AD II. Simon habuit fidem vocem; sed informem. Dein, Non, edere miracula, iustificat; sed credere edita esse vera.

AD III. Habere fidem de Omnipotentia Dei est fides iustificans; illa quet suprà: at illam habuerunt præcepti. &c.

AD IV. Iudæ fides erat informis quæ, quoad se, est potens iustificare; quoad Credentes, sed non rectè vt oportet; non est efficax. *Perditio tua ex te; auxilium ex me.*

AD V. Fides, & Donum miraculorum hoc differunt, quod illa semper iustificare potest; non hoc: vnde distinguuntur Gratia gratis data, & Gratia iustificans: illam habentes damnari possunt; hanc viuam, non possunt.

AD VI. Rectè caput & iugulum suum hic gladium defixit: Nam denominatio & distinctio sumitur ab obiec-

to-

cto: sed fidei historicæ & iustificantis est Scharpio Totum Dei verbum; in quo & fides de Potentia Dei continetur; ergo cum sit VNum fidei obiectum, esse & ipsam VNAM necesse est, qua iustitia & hæreditas acquiritur.

INSTAT: *Licet fides iustificans semper in se contineat fidem historicam, & aliquando etiam miraculorum; non tamen contrà.*

DICO I. Fides iustificans est & Sacræ historiæ, & miraculorum, & promissionum, & omnium quæ Reuelata sunt; & contrà: At verò non illa sola promissionum, vt, dicit iste, & non docet; patetque suprà. *Deinde*, Fides miraculorum est credere edita miracula; non edere posse ea: Neque ea est species fidei, sed actus.

QVÆSTIO LIII.

An Fides Iustificans sit FIDVCIA specialis misericordiæ?

LVTHERANI suprà quæst. 51. Fidem esse propriè actantum *fiduciam* affirmant: Caluiniani verò licet etiã laciniam *Notitiæ* assuant; Fiduciam tamen communiter propugnant; eiusque obiectum esse volunt tum Scripturam quidem vniuersim; tum verò præcipuò eam, quæ est de Promissionibus factis.

CALVINISTARVM communem sententiam hisce complectitur Scharpius in Cursu Theol. Sect. 22. Controu. 4. *Nos fidem esse fiduciam, seu specialis misericordiæ certam persuasionem, qua quisque fidelis certò statuit SIBI remissa esse peccata in Christo; & SE Salutem æternam consecuturum asserimus.*

SVADENT. istis, præter allata superius quæst. 51. 1. Quia Scriptura dicit, *Isa.* 1. 18. *Act.* 2. 29. *Gal.* 1. 4. & 3. 13. 27. specialem misericordiam ad omnes & singulos pertinere: ergo eam fides singulorum applicare debet.

2. Quia Nulli datur vita æterna, nisi qui particulariter particeps est misericordiæ per fidem; *Ioan.* 5. 1. 5. *Mar.* 16. 16. *Luc.* 7. 50. Ergo fides est specialis certa persuasio, & promissionum applicatio.

3. Scriptura, *Rom.* 8. *v.* 15. 16. duos ponit adoptionis testes; Sp. Sanctum in nobis & Spiritum nostrum, id est, conscientiam sanctificatam. Ergo quod specialiter testatur cuique spiritus, id tenetur credere. Sic & 2. *Cor.* 1. 21. *Ioan.* 3. 13. & 4. 13. &c.

4. Pontificii volunt nos certos esse posse Salutis spe: ergo & fide. Nam spes fidem sequitur; cum sperenus id, quod credimus.

5. Christus exigit particularem persuasionem particularis misericordiæ in plurium curatione: ergo singuli eam habere debent.

6. Timiditas fidei in scripturis arguitur, ergo necessaria est specialis misericordiæ fiducia.

7. Semel in gratiam recepti à gratia finaliter excidere non possunt. Ergo de salute nulli dubitare licet. Vide *supra quæst.* 51.

AVTOR. Fides non est fiducia; teste S. Scriptura.

1. Rom. 4. *Non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum: in repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ; sed confortatus est fide, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Ideo & reputatum est ei ad iustitiam.* En *Considerare* est intellectus: *Plenissimè scire* item: Fiducia autem est voluntatis: *Diffidentia* græcè ibi est ἀπιστία, id est, *incredulitas.*

2. 1. Cor. 13. *Manent fides, spes, charitas.* &c. Hic fidem iustificantem distinguit à spe, quæ est Fiducia, Iob. 8. *spes hypocritæ peribit.* Psal. 39. Iere. 17.

3. 2. Cor. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* En credere cogitur fide intellectus quod non intelligit.

4. Eph.

4. Eph. 3. *In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia PER fidem eius.* Ecce spes præsupponit fidem, & 1. Tim. 3. *acquirit multam fiduciam in fide, quæ est in Christo IESV.* Vnde Mat. 9: *Confide fili*a; quia præcedens *fides tua*, præsensque, *te saluam fecit.*

5. Scriptura docet obiectum fidei esse omnia, quæ reuelauit Deus: patebit *infra quæst.* 56.

6. Actus fidei est in Scripturis *Credere*: at fiduciæ est *Fidere*. Fidere autem non explicatur semper in Scripturis per Credere, vt volunt aduersarij: quia absurda contingerent plura: Vt Ioan. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.* Act. 8. *Credo Filium Dei esse IESVM.* Rom. 10. *Corde creditur ad &c.* similia absurdè exponuntur pro fiducia.

7. *Substantia rerum sperandarum*, id est, futurarum est fides; quia futura facit præsentia: at repræsentare est intellectus, non voluntatis. Item *Argumentum*, ἔλεγχος, id est conuictio ad intellectum pertinet, cuius est iudicare, & assentiri. Ibidem: *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei.* At intelligere non est voluntatis seu fiduciæ. Ibid. *Fide Noe metuens aptauit arcam.* id est, quia credidit certò futura, ideo metuebat: at fiducia excludit metum. Ib. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est; & inquirentibus se Remunerator sit.* At hic *Credere* non potest exponi per *Fidere:* non enim confidimus esse Deum; sed credimus.

Dico AD I. Generalis misericordia Dei pertinet ad singulos in actu signato, Dei voluntate, qui *vult omnes saluos fieri*: at non pertingit ad singulos efficaciter; ex defectu suscipientium eam; vt incapaciũ suâ culpâ; non Dei causâ. Applicare verò eã sibi possent aç deberent singuli per obseruationem mandatorum, vsum Sacramentorum. &c. & sic sperare bene.

AD II. *Per Fidem*, solam promissionum? Falsum jam patuit suprà; patebit & infrà. Deinde *particulariter participeps* sic, vt iam dictum, scil. per Vnam & in charitate viuam fidem. Falsa consequentia est. Quia *fides est sperandarum*, id est, omnium reuelatarum *substantia rerum*, non *Applicatio* earum.

AD III. Primum, de Apostolis asseritur, queis certitudo specialis constabat ex speciali reuelatione. Deinde Spiritus Spiritui nostro testatur per modum spei & consolationis; non fidei & reuelationis.

AD IV. Spes nostra respectu Dei certa est; at nostri respectu incerta quia mutabiles sumus, *& nescimus an cum spiritus simus; nescimus odio an amore digni simus.*

AD V. Primum ab aliquibus solum ad omnes nulla sequela est. Requirit autem Dominus ab aliquibus fidem, non specialem illam promissionum, sed Generalem omnium reuelatorum, seu reuelandorum. Demum necessaria est cuique post fidem etiam fiducia seu spes, sed non ipsa certitudo.

AD VI. Timiditas fidei generalis arguitur, quod non exerceretur pro tempore, loco, casu, statuque, vti poterant & debebant viri magnæ fidei. Vnde & augeri eandem orandum est; non illam specialem, nisi

nisi quoad spem meliorem. AD VII. quæst.

QVÆSTIO LIV.

An fides iustificans sit NOTITIA?

LVTHERANI, vt Kemnit. in exam. Trid. part. 1. ad fidem pertinere vult tum Fiduciam, tum & Notitiam: Eò quod in fide sit,

1. *Notitia*, id est, cogitatio promissionum:
2. *Assensio*, statuentium eas ad se pertinere:
3. *Desiderium* iustificationis ex iis exoriens:
4. Fiduciam accedenti ad thronum misericordiæ.

Deinde quia Scriptura tribuit cordi, quæ ad intellectum & voluntatem pertinēt. Vt, Mat. 9. *Quid cogitatis mala in cordibus vestris.* Mat. 22. *Diliges &c. ex toto corde.*

Demum S. Bonauentura spem ait, quoad certitudinem pertinere ad intellectum; ad voluntatem verò quoad expectationem.

CALVINVS *Inst.* 3. *c.* 2. Affirmat, non ignorantiâ & sensus nostri submissione; sed cognitione certa regnum cœlorum adiri: Quia 2. Tim. 3. damnantur *semper discentes, & ad scientiam veritatis nunquam peruenientes.*

SCHARPIVS *in Cursu Theol. sect.* 22. *quæst.* 1. distinguit Fidem: De implicita, quâ nec Apostoli multa non distinctè cognouerunt; non controuerti, sed conuenire omnes. At de fide Apprehensionis quæri, id est, de sensu particularis gratiæ, quo cupiunt credere, Sic ait *Fides non est assensus in rem incognitam; sed ad eam requiritur Notitia Verbi & præcipuè promissionum.*

SVADENT istis. 1. Singuli tenentur esse parati ad reddendam rationem fidei omni postulanti. 1. *Pet.* 3. Ergo fides est notitia; quia hac ist huc opus.

2. Rom. 10. Credere corde, & confiteri ore fit ex præcedenti cognitione, id est, fide: ergo hæc est notitia. Vnde Isa. 35. *Cognitione sui seruus meus iustificabit multos.* Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.*

3. Sublato Verbo tollitur & fides; id enim huius est basis: *Isa.* 55. *Ioan.* 20. *Rom.* 17. 10.

4. Sermo Christi in nobis inhabitare debet in omni sapientia, vt & alios doceamus, *Col.* 1. 16. *& c.* 2. 2. At huc opus notitiâ.

5. *Fides* Pontificiis *est sperandarum substantia rerum*: est ἔλεγχος seu *Demonstratio*, seu *Conuictio*: Et res speratæ nullam habent basin in intellectu. Vnde Quod subsistit in intellectu est notitia; at fides ibi subsistit. ergo: Et *Demonstratio* fit ex præcedente cognitione: Et *Conuictio* fit per argumentationem, in qua est notitia principiorum.

6. Fide intelligimus ea, quæ fide apprehendimus: *Heb.* 11. 3. Ergo fides est notitia.

7. Fidem melius definiri per ignorantiam quam per notitiam, ait *Bell. l.* 1. *c.* 5. 7. Ergò fides est ignorantia: Per fidem, id est, ignorantiam iustificamur: id per peccatum: quia ignorantia illius, quod scire debemus, peccatum est.

8. Fides non habens notitiam est inferior habente aliquam: at Pontificia habet nullam; diabolica & historica aliquam. *Iac.* 2. ergo illa est hac inferior.

AVTOR. I. Fides non est notitia, sed Assensus.

1. Teste S. Scriptura in meo *Antichristo. p.* 4. *q.* 30.

2. Ita S. Patrum consensus. S. Iren. l. 2. c. 45. *Melius est nihil omnino scientem credere Deo, & perseuerare in eius dilectione; quam per quæstionum subtilitates, & multiloquium in impietatem cadere.* S. Hil. l. 8. de Trin. *Habet nō tam veniam, quam præmium, Ignorare quod credas. Quia maximum stipendium fidei est, sperare quæ nescias.* S. Aug. epist. 102. *Si propter eos solos Christus natus est, qui certa intelligentia possunt ista discernere: penè frustra in Ecclesia laboramus.* Quare, lib. contra epist. fund. c. 4. *Turbam non intelligendi vivacitas: sed credendi simplicitas tutissimam facit.* Idem tract. 27. in Ioan. *Non quia cognouerunt, crediderunt; sed vt cognoscerent, crediderunt.* Serm. 189. de temp.

Vocaris fidelis, non rationalis. Accepto baptiſmo dicimus; fidelis factus ſum, Credo, quod neſcio, Sic & cæteri.

3. RATIO. In credente eſt Apprehenſio, & Iudicium ſeu Aſſenſus: At *Apprehenſio* eſt quid fidem præcedens, non fides; ceu & infideles myſteria fidei apprehendunt. Neque apprehenſio eſt propriè notitia. *Aſſenſus* verò, ſequens Rationem rei, eſt notitia: at ſequens Autoritatem proponentis, eſt Fides. Vnde S. Aug. l. de vtilit. credendi c. 11. *Quod intelligimus aliquid, rationi debemus: quod autem credimus, Autoritati.*

DICO AD I. Ratio articulorum fidei eſt duplex: Diuina; vt Reuelatio; Humana; vt Conformitas eorum ad intelligentiam noſtram, ſeu conuenientia. Vnde Apoſtoli dicti ſunt TESTES, non Magiſtri Quare fidei non eſt notitia, niſi ſupernaturalis: At reuelationis, Teſtimonii, Conſenſus Eccleſiæ habetur notitia.

AD II. Fides infuſa prior eſt in intellectu, quam in cordis affectu, ſeu oris effatu. Sic & *Cognitio Chriſti* eſt effectus Fidei infuſæ, præſupponens reuelantis autoritatem. Sic Aug.

AD III. Fides eſt ante Verbum ſcriptum: Nam Adam, Abel, Enoch, Abraham. &c. crediderunt abſque Scriptura: non ergo fides tollitur verbo ſublato: ſed contra.

AD IV. Ex infuſa docere ſapientia oportet eos, qui ex officio ſic vocati ſunt: Non enim omnes ſunt doctores: Cuiuſque tamen docere pro modulo ſuo.

AD V. Notitia propriè dicta eſt naturalis, ex naturæ principiis; ea naturaliter conſiſtit in intellectu: At ſupernaturaliter ſupernaturalis notitia, quæ impropriè ſic dicitur, eſtque fides. Et huius *Demonſtratio* eſt ex præexiſtente Reuelatione, & huius teſtibus; Atque inde eſt *Conuictio* tranſcendens rationem.

AD VI. *Fide intelligimus* ſupernaturaliter, quod eſt credere non ſcire.

AD VII. Patet ſuprà ex S. Patribus.

AD VIII. Item inde. Dein, Falſi maior eſt. Et diabolorum fides mortua eſt, habetque notitiam ex amiſſa viſione beatifica; ideo non eſt verè fides, licet vera. Demum Notitia fidei & Fides differunt: hæc ſolum eſt fidelium; illa etiam infidelium eſſe poteſt.

QVÆSTIO LV.

Quod fidei iuſtificantis OBIECTVM?

LVTHERANI perinde & CALVINIANI, vt patet *quæſt.* 51. Fidei iuſtificantis obiectum ponunt ſpecialem Dei miſericordiam, in ipſo quidem Dei verbo propoſitam; at præcipuè *in Promiſſionibus.* Ita communis apud Schaupium *in Curſu Theol. de iuſtifi. quæſt.* 3.

SVADENT iſtis. 1. Chriſtus & Apoſtoli docent *præcipuè* prædicandum eſſe Euangelium de promiſſionibus. 2. *Cor.* 1. 9. & 5. 18. *Matt.* 4. *Act.* 20. 24. Ergo idem præcipuum eſt obiectum fidei.

2. Propter quod *præcipuè* cognitum & creditum datur vita æterna; idem eſt obiectum fidei: at id Chriſtus eſt eiuſque promiſſa. *Ioan.* 17. 3. & 6. 47. *Rom.* 10. 11.

3. Stantib. promiſſionibus ſtat & fides: ipſis ceſſantibus in altera vita, ceſſat & hæc: ergo fides præcipuè reſpicit illas. 1. *Cor.* 13. v. 12. *Hebr.* 11. v. 39. Ideo Paulus, 1. *Cor.* 1. *vers.* 23. omnem ſuam

suam scire in Christum refert. Similia bathologa congerit plura Scharpius ipsâ inops copiâ.

AVTOR. Fidei iustificantis obiectum nõ est Specialis misericordia; vt supra liquet quæst. 5. Sed Omnia ab Deo reuelata mediatè, seu immediatè.

1. Sic Scriptura in meo *Antichristo* p. 4. q. 31. Quia quam fidem Christus exigebat, & miraculis confirmabat, ea erat iustificãs; ideo n. prędicabat eam vt homines saluarentur, Luc. 19. *veniens quærere quod perierat*: At *Mat.* 9. à cæcis fidem exigebat omnipotentiæ, non misericordiæ specialis. Sic *Mat.* 16. Fides Petri erat de Diuinitate. De hac & illa Centurionis fides erat, *Luc.* 7. Sic & Nathanaelis, *Ioan.* 1. Et Marthæ, *Ioan.* 11. &c.

2. In scripturis fides iustificans respicit alia obiecta subinde, quam Misericordiam: vt Mar. 1. *Si vis, potes me mundare*: Pharisæus, *Luc.* 18. habuit fidem specialem credens se iustum; nõ tamen cum ea est iustificatus. &c. Apostoli similia testantur: *Rom.* 4. de fide Abrahæ; quæ non respexit remissionem peccatorum. *Rom.* 10. Resurrectio Christi fit obiectum fidei saluantis. &c.

III. TRADITIO est, Fidem iustificantem non esse fiduciam misericordiæ, sed Assensũ ad omnia verbi scripti & traditi. Nam S. Patres testantur SYMBOLVM ab Apostolis conditum esse, vt fidei totius summa constaret: Apostolico adde Nycænum, Constantinopolit: & Athanasianum: At in ijs nec apex de speciali misericordia. Non in eo; *Credo Sanctam Ecclesiam*, id est, ait Lutherus, *nullum esse amplius peccatum in ea, nullam mortem*: Nam in area sunt paleæ multæ, mali pisces in rete. &c. Dein idem credunt Catechumeni; non tamen iustificati sunt: NON in eo; vt vult Melanch. *Credo remissionem peccatorum; quam fides iustificans propriè intuetur*; Nam ea est minima pars Symboli, scil. duodecima; & vndenis aliis vna præpolleret? Deinde ea docet Generalem, non Specialem misericordiam.

IV. RATIO. 1. Quia nusquam in Scriptura est remissio & misericordia specialiter annunciata mihi, tibi: &c. Sed generatim: Neque est vsquam ista propositio: *Omnis, qui credit SIBI esse remissa peccata iustificatur.* Neque ex Antecedente conditionato rectè infertur conclusio absoluta, sed conditionata: vt *Si credis saluus eris*: Act. 8. Ro. 10. Neque istæ: *Qui credit in Filium, habet vitam æt. Qui credit, iustificatur*: &c. rectè inferri sinunt SOLAM FIDEM iustificare: vt infra patebit.

2. Fides iustificans præcedere debet iustificationem: Rom. 5. *Iustificati EX fide.* Rom. 3. *Iustificat PER fidem.* Nam causa prior est effectu. Atqui fides specialis sequitur iustificationem; quia ante hanc illa est falsa; cum necdum sint remissa tibi peccata. Nã res credita, vt Remissio, debet esse ante fidem; & obiectum ante actum, hic enim ab illo pendet.

3. Fides specialis è medio tollit orationem, Sacramenta, opera bona, aliaque saluti necessaria. Nam quid orem fieri, *Dimitte nobis debita nostra*: quod iam ante orationem fide factũ credo? Quid opus baptismo, si iusti-

ficatus sim fide quę pręirebaptismum debet?

4. Fiducia specialis iustificare nequit: quia pendet à bona conscientia & vita: at hæc sequitur iustificationem; ergo magis fiducia.

5. Fides iustificans tranquillitatem parit, *Rom.* 9. at Specialis Fides, desperationem: Vult enim Caluinus *Inst.* 3.c.2. quemque & Credere, & certò Cognoscere debere se esse prædestinatum, fidemque amitti non posse: At hanc fidem falli posse docet experientia Caluini desperantis: Quin & testimonium eius ibid. *Tot vanitatis recessus sunt, tot mendacij latebris scatet cor humanum, tam fraudulentæ hypocrisi obiectum est; vt seipsum sæpe fallat. At verò qui talibus fidei simulacris gloriantur, intelligant diabolis nihilo se in hac parte præcellere.*

DICO AD I. Non *Præcipuè*; quia nusquam hoc in Scriptura: Sed Euãgelium in communi iubetur prædicari.

AD II. Minor falsa nititur eodem. Nam quod præcipuè iussum est prædicari, id & creditum iustificat: at hoc est Euangelium totum; non particula promissionum.

AD III. Falsa consequentia. Nam omnium articulorum, non promissionum duntaxat fides cessabit, *quando facie ad faciem videbimus Deum vt est*: ideo stans hîc fides respicit omnes ex ęquo fidei articulos.

QVÆSTIO LVI.

An SOLA Fides iustificet?

LVTHERO-CALVINISTÆ affirmant sola fide apprehendi iustificationem: sicque *in Re* conueniunt: at differunt *in Modo*, ac dissentiunt tum à nobis, tum & inter se se in Modo, in Actibus iustificationis, & in voce SOLA.

I. Quo Modo fides iustificet?

1. LVTHERVS in Gal. 2. *Fides est formalis iustitia, PROPTER QVAM homo iustificatur; Non propter charitatem.* Flacciani idem tribuunt Wittembergensibus *in Colloq. Altemburg.*

ALII LVTHERANI ferè omnes id negant, quòd per modum causæ formalis, physicæ, aut meritoriæ iustificet: sed tantum RELATIVE, quia respicit, & recipit oblatam indulgentiam. His ergo, sola fides iustificat, id est, homo iustificatur per gratiam Dei non imputantis peccata; quam Fides, ceu manus eleemosynam, recipit. Vide infra quæst. 58. 59. 60. 61.

II. Dissentiunt in ACTIBVS virtutum: seu operum, vt spei, dilectionis pœnitentiæ.

1. LVTHERANI RIGIDI, vt Ministri Saxonici *in Colloq Altemburg.* volunt ita Fidem SOLAM iustificare; vt excludat aliarum virtutum & Præsentiam & Meritum Lutherus in Gal. 2. *Fides sine, & ante caritatem iustificat* Et to. 1. disp. de operibus propos. 3 *Fides nisi sit sine vllis etiam minimis operibus, non iustificat: imò non est fides.*

2. CALVINVS *in Antid. Trid. sess. 6. art. 11.* Solum ait fidem iustificare; sed non esse solam; sicut solis calor accendit solus, non tamen est solus, sed cum splendore. Sic & Melanchthon *in Locis com.* & Wittenbergenses *in Colloq. Altemburg.* prærequirunt eas virtutes; hisque accedere volunt Fidem, *quòd PROPTER Filium Dei habeamus remissionem peccatorum; non propter has virtutes.* Sic Flacciani seu Molles & Electorales.

III. 1. ALII vocem SOLA volunt subaudiri, posseque reticeri; non ideo corrixandum; cum non reperiatur in Scriptura.

2. ALII acerrimè dimicant, esse exprimendam ac tuendam pro aris ac focis.

SVADENT vniuersim istis. 1. Scripturæ docent, hominem sine operibus iustificare.

2. *Scripturæ* nominant solam Fidem, omissis operibus.

3. Dicunt hominem gratis iustificari.

4. Docent, omnes, qui credunt, iustificari & saluari.

5. Prædicant efficaciam verbi Dei; quod sola fide apprehenditur.

6. Docent irritam fore promissionem, si lege, aut operibus nitatur, & non sola fide accipiatur.

AVTOR. Non sola fides iustificat, id est, non

est, non disponit hominem ad gratiam iustificantem, nisi vt initium & radix prima iustificationis agit quod suum est, & suas cæteris virtutibus partes relinquit, quæ etiam iustificant.

I. DOCETVR Inductione. 1. Fides est principium: Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est. &c.* Rom. 10. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius.* Ratio. Quia appetitus nequit amando vel sperando tendere in obiectum sibi non apprehensum: sed fides apprehendit amanda & speranda: ergo spes & charitas præsupponunt actum fidei.

2. TIMOR iustificat. Eccl. 1. *Qui sine timore est, non potest iustificari.* Prou. 1. *Timor Domini principium sapientiæ:* Prou. 14 *fons vitæ.*

3 SPES iustificat. Prou. 28. *Qui sperat in Domino sanabitur.* Mat. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

4. DILECTIO aliqua prior est remissione peccatorum; Imperfecta, tempore; Perfecta naturâ prior est. Eccl. 2. *Qui timetis Dominũ, diligite eum & illuminabuntur corda vestra.* Luc. 7. *Remittuntur ei pec. multa, quoniam dilexit multum.* Gal. 5 *Fides quæ per dilectionem operatur.* Deus tamen prior nos diligit per gratiam præuenientem.

5. POENITENTIA iustificat: Act. 2. *Pœnitentiam agite.*

6. Desiderium Sacramenti suscipiendi iustificat voto.

7. PROPOSITVM nouæ vitæ. Eccl. 18. *Facite vobis cor nouum.* Mat. vlt. *Docentes seruare omnia.*

Istarum dispositionum ratio conformis est ordini naturæ. Nam iustificandus

1. Concipit ex auditu fidem se posse iustificari:

2. Se peccatorem intelligens, timet.

3. Speratque Deum fore sibi propitium.

4. Hinc Deum diligit.

5. Doletque se peccasse.

6. Media quærit sui expiandi.

7. Proponit emendationem.

DICO AD I. Tria notanda. 1. Apostolo *lex factorum* est, quæ iubet quid faciendum sit: *Lex fidei*, est fides, quæ impetrat gratiam faciendi. Illa occidit iubendo, non iuuando; hæc viuificat auxiliando. Et lex fidei requirit maximè fidem, dein & opera: at lex factorum maximè opera, dein & fidem.

At LVTHERO-CALVINISTAE legem operum sola opera, legem fidei solam fidem requirere fingunt.

2. *Iustitia legis* sunt opera per legem præscripta: quæ Apostolus commendat, non reijcit, Rom. 2. *Factores legis iustificabuntur, Iustitia ex, vel in lege* sunt opera, quę fiunt sola cognitione legis, non ex gratia Dei, ideo iustificant coram hominibus, non coram Deo: & Apostolus opponit eã *iustitiæ fidei*, vocatque propriam.

3. Per opera, quæ fidei opponit, & à iustificatione excludit Apostolus, intelliguntur ea, quæ fidem præcedunt & solis lib. arbitrij viribus fiunt: iuxta S. Aug. & Hieron. Non autem seu ante, seu post fidem facta; vt fingunt sectarij. Neque solum legales ceremoniæ; vt volunt quidam Catholici.

1. Qui: *Rom. 4. Eph. 2. Tit. 3.* opera simpliciter excludit, nulla mentione

facta legalium. 2. Quia Rom. 2. *Qui operatur, merces imputatur secundum debitum, non secundum gratiam*: talia sunt opera, quę solis naturę viribus fiunt. Ex his obiecta loca soluuntur. *Ro.* 3. 4. *Gal.* 2. *Eph.* 2. *Tit.* 3. *Phil* 5.

AD II. Etsi fides subinde sola nominetur; non tamen sola iustificat: Sic ut & aliæ virtutes quandoque nominantur solæ. Cum enim plures causæ ad vnum effectum concurrant; nunc hæc, nunc alia nominatur. Deinde licet aliquādo sola fides sufficiat ad miracula impetranda; non ideo etiam ad iustificandum.

AD III. Vox *Gratis* bifariam capitur: 1. Vt opponitur Debito ex iustitia, vel Merito ex condigno; tunc gratuita iustificatio non excludit Opera dispositiuè concurrentia, vel vt Merita de congruo. 2. Vt opponitur operi facto ex solis naturæ viribus; tunc ea excludit tantum merita propria, id est, nostra ex nobis; non quæ ex Dei auxilio sunt nobis, vt est fides, spes, timor, pœnitentia, &c.

INSTAS: Meritum & Merces sunt relata; si igitur iustitia ex merito datur, ergo non gratis.

DICO. Vt meritum quoddam est ex congruo, sic & merces ex congruo est, quę magis ex gratia, quam iustitia, debetur. *Rom.* 4.

AD IV. Vox *Omnis* bifariā capitur. 1. Negatiuè: Vt, *Omnis qui credit, iustificatur*, id est, nemo sine fide iustificatur. Vt, ait *S. Aug. l. de prædest. c.* 8. sit vnus doctor grammaticæ in vrbe; dicatur, Omnes ab eo discunt Grammaticam, id est, nemo discit sine illo. Ita *Deus vult OMNES saluos fieri*, id est, nemo fit saluus sine Deo.

2. Omnis, id est, omnia hominum genera. Nam Ro. 10. *Non est distinctio Iudæi & Græci; nam idem Dominus omnium.*

AD V. Non sat est verbum sola fide apprehendi, nisi & charitate impleatur: cum, vt promissiones offert, sic præcepta iubeat.

LVTHERVS igitur errat, fidem extollendo.

1. Quòd legem impleat, quæ alioquin facto æquit impleri.

AT hoc est caritatis, *Rom.* 13. *Ioa.* 4.

2. Quòd fides summum obsequium Deo exhibeat; glorificando eum veracem in promissionibus.

AT Mat. 5. *Videant Opera vestra, & glorificent Patrem*: non ergo sola fides glorificat; sed quæ per caritatem operatur.

3. Quòd fides animam sponset Deo.

AT media caritate.

AD VI. Foret irrita promissio, & inanis fides nostra, si iustificatio posset habere per solam legis cognitionem, aut per opera solis naturæ viribus facta.

Nusquam enim docet Scriptura iustificationem fieri Aut sola promissionum apprehensione per fidem Aut non pendere eam ex conditione operum. Nunc vniuersè dicta explicatius & breuius dispiciamus.

QVÆSTIO LVIII.

An, & Quo Modo SOLA FIDES iustificet?

I. LVTHERVS non valens istud SOLA reperire in Scripturam, in *Rom.* 4. *caput* eam fidenter intrat, monitusque respondit: *Sic volo, Sic iubeo: sit pro ratione voluntas.*

CALVINVS *Inst.* 3. *c.* 11. §. 19. producit Scripturas dicentes, Fidem iustificare sine operibus

ribus: ergo infert sola iustificat. 2. Deinde concedit, præter fidem requiri aliarum actus virtutum: at hisce vim inesse iustificandi pernegat, in Antid. Trid. sess. 6. can. 9. *Hominem sola fide iustificari cum dicimus, fidem non fingimus caritate vacuam; sed ipsam solam iustificationis causam esse intelligimus.* In Can. 11. *Fides sola iustificat: fides tamen, quæ iustificat, non est sola.* 3. Actus tamen charitatis, timoris. &c. etiam iustificant; sed non nisi in virtute fidei.

AVTOR. Dico ADI. Voluntas Lutheri, neque producta Scriptura Caluini soluit hunc diuinæ rationis nodum: Nihil asseri ab Sectarijs debet, nisi in Scripturis expressum: at Solam fidem iustificare, nusquam in ea extare docent. Ergo.

AD II. Scriptura tam aliarum virtutum actus iustificare ait, quam fidē: Nam Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum*, Luc. 7. *Remittentur ei peccata multa; quoniam Dilexit multum*.

AD III. S. Aug. l. 15. de Trin. c. 18. *Ipsam fidem non facit vtilem, nisi caritas. Sine charitate quippe fides potest esse, sed nō prodesse.* Quia Gal. 5. *In Christo &c. prodest fides, quæ per caritatem operatur.* Aug. in Ench. c. 8. *Sine amore fides nil prodest.* Quia informis est: at Caluinus informem asseret iustificare solam sine caritate, licet sine hac non sit; vt solis calor non sine luce est.

Denique, Si *sola* iustificet, necesse est omnes iustificari qui habēt *Solam*. Improbè igitur Lutherani Caluinistas, & illos hi condemnant, vt hæreticos. Nam æquè vtrique *Solam* habere iactant.

DICANT alterutri illos habere *solam*, sed erroribus permistam.

ATquid inde? Aut *Solam*, aiunt, habens fidem, sibi remissa peccata; iustificatus est & perire nequit: Aut, si pereat, non sola iustificat. Et Iustificanti soli non obstant quæcunque peccata; vt per *Solam* remissa; ergo nec obstant errores hæretici. Quid ergo de fidei articulis tam infestè digladiantur; cum nec obsint, nec prosint Soli fidei iustificanti & saluanti?

II. LVTHERANI: Sola iustificat sic, quia sola apprehendit iustitiam Christi actualem. Sicut Manus prehendit eleemos. Ita *Melanch. in Locis Com. tit. de bonis operib. Kemn. in sess. 6.*

CALVINVS Inst. 3. c. 11. §. 7. *Fides, etiamsi nullius per se dignitatis sit vel pretij, iustificat nos; Christum afferendo; Sicut Olla pecuniis referta hominem locupletat.*

Explicatipse MODVM solius iustificantis.

1. Vt Causa effectiua iustificationis: in Antid. suprà: *Solam Fidem iustificationis CAVSAM intelligimus.* In Can. 11. *Vim iustificandi ac facultatem fidei in solidum vindicamus.*

2. Vt Causam Instrumentalis; Ibid. §. 7. *Fides est duntaxat Instrumentum percipiendæ iustitiæ.*

3. Sola iustificat, vt causa Efficiens, Materialis, Formalis vel vt Instrumentalis. Ita Inst. 3. c. 14. §. 17. Efficientem *causam vitæ æternæ nobis comparandæ vbique Scriptura prædicat Patris cœlestis Misericordiam, & gratuitam erga nos dilectionem*; Materialem *verò, Christum cum sua obedientia, per quam nobis iustitiam acquisiuit.* Formalem *quoque vel* Instrumentalem, *quam esse dicimus, nisi Fidem?* Idem ibid. §. 21. 4. Et tamen fides nihil efficit in negotio iustificationis; Quia Inst. 3. c. 13. §. 5. *Quoad iustificationem res est merè PASSIVA, Fides.*

AVTOR: *Apostata vir inutilis*, Prou. 6. & inconstans MODVM per omnes ducit causas, & asserit has omnes; iterumque negat omnes; dum fidem vult Rem merè Passiuam esse. Quid inconstantius dici, fingique potest? Sed & porrò cumulat variatione suas, vt iugulet seipsum hoc magis; minus-

nusque indigeat refutationis nostræ. Nam si quæras : Quis sit propriè Actus fidei, qui iustificat?

CALVINVS. 1. ait Inst. 3. c. 11. §. 2. *Qui Christi iustitiam per fidem APPREHENDIT.* Sic & cap. 16. §. 1.

2. Actus, Inst. 3. c. 2. §. 2. *Ex eo salutem consequimur, quãdo Deum Agnoscimus nobis esse propitiũ Patrem.* Et §. 16. *Verè fidelis non est, nisi qui solida persuasione, Deum sibi propitium Patrem esse persuasus, de eius benignitate omnia sibi pollicetur.*

3. Actus. Inst. 3. c. 2. §. 11. *Peccatorum remissionem Sp. Sanctus propriè in solis Electis obsignat; vt eam Speciali fide APPLICENT.*

4. Actus ibid. §. 16. *Verè fidelis non est, nisi qui confidenter se regni cœlestis hæredem gloriatur.*

Ecce Actus quaternos; Apprehendere iustitiam Patsi : Credere promissionem propitij sibi Dei : Applicare sibi eandem : & Credere se excidere accepta iustitia non posse.

AVTOR. Tanta in varietate quo modo quis saluabitur? Vno contenti, iustificari nequibunt: Quia Caluinus ex æquo requirit singulos. Sin' omnes necessarii : certè ex Scriptura doceri nequit. Nam dictum Magdalenæ, Luc. 7. *fides tua te saluam fecit.* Hæmorrhoissæ, Luc. 8. *Filia, fides tua saluam te fecit.* Apostoli, haud dubiè iustificati, non credebant passurum Iesum, *Luc.* 18. *v.* 31. *Mat.* 16. *v.* 21. At ostendantur actus dicti in eis : nam duæ illæ nihil dum sciebant de passione Domini: hi non eam credebant, & ex fide accepta exciderunt. Quo igitur MODO iustificati sunt?

QVÆSTIO LIX.

An vera fides possit reipsa ab Dilectione separari; vt SOLA iustificet?

LVTHERANI Rigidi affirmant rectè, sed malè cæterarum virtutum præsentiam meritumq; excludunt, quò SOLAM fidem peruicacius propugnent. Vide suprà *quæst.* 57.

CALVINISTAE verò pernegant, cum Melanch. apud *Scharpium in Cursu Theol. sect.* 22. *q.* 6. Veram fidem iustificantem, aiunt, nunquam sine Dilectione esse posse magis, quam ignis sine calore, aut sol sine lumine.

SVADENT istis. 1. Quia Iac. 2. *fides sine caritatis operibus est,* ficta & *mortua.*

2. Quia nemo nouit Deum in Christo, id est, credit, nisi qui mandata eius seruat, 1. Ioa. 2. id est, diligit.

3. Nemo in luce est & manet, id est, credit, nisi qui diligit. *Ioan.* 2.

4. Omnis qui credit, est filius Dei; id est, Deum amat, 1. *Ioan.* 5.

5. Dilectio est forma fidei, vt volunt Pontificij: at forma dat esse rei : ergo abesse nequit.

6. Deus in Christo iudicabit de fide & dilectione, *Mat.* 25. *Luc.* 7. Ergo. Nam ponit, *Ioan.* 13. *v.* 35. dilectionem infallibile signum fidelium.

7. Fides semper est efficax & operatur per dilectionem: *Gal.* 5. Ergo separari nequeunt.

8. Fides datur electis vt iis prosit: at fides sine caritate nil prodest, 1. *Cor.* 13.

AVTOR. Fides per se, sed informis, potest à dilectione, cæterisque virtutibus separata esse. 1. Ioan. 12. *Multi ex Principibus Crediderunt in eum; sed non Confitebantur. Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam Dei,* quod est non diligere Deum.

INSTANT : Habuerunt solùm notitiam Christi imperfectam; non fidem veram.

AT *crediderunt* ait absolutè; sicut ibidem ait & de alijs, *Credebant*; item *Non credebant.* Consentit S. Aug.

H. 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem &c. Caritatem autem non habuero, nihil sum.*

INSTANT. 1. Ex suppositione loquitur, quæ nil affirmat, nec ponit in re: docetq; ex conditione

ditione impossibili necessitatem dilectionis.

2. Loquitur de fide miraculorum, non de iustificante.

At, 1. Iustificantem fidem à fide miraculorum in multis separatam esse dicit, Mat. 7. *Multi dicent: Nonne in nomine tuo prophetauimus, dæm. eiecimus?* &c. ergo argumentum est à possibili, fieri solito.

2. Dein euidenter docet conditionatè; Si fides sine caritate esset, nil prodesset: Ergo sola fides nil prodest. Esse autem sola potest, & vera, at non viua.

3. Demum fides miraculorum est verè iustificans fides; patet *suprà quæst.* 52. & 56.

III. Iac. 2. *Quid prodest, si fidem quis dicat se habere; opera autē non habeat? Nunquid poterit fides saluare illum?*

Instat 1. Caluinus *Inst.* 3. c. 2. §. 17. loqui cum de fide historica inani:

2. De dicentibus se habere fidem; at verâ destituris.

3. De fide Essentiæ Dei, non Beneuolentiæ.

4. Fidem sine operibus comparari cum fide dæmonum.

5. Fidemque eam dici mortuam; quod autem mortuum est, non est.

At 1. Eam absolutè *Fidem* appellat; qualē *Iac.* 2. dicit fuisse Abrahami operosam; & concludit: *Videtis quòd ex operibus iustificatur homo, & Non ex fide TANTVM?*

2. Non negat, sed affirmat tales iactatores fidei fidem habere; sed non saluantem.

3. Fides beneuolentiæ est vniuersè etiam Essentiæ: quia Bonitas Dei Deus est.

4. Fides improborum, & dæmonum eadem est ex parte obiecti, & vera: differt tamen vtraque quòd hominum sit libera; dæmonum coactè extorta: vnde *contremiscunt.*

3. Fides dicitur mortua, vt corpus: non vt homo: post mortem enim illud est, hic non est. Nec vita est de essentia fidei; sed accidens.

IV. In Ecclesia sunt boni & mali; teste area, *Mat.* 13. Veste nuptiali, *Mat.* 25. Reti, *Mat.* 22. Et tamen omnes in ea sunt fideles; sed non omnes charitate præditi.

Instant. Malos habere fidem historiæ, non beneuolentiæ.

At id in quæstione est. Dein arguuntur, non de amissione fidei, sed de omissione operū, vt ille carens veste; carentes oleo; hirci à sinistris damnantur ob operum nuditatem.

V. Fides & caritas disiungi inuicem possunt; *Tum quia* neutra est de ratione alterius, vt esse debeant vna virtus 1. Cor. 13. *Manent tria hæc, fides, spes, caritas*: ita q; duæ sunt virtutes, habentq; duo subiecta, obiecta, & actus. *Tum quia* vna non necessariò nascitur ab altera: licet fides dicatur gignere caritatem: Sed quòd disponat ad eam liberè, vt credens diligat Deū, si velit.

Instant. Caritas ex fide necessariò consequitur, vt fidei propria passio. Hoc declarat

1. Lvtherus: Vt ignis non est, si non luceat & ardeat:

2. *Bucerus l. Concordiæ*: Vt æger ex improuiso visum medicum non potest non amare.

3. *Caluinus, Inst.* 3. c. 2. §. 9. Vt Christus à Sp. Sancto nequit separari: Ita fides & caritas.

At 1. Ignis in Scriptura comparatur caritati, non fidei: *Cant.* 8. *Rom.* 13. Aug. in Ps. 31. *Quod credit, fidei est; quod*

operatur, caritatis est. 2. Æger inclinatur, non necessitatur ad amandum medicum sui causa magis, quam medici. 3. Nil concludit dissimillimũ: nã Dei filius & Spiritus Sanctus sunt vnus Deus.

VI. Fidem & opera caritatis volunt esse coniuncta: ergo iustificatio pendet à fide & caritate: sicque nemo certus esse salutis potest, qua in certitudine iustificationem ponunt; foret etiam impossibilis iustificatio.

Dico Ad I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. Rectè singula concludunt de fide viua, seu formata per caritatem: at malè de fide per se, seu informi. Nam illa nequit esse absq; caritate; hæc est virtus vna certa per se, specie ab aliis distincta.

QVÆSTIO LIX.

An fides esse possit sola: Sicque iustificare Sola?

I. Lvthero-calvinistæ negant posse. Lvtherus ad Gen. 15 *Scio has virtutes esse insignia Dei dona: Scio fidem sine his Donis non existere. Sed quæstio est, quid cuiusque proprium est. &c. Quid facit sola fides? Apprehendit remissionem, credit promittenti Deo, Deo porrigenti aliquid admouet manum, accipit: hoc proprium solius fidei est.* Sic & Brentius, Kemnit &c.

Calvinvs in Antid. sess. 6. Can. 11. *Sola fides est, quæ iustificat: Fides tamen quæ iustificat, non est sola. Sicut calor solis solus est, qui terram calefacit; non tamen calor solus est, sed cum splendore.* Sic & Melanch. in Locis, & in Apolog. Confes.

Avtor. Fides esse sola potest.

1. Quia sic Lutherus in Gal. 2. *Fides sine, & ante caritatem iustificat.* Et in disput. An opera faciant ad iustif. ait, *Fides nisi si sine vllis etiam minimis operibus, non iustificat.* Vah, quam hæc malè hærent prædictis ab ipso? Calvinvs *in Antid. sess. 6. can. 28.* Fatetur, inter grauissimos lapsus manere semen aliquod fidei viuæ. At peccata pugnant è diametro cum caritate; ecquî ergo inter eos cum hac fides esse potest? Ergo non potest non esse sola.

2. Quia Sectariis fides potest iustificare sola; ideo & esse sola dici debet ijsdem: nam ex essentia rei sua cuique manat proprietas quę fidei est *iustificare*, vt volunt.

3. Si fides ideo esse sola non possit, vt volũt Sectarij, quia necessariò profert fructus bonos dilectionis & virtutũ; ergo fides esse, dici, esse debet per dilectione; vt causa suo effectu; idque prior tempore & naturâ: ac proinde sola. Si prior est; ergo & iustificat, id est, cum iustitia est coniuncta prius, quam cum dilectione: Sicque homo erit iustificatus, & sceleratus; viuens & mortuus: Quia *iustus ex fide viuit:* Et tamen *qui non diligit, manet in morte:* 1. Ioan. 2. Quod absurdum. Si verò fides nec naturâ prior vel esse, vel intelligi potest sua iustificatione: cum, (vt ipsi volunt) sint relatiua, (quæ se mutuò ponunt & tollunt,) Deus iustificans, & fides iustificationem accipiens. Quare fides, vt sola iustificare fingitur absurdè; sic & non esse posse sola fingitur absurdè.

Hactenus de *Esse posse solam*: Porrò de *Non iustificare solam*.

II. Lvtherani & Calviniani contendunt, Fidem iustificare solam; etsi esse non possit sola.

Svadent istis præcipuè. 1. *Quia* Scriptura docet, iustificare solam; ergo credendum, licet nulla causa detur alia.

2. *Quia* sic placuit iustificatori Dei iustifica-

stificationem donare cum sola conditione fidei.

3. *Quia* natura fidei est solius, Apprehendere iustificationem, Applicare nobis, & facere nostram.

AVTOR. Si fides à cæteris virtutibus separetur, haud dubiè iustificare non poterit vt Sectarij volunt: ergo sola iustificare NON potest. Sequela constat: quia sine virtutibus *Esse* non potest sola, vt volunt: ergo nec sine iis *iustificare sola*. Quia volunt fidem RELATIVE Iustificare; ergo, posita fide, simul & Iustitia ponitur: Relata enim nec esse, nec intelligi sine altero queunt. Ideo fatentur Sectarij & profitentur, per omne peccatum amitti fidem; sicut per fidem poni in homine iustitiam. Quod vtrumque est perinde erroneum.

2. Deinde si fides sola iustificat, quia relatiue iustificat, vt volunt; esse in homine nequit, quin & iustitia insit; at hęc sine dilectione esse nequit: Qui enim non diligit, manet in morte: Ergo fieri nequit vt fides sine dilectione iustificet; ac proinde nõ sola iustificat.

3. Si sola sine virtutibus iustificare posset, posset etiam cum vitiis iustificare: Nam vt soli iustificanti nil prosunt virtutes; ita nec desunt vitia: quia hæc & illæ per accidens ei iunguntur: At sic iustus foret, qui odisset Deum peccator & proximum. Nec igitur fides iuncta vitijs, nec disiuncta à virtutibus iustificat.

DICO AD I. *Vocem sola* intrusit in Rom. 3. Lutherus. Nec ei æquivalentia sunt ista, Rom. 3. *Arbitror hominem iustificari per fidem, sine operibus*. Et, *iustificati gratis per gratiam ipsius*. Quia *fides sine operibus* non est *Sola fides*. 1. Si enim excluderentur omnia opera; iam ipsa fides quoque exclusa foret, vt quæ sit opus, Ioan. 6. *Hoc est opus Dei, vt Credatis. &c.* Vnde *S. Aug. l. de prædest. c. 7.* ait fidem nõ distingui ab operibus, quod ipsa sit opus gratiâ Dei primum, vnde cætera manant. Itaque iustificari ex fide est iustificari ex opere, at Sectariis iustificari ex fide est iustificari sine opere: quod implicat.

Item: Est lex fidei, *Rom. 3.* At si fides iustificãs excludit omnia opera legis; ergo excludit & fidei legem, quæ est ipsa fides sicque ex fide iustificari erit sine fide iustificari, quod implicat. Illud *gratis* excludit merita quæ sunt nobis ex nobis: non quæ sunt nobis ex dono Dei.

AD II. Id apertis repugnat Scripturis docentibus impium iustificari, *Ezech.* 18. per pœnitentiam, per baptismum, *Ioan.* 3. &c. aliasque virtutes; vt suprà liquet quæst.

AD III. Apprehensio specie distinguitur à iudicio rem apprehensam diiudicante; estque Cognitio rei in intellectu; at ea cognitio apprehẽsiua prę exigitur ad fidem; ergo non est propriè ipsa fides, nam & infideles possunt mysteria fidei apprehendere, & tamen non credere. Quare fides consistit in iudicio, non in apprehensione.

2. *Deinde*; Apprehendere fidem, nondum est habere eam, nisi obiectiuè solum: at ita amor & gaudium apprehendunt, ait *S. Aug. l. 8. Conf. c. 2.* neque tamen idcirco iustificant. Si igitur, dum amo & gaudeo me esse iustum; non ideo sum iustus; ita dum

credo me esse iustum; sum iustus apprehensiue.

3. Nec Applicatio iustificat; quia fieri eam per Sacramenta volunt; quibus priorem esse fidem oportet. At *Lutherus l. Capt. baby. c. de Baptis. & in Assert. art. 1. 2. 6.* asserit, *Sacramenta non iustificare, sed solam fidem*, vt instrumentum apprehendens iustitiam.

At sic apprehẽsa fides est opus seu actio: ergo opere iustificamur.

Instant, Rom. 3. excludi opera, non vt opera, sed vt merita.

Ergo similiter non debet excludi dilectio, spes. &c. à iustificando: Proinde non *sola fides* iustificat.

Instant porro. Virtutes eæ excluduntur sub ratione meriti, vti & fides; at fides, quâ est apprehendens iustitiam, non excluditur à iustificando.

At fides propriè est iudicium; impropriè est apprehensio, sed non magis quam amor, gaudium: atqui hæc apprehendendo non iustificant; ergo nec fides. Quod si fidem esse fiduciam velint, hanc melius dilectio apprehendit, quam fides; nam magis illa vnit, quam hæc.

QVÆSTIO LX.

An fides sola iustificet relatiue tantum, & non per modum meriti, aut causæ?

Lvtherani & Calviniani iuxtà affirmant, fidem solum relatiuè iustificare, id est, sic vt ea credendo accipiat, quod Deus offert promittendo. Apprehendit autem vt causa instrumentalis; & ad apprehensionem nihil in nobis concurrit actiuè, sed tantum passiuè. Vide *suprà quæst.*

Idque, addit Scharpius *in Cursu Theolog. Sect. 22. q. 7.* non virtute aut merito suo fides facit, nec vt est qualitas in nobis: sed correlatiuè. In fœdere enim duo sunt:

1. Substantia, vt iustitia & salus oblata.

2. Conditio, vt Fides apprehendens & applicans. *Sola*, particula exclusiua additur non ad separandas alias virtutes à fide, seu fideli; à quibus separari non possunt: sed à Causando iustificationem, vel vt præparationes, vel merito & dignitate sua.

Svadet ibidem multis Scharpius; sed siculneis telis vrget; quæ in scopum tendunt *solius fidei iustificantis* docendæ.

At directè docent *vnam fidem iustificantem*, ac minimè *solam*. Sicque aliud moliuntur; aliud consequuntur. Nec quid affert noui in rẽ; sed cramben decies recoctam, Lector, si vel theologaster, iudicet æquus: satque liquent è dictis *quæst. 57. 58.*

Avtor. Fides iustificat, Non solùm patet suprà; Nec relatiuè solum, & per modum instrumenti: sed per modum causæ, dignitatis ac Meriti, impetrando ac promerendo: teste S. Scriptura.

I. Scripturæ docent Fidem esse causam iustificationis, dum dicunt Rom. 3. *Hominem iustificari PER fidem.* Ro. 5. *Iustificati Ex fide.* Vbi *per*, & *ex* causã significant; sicuti *Ro. 3. 4. Gal. 2. 3. &c.* vbi negat hominem iustificari *per* opera, legem, *ex* operibus, seu lege. Ita *S. Aug. præfat. in Psal. 31.* Nam & Alias in rebus per Scriptum EX, & PER significant veram causam; vt Iustificari per Christum, per Sanguinẽ, per mortem. Heb. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna.*

II. Probant id loca, quæ testantur, fidem esse initium iustitiæ, sicque causam formalem inchoatam iustificationis

tionis. Ro. 4. *Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides ad iustitiam:* fides non apprehendit, sed est iustitia, perfectior vel imperfectior iuxta mẽsuram charitatis. 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo.* &c. Quod S. Patres de fide & operibus exponunt. Act. 15. *Fide purificans corda eorum*, à peccatis & erroribus.

III. Scripturæ docent Per fidem impetrari peccatorum remissionem: non tantum relatiuè respicere, & apprehendere. Vt Luc. 7. *Fides tua te salvam fecit*; sc. à peccatis. Mat. 15. *O mulier, magna est fides tua.* Mar. 7. *PROPTER hunc sermonem vade, exijt dæm. à filia tua.* Sanitatem totam tribuit fidei. Sic & *Rom.* 4. de Abrahæ fide. Et Rom. 10. *Omnis, qui invocaverit Nomen Domini, salvus erit. Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo credent sine prædicante?* Climax est: Prædicatio est causa fidei: fides, invocationis; hæc salutis.

Huc incedit Consensus Sanctorum Patrum.

IV. Quia causa formalis iustificationis, non est iustitia in Christo; non remissio pec. in nobis: sed realiter inhærens nobis iustitia; quæ infunditur per gratiam, non apprehenditur per fidem. Ad infusionem verò disponũt actus fidei, timoris. &c. effectiuè; Sectarij fingunt, disponere *per Præsentiam*; at fidem solam *per Apprehensionem.*

V. Necessitas Operum ad salutem euincit idem. Nam si fides sola iustificaret, sola etiam saluaret; nec amitti posset quibuscunque operibus malis, stante sola fide. Atq; hoc ita asserunt Sectarij: *Lutherus in Capt. Bab. c. de Baptis.* Et Flaccianos Maioristàs, seu Electorales Ministros reprehendunt Ministri Saxonici, seu Rigidi Lutheranos Molles *in Colloq. Altemburg.* quod distinguãt inter Iustitiam & Salutem; quasi sola fides iustificet, non opera; at saluent opera, non fides sola. Quibus *Molles* Respondent: Opera ad salutem solam necessaria necessitate Præsentiæ aut Signi; salutem tamen, & iustitiam tribui soli fidei. Hactenus de Iustificatione: Porro

II. DE IVSTITIA INHÆRENTE, seu CAVsa Formali Iustificationis:

QVÆSTIO LXI.

An iustitia nobis inhærens sit formalis causa iustificationis absolutæ?

LVTHERANI mirificè variant, turbant fœdè, pugnantque desperatè: Principio se lucem huic quæstioni intulisse iactabant: nunc, ob piritum dissidii, desperant.

I. LVTHERVS, & Aug. Confessio, Fidem asserunt, aut Christum fide apprehensum.

II. ILLYRICVS, Christi Obedientiam, & iustitiam nobis imputatam statuit.

III. OSIANDER, Dei iustitiam essentialem in nobis inhabitantem.

IV. CALVINVS iustificationem in sola Remissione peccati constituit; & imputationem iustitiæ Christi non negat.

V. BVCERVS & Pighius formalem eius causam duplicem assignant; Iustitiam nostram inhærentem, & Christi imputatam. Hæc vniuersè:

Porrò de singulis separatim. Ac primo de Inhærente iustitia in nobis.

I. LVTHERANVS Kemnitius statum quæstionis fraudulenter proponit: sc. quæri, *Propter* quid iustificemur: sitne meritum Christi; an inchoata nouitas in nobis?

CALVINVS in Antidoto Trid. sess. 6. ait. *Causam iustificationis Tridentini faciunt duplicem, ac si partim Remissione peccatorum, partim Regeneratione spiritali iusti essemus: Vel vt alijs verbis exprimam; Ac si partim Imputatione, partim Qualitate, iustitia nostra constaret. Ego autem vnicam & simplicem esse assero.*

AVTOR. I. Kemnitius de industria confundit causam Formalem cum Meritoria, vtens voce *Propter*, cum *Per* quid iustificemur, quæratur propriè. Deinde nobis inuidiam concire molitur, dum Christi merito nostram renouationem opponit, quasi hanc, quã istam, pluris faceremus.

DICO igitur, Si *Propter* significet causam formalem, nos iustificari propter inhærentem nobis nouitatem; non propter Christi meritum, quod inhærere nequit: Sin Meritoriam causam significet; nos iustificari propter meritum Christi, & non propter nouitatem nostri: Si causam in communi significet; nos iustificari propter vtrumque dico.

II. Caluinus id affingit Con. Trid. sess. 6. c. 7. vbi ita definit: *VNICA formalis causa est Iustitia Dei; Non qua Ipse iustus est; sed qua nos iustos facit; qua videlicet ab eo donati, Renouamur Spiritu mentis nostræ; & non modo Reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus.*

2. Deinde ipse Caluinus *Inst.* 3. *c.* 11. §. 2. duplicem causam iustificationis statuit: Remissionem sc. pec. & imputationem iustitiæ Christi; Concilium verò vnius causæ iustificantis Effectus, seu terminos vnius motus exprimit, sc. Remissionem peccati, & Infusionem gratiæ. Quia *iustificatio est mutatio impij in iustum*: iuxta Col. 1. *Qui t. eripuit nos de potestate tenebrarum, 2. & transtulit in regnum Filij dilectionis sue.* Hæc de statu quæstionis: nunc de ipsa.

LVTHERANI omnes ac CALVINIANI pernegant inhærentem nobis iustitiam esse formalem causam iustificationis.

SVADENT hæc multis apud Scharpium in *Cursu Theol. Sect. 22. quæst. 8.* Nostra refellentem argumenta. quæ clarius singulatim alternis proposita liquebunt.

AVTOR. Iustificari per Christum, Non est, haberi aut pronunciari iustos; sed verè fieri iustos per adeptionem Inhærentis iustitiæ Perfectæ, nõ imperfectę, vt per causam formalem.

I. PROBATVR Rom. 5. *Si vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis Abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per Vnum Iesum Christum. Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationẽ vitæ. Sicut n. PER inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per vnius obedientiã iusti constituentur multi.* Ergo Iustificari est iustum constitui Per obedientiam Christi: Quæ iustitia Christi est Perfecta, tum quia dicitur hic *Abundantia iustitiæ:* Tum quia dicitur maius esse Dei donum, quam Adæ peccatum: At hoc perfectam in nobis iniustitiam effecit; ergo perfectã iustitiam efficit Dei donum.

INSTANT. Hic *Iustificare* est iustum pronunciare.

1. Quia opponitur ei *Condemnare.* Vti & Roman. 8. *Deus qui iustificat, quis est, qui condemnet?*

2. Quia

2. Quia in hebræo *Iustificare* est vox forensis.

3. Quia bonis latinis *iustificare* non est iustum facere.

Dico Ad I. Vt *Condemnare* significat duos actus; Iudicis deputantis reos ad pœnam: sic Deus: Rei trahentis in culpam; sic Adam nos condemnauit: Ita *Iustificare* nunc est actus Dei iudicis declarantis iustos in ext. iudicio: nunc Effectus gratiæ est, facientis ex reis iustos. *Deinde*; Deus declarando iustum, facit iustum: siue id faciat per iudicium, siue per Obediẽtiam Christi; id est, gratiam. Ita *S. Aug. l. 1. de pec. merit. c. 15*

Ad II. Quia fieri iusti queunt vel *Intrinsecè* per adeptionem iustitiæ; vel *Extrinsecè* per declarationem; inde vox *Iustificare* valet ad vtrumque.

1. Attamen Dan. 12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos*: id est hebraicè *Iustificantes*, non iudicando; nec, vt *Calu. & Kemn.* volunt, pronunciando: nam prædicando ostenditur via ad iustitiam; non per sententiam pronunciantur iusti auditores.

2. Clarius Isa. 53. *In scientia sua iustificabit ipse iustus Seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Nil hic forense. Nam Christus in Doctrina iustus & facto & faciens iustos, vt ministrans iustitiam, ac tollens peccata. Sic, Apoc. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.*

Ad III. Boni latini, vt Cic. Ter. &c. rem vocis iustificare nescierunt, proinde nec vocem ipsam.

At S. Patres & rem & vocem præclarè norunt & frequentarunt: quos improbissimè respuunt Sectarij.

II. Probatvr. Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo IESV: quem proposuit propitiatorem per fidem in Sanguine ipsius.* Ecce causas iustificationis.

Gratis; nam Gratia est Efficiens; *Per gratiam ipsius*, sc. ab eo donatam ac infusam; Formalis hæc: *Per redemptionem in Christo:* causa Meritoria. *Per fidem in Sanguine eius*; hic Dispositiua causa est.

Instant Caluinus & Kemn: *Per gratiam* significari diuinam Non imputationem peccatorum nostrorum; & Imputationem iustitiæ Christi.

Dico 1. *Gratis* significat fauorem Dei; *Per gratiam* verò effectum fauoris; *Per*, causam formalem.

2. Beneuolentia Dei non est inanis, sed de facto beneficentia: Nam, Ps. 113. *Omnia, quæcunque voluit fecit*, Et, 1. The. 4. *hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra:*

3. Et gratia iustificans dicitur Ro. 5. *Caritas diffusa in cordibus per Sp. Sanctum, qua* (teste Aug. l. de Sp. & lit. c. 32. *nos facit dilectores suos; non qua nos ipse diligit*: vt Sectarij volunt. Vnde Rom. 8. *Accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater*; sc. ex amore filiali. Ibid. *Corpus mortuum est propter peccatum; Spiritus autem viuit propter iustificationem.* sc. ob intrinsecum Dei fauorem, non ob extrinsecum imputatitium.

4. Demum gratia iustificans comparatur rebus realibus, non imputatitijs: Vt *Rom.* 4. Dono, & Abundanti. 2. *Cor.* 6. &, 1. Ioan. 2. Luc. 1.

III. Probatvr. 1. Cor. 7. *Hæc fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri, & in Spiritu Dei.* Quod S. Patres exponunt de

de baptismo, quo & peccata abluuntur, & animæ sanctificantur.

IV. PROBATVR. Tit. 3. *Vt iustificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æt.* Quia *Sp. Sanctum effudit in nos abunde per Iesum.* &c. Vbi de Regeneratione agit, quæ nec intelligi potest nisi cum facta mutatione in regeneratis, ex iniustis factis iustis. *Simul* ibidem exprimuntur omnes causæ iustificationis: *Efficiens*, benignitas Dei: *Meritoria*, Christus: *Instrumentalis*, Baptisma: *Formalis*, Sp. Sanctus effusus in nos, qui est eius donum Caritas.

Demum ipsi Sectarii fatentur, esse in nobis quandam renouationem; sed hanc non ipsam esse iustificationem. AT eam hîc Appellat iustificationem Apostolus.

V. PROBATVR. Heb. 11. Abel, *Testimonium consecutus est, esse iustus.* Noë *Iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est constitutus*, perfectè sc. & verè; non solum inchoatè: Gen. 6. *Noe vir iustus & perfectus*, non imputatiuè. Vide plura in *Antichristo p.* 4. *q.* 33.

QVÆSTIO LXII.

An Fides sit iustificationis integra causa formalis? An vero Dei iustitia essentialis?

I. LVTHERVS variauit; nunc Fidem, nunc Christum statuens formalem causam iustificationis.

1. Ita enim in Com. ad Gal. 2. *Sophistæ dicunt Caritatem informare & imbuere fidem: Nos dicimus Christum informare & imbuere fidem; Vel, formam esse fidei. Ergo fide apprehensus, & inhabitans Christus est iustitia Christiana; propter quam nos Deus reputat iustos, & donat vitam æternam.*

2. Idem ibid. *Formalis nostra iustitia est ipsa fides, & nebula cordis, hoc est, fiducia in rem, quæ non videtur.*

MELANCHTHON *in Conf. Aug. art.* 4. ait, Fidem nobis pro iustitia imputari coram Deo. Sed id, ait *art.* 4. *§.* 6. 20. non propter ipsam fidei virtutem, sed propter Christi meritum: fide autem nos iustificari; quia fide apprehendimus. Sic & iste variat inter & Fidem, & Christi meritum, & Dei misericordiam.

LVTHERANI tum Rigidi tum Molles, omnes ab hoc errore desciuerunt, teste Colloquio Altenburg.

AVTOR. Fides non est integra causa iustificationis.

1. Quia, Gal. 5. Ex fide spem iustitiæ expectamus: idest, Ex fide speramus vitam æternam, mercedem iustitiæ: Aut, Ex fide speramus nos posse iustificari. Ita *Aug. l. de Sp. & lit. c.* 32. Verum *Ex fide* illa, *quæ per Dilectionem operatur*: non ergo ex sola, sed formata charitate Ideo 1. Cor. 3. *Si habuero omnem fidem, ita. &c. caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Iac. 2. *Quia fides sine operibus mortua est.* Vnde, 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte. &c.*

2. Ita S. Patres consentiunt. *Ad* 2. *c.* 4.

3. RATIO, 1. Quia fides excidit desinens in beatis: iustitia verò viq; perficitur.

2. Iustitia nos Christo facit similes; at fides dissimiles; nam hæc ipse caruit.

3. Iustitia non potest esse informis; fides potest.

INSTANT Lutherus & Caluinus, & ex illo Abacuc; *Iustus ex fide viuit*, mirè exagirant distinctionem fidei in Formatam, & Informem.

DICO *Iac.* 2. distinguitur in Viuam & Mortuam; quod est idem: nã quod viuit, per formam viuit. Et Gal. 5. *Fides per dilectionem operatur*, passiuè ἐνεργουμένη, id est mota; non actiuè quasi dicat. Dilectio est forma extrinseca fideb

fidei, quæ dat ei vt moueatur; non intrinseca, vt sit; nam fides est etiam pulsa caritate.

Neque obscuramus Christum, eiusque beneficia, aut fidem, dum caritatem extollimus: vt de qua 1. Cor. 13. *Maior horum est Caritas:* Ioan. 13. *Mandatum nouum do nobis.* Col. 3. *Super omnia caritatem habete:* quæ est fidei, quod lux soli. Vnde 1. Ioan. 3. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.*

11. LVTHERANVS OSIANDER *in confutatione Melanchthonis* testatur apud Confessionistas esse XX. sententias de iustificatione discrepantes. Idem *l. contra Nyfficoracem*, esse XIV. ait. Idem ex Lutheri scriptis asseruit, iustitiam Dei, qua essentialiter iustus est, causam esse formalem iustificationis nostræ; Lutherum sic intelligens dicentem, quòd Christus nobis inhabitans sit formalis illius causa. Proinde imputatiuam iustitiam respuit.

SPADET istis. 1. Quia 2. *Pet.* 1. dicimur effici diuinæ consortes naturæ.

2. Quia Deus non acceptat vllam iustitiam, nisi suam.

AVTOR. Fides viua est vera iustitia nostra per Christum.

1. Rom. 4. *Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* &c. *Quia reputata est Abrahæ* &c. Quin & *signum accepit Circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, &c. vt reputetur & illis ad iustitiam.* Gal. 3. *Fide spem iustitiæ expectamus. Nam in Christo Iesu neque circ. neque præputium aliquid valet; sed fides, quæ per dilectionem operatur.* At fides operans non est essentialiter Dei.

2. Ita *S. Aug. lib. de Spir. & lit. c. 9. & 31. &c.*

3. RATIO fauet. 1. Quia iustificatio præcedit Inhabitationem Dei. Nã Sap. 1. *Sp. Sanctus non habitat in corpore subdito peccatis.*

2. Quia Essentiali iustitia Dei essemus æque iusti, ac Christus. At Ioan. 1. *omnes de plenitudine eius accepimus.* Et Eph. 4. *Cuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.*

3. Quia Deus acceptauit iustitiam Christi creatam, qua pro nobis satisfecit: ergo hac meritoriè iustificamur, non essentiali, quam Deus non accepit.

DICO ADI. Dicimur cònsortes naturæ diuinæ fieri, non per essentialem Christi iustitiam, vt Osiander affingit S. Petro: sed quòd *per Christum*, ait, *nobis maxima & pretiosa promissa donauit*, id est, res promissas, non meras promissiones: sc. 1. Ioan. 3. *vt filij Dei nominemur & simus.* &c.

ADII. *Iustitiam satisfactoriam*, Deus non acceptat, nisi *Infinitam*; quia peccati offensa est infinita. At *aliquam Christi Creatam* acceptat; quæ tamen est valoris infiniti, ob Vnionem hypostaticam in Christo. Et illam nobis donauit Patri offerendam. 2. Tim. vlt. *Reposita est mihi corona iustitiæ. &c.* Demum *Cal. Inst.* 3. *c.* 11. fusè refellit Osiandrum.

QVÆSTIO LXIII.

An Sola Remissio peccatorum sit formalis causa iustificationis?

CALVINVS & CALVINISTAE apud Scharpium, agnoscunt cum Lutheranis Imputationem iustitiæ Christi; & Non imputationem peccatorum; *At causam formalem iustificationis asserunt propriè poni in Remissione peccatorum:* Vultque iustificationis nomen esse forense. Internam renouationem censet indignam nomine iustitiæ. Sic *Inst. l. c.* 13. §. 2. 3. 21. 22. *& in Antid. sess. 6.*

SCHARPIVS in *Cursu Theol. Sect.* 22. *q.* 9. asserit *Nos formam iustificationis ponimus in duobus cum Caluino*; *sc. in Imputatione iustitiæ Christi*; *& Remissione peccatorum*; *quæ duo inseparabiliter vniuntur*: *Et Imputatio meriti Christi, qua fit à Deo propter Vnionem nostri cum Christo, ob quem datur Remissio, ipsam essentiam iustificationis constituit.* Atque ita sentire Caluinum pertendit; arguitque falsi Illustrissimum Bellarminum: qui ista ex Caluino recitat, Inst. 3. c. 11. §. 2. *Nos iustificationem simpliciter interpretamur* ACCEPTATIONEM, *qua nos Deus in gratiam receptos pro iustis habet: Eamque in Remissione peccatorum, ac iustitiæ Christi Imputatione positam esse dicimus. &c.*

Ex his ita infert Bellarminus: *Itaque* ibid. §. 21. & 22. & in Antid. sess. 6. *contendit Iustificationem non esse positam, nisi in peccatorum remissione: Non excludit Imputationem iustitiæ Christi; sed internam renouationem, & sanctificationem, quam iustitiæ nomine indignam iudicat.* Vide, quã falsò Scharpius arguat falsi Bellarminum.

SVADET porro istis Remissionem peccatorum solam, exclusa Renouatione interna; sed inclusa imputatione iustitiæ Christi.

1. Quia vox *Iustificari* significat reum pronunciari insontem; & absolui accepta remissione: ergo in hoc consistit iustificatio. *Rom.* 4. 5. *&* 8. 8. *Luc.* 18. 13. *Actor.* 13. & nullibi significat internam renouationem.

2. Definitio iustificationis continet essentiam eius; at ea est SOLA remissio peccatorum.

3. Propter quod Christus est traditus à Patre, in eo consistit iustificatio: at id est remissio. Ita *Eph.* 1. 7. *Act.* 13. 38. *&c.*

Cætera talia liquebunt ex his, & prædictis. Piget me nugarum.

AVTOR. Iustificatio consistit in & Remissione peccatorum, & Interna renouatione.

1. Rom. 4. *Qui traditus est propter delicta nostra*: en primum: *Et resurrexit propter iustificationem nostram.* En alterum, & potius priore: quę duo separari nequeunt, cum eadem Christi gratia expellendo peccata intus innouationem efficiat, vt terminum Mutationis dexteræ Excelsi, ac mortis Christi. Nam 1. Cor. 15. *Si Christus non resurrexit, inanis est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris:*

2. Rom. 5. *Sicut peccatum regnauit in mortem; ita & gratia regnet per Iustitiam in vitam æternam.* Per iustitiam, id est, internam renouationem, ex qua procedunt opera vitæ.

3. Rom. 6. *Exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo.*

4. Rom. 8. *Spiritus viuit propter iustificationem*, vt quæ faciat ex mortuo Viuere.

5. Gal. 3. *Si data esset lex, quæ posset viuificare; verè ex lege esset iustitia*: ergo iustitia est verè aliquid dans vitam animæ.

6. Eph. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Ecce iubet in nouitate vitæ ambulari.

7. Sic & S. Patres.

8. RATIO. 1. Quia iustificatio & mutatio de peccato ad iustitiam, vt terminum, vnde & denominatur.

2. Item iustificamur non, vt solum gehennam euadamus; sed & vitam consequamur; idq; potissimum. Ro. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem; finem verò vitam æternam.* Rom. 8. *Quos iustificauit, hos & magnificauit.* 2. Tim. vlt. *Reposita est corona iustitiæ.*

3. Demum, Iustificatio ex inimicis facit amicos, hæredes regni, domesticos Dei. &c. ergo non constat sola

sola peccatorum remissione.

Argumenta Caluiniana soluentur *infrà quæst.* 67.

QVÆSTIO LXIV.

An iustificatio consistat in IMPVTATIONE *Iustitiæ Christi?*

LVTHERO-CALVINISTA Mart. Bucerus *I, Concordiæ*, excogitauit duplicem iustitiam: *Imperfectam*, quæ nobis in virtutibus inhæreat: *Perfectam* Christi imputatam, quæ sola Dei iudicium sustinere possit. Sic & sensit Pighius; Sed absque pertinacia, cum reuerētia Ecclesiæ. Deinde Imperfectam dixit, vt imparē beatitudini immensæ, & vt inchoatam iustitiam. Luthero-caluiniani verò eam non dignantur nomine iustitiæ. Imò Lutheri vox, suorumque est; *Iustus in omni opere bono* peccat mortaliter.

CALVINVS Inst. 3. c. 12. §. 4. inquit: *Omnium operum si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta sunt & sordes.* Ibid. c. 14. §. 9. *Nullum à Sancto exire potest opus, quod non mereatur iustam opprobrij mercedem.*

LVTHERANORVM igitur omnium est Imputatiua iustitia Christi; nā inchoatam iustitiā nec de nomine ferunt: Bucerus autem solo vocis prætextu differt; re idem dicit.

CALVINISTAE Imputationem postponunt Remissioni, vt potiori. Liquet *suprà quæst.* 65.

SVADENT Vtrique certatim multis: de quibus nos *quæst.* 67.

AVTOR. Imputatio Luthero-caluiniana merum est figmentum.

1. Quia nullo Scripturæ loco solidè docetur. Legimus quidem Non imputari peccata; fidem reputari ad iustitiam; Christum factum esse nobis à Deo Sapientiā, iustitiam, redemptionem: At non legimus, nobis imputari redemptionem, iustitiam Christi. &c. Ita Conc. *Trid. sess. 6. can.* 10, *&* 11.

2. Nulla afferri necessitas imputationis potest; nisi item ficta; scil. quod post iustificationem adhuc inhæreāt animis peccata; sed tecta.

AT reclamant Tecturæ vetus Nouumque Testamentum; Vide in meo *Antichristo p.* 4. *q.* 34.

3. Quia ficta item est illa necessitas imputationis, quod iustitiam nobis inhærentem adeo imperfectam dicitent, vt absolutè iustificare nequeat.

AT iustitiam in fide, spe, & charitate sitam esse, fatentur Sectarij ex illo, 1. Cor. 13. *Manent fides, spes, caritas*, hæc autem esse perfecta possunt in hac vita; teste Scriptura apud *Bellar. lib.* 2. *cap.* 7.

4. Quia Christi merita nobis donata, nobis imputari dici possent; sed phrasis ea nec Scripturæ nec S. Patribus est vsitata, nisi forsan perrarò:

AT ita imputari Iustitiam Christi, vt per eam formaliter nominemur & simus iusti; id fingitur Quia sic in vno forēt duę formæ. Intrinseca inhęrens peccatum; & extrinseca, Christi imputata iustitia: & denominaremur potius iusti ab exteriore, quam interiore peccati, propria nobis.

5. Non minus essemus iusti, quam ipse Christus: quippe eâdem iustitiâ.

6. Quia Christus nobis reddidit iustitiam, quam perdidimus; ait *S. Iren. l.* 3. *c.* 20. *Aug. l.* 6. *de Gen. c.* 23. 26. At in Adam non perdidimus imputatam iustitiam, sed verè inhærentem.

7. Si nos per Christi imputatam

nobis iustitiam iusti simus: ergo & Christus per imputatam ei iniustitiam nostram erit iniustus & verè peccator. Nam ita hanc illi, vt suam nobis, imputari asserunt Sectarij, vt *Illyricus in Confes. Antuerp. c. 6. & in Apologia eiusdem.* At hoc blasphemum est. &c. Sic & S. Patres.

QVÆSTIO LXV.

Quatenus veræ iustificationis impugnatio refutetur?

CALVINVS *Inst. 3. c. 11.* præcipuos producit arietes proprios, & multos Lutheranis communes.

1. Rom. 5. & 8. *Iustificare* est iustum pronunciare; non, facere iustum.

2. Rom. 4. *Reputatum est illi ad iustitiam.*

3. Ibid. ex Ps. 4. *Beati quorum remissæ &c. beatus, cui non imputauit Dominus peccatum.* Hæc est definitio iustificationis; si plena, ergo vera: si dimidiata, cur *beatus*? Ergo Kemnitius ait non imputari, esse, tegi peccata.

4. Christi obedientia est nostra iustitia: Quia Rom. 5. *Per obedientiam vnius hominis, iusti constituuntur multi.*

5. Vt Iudæi, sic Pontificij, ignorantes Dei iustitiam nobis imputatam, quærunt suam inhærentem statuere; *Rom.* 10. iustitiæ Dei non subiecti.

6. II. Ex 1. Cor. 1. *Qui factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia, & redemptio.* Quia Iere. 23. *Dominus iustitia nostra.*

7. 1. Cor. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi non reputans illis delicta eorum.*

8. Ibid. *Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit; vt nos efficiamur iustitia Dei in ipso.*

9. III. Ex Eph. 1. *Deus nos acceptos, siue gratiosos habuit in dilecto filio suo.*

10. Eph. 4. *Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est.*

IV. Act. 13. *Per Hunc Annunciatur nobis Remissio peccatorum. &c. In hoc omnis, qui credit, iustificatur.* Ergo forma iustificationis est Remissio peccatorum, cum Imputatiua Christi iustitia; sine Renouatione interna.

AVTOR. DICO AD I. Iustificari est, Rom. 3. *Per vnius obedientiam iustos constitui*; non annunciari. Sic Roman. 8. *quos iustificauit, hos & magnificauit*, id est, fecit iustos, magnos; non annunciauit. Sic ibid. *viuificat, mortificat, &c.* id est, facit viuos. &c. Deus pronunciare iustos, Deo est facere iustos: nō tegere iniustitiam, & falsò dicere esse iustos, qui intrinsecè sunt peccatores.

AD II Fidem reputari ad iustitiam non est imputari iustitiam Christi fide apprehensam. Quia fides ipsa reputatur ad iustitiam, non tamen fides est iustitia Christi, qua Christus iustus est, sed iustitia nostra est fides. Deinde Imputare est verè deberi imputatum, non opinatiuè & fictitiè.

AD III. 1 Sic *Beatus vir qui timet Dominū*: ergo Timor solus iustificat? Ita nec istud sequitur. Quia iis in locis non ponitur integra definitio iustificationis: tamen ex remissione peccati implicitè colligitur Donatio iustitiæ. Deinde; TEGI peccata, est deleri, quoad Deum, cui nil tegi potest, nisi deleatur, at deletionem peccati comitatur donatio gratiæ: ideo hæc duo iunguntur in scriptura.

AD IV. Obedientia Christi est causa Efficiens iustificationis non formalis. Liquet quæstione præcedente.

AD V. *Iustitia Dei* Apostolo est, quæ est nobis ex Dono Dei; *iustitia nostra*, quæ est ex viribus naturæ. Sic August. Et inde Iudæi iure arguuntur, vt de propria iustitia præsumptuosi.

AD VI. Christus est nostra iustitia,

tia,1. quia est causa efficiens illius, Ps. 36. *Salus iustorum à Domino.* 2. Quia satisfecit pro nobis, iustificansque nos, suam satisfactionem nobis donat: Nō quod Christi iustitia essentialis insit nobis vel imputetur.

AD VII. *Non imputatio* duo consignificat, Remissionem pec. & Infusionem gratiæ propter merita Christi satisfactoria: Col. 2. *Viuificauit vos Christo, Donans vobis delicta; delens chirographum decreti.*

AD VIII. Christo peccata nostra imputantur quoad debitum satisfactionis, non quoad culpam: Nam satisfactor pro iusto iustus sit oportet. Et sic nos *efficimur iustitia Dei* in Christo, non in nobis: ob vnionem Capitis cum membris. Item iustitia nobis inhærens est Dei; sed donata nobis propter Christum ita meritum. Item *efficimur iustitia Dei*, id est, similes illi: sicut Christus dicitur peccatum per tropum, ob similitudinem peccati.

AD IX. Ἐχαρίτωσεν significat *gratiosos fecit*, non, *gratiosos habuit*, vt Caluinus vult; teste S. Chrys.

AD X. Iustitia inhærens est vt indumentum; 1. quia extrinsecus infunditur; non ex nobis nascitur. 2. Induere Christum iustitiam, pro phrasi hebræa est abundanter gratia Christi repleri infusâ, non imputata. Merita Christi nobis imputantur, quibus, vt Iacob vestibus Esau, tegitur nostra paupertas. Solus enim Christus est Satisfactor pro nobis Principalis, sufficiens & abundans.

AD XI. *Per hunc*, id est, Christum, vt causam efficientem; non exclusa eius qualitate infusâ, sc. virtute, vt causa formali. Nam *Per* significat Efficientem causam, cuius affectus est causa formalis. *Annunciatur*, id est, prædicatur remissio quę non datur prædicando, sed docetur, quî reipsa acquiratur. Vnde Mat. vlt. *Docete omnes, baptizantes, &c. docentes eos seruare omnia.* Publicanus autem, *Luc.* 18. petijt remissionem peccatorum, sed non solam; ob infallibilem concomitantiam gratiæ infusionis; in quo vtroque consistit iustificatio potissima.

QVÆSTIO LXVI.

An certitudine fidei certus esse possit homo, vel debeat, Se esse iustificatum?

I. Lvtheranvs Kemnitius *in Exa. Conc. Trid. ad sess. 6* impingit hanc Concilio dicam: quòd faciat Dubitationem virtutem & ornamentum fidei; vt hæc sine illa non sit vera.

Calvinvs *in Antid. ibid.* fingit Patres Concilij miscere Dubitationem cum fide. Hæc de statu.

At Concilium vel idcirco reiecit fidem Specialem Sectariorum, quòd esse certa non possit: cum fides nitatur Autoritate diuina reuelata: Fiducia verò Promissione Dei, & Dispositione cuiusque: illa in genere certa est; hæc in specie est conditionata. Tantum differt Fidem inter & Fiduciam. Posita autem infallibilitate Dispositionis, infallibilis constat promissionis effectus.

II. Lvtherani & Calviniani affirmant tria.

1. Fideles eam notitiam de sua gratia habere posse;

2. & Debere; vt certa fide statuant, sibi remissa esse peccata.

3. Hac fide sola eos iustificari. Ita *Lutherus a.* 10.11. *&c. Melanch. in Locis. Bucerus; Caluinus vbi supra, & Inst.* 3. *c.* 2. §. 16. 17. *&c.* Enchir. Colon. solum tertium reijcit: Catharinus solum primum recipit.

SVADENT Scripturis, Ex S. Patribus, & Ratione. Ex Scripturis.

1. Luc. 17. *Cum feceritis hæc omnia, dicite, serui inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* At qui certò scit se fecisse præcepta omnia, scit proinde se diligere Deum, diligique à Deo.

2. *Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo facta sunt.* Ioan. 3.

3. Ioan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si Dilectionem habueritis ad inuicem.*

4. Rom. 8. *Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* At illud est infallibile.

5. Rom. 8. *Certus sum, quia neque mors, neque vita poterit nos separare à Caritate Dei.*

6. *Nos autem,* 1. Cor. 2. *non Spiritum huius mũdi accepimus; sed Spiritum, qui ex Deo est; vt sciamus, quæ donata sunt nobis.*

7. 1. Cor. 11. *Probet autem se vnusquisque; & sic de pane illo edat.*

8. *Gloria nostra hæc est,* 2. Cor. 1. *testimonium conscientiæ nostræ:* at inane id foret, si fallibile.

9. *Vosmet ipsos tentate, si estis in fide. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus in vobis est? nisi forte reprobi estis.* 2. Cor. 13.

10. Eph. 3. *Per quem habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius:* παῤῥησία, id est, *audacia plus est, quam certitudo,* ait Caluinus: ergo per fidem plusquam certi sumus.

11. 1. Ioan. 3. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* ca. 5. *Scimus, quoniam ex Deo sumus.* Et, *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.*

12. *Satagite,* 2. Pet. 1. *vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

13. Ex ratione: Quia multi Sancti de sua iustitia certi fuerunt: Abel, Enoch, Noe, &c.

14. Quia Deus suam tum omnibus, tũ singulis gratiam promisit: vt Zach. 9. *Ecce Rex tuus venit Tibi.* Luc. 12. *Complacuit Patri in Te.*

15. Quia Scriptura tribuit Fidei plenissimam certitudinem, *Heb.* 10. Item spei, *Heb.* 6. vt anchoræ.

AVTOR. Nemo de sua iustitia habere hac in vita potest certitudinẽ fidei: nisi ex speciali reuelatione. *D. Th.* 1. 2. *q* 112. *a.* 5. &c. Trid. sess. 6. c. 9.

I. Ita S. Scriptura. Prou. 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sũ à peccato?* Non ait, neminem esse mundum, sed neminem posse dicere.

INSTAT Caluinus *Inst.* 3. *c.* 13. §. 3. Nemo est in vita verè mundus, ideo egent omnes imputata Christi iustitia.

AT repugnant ista, *Beati mundo corde.* Beati immaculati in via. Eph. 1. vt essemus sancti & immaculati.

II. Eccl. 9. *sunt iusti. &c. & tamen nescit homo vtrum odio, vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.*

INSTANT. Loqui de externis euentis, è quibus id cognosci nequeat, *Eò quòd vniuersa æquè eueniant iusto & impio.*

AT loquitur de beneficijs Dei, quæ vtrisque communia sunt.

III. Eccl. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu. &c. Ne dicas; Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.*

INSTAT Kemnitius, legendum *de propitiatione,* non de *propitiato.*

AT idem vtriusque est sensus; Nam loquitur de præterita propitiatione, non de futura: Neque etiam de hac esse certi possumus; quia num viuamus, nescimus. Plura in *Antichristo p.* 4. *q.* 35.

IV. RATIO docet 1. Non potest haberi certitudo fidei de propria iustitia. Quia cum fides nitatur Verbi Dei autoritate, eius certitudo debet vel in eo contineri immediatè vel ex eo euidenter deduci. At *Speciales* de personali iustificatione reuelationes sunt

sunt in eo paucæ: *Vniuersales* autem promissiones requirunt conditiones in applicatione. Nec euidenter è verbo Dei potest deduci sua iustitia; quia nulli est euidens sua conuersio interior; adeo Ierem. 17. *prauum est cor hominis & inscrutabile; & quis cognoscet illud?* Deinde plures decepti sunt, habere se putantes, quod non habebant: vt Petrus; *Tecum paratus sum in. &c.* Paulus furens in Christianos se ardere iusto zelo putabat. Demum, 1. *Cor.* 13. potest quis animam ponere pro fide, vt hæretici; signa facere; prædicare. &c. & tamen reprobus esse. Esto, sit infallibilis Sacramẽtorum operatio; at de obice posito certus est nemo.

2. Esto; Possit haberi certitudo fidei; nemo tenetur tamen ad eam habendam. Quia nil de eo præceptum est in Scriptura, in Symbolo, in vllo Concilio. &c. Istud *Credo remissionem peccatorum*, generale est, eam esse in Ecclesia; vt explicatur in Symbolo Cõstantipol. *Deinde* in Conc. Tridentino sess. 6. definitur, Non teneri homines credere sibi remissa esse peccata. *Demum* omnis peccans mortaliter, fieret eo ipso hæreticus: nam voluntariè peccans nõ potest credere se iustum esse; nisi falsum credat; vt credunt Sectarij. Adde, cum omnes hæretici sint foris; sequetur Nullum peccatorem esse in Ecclesiâ: quæ fuit hæresis Donatistarum.

3. Non expedit, vt ea certitudo semper habeatur. Nam ait S. Aug. lib. de corrept. & grat. c. 13. *In hoc loco tentationis tanta est infirmitas, vt superbiam possit generare securitas.* S. Greg. 9. Mor. 17. *Si scimus nos gratiam habere, superbimus.* Et Luc. 18. *Dominus in eos, qui confidebant se iustos dicebat parabolam.* Pharisæi & Publicani.

4. Reuelatio certitudinis non habetur, nisi à paucis; vt historiæ produnt, & per se constat. Et eandem credunt Anabaptistæ certitudinem, Sacramentarij &c. negant tamen Luthero-caluinistæ per eam fidem illos iustificari.

Dico Ad I. Ostendit posse omnia seruari præcepta; seruari tamen humilitatem oportere; non præsumptuosè præsidere.

AD II. Sensus est, malè agentes fugere lucem; benè agentes amare lucem Christum; non tamẽ inde sciunt se iustificatos ad eam venire; cum accedant multi vt iustificentur. Mat. 11. *Venite ad me omnes.*

AD III. Sic non minus alij cognoscerent nos esse iustos, quam nos ipsi: at absurdum est tribuere omnibus certitudinem de aliena gratia.

AD IV. Testimonium illud non est Reuelatio infallibilis, sed Consolatio spei generans coniecturam. *Aut:* Non est nisi Oratio qua dicimus, *Abba Pater*; qua testamur Deum esse nostrum; & nos Dei de iure; etsi non semper de facto.

AD V. *Nos*, id est, prædestinatos saluti, de quibus ibi loquitur, qualis ipse & Apostoli. &c. Et *certus sum* πέπεισμαι, id est, persuasus sum, confido; quæ est certitudo coniecturalis, quoad fideles cæteros. Sic Hieron. ad Aglasiam quæst. 9. & Heb. 6. πεπείσμεθα, id est, *Confidimus de vobis meliora.*

AD VI. Loquitur de notitia beneficiorũ, quæ præparauit electis Deus; non quæ

non quæ in particulari ad hūc, illum. &c. pertinent.

AD VII. Discussio ea nòn requirit certitudinem fidei; sed coniecturæ ex opinione & spe nostra factæ.

AD VIII. Testimonium conscientiæ lætitiam affert; sed non infallibilem certitudinem. Vnde Ps. 2. *Exultate cum tremore.* 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sū; sed non in hoc iustificatus sum.*

AD IX. Loquitur de præsentia Christi apud Corinthios, quoad potentiam & miracula; non quoad gratiam iustificantem. patet ibidem.

AD X. Audacia non est certitudo: sed ex hac gignitur illa, quia credimus Christum passum adstare Patri pro nobis, essèque Mediatorem nostrum fide tenemus.

AD XI. Voces illæ, *scimus, cognoscimus*, non necessariò includunt certitudinem fidei, nam scimus etiam ex signis. Dein sententiæ eæ sunt generales, de translatis de morte ad vitam; vti sperabatur.

AD XII. Certitudo, quæ ex operibus nascitur, est coniecturę, non fidei. Dein, Lutherani suam certitudinem esse priorem volunt operibus, non posteriorem.

AD XIII. Paucis istis certitudo constitit ex reuelatione peculiari. Ita *S. Aug. q. 57. 58. in Genesin.*

AD XIV. Promissiones eæ sunt generales, non particulares.

AD XV. Fides in se certissima est & infallibilis: remissio tamen peccatorum mihi, illi. &c. facta non est fidei articulus. Sic & spes in se certa est; at non in me, te, illo. &c.

QVÆSTIO LXVII.

An certitudine fidei homo certus esse possit, ac debeat, se esse Prædestinatum?

LVTHERANI affirmant. Mar. Bucerus *in Colloq. Ratisbon.* negat esse verum Christianum qui non eadem fidei certitudine credit, se habiturum vitam æternam; qua credit Christum esse, & Deum esse. Idem Martyr *ad Rom.* 8. Kemnit. *in Exam. Trid. sess. 6. c. 12* castigat Concilium docens: Neminem, sine peculiari reuelatione, certò statuere debere, se esse prædestinatum.

CALVINVS Inst. 3. c. 2. §. 6. *Verè fidelis non est, nisi qui solida persuasione, Deum sibi propitium persuasus, de eius benignitate sibi omnia polliceatur; nisi qui diuinæ erga se beneuolentiæ promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit.* Sic & §. 40. in Antid.

SVADENT istis. 1. *Orandum est pro dono perseuerantiæ*, Iac. 1. *Postulet in fide, nihil hæsitans: Ergo certò credere debemus nos accepturos perseuerantiam, ac proinde esse prædestinatos.* Ita Bucerus.

2. Idem. 1. Ioan. 5. *Sciatis, quia vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei.*

3. Caluinus in Eph. 1. *Habemus pignus hæreditatis:* ergo certi sumus. Ibidemque orat Deum Apostolus, vt illuminet Ephesios, vt cognoscant se *prædestinatos in adoptionem filiorum Dei.*

4. Caluinus. 1. Thes. 1. *Scientes Electionem nostram; quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum; sed & in Virtute, & in Sp. Sancto.*

5. Kemn. Rom. 8. *Quos vocauit, hos & iustificauit; quos iustificauit, hos & magnificauit.* Ecce patefactum hic fundamentum huius certitudinis.

6. Kemn. Ioan. 10. *Nemo rapiet eas de manu mea.* Rom. 8. *Quis accusabit aduersus electos Dei?* 1. Cor. 1. *Confirmabit vos vsque in finem.*

AVTOR. Nemo citra Reuelationem potest, aut debet statuere, se esse prædestinatum.

1. Ita Scripturæ docent, non posse

causam

causam scíri, cur hunc, non illum Deus eligat, aut quē elegerit; sine reuelatione speciali suæ voluntatis. Rom. 11. *O altitudo.* &c.

II. Hortantur fideles ad timorem. Rom. 11. *Fide stas: noli altum sapere.* &c. Cætera vide in *Antichristo p. 4. q. 36.*

INSTANT *Caluinus & Kemn.* talia dici ad excutiendum torporem, & carnalem securitatem, quæ homines in piis operibus reddant negligentiores non quod periclitantur ne excidant à salute.

DICO Prædestinati excidere non possunt; sed prædestinatum se se nescit nemo; vnde cuique piè metuendum cum spe. At, qui se sciunt prædestinatos, non est quod metuant, sed credere debent; & talibus nil opus cohortatione. Imò in hac Deus hortaretur eos ad incredulitatem suæ prædestinationis.

III. Docent Scripturæ, salutem pendere à conditione Operum. Mat. 5. *Nisi abundauerit iustitia.* &c. Mat. 19. *Si vis ad vitam ingredi.* &c. Et fatentur Sectarij incertam esse salutem, si ab operum conditione dependeat.

INSTANT. 1. *Caluinus.* Iubendi fideles respicere Christum vt in ipsis manentem, & sua eis communicantem.

2. *Caluinista:* Opera requiri, aiunt; quia fides vera non est, nisi viua sit, & fructificet.

DICO AD I. Christus requirit à membris, vt etiam operentur. Ioa. 15. *Omnē palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* &c. Iubemur igitur operari; non solum iustitiam Christi nobis arrogare.

AD II. Non quæritur hic, cur opera sint necessaria; sat est exigi necessariò ad salutem.

IV. Docent Scripturæ, multos ad tempus credere; & in tempore tentationis excidere. *Luc. 8. &c.* Ergo non erant de fide certi salutis suæ ac perseuerantiæ.

INSTANT 1. *Caluinus* negat eos veram habuisse fidem.

2. *Kemnitius* ait Credentes posse à fide excidere à gratia, & salute: Nihilominus tamē statuere se prædestinatos. Quod autem non perseuerent, causam esse, 1. quòd Deus nolit eos conseruare ad finem: 2. Quod per opera carnis ipsi fidem excutiant.

DICO AD I. Inferius quæst.

AD II. 1. In iis sibi contradicit; facitque Deum mutabilem. Proinde ex fide sola certus salutis esse nemo potest, qui se excidere posse credit.

V. Accedit Traditio Ecclesiæ, & S. Patrum consensus. S. Chrys. hom. 11. in Philip. *Paulus qui tanta passus est, nondum de resurrectione illa securus fuit; quid sanè nos dicemus?* S. Hier. l. 2. contra Pelagianos. *Ne beatum dixeris quenquam ante mortem. Quam diu enim viuimus, in certamine sumus: quamdiu in certamine sumus, nulla est certa victoria.* S. August. 11. Ciuit. c. 12. *Sancti de suæ perseuerantiæ præmio certi sunt; de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti. &c. Nisi aliqua reuelatione ab Illo fiat certi, qui de hac re iusto, latentique iudicio non omnes instruit; sed neminem fallit.*

INSTAT Bucerus, Augustinum loqui de certitudine scientiæ, non fidei. Proinde fideles debere ex fide, non ex se statuere suam certitudinem salutis.

DICO. Sic omnes fideles haberent ex fide eam certitudinem, & perseuerantiam. At vtrumque negat S. Augustinus tum ibi, tum l. de corrept. & grat. c. 13. *Quis fidelium, in hac mortalitate, in numero prædestinatorū se esse p̄sumat?*

VI. RATIO docet. 1. Quia quæ pendent ex sola Dei voluntate, credi non debent, nisi ex certa Reuelatione: cum nemo scire possit, quid sit in homine; minus quid in Deo. At talis est prædestinatio, Rom. 9. *Quia cuius vult, miseretur; & quem vult, indurat.* Et quos elegit, ex misericordia, non ex operibus elegit.

2. Quia *nescit homo an dignus sit odio, an amore,* secundum præsentem iustitiam: ergo minus secundum Dei Decretum.

3. Quia *Aug. ibid.* ait, Incertitudinem esse perutilem ad humilitatem.

4. Quia perutile idem est ob reprobos, qui si scirent reprobationem, desperarent. Ita *S. Prosper l. 2. de vocat: gentium c. vlt.*

DICO AD I. Hæsitatio est contraria orationis & Fidei, & Fiduciæ. Fidei; qua credendum velle nobis bona Deum; at, an expediant nobis; nescimus. Sic Christus & Paulus ter orarunt, nec impetrarunt, licet credentes. Ita orant pro credentibus pro perseuerantia; quæ tum scitur, cũ perseueratum est ad finem. Sic & speramus orantes.

AD II. *Habere vitam æt.* in spe sc. nõ in re: Rom. 5. *Spe enim salui facti sumus.* Ideo monet idem Ioan. in ep. 2. *Videte vosmetipsos, ne PERDATIS, quæ operati estis.* Sic Heb. 3. *Videte, ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo &c. Participes enim Christi effecti sumus; si tamen initiũ vsque ad finem firmum retineamus.* Quia opus Perseuerantiæ.

AD III. Qui habent pignus hæreditatis, hanc certi consequentur: modò conseruent illud: At se habere quis scit, nisi cui reuelauit Deus? Et huiusmodi promissiones vniuersales implicitè sunt conditionatæ, alubi scilicet expressis conditionibus.

Deinde rogat Deum Apostolus, vt illuminet oculos Ephesiorum, vt intelligant quæ sit spes vocationis; non vt sciant se esse prædestinatos.

AD IV. *Scientes* sc. se & Siluanum, & Timotheum; non ipsos vos Thessalonicenses, *electionem vestram.* Deus de loquitur ibi de scientia ex signis non ex reuelatione.

AD V. Non omnes Vocati sunt Electi: Mat. 22. Multi sunt vocati; pauci verò electi. Itaq; loquitur de Vocatis *secundũ propositum.* De his verò scit nemo: *Aug. l. de bono perseu. c. 13.* Quis nouit sensum Domini?

AD VI. Priora docent, Electos non posse perire: at non quemquam scire se esse electum. Posterius docet Paulum bene speraſſe de salute Cor. & Ephesiorum. Monet igitur *S. Aug. ibid. c 22.* vt cogitantes de electis vtamur prima & secunda persona, vt bene sperantes: at de reprobis tertiâ, ne auditoribus malè ominemur.

QVÆSTIO LXVIII.

Fides & Iustitia an sit propria electorum, amittique possit?

CALVINVS Inst. 3. c. 2. §. 11. Proprietatem affirmat; Amissionem negat. *Solos* ait, *electos semine incorruptibili DEVS in perpetuum regenerat, vt nunquam dispereat semen vitæ in eorum cordibus insitum.* Et §. 12. *Hoc tenendum est, quamuis exigua sit; ac debilis in electis fides; quia tamen spi-*

ritus

ritus Dei certa illis arrha est, ac sigillum suæ adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri posse eius sulpturam. Sic idem in Antid. ad sess. 6. c. 10. 15. 14. Atque hic error proprius est Caluini eiusque sequacium.

SVADET istis FVNDAMENTIS suis.

1. Fidem esse propriam electorum.

2. Fidem amitti nunquam posse.

3. Sola fide homines iustificari.

4. Qui fidem habet, esse de fide sua certum. Ex hoc priora consequuntur. At falsum esse hoc fictumque liquet *suprà quæst. 56.*

5. Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, neque flumina obruent illam.* Ergo minus fidem, sine qua illa esse nequit. Sic & Ioan. 4. *Qui biberit ex hac aqua. &c.*

6. Rom. 8. *Quis nos separabit à Caritate Christi? Certus sum, quia neque mors. &c.* Nam 1. Cor. 13. *Caritas nunquam excidit.*

7. 1. Ioan. 3. *Qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen illius in eo manet; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

LVTHERANI plerique repugnant Caluinianis, asserunt que electos posse labi: at *Pet. Martyr in Rom. 8. & Kemn. in Examine Conc.* negant fieri posse, quin ante mortem redeant ad fidem; Lutheranorum tamen error de fide prædestinationis cogit, vt credant nullum fidelium esse reprobum posse: cum ex fide certi esse prædestinationis debeant.

AVTOR. Fides & iustitia nec solis insunt electis; nec immobiliter; vt Caluinistæ fingunt: nec reciprocè sub vitæ finem, vt Lutheranis placet: sed amitti etiam finaliter potest.

1. Ita S. Scripturæ in *Antichristo p. 4. q. 37.*

2. Exempla sic docent lapsorum: Adami, Dauidis, & Petri, iustitiam amitti posse, ac reciperari: Luciferi, Saulis, Salomonis, Simonis Magi, & Iudæ, docent, iustos excidere reprobosque manere.

3. Sic Traditio, & Ecclesiæ definitio contra Iouinianum ob id damnatum, teste *S. Hieron. lib. 2. contra Iouinian. August. hæresi. 82.* Sic & San. Patres.

4. RATIO euincit. 1. Quia nullus habitus impedit ex necessitate actum contrarium; inclinat enim ad actum quisque suum; non necessitat: ergo habens fidei habitum facere actum infidelitatis potest, id est, perdere habitum fidei, reddique simpliciter infidelis, & inimicus Dei. At, vt Sectarij volunt, omne peccatum excutit fidem iustificantem: *Item*, omnia opera iustorum ex se esse peccata mortalia Quæ planè implicat. Et eccubi vlla Scriptura promittit, iustum nunquam lapsurum?

2. Quia baptizati verè accipiunt fidem, vt concedunt Lutherani; Caluiniani volunt etiam nasci Sanctos ex fidelibus; at cum adoleuerunt multi grauissimè peccant, damnanturque multi. Item omnes Catholici sunt baptizati; & tamen nos damnari pertendunt.

3. Si fides amitti nequit, vnde igitur tot hæretici? Quorsum tot admonitiones vt timeant fideles, caueant, perseuerent? &c.

4. Quia Sectariorum opinio inducit desperationem: cùm enim se se quotidiè peccare experiantur: cum de futuris euentibus nil certi spondere sibi possint; iuxta Prou. 27. *Ne glorieris in crastinū, ignorans quid superuentura pariat dies:* Eccl. 11. *Ante mortē ne laudes quemq̄:* Iac. 4. *Ignoratis quid erit in Crastino,* Id circo nullus esse certus perseuerantiæ potest. Hæc incertitudo; illa peccandi cōsuetudo; ista peccati vis vt fidem extinguat: illa multitudo, quod omnia opera bona ex se sint peccata: alia

peccandi coacta necessitudo, &c. quam spei scintillam relinquent?

Dico AD I. Caluini fundamentũ, patet suprà q. 66. Deinde, Eccl. 9. *Nescit homo an odio, an amore dignus; sed OMNIA IN FVTVRVM reseruantur INCERTA.* 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est.*

Instat contra prius Caluinus *Inst. 3. cap. 2. §. 38.* ibi non agi de Notitia fidei; sed de beneficiis & flagellis Dei, quæ probis ac reprobis iuxta accidunt: proinde certitudinem iustitiæ ac salutis sumi oportere ex interna fide, non ab euentu beneficiorum ac flagellorum.

At Salomon ita ratiocinatur. Si posset homo cognoscere ab Deo diligi, aut odio haberi, cognosceret ex beneficijs Dei: at hinc non potest; cum sint communia bonis & malis. Nil ibi de interna fide. Dein: Quomodo *omnia in futurum incerta*; si ex fide illa sit certitudo? Demum Caluinus vbi supra dat causam, cur nolit Deus nos cognoscere, diligamurne an odio habeamur; *Quia id facit, ad vanitatem humani ingenii arguendam: cum in rebus scitu maximè necessarijs tanta hebetudine teneatur.* Ergo nulla est certitudo.

AD II. Nemo certus est de præsenti iustitia, ergo minus de Perseuerantia. Ideo S. Scriptura nos hortatur ad timorem, non ad securitatem.

AD III. Incerta est perseuerantia in gratia: ergo & incerta est Scientia prædestinationis.

AD IV. patet *suprà quæst. 56.*

Ad V. *Aquæ multæ* sũt tribulationes, quę, stante caritate, vincuntur facile. Quia, 1. Cor. 13. *Caritas omnia suffert. &c.* Nõ igitur is locº probat, amitti caritatem non posse. *Quia* Apoc. 2. *Caritatem primam reliquisti. Memor esto vnde excideris.*

AD VI. *Non sitiet*, manente caritate: at hæc desiccata, Gal. 5. *à gratia excidistis.* Illud *Certus sum*, πεπεισμαι, i. *persuasus sum*, de certitudine loquitur Morali, seu Coniecturali quæ ex signis habetur. Vnde S. Hieron. *Confido*, vertit. Ita Rom. 14. *Certus sum, quoniam plenus estis dilectione*, id est, Confido: & illa *nunquam excidit* ex se; at nos subinde ex ipsa excidimus.

AD VII. 1. *Qui natus est ex Deo*, id est, ait *Aug. l. 4. ad Bonif. c. 7.* regeneratione secundâ ad gloriam; non primâ ad gratiam; *non potest peccare.*

2. Bern. Serm. 23 in Cant. *Semen Dei*, id est, gratia prædestinationis præditus *non potest peccare*, id est, licet subinde peccet, tamen resipiscit finaliter.

3. Aug. l. de nat. & grat c. 14. *Non potest peccare*: id est, non debet.

4. Idem: Qua natus ex Deo, nõ potest etiam venialiter peccare; atquà peccat, eatenus non est natus ex Deo.

5. Et optimè: *Non potest* lethaliter peccare, quatenus manet Dei filius; licet venialiter peccet: quia *Semen*, id est caritas *manet in* peccante venialiter.

QVÆSTIO LXIX.

An homo post iustificationem maneat peccator & iniustus?

Calvinistæ, & omnes, qui cõminiscuntur Tecturam peccatorum, ac Imputatitiam iustitiam, affirmant, cum Caluino Inst. 3. ca. 11. §. 3.

11.§.3. *Proiusti in Christo censemur, qui in nobis nõ sumus.*

4. *Non staret, quod obedientia Christi nos constituit iustos, nisi in ipso, & extra nos iusti reputamur coram Deo.*

11. *Hoc modo iustus est; non reipsa, sed imputatione.* In Antid. sess. 6. c. 5. *Confugiamus ad solum Christum, vt in ipso iusti censeamur, quod in nobis non sumus.*

SVASIONES eorum sparsim suprà videre est. *quæst.* 60. 61. 62. 63. 64. 65.

AVTOR. Iustificamur per inhærentem iustitiam habitualem; sicut Christus in se iustus est.

1. Scil. vt membra sint conformia Capiti, Sponsa Sponso: iuxta Ro. 8. *Prædestinauit nos conformes fieri imaginis Filij sui; vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

2. Quia Christi sanguine verè lauamur, & consanamur; item Sanctitas, ex Christi merito, per Spir. Sanctum nobis infunditur: sic tota fit iustificatio per & Remissionem peccatorum, & Renouationem Spiritus interiorem.

3. Ps. 50. *Asperges me, & mundabor, &c.* in meipso, non solum in Christo imputatiuè. Ideo orat: *Cor mundum crea in me Deus & Sp. rectum innoua in visceribus meis.* Vnde 1. Cor. 6. *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis. Sanctificati estis, iustificati estis.* Nam Eph. 1. *Elegit nos, vt essemus sanct. & immaculati in Conspectu eius.*

4. Quia Caluiniſtæ in doctrina sua, Matt. 23. *Sunt similes sepulcris dealbatis; quæ intus plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Similes Virginibus fatuis, *Mat.* 25. non habentibus oleum iustitiæ in lampadibus suis. Similes Lupis rapacibus intus, *Mat.* 7. foris in vestimentis ouium.

INSTANT. Eph. 1. *Gratificauit nos in dilecto Filio suo:* ergo iusti sumus in Christo, non in nobis.

DICO. Ἐχαρίτωσεν, id est, S. Chrysostomo, *fecit nos gratiosos*, sc. infundendo gratiam: *in dilecto filio suo*, id est, propter merita Christi.

QVÆSTIO LXX.

An omnes iusti sint inter se pares?

LVTHERANI affirmant esse pares; & negant iustos crescere in iustitia: at in virtutibus tamen posse iustos crescere, alioqui aliis maiores esse, vt in fide, spe, caritate, &c. hoc autem non esse crescere in iustitia; quod virtutes non iustificent; sed sola imputatiua iustitia Christi, quæ æqualis est in omnibus, constansque.

IOVINIANVS id affirmabat olim ex eo, quod virtutes, vitiaque omnium essent paria. Vide *Genealog. p. 4. q. 15.*

AVTOR. Errant noui Iouiniani.

1. Quia, Prou. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit vsque ad perfectum diem.* Sic 2. Cor. 9. *Augebit incrementa frugum iustitiæ Vestræ.* Et Apoc. vlt. *Qui iustus est iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc: & qui sordidus est sordescat adhuc.*

2. Scripturæ docent caritatem augeri: Ioan. vlt. *Diligis me plus his?* Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui minus dimittitur, minus diligit.* 1. Ioan. 4. Perfecta caritas foras mittit timorem. Atqui iustitia nil est, nisi caritas 1. Ioan. 3. *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli: Omnis, qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrẽ.* &c. Is *manet in morte.* Et Mat. 5. Scribarum erat diligere amicos, non

inimicos: at *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Phariſæorum. &c.* ergo iuſtitia eſt charitas, & contra.

3. In cœlis eſt varietas præmiorum, iuſtis paratorum; ergo & in terris eſt varietas meritorum.

4. Ita S. Aug. epiſt. 29. *Induti ſunt Sanctiiuſtitiâ; ſed alius magis, alius minus.*

III. DE IVSTITIA OPERVM.

QVÆSTIO LXXI.

An Luthero caluiniſtæ negent bonorum operum neceſſitatem?

I. LVTHERANI clamant iniuriam fieri ſibi, quod eam negent. Vt Confeſſio. Aug. art. 20. Melancht. Brent. Kemn. Caluinus *Inſt. 3. c. 16.*

1. Lutherus *in Viſit. Saxonica* ait, bona opera facienda, & quodam eſse modo neceſſaria; cum vera fides non ſit, quæ non pariatipſa.

2. Maioriſtæ ſeu Electorales *in Colloq. Altebur.* diſtinguunt eſse neceſſaria *neceſſitate Præſentiæ*; nō *Efficientiæ.*

3. FLACCIANI, ſiue Saxonici admittunt neceſſitatem Præſentiæ; pertendunt tamen hanc propoſitionem: *Opera ſunt neceſſaria ad ſalutem*; eſſe periculoſam, nec ferendam in Eccleſia. Sic variant in modo neceſſitatis: At ipſam neceſsitatem abſolute negant. Et tamen fieri à nobis ſibi iniuriam conqueruntur.

AVTOR. LVTHERANI igitur ac CALVINIANI iuxta volunt, Poſſe hominem ſaluari, licet opera bona nulla faciat; nec mandata Dei ſeruet.

I. Quia ſuadent, opera mala credenti nocere nihil. Sic Lutherus lib. de libert. Chriſtiana: *Bona opera non faciunt bonum virum, nec malum mala. &c. Vt infideli nullū bonū opus prodeſt ad ſalutē & iuſtitiam; ſic nullum malum opus facit malum & damnatum, ſed ſola incredulitas.* Idem in ſermo. Sic Deus dilexit. &c. *Vbi fides eſt, nullum peccatum nocere poteſt.* &c. Vide Bell. l. 4. c. 1. plura. Ergo iniuſte queruntur de iniuria ſibi facta à nobis.

II. Quia docent: Opera iuſtorum omnia ex natura ſua eſſe peccata mortalia. *Lutherus in aſſert. art. 31. 32. 36. Caluinus Inſt. 3. c. 12. §. 4. & c. 14. §. 9.* Iamſi bona opera ſint lethalia, nec tamē ob fidem imputentur; certe nec mala imputari neceſſe eſt neque nocere. Vide *ſuprà quæſt. 2. 4.*

III. Quia docent Legem differre ab Euangelio, quod *Lex* proponat iuſtitiam & ſalutem cum conditione totius legis implendæ; *Euangelium* verò ſine conditione vlla, niſi ſolius fidei: vnde conſolatur; at Lex terret. Ita Lutherus ad Gal. Melanch. in Locis, Saxonici in Colloquio Altemburg. Ergo qui nil boni operatur, viuit Euangelio conſentaneè. Quodſi Fides opera requirat: ergo fides non erit ſecundum Euangelium.

IV. Quia aſſerunt Libertatē Chriſtianam; quæ liberet hominem ab debito legis implēdæ coram Deo; ideoque omnia opera ſint ei indifferentia id eſt, nec præcepta, nec prohibita. Id quod inde neceſſariò inferunt; quod Legem obſeruatu impoſſibilem fingant. Ita *Lutherus ad Galatas. &c.* Ita *Caluinus Inſt. 3. c. 19. §. 2. 4. 7.* Vbi is in tribus ponit libertatem Chriſtianam.

1. Quod, vbi fiducia iuſtificationis quęritur, legis aut operum nulla ratio habeatur.

2. Opera fiant, vt à Deo acceptanda cer-

da certò, qualiacunq; sint; non vt examinanda.

3. Vt omnium rerum externarum vsus habeatur pro indifferenti, vt citra scrupulum eas vsurpes, aut omittas. Ecquæ Maior impietas, & Atheismus istâ Adiaphoriâ?

V. Quia occasione huius doctrinæ omne scelus impunè grassari cœpit, solutæque sunt conscientiæ. Vt ipse *Lutherus in Visit. Saxonica* fuerit coactus laudare ac prædicare opera bona. At in contrarium nitebantur sui Lutherani in Colloq. Altemburg. *Opera bona*, aiunt, *& noua obedientia, non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinent.* &c. *Ad Satanam spectant Christiani cum operibus bonis* Ibid. *Imo ad salutem incommodant, suntque pernitiosa.* Sed prædicta singulatim discutiamus.

QVÆSTIO LXXII.

Quodnam DISCRIMEN LEGIS & Euangelij malè reprobet Operum necessitatem?

LVTHERANI perinde & CALVINIANI tria tradunt.

I. Euangelium non esse Legem nouam; sed Lætum Nuncium de Christo. Ideoque Nec Christum fuisse Legislatorem: Et quæ in Euangelio aut in Epistolis sunt Præcepta, ea ad Veterem Legem, non ad Nouã pertinere: Quæ idcirco à Christo repetita fingunt, vt intelligeremus nos Christi egere gratia.

II. Euangelium esse gratuitum, habereq; Promissiones absque conditione Obedientiæ annexa: Legem verò ist hanc habere conditionem.

III. Euangelium meras habere Consolationes: Legem terrores ac minas.

AVTOR. Tribus his tria opponimus quæ contineri in Euangelio docemus: 1. Leges propriè dictas: 2. Minas: 3. Promissiones conditionales. *Euangelium* verò capitur bifariam.

1. *Pro Doctrina* à Christo & Apostolis prædicata, & scripta. Sic capimus hic tum nos, tum Sectarij.

2. *Pro Gratia* Noui Testamenti, quæ dici solet Lex scripta in corde, Spiritus viuificans, Lex fidei. Sic differunt Lex vetus, & Euangelium; Illa docet quid faciendum; Hæc dat vires ad faciendum. Malè igitur Sectarij; quod illa requirat opera; hoc non. Iam singula doceamus.

I. Leges propriè dictæ pertinent ad Euangelium. 1. Quia de Euangelio dicitur Isa. 2. *De Sion exibit lex.* Christus dicitur Leu. 33. *Iudex, Legifer, Dominus.* Et Iere 31. promittitur *Lex noua*: Idque repetitur. *Heb.* 10. 2. Christus, *Mat.* 5. confirmat, explicat, perficit legem Moysis, vultque seruari. Vide *Antichristum p.* 4. *q.* 39.

II. Minæ pertinent ad Euangelium. 1. Patet *Mat.* 5. 22. 23. 25.

INSTANT: Minæ in Euangelio pertinent ad Legem vet. Et legis promissiones pertinent ad Euangelium.

AT ita pars maxima sermonum Christi non forent Christi, sed Moysis; & Christus in Euangelio non prædicasset Euangelium. 2. Apostoli terroribus sunt vsi. Rom. 1. *Non erubesco Euangelium. &c. Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem.* Act. 2. Petrus euangelizans perterrefecit *cõpunctos corde, dicentes: Quid faciemus?* Paulus Act. 24. *disputante de iustitia, castitate, & iudicio, tremefactus Felix est.* Iacob. 5. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis, quæ aduenient vobis.* Et Angelus. *Apoc.* 14. Euangelizat iudicium;

cium ; itemque in Symbolo.

III. PROMISSIONES Euangelicæ sunt Conditionatæ, si obediatur præceptis: non sunt absolutæ.

I. Mat. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra, &c.* Matth. 19. *Si vis ad vitam, &c.* Luc. 10. *Hoc fac, & viues.*

INSTANT. 1. Lutherus *ad Gal.* 3. Caluinus *Inst.* 3. c. 18. §. 9. Id ironicè dictum à Christo, ad confidentem in operibus legis.

2. Idem in Antid. sess. 6. c. 7. *Serua mandata: Væ Catechumenis, si tam dura illis conditio imponitur! Quid enim aliud, quam æterna illis maledictio indicitur?*

3. Brentius *hom.* 1. *in Dom.* 13. *post Trin.* ait, *per seruata mandata* indicatam ei viam ad damnationem fuisse.

DICO 1. Non est ironia; qui similiter conditionate alloquitur Apostolos, Ioan. 13. *Beati, si feceritis ea.* Ioan. 15. *Amici mei eritis, si feceritis quæ præcipio.* &c.

2. Non eratis Scriba, Pharisæus, aut legis peritus, cui illuderet; sed dives adolescens, *Matth.* 19. *Mar.* 10. & princeps, *Luc.* 18. Et *Dominus*, Mar. 10. *dilexit eum.*

3. Nec is tentans quærebat; sed serio discens.

4. Nec, si tentasset, Dominus dolum reddere dolo sueuit.

II. Conditionatas esse Promissiones docent Apostoli: Rom. 8. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis; viuetis* &c.

III. Prophetæ: Ezech. 18. *Si Impius auerterit se ab impietate sua: & fecerit iudicium & iustitiam; vita viuet.*

IV. Conditio fidei docet idem, ad salutem requisita, testibus Sectarijs: Mar. vlt. *Qui crediderit, saluus erit.* Ecce conditionem. Igitur Euangelium dicitur Gratuita promissio, cum etiam Conditio sit gratuita, id est ex gratia Dei, dantis gratiam pro gratia, *Ioan.* 1. id est gratiam, & gloriam ex gratia donantis. *Plura in Antichristo.*

QVÆSTIO LXXIII.

Ecquod discrimen Legis & Euangelij rectè probet Operum necessitatem?

I. DISCRIMEN. Lex est doctrina inchoata, & occultatio Noui Test. Euangelium est Perfecta, & Reuelatio Veteris Test. *Greg. hom.* 6. *in Ezech.* ait, est Rota in rota. Vtrumque Test. tria continet, Mysteria credenda; Promissiones sperandas; Præcepta facienda. Vnde, ait *S. Aug. in Enchir.* summa doctrinæ cœlestis est Fides, Spes, Charitas: Hanc Moyses tradidit velatè, Christus reuelatè. 2. *Cor.* 3.

Atqui in tribus iisdem Nouum præstat Veteri Test. longè. Nam *Mysteria fidei* Vetus tradit obscurè: Nouum manifestè. *Promissa*, Vetus figuratè, & temporalia: Nouum propria, & æterna. *Mandata* Vetus ceremonialia, Iudicialia, Moralia continet: Nouum habet pro ceremonialibus innumeris Sacramenta pauca: pro Iudicialibus vnius gentis Iudææ tradit Traditiones, Legesque paucas orbi toti vniuersales. Morales leges seruat communes, vti perpetuas; verum, quas in Nouo Christus perduxit ad perfectum: quibus & Consilia adiecit. Et quibus omnibus S. Augustinus *l.* 1. *de serm. Dom. in monte* mirificam probat bonorum operum vtilitatem, in Euangelio commendatam.

II. DIS-

II. DISCRIMEN. Vetus lex à Moyse data, solã doctrinam: Noua à Christo, confert etiam gratiæ auxilium. Ideo 2. Cor. 3. *Litera occidit; spiritus viuificat.* Ioan. 1. *Lex per Moysen data est; gratia & veritas per IESVM Christum facta est.* Plures ex his vtriusq; differentiæ dimanant; quæ omnes stabiliunt bonorum operum necessitatem: quorum tamen *iugum suaue est, & onus leue.*

QVÆSTIO LXXIV.

An & quæ LIBERTAS Christiana probet operum necessitatem?

LVTHERVS in Galatæam. 2. *Necessaria*, inquit, *sola fides est, vt iustissimus: cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita.* Ibid. *Si conscientia dicat; Peccasti: respondes; peccaui; ergo Deus punit, & damnabit? Non. At lex hoc dicit. Sed nihil mihi cum lege. Quare? Quia habeo libertatem.* Ibid. *Summa ars & sapientia Christiana est, Nescire legem, & nouare opera & totam iustitiam actiuam.*

CALVINVS *Inst.* 3. c. 19. §. 2. 4. 7. Libertatem ponit in tribus.

1. Vbi fiducia iustificationis, ibi nulla legis aut operum habenda ratio.

2. Opera bona fiant, vt certò acceptanda à Deo; non vt examinanda.

3. Omnium rerum seruanda Indifferentia, siue vsurpes, siue omittas.

LVTHERO-CALVINISTARVM igitur est, Nulli seruire legi in conscientia, & coram Deo: Christum habere pro Redemptore, non pro Legislatore: Moysen cum suo Decalogo nil ad eos pertinere.

AVTOR. Christiani & iustificati sunt obligati ad præcepta Dei, cui seruire, regnare est; & Luthero-caluinistica libertas profana est, peccatique & diaboli voluntaria seruitus.

1. Quia Christus est verus Legislator, *Is.* 2. *Leuit.* 33. iuxta expositionem Petri, *Act.* 3. & S. Stephani, *Act.* 7. & Pauli, *Heb.* 2. 5.

2. Quia Euangelium esse legem docent Scripturæ. Isa. 2. Michææ 4. *De Syon exibit lex, & Verbum Domini de Ierusalem.*

3. Quia Christus præcepit de baptismo, *Ioan.* 3. De Eucharistia, *Ioan.* 6. Prohibuit repudia; dimissosque manere iussit innuptos, aut reconciliari: De quo 1. Cor. 7. *Præcipio, non ego, sed Dominus. &c.*

4. Quia Dominus legem Moysis approbauit, quoad Moralia: *Matt.* 5. 6. 7. 19. *Mar.* 10. *Luc.* 18. adprobans Decalogum. Item *Mat.* 22. Confirmat præceptum dilectionis; vt à quo pendeant lex & prophetæ. Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, vt dilig. &c.* Ioan. 13. *Mandatum nouum do. &c.* Sic & Apostoli, Rom. 13. *Nemini quicquam debeatis, nisi vt diligatis inuicem. &c.* Ephes. 6. Iacob. 2.

5. Quia Lex Moysis moralis non est per Euangelium abrogata. Mat. 5. *Nolite putare, quoniam veni soluere legẽ. &c.* moraliũ Ro. 3. *Quid ergo legem destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.* Rom. 7. *Consentio legi, quia bona est. &c. Mente seruio legi Dei.*

6. Vox *Debeo, Debet*, est in Scripturis imperans. Luc. 17. *Quòd debuimus, fecimus.* Rom. 8. *Debitores sumus. &c.*

7. Christus est Iudex mundi, redditurus cuique secundum opera eius. *Mat.* 24. *Act.* 10. 17. *Rom.* 2. 14. *&c.* Et Christiani, ait *Aug. l. de fide & operibus*, damnabunt, non quibus fides, sed opera defuerunt. 8. Sic & S. Patrũ habet Consensus, & ætatum.

9. RATIO euincit. Quia præuaricans si peccat; ergo tenetur ad obligationem legis: si non peccat; ergo falsum dicunt Sectarij, omnia iusti opera ex se esse mortalia peccata: Item si non peccat; ergo vera est hæresis Libertinorum: quod nihil sit peccatum.

INSTANT: *Lutherus lib. de Votis mon.* Præuaricatores legis peccant; sed eis non imputatur. Vnde nulla sunt tam mala, quæ possint fideles accusare aut damnare, nulla tam bona, quæ eum queant defendere & iustificare. Sic & *in Gal.* 2. Iustus peccat. Sed dicit, nil sibi cum lege; quia non potest eum damnare. Sic & *Caluinus Inst.* 3. c. 19. §. 4. 7. Suadet opera faciamus, vt acceptanda à Deo, qualiacunq; sint; non vt examinanda.

Dico. Si peccant; ergo se legi obnoxios fatentur. *Item*, Peccatum si habitare cum fide non possit, ergo nō solum est peccatum, sed & imputatur: nam excutit fidem: Si possit habitare cum fide; vt Lutherus fatetur *in Capt. Bab. de bapt. &c.* ergo non sunt necessaria opera bona, etiam vti fructus & signa fidei: Et non est, cur vlla vitia & flagitia fugitentur.

VERA igitur LIBERTAS CHRISTIANA consistit

1. In Libertate à peccato & morte.

2. A iugo ceremonialium & iudicialium.

3. A dominiò & reatu legis naturalis & moralis: Vide Bell. l. 4. c. 6. &c. Vbi & docet bonorum operum necessitatem ad salutem ex Scriptura, Traditione, Ratione.

QVÆSTIO LXXV.

An necessitas operum ad salutem euidenter euincatur?

LVTHERANI & CALVINIANI Conspirant in hoc: Sola Fides necessaria est ad salutem, vt ad quam Sola habeat relationem: Opera verò relationem hanc non habent; proinde nec ad salutem necessaria sunt: Ad fidem verò sunt necessaria; ceu fructus illius; vt sit viua ac vera: non vt opera sint quasi meritoria, causæ, & conditiones. Et eam Fidei ac Operū fingūt distinctiōnē, quòd opera afferant *necessitatem Præsentiæ*, non Efficientiæ.

AVTOR. Adultis, ratione vtentibus, bona opera ad salutem sunt, præter Fidem, necessaria necessitate: Efficientiæ, non solius Præsentiæ. Baptizati infantes hinc decedentes censentur totam implesse legem, quòd post iustificationem nō violarunt legem.

DOCETVR. 1. Scripturis Euangelicis & Apostolicis. Vide in *Antichrist. p. 4. q. 41.*

2. Traditio, & omnium retrò quà temporum, quà S. Patrum, & Doctorum consensus docet idem apud *Bell. l. 4. de Iustif. c. 8.*

3. RATIO vincit. 1. Quia Si opera sint fidei; vt signa fructusque necessaria presenter; sequeretur, fidem saluare licet omni opere destitutam bono, & coniunctam omni vitio ac flagitio. At hoc repugnat Scripturis, Traditioni, Rationi: patet suprà: & Sectarij ita fatentur his adacti Scripturis: Rom. 2. *Tribulatio & angustia in omnem animam operantis malum: Gloria autem honor & pax omni operanti bonum.* 1. Cor. 6. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* Gal. 5. *Manifesta sunt opera carnis. &c. Qui talia agunt, regnum Dei non consequētur.* Eph. 5. *Omnis fornicator nō habet hæreditatē in regno Christi & Dei.*

2. RATIO. Quia opera, aiunt, non requiruntur in actu saluādi per se, sed per accidens: eò, quòd opera nullam saluandi vim habeāt; neque Fidei, saluandi soli, vim addunt aut demunt.

Ergo

Ergo bonis operibus omnibus sublatis adhuc saluaret fides: Vt ignis calefaceret ex se, licet abesset ab eo splendor. Nam ipsi contendunt, fidem ab operibus cæterisque virtutibus separari aut intelligi Nõ posse, patet *suprà quæst.* 58. vbi refutantur.

3. Demum, Discrimen Legis & Euangelij; item Libertas Christiana; item Conditionata æternæ vitæ promissio; & obligatio iusti ad legem implendam euincunt operum bonorũ necessitatem Efficientiæ, non solum Præsentiæ, ad salutem.

QVÆSTIO LXXVI.

An Lex Diuina sit obseruatu impletuque possibilis sic, vt opera propriè sint iusta?

LVTHERO-CALVINISTAE Negant.

LVTHERVS l. de libert. Christiana: *Æquè nobis impossibilia sunt omnia præcepta; atque illud vnum, Non concupisces:* Idem Assert. art 2. 31. 32. 36. asserit, *Omnia opera iusti sunt peccata mortalia.* Melanch. in Locis anni 1521. de pec. *Omnia hominis, quantumuis laudabilia opera, plane sunt vitiosa, & morte digna peccata* Sic & alubi.

KEMNITIVS in Exam. Conc. ad. c. 11. sess. 6. *Posse per gratiam Legem impleri, non est controuersia: At persuasio qua renatorum operibus bonis in hac vita tribuit* PERFECTIONEM, *facit Christum post primam reconciliationem otiosum.* Negat ergo *Perfectè* impleri posse, non vt nulla intercedant venialia, sed vt opus simpliciter iustum possit appellari. In quo nil dissentit à Luthero, etsi videri velit.

CALVINVS Inst. 3. c. 14. §. 9. *Nullum à Sanctũ exire potest opus, quod non mereatur iustam opprobrij mercedem.* Similia & alubi plura.

SVADENT istis. 1. Calu. in Antid. Kemn. Act. 15. *Quid tentatis imponere iugum super cervices Discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri IESV Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.* Importabile renatis in gratia est tam morale, quam ceremoniale; Et hoc non superat vires naturæ, vti Morale; quod ideo importabilius est.

2. Calu. ex Gal. 3. *Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius.*

3. Quia Rom. 7. *Velle adiacet mihi; perficere autem non inuenio.*

4. Quia Iac. 2. *In multis offendimus omnes.*

5. Quia Christus est Mediator tam in omni vita renatis, quam in prima eorum iustificatione; egemusque eius redemptione, quia semper peccamus. Sin', otiosus foret.

6. Quia S. Aug. l. 1. retract. c. 19. ait; *Omnia mandata facta deputantur; quando, quicquid non fit, ignoscitur.*

AVTOR. Vnus omnium ætatum, Patrum, Doctorumque consensus est in tria hæc:

1. Legem Dei absolutè esse possibilem, non per solas naturæ vires; sed per gratiam Dei.

2. Opera bona iustorum absolutè sunt iusta, & quodam modo perfecta, sic tamen vt perfectione augescere queant.

3. Operibus bonis iusti fiunt iustiores.

1. Legem impletu possibilem esse Scriptura docet. Vide *in Antichristo quæst.* 42.

2. Docet S. Patrum Traditio & Concilij Arausicani 11.

3. Ratio. Potest homo plus facere, quam præceptum: ergo & præcepta implere. Antecedens, quia: Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. seruaui.* Porrò, *Si vis perfectus esse vende omnia. &c.* Vbi Chrys. hom. 8. de pœnit. *Multi ipsa superant peccata.*

2. Si essent impossibilia, neminem obligarent præcepta; ac proinde nec præcepta forent, nec præuaricatio.

3. Foret Deus tyrannus, qui ab amicis etiam exigeret tributũ impossibile solutu; idq; etiam iure politico, quod ex naturali ac diuino promanat.

4. Quia Rom. 8. *Christus passus est, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Ideo docuit nos orare, Fiat voluntas tua sc. ait *S. Cypr. & Aug.* vt impleamus præcepta.

5. Quia iustificati habent Sp. Sanctum & hic parit fructus Spiritus, Gal. 5. *Caritas, gaudium, pax. &c.* Atqui ait, *Aduersus huiusmodi non est lex*, sc. accusatrix eorum. Proinde suprà, *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege.* Quia Rom. 8. *Lex Spiritu vitæ liberauit me à lege peccati & mortis:* nam Spiritus facit legem nos implere.

6. Quia omnes iustificati, ex Deo nati sunt: At 1. Ioan. 3. *Qui natus est ex Deo, non peccat:* nam legem implet, nõ præuaricatur.

DICO AD I. S. Petrus loquitur tantum de Ceremoniali lege Circumcisionis, & suffocati, quæ solis naturæ viribus obseruari quibat, nec tamen saluabat: Iuncta autem Morali erat ferè importabilis; sola tamen Moralis est portabile iugũ Dei gratia supportante.

AD II. Maledicti sunt, qui suis viribus naturæ absq; Dei gratia credũt impleri legem posse: *Et hi ex operibus legis sunt:* At cum gratia Dei, Rom. 2. *Factores legis iustificabuntur.*

AD III. De actu concupiscendi est sermo, quem tæpè sentimus, cum etiam non consentimus.

AD IV. Venialiter peccantes legem non præuaricantur quia peccata venialia sunt imperfectè peccata, & propter, non contra legem.

AD V. Christus semper est Mediator minimè otiosus, tum gratiam subministrando nobis ad operandum; tũ quia Sanguis eius nos emundat ab omni peccato ven. & mort.

AD VI. De hac summa legem implendi perfectione, *Iota vnũ aut vnus apex non præteribit*, ibi fit Sermo: & in hanc incurrentes imperfectiones veniales ignoscuntur.

QVÆSTIO LXXVII.

An hoc, Non concupisces, *sit obseruatu possibile?*

LVTHERANI pariterque CALVINIANI contendunt Legem, *Non concupisces*, esse impossibilem: Eo quod Concupiscentia in actu primo, seu pronitas, sit ipsum peccatum originale; Et eadem in actu secundo, seu motus rationem præueniens; Iremque Consensus eius, sint peccata mortalia. Quæ tria vti eo cauentur præcepto impossibili.

SVADENT tum aliis, alubi tractatis, tum isto Aug. l. 1. de Nuptiis & Concup. c. 23. *Si nõ fit, Non Concupisces; saltem fiat hoc, Post concupiscentias tuas non eas.* insinuans hoc posse, illud non posse seruari. Quòd ait, lib. de spir. & lit. c. 36. prius ad immortalem, posterius ad mortalem vitam pertinear.

AVTOR. In vno, *Non concupisces*, tria spectantur; 1. Concupiscentia in actu primo: 2. in actu secundo, motus præuertens rationem. 3. Consensus. Cõcupiscentia in actu primo non est pec. Patet *suprà quæst.* 23. sed naturæ pronitas ex se inculpabilis: Nec motus primò primi sunt pec. actuale: sed cõsensus solus, eo prohibitus præcepto ac proinde possibili. Ita explicat ad Scriptura, vt Eccl. 5. *Ne sequaris in fortitudine tua*

dine tua concupiscentiam. Eccl. 18. *Post cõcup. tuas non eas.* Ro. 6. *Non regnet peccatũ in vestro mortali corpore vt obediatis concupiscentijs eius.* Hæc sanè de Consensu loquuntur. Ita passim S. Aug. l. 1. de Nup. c. 23. &c. apud *Becanum in Manuali l. 1. c. 17. q. 1.*

2. RATIO euincit. Deus nõn obligat nos ad impossibile: id enim foret & stultum, & iniustum. At motus vitare primos non est in potestate nostra; teste experientia omnium. Et velle in id vindicare, quod ineuitabile; id crudele foret: quod alienum à Deo. 2. Homini, in puris naturalibus constituto, motus rationem præuenientes forent connaturales; quia *caro concupiscit aduersus Spiritum*; quæ duæ sunt partes hominis, & appetitus duo rationalis, & sensitiuus. Cõnaturale autem non potest esse culpabile ex se, nisi aliunde fiat tale sc. per consensum. Ergo hic solus præcepto, *Non concupisces*, cauetur.

Dico AD Suasionem. S. August. vult illud, *Non concupisces*, quoad verba præcepti, non posse; at quoad obligationem, posse obseruari. Quia docet; Motus rationem præuenientes, non esse peccata. Et consentit *Caluinus Inst. 3. c. 3. §. 10.* Item docet: præceptis diuinis nil proh. beri, nisi peccatum: Id quod dant Sectarij: ergo non ij motus, sed consensus solus ibi prohibetur quoad obligationem.

QVÆSTIO LXXVIII.

An hoc: Diliges ex toto. &c. *seruari possit? Cæteraque Decalogi?*

LVTHERANI, vt Kemnitius *in Exa. Conc.* CALVINIANI, vt Caluinus *in Antid. ad sess. 6. c. 11.* rigidè negant.

SVADENT præsertim istis: 1. Qui diligit, legem implet; at diligere nemo potest, sicut oportet. Hîc enim inchoata est, non perfecta caritas.

2. Melancht. *in Apolog. de implet legis*, concedit posse diligi proximum; non tamen isto legem impleri, aut iustificari coram Deo.

AVTOR. Mãdatum dilectionis seruari potest, & debet quadãtenus perfectè ex toto corde: id est, 1. Non occupando cor totum in diligendo Deo SOLO. 2. Nec tanto conatu in Deum, quanto fieri potest: 3. Sed Deum diligendo super omnia creata. Sic Rom. 8. *Nulla creatura poterit nos separare à caritate Christi*, scil. vt eum post ponamus. Matt. 10. *Qui amat patrem aut matrem plus, quam me, non est me dignus.* Dauid, Eccl. 47. *de omni corde dilexit Deum.* Vide *Antichristum p. 4. q. 42.* Idem de Iosia rege asseritur. 4. *Reg.* 23. Nec dubium de Moyse; Abraham, &c B. Virgine, Apostolis. &c. Abrahæ in terris nil carius vnigenito; at carior ei Deus. Itaque potest diligi Deus *ex toto*, quoad Obligationem hic in terris; non quoad verba. Nam dilectio super omnia non excludit aliquam cæterorum dilectionem, quæ & ipsa est cordis.

II. LVTHERANI, vt suprà liquet, negant legem seruari posse. CALVINIANI item. Caluini vox blasphema est in Antid. sess. 6. c. 12. *Prophetæ, Patriarchæ, & pij Reges, vtcunque Dei Spiritu adiuuarentur, ferendo legu iugo pares non fuerunt.* Ibid. *Minimum legis mandatum onus est Ætna grauius.*

SVADENT Supradictis *quæst. 76.*

AVTOR. 1. Duo difficillima, *Non concupisces*; & *Diliges*; seruari possunt: ergo & cætera Decalogi faciliora.

2. Diligens ex toto Deum non vult

cum offendere; vnde ſeruat mandata. Neque interceſſio venialium imperfectionum officit perfectioni ſubſtantiali. Hinc Phil. 4. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Caluiniſta dicit; *Non omnia poſſum.* At Luc. 1. Zacharias & Eliſabeth *erant incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela.* Quare Deus ſi mandat ſeriò; ſerio tenemur ad obſeruationē: ſi ioco; cur ſeriò punit? Iſtene iocus erat? Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.*

QVÆSTIO LXXIX.

An Opera Iuſtorum ſint peccata?

LVTHERANI æquè ac CALVINIANI affirmant: Vide ſuprà *quæſt.* 71. & 76. Idque neceſſariò aſſerunt expoſitis à ſe ſe fundamentis: cum fingant Inhærere homini peccatum originale; Concupiſcētiam eſſe perpetuum peccatū; Pec. remitti nulla ſeu deleri, ſed tegi ſolum, & non imputari: Legem obſeruatu impoſſibilem eſſe: Hominem poſt iuſtificationem manere iniuſtum. &c. De quibus ſupra fusè.

AVTOR. I. Opera iuſtorum bona, ſunt verè iuſta; vt etiam iuſtitia actualis dici poſſint.

1. Sic Scriptura docet in *Antichriſto p. 4. q. 43.*

2. Ita S. Patrum conſtans conſenſus, apud *Bell. l. 4. c. 16.*

3. RATIO euincit idem. 1. Quia ex tribus potiſſimum finguntur eſſe peccata; Ex innata Concupiſcentia; Ex defectu dilectionis; Ex admiſtione venialium: At horum nil demit iuſtitiam operibus bonis. *Non* Concupiſcentia; nam hæc infirmitas eſt; non peccatum: nec nocet ſine conſenſu. *Non* venialis caritatis imperfectio; nam, hæc vt culpa ſit, non tamen eſt peccatum lethale; habetq; hic ſuā viæ perfectionem abſolutam; licet non illam patriæ. *Non* Venialium admiſtio; nam hæc vt ſit præter, non tamen eſt contra legem & caritatem. Vnde licet *in multis offendimus omnes*, & nemo non habeat peccatum; Scriptura tamen abſolutè quoſdam vocat iuſtos, immaculatos, perfectos.

2. Quia ſi omnia iuſtorū opera forēt peccata, & opus Fidei iuſtificantis eſſet peccatum; item oratio hæc: *& dimitte nobis debita:* Item mentiretur dicens; Nil mihi conſcius ſum: Item Deus ipſe peccaret, Phil. 1. & 2. *qui operatur in nobis:* Item Redemptor noſter peccato non redemiſſet, nec mundaſſet ſibi populum acceptabilem: *Tit. 2.* Item, Peccata mortalia quædam forent opera bona, ac proindefaciēda. Demum opera bona eſſe peccata, implicat; non bona eſſent non bona: Seruire Deo eſſet ſeruire diabolo; opera lucis eſſent tenebrarum; filij Dei eſſent filij diaboli.

3. Ab iniuſto procedunt opera iniuſta: ergo ab iuſto iuſta. Nam Mat. 7. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque mala bonos.* Ioan. 15. *Ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Vide Becanum in Manuali l. 1. c. 18. q. 1.

II. Opera iuſtorum iuſta etiam iuſtificant amplius. Iac. 2. *Abraham nonne ex operibus iuſtificatus eſt? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus eius, & ex operibus fides conſummata eſt.*

INSTAT

INSTAT Caluinus *Inst.3.c.17.§.11.12.* 1.Ibi scopum Iacobi fuisse ostendere, quæ sit vera fides.

2. Fidem ex operibus iustificantem esse vmbram fidei, non veram.

3. Iustificationem ibi capi pro declaratione iustitiæ, non pro Imputatione iustitiæ Christi. Vt *Rom.*4.

DICO AD I. Dicit; non docet. At docet *S. Aug. l. de fide & oper. c.* 14. non ostendi ibi quę sit vera fides; sed quod vera fides non iustificet sine operibus; quo spectat & epistola Petri, Ioannis, Iudæ, contra exortam tunc hæresin, Fidem absque operibus iustificare.

AD II. dico idem.

AD III. Rom. 4. agitur de iustificatione prima, quæ ex impio facit iustum: Iacobus de secunda, qua iustus fit iustior: hæc cum, illa sine operibus fit iustis. Ita *Trid. sess. 6. c.* 8. 10. *ex S. Aug. præfat. in Ps.* 31. *&c.* Vide *Bell. l.* 4. *c.* 18. & in meo *Antichristo p.* 4. *q.* 43.

SVADENT porro istis operum bonorum iniustitiam.

1. Calu. Ps. 31. *Beati quorum remissæ* sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: idq; totâ vitâ, non in baptismo solum.

2. Psal. 142. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

Eccl. 7. *Non est homo iustus qui faciat bonum, & non peccet.*

4. Isa. 64. *Facti sumus vt immundi omnes; & quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ.*

5. Lutherus: Quia semper polluitur in nobis nomen Domini; & voluntati eius rebelles sumus, & peccamus; ideo orare iubemur; *Sanctificetur nomen tuum: Fiat voluntas tua: Dimitte nobis.*

DICO AD I. At si omnia sint mera peccata; cur idem dicit Psal. 1. *Beatus vir, qui non abijt in consilium* impiorum. &c. Ps. 100 *Intelligam in via immaculata: Perambulabam in innocentia.* &c. Quare ibi loquitur de prima iustificatione.

AD II. Triplex expositio est. 1. Aug. *Non iustificabitur*; sc. ex se; sed ex Deo. 2. *Aug. Hieron. Greg.* Non iustificabitur; quia nemo sine pec. ven. est. 3. *Hilarij Hieron. Euth.* Non iustificatur homo comparatus Deo infinitè puro, Iob. 4, & 9.

AD III. Non peccat homo bonũ faciendo; sed bonum faciens nunc, mox peccare potest; imò bonum faciens simul potest venialiter peccare.

AD IV. In quo quasi triumphãt. At loquitur ibi de Sceleratis, non de iustis: quia ait; *ecce peccauimus: Deseruisti nos; Iratus es. Non est, qui inuocet nomen tuum. Deinde* ibi docet, opera iusta grata esse Deo: *Occurristi facienti iustitiam.* Demum mos Scripturæ est loqui de multis, quasi de omnibus: Gen. 6 *Omnis caro corruperat viam suam*: Non tamen Noë. *Adhæc* esto, loquatur de omnibus; at de omnibus istius temporis, non omnium retrò temporum: patet ibidem. Et loquitur de impiorum operibus iniquis, q uæ ipsi iustitias reputabant. *Lutherus quoque & Caluinus in Comment. ibidem* negant eum locum recte afferri contra operum iustitiam.

AD V. Christus non docuit nos petere, quæ nunquam impetrare possemus: *Petite, & accipietis*: at secundum Sectarios illa nunquam possunt impetrari: quia volunt in omnibus iustos peccare, semper polluere Dei nomẽ, rebellareque eius voluntati. Petimus autem ibi, ait S. Cypri. quod habemus, vt conseruetur & augeatur.

IV. DE IVSTIFICATIONE MERITORIA.

QVÆSTIO LXXX.

An vox MERITI sit vsurpanda vt ἀγιόγραφα?

LVTHERANI, vt *Mar. Bucerus in Colloq. Ratisb.* negat Scripturam, aut Patres voce *Meriti* vsos: Vsos tamen quosdam dura cum catachresi.

CALVINIANI, vt Caluinus *Inst. 3. c. 15. §. 2.* negat vtendum voce *Meriti* vel *mercedis*; dicendum dari abs Deo bonis operibus liberalem remunerationem. Simul acerbè perstringit S. Patres, quod vsu vocis *Meriti* pessimè consuluerint fidei sinceritati. Itaque dissonat ab Lutheranis verbo; re nihil.

AVTOR. I. Vox Meritum est apertè in Scriptura, Eccl. 16. *Misericordia faciet locum cuique secundum MERITVM operum.*

INSTAT Caluinus non esse vocem *Meritum* ibi, sed Κατὰ ἔργα.

DICO. Hoc idem est: nam reddere alicui secundum opera, est reddere vt meretur. Vnde Hebr. 13. *Talibus hostijs promeretur Deus* εὐαρεστεῖται, delectatur, placatur, ait Chrys. placetur, ait Oecumenius. Caluinus; placetur ijs Deo; non tamen recte vocatur meritum. AT qui facit placitum alteri, benè meretur de eodem.

II. Vox *meriti* deducitur è Scripturis, vbi dicitur ἄξια meritū, ἀξιοῦσθαι mereri. Vt 2. Thes. 1. *Vt digni habeamini regno Dei.* Apoc. 3. *Ambulent mecū in albis, quia digni sunt.* Apoc. 16. *Dedisti eis Sanguinem bibere; digni sunt enim*, id est meriti sunt.

III. Vox *Mercedis* frequens est Scripturæ: Gen. 15. *Ego merces tua magna nimis.* 2. Paral. 15. *Confortamini; erit enim merces operi vestro.* Sap. 5. *Apud Dominum est merces eorum.* Mat. 5. *Merces vestra copiosa est in cœlis.* 1. Cor. 3. *Vnusquisque propriam mercedem habebit.* Apoc. vlt. *Ecce venio cito, & merces mea mecum.*

QVÆSTIO LXXXI.

An opera iustorum sint æterna vita meritoria?

LVTHERANI principio contemptim declamabant de operum meritis: post bifariam temperant *in Confess. Aug. & Apolog. art. 10.*

1. Opera bona esse meritoria, hic & isthic, temporalium & spiritualium; sed non vitæ æternæ.

2. Esse meritoria, sed non ex sese vt iustis, sed ex fide, Deique liberalitate, tegentis nostram indignitatem & operum.

CALVINIANI in Harmonia Confessionum Geneu. & apud Scharpium aiunt: *Nos omnibus nostris meritis in opere iustificationis & salutis renunciamus; & solum Christi meritum tale esse, vt iustificationem efficiat, & vitam æternam, asserimus. Dicimus ergo, opera in conspectu Dei non ex congruo, nec ex condigno vitæ æternæ esse meritoria.*

CALVINVS *Inst. 2. ca. 1. §. 9. Inst. 3. ca. 15. §. 3. & Antid. sess. 6. c. 14. &c.* pro fundamento ponit, peccatorem manere in iustis cuius tabe omnia opera inficiantur, vt sint damnabilia.

SVADENT istis. 1. Psal. 102. *Coronat te in misericordia.* Mat. 5. *Misericordes misericordiam consequentur.*

2. Isa. 55. *Emite absq; vlla commutatione vinum & lac.* Dan. 9. *Non in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras; sed in miserationibus tuis.*

3. Luc. 17. *Cùm feceritis omnia, dicite serui inutiles sumus.*

4. Rom. 6. *Stipendium peccati mors; gratia Dei vita æterna.*

5. Rom. 8. *Non sunt condigna passiones huius, &c.* Phil. 3. *Inueniar non habens meam iustitiam, quæ ex lege est; sed illam, quæ ex fide est Iesu Christi. &c.*

6. Rom.

6. Rom. 3. *Exclusa est gloriatio tua: per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei.*

7. Iniuria fit Christo, si nostris quid meritis tribuatur.

AVTOR. Opera iustorum verè & propriè sunt æternæ vitæ meritoria.

I. Sic Scriptura in meo *Antichristo p. 4. q. 44.*

II. Sic traditio S. Patrum, apud *Bell. l. 5. c. 4.* & Concilia Arausicanum, Lateran. Florent. Trid.

III. Ratio. Quia opera iustorum sunt verè iusta: ergo & meritoria. Iusta esse, liquet *suprà quæst. 76.*

IV. Vita æterna in Scripturis nominatur merces: ergo opera bona sũt verè meritoria.

INSTAT *Melanch. in Apolog. Conf. Aug.* Merces dicitur præmium; quod debetur Promissioni, non Operibus.

DICO. At expressè operibus dari, non promissionibus, dicit Scriptura. Dein debeatur promissioni: at non ni si expleta conditione ei addita de operibus.

INSTAT Caluinus: Merces accipitur ibi figuratè; quia vita æterna dicitur hæreditas; hæc autem non est propriè merces. Illa verò debetur filiis iure hæreditario; non meritorio.

DICO. Infantibus sic promissa debetur & datur: at adultis insuper & iure meritorio: Sicut Christo debebatur iure naturali: at etiam quia *humiliauit se. &c. præterea Deus exaltauit illum.*

V. Quia præmium cœleste datur iustis in mensura & proportione operum.

INSTANT. 1. Datur in cœlis præmium operibus; sed non æterna vita.

2. Dicitur vita æterna dari operibus; cum soli Fidei detur; cuius signa & fructus sunt opera bona.

DICO AD I. Scriptura ipsissimã exprimit *vitam æternam* dari *secundum opera. Dein*, nominetur illud operum speciale præmium. At nequit nominari. *Adhæc*, Malis redditur mors æterna pro malis operibus: ergo bonis æt. vitam.

AD II. At datur merces ita beata secundum proportionẽ operum; non fidei. *Nec* potest dici esse merces fidei; cum fides Sectariis solum relatiuè & apprehensiuè saluet; non autem ipsa per se. *Dein*, par foret omnium beatitudo & merces: at different vt stella à stella.

VI. Quia in Operibus bonis ponitur ratio, cur ijs æterna vita reddatur.

INSTAT Caluinus Diuinæ prouidentiæ ordo est, vt prædestinatos ad vitam æternam velit prius facere bona, quam beentur, beari tamẽ ob prędestinationẽ, non ob opera. Vnde vox *Enim, Quia* sæpe est nota ordinis & cõsequentiæ, non causæ. Vt Gen. 15. *Quia fecisti rem hanc, multiplicabo semen tuum.*

DICO. Sicut de malorum pœnis; ita & de bonorum præmiis loquitur Scriptura: *Esuriui enim, & &c.* at ibi de pœnis redditur causa vera. *Nam stipendium peccati mors*: Rom. 6. *Qui autem seminat in spiritu*, Gal. 6. *de spiritu metet vitam æternam.* Phil. 2. *Cum timore salutem vestram operamini. &c.* Hæc docent particulas *Enim, Quia*, esse verè causales. Quoad Abraham; Deus promisit ei multiplicationem; sed eam mereri noluit operibus: Sic Isaacum proles impetrare precibus.

VI. Bonis operibus dicunt Scripturæ dari ex iustitia vitam æternam.

INSTAT Caluinus, 1. dari vt Christianis; non vt operariis. 2. Scripturæ iis hortantur ad studium operum bonorum.

DICO AD I. At expressè vt operariis talium.

AD II. Hortantur; sed præmio proposito beatitatis.

VI. Expressè vita æterna bonis est operibus promissa. Mat. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Ibid. *Omnis qui reliquerit. &c. & vitam æternam possidebit.* 1. Tim. 4 *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Vnde promissum est debitum; & præstita conditio habet meritum.

VII. Operantes dicuntur digni præmio; quippe meriti. Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Sap. 3. *Tentauit eos, & inuenit eos dignos se.* 2. Thes. 1. *Vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.* Illud autem Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriã*; intelligitur de substãtia operum, non de proportione absoluta.

DICO AD I. *S. Aug. ep.* 105. *&c.* beatitudo tribuitur misericordię, non quòd ea non sit vera merces meriti; sed quia merita ipsa sunt data ex misericordia. Deinde: In ipso merito est opus misericordia, ob pecc. venialia quibuscum fit meritum.

AD II. Vinum & lac gratiam significant, non gloriam: gratia autem nõ acquiritur per merita. Ita *S. Hieron. in Comment.*

AD III. *Inutiles* ex nobis, ex natura, ait *S. Ambr.* 2. *Inutiles*, Deo; at non nobis, ait *V. Beda.* 3. S. Aug. serm. 3. de verb. dom. *Inutiles*, quia nil vltrà id facimus, quod debemus. 4. S. Chry. *Vult nos de* nobis humiliter sentire.

AD IV. *S. Aug. l. de grat. & lib. arb. c.* 8. *&* 9. Stipendium iustitiæ est vita æterna; sicut peccati, mors.

AD V. Fit sermo ibi de salute inchoata per gratiam viæ; & hæc non habetur per merita, sed gratis. Nec vllus eas scripturas exposuit vnquam de gloria patriæ.

AD VI. Fides excludit gloriationem gloriantium in sese & in propria iustitia; non autẽ gloriationem in Domino. Ita *Bern. serm.* 13. *in Cant.*

AD VII. Merita iustorum nascuntur ex meritis Christi: idcirco hæc ipsa magnificantur, vt in effectis. Merita igitur nostra sunt Christi dona.

QVÆSTIO LXXXII.

Num quæ fiducia in meritis collocanda sit, vt intuitu mercedis operari liceat?

I. LVTHERANI negant: & coguntur; quod opera iustorum esse peccata mortalia asserant.

CALVINIANI item pernegant: vt Caluinus *Inst. 3. c. 2. §. vlt. & c. 12. §. 3. 4.*

Pelagius & Wicleffus directè contrarii docuerunt, teste Th. Wald. to. 3. c. 7.

AVTOR. Ponenda in Deo spes præcipua; sed & aliqua in meritis sic, quatenus ex iis spes nascitur, non ex fide sola. 1. Sic apertè Scriptura in *Antichristo p. 4. q. 45. 2.* Ita S. Patres. 3. Ratio. Quia promissa corona diligentibus Deum pendet ex & fidelitate Dei, & operibus nostris. 1. Ioan. 3. *Diligite opere & veritate*: ergo & spes coronæ pẽdet indidem ex vtroque simul. Ita 3. *sent. dist.* 23. Quia hic ordo est iustificationis; 1. Fides; 2. Amor salutis; 3. Desiderium ac spes. Vnde S. Ambr. *spes*, ait, *oritur ex amore; & amor ex spe.*

II. Si merita esse bona verè cognoscatur, potest in iis aliqua poni fiducia: sed

cia: sed absque superbia. Ita enumerabat sua merita Nehemias, 2. *Esdræ.* 5. Dauid, *psal.* 17. Ezechias, *Isa.* 38. Hester, *c.* 14. Paulus, 2. Tim. 4. *Bonum certamen certaui. &c.* Attamen tutissimum est, in solo sperare Deo. Hæc spes non confundit; illa fallit. Patet ex iis Scripturis, quas contra nos congeruntad. uersarij.

II. LVTHERO-CALVINISTÆ, vt Caluinus *Inst. 3. c. 16. §. 3. & c. 18. §. 2.* negant intuitu mercedis æternæ fas operari benè; licet huc tendant exhortationes S. Scripturæ. Id quod olim docuit damnatus Buganrius in Catalaunia; teste *Luxenburg. in Catalogo har.*

SVADENT istis 1. Quia *Ioan.* 10. Mercenarii reprehenduntur.

2. Quia S. Bern. l. de diligendo Deo ait: *Non sine præmio diligitur Deus, et si absque præmij intuitu diligendus sit. vacua namque vera caritas esse non potest; nec tamen mercenaria est.*

3. S. Tho. 2. 2. q. 19. a. 4. ad 3. ait amorē mercenarium posse vera cum caritate consistere.

4. Seruile est operari ob mercedem.

5. Deus amore amicitiæ, non concupiscentiæ diligendus est.

AVTOR. Nec tantum, nec præcipuè intuitu mercedis operandum; sed maxime ad Dei gloriam.

1. Ita Matt. 4. *Pœnitentiam agite; appropinquabit ENIM regnum cœl.* Matt. 5. *Beati. &c. quoniam ipsorum est regnū cœl.*

2. Sic mandatum est, Mat. 6. *Primū quærite regnum Dei.* Luc. 16. *Facite vobis amicos. &c. vt recipiant vos in æt. tab.*

3. Exemplum Dauidis Ps. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificat. tuas, PROPTER retributionem.*

4. Ecce cohortatio. 1. Cor. 9. Sic currite, vt comprehendatis. Gal. 6. *Bonum facientes non deficiamus, tempore ENIM suo metemus,* Sic & S. Patres.

DICO AD I. II. III. Mercenarii sunt, qui mercedem primariò intuentur: non tales sunt iusti operarij.

AD IV. Sordidum est, vbi merces vilior est opere; vt in terrenis; non vbi merces est glorioſior.

AD V. Rectè: at Deum iusti diligunt propter Deum, non propter seipsos, nisi secundariò.

QVÆSTIO LXXXIII.

Quæ ad Meritum requirantur: & quî fiat?

AVTOR. I. OPVS LIBERVM libertate à Coactione & Necessitate. Vnde Eccl. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus: ideo stabilita sunt bona illius.* 1. Cor. 9. *Si volens hoc ago, mercedem habeo.* Quare, 2. Cor. 9. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo; non ex tristitia.* Ratio. Nam opus necessarium non est laudabile; ergo minus meritorium. Nec opus malum meretur pœnam, nisi liberum fuerit.

II. GRATIA IVSTIFICANS requiritur. Vnde Ioan. 15. *Manete in me;* sc. vt membra viua sitis: huc gratia opus. 2. Beatitudo est hæreditas filiorum Dei: *Rom. 8. Gal. 3.* 3. Meritum perditur salutis per peccati offensam; ergo non in solo opere, sed præcipuè in amicitia Dei fundatur.

III. PROMISSIO Dei GRATVITA requiritur. Nam contrariam Baij opinionem damnauit Pius V. & Greg. XIII. Quia opera ex principio operantis nullam habēt proportionem cum beatitudine. Rom. 8. *Non enim sunt cōdignæ passiones ad. &c. Quia,* 2. *Cor.* 4.

Quod in præsenti momentaneum est. &c. Meritum verò licet ad vtramque Dei iustitiam pertineat; magis tamen ad Distributiuam, quàm Commutatiuã; quia distributio præmiorum reuocatur ad gratiã prędestinationis, quę est sine meritis præuisis facta. Ad Commutatiuam: quia præmium datur beatis secundum mensuram laborum.

IV. CARITAS requiritur magis, quã FIDES. Nam illi promissa beatitudo est; Ioan. 14. *Si quis diligit me, diligam, & manifestabo ei me*: quæ manifestatio est beatifica visio. 1. Cor. 2. *Oculus non vidit quæ Deus præparauit diligentibus se.* Proinde, 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem; caritatem autem non habuero, nihil sum. &c.* Et ista quatuor requiruntur ad meritum.

V. EX CONDIGNO non solum de Congruo, meretur iustus. Vnde Col. 1. *Vt ambuletis Dignè Deo.* 2. Thes. 1. *Vt digni habeamini regno Dei*, id est, condigni, ἄξιοι: Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones. &c.*

2. Condignitas verò ea manat, *Tum* ex operum dignitate, vt quæ informarit gratia: *Tum* ex Dei pacto. Quia, Ioan. 1. *Vita æterna est gratia* mercedis *pro gratia* meritorum; seu caritas patriæ pro caritate viæ: sed inter gratiam hanc & gratiam illam est proportio; ergo & condignitas. Gratia namque operandi benè, est *fons saliens in vitam æternam*: fontis autem est proportio ad *flumen* gloriæ, *quod lætificat ciuitatem Dei.* Ps. 45.

3. Sed meritum est duplex, Personæ & Operis. Item vita æterna duplex; Hæreditas, & Merces. *Merito personæ* potest haberi æterna vita, vt Hæreditas: at *merito operis*, vt Merces; Adhoc opus pacto Dei, quod acceptanda sint opera; non ad Illud: Quia gratia ex se se habet relationem ad gloriam.

4. DEVS verò etiam supra condignũ remuneratur opera bona. Quia Matt. 5. *Merces vestra copiosa erit.* Luc. 6. *Mensuram bonam, confertam, & superefluentem dabit.* Luc. 19. *Habenti, plus dabitur.* Luc. 20. Etiam non operatis totum diem, datur tamen denarius totus; *quia bonus sum*, ait.

5. Primam tamen gratiam meretur nemo ex cõdigno, nisi solus Christus eam meritus est omnibus. De hoc enim, non de illo, pactum constat.

6. Iustus nihilominus potest alteri gratiam mereri primam de congruo. Ita Mat. 9. *Videns Iesus fidem eorum*, &c. curauit ægrum. Sic Stephanus meruit Sauli çonuersionem. Iustus interim sibi ex condigno mereri augmentum gratiæ potest, & ita crescere vsque in perfectum diem.

V. DE BONIS OPERIBVS IN SPECIE.

QVÆSTIO LXXXIV.

Oratio an sit Necessaria, & Vtilis?

I. ETHNICI quidam, teste *S. Tho. l. 3. contra Gentes. c. 96.* per orationes putarunt Dei posse mutari Prouidentiam:

II. MESSALIANI, ait *Theodoret l. 4. hist. c. 10.* docebant, per solam orationem homines iustificari posse.

III. ETHNICI quidam, ait *Cic. l. 1. de nat. deor.* vt Peripatetici tollebant è medio & prouidentiam Dei, & orationem spernebant.

PELAGIANI, teste *S. Aug. l. de hæres. c. 88* destruebant orationes Ecclesiæ; quòd dicerent, hominis

suis Pe-

suis viribus posse recte viuere, & Dei seruare mandata.

WICLEF, teste *Th. VValdo to. 3. c. 1. 2.* finxit, Deum non requirere cogitationes aut voces nostras; sed solum opera bona, quæ sunt oratio vitalis, aiebat.

LVTHERANVS Ioan. Monhemius in Catechismo finxit, Deū id petentib⁹ dare, quod daturus erat, etsi non petissent. Quo superuacaneam reddit orationem.

AVTOR. I. Deus est immutabilis, *Nu. 23. 1. Reg. 15. Malac. 3. Iac. 1.* Quia est simplex, infinitus, æternus. Ita *S. Th. 1. q. 9. a. 1.* Humana igitur oratione mutari nequit.

II. Not. sola oratio iustificat. Quia Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit.* Ioan. 6. *Nisi manducaueritis Carnem Filij hominis. &c. non habebitis vitam in vobis.* Itaque hæc, aliaque talia sunt necessaria.

III. Oratio est necessaria sic vt, quę Deus per eam dat, sine ea non dedisset. Ideo Luc. 18. *OPORTET semper orare, & nunquam deficere,* Luc. 21. *Vigilate semper orantes, vt digni habeamini fugere ista.* 1. Thes. vlt. *Sine intermissione orate.* Eccl. 18. *Nō impediaris orare semper.* Ideo laudata est viduæ importunitas; Publicani humilitas; *Luc.* 18. Et petentis tres panes instantia. *Luc.* 11. 2. Deinde necessaria est ad benè viuēdi auxilium. Nā, Ioan. 15. *Sine me nihil potestis.* Vnde 2. Cor. 3. *Sufficientia nostra ex Deo est.* Orandus igitur Deus est. Planè, Ps. 105. *Dixit vt disperderet eos; si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* Item Mat. 17. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi oratione, & ieiunio.* Iac. 4. *Non habetis propterea, quod non postulatis. Petitis, & non accipitis; eo, quod male petatis.* Ergo aliquid non datur; quia non, aut malè petitur. Idcirco Iacob, *Gen.* 25. pro prole orabat, tametsi ex Dei promisso sciret seminis sui benedictionem. Sic Helias, 3. *Reg.* 18. ora pro pluuia ipsi præscita: Tobias, *cap.* 6. aduersus Asmodæum.

LVTHERO-CALVINISTA Melanthon *in Locis Com. tit. Precatio:* Caluinus *Inst. 3. c. 20. §. 3.* Brentius *in Conf. VVirtemb. c. de orat.* ac cæteri, prę se ferunt maximi se orationem æstimare; at ipsius VTILITATEM euacuant, & abnegāt esse 1. Satisfactoriam: 2. Meritoriam: 3. Impetratoriam. Priores duas tollunt; mutilant impetrationem; dum negant orationibus impetrari peccatorum remissionem, & iustificationem; vt quæ soli tribuunt fidei, præcedenti orationem. Cætera dant precibus exorari posse.

AVTOR. Perutilis est oratio: 1. *Ad Satisfactionem:* Quia laboriosa & pænalis est; vti ieiunium; & eleemosyna.

2. *Ad Meritum:* Quia Mat. 6. *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

3. *Ad impetrationem.* Quia Luc. 18. *Publicanus* oratione facta, descendit iustificatus.

QVÆSTIO LXXXV.

Orationem Dominicam quatenus carpant Hæretici?

I. TERTVLLIANVS l. de Oratione, & CALVINVS *Inst. 3. c. 20. §. 35.* asserunt sex tantum petitiones, duasque vltimas in vnam contrahunt. 1. Caluinus mentitur pro se facere priscos S. Patres; citatque S. Chrys. & Aug. 2. Suadet ex, Sed, particula aduersatiua. 3. Quia Luc. 11. non habetur, *Sed libera nos. &c.* quia, ait *Aug. in Enchir. c. 116.* continetur in præcedente.

AVTOR. Septem sunt petitiones orationis Dominicę. Ita S. Patres, Aug. Ansel. Rup. Innoc. Thomas, Bonau. &c. Quidam solum exponunt eam, de numero nil laborant. *Tertulliano,* ait Sanctus Hilarius can. 5. in Matth.

consequens error abstulit autoritatem.

Ad I. Caluini; Mentitur.

Ad II. *Sed*, hic non explicat præcedentem; sed quid maius indicat, sc. *ne nos inducas: sed* potius *libera nos.* Vt, ne exigas à me debitum; sed condona totum.

Ad III. Apud Lucam in latina desiderantur duæ petitiones: *Fiat volun. tua:* Et *Libera nos*; at in græca & Syriaca apud Euth. & Theophy. habentur. *Dein*; alio tempore, & alijs auditorib⁹ docuit orationem Dominus apud Lucam, quã apud Matthæũ: vnde Lucas forte non retulit totam. Ita *Rupertus*. Demum; *S. Aug. in Ench.* dicit tertiam esse *quodammodo* repetitionem primę; & secundæ; & septimam *tanquam* vnã cum Sexta. Non dicit esse absolutè. Sic Matthæus *c.* 5. octo Lucas. *c.* 6. quatuor refert beatitudines, ait *S. Ambr. l.* 5. *in Lucam.*

II. Calvinvs *Inst.* 3. *c.* 20. §. 44. & Melan. *in Locis tit. de inuoc.* volũt in quinta petitione solum panem corporalem.

Suadent autoritate Chry. *in Matt.* 6. *operis imperf.*

Avtor. Nomine Panis intelligũtur omnia alimenta animæ corporiq; necessaria. 1. Ita S. Patres; *Tert. Cypr. Nyss. Theoph. Aug. &c.* Aliorum sententia de solo pane spiritali, reijcitur, vt improbabilis. Neque obstat vox ἐπιούσιος, id est, supersubstantialis; quia etsi verbo significet excellentiam panis; in subiecto tamen idem est quod *substantialis* panis: sic Græci interpretes, *Bas. Nyss. Chry. Theophy; Euth.* Latini legunt *Quotidianum*, aut sic exponunt.

Liquet eò clarius, orare solius esse Creaturæ: Quo insanius blasphemant Thalmudistæ dicentes, Deum quotidie certas orationes fundere: Ité Machometes: Deum & Angelos pro se orare. *Ipse* autem *Spiritus postulat pro nobis*, Rom. 8. id est, facit nos postulare: Sic & *corui inuocant Deum*, Psal. 146. *Quærunt*, Ps. 103. *à Deo escam sibi*, metaphoricè eo modo, quem Deus indidit ipsis affectui & fami significandæ.

III. Wiclefvs finxit duo: 1. Speciales orationes haud prodesse magis, quam generales: Ideo male factas fundationes ecclesiasticas pro animibus fundatorum.

2. Nefas esse specialem fundere orationem pro vno aliquo.

Svadebat istis. 1. Quia perfecta caritas omnes complectitur.

2. Oratio Dominica est tota generalis.

3. Communitas præferenda est singularitati: & nemo simul pro vtraque precari potest.

Avtor. At Isaac, *Gen* 25. orabat in specie pro Rebecca: Dauid, 3. *Reg.* 17. pro filiolo: Helias, 3. *Reg.* 17. pro viduę filio: Onias, 2. *Mach.* 3. pro Heliodoro: Christus, *Luc.* 22. pro Petro: Ecclesia pro eodem carcerato, *Act.* 12. Paulus, *Eph.* 6. petit orari pro se.

Dico Ad I. Caritas ordinata est: ideo alios alijs anteponit; hos, quam illos magis adiuuat.

Ad II. Oratio est generalis; at applicatio intenta est specialis: Vt illa Christi: *Transeat à Me calix Iste.* Generalis tamen oratio est absolutè melior speciali.

AD III. Verum est; nisi singularitatis sit vrgentior necessitas.

QVÆSTIO LXXXVI.

Horæ Canonicæ num rectè sint institutæ, ac obseruentur?

Lvthervs *l. de abroganda Missa*, institutas repro bauit, ac sustulit. nouasq; instituit: queis tres psalmi manè, vesperè totidem dicerentur: Cantica Te

Deum,

Deum; Benedictus, & Symbolum Athanasij ad vesperas addidit *Illyricus in Centurijs sic arguit*: Pelagius Papa instituit Horas Canonicas: ergo notis Antichristi fuit insignis.

At quis vnquam Horas in notis Antichristi posuit; præter ipsum?

Brentius in Confes. Witemb. carpit quatuor: 1. Institutas pro solis Clericis: 2. In lingua aliena. 3. Continuas die noctuque. 4. Ad expianda potius peccata, quam iræ Dei placandæ, & consolationi fidelium.

Avtor. Antiqua & rationabilis est Horarum Can. institutio.

1. Sunt septenæ: Ps. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.*

2. De Nocturno. Ps. 118. *Media nocte surgebam ad confitendum nomini Domini.* Luc. 6. Christus *pernoctabat in oratione.* *Act.* 16. Paulus & Silas media nocte orabant in carcere.

3. De Laudibus, Psa. 5. *Manè exaudies vocem meam; manè adstabo tibi.* Psal. 62. *In Matutinis meditabor in te.* Ps. 118. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculò vt meditarer eloquia tua.*

4. De I. III. VI. IX. 2. Esdræ. 9. *Legerunt in Volumine legis Domini quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.* Dan. c. 6. *Tribus tẽporibus in die flectebat genua, & adorabat, confitebaturq; coram Deo.* Sic ea exponit Beda, Cyp. Hier. *Act.* 2. Hora tertia Apostoli orantes accipiunt Sp. Sanctũ. Hora sexta, *Act.* 10. Petrus in superiore ædium parte orationi vacabat. Ad Nonam orationis horam, *Act.* 3. Petrus & Ioannes ascendebant in Templum.

5. De Vesperis, Ps. 54. *Vesperè, Manè & Meridie narrabo & annunciabo; & exaudiet vocem meam.* Ps. 140. *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Constat ergo Antiquitas, & Sãctitas.

II. Ratio liquet earundem. 1. *S. Cyp. serm. 6.* Vt SS. Trinitatem tertia quaque laudemus horâ.

2. Vt septem horis gratissimus pro beneficio creationis, septiduo patratæ.

3. Vt recolamus beneficia redemptionis: in Vesperis primis, Cœnam Domini: in Completorio, Orationẽ in horto; illusionem apud Annam & Cayphan: in Matutinis, conciliũ principum: in I. ductionẽ ad Pilatum: in III. vocem *Crucifige*; in VI. crucifixionem: in IX. Expirationem. Ita *S. Atha. Basil. Cassianus. &c.* III. Rursus: Vesperè Christus depositus de cruce: Ad Cõpletorium sepultus: ad Matutinum resurrexit; & Pharaonem olim submersit: Hora I. apparuit mulieribus: III. Demisit Sp. Sanctum: VI. Petrus est iussus prædicare Gentibus: & Conuersus est Paulus: IX. Centurio Cornelius ab Angelo missus est ad Petrũ. &c. Vide *Bell. l. 1. de bon. op. c.* 13.

IV. Partes Horarvm singulæ sũt irreprehensibiles; ergo & totæ.

1. Psalmi & Cantica sunt in Scripturis, & Fuerunt Apostolis in vsu: 1. Cor. 14. *Cum conuenitis, vnusquisque vestrum psalmum habet.*

2. Diuinitus inspiratum est *Te Deum laud.* ab S. Ambrosio & S. Augustino post huius baptismum.

3. De Hymnis docetur *Col.* 3. *Eph.* 5. etiam populo vsitatis.

4. Lectiones, Responsoria, Capitula, &c. sunt è Scripturis, seu S. Patribus. Horarum igitur vsus est & Sanctus, & perantiquus. Vide *in Genealog. p.* 4. *q.* 17. de Hæresiarchis damnatis.

QVÆ-

QVÆSTIO LXXXVII.

Cantus Ecclesiasticus an sit improbandus?

LVTHERANI Centuriatores *cent. 9. cap. 6. &c.* nos vocant Baaliticos; vt in quos dici queat *Clamate voce maiori*: Non tamen cantum improbant vniuersè, quin vehementer commendant: Caluinianique pariter, vt Caluinus *Inst. 3. c. 20. §. 31.* Verum in specie improbant nostrum in lingua non vulgari, tali cum ritu ac ordine; præsertim cum stata solemnique obligatione solius Cleri.

TRANSYLVANI Trinitarij *l. 2. c. 1.* profitentur se Cantum cum tubis & organis præscribere: Inque *Antithesibus Christi veri ac falsi*, falsum Christum velle aiunt cantum.

SVADENT Scripturarum apparentiis, cuique soluta facilibus.

AVTOR. I. Ritus Diuina canendi peruetus est ac rationabilis.

1. Quia Angeli concinuerũt Christo nato *Gloria.*

2. Dauid Psaltes & composuit psalmos, & instituit organa. &c. cantores: & *Psal.* 150. hortatur ad cantum.

Martyr instat, ista veteris esse Legis, adq; nos pertinere nihil: Nihil, inquã, quà futura præcinebant iam impleta: at multum, quà præterita mysteria grati recolimus, omissis figuris.

3. Turbæ occinuere Christo *Hosanna*, obstrepentibus Pharisæis.

4. Qui Mat. 26. *Hymno dicto post cœnam*, id est, cantato, ait *Conc. Tolet. V. c. 12. Et Aug. in tit. ps. 2. & epi. 119. c. 18.* ὑμνήσαντες græcè est.

5. Paulus & Silas, Act. 16. *media nocte orantes hymnum decantabant.*

6. Præceptum est Col. 3. *vt in psalmis, & hymnis, & canticis* sese exerceant credentes. 7. Constat Traditio S. Patrum. 8. Hæretici contrarij, sunt damnati: Vt Hilarius quidam, teste *S. Aug. l. 2. Retract. c. 11.* Henriciani, & Petrobrusiani: teste Cluniacensi: Wicleffistæ, teste *Tho. VVald. to. 3. tit. 2.* Demum complures Cantus ecclesiastici constant vtilitates, apud *Bell. l. 1. de bon. oper. c. 16.*

II. Clerum ad Cantum ac Horas obligari, ritè fit ac ordine.

1. Quia 1. Par. 15. *Constituit Dauid arcam Arca Domini de Leuitis, qui ministrarent, & recordarentur operum eius, & glorificarent, atque laudarent Dominum.*

2. Apostoli omissis temporalibus suum munus proprium dixerunt: Act. 6. *Nos orationi & verbo Dei instantes erimus.* Vt igitur in Ecclesia non est omnium *Prædicare*; ita nec *Cantare.*

3. Ratio. Quia politia suos habet excubitores: ergo & Ecclesia; Isa. 62. *Super muros tuos Ierusalem, constitui custodes, tota die & nocte in perpetuum non tacebũt.* Item Eph. 5. *Nunquid omnes Doctores, Prophetæ.* &c. sed suum cuique donũ est ac officium in Ecclesia: Cleri, psallere. Idque iure ecclesiastico, non diuino.

DE IEIVNIO.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An ieiunij soluendi tempus ritè statuatur ac obseruetur?

LVTHERANI; vt Kemnitius *in par. 4. Exam. Trid. pag. 516.* cõcedunt in ieiunio vnam in die refectionem; eamque cænæ, non prandij: at negant delectum ciborum seu abstinentiam à carnibus.

CAL-

CALVINISTAE, vt Caluinus *Inst.4.c.12.* vo-
lunt ieiunium tribus perfici: 1. *Tempore*; vt nõ
soluatur prius, quam id perfectum sit, verbi
gratia, oratio, cuius causa susceptum est: 2.
Quantitate, vt solito minus comedatur; non
vt vnica sit refectio in die. 3. *Qualitate*, vt sit
abstinentia ab lautitijs; non delectus ciborũ
prohibitorum. Itaque nostrum tempus sol-
uendi ieiunij carpunt.

SVADENT istis apud *Scharpiũ in Cursu theo.*
Sect.26.q.1.1. Col.2. *Nemo vos iudicet in cibo, aut*
potu, aut parte diei festi, &c.

2. Papistæ vt videantur ieiunare, sub me-
ridiem Vesperas canunt, tertiam pomeridia-
nam mutant in meridianam; & satis esse aiũt
tres horas post ordinarium prandii tempus
ieiunare: conceduntque hæc variari posse.
Ita & *Kemnitius.*

AVTOR. Ieiunium sit cœna, non
prandium: Vel, vt *D.Th.2.2.q.147.a.*
6.&7. ait, sit vna refectio, & hora no-
na, ex Ecclesię lege vel consuetudine.

1. Rationem adfert: *Vna refectio:*
Quia ieiunatur, vt natura dometur,
non destruatur: at domatur vna refe-
ctione, quæ assueuit duabus: Destrue-
tur, si nunquam sumeret. *Hora nona:*
Quia ieiunare est carnem crucifige-
re; at Christus hora nona crucifixus
exspirauit.

2. Iudic.20. *Ieiunauerunt illa die vsque*
ad vesperam, Idem 2. Reg.1. & 3. &c.
Ergo mos ille peruetus est.

3. Ita S. Patres apud *Bell.l.2.c.2.*

DICO AD I. Loquitur ibi de legali-
bus ceremoniis; perque vim detorquẽ
tur ad legem Ecclesiasticam, teste *S.*
Hieron. ad Aglasiam q.10. Aug. epist.59.
q.7. &c.

AD II. Ecclesia prandendi, & ad
vesperam collationandi vsum tolerat;
non imperat: constat tamẽ ieiunium
eò perfectius esse, quò longius differ-
tur vnica refectio. *Dein*, talium deter-
minatio est ab iure Ecclesiastico, vel
Consuetudine, cuiusque loci; non ab
iure diuino. Vnde varatio accidentis
nil derogat substantiæ ieiunij: & illa
cuiusque nationis Archiepiscopo, seu
Patriarchæ est libera, ex causa occur-
rente graui.

QVÆSTIO LXXXIX.

An cibos quosdam censeamus im-mundos in se?

LVTHERANI, vt Lutherus *l.de lib.Christiana*
Melanch. *in Apol.art.15.26.* Brentius *in Confes.*
VVittemb. Kemn. *in part.4. Exa.Trid.*

CALVINIANI item vt Caluinus *Inst.4.c.12.*
quatuor culpant: 1. Quod ducamus cibos
quosdam ex se immundos. 2. Quod abstinẽ-
tiam carnium, ouorum, & casei ad rationem
ieiunii esse dicamus. 3. Quod delectum ci-
borum sub conscientiæ obligatione impere
mus. 4. Quod eum esse meritorium asseram-
mus, exque re indifferente cultum Dei ne-
cessarium efficiamus.

SVADENT afflictam nobis ciborum im-
munditiam istis: vt Kemnitius par. 4. Exam.
pag.460. *Laborãt amoliri suspicionem istam, quasi*
cibos prohibeant sicut Tatianus, Manichæi, & Pri-
scillianistæ, quasi vel maledicti sint, vel à diabolo oc-
cupati: Sed pontificiæ consecrationes creaturarum
prorsus ostendunt, in eodem ipsos luto cum hæreticis
istis hærere. 2. Dicunt carnium eam esse immundi-
tiem, quòd prauas carnis concupiscentias excitent.
3. In consecrationibus suis petunt, vt diaboli vis à
creaturis expellatur.

AVTOR. Nihil commune nobis
in ieiunio cum hæresiarchis; nec cibũ
vllũ ex se immundũ dixit vnquam Ec-
clesia certa Scripturarũ, in *Antichristo*
p.4.q.46. Quia cibos omnes semper
comedit; solum certa abstinentiæ
tempora definiuit, non immunditiæ

vllius causâ; sed obedientiæ. Ideo & religiosi quidam sibi esum carnium perpetuò interdixerunt libera sponte sua. Ægris tamen vel in Quadragesima conceduntur carnes; sæpe & imperantur.

Dico Ad I. Hæretici execrabantur etiam pisces, & quicquid animam habuisset. Vnde Montanistæ, & Tertullianus, orthodoxos appellabāt *Psychicos*, id est, animales seu animęuoros, & delectabātur ξηροφαγίαις. *Demum*: Quia S. Patres refutatũt ac anathematizarunt hæreticos dictos; ijdem & ieiunium nobis commendarunt, ac obseruarunt.

AD II. Ieiunij causa est castigatio carnis; quam carnei cibi plus nutriũt; oua & lac etiam, quod, vt ait S. Hiero. l. 2. contra Iouin. sint caro liquida, & sanguis albus. Nec ideo tamen immũda censentur. Vnde S. Aug. l. 10. Cõf. c. 31. *Non ego immunditiem obsonij timeo, sed immunditiam Cupiditatis.* Nec ideo vetat Ecclesia immoderatum carniũ esum; quia hic ex se prohibitus est lege diuina. At hæretici, ait S. Ehiph. *Animata abominantes interdicunt, non continentiæ gratiæ, neque honestæ vitæ; sed ob timorem & imaginationem, vt non condemnẽtur.* De Manichæis S. Aug. l. de hęres. c. 46. *Nõ vescũtur carnibus, q ab occisis quasi fugerit diuina substantia, ac tale remanserit, quod indignum sit in electorũ ventre purgari.* Nil cum hac impietate nobis. Vide *Antichristum p. 4. q. 46.*

AD III. At licet consecramus panem & alios cibos; non tamen ab iis abstinemus, vt immundis: ergo nec à carnibus idcirco. Nam totos annos multis abstinere carnibus oporteret; quia ipsas adeo rarò benedicere consueuimus. *Demum*; si putaremus benedictione cibos mundari, non eis abstineremus, sed vel in quadragesima benedictis vesceremur. Neque benedictio fit ob immundiciem, aut vim insidentis Satanæ; sed vt res sanctificatæ in creatione sanctificentur amplius per verbum Dei & orationem.

QVÆSTIO XC.

Delectus ciborum an sit de ratione ieiunij?

Lvthero-Calvinistae vnanimiter certant contra abstinẽtiam ieiunij ab carne ouis & caseo; solam probant illam ab lautiis & cupediis.

Svadent multis. 1. Deus creauit omnia propter hominẽ: *Gen. 1. 9. Ps. 8. 2. Mat. 15. quod intrat per os non coinquinat.* 3. Luc. 10. lubentur manducari, quæ apponũtur. Ita & 1. Cor. 10. *Omne, quod venit in macello, manducate.* 4. Col. 2. *Sunt omnia in interitum ipso vsu, secundum præcepta & doctrinas hominum.* In hoc triumphat Kemnit. 5. *Discedent quidam à fide prohibentes nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit.* 1. Tim. 4. 6. Mat. 9. Mar. 2. Luc. 5. *Non possunt filij nuptiarum ieiunare, quam diu cum illis est sponsus.*

Avtor. Ad rationem ieiunij pertinet abstinentia à carnibus, certisq; cibis: idque licitè, iustè, & sanctè.

I. Quia piorum Vsus, est interpres ecclesiasticarum Traditionum optimus: at Dan. 10. *Ego lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum.* Baptista, *Mat. 3.* locustis & melle siluestri solum vescebatur. S. Petrum Apost. solis lupinis vesci solitum accepimus, ex *Clemente Alex. li. 2. Padag. c. 1.* S. Iacobus à carnibus, S. Timo-

Timothèus à vino abstinebat: Christiani Alexandriæ sub S. Marco solũ cœnabant, & absque carne ac vino: *Euseb. l. 2. hist. c. 17.* Talium plena est historia ecclesiastica.

Ratioque fauet. Quia ieiunii est carnem Spiritui subijcere, ait *S. Aug. l. 30. contra Faustum, c. 5.* Huc communi regula opus erat, quæ seruiret omnibus; abstinentia à lautitijs ea esse nequit; cum quod lautum nullumque his; istis sit insipidum & parum. At caro cunctos delectat, nutritque vt maximè: ergo carnis abstinentia medium est optimum castigationis Christianæ, ac commune.

Instat. 1. Kemn. In Veteri Test. ieiunantes cœnitabant sobriè, nullo ciborum delectu. 2. Suffarcire se piscibus. opiparisque aliis, plus pugnat fini ieiunii, quam carne sobriè vesci. 3. Lasciuia magis vino, quam ouis aut caseo, nutritur.

Dico Ad I. Nusquam Scriptũra dicit eos cœnitasse carnibus; at abstinuisse docent.

Ad I. Idẽ est piscibus per accidẽs in tẽperantiæ, vel condimenti non ex piscium natura. Et hanc, non illud respexit lex Ecclesiæ; quod hæc sit eadẽ semper; illud innumerè variet.

Ad III. Carnium esus parat materiam luxuriæ: vinum non parat, sed accendit paratam intemperantius haustum: sin materiam subtraxeris ieiunando; iam vinum fit caloris naturalis fomentum, non libidinis. Vnde in Oriente Ecclesia tam à vino, quam carne ieiunabat: regiones verò occidentis frigidiores à sola carne.

Porrò ad Suasiunculas Lutherocaluinianas.

Dico. Ad I. ex *S. Hiero. lib. 2. contra Iouin.* Rectè; sed non solum omnia ad esum; nam & ad medicinam. &c. Comestibilia verò non vt semper comedantur.

Ad II. Naturâ suâ *non coinquinat*; at per accidens inobedientiæ. Deinde sequitur ibi Iudęorum superstitio in comedendo manibus illotis.

Ad III. Cõmendat ibi modestiam in victu, vetans delitias: vt contenti sint appositis: Ita *Ambr. Theophy. &c.* ijs scilicet, quæ pro tempore loco que licẽt. Sic Luc. 10. *Manducate quæ apponuntur.* Paulus de idolotytis loquitur, deque suffocato; vetitis in Cone. Ierosoly. Cuius obseruationem iubet, *Act. 15. 16.* Dein; Rom. 14. dixit, bonũ est non comedere carnes, & non bibere vinum, ne frater scãdalizetur. Ergo idem magis voluerit ieiunia Ecclesiæ obseruari.

Ad IV. Loquitur ibi de legalibus ceremoniis; quod nequit ad leges Ecclesiæ detorqueri. Vnde S. Hier. Aug. Chrys. illud *Non tetigeris, neque contrectaueris*, referunt ad cadauer: *ne gustaueris*, ad suillam, leporinam. & *quæ sunt in interitum ipso vsu* fidelibus in lege noua. Addit Chrys. hom. 7. ad Coloss. *Legem obijcias*, sc. esse diuinam; *ea tamen ipsa iam deinceps humana doctrina est, elapso videlicet temporis sui præscripto.* Dein; ibi per *præcepta & doctrinas hominum* intelliguntur ea, quæ repugnant Diuinis: vt *Mat. 15. ad Titum. 1. Isa. 29.*

Ad V. Damnat eos, qui cibos, vt immundos, prohibent. Ita S. Patres. Et verò delectus ciborũ est verus Dei cultus; non hypocrisis, vt Kemnitius fingit.

AD VI. Kemnitius aut fallitur, aut fallit trifariam. 1. Affingit Domino dictum hoc: Non eſſe filios nuptiarũ legibus ad ieiunia adigendos: cùm addiderit Dominus; *dum cum illis ſponſus eſt*; quando gaudere oportet, non affligi ieiunio; poſt *ablatum* verò *ieiunabũt*, ſc. ex præcepto hoc IEIVNABVNT. 2. Fingit *teſtamentum vetus* eſſe præceptum ieiunij, & hoc non aſſui *Nouo* Teſt. debere. Cum dixerit è contrà Dominus, *Nouum* non adſui debere *Veteri*: Vti ibid. *Vinum nouum* non fundi in *vteres veteres*: Et *Nemo, bibens vinum vetus ſtatim vult nouum*. Proin S. Patres per *vetus* intelligunt Apoſtolos, tunc adhuc carnales & veteres; per *nouum*, præcepta euangelica, vt eſt de ieiunio; quod in nouo Teſt. eſſe perfectum voluit Dominus, non imperfectum, vti in Vetere Teſt. erat. Vnde obliquè tangebat gloriantes in ieiunio legis veteris.

QVÆSTIO XCI.

An Ieiunium ingenere ſit lege diuina præceptum?

LVTHERANI: vt Kemnitius *p. 4 Exa pag. 440.* fatetur ad teſtimonia & exempla ieiunii in Scriptura, liberè fieri ieiunia poſſe. Quo negat eſſe præceptum. Sic & cæteri.

CALVINISTAE, vt Caluinus *Inſt. 4. c. 12.* aiunt eſſe perniciosam ſuperſtitionem confundere ieiunium cum operibus à Deo mãdatis: cùm ſit res per ſe adiaphora.

SVADENT iſtis apud Scharpium *in Curſu Theol. Sect. 26. quæſt. 3.* Quia Traditiones humanæ de rebus adiaphoris, verbo Dei contrariæ ſunt; cum ſine verbo Dei ad verũ Dei cultum pertinere finguntur. *Col. 1. 2.* Et cum ſub præcepto conſcientiæ obligantur. Quia Dei voluntas eſt regula iuſtitiæ: eaque ſola obligare conſcientias poteſt. &c.

AVTOR. Ieiunium generatim ſumptum habet diuinum præceptum; in particulari verò eſt ab Eccleſia determinatum. Ita *S. Tho. 2. 2. q. 147. a. 3.*

I. Ioelis 2. *Conuertimini in ieiunio. &c.* Hoc merè morale eſt, non ceremoniale, non iudiciale; quia nil præfigurabat: proinde ad Eccleſiam pertinet omnium ſæculorum: teſte *S. Leone ſer. 4. de ieiun. 2.* Mat. 6. *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput*: Modum ieiunandi tradit ſic, vt præſupponat eſſe ieiunandi ex præcepto; Sicut & Orãdum; quod ſubiungit.

INSTAT Melanch. hîc: Duplex ieiunium eſt: Sobria cibi ſumptio; Et parua, aut nulla, quod deeſt vel cibus, vel appetitus: Et hoc propriè eſt ieiunium Euangelicum, de quo Mat. 9. *Cum auferetur ab eis ſponſus, tunc ieiunabunt*, ſc. ex mœrore nauſeabundi.

DICO: Vocula *Cùm* innuit extraordinarium tempus ieiunandi; non quotidianum. *Tu cùm ieiunas*. Ibid. *Cùm ieiunatis, nolite fieri triſtes. &c.* quaſi dicat, aliquando ieiunabitis, non quotidiè. at quotidiè & ſemper eſt præcepta ſobrietas. Neque ex ablato ſponſo tantus erat mœror Apoſtolis. Quia Luc. vlt. *Sumebant cibum cũ exultatione*. Act. 14. *Deus implet cibo & lætitiâ corda noſtra*, ait Paulus.

II. S. Patres aſſerunt diuinum Ieiunij præceptum. *S. Aug. epiſt. 86. Teſtamentum nouum reuoluens video præceptum eſſe ieiunium. Quibus autem diebus oporteat ieiunare, præcepto Domini, aut Apoſtolorum non inuenio definitum.* Addit Dominicis diebus, & à Paſcha ad Pentecoſten non ieiunari. AT contra Melanchthonem hoc eſt: nam ijs diebus ſeruanda eſt & ſumptio ſobria cibi: & nemo

nemo cogitur ad cibum etiam paruũ, qui non habet appetitum, aut cibum.

III. Ratio Suadet. Quia Ius naturæ iubet pœnitẽtiam agere pro peccatis, tentationi resistere, peccata vitare: atqui potest euenire, vt qui, nec per orationem, nec per eleemosynã satisfacere possit: ergo tunc ieiunio tenebitur ad satisfactionem.

Non tamen ieiuniũ est in Decalogo præceptum; qua hic pertinet ad Iustitiam; ieiunium verò non, sed ad temperantiam.

Dico AD I. Ieiunium cum sit in genere præceptum, & in se bonum; esse res adiaphora nequit, aut Dei Verbo contraria, cum adiaphora nulla ei aduersentur. De obligatione quæst. sequente.

QVÆSTIO XCII.

An lex Ecclesiæ possit ad ieiunandum obligare in conscientia?

Lvtherani & Calviniani; (sicut olim Eustathiani & Aeriani, teste Socrate *l.* 2. *hist. c.* 43. *& Epiph. hæresi* 75.) pertinaciter negant.

Lvtherus *l. de libert. Christiana.* Melanch. *in Conf. Aug. a.* 26. Brentius *in Confes. VVittemb. de ieiunio.*

Calvinvs *Inst.* 4. *c.* 12. Kemn. *par.* 4. *Exam.* Negant posse talem iustè ferri legem: ab lata quenquam obligari; nisi ratione Scandali; aut contemptus.

Svadent ex historia antiquitatis. 1. Kemnitius *pag.* 589. De ieiunio Paschali voluerunt quidam cum Episcopo Romano leges ferre, opinione necessitatis, sub excommunicatione, quando, quomodo esset ieiunandum. Sed Irenæus despondit, Liberas, & dissimiles, esse illas obseruationes, nec cogendam Ecclesiam.

2. Calu. & Kemn. Montanus, teste *Euseb. hist. l.* 5. *c.* 17. primus tulit legem ieiunij. Et Tertullianus defendit libertatem Christianam contra Montanum; nouasque leges de ieiunio habuit pro hæresi.

3. Spiridion, ait *Sozom. l.* 1. *c.* 11. in quadragesima carnes apposuit hospiti suo, & comedit. Ergo ieiunium est res libera.

Avtor. Legibus Ecclesiæ fideles obliganturin conscientia ad ieiuniũ.

1. S. Scriptura Veteris & Noui testamenti. Vide *Antichristum p.* 4. *q.*

Instat Kemnitius Exempla præcepti ieiunii Hebræorum referri ad *κακοζηλίαν* oportere.

At Audax hoc & impudens est: nã Scriptura laudat filios Ionadab, *Iere.* 35. Mardochæum, *Hest.* 9. ob ieiunia instituta; Et illa quarti, quinti, septimi mensis, *Zach.* 8.

2. Quia sic docet Traditio; Canonesque Apostolorum, *Can.* 68. iubent non ieiunantẽ in quadragesima Clericum deponi, Laicum excommunicari.

3. Sic & plura Concilia, Sanctique Patres. Vt rectè affirmet *S. Chrys. hom.* 2. *in Genesin*, Quadragesimam inflectere conscientiam Regum & Imperatorum omnium ad obedientiam. Vnde vltima flagellante annonâ Constãtinopoli Iustinianus alterâ quadragesimæ hebdomadâ macellum aperuit: nemo tamen è tanto populo vel id intrasset; mors eis præ fame; præ vtraq; præceptum fuit ieiunij.

3. Ratio euincit. Quia præsules Ecclesię possunt condere leges; patet *p.* 2. *q.* 70. suprà: at omnis vera lex actũ virtutis non necessarium facit necessarium: talis est actus ieiunii iusta lege præceptus: ergo non necessarius est. Vnde peccat actus præcepti omissor,

aut transgressor. Neque hoc ratione scandali aut contemptus, vt finxit Melanchthon: nã hic & illud lege diuina prohibentur, non ecclesiastica vt ieiunium tempore isto tali. Qui autem tempore prohibito comedit carnes absque Ecclesiæ contemptu, is peccat ratione temperantiæ lęsæ, quę lege diuina & naturali præcepta est.

Dico Ad I. Iræneus non dicit, fuisse qui cum Episcopo Ro. legẽ de ieiunio ferre vellẽt: sed monet Victorẽ, dissimilitudinem ecclesiæ in celebrando Paschate esse tolerandam; sicut illa in ieiunando. *Deinde*: non erat tunc quæstio de Paschatis & ieiunii lege; sed de Oriente & Occidente, an eadem lex vtrobique seruanda esset. *Demum*; Nõ erat quæstio de substantia, essetne ieiunium & Pascha seruandum; sed de accidente temporis.

Ad II. Vocem *primus* addiderunt Eusebio hæretici. Et Tertullianus nõ dicit Montanum *primum* leges ieiunij fecisse; sed *nouas* addidisse; docetque ante Montanum fuisse ieiunium quadragesimæ. Et S. Hieronymus arguit Mõtanum quod tres quadragesimas excogitarit: idque ait Theodoretus, præter Ecclesiæ morem: *Demum*: hac in causa nulla est autoritas Montanistæ Tertulliani, morem Ecclesiæ hæreticè impugnantis; non ciborum delectum, aut huius meritum; sed suas leges esuriales statuentis.

Ad III. Cuiuis licet tempore ieiunij edere carnes, ita iubente necessitate aut caritate. Sic Spiridion fecit. *Dein*: hic nil cibi habuit præter carnes fumatas; quod, solitus dies plures ieiunare, tunc panem non parasset. *Et* prius à Deo veniam petiit, quam ederet. *Et* hospes recusauit carnes, *Christianus sum*, dicens. Cui Spiridion: *Omnia munda mundis* Christianis; scil. tali in necessitate. Hæc imitentur Nouatores. At ea silent.

QVÆSTIO XCIII.

An ieiunium sit Dei Cultus Meritorius, & Satisfactorius?

Lvtherani, vt Melanchthon *in Conf. Aug. art.* 26. Brent. *in Conf. VVirtemb. de ieiu.* Kemn. p. 4. Exa. *pag.* 420. cum Iouiniano docent, Ieiunia, ciborum que delectum ad salutem prodesse nihildum quicquam.

Calviniani ex Caluino *Inst. 4. cap. 12.* & Kemn. volunt vtile ieiunium carni coercendæ, orationi adiuuandæ, humiliationi, pœnitentiæ. &c. At nihil ad placandum Deum, impetrandum auxilium, aut præmium promerendum.

Svadent istis. 1. Brentius. Isa. 58. *Numquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere animam? Nonne hoc est magis ieiu. Dissolue colligationes impietatis.* Kemn. ex Ier. 14. *Et si ieiunent, non exaudiam.*

2. Calu. Ioel. 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.*

3. Melanch. 1. Tim. 4. *Exercete ad pietatem. corporalis enim exercitatio ad modicum valet*, id est, ieiunium ait S. Ambr.

4. Kemn. Allegata Pharisæi ieiunia Dominus *Luc.* 18. comparauit vestibus detritis, queis nouitas Euangelii non conuenit. *Matth.* 9.

5. Kemn. Ad Col. 2. arguuntur electitiæ religiones, corpus macerantes. Huc afferunt (mala fide) S. Patres apud *Bell. l. 2. c. 13.*

Avtor. Ieiunij fructus sunt plures iuxta Ecclesiæ Præfationem, *Corporali ieiunio vitia comprimis. mentem eleuas, virtutem largiris & præmia.* Sic & S. Ambro-

Ambrosii hymnus: *Carnis terat superbiam potus cibique parcitas.*

Nec dicimus, vt affingit nobis Kēnitius, ieiunium per se absque relatione ad pium finem, esse ex opere operato cultum Dei meritorium & satisfactorium: Nam per se dicit abstinētiam, estque res media, non virtus: at respectu finis pij est virtus, & actus elicitus, Temperantiæ. *Dein*; opus operatum pendet ex instituto Dei; non ex merito cuiusquam, vti vis ieiunij ex deuotione dependet, vt Satisfaciat, Mereatur, & Impetret: teste S. Scriptura, in meo *Antichristo p. 4. q. 46.*

2. Ita & S. Patres.

INSTAT Caluinus in Harm. Mat 6. Non eadem est ieiunij, quæ orationis vis: cum hæc sit Dei cultus præceptus; at illud, res media; ideo datur merces orationi per se, ieiunio nō per se, sed ratione orationis.

DICO. Omni operi bono debetur merces de congruo; ergo & ieiunio, quà ex electione, seu institutione suscipitur cum fine salutari: testibus innumeris exemplis & Patribus.

INSTAT Kemn. 1. Patres rhetoricantur, exaggerationibus suis ad ieiunia homines inducturi; vt loquantur hortatoriè magis quam verè, teste Chrysostomo.

2. Analogicè tribuunt ieiunio, vt causæ remotæ, quod conuenit orationi, aut pœnitentiæ, quibus seruiunt ieiunia.

DICO AD I. Adeon' omnes rhetoricè, nullus verè loqueretur? S. Chry. *l. de compunct. cordis*, reprehendit tales rhetoricantes; at non S. Patres.

AD II. S. Patres distinctè omnia docent; iuuari orationem ieiunio, placari Deum, impetrari beneficia, satisfieri pro peccatis; vt analogiæ locus esse nullus queat.

DICO AD SVASIONEM I. istis Dominus declarat, placere sibi ieiunium, cui iuncta est iustitia vitæ; quantum displicet ieiunium iniquorum. Ergo *Nunquid hoc est ieiunium*, subaudit S. Hieron. *solum.*

AD II. Nil ad rem: nam scissio vestium non est ieiunium, sed contritionis signum.

AD III. S. Ambr. id sic exponit; Ieiunium sine eleemosyna *ad modicum vtile est*; at misericordia *ad omnia.* S. Chry. verò, cæterique rectius ita: *Corporalis exercitatio*, sc. athletica corpori roborando: at exercitatio pietatis ad roborandū spiritum, *ad omnia vtilis est.* Est igitur comparatio vtriusque gymnasii, nullaq; mentio de ieiunio. Quod quemadmodum *ad modicum valere* diceret, cum id toties & tantoperè commendet?

AD IV. Pharisæus non ideo iustificatus nō est quod ieiunaret; sed quòd superbè se exaltaret. Et *Mat. 9.* ieiuniū nouis vestibus comparatur, non detritis.

AD V. *Col. 2.* reprehenditur ἐθελοθρησκεία, id est cultus voluntarius sed irrationibilis, ideóque superstitiosus; qualis non est ieiuniū vtpote *rationabile obsequium.* Agiturque ibi de immoderatè ieiunantibus; item contra fingentes, esse cibos aliquos ex se immundos.

QVÆSTIO XCIV.

An iusta sit Origo, Varietas, & Ratio Institutæ Quadragesimæ?

LVTHERANI ac CALVINIANI contendūt Quadragesimam, post Apostolorum tempora, ex-

ra, ex superstitione, & peruersa imitatione Christi irrepsisse. Ita Kemn. p. 4. *Exa.* Magdeburgenses *Cent.* 1. *l.* 2. *c.* 10. Caluinus *Inst.* 4. *c.* 12. §. 20. ac cæteri omnes.

SVADENT isto, quod Kemn. ex S. Irenæo confingit

1. Tempore Apostolicorum varias fuisse obseruationes & leges.

2. Quadragesimam fuisse vulgarem Consuetudinem, non mandatum.

3. Et hanc priuata fuisse autoritate inuectam ab simplicibus.

4. Deinde aliquid esse statutum de ieiunio, idque ex priuata deuotione.

5, Ob ea viros Apostolicos id non accuratè obseruasse.

6. S. Aug. epist. 86. ait: *In nouo Test. video præceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non inuenio definitum.*

AVTOR. Quadragesimæ ieiunium est ab Apostolis institutum; ab Ecclesia traditum. 1. Sic Canon Apost. 68. 2. S. Hier. epist. ad Marcellam, S. Leo serm. 6. de Quadrag. 3. Quia *Aug. ep.* 118. *& l.* 4. *de bapt. c.* 24. omnia ea ex Apost. Traditione descendere, quæ in vniuersa Ecclesia obseruantur, & in nullo Ecclesiæ Concilio institutà inueniuntur. AT tale esse Ieiunium testantur plura Conc. vt Laodicænum *can.* 49. Nycænum *can.* 5. *&c.* Dein nullus Patrum antiquissimorum non meminit Quadragesimæ, vt rei sacræ.

Quò impudentior vox Caluini Instit. 4. c. 12. §. 20. *Iam inualuerat superstitiosa Quadragesimæ obseruatio.*

AT est APOSTOLICA. Quin asserunt quidam S. Patres, à Domino institutam, non verbo, sed exemplo; & inspiratione Dei: sic *S. Ambr. Hier. Aug. Leo.*

DICO AD Kemnitiana S. Irenæus loquitur, non de Institutione ieiunij, sed de forma, sc. quamdiu sit cuique ieiunandum; vno die, an pluribus, an quadraginta horis. De varietate ieiunantium plus, minusuè diuersa; at Quadragesima vna fuit omnibus.

AD VI. S. Augustini: Hic loquitur de præcepto Christi in Scripturis expresso; non de Tradito: at ieiunium est in hoc non illo; vt iam liquet. Hactenus ex Communi sententia.

SENTENTIÆ particulares de origine Quadragesimæ sunt duæ; & improbabiles.

I. CASSIANI, *Collat.* 21. *c.* 30. per totum annum æquale fuisse ieiunium in primitiua Ecclesia: Deinde negligi cœptum: demum Quadragesimam inductam communi consensu fuisse.

AT CONTRA. Vt vita cœlebs nõ fuit communis Christianis cunctis initio ita nec ieiunium. Quia *Act.* 13. dicuntur Paulus & Barnabas ordinati in episcopus Euangelij cum Ieiunio & Impositione manuum: atqui vt hęc temporaria paucorum, ita & ieiunium non fuit continuum, annuum, & omnium. Et 2. Cor. 11. dicitur *in ieiuniis multis*, non *continuis*. Et S. Ioannes Euangelium scripturus solemne indixit ieiunium. 2. Nusquam extat communis decretum, de quo Cassianus.

II. SENTENTIAE referentium Quadragesimæ institutum ad Telesphorum Papam, apud Eusebium *in Chronico*.

AT CONTRA. Telesphorus mandauit Clero, vt VII. hebdomadas integras abstineret à carnibus; cùm Laici non VII. integras abstinerent. *Dein*, S. Ignatius, factus anno 71. Episcopus Antiochenus, & martyrizatus anno 109. institutam iam Quadragesimam cõmendat *in ep. ad Philippenses*: ante Telespho-

leſphorum Papam creatũ anno 142. martyrio coronatum anno 154. teſtibus Baronio & Bzouio annis iiſdem.

VARIETAS Ieiunij vt multa varias apud nationes fuit, ita nil idem officit conſtanti vnius Quadrageſimæ traditioni: vide *Bell. l. 2. c. 15.*

RATIO Quadrageſimæ CALVINO eſt vna κακοζηλία: Kemnitius, aſſignari rationes ſolitas ab Theologis recitaſſe, ait eſſe eas refutaſſe. Recitentur itaque.

AVTOR. Inſtitutæ Quadrageſimæ rationes feruntur VII. 1. S. Leo ſerm. 4. de quadrag. *Vt in XL. diebus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & ieiunia caſta decoquerent.*

2. S. Hieron. in Iona 3. *Dominus XL. dies ieiunauit, vt hæreditatem nobis ieiunij derelinquens ad eſum Corporis ſui, ſub hoc numero animas noſtras præpararet.*

3. Tert. l. de ieiu. Vt impleretur illud Mat. 9. *Cùm auferetur ſponſus, TVNC ieiunabunt.*

4. S. Leo ſerm. 12. Quò dignius celebretur Paſſio & Reſurrectio Chriſti; *Vt, in cuius Reſurrectione ſumus conreſuſcitati: in ipſius inueniamur Paſſione commortui.*

5. Ob Catechumenos, ait S. Ambr. *Vt XL. dierum circulo ieiunantes, (ceu Helias) ſpiritalem baptiſmatis pluuiam mereamur, & longam gentilium ſiccitatem lauacri inundatio ſalutaris irroret.*

6. Caſſianus Collat. 21. c. 27. vt quaſi decimas de anno dependamus Deo.

7. S. Ignatius epiſt. ad Philip. *Ieiunandum Quadrageſimâ, quia Imitationem continet conuerſationis Domini*: Sic & S. Patres cæteri, Baſil. Nazian. Hieron. Chry. Aug. Ambr. &c.

Dominus tamen ieiunauit à Ianuarij 6. vſque ad 14. Febr. Voluit autem Eccleſia poſt Dominum, quam cũ Domino ieiunare. Et vt ieiunium iungeret Paſſionis Reſurrectionisque celebrationi. *Item*, in vere innouante ſe natura tentationes ſurgunt carnis acriores: Tempusq; illud eſt omnium aptiſſimum ad ieiunandum.

INSTAT Caluinus Ieſum non ieiunaſſe ad Imitationem noſtram: Quia 1. Oportuiſſet eum quotannis ieiunaſſe: 2. Non omni abſtinuiſſe cibo: 3. Et Moyſes XL. diebus ieiunauit, non tamen idcirco fuit inſtitutum ieiunium, aut tractum ad imitationem.

DICO AD I. Sic Domino placuit, qui ſolum vna die tentatus fuit; nos quotannis ſæpe tentamur, ideo & quotannis ieiunamus.

AD II. Imitamur Magiſtrum in abſtinenti aliqua, non in omnimoda Dominum; id enim virtutis eſt; hoc miraculi: Ita *Greg. Nazian.*

AD III. Nuſquam legitur Moyſes datus in exemplum; at Chriſtus, Ioan. 13. *Exemplum dedi vobis.* 1. Pet. 2. Eph. 5.

QVÆSTIO XCV.

Cur inſtituta ſint ieiunia quædam breuiora, & ſtata?

LVTHERANVS Kemnitius *par. 4. Exam. pag. 578.* Ieiunij in feria quarta & ſexta cauſam fingit; quod ijs diebus ad audiendum Dei verbum conueniebatur.

AVTOR. At tunc maximè Dominicis ieiunaſſe oportuiſſet, quibus vbique prædicabatur; & tamen ijs ieiunari vetabatur, teſte *S. Aug. epiſt 86. & 119.*

CAVSA igitur vera eſt de feria quarta, quòd eâ Dominus ſit præditus; ſextâ, quod crucifixus. Ita *Clemens lib. 5.*

Apost. Constit. c. 16. *S. Aug. epist.* 86. Hæc verò est memoria ablati Sponsi, ait *S. Epiph.* ac monet, si Natalis Christi in eorum aliquem dierum venerit, tũc non ieiunari, vel abstineri: Idque ex lege Ecclesiæ. Lex ea tenuit Græciâ totâ; at in Latina Ecclesia præceptũ de feria quarta transiit in Sabbatum; vt hodieque perstat Custode consuetudine ac lege. *Bell. l.* 2. *c.* 18.

II. LVTHERANVS Kemnitius ieiunium quatuor temporum è medio vult sublatum.

SVADET istis. 1. Quia Tertullianus ait, nullum ab Apostolis impositum esse ieiunium, sub præcepto præter Paschale.

2. Hieronymus ait vnam ieiunari Quadragesimam: cætera ieiunia esse Voluntatis, non Necessitatis.

3. Quia Iudæi ea ieiunia ex proprio cerebro instituerunt; ideoque ab Zacharia, *c.* 8. reprehensi sunt. Neque fas Christianis, imitari Iudæos: nam cacozelia est.

AVTOR. I. ORIGO ieiunii quatuor temporum; sicut Quadragesimæ suprà; inde ab Traditione Apostolica deducitur.

1. Quia ita S. Leo *serm.* 2. *de ieiu. Pentec. & serm.* 8. *de ieiu. septimi.* Idem *serm.* 7. testatur id Vniuersale esse per Ecclesiam.

2. *Deinde*: ab nullo Oecumenico Conc reperitur institutum.

3. Accedit, Callistus Papa, sub annum 223. *epist. ad Benedictum*, affirmat seruari id consuetum iam diu antè.

4. De eo Act. 27. *Ieiunium iam præterierat*, sc. solenne ac statum decimi mensis: quo Ecclesia ieiunare sueuit ob Ordinationes; vt liquet *Act.* 13. & fatentur Sectarij.

II. VARIETAS in eo duplex accidit.

1. Principio trium id temporum erat: dein S. Callistus addidit quartum.

2. Ea quatuor ieiunia non eadem eiusdem mensis hebdoma celebrabant omnes.

III. CAVSÆ institutionis sunt istæ.

1. Imitatio Iudæorum; & hæc iusta ac pia: quia ijs erat Morale, non Ceremoniale seu Iudiciale institutum: cùm nil præfiguraret futurum. Ita S. *Callistus, Leo. &c.*

2. Ordinationes Clericorum, vt eas fortunaret Deus. *Gelasius epist.* 1.

3. Fruges terræ; quò Deus eas seruaret, & pro iis gratias referrent fideles. *S. Leo serm.* 2, 5. 8.

4. Vt, sicut erat ieiunium annuum, & hebdomadarium; ita & esset trimestre.

DICO AD I. Tertullianus fregit testeram fidei in causa ieiunij; vti Montanista. *Dein* Instituerint Apostolis ne addito præcepto & annuum & trimestre; at Callistus præceptum addidit, remittente caritate ac zelo.

AD II. Dixerat S. Hier. Montanistas ieiunare sub præcepto tres Quadragesimas; vnam Catholicos; subiunxit: *Non quòd per totum annum ieiunare non liceat; sed quòd aliud sit Necessitate, aliud Voluntate munus offerre.* At de necessitate præcepti erat ieiunium annuum, trimestre, & hebdomadale: cætera, cuiusque voluntatis.

AD III. Zacharias reprehendit non ieiunia in se bona; sed ieiunantes malè. Ita *Hier. Theod. Rupertus, Leo. &c.* Et verò Christianis fas, in ieiuniis aliquibus imitari Iudæos, docet *Sanctus Augustinus & S. Leo.*

FINIS.

MENDA *Tomi primi sic emenda sensum oblædentia.*

Numerus prior paginæ est, alter Versus.

In præfatiuncula ad Indicem dele ista : L C. vtrosque variare : Vbi nulla est annexa, consensus indicatur Luthero-caluinistarum. pag. 20. v. 17. *autem* dele. pag. 32. 24. *Caludinus* Caluinus. p. 34. 35. *acclamat* occlamat. p. 40. 9. *proprius* propius. p. 43. 24. Dioscorus obidem ad. p. 44. 15. impressâ. p. 45. 3. *solius* solam. p. 55. penult. v. *ita* idem. p. 65. 25. De Dogma. p. 72. 2. *doctoris* doloris. p. 75. 32. *proditi*, perditi: p. 75. 38. *acta* dele. p. 81. 19. infimum *adde* asserimus. p. 82. 31. eos ipsos. ibid. 17. prorsus *adde* interisse. p. 85. 10. *omnino* omnia. p. 86. 10. *emisit*, omisit. p. 111. 1. *inique* inque. p. 148. 1. Sanctum propriè.

Menda potiora partis quartæ.

p. 19. v. 15. *hanc*, tunc. p. 28. v. 37. *vnius*, Virginis. p. 30. v. *deliberatus*, atam. p. 87. v. 11. Nec voluntas. p. 105 v. 13. *nescit*, scit. p. 106. *cogitantes*, concionantes. p. 113. v. 39. *damnabunt*, damnabuntur. p. 116. v. 1. *propter*, præter. p. 118. v. *non*, nam

In Præfatione de nomine *Luthero-caluinista* adscriptus est titulus SAPIENTIAE, ipsi Academiæ Heidelbergensi; Non sic; sed est Titulus Domui datus.



EPITOME R.ss P. BELLARMINI CARD.

Siue Controuersiarum

F. IOANNIS ANDREAE COPpenſtenij Mandalenſis Ordinis Praedicatorum Theologi

Tomus II.

Continens Luthero-Caluiniſmi
ANTICHRISTVM
GENEALOGIAM
&
ANTIPAPISTAM MENDACEM;
conſcriptum
Auſpicio Dei ac Illuſtriſſimi
LEOPOLDI.
Superiorum permiſſu

Moguntiæ Sumptibus IOANNIS THEOBALDI SHÖNVVETTERI.

Anno M.DC.XXV.

SERENISSIMO

LEOPOLDO

ARCHIDVCI. &c.&c.

Domino meo Clementissimo

VALERE, ET PRÆVALERE.

DAVLATIM *longius itur.* 1. Iui anno superiore, armorum inter fremitus, ad Reuerendissimum Wormatiensem, Parochiæ meę Heidelbergensis Ordinarium, cum Dedicato meo *Speculo Caluinistico:*

2. Iui deinde vernis anni huius nundinis, cum *Alano meo Rediuiuo* ad Reuerendiss. Electorem Treuirensem: &c.

3. Iui porro, eiusdem Nundinis anni, cum *Nucleo meo Concionum* in Dominicas & Festa per annum, ad Sereniss. mum Bauariæ Ducem Electorem. &c.

4. Petiui cælos votis cum *Excaluinizato Caluino-Heidelbergensi Catechismo* meo, inque Romano-catholicum conuerso; simul eum Apostolorum Principi CHRISTI Vicario primo, Papæ Romano S. PETRO, Parochiæ Heidelbergensis Vnicę Diuo Tutelari Patrono deuoui.

5. Iui in Nundinis longius, ad Seren. Vestram supplex Nuncupator mei *Luthero-caluinistæ Quadripertiti.* Debitum DIGNISSIMIS Honorem faciens, feci & eundo gradum indignus; gradumque mihi bonum acquisiui, & Libris meis PATROCINIVM.

Iam nunc, ecce, Clientulus humiliter redeo ad Seren. Vestram consecrans EI dedicatum hunc *Antichristum* meum:

um: Nec solum; sed comitante hinc *Genealogia* Luthero-Caluinistica; inde *Antipapista Mendace* stipatum, atque his singulis Quadriperditis. Nimirum Dux qualis Luthero-caluinista; tales & eius sunt Comites Luthero-caluiniani.

Explicationem harum appellationum suus cuiusq; libri Titulus offert: Rationem vero Serenit. Væ hic reddo, ex Luthero-caluinistæ Præfatione repetitam istam.

Confido fore, quod, qui viderint *in Luthero-caluinista* Falsitatem, & Veritatem demonstratam: *in Antichristo*, doctrinas Christi & Luthero-caluinismi contrarias: *in Genealogia*, nostratium hæreticorum Origines indeab damnatis olim Hæresiarchis: *in Antipapista* calumnias; Qui perspexerint *in Theomachia* Impietatem; *in Ecclesiomachia* Diritatem; *in Mysteriomachia* Temeritatem; *in Charitonachia* fidem hæreticorũ pręsumptuosam: quod, inquam, multi sentire, viuere, facereq; cum talibus (nî seipsos desperarint) exhorrescent. Cognoscent quoque Lutherani in quibus sint Caluiniani; & hi, illi; & vtrique ijdem in plerisque; paucis exceptis.

Atque vt meus ille conatus optatum sortiatur euentum, sub Seren. Væ Sacro Auspicio; hi, nillime precor, quatenus me, Opusque hoc meum iteratò in Sacrum suæ Seren. recipi Patrocinium. Heidelbergæ.

Seren. Væ

Humillimus in Christo seruus

F. Ioan. And. Coppenstein

ANTI-

ANTICHRISTVS LVTHERO-CALVINISTICÆ

I. THEOMACHIÆ, II. ECCLESIOMACHIÆ,
III. MYSTERIOMACHIÆ, IV. CHARITOMACHIÆ,
QVADRIPERTITVS:

Hoc est

ANTITHESES LVTHERO-CALVINISMI, & CHRISTIANISMI.

PARS I.

THEOMACHIA LVTHEROCALVINISMI ANTICHRISTIANA.

AVTORE

F. IOANNE ANDREA COPPENSTEIN MANDALENSI
Ordinis Prædicatorum Theologo,

SVB AVSPICIO
SERENISSIMI &c. &c.
LEOPOLDI. &c.

Superiorum permissu.

MOGVNTIAE
Sumptibus IOANNIS THEOBALDI SCHÖNWETTERI.
ANNO M. DC. XXV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nolite ita loqui: quoniam filij Sanctorum sumus; & vitam illam exspectamus, quam DEVS daturus est his,

Qui nunquam mutant ab eo.

S. Cyprianus lib. 4. Epist. 2. ad Antonianum.
S. Augustinus serm. 181. de Tempore.

Quisquis ille est, & qualiscunque est, CHRISTIANVS non est, qui in CHRISTI Ecclesia non est.

AMICE LECTOR,

F

AVE;

Et Monita accipe quina.

ANTICHRISTVS hic Lutherocaluinisticus Quadripertitus superiora Lutherocaluinistica, ceu connexa sibi, requirit ac velut præsupponit: quo & Te pene singulis in Quæsitis remittit.

II. Scripturas Noui Testamenti potissimum frequento; vt qui loquentem CHRISTVM facio. Cui tamen & Vetera subinde, cum suppetunt, tribuo; sed transcursim.

III. CHRISTVM, si quandoque S. Patres appellantem induco; meminerishis, quam Apostolis, nihil minus ab eo dictum: *Vos eritis mihi testes in Omni Iudæa*, & orbe. Si & Hæresiarchas nominet dedecoris causâ; noris de ijs dictum ab eo: *Qui Ecclesiam non audierit. &c.* Vt nihil in vtroque sit indecorum Domino.

IV. Protasin pono Antichristianam: Christianam Apodosin subijcio; Et rarius tamen Illationem propositi, seu Collationem facio; Quod mediocriter Intelligentibus eam vltro liquere existimem.

V. Potiores Antichristianismos huc infero; minutiores prætereo; vt quos hodiernos vix dum sit numerare satis. Demum per ista his studeo; Breuitati: Perspicuitati: Soliditati: Constantiæ Methodi: Vsui Vulgari; Non Scholari. VTERE; FRVERE;

VALE.

Par-

Partium quaternarum
Antichristi Luthero-Caluiniani singularum
singulares
CENSVRÆ,
ADPROBATIONES,
&
LICENTIA PROVINCIALIS
Eadem,
quæ suprà in Luthero-caluinista.

Neu qua semipagella vacet;

NOTA

Notionem Antichristi esse apud
S. Ioan. Damas. l. 4. Orthodoxæ fidei c. 27.

I. Late significans Notio: *Omnis qui Filium Dei, ac Deum in carne venisse, Deu perfectum & Hominem minimè confitetur, Antichristus est.*

II. Proprie significans Notio. *Peculiari & præcipuo modo Antichristus ille dicitu qui sub mundi catastrophen venturus est.*

III. Latissime significans Notio à nobis hic ea vsurpatur: quæ quamcumq Contradictionem indicat Christo, Fideique Christianæ aduersantem.

ELEN-

ELENCHVS QVÆSTIONVM

ANTICHRISTI LVTHERO-CALVINIANI

Quadripertiti.

PARS I.

THEOMACHIA LVTHERO-CALVINISMI,

Ecclesiam Triumphantem impugnantis.

I. DE VERBO DEI.

I. *Controuersiarum quis Iudex*, Aiunt Biblia.
II. *Num quæ Traditiones sint de fide Christianæ?* Negant.

II. DE CHRISTO DEO.

III. *Qualequid Luthero-caluinistis SS. Trinitas, & Christi sit Diuinitas?* Monstrum.
IV. *An Tritheismus sit Luthero-caluinistarum?* Ita volunt.
V. *Sitne in Diuinis Personarum Aequalitas?* Negant.
VI. *An Deus cum Essentia communicârit Christo Omnipotentiam, Iustitiam, & Immortalitatem?* Negant.
VII. *Qualis sit Christus Deus Luthero-caluinisticus?* Horrificus.

III. DE CHRISTO HOMINE.

VIII. *In Christo num duæ sint Personæ; an una Natura?* Negant vtrumque; & Variant.
IX. *Quid Carni, seu, Humanitati Christi communicauit Deus?* Variant.
X. *Num quæ inerat Animæ Christi imperfectio scientiæ?* Aiunt.
XI. *Christus an sit verus Deus; verus Homo; idemque adorandus?* Negant.
XII. *An Christus fuerit defectuosus; Deus mortuus; inferniq; perpessus pœnas?* Aiũt.
XIII. *An, & Quis sit Infernus, ad quem descendit IESVS?* Fingunt.
XIV. *An, & quatenus descendit, exhausitque Limbum IESVS?* Fingunt.
XV. *Sua Passione Christus num quæ meruerit sibi; num quæ nobis?* Variant.
XVI. *Quatenus Iesus Christus Mediator sit Dei & hominum?* Fingunt.

IV. DE CHRISTO GLORIOSO.

XVII. *Quis modus Dominicæ fuerit resurrectionis?* Somniant.
XVIII. *Qualis fuerit Ascensio Christi?* Putant.
XIX. *Sessio Christi ad Dexteram Dei qualis.* Fingunt.
XX. *An Christus Iudex sit omnium, & Caput Angelorum?* Negant.

V. DE CVLTV SANCTORVM.

XXI *Sancti num in cælis degant Beati?* Negant.
XXII. *An Sancti sancte Coli, Inuocarique possint?* Negant.
XXIII. *An Sanctorum* RELIQVIÆ *sint venerandæ?* Negant.
XXIV. *Sanctorum* IMAGINES *an, & quatenus sint venerandæ?* Negant.
XXV. *An* CRVX *sit veneranda?* Negant.
XXVI. *An* DEVS, *& Sancti rectè colantur* TEMPLIS? Negant.
XXVII. *An sit tolerabilis templorum Consecratio & Ornatus?* Negant.
XXVIII. *An Benedictarum vsus rerum, ac* PEREGRINATIONVM *sit licitus?* Negant.

VI. DE PVRGATORIO.

XXIX. *An sit vllum Purgatorium?* Negant.

PARS II.

ECCLESIOMACHIA LVTHERO-CALVINISMI

Ecclesiam Militantem impugnantis.

I. *Monarchicum Regimen an sit optimum: esseque debeat Ecclesiasticum?* Negant.
II. *An promissæ, datæque sint Petro principaliter Claues Sacri primatus Monarchici?* Negant.
III. *An soli Petro sit vniuersæ Ecclesiæ Pastoratus commissus?* Negant.
IV. *An Petrus Iure Diuino habere Successores debuit?* Negant.
V. *An Papa quæstiones Fidei ac Morum infallibili iudicio definiat?* Negant.
VI. *Fasne Papæ condere leges, in conscientia obligantes ad culpam ac pœnam?* Negant.
VII. *Habeatne Papa temporalem iurisdictionem?* Negant.
VIII. *Quis, qualisque Antichristus erit?* Fingunt.
IX. *Eccuius sit Generalia Concilia indicere, regere, confirmare, & id qua forma?* Aiunt Imperatoris.
X. *Concilia per Papam confirmata num errare possint?* Aiunt.
XI. *Scripturæ, Papæ, an Concilio potior sit Autoritas?* Aiunt Scripturæ.
XII. *An, & quales peccatores sint in Ecclesia?* Negant.
XIII. *An soli Prædestinati sint in Ecclesia?* Aiunt.
XIV. *Ecclesia num sit Visibilis?* Negant.

XV. *An*

XV. *An visibilis Ecclesia possit deficere, aut errare?* Aiunt.
XVI. *Sintne Clerici, Laicique distinguendi?* Negant.
XVII. *Ius eligendi Pastores, seu Ministros estne Populi, an Episcoporum?* illud aiũt.
XVIII. *An Episcopi sint maiores Presbyteris?* Negant.
XIX. *An Iure Apostolico Cœlibatus sit Ordinibus S. annexus?* Negant.
XX. *Fasne Clero accipere Decimas & possessiones?* Negant.
XXI. *An Res, Causæ & personæ Clericales sint diuino iure exemptæ ab sæculari potestate?* Negant.
XXII. *Quanta sit Antiquitas Religiosæ vitæ?* Fingunt.
XXIII. *An sint Consilia Euangelica?* Negant.
XXIV. *An Consilia sint obseruatu possibilia?* Negant.
XXV. *An Vota sint vtilia, gratusque Deo cultus: An cum Vet. Testamento sublata?* Hoc aiunt: Negant illud.
XXVI. *An Deo rectè voueatur Paupertas & Obedientia?* Negant.
XXVII. *An Castitas rite voueri possit: & à quibus?* Negant.
XXVIII. *An vita Eremitica sit probanda?* Negant.
XXIX. *An Monachis Laborare necesse, & nefas Mendicare?* Aiunt.
XXX. *An hæretici incorrigibiles sint plectendi?* Variant.

PARS III.

MYSTERIOMACHIA LVTHEROCALVINISMI, Sacramenta impugnantis.

I. DE SACRAMENTIS IN GENERE.

I. *An nomen*, Sacramentum, *sit ἄγραφον, nec vsurpandum?* Aiunt.
II. *An Verbum Sacramenti sit Prædicatorium, an Consecratorium?* Istud aiunt.
III. *Quis esse Minister Sacramentorum debeat?* Variant.
IV. *An Sacramenta conferant gratiam ex Opere operato?* Negant.
V. *An Sacramenta Veteris Legis Iustificarint vti Nouæ?* Aiunt.
VI. *An sit Character aliquis Sacramentalis?* Negant.
VII. *An sint septem Sacramenta?* Negant.

II. DE BAPTISMO.

VIII. *Quæsit Materia & Forma Baptismi?* Variant.
IX. *An Baptismus sit ad salutem necessarius?* Negant.
X. *Baptizare cui fas in necessitate?* Ministro aiunt.
XI. *Sintne baptizandi infantes?* Negant necesse.
XII. *Num quæ fides in Pædobaptismo infantibus necessaria?* Aiunt.
XIII. *An Baptismus vere tollat peccata an & impeccabiles reddat?* Aiunt hoc, id negãt.

XIV. *An Baptismus liberet à lege Dei, Ecclesiæ, & à Votis?* Aiunt.
XV. *Baptisma Christi & Ioannis an sit idem.* Aiunt.

III. DE CONFIRMATIONE & EVCHARISTIA.

XVI. *An Confirmatio sit verum Sacramentum?* Negant.
XVII. *An Realis Veritas Eucharistica doceatur ex Figuris?* Negant.
XVIII. *An Veritas Eucharistica doceatur ex Institutione?* Negant.
XIX. *An possibile Deo pluribus existere locis Corpus Christi?* Negant.
XX. *An Corpus Christi tantum sit in Eucharistia sine Quanto & Loco?* Negant.
XXI. *An vere fiat Transubstantiatio, & Accidentia persistent eadem?* Negant.
XXII. *Eucharistia sit ne Res permanens; an Actio transiens?* Transiens aiunt.
XXIII. *Qualis panis ac Vinum sint Materia Eucharistiæ?* Variant.
XXIV. *An certa verborum Forma conficiatur Sacramentum. Et an ab alio, quàm Sacerdote?* Negant.
XXV. *Quali cum Effectu, & Præparatione communicetur?* Variant.
XXVI. *An Christus in quaque Specie sit totus; sitque vi præcepti sumenda Vtraque à quolibet?* Aiunt & Negant.
XXVII. *An Sola Missa sit proprie dictum Sacramentum?* Negant.
XXVIII. *An Missa sit Sacrificium Propitiatorium, & Impetratorium?* Negant.

IV. DE POENITENTIA.

XXIX. *An Pœnitentia sit vere & proprie Sacramentum?* Negant.
XXX. *Quæ sint partes pœnitentiæ Essentiales?* Variant.
XXXI. *Quæ sint partes pœnitentiæ Materiales?* Variant.
XXXII. *Contritio an sit Actio libera, Euangelica, parsque pœnitentiæ?* Variant.
XXXIII. *Contritio Vnde, qualis, quanta esse debeat?* Variant.
XXXIV. *Effectus Contritionis an sit remissio peccatorum, etiam cum solo Voto Sacramenti?* Variant.
XXXV. *Num quæ peccata; quot quantaq; sint irremissibilia pœnitentiæ?* Negant.
XXXVI. *Contritio ex timore pœnæ seruili an sit bona?* Variant.
XXXVII. *An Confessio sit Iure diuino necessaria?* Negant.
XXXVIII. *An dimissâ culpâ quandoque pœna temporaria remaneat?* Variant.
XXXIX. *Num quæ opera bona sint satisfactoria pro reatu pœnæ tẽporalis?* Negãt.
XL. *An iustificatus verè possit Deo satisfacere pro temporali pœna remanente?* Negant.

V. DE EXTREMA VNCTIONE & ORDINE & MATRIMONIO.

XLI. *An Extr. Vnctio sit vere & proprie Sacramentum?* Negant.
XLII. *An Ordo sit vere ac proprie Sacramentum?* Negant.

XLIII.

XLIII. *An Matrimonium sit vere & proprie dictum Sacramentum?* Negant.
XLIV. *Polygamia an Christianis sit licita?* Aiunt.
XLV. *An facto Diuortio ob fornicationem fiat & Vinculi solutio?* Aiunt.
XLVI. *Num quæ sint impedimenta matrimonium Diriment ia?* Negant plerique.

PARS IV.

CHARITOMACHIA LVTHEROCALVINISMI, Gratiam & Iustificationem impugnantis.

I. *Fuerintne Protoplastæ conditi cum Dono supernaturali?* Negant.
II. *An peccata sint omnia æqualia in se?* Variant.
III. *An Electorum peccata sint tantum Venialia?* Aiunt.
IV. *An Non imputata, tanquam Inuoluntaria, sint Venialia, fidemque non excludant?* Aiunt.
V. *An ex natura sua distinguantur pec. Mortalia & Venialia?* Negant.
VI. *An Deus prædestinarit Adæ, omniumq; hominum peccata, fierique ea velit?* Aiūt.
VII. *Quid Deus per diabolū, quid per Se faciat nostra ad peccata?* Impellere aiunt.
VIII. *Deus an simpliciter, absolute ac proprie sit Autor peccatorum?* Aiunt.
IX. *Num quæ Scripturæ in Deum referant peccata mortalium?* Aiunt.
X. *An, & quo peccato peccarint protoplastæ tentati?* Variant.
XI. *An pecc. originale sit proprie peccatum: in metonomyce?* Hoc aiunt.
XII. *Qualis origo sit Animarum humanarum, & peccati originalis tradux?* Variāt.
XIII. *Peccatum Orig. an sit Substantia? an Actuale? an Concupiscentia?* Variant.
XIV. *Quæ sit pœna peccati orig. in decedentibus sine baptismo?* Nulla, aiunt.
XV. *An gratia iustificans sit permanens Qualitas in anima?* Negant.
XVI. *In quo sita sit efficacia gratiæ?* In se sola aiunt.
XVII. *An Sufficiens auxilium detur omnibus ad salutem?* Prædestinatis aiunt.
XVIII. *An vlla sit causa Prædestinationis in nobis?* Negant benè, explicant malè.
XIX. *An detur ex parte hominis causa Reprobationis?* Negant.
XX. *An Decretum Dei immutabile, tollat liberum arbitrium; necessitetque tam ad bona, quam ad mala?* Aiunt.
XXI. *An Arbitrij libertas sit ab & Coactione, & Necessitate? Idque etiam in Deo?* Aiunt à Coactione.
XXII. *An lumine naturæ solius cognosci possit, esse Deum, & Vnum?* Negant.
XXIII. *An homo sit liberi arbitrij in Naturalib. & Ciuilibus actionibus?* Negant.
XXIV. *An aliquod Verum morale possit solis naturæ viribus cognosci?* Aiunt.
XXV. *An possit homo Velle aliquod bonum Morale viribus liberi arbitrij solis?* Negant pene.

XXVI. *An possit homo tentationem vincere, aut bonum Morale perficere cum, vel sine speciali auxilio Dei?* Variant.

XXVII. *An homo sit liberi arbitrij in* MORALIBVS? Negant.

XXVIII. *An homo post lapsum sit liberi arbitrij in rebus supernaturalibus?* Negant.

XXIX. *Num quæ sint humanæ Dispositiones ad Iustificationem?* Negant.

XXX. *Fides iustificans quid? an Fiducia? an Notitia?* Variant subinde.

XXXI. *Ecquod fidei iustificantis obiectum?* Promissiones aiunt.

XXXII. *An, & quomodo* SOLA *Fides iustificet?* Variant.

XXXIII. *An iustitia nobis inhærens, sit formalis causa iustificationis perfecta?* Negant.

XXXIV. *Causa formalis iustificationis sitne Remissio peccatorum?* Aiunt.

XXXV. *An certitudine fidei quis certus esse possit ac debeat, se esse Iustificatum?* Aiunt.

XXXVI. *An pariter certus, se esse Prædestinatum?* Aiunt.

XXXVII. *Fides & Iustitia an sint propria sanctorum electorum; amittique possint?* Id aiunt: hoc negant.

XXXVIII. *An homo post iustificationem maneat peccator; Sintque iusti pares omnes?* Aiunt vtrumque.

XXXIX. *An Discrimen Legis & Euangelij probet operum bonorum necessitatem?* Negat.

XL. *An Libertas Christiana probet eorum necessitatem?* Negant.

XLI. *An necessitas operum doceri queat ex Nouo Testamento?* Negant.

XLII. *An Lex diuina sit possibilis obseruatu?* Negant.

XLIII. *An opera iustorum bona, sint peccata, & nil iustificent?* Aiunt.

XLIV. *An opera iustorum sint æternæ vitæ meritoria?* Negant.

XLV. *Num quæ fiducia sit in meritis ponenda, sitque fas eorum intuitu operari?* Negant.

XLVI. *An Oratio sit necessaria, & vtilis: vt Pater Nost. Horæ, Cantus?* Negant ex parte.

XLVII. *Ieiunium an quæ secum trahat culpanda, an reformanda?* Aiunt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

COPPENSTEINII

ANTICHRISTVS THEOMACHIÆ LVTHERO-CALVINISTICÆ

PARS PRIMA

De Ecclesia Triumphante.

QVÆSTIO I.

Quis, quatenus S. Scripturæ sit Interpres, Iudexque supremus Controuersiarum?

I. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERANI ac CALVINIANI aiunt: Non Papa, non Ecclesia; sed Spiritus Sanctus in Scripturis loquens solus est Iudex: Quin & priuatus quisque esse totius Concilii generalis Iudex potest. Vide *Lutherocal. par. 1. quæst. 4. & par. 2. quæst. 13. & 18.*

CHRISTVS. At non ita Ego & Pater meus ab initio.

I. Iudex inquam, ac Interpres supremus esse potest solus summus Pontifex.

1. Talem Deus Moysem, præterquã quod Dux esset, instituit Pontificem ac Sacerdotem summum, extraordinarium, cui non succederetur; vtpote typum Mei: ac ipsi Aaroni Moysem præposuit, etsi ordinario Pontifici cui succedebatur.

2. Tali, *Deut. 17.* iussit obediri controuersa iudicanti: sin; capital erat. Ergo, Aggæi. 2. *Interroga Sacerdotes Legem.* Nam, Malac. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam; & Legem requirent ex ore eius.*

3. Eccl. 12. *Quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore tuo; his amplius ne requiras.* 2. Paral. 15. Post locales Iudices, *Amarias Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit. &c.* Clara hęc: at in Noua Lege gratiæ præclariora.

4. Nam Ego promisi Mat. 16. Petro: *Tibi dabo Claues,* Scientiæ & Potentiæ, *regni cælorum. &c.* sc. adremouẽda quæcunque

cunque cœlis inuadendis impedimenta. Ego promissum præstiti, Ioan. vlt. *Simon Petre, pasce oues meas*, id est, per Te Vicarium meum, perque Successores tuos, velut Aaron meus, Doce, & Rege Christianos. Atque iccirco, Luc. 22. *Ego rogaui pro Te, vt Non Deficiat Fides Tua; Et Tu conuersus aliquando Confirma Fratres Tuos.* Emphatica omnia.

II. CONCILIVM solum esse Iudex & Interpres potest. Quia Mat. 23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi; QVAECVNQVE dixerint vobis, seruate, & facite; secundum opera eorum nolite facere.* Omnino rectè notauit meus S. Cyprianus *lib. 4. epist. 9.* Me toto Euangelio nunquam reprehendisse Pontifices aut Sacerdotes, nominando illos; sed Scribas solos ac Pharisæos; ne cui viderer carpere Cathedram & Sacerdotium. Quò alienior à meo est Spiritu Spiritus Nouatorum.

III. ECCLESIA, id est, Papa & Episcopi Iudicant. Quia, Mat. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus.* Nam, Ierem. 3. *Dabo vobis Pastores iuxta cor meum, & pascent vos Scientiâ, & Doctrinâ.* Idcirco, 1. Cor. 12. *Alij datur per Spiritum sermo Sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij interpretatio sermonum, alij prophetiæ. &c.*

Hinc etsi consultatio Papæ sit theologica; definitio tamen est Prophetica. Nam, 2. Pet. 1. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit:* Sed ex Infallibili Assistentia Sp. Sancti: Fidelis autem Deus, *qui dabit Sp. bonum petentibus se.* Verum, 1. Ioan. 4. *Nolite omni Spiritui credere; sed probate Spiritus, si ex Deo sūt. Multi n. Pseudo pphetæ exierūt in mūdū.*

IV. SPIRITVS cuiusque PRIVATVS Iudex esse nequit, vti Mendax; *ex patre mendacij, qui in veritate non stetit.* Non esse vniuersis Fidelibus debet verbum Dei, quod suus cuique Spiritus ad cor loquitur: sed quod Moyses & Prophetę prodiderunt. Nam Ego, Apostolique sæpius appellauimus ad tribunal Scripturæ; vt Luc. 4. v. 21. & Mar. 12. *Nonne ideo erratis, nescientes Scripturas? De mortuis, qui resurgunt, non legistis in libro Moysis?* Mat. 22. ex Psalmo silentium imposui Pharisæis. *Ioan.* 5. Eosdem ad Scripturam remisi. Sic & Baptista meus, *Ioan. 1.* Verbo, Nec fallit, nec fallitur S. Scriptura; nec in articulis fidei Papa, vel Ecclesia.

II. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS in Harm. Mat. 26. v. 28. *Stultè superstitiosi sunt, qui verba Christi mordicus arripiunt.* Hoc est, Inst. 3. c. 31. §. 9. *Qui in Syllabarum contextu superstitiosè hærent.* Eos proinde, Inst. 4. c. 17. §. 23. vocat, *Syllabarum Aucupes.*

CHRISTVS. At Ego dico: Luc. 16. *Facilius est cælum & terram præterire, quam de lege vnum apicem cadere.* Matt. 9. *Iota vnum, vel vnus apex non præteribit.* Luc. 21. *Cælum & terra transibunt; verba autem mea non transibunt.* Adeò *Verbum Domini manet in æternum.* Mat. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Et ecce, vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Denique Luc. 11. *Beati, qui audiunt Verbum Dei, & Custodiunt illud* in & Apice, & Opere.

Verum, 2. Pet. 3. *sunt difficilia Quædam intellectu, quæ indocti & instabiles deprauāt, sicut & cæteras Scripturas; ad suam ipsorum perditionem.* Contra hosce etiam, Ioan.

5. Scru-

5. *Scrutamini Scripturas* ad vnum iota. Paulus monet, 2. Tim. 4. *Attende Scripturæ.* Adeo, vt, Gal. 1. *Si quis vobis Euangelizauerit, præterid, quod ACCEPISTIS,* Scriptum, vel Traditum, *anathema sit.* Qui secus docuerint, sunt nequaquam *rectè tractantes Verbum Dei.* Manet igitur hoc, Ioan. 16. *Non potest solui Scriptura.*

III. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERANI. Scriptura, per se apertissima, suipsius interpres est, iudicans omnia.

CALVINIANI. Scriptura in se est perspicua; respectu nostri, difficilis: Proinde eius Claritas Interna, cordis nostri eget illuminatione: Externa, vt in verbis est posita, habet Dogmata expressa planè omnia, quæ vel impii, ac dæmones intelligant.

CHRISTVS. Ipse ego duodennis, Luc. 2. *Sedens in templo, in medio Doctorum audiebam illos, & interrogabam.* At Aperta claritas nil Doctorum indiga est; & Doctores erant ij, non solum qui Scripturam docerét ignaros illius; sed ipsam quoq; non intelligentibus explicarent. Ideo *interrogabam eos.*

2. Ego discipulis subinde poscentibus, *Edisserenobis parabolam hanc.* Mat. 13. Et Mat. 14. *Edisserebā illis*; Nā *istis datū erat nosse mysterium regni.* Mat. 13. Luc. 8. Ego Luc. 24. *interpretabar illis,* euntibus in Emaus, *in omnibus Scripturis, incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis.*

3. Ego ab his protinus apparens omnibus Discipulis, Luc. 24. *tunc aperui illis SENSVM, vt intelligerent Scripturas.*

4. Ego Scripturarum dissertatione sæpius constrinxi Scribas & Pharisæos, vel obstinate cæcos, *habentes* Scripturā, *Moysen & prophetas*; sed *nolentes intelligere, vt bene agerent.*

5. Ego *eram quotidie docens in templo* Scripturam.

6. Paulus, Act. 17. *Per Sabbata disserebat eis* Iudæis *de Scripturis.*

7. Philippus, *Act.* 8. Eunucho Candacis explicabat Scripturam obscurā. Petrus vere affirmat, in epistolis Pauli esse *quædam Intellectu Difficilia.*

8. Rectè, Exod. 17. *Dixit Dominus ad Moysen: Scribe hoc, Ob Monumentum, in libro; & Trade Auribus Iosue*; Doce & explica illi. Deut. 31. *Scripsit itaque Moyses Legem, & tradidit eam Sacerdotibus:* Qui, Si quid ambiguum oriebatur, *Deut.* 17. in singulis ciuitatibus requirebantur Interpretes ac Iudices: Maiora ad summum Pontificem vnum referebantur: Cui *nolle obedire, scelus ariolandi erat.* Itaque Exod. 44. *Cùm fuerit controuersia, stabūt in iudicijs meis, & iudicabunt Leges meas.*

9. Ea causa promissi, ac præstiti, missique Spiritum paraclytum, Ioan. 14. *qui suggeret vobis omnia, & ducet vos in omnem veritatem.*

10. Enimuerò Rom. 7. *Scimus, quod Lex spiritualis est:* Et, 2. Cor. 4. *Spiritus loquitur Mysteria. Animalis autem homo,* 1. Cor. 2. *non percipit ea quæ sunt spiritus; quia spiritaliter examinatur. Nos autem,* 1. Cor. 2. *non spiritum huius mundi accepimus*; *sed spiritum, qui ex Deo est: vt sciamus, quæ à Deo donata sunt Nobis: quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis; sed in doctrina spiritus.* 2. Cor. 4. *Litera occidit: spiritus autem viuificat:* &, 1. Cor. 14. *Spiritalis omnia iudicat.* 2. Cor. 3. *Nos autem sensum Domini accepimus*; non solam literam, solaque verba.

Hæc adeo sunt manifesta, vt vel mei inimici crucis ea cōfiteri cogantur; Lutherus fatetur *se magno sudore veram sententiam in Scriptura quærere*: Nequedum

tamen *omnia in legitimo sensu intelligere.* Vide Luthero-calu. p. 1. q. 4.

Brentius in Confess. Wittenberg. cap. de Scriptura: *Donum interpretandæ Scripturæ non est humanæ prudentiæ sed spiritus sanctus distribuit dona hominibus pro sua beneplacito.* Sed hac in veritate non stetit.

IV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ fingunt: Scripturam legere & Interpretari, cuiusuis est. Causam affert. Brentius in Confess. Wittenberg. ibidem. *Nec enim Spiritus Sanctus est ad certum genus hominum alligatus.*

CHRISTVS. Ego inquam, Matt. 11. *Confiteor tibi Pater, quoniam abscondisti hæc à sapientibus; & revelasti ea parvulis,* theodidactis. Ipse, Eph. 4. *Dedi alios Pastores & Doctores; alios. &c.*

QVÆSTIO II.

Num quæ Traditiones sint de Fide Christiana?

V. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ pernegant.

LVTHERVS in cap. 1. Gal. negat. *Neque alia doctrina in Ecclesia tradi & audiri debet, quam purum Dei verbum est.*

Doctores, vel Auditores alij cum sua doctrina, anathema sunto.

CALVINVS Institut. lib. 4. cap. 8. §. 8. pernegat. *Esto hoc firmum axioma: Non aliud habendum esse Dei verbum, cui detur in Ecclesia locus; quam quod Lege primum, & Prophetis; dein & scriptis Apostolicis continetur.* Vide in meo Luthero calvin. p. 1. q. 5.

CHRISTVS. Ioan. 16. *Multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modò.* An igitur alias ea *multa* dixit? Non. Quia, Ioan. vlt. *Sunt & alia Multa, quæ fecit IESVS; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* At scriptos, vel vna manus capit.

2. Deinde quæ habuit dicere, *Ioan.* 16. ea dixerit post resurrectionem forte; Nam, Act. 1. *per dies XL. apparens eis, & loquens de Regno Dei:* Quæ tamen scripta non sunt: Et cum otiosa non fuerint; esse necessaria, & Christo digna debuerant: Quæ viua voce tradiderunt Apostoli testes.

3. Vnde, 1. Cor. 11. *Laudo vos, quod per omnia mei memores estis; & SICVT TRADIDI vobis, præcepta mea tenetis,* scilicet de Orandi & Communicandi modo.

Quæ præcepta erant: Non tamen Scripta; ait *ibidem Chrysostomus, Theophilus, & Epiphanius hæresi 61. &c.*

Additque *Accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Cætera, cum venero, disponam.* At ea *cætera* nusquam sunt scripta.

4. Item, 2. Thes. 2. *Tenete Traditiones, quas accepistis siue per Sermonem, siue per epistolam nostram.*

5. Item, 2. Tim. 1. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me Audisti. Bonum DEPOSITVM custodi, per Spiritum Sanctum, qui habitat in vobis.* Bell. l. 4. cap. 3.

Regulas agnoscendi Traditiones vide in mea *Genealogia par. 1. quæst. 2.*

II. DE

II. DE VERBO DEI INCARNATO.

QVÆSTIO III.

Quale quid Luthero-caluinistis Sancta Trinitas sit, & Christi Diuinitas?

VI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS in Dom. Trinit. *Vox Trinitas humanitus inuenta est, & frigidè sonat.*

CALVINVS epist. ad Polonos. *Trinitatis nomen repudiamus. &c.* Pluravide in *Luthero-calu. q. 6.*

CHRISTVS. Matth. vlt. *Baptizate omnes gentes in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Per meum Ioan. in 1. cap. 5. *Tres sunt in cælo, qui testimonium. &c.*

Et tamen Mar. 12. *Vnus est Deus, & non est alius præter eum.* Vnde Ioan. 17. *Vt cognoscant te solum verum Deum.* Mat. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Sic & per Apostolos, perque Prophetas prædicaui. Apud *Bellar. lib. 1. de Christo. c 3.*

VII. ANTICHRISTIANISMVS.

Christus non est verè Deus, nec ab æterno; sed ante Incarnationem. Nihil fuit, nisi per Idaam, in mente Dei. &c.

Ita Lutherus, Caluinus, Erasmus, Melanch. &c. Vide in *Luthero cal. q. 7. & 9.* prolixè & diserte.

CHRISTVS. I. Ioan. 10. *Ego & Pater Vnum sumus*, Vnitate naturæ. Peruersè Transyluani, l. 2. c. 9. *Vnum*, aiunt, *vnitate charitatis.* Et probant autoritate Erasmi & Caluini. At poterant addidisse simul Arij & Eunomij hæresiarcharum autoritatem.

II. Ioan. 17. *Vt sint vnum, sicut & nos Vnum sumus*: Vnitate [illegible]. Basil. l. 1. in Eunomium. Chrys. in Ioan. 1. *Nam* sic argumentabar: *Nemo potest rapere oues de manibus Patris mei; quia ipse maior omnibus est*: Ergo nec de meis manibus: *Ego enim & Pater Vnum sumus*, ic. vna manus potentiæ, Vnum substātiæ. Deinde, ait Aug. & Chrys. ibid. *Audito hoc Iudæi sustulerunt lapides, vt iacerent in eum*: Ergo intellexerunt per illud, *Vnum sumus*, Vnitatem Deitatis. Addè quòd ipse id exponit, ibid. *Vos dicitis, quia blasphemas; quia dixi; Filius Dei sum*: Ergo idē sumus: *Ego & Pater vnum sumus*: Et, *Filius Dei sum.*

III. Ioan. 14. *Creditis in Deum; & in Mè credite.* Hinc Aug. l. 1. de Trin. c. 12. dicit, *Christum esse illum verum Deū, quem Iudæi colebant.* Ibid. *Si cognouissetis me; & Patrem vtique cognouissetis.* Item, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Ergo sumus æquales, & vnum.

IV. Ioan. 20. *Dominus meus, & Deus meus.* Nestoriani, *in Synodo V. c. 12.* dictitabāt eam exclamationem Thomæ referri ad Deum Patrem. Sed refutat eos *Synodus V.* Et S. *Aug. epist. 174.* eo dicto efficacissimè vtitur pro Diuinitate Christi.

V. Ioan. 5. *Quærebant eum Iudæi interficere, quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. &c.*

Vide *Bell. lib. 1. de Christo cap. 6.* Et in mea *Genealogia par. 1. q. 3.* Quæ euincunt, Christum esse verum Deum, vnum cum Patre.

QVÆSTIO IV.

An Tritheismus sit Luthero-caluinistarum?

VIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS lib. contra Latomum to. 2. *Anima mea odit ὁμοούσιον.* Melanch. *Tres sunt Diuinitates, vt tres personæ. &c.*

CALVINVS in Actis Serueti. *Filius habet substantiam à Patre distinctam.* &c. Vide meum *Luthero-cal. q.* 11.

CHRISTVS. At Ioan. 5. *ALIVS est, qui testimonium perhibet de Me.* Et Ioan. 14. *ALIVM Paracletum dabit vobis.* At de vna eademque persona non dicitur *Alius.* Notat ita S. Fulgentius *l. de obiectionibus Arianorum*; Patrem, Filium, Sp. Sanctum dici *Alium*, non *Aliud.* Siquidem *Aliud* distinctionem in Essentia; *Alius*, distinctionem in Persona significat. Vnde ait Ioan. 10. *Ego & Pater Vnum sumus*: non Vnus, aut *Aliud.*

2. Mar. vlt. *Baptizate omnes in nomine Patris & Filij & Sp. Sancti.* particula, ET, distinctionem personalem ac realem denotat.

3. Ita Eph. 2. *Per ipsum habemus accessum ad Patrem in vno Spiritu.* Quod distinctionem Personæ, non Essentiæ docet. Nam de Vnitate Essentiæ supra sat vidimus.

4. Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*: Non quomodo alia animata creata vitam habent: sed quomodo Pater ipse habet. Vnde dicitur, Col. 1. *Primogenitus Dei & imago eius.* Quod intelligi de Diuina æternaque generatione, patet ibidem isto: *In ipso, & per ipsũ condita sũt vniuersa.* Manet igitur, quod in Deo sit Vnita Distinctio, & Distincta Vnitas: non trium Vnitas; sed Vnius Trinitas. Plura vide in meo *Luthero-calu. p. 1. q.* 8. *&* 10.

QVÆSTIO V.

Sitne in Diuinis Personarum Aequalitas?

IX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERI. *Anima mea odit ὁμοούσιον.* Idem in Gen. 1. *Verbum est Instrumentum Patris in operando. &c.*

CALVINI. *Filius etiam in diuina Natura, officij ratione, Patre minor est.* Sic vtrobique cæteri. Vide in meo *Luthero-caluinista quæst.* 9. *&* 12.

CHRISTVS. I. At Angelus ad Zachariam de Ioan. Baptista, Luc. 1. *Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum*, id est, ad Christum: *& ipse præcedet ante Illum*, Deum Israel Christum, *in spiritu & virtute Heliæ.* Atqui communis est regula Transyluanis, Seruetianis, Gentilistis, & Luthero-caluinistis; *Deum Israel, esse Verum Deum*; sed & addunt, *solum Patrem intelligi voce Deus.* Hoc falsum; illud verum est. Patet hoc loci. Nam quod Angelus hic Christum quoque *Deum Israel* appellet, attestantur interpretes S. Patres, *Irenæus, l. 3. c.* 11. *Ambr. Euthymius, Beda. &c. in Luc.* 1. Ratio. Quia constat Ioannem præcessisse ante *Illum*, prædictum sc. *Deum Israel*: at ante Christum præcessit: Christus igitur est Deus verus Israel, sicut & Pater, nõ minor. Quia quicquid est Deus, est vnicè sumus: & quicquid est non vnicè Summum, est quoque

que Non Deus: sed minus Deo. Atqui Christus est Deus; ergo vnicè summus, & vnus cum Patre Deus æqualis Patri.

II. Petrus ait, Mat. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui.* At proprium est viuentibus gignere sibi simile in Natura. Ideo Christus dicitur, Ioan. 3. *Filius Vnigenitus.* Rom. 8. *Proprius.* 1. Ioan. 5. *Verus.* Col. 1. & Heb. 1. *Naturalis*, vt imago naturalis paternæ hypostasios: respectu cuius *Angeli* dicuntur *Serui*; cum tamen sint Adoptiui filij Dei. Et à Iudæis est hoc nomine accusatus, ac morti adiudicatus, *Quia Filium Dei se fecit:* vtique naturalem, non metaphoricum, vel adoptiuum. Nam & ipsi dicebant: Ioan. 8. *Nos vnum patrem habemus Deum.* Neque Christus illam diluit accusationem.

III. Ioan. 5. *Quærebant eum Iudæi interficere; quia non solum soluebat Sabbatum; sed etiam Patrem suum dicebat Deum, AEQVALEM SE FACIENS DEO.* Quippe vt *Deus verus de Deo vero: genitus, non factus.* Ita hic Patres Chrys. Cyril. Augustinus. &c.

IV. Docet Paulus, qui ex Reuelatione IESV CHRISTI didicit Euangelium, Rom. 9. *Ex quibus Christus est, secundum carnem: Qui est super omnia* DEVS *benedictus in sæcula*, id est, aiunt S. Patres hic vnanimiter, *Summus Deus.* Ergo *æqualis Patri secundum Diuinitatem; minor Patre, secundum Humanitatem*, infert rectè symb. Athanasij.

Erasmus Rotero. conatur locum infringere, dicens:

1. Vocem, *Deus*, forte non esse de textu.

2. Aut vocem *Deus* referri ad Patrem solum.

At vtrumque refragantibus SS. Patribus: Cypr. Hilar. Chry. Iren. Tertullian. &c.

V. Iterum Paulus, Phil. 2. *Qui, cum informa Dei esset, non rapinam arbitratus esse se AEQVALEM DEO. In forma Dei*, id est, substantia Dei, quæ ibidem opponitur *formæ serui*, id est, naturæ humanæ. Sic S. Patres apud *Bellar. l. 1. de Christo. c. 6.* contra Erasmum & Transyluanos. Vide meam *Geneal. q. 5.*

QVÆSTIO VI.

An Deus cum Essentia communicarit Christo omnipotentiam & Iustitiam & Immortal.

1. X. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS in Conc. Nat. Dom. *Vnus Christus, est Deus Omnipotens; alter, Homo non omnipotens;* Id est, ait Brentius lib. recognitionis suæ pag. 131. *Communicatione Proprietatum Filius hominis ab inhabitante Dei Filio ornatur.*

CALVINVS lib. contra Gentilem, Pater Filio nec in parte, nec in solido communicauit essentiam. &c. Vide *Luthero-calu. q. 13.*

Sed ordine distincto colligamus & omnia redigamus ad tria.

1. Sabellius sub annum 216. finxit: *Deus vna est persona; Trinitas nulla: diuersa autem nomina sunt, excogitata ad diuersos significandos Dei effectus.*

CALVINVS ait. *Pater nec ex solido nec ex parte suam communicauit Essentiam: solum,* Instit. L. 1. c. 13. § 5. *Proprietate quadam distincti sunt.*

2. Arius finxit: *Christus minor Patre est; prima ab eo creatura productus.* LVTHERO-CALVINISTAE similes supra.

3. Nestorius: *Maria solum hominem peperit; cui dein accessit Dei Filius inhabitator per gratiam.* Sic & Luth. & Brentius. &c.

CHRISTVS. At verò, Ioan. 7. *Ego ex Deo processi.* Inde Pater mihi ait: Psa. 2. *Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Et *Dauid vocat eum Dominum: Dixit Dominus Domino meo. &c.* Cætera repete suprà ex quæst. 3. 4. 5.

XI. ANTICHRISTIANISMVS.

CAL-

CALVINVS Inst. l. 3. c. 23. §. 3. *Potètia Dei Absoluta commentum est, sicut profanum ita meritò detestabile.* Beza lib. contra Heshus. *Nec credenda est, nec vniuersaliter recipienda illa Gabrielis Angeli propositio: Non est impossib. apud Deum omne verbum* &c. Vide Luthero-calu. q. 14.

CHRISTVS. Mat. vlt. *Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.* Ego sum, Apoc. 1. *Qui venturus est Omnipotens.*

2. XII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS ad marginem Rom. 3. *Deus est iniustus; nam impossibilia præcipit. &c.*

CALVINVS. Inst. l. 1. c. 18. §. 3. *Deus autor est omnium eorum* peccatorum, *quæ Papistæ tantum otiose volunt eius permissu contingere.*

Zvvinglius. de prouid. c. 5. *Numen ipsum est autor eius; quæ in nobis est iniustitia.* Vide Luthero-calu. q. 17. 18.

CHRISTVS. Ioan. 5. *Sicut audio, iudico; & iudicium meum iustum est.* Vel Iuda teste, Mat. 27. *Peccaui, tradens sanguinem Iustum.* Et Pilato: *Innocens ego sum à Sanguine Iusti huius:* Et Vxore illius: *Nihil tibi & Iusto illi.* Ita decebat, Rom. 3. *Vt sit Ipse iustus & iustificans.*

3. XIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS l. de Concil. p. 2. *Nestoriani sunt, qui Diuinitatem pati non potuisse pertinaciter disputant. &c.*

CALVINVS. *Deitas est mortalis: Immò verò aliquando mortua est. &c.* Vide meum Luthero-calu. q. 16. Sic & Theopaschitæ quondam damnati.

CHRISTVS. Ioan. 17. *Clarifica me Pater apud temetipsum claritate*, Immortalitatis, *quam habui prius, quam mundus esset, apud te.* Hinc Hebr. 13. *IESVS Christus heri, & hodie, & in secula.*

2. Quin & nos, Rom. 6. *Si mortui sumus cum Christo,* Homine homines, *credimus, quia simul etiam viuemus cum illo. Scientes, quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem Viuit, viuit Deo.*

4. XIV. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS Inst. l. 1. c. 13. §. vlt. *Stulte fingitur à Patre continuus actus generandi.*

CHRISTVS. Ego verò æternam de me prædico generationem Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Nam, Prou. 8. *Ab æterno ego ordinata sum,* sc. Sapientia genita. Vnde Michæas. 5. *Egressus eius ab initio à diebus æternitatis. &c.* Heb. 13. *Et in sæcula Deus.*

Quò nefandius negant Samosateni, *Christum fuisse ante Mariam:* Sic & Photinus, apud Baron. anno 357.

QVÆSTIO VII.

Qualis sit Christus Deus Luthero-caluinisticus?

XV. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS contra Nebul. respon. ad propos. 7. *Deus vult fieri, quæ fieri vetat.*

CHRISTVS. At Volo, iubeo vos orare: Mat. 6. *Sed libera nos à Malo.* Ioan. 12. *Ignem* charitatis *veni mittere; & quid volo, nisi vt accendatur.* Mat. 20. *An non licet mihi, quid volo, facere?* At Veni destruere opera diaboli.

XVI. ANTICHRISTIANISMVS.

ZVVINGLIVS, Deus est tyrannus. &c. Vide in *Luthero-calu. q.* 18.

CHRISTVS. At Mat. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Matt. 9. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Ideo *Nolo mortem peccatoris; sed vt conuertat. &c.*

XVII. ANTICHRISTIANISMVS.

CAL-

CALVINVS contra Libert. c. 14. *Qui Deum faciunt autorem scelerum, Deum transformant in diabolum.* At agit id Caluinus.

CHRISTVS. Ioan. 12. *Ego demonium non habeo; sed honorifico Patrem meum.* Mat. 21. *Quomodo potest Satanas satanam eijcere?* Mat. 6. *Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Et ego similis satanæ, autor essem scelerum?

XVIII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS Inst. l. 1. c. 17. §. 8. *Deus armat diabolum in nos.* Ibid. c. 18. §. 2. *Dæmon tantum minister est Dei.* Ergo Deus peior diabolo erit.

CHRISTVS. Luc. 18. *Magister Bone. &c. Quid me dicis Bonum? Nemo Bonus, nisi solus Deus.* Et Ego ipse tam bonus sū: Mat. 9. Vt non *venerim vocare iustos, sed peccatores.*

XIX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS in Isa. 9. Dei filius est *Virtus Patris*; non Deus: nam vocem DEVS expunxit. In Gen. 1. *Est instrumentum Patris in operando.* Ergo minor Patre.

CHRISTVS. At Ioan. 5. *Patrem suum dicebat Deum, Aequalem se faciens.* Ioa. 10. *Ego & Pater Vnum sumus.* 1. Ioan. 5. *simus in Vero Filio eius: Hic est Verus Deus, & vita æterna.*

XX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS lib. contra Latomum: *Anima mea odit ὁμοούσιον* vocem hanc, cum ipsa.

CHRISTVS. At Ioan. 1. *Credo Domine, quia tu Es Filius Dei.* Mat. 16. *Tu es Christus Filius Dei.* Ioan. 3. *Scimus, quia à Deo venisti.* Exod. 3. *Ego sum ὁ ὤν, qui sum, ἁγία.*

XX. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS Harm. in Ioan. 1. Christus non fuit ab æterno: *sed tum fuit, cum Deus à populo suo inuocari nomine Patris cœptus est.* Vide Lutherocalu. q. 20.

CHRISTVS. At Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam vt in semetipso: sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* At Pater habet eam ab æterno. Ergo Ioan. 1. *Et verbum erat apud Deum in principio.* ibid. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris.* Quare Christum esse Deum ab æterno necesse est.

XXI. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS: Christus est *αὐτόθεος, Deus ex seipso, non Deus de Deo Patre.* &c. Vide Lutherocalu. q. 21.

CHRISTVS. Quia, Ioan. 5. *Pater dedit Filio vitam habere in semetipso:* Ideo, Ioan. 6. *Ego viuo propter Patrem.* Quod si dedit mihi vitam, *sicut Pater habet vitam in semetipso*; non sicut creatura; certè dedit & Essentiam.

2. Deinde, Mat. 11. *Omnia tradita mihi sunt à Patre meo:* Cur non & Essentia?

3. Sanè, Ioa. 7. *Ego scio eum; quia Ab ipso sum.* Et Ioan. 8. *Sicut docuit me Pater, loquor in mundo.* Dedit omnem scientiam, dando Essentiam, ait Augustinus.

III. DE CHRISTO HOMINE.

QVÆSTIO VIII.

In Christo num Duæ sint Personæ, & Vna Natura? An contra?

XXII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTAE ex Caluino cum Beza: *Semper duas in Christo Personas ponunt, siue Vniones hypostaticas: & sic Personaliter Christus homo à Deo distinctus est.* Vide in mea *Genealog. q. 9.* de Nestorianismo tali plura luculentè.

CHRISTVS. 1. Ioa. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Ecce tibi vnum eundemque esse Filium Dei; & Hominis:

cæteroquin falsum foret filium Dei descendisse de cœlo.

2 Ioan. 10. *Ego & Pater Vnum sumus*: Quod sanè conuenire nequit Humanitati illius. Nec enim Pater est homo factus. Et ego, qui id loquor, sum Filius Dei. Ioan. 9. *Credis in Filium Dei? Respondit ille: Quis est Domine, vt credam in illum? Dixit illi IESVS; Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, Ipse est. At ille ait: Credo Domine: Et procidēs adorauit eum.* Non poteram apertius declarare, vnam esse Personam Filium Dei, & filium hominis.

3. Mihi Vni acclamabat Thomas, Ioan. 20. *Dominus meus, & Deus meus!*

4. Matt. 16. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Alijs alium dicentibus, *respondit Petrus: Tues Christus Filius Dei viui.* En vterque persona est eadem.

5. Sicut & Luc. 1. *Ideoque & quod nascetur, ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei:* At est homo natus, idemque Deus; naturæ duæ, sed vna persona.

6. Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, in persona vna: sicut Dauid factus est Rex; vbi vna est, non duæ personæ.

XXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI, ex Luthero cum Brentio: *In Christo duplex est Diuinitas, vna Æterna, altera Humanitatis communicata: Et hac supra & extra omnes creaturas collocata, quam à creaturis longè abest Deus ipse.* De hoc Eutychianismo vide in meo *Luthero-calu. p. 1. q. 22. & Geneal q. 9.*

CHRISTVS. Duæ mihi Naturæ insunt. Quia Ioan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Hæc loquens cum Nicodemo eram vtique homo; & me tamen de cœlo descendisse fatebar, esseque adhuc in cœlo, scilicet qua Deum: Vnde duo Esse in Vno necesse erat; sed Naturâ duo, vnum Personâ.

2. Ioan. 5. IESVS *soluebam Sabbatum*, vt homo; *sed etiam Patrem meum dicebam Deum, æqualem me faciens Deo* Deus. Et tamen, Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* Idque saluo isto, Ioan. 14. *Pater maior*, diuinitate sua & mea, *me est*, homine.

3. Ita Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego*, qui loquor homo, Deus *sum.*

4. Vnde Petrus Act. 1. *Dextera Dei exaltatus*, qua homo & creatura, *effudit hoc donum* Sp. Sancti, quà Deus. En, naturæ duæ; & tamen Vnus id effundebam. Cætera vide in *Genealog. q.* 10. Et in *Lutherocalu. q.* 23.

QVÆSTIO IX.

Quid carni Christi communicauit Deus?

XXIV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI. *Vnio Hominis ad Deum in Christo, consistit in communicatione Attributorum facta Humanitati: Et ea Reali:*

CALVINISTÆ aiunt, *Verbali*: Sic tamen, vt ea non sit de essentia Vnionis. Vide in *Lutherocalu. q.* 23. 24.

CHRISTVS. Testatus iam sæpius fui, vnam in esse mihi Personam, Naturas duas, Vnitas, non confusas, neque in sese conuersas: Sed *Verbum caro factū est*: non Caro verbum facta est, id est, verbum communicauit suam Hypostasin Humanitati; non hæc suam Verbo.

Sicut Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus* in Essentia, duo in Personis: ita Deus & Homo Vnum sunt in hypostasi diuina sola: non in humana: Hinc Realis Communicatio Idiomatum facta est, hypo-

hypostaticè; Non essentialiter, Neque accidentaliter.

XXV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI. Christi Humanitas; vtpote, ad dexteram Dei exaltata super omnia creata; est Vbique perinde, vt Diuinitas. Vide *Luthero-calu.q.26.*

CHRISTVS. Istud è diametro repugnat S. Scripturis meis.

1. Quæ dicunt Me Hominem alicubi non fuisse. Vt Ioan. 11. *Lazarus mortuus est: &c. quia non eram ibi.* Matth. vlt. *Non est hic; surrexit.*

2. Illis, quæ esse vbique asserunt. Vt Iere. 25. *Cœlum & terram ego impleo.* Ps. 138. *Quo ibo à spiritu tuo?*

3. Illis, qui me Deum & Hominem esse docent suprà.

XXVI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS. *Necesse habes Christi carnem adeo longè extra creaturas ponere, quam longè Deus ipse extra illas est.*

SCVVENKF. *Est Deus verus.* Anabaptistæ, *Est ex substantia Patris in vterum Virginis allata caro Christi.* Vide meum Luthero-calu.q.27.

CHRISTVS. Mat. 1. *Liber generationis Iesu Christi filij Dei, Filij Abrahã. &c.* quę genealogia veri est hominis. Lu. 1. *Ecce cõcipies in vtero, & paries. &c.* i. ait Ambr. l. de Incar. c. 9. *Habuit de suo Virgo, quod traderet; non alienum dedit mater.* Matt. 21. *Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Dicunt,* Dauid, id est, homo hominis. *Fili Dauid miserere.* Vereque Pilatus: *Ecce Homo.* Atque ita & post ascensionem Christus dicitur, *Filius hominis*, in Scripturis.

QVÆSTIO X.

Num quæ inerat Animæ Christi imperfectio Scientiæ.

XXVII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS, & CALVINVS notam ignorantiæ Christo multiplicem impingunt; adeoque, quam Gnostici, & Nicolaitæ, indigniorem. Patet in meo *Luthero calu.q.28. & Genealog.q.11.*

CHRISTVS. De me testati secus Prophetæ sunt, cęterique plures.

1. Isa. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Sp. sapientiæ.* Idemque 61. *Spiritus Domini super me, eò quod vnxerit me.* Psal. 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus.* Act. 10. *Vnxit eum Dominus Sp. Sancto & Virtute.* Hoc verò fieri nequijt, nisi in Conceptione. Nam quid est, Isa. 11. *Virga florens,* nisi B. Virgo concipiens, cuius fructus Christus, id est, vnctus?

2. Sin autem ætatis anno XXX. primum vnctus fuissem; errasset Angelus dicens: Luc. 2. *Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus,* id est, vnctus.

3. Adhæc Ioan. 1. *Verbum Caro factum est. &c. plenum gratiæ & veritatis:* Idque in limine vitæ mortalis: non igitur dilata fuit sapientia Christi ad vsque XXX. ætatis annum. Vnde bene S. Aug. l. 15. de Trinit. ca. 26. *Absurdissimum est dicere Christum anno XXX. accepisse Sp. Sanctum; cum eius Præcursor acceperit in vtero matris suæ.* Luc. 1.

4. Demum ait Apostolus meus, Eph. 4. *Vnicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi.* At verò, Col. 1. *In eo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei.* Ideo Petrus, Ioan. vlt. *Domine, tu omnia nosti.*

5. Et fatentur omnes in Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.*

6. Quid quod Lucas 6. ait: *Ipse sciebat cogitationes eorum.* Ioan. 2. *Eo quod ipse nosset omnes.*

QVÆSTIO XI.

Christus an sit verus Deus; verus Homo; idemque Adorandus?

XXVII. ANTICHRISTIANISMVS.

1. DEVM esse perfectum IESVM, abnegant iuxta LVTHERANI & CALVINIANI.

2. Atque iidem & istud, Verum esse Hominem, plenè confiteri tergiuersantur.

3. Adorare verò horrent etiam. Vide in meo *Luthero-cal. p. 1. q. 35. & 36.* Inque *Genealog. q. 12.*

I. CHRISTVS. Pater est, qui testimonium perhibet de me, & ipse clarificat me. Qua causa, Mat. 3. *Ecce vox de cælis dicens: Hic est Filius meus dilectus. &c.* Idem Mar. 11.

2. Et verè, Luc. 2. *ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenit enim gratiam apud Deum; Ecce concipies, & paries Filium, & vocabis nomen eius IESVM.*

3. Verè Dæmonium, Mar. 5. *Quid mihi & tibi IESV Fili Altissimi?* 1. Ioan. 3. *In hoc autem apparuit Filius Dei; vt dissoluat opera diaboli.*

4. Verè Martha, Ioan. 11. *Vtique Domine; Ego credidi, quia Tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.*

II. CHRISTVS. Verus Homo venturus sum à Patre promissus, Ezech. 13. *Suscitabo super oues Pastorem vnum, seruum meum Dauid.* Atqui, Ioan. 10. *Ego sum Pastor bonus.* De quo meus Vicarius, 1. Pet. 5. spondet; *Cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.* Deque me percunctante, *Christus cuius filius erit?* responderunt Pharisæi. *Dauid.* Denique 1. Ioa. 4. *In hoc cognoscitur Spiritus Dei: Omnis spiritus, qui confitetur IESVM Christum in Carne venisse, ex Deo est. &c.*

III. Quin ADORANDVS sim, nihil dubitabant, Mat. 14. *qui in nauicula erant; venerunt, & adorauerunt Eum, dicentes: verè Filius Dei es!* Nihil tres Magi dicentes, Mat. 2. *Venimus adorare eum. &c. Et procidentes adorauerunt eum.* Nihil *leprosus*, Mat. 8. *qui veniens adorabat eum.* Hæsitabat nihil Syrophænissa, Mat. 15. *quæ venit & adorauit eum dicens: Domine adiu a me.* Cæcus ille natus, sed illuminatus, & interrogatus, Ioan. 9. *Tu credis in Filium Dei?* Quærebat: *Quis est, Domine, vt credã in eum?* ait IESVS: *Et vidisti eum; & qui loquitur tecum* IPSE est. At ille dixit: *Credo Domine: Et procidens Adorauit eum.*

QVÆSTIO XII.

An Christus fuerit defectuosus, Deus mortuus, infernique perpessus pœnas.

XXVIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS in Ps. 16. Ienensi tom. 2. *Christus verè ad infernum, secundum Totam Personam descendit, & ibi peccatorum nostrorum, in ANIMA & Corpore, pœnas luit.*

CALVINISTÆ immaniora. Vide in meo *Luthero-calu. p. 1. q. 52. & 42.*

CHRISTVS. 1. Dixi in Psalte, 114. *Anima mea in manibus meis semper.* Atque tametsi, *tristis fuit Anima mea vsq; ad mortem*: non tamen *in mortem*: Etsi *cœpi pauere & tædere*; Non tamen desperare. Quin *obuiam processit eis*, & dicto, *Ego sum*; *abierunt retrorsum.* Enimuerò, Ioan. 10. *Ego pono animam meam, & iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me. &c. Potestatem habeo ponendi eam.* Hoc Iudæi non intelligebant; vti nec Luthero-caluinistæ.

2. Ac-

2. Accedit, Scripturam Apostolorum testari, sanguine & morte mea stare mihi redemptionem mundi non Animâ, Nisi hac sensitiuâ, id est, vita mortali: Obedientiæ, Charitati adscribitur meę salus vindicata mortalium. Vt Phil. 2. *Factus est obediens. &c.* Eph. 1. *In quo habemus redemptionem per Sanguinem eius.* Bell. l. 4. de Christo. c. 8.

XXIX. ANTICHRISTIANISMVS.

Pertinet Morī & re & nomine ad Diuinitatē. &c. Ita LVTHERANI pariter ac Caluinistæ in meo *Luthero-cal. p. 1. q. 16. & 43.*

CHRISTVS. Malac. 3. *Ego Dominus, & non mutor*, minus patior. Et Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur; & Ego operor:* non patimur. Quia 2. Tim. 6. *Deus solus habet immortalitatem, & lucē habitat inaccessibilem.* Et *quis restitit ei, & pacem habuit.* Mat. 28. *Mihi* autem *data est omnis potestas, in cælo, & in terra.* Proinde Ioan 5. *Quæcunque Pater facit, hæc & Filius similiter facit:* patitur neuter quicquam; altiorque cunctis, 1. Tim. 6. *Lucem habitat inaccessibilem.* Inprimis Ego *Filius sapiens, gloria Patris* sum; 1. Pet. 1. *In quem desiderāt Angeli prospicere.*

XXX. ANTICHRISTIANISMVS.

Defectus & multos & graues imponunt Christo, qui sese Euangelicos iactant, & imprimis Reformatos. Vide in meo *Luthero-calu. p. 1. q. 44.*

CHRISTVS. Idem Scribis & Pharisæis vsu venit, per prædicationis meæ decursum. In Doctrina legem eis soluere dicebar, docereque noua. &c. In Vita, peccatores suscipere, & manducare cum eis. &c. In Miraculis, per Beelzebub operari. &c.

In Passione vociferati sunt multas calumnias; & tamen à Iuda ipso pronunciabar *Innocens*; à Pilato eiusque vxōre, *Iustus*, addente; *Non inuenio causam in illo:* à Centurione, *Verè hic homo Filius Dei erat. &c.* Quare *Quis ex vobis arguet me de peccato?* ita Præcursor; *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi:* non qui cumulat, & peccata peccatis adijcit, &c.

QVÆSTIO XIII.

An & quis sit Infernus, ad quem descendit IESVS.

XXXI. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ contendunt istud, *Descendit ad inferos*; explanationem istius esse, *Sepultus est*: Vt negent ad *inferorum* loca descendisse Christum; sed ei sepulcrum fuisse infernum. Vt ostendi in *Luthero-calu. p. 1. q. 53.*

CHRISTVS. Mat. 11. *Et tu Capharnaum vsque ad cœlum exaltaberis? Vsque ad infernum descendes*, id est, ab extremo altissimi ad extremum profundissimi: at sepulchra in extima terra sedent.

2. Deinde Epulo *sepultus est*, Luc. 16. & clamabat, *Crucior in hac flamma.* At hæc non est asseruatrix corporum, sed absumtrix: Neque terrena flamma; sed tartarea, est animarum edax & tortrix. Neque *chaos firmatum est* vllum, cœlos inter ac terras; sed Inferos; vnde *non est redemptio*, vt valeant superas remeare sub auras.

3. Adde, quod, *quem diligebat IESVS*: is vidit non inuentos, qui soluerent librum, *nec in cælo, nec in terra, nec sub terra.* id est in inferno infra, non intra terram positos: Cadauera autem quid aperirent librum? Et Phil. 2. *In Homine IESV omne genu flectetur Cælestium, Terrestrium,*

& Infernorum. Neque hoc esse cadauerum potest; sed debet Spirituum & mortalium esse.

4. Ergo, Eccl. 24. Dixi: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Sic & feci, Mat. 11. *Sicut Ionas fuit in ventre ceti. &c.* Vbi S. Hier. in c. 2. Ionæ: *Sicut cor in medio est animalis; ita infernus in medio terræ esse perhibetur.* Quo circa, Rom. 10. *Ne dicas in corde tuo; Quis descendet in Abyssum, id est, Christum à mortuis reuocare? Quis ascendet in cælum, id est, Christum deducere?* Omnino, Eph. 4. *Qui ascendit, Ipse est, qui & descendit in inferiores partes terræ.*

QVÆSTIO XIV.

An & quatenus descendit; exhaustique Limbum IESV S?

XXXII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ negant Christum personaliter ipsum descendisse ad inferos; sed solum vi & effectu virtualiter:

2. Quod extinctam quoque Animam Christi; adeoque Diuinitatem ipsam mortuam fuisse velint.

3. Ac solum in sepulcro Corpus iacuisse:

4. Ideo Sepulcrum dici infernum oportere. Hæc requisita patent in meo *Luthero-cal. p. 1. q.* 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56.

CHRISTVS. Multa isthic inuoluuntur infanda: quibus præcedēte Antichristianismo sat responsum est.

1. Nunc quoque sat pro mea essentiali apud inferos præsentia, atque in persona mea loquutus est & Psaltes, 15. & Petrus, Act. 20. Non derelinques Animam meam in inferno, Et 1. Petrus. 3. *Erat impossibile eum teneri.* Quin ibid. *ijs, qui in carcere erant, Spiritibus Prædicauit* personaliter. Quam in sententiam duxit, adstrictosque omnes tenuit Sanctos Patres Traditio constans.

2. Quæ ipsa simul attestantur nec Animam meam, neque Diuinitatem extinctam, vel extingui vnquam potuisse. Quia *viuo* ego dicit Dominus: Ioa. 8. *Ego sum via, vita & veritas*: Ioan. 6. *Qui manducat me, viuet propter me; & Non morietur in æternum.* Ideo Petrus aiebat, *Verba vitæ habes, ad quem ibimus?* Iterum idem cum Martha: *Tu es Filius Dei viui.* &c.

3. Qui solum in sepulcro Corpus meum iacuisse fabulantur, ij habent iudicium suum ex me per eum, quem diligebam: 1. Ioan. 4. *Omnis Spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est: & hic est Antichristus, de quo audistis.* Soluunt ij separantque à Corpore mortuo Deum viuentē in sæcula, & absorptricem mortis Animam viuentem meam.

4. Sepulcrum verò infernum nec esse valere, nec dici oportere, in parabola diuitis Epulonis, Luc. 16. Sepulti, & tamen in tartaro cruciati flammis; manifeste declaraui. Vide in *Genealog. pa. 1. q.* 16. & in *Luthero-caluin. p. 1. q.* 51. 52. 53. 54. 55.

XXXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ Limbum Abnegantes, fingunt ante Christum Incarnatum, S. Patres, & post Christi reditum ad cælum Sanctos in cælis degisse ac degere;

2. Sed in Atrio cæli, ac Sub ara conditos præstolari. Vide in mea *Genealog. p. 1. q.* 17.

CHRISTVS. 1. Qui limbum Patrum negant, me abnegant veritatem, qui dixi Luc. 16. *Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in Sinum Abrahæ. Nunc autem hic consolatur.* Ac iterum, Mat. 12. *Quomodo potest*

quisquam intrare in domum Fortis, & Vasa eius diripere, nisi alligauerit prius Fortem, & tunc Domum illius diripiet? Id est, Heb. 2. *Vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolū; & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam erant obnoxij seruituti.*

Quos illos? Exposuit Paulus Colos. 2. *Expolians Principatus & Potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Idem manifestius, Eph. 4. *Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*: Illud nimirum erat; quod acclamabat mihi Zacharias. c. 9. *Tu quoque in Sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Ea causa, Apoc. 1 *Ego sum primus & nouissimus, & Viuus, & fui mortuus: & ecce sum viuens in secula seculorum; & habeo claues mortis & inferni.*

2. Quare in cælis S. Patres degisse meum ante Ascensum minimè potuerunt. Quibus accedit, Ioan. 3. quod *Nemo ascendit in cælum, nisi qui & descendit de cælo.* Et quidem ille *Ego sum, nolite timere.* Quo rectius orauit latro: Luc. 23. *Memento mei, quando veneris in regnum tuum.* Cui & respondi: *Hodie mecum eris in paradiso* beatificæ visionis ac fruitionis Mei.

Sanctè optabat ille meus Phil. 1. *Cupio dissolui & esse cum Christo*: Quia sciebat, 2. Cor. 15. dicens, *Si terrena nostra habitatio dissoluatur, domum habemus non manufactam, conseruatam in cælis.*

Vbi? In atrio, aut sub altari? Minimè verò. 1. Cor. 13. aiebat idem. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem Facie ad Faciem. &c.*

Quia, 2. Cor 3. Vbi Spiritus Domini, ibi libertas: (Dominus autem Spiritus est) *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem Imaginem, transformamur à claritate in claritatem, à Domini spiritu.* Tales vidit testis meus in cælo fidelis, Apoc. 7. *Amictos stolis albis, qui sunt ante Throzum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius. &c.* Et *sequuntur Agnum, quocunque ierit.*

QVÆSTIO XV.

Num qua sua Passione Christus meruerit Sibi, & quæ nobis?

XXXIV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & maximè CALVINISTÆ, Nihil sibi quicquam. Vide in *Luthero-caluin. quæst. 58.*

CHRISTVS. Multum per omnem modum conditionemque merito necessariam.

1. Et quidem CORPORIS Gloriam. Luc. 24. *Oportuit* namque *Christum pati, & SIC intrare in gloriam suam.* Sic & Apostolus meus, Phil. 2. *Humiliauit semetipsum &c. PROPTER QVOD exaltauit eum Deus.* Aug. tract. 104. in Ioan. *Humilitas claritatis est meritum; claritas humilitatis est præmium: Sed hoc factum est in forma serui.* Ac iterum ille, Heb. 2. *Videmus IESVM PROPTER Passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Quocirca mihi supplicanti respondit Pater, Ioan. 17. *Clarificaui, & iterum clarificabo.* Hinc vidit & audiuit Ioannes, Apoc. 5. *Dignus est Agnus accipere Diuinitatem*, sc. vt cognita ab omnibus honoretur.

2. Merui Resurrectionem, Quia *de torrente bibi: Propterea exalt. &c.* Iuxta Ps.

138. *Tu cognouisti Sessionem meam & Resurrectionem meam.*

3. Merui Ascensionem, Ioan. 3. *Nemo* enim *ascendit in cælum, nisi qui descendit.* Eph. 4. *Quid est quod ascendit, nisi Quia prius descendit?*

4. Merui exaltationem Nominis, ceu prædixit Isaias. c. 52. *Exaltabitur & eleuabitur, & sublimis erit valde.*

5. Merui Iudiciariam Potestatem. Iuxta Iob. c. 36. Vatem meum. *Causa tua tanquam impij iudicata est Causam, iudiciumque recipies.* Ioan. 5. *Neque enim Pater iudicat quemquam; sed omne Iudicium dedit Filio. Et Dedit illi iudicium facere, Quia Filius Hominis est.*

6. Merui Dominium omnium. Vnde testis meus fidelis: Rom. 3. *Christus in hoc mortuus est & resurrexit; vt viuorum & mortuorum dominetur.*

I nunc CALVINE, & percunctare Inst. l. 2. c. 17. §. 6. Quibus meritis *assequi potuit homo, vt Iudex esset mundi, Caput Angelorum, atque vt potiretur summo Dei Imperio?*

XXXV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI, Omnes, fideles & infideles, ac etiam reprobi Dominica sunt passione saluati; etsi propriâ nequitiâ condemnentur. Hesshusius limitat sic: *Liberati à diabolo sumus; at certe non redempti.*

LVTHERO-CALVINISTÆ. Tecta, aiunt, nõ sublata, sunt peccata. Vnde optima quæque opera nostra sunt spurcitiæ. Vide in meo *Luthero-calu. q. 59.*

CHRISTVS. 1. Verè de me dixit Baptista meus, Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, Ecce qui Tollit peccata mundi.*

2. Verè dixi de Magdalena, Luc. 7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.*

3. Et ego, Mat. 8. *Videns fidem illorum, dixi Paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Sic & Mat. 2. v. 5. Luc. 5. v. 20.

4. Verè Angelus, Mat. 1. *Vocabis nomen eius IESVS: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.*

5. Et iterum Ego resurgens, inquam: Luc. 24. *Sic oportebat Christum pati & resurgere, & prædicari in omnes gentes*, scilicet remissionem peccatorum. Vnde *Petrus*, Act. 2. *ait ad illos: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine IESV Christi, in remissionem peccatorum.* Sed nunquid & à Pœnis, Satanæque laqueis ac potestate vos ereptos asserui?

XXXVI. ANTICHRISTIANISMVS.

Luthero-caluinistis necessaria incumbit confessio & concessio pœnarum, peccatis debitarum; quod eæ scilicet; permanentibus culpis, etsi obtectis & non imputatis; item permaneant: sitque nostrî Redemptio à potestate diaboli talis, qualis Remissio peccatorum: scil. Imputatitia vtraque, non vera, non realis: Vt quos, non Filius, sed misericordia Patris PER Filium, non PROPTER Filium, liberarit. Vide in *Luthero-calu p. 1. q. 60.*

CHRISTVS. 1. Ego verò vocaui clamans, vocoque, Mat. 13. *Venite ad me omnes, qui laboratis*, culpis, *& onerati estis*, pœnarum debitis; *& ego reficiam vos* liberandos ab vtrisque. Ioan. 7. *Quia Totum hominem sanum feci.* Quò verius & iustius acclamatum à populo est, Mar. 7. *Bene Omnia fecit*; non partem solum remissionis ab culpis; sed & alteram Redemptionis à pœnis.

2. Luc. 13. *Ecce mulier, quæ habebat Spiritũ infirmitatis, & erat inclinata. &c.* Cui dixi: *Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. &c.* Stomachanti Archisynagogo dixi: *Hanc alligauit Satanas; & non oportuit solui etiam in Sabbato! Et erubescebant omnes aduer-*

aduersarij; & omnis populus gaudebat. Ita sanat animas Dominus à morbis peccatorum; & soluit à vinculis pœnarum.

3. Similiter, *Ioan.* 8. in adulterio deprehensam, ac pœnæ lapidationis obnoxiam, ab hac pariter ac ab illa liberaui.

Quod vni feci, omnibus feci; hocque amplius. Prout apud Isaiam. 53. prædictum: *Verè languores nostros* culparum, *ipse tulit; & dolores nostros* pœnarum *ipse portauit. Et huic omnes prophetæ testimonium perhibent,* ait Petrus Act. 10. *remissionem pecc. accipere. &c.* Col. 1. *In quo & habemus Redemptionem,* ab Angelo percutiente; *& remissionem peccatorum. &c.*

QVÆSTIO XVI.

Quatenus IESVS Christus Mediator sit DEI & Hominum?

XXXVII. ANTICHRISTIANISMVS.

STancariani Nestorianizant, tribuentes operaMediatoris soli Humanitati Christi: Quo duas in ChristoPersonas distinguunt. Nã opera sũ: personarum. Consule hic, quæ dicta sunt in meo *Luthero-cal. p.* 1. *q.* 22. *&* 59. 60. 61.

CHRISTVS. Meam scindere Hypostasin, inque duas distinguere personas; est negare Deum; ac inferre Quaternitatem Personarum in Diuinis. (Quo de nos suprà) Omnia verò Mediatoris opera soli homini adscribere; est Deum proscribere ab gloria redemptionis; vt qui ad eam nihil contulisset. Profanum vtrumque est, impium, ac blasphemum. (Huc repete testimonia suprà qq. 7. 8. 11. quibus, vt propria causæ, adde subiecta.)

1. *Ego, verbum carofactum,* Ioan. 1. *Sum,* Ioan. 14. *Via, Veritas, & vita; & nemo venit ad Patrem, nisi per me,* vnicum Mediatorem; hominem quidem, sed iustum, vnitumque Deo.

2. Proinde Ioan. 10. *Amen dico vobis, quia Ego sum ostium: Per me si quis introierit, saluabitur* per vnicum Mediatorem. *Ego animam meam pono pro ouibus meis,* id est, morior, quod meri hominis est. Nam, vt ait Aug. tract. 47. in Ioan. *Caro ponit animam suam, & caro iterum sumit eam: Non tamen sua Potestate caro: sed potestate inhabitantis carnem.* Idcirco ait l. 3. contra Maximum c. 14. *id vt homo loquitur.* Mori enim & resurgere hominis est, etsi diuinæ potestatis.

3. Adhæc postquam *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*; Vnus ego sum, *qui peccatum non feci*; sed *voluntatem Patris mei ego facio:* Atque idcirco, Matt. 3. Luc. 3. Mar. 11. *Ecce vox de coelis dicens: Hic est Filius meus Dilectus, in quo mihi complacui,* vt in Mediatore; quantum scil. in cæteris mortalium mihi displicebam. Qua de causa, Rom. 8. Deus *proprio Filio suo non pepercit*; *sed pro vobis omnibus tradidit illum,* vt Mediatorem & Satisfactorem: *quomodo non etiam cum Illo omnia vobis donauit?* Plura require in meo *Luthero-cal. p.* 1. *q.* 64. Et in *Genealogia. par.* 1. *quæst.* 18.

XXXVIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTAE Eutychianisant, & Arianizant. Vide *ibid. q.* 65. Dum enim Mediationis opera tribuunt hæc Humanitati, illa Diuinitati, aliter alia, naturarum cum Eutychete confusionem inducunt: Dumque passam, Patrique supplicem & Sacrificam Christi asserunt Diuinitatem, Arij sectam profitentur. Vide in *Lutherocal. p.* 1. *q.* 64. Et in *Geneal. Luthero cal. p.* 1. *q.* 18.

CHRISTVS. 1. Cùm *Ego & Pater vnum sumus*; vnum ipsi sibi nequit supplicare.

2. Cùm *Ego in Patre, & Pater in me sit*; idem sibi esse ipsi mediator haud valet: Quia, Ephes. 2. Gal. 3. *Mediator vnius non est; Deus autem vnus est.* Nefandè igitur Aut Vnus Deus scinditur in supplicem sacrificumque minorem alterum; Aut cum Deo confunditur Mediator & commiscetur. Quare quam parum Deus esse sibi Mediator potest; tam parum & opera Dei propria esse Mediatoria queunt.

3. Cum autem *Opera Diuinitatis sint indiuisa*, vt, quod vna Persona facit, idem peragat & altera, & tertia; idcirco Diuinitas Christi Mediatricem agere nequit, quin simul & Pater & Sp. Sanctus sui esse dicantur Mediatores. Quis autem mortalium; (quantò minus Deus?) sibi supplicat ipsi sacrificatue sibi? Quapropter, 1. Tim. 2. *Vnus Deus*, idemque Trinus; *Vnus & Mediator Dei & hominum*, sc. Vnigenitus Virginis vnitus vnigenito Patris, *Christus Iesus*, innocentiâ supra hominem; humanitate infra Deum; officio Mediator homines inter & Deum.

IV. DE CHRISTO GLORIOSO.

QVÆSTIO XVII.

Quis modus Dominicæ fuerit resurrectionis?

XXXIX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANIS VBIQVETARIIS nullus, nisi vbiquetarius inuisibiliter; at apparenter, ibi, vbi sese Dominus præbuit adspectandum.

2. Cæteris cum SMIDELINO Lutheranis, *Caro Christi seipsam excitasse credenda est.* Videin *Luthero-calu. p. 1 q. 66.*

3. CALVINISTIS verò *Seipsum in vitam reuocare non potuit: Patris opus opera*: item & *Angeli qui lapidem reuolueret.*

4. Effusum verò Sanguinem resumsisse Dominum, vesania est dicere.

5. *Sepulcro clauso* non magis, secusvè exiuit, quam *foribus clausis* intrauit ad Discipulos.

CHRISTVS. 1. Veram resurrectionem meã testati sunt Angeli Matt. 28. &c. *Surrexit, non est hic: Videte locum.* Et mulieres: *Dominus surrexit verè.* Et Ego, Ioan. 20. *Quia oportebat eum à mortuis resurgere.*

2. Vi propria resurrexi diuina; non carnis. Quia, Ioan. 6. *Spiritus est, qui Viuificat: Caro non prodest quicquam. Neque* tamen mea Rom. 4. *Caro vidit corruptionem.*

3. Neque etiam profusus Sanguis; iuxta Ps. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Pretioso sanguinis pretio quid Sanctius? Vt cui Deus sese vnierit semel, æternumque permansit eidem adeo hypostaticè Vnitus.

4. Vi mea ipsius Dei diuina surrexi: Quippe sic futurum prædixi. Ioan. 2. *Soluite Templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud.* Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me: Ego ponam eam, & iterum sumo eam.* Ego autem, & *Pater Vnum sumus*, & Vnus Deus verus. Act. 10. Me igitur *suscitauit DEVS tertia die, & dedit manifestum fieri.*

5. Ioan. 5. *Non legistis*, Exo. 3. *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum*, Luc. 20. *Sed viuen-*

viuentium. Qua causa: *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat: Sic & Filius, quos vult, viuificat. Nolite mirari hoc. &c.* Ioan. 11. *Ego sum Resurrectio & Vita; qui credit in me non morietur in æternum. Credis hoc?* Isa. 26. *Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere; quia Ros Lucis Ros tuus Christus IESVS.*

6. Sepulcro demum clauso exiui; Sicut & ex Vtero clauso; Et foribus clausis ad discipulos intraui; Et cœlos ascendens penetraui; Et aquis inambulaui; Et post resurrectionem cum discipulis manducaui; Ac in via, Emaunta vsque, de resurgente disputaui: &c. Omnia corpore vero; ceu incredulo Thomæ ac vniuersis demonstraui.

QVÆSTIO XVIII.

Qualis fuerit ascensio Christi?

XL. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI. Christus ter in cœlum ascendit, bis verè, in Conceptione & morte: imaginariè coram discipulis in monte. Quæ ascensio fuit solum Disparitio, & ne pilum latum a terra recessit.

CALVINISTÆ duo asserunt, 1. Christum non fuisse primum ascendentium.

2. Sanctos Patres diu antè incoluisse polos.

CHRISTVS: Omnes prophetæ prouiderunt; viderunt Ascensionem Apostoli, ac testati sunt. Vt Psaltes. 17. *Ascendit super Cherubim, volauit super pennas ventorum.* Psal. 46. *Ascendit in iubilo.*

2. Et primus quidem, Micheæ 2. *Ascendit pandens iter ante eos.* Isa. 63. *Ille formosus in stola sua, gradiēs in multitudine fortitudinis suæ.* Namque Ioan. 3. *Nemo in cœlum ascendit* primus, *nisi qui descendit de cœlo.*

3. Verè ascendi, non imaginariè; Sicut prædixi; Ioan. 6. *Cum videritis Filium hominis* Hominem localem, mobilem, *ascendentem vbi erat prius* secundum Diuinitatem immobilis, illocalis. Et quidem Act. 1. *VIDENTIBVS illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.*

4. Ad hæc ex terris & humanis abiit ad Patrem meum, & Patrem vestrum; sicut *expediebat vobis, vt irem*: Ioan. 16. *Nisi enim abissem Paraclytus ad vos non veniret.* Itaque meus Lucas c. 24. rem dixit: *Cùm benediceret illis, recessit ab eis* personaliter, *& ferebatur in cœlum* propria virtute diuina. Simul, Eph. 4. *Ascendens in altum captiuam duxi captiuitatem, & dedi dona hominibus* septiformis Spiritus promissi. Quare sanctè monet Vas meum electionis, Heb. 4. *Habentes ergo Pontificem magnum; qui penetrauit cœlos, IESVM Filium Dei, teneamus confessionem spei nostræ.*

5. Et verò quia super omnes eram, super omnia quoque me ferri oportuit; vt *omne genu mihi flecteretur etiam Cœlestium; & sub me incuruarentur, qui portant orbem.* Vnde Vates: *Ascendit super Cherubim,* Eph. 4. *Ascendit super omnes cœlos.* Heb. 7. *Excelsior cœlis factus: Eleuatus* ad *omne quod est & dicitur Deus.* Atque ita conuexum Empyrei *cœlum*, Act. 7. *mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.*

Demum sanctè meus Augustinus li. de fide & Symb. c. 6. ita docet. *Credimus Christum in cœlos ascendisse. Sed Vbi, & Quo modo sit in cœlo Corpus Dominicum, curio-*

sissimum, & superuacaneum est quærere. Tantummodo in cœlo esse credendum est. Non enim fragilitatis est nostræ, cœlorum secreta discutere: sed est nostræ Fidei, de Dominici Corporis dignitate sublimia & honesta sapere. Quare & vobis, ait idem in Psal. 85. 122. *affectus pietatis esse gradus ascensionis debent.* Plura vide in meo *Luthero.cal.p.1.q.* 67.68.

QVÆSTIO XIX.

Sessio Christi ad Dexteram Dei qualis?

XLI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI aiunt: Sedet ad Dexteram Dei. id est. Diuinitatem suæ Humanitati communicauit, hoc est, eam Deificauit, vt cum Deo Dea regnet Vbique & sit.

CALVINISTÆ addunt pro explicatione:

1. Sic creatura esse desiit;

2. Attamen sedet in secundo gradu, Vicarius Dei Rex:

3. Et ita constrictus, vt nusquam se mouere queat:

4. Sed non diutius, nisi vsque ad extremi iudicij diem.

5. Si que talis in terris degeret; prodesset nemini.

CHRISTVS. Infanda hic multa, & pijs abhorrescenda auribus, & indigna Deo. Verè Iob. 37. de Me & istis: *Super omnes cœlos ipse considerat. Tu forsan*, Luthero-caluinista, *cum eo fabricatus es cœlos? Etiamsi locutus fuerit homo, deuorabitur. At nunc non vident lucem. A Deo formidolosa laudatio! Dignè eum inuenire non possumus. Magnus fortitudine, & Iudicio, & Iustitia, & enarrari nō potest. Ideo timebunt eū viri, & non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes.* Nam, Prou. 15. *Qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria.* Raptus in tertium cælum, 2. Cor. 12. vidit & audiuit, *quæ non licet homini loqui.*

1. Stephanus tamen verè clamauit, Act. 7. *Ecce video cœlos apertos, & IESVM stantem à dexteris Dei.* Sto, auxiliator agonizantium; Sedeo, Dominator & Iudex omnium: vt bene Ambrosius l. 3. de fide: *Christus stat, vt eius Benignitas ostendatur: Sedet, vt eius Autoritas commendetur.*

2. Sicut Isaias, c. 6. præuidit, sic & Michæas, 3. Reg. 22. *Vidi Dominum sedentem super Solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dexteris & à sinistris.* Ita Pater meus: Ita & Ego: teste ad Eph. 1. *Suscitans illum*, me, *a mortuis, & constituens ad dexteram suam, in cœlestibus super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne Nomen, quod nominatur; non solum in hoc sæculo sed & in futuro; & omnia subiecit sub pedibus eius.*

3. Vnde meum solius est proprium sic ibi sedere. Hebr. 1. *Ad quem enim Angelorum*, (qui tamen creaturarum nobilissimi sunt) *dixit aliquando: Sede à Dextris meis*: At mihi homini ita meritissimo dixit. Quin etiam, Ibid. *Cum introducit Primogenitum, dixit, Vt adorent eum omnes Angeli Dei.*

4. Hinc is, quem diligebam, testatur, Apoc. 5. *Omnes audiui dicentes Sedenti in Throno, & Agno; Benedictio, & honor, & potestas in sæcula sæculorum. &c.* Et ne dubio sit locus, addit. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & Diuinitatē*; id est, acceptam in Incarnatione nunc post Ascensionem manifestare. Qua causa

causa impense precabatur Psaltes. 79. *Qui sedes SVPER Cherubim, manifestare coram Ephraim. &c.*

Totũ illud sedere meum complexus edixit Aug. l.2. de Symb.c.7. *Sedere ad dexteram Patris est; simul cum Patre habere,*

1. *Gloriam Diuinitatis,*
2. *Et Beatitudinis statum.*
3. *Atque Iudiciariam, Regalemque potestatem:*
4. *Et hoc immutabiliter.*

5. Nihilominus tamen, Mat. 25. *Electi stabunt à dexteris.* Quin & sedebunt Apoc.3. *Qui vicerit, dabo ei Sedere mecum in Throno;* (nõ ideo tamen Deificãdos:) *sicut & Ego vici, &,* homo non Deificatus, *Sedi cum Patre meo in Throno eius.* Ita promisi, Luc.22. *Vt sedeatis super thronos, iudicantes XII. tribus Israel.* Quocirca, Col.3. *Quæ sursum sunt, quærite: vbi Christus est in Dextera Dei sedens.*

6. Denique, Act. 1. *Sicut vidistis eum euntẽ in cœlũ, sic veniet, Homo Deus Christus IESVS heri & hodie, & in sæcula Deus:* Hebr.13. Et quidem necessitate voluntatis propriæ, non vlla coactionis Act. 3. *Necesse est, vsque ad tempus restitutionis omnium,* in cœlo permanere; scilicet, Ps. 109. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum,* occiso Antichristo. Neque ita permanere necesse est, vt nusquam me commouere queam; descendo etiam in terras fidelibus in τὸν ἄρτον ἐπερούσιον, in escam & potum. Quin, 1. Cor. 15. *Nouissimè autem visus est & mihi,* testatur Apostolus, corporali visione & præsentia. Cui meus ideo Legatus Ananias dixit: *Deus præordinauit te, vt videres Iustum, & audires vocem ex ore eius.* 1. Cor.9. *Nonne IESVM Dominum nostrum vidi?* Et iterum in Templo Ierosolymis assistens ei, monui: Act.22. & 23. *Constans esto.* Sic Petro apparui Romæ, percunctanti: *Domine, quo vadis?* teste Ambr. ep. 32. &c. Item & Polycarpò, dicens: *Paratus sum iterum pro hominibus saluandis pati:* teste Dionysio ep.8. &c. Vide Bayum l. 1. Inst. Christianarum ca. 252. Vide & meum *Luthero-cal. p. 1. q. 69.*

QVÆSTIO XX.

An Christus Iudex sit omnium, & Caput Angelorum?

XLII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANIS Iudex is, quem scelerum peragunt omnium reum?

CALVINIANIS multò minus; præsertim Caluino pronuncianti: *Qui Christum per merita consecutum existimant, vt Iudex sit mundi; Temerarij sunt.* Vide in meo *Luthero-caluin. p. 1. q. 70.*

CHRISTVS. Ego dixi, Ioan. 5. *Pater non iudicat quemquam; sed omne iudicium dedit Filio; Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.*

Et id quidem qua Deus sum vnus cum Patre & Spiritu S. verum etiam qua Homo factus sum, adieci: *Et potestatem dedit ei Iudicium facere, Quia Filius Hominis est.* Non quidem propter conditionem naturæ humanæ, aduertit *Aug. tract. 19. in Ioan.* sic enim omnes homines parem eam potestatem haberent: Sed meo proprio merito: teste Iob. 36. *Causa quasi impij iudicata est; iudicium causamque recipies.*

2. Dixi etiam Mat. 24. *Tunc parebit signum Filij hominis in cœlo, & plangent, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & Majestate.*

3. Dixi iniquo Iudici, Mat. 26. *Amodo videbitis Filium hominis Sedentem à dextris virtutis Dei; & venientem in nubibus cæli.* Iuxta meorum vocem Angelorum, Act. 1. *Hic IESVS, qui assumptus est à vobis in cælum; sic Veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Iuxta testem Apostolum, 1. Thess. 4. *Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo.* Rom. 14. *Omnes enim stabimus ante Tribunal Christi, &* 1. Cor. 5. *manifestari oportet, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit. &c.*

Causa est, Quia, Apoc. 3. *Ego vici, & sedi in regno Patris mei.* Rom. 14. *In hoc enim mortuus est, & resurrexit*, ait de me Apostolus, *vt mortuorum & viuorum dominetur.* Quare sic concludit idem Ro. 8. *Quis est, qui condemnet? Christus IESVS qui mortuus est, qui & resurrexit, & est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Hi omnes Temerarij erunt Caluino.

XLIII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS In meo Luthero-cal. q. 70. *Qui Christum per merita consecutum existimant, vt sit caput Angelorum, Temerarij sunt.* Quantò minus Caput Ecclesiæ ipsum prædicabit?

LVTHERANORVM aliqui negant quicquã sibi Christum meruisse. Vide in meo *Luthero-cal. q. 58.*

CHRISTVS. 1. Innumeris & factis, & vijs, modisque comprobaui dictum illud Apostoli, Eph. 1. *Ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam.* Vnde confitetur de me Ioannes. ca. 1. *De plenitudine eius accepimus omnes*, vt membra de Capite; Vtque Rom. 8. *Primogenitus sim in multis fratribus*; Pater meus *prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Ideo, Gal. 3. ipse dicor, *qui tribuit vobis spiritũ*: Phil. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum Corpori claritatis suæ.* Inde etiam 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur; sic in Christo omnes viuificabuntur.* Denique Ioan. 10. *Ego sum Pastor bonus, &c. Vt sit vnus Pastor & vnum Ouile.*

2. De Angelis verò pronunciatum est, de Me Colos. 2. *Qui est Caput omnis Principatus & Potestatis*: parque ratio cęterorum est Ordinum angelicorum. Idcirco Mat. 4. *Accesserunt Angeli, & ministrabant mihi.*

V. DE SANCTORVM CVLTV.

QVÆSTIO XXI.

Sancti num in cælis sint beati?

XLIV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ Sanctis beatam Dei visionem abnegare nil ambigunt; vt quos sub altari (quasi velo nondum scisso, q altare aureum & Arcam diuidebat) ad vsque sæculi consummationem sistitare oporteat. Vide meum *Luthero-cal. p. 1. q. 73.*

CHRISTVS. Ego Veritas dixi latroni, Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso*; Non illo quidem Adami, *Gen. 2. & 3.* sed in altero, atque etiam beatiore, quã in quem rapui Paulum, 2. *Cor.* 12. supra tertium cœlum. Et hic paradisus beatorum est *Regnum meum*, pro quo rogabat latro iustus, dicens; *Memento mei, quando veneris in Regnum tuum*, scilicet *cœlorum*, vt bene Theophylactus & Ambrosius exposuerunt.

Hoc

Hoc in regno *gaudent animæ Sanctorum, & sequuntur Agnum, quocunque ierit*: Et vel è Lymbome secuti sunt SS. Patres; meæ Diuinitatis & Visione & Fruitione Beati. *Qui* autem *me videt; videt & Patrem meum.* Iamque Tum, *Hodie* vidit me latro, videbitque sempiternum, *in quem desiderant Angeli prospicere*; Non quod conspectu meo careat; sed quòd eo insatiabiliter exsatiati eum magis magisque desiderent in infinitum.

2. Quò, Eccl. 11. facilius *est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas*: id quod in spe beatitudinis fiebat in veteri Test. at in Nouo reipsa, Nam ibid. *In fine hominis denudatio operum eius.*

3. Vnde meus inquit, 2. Cor. 5. *Scimus; quia, si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur; ædificationem ex Deo habemus, Domum non manufactam, æternam in cælis. &c. Vt absorbeatur, quod mortale est, à vita.* Et ego dixi, Ioan. 14. *In Domo* cœlesti *Patris mei mansiones multæ sunt.* &c. *Et vado eas parare vobis.*

4. Dixi Ioan. 12. *Si quis mihi ministrat, me sequatur; & vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Hocque amplius: *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.*

5. Huc adspirabat votum dicentis: Heb. 9. *Cupio dissolui, & esse cum Christo*: Non sub altari, non in cœli atrio; sed in adito meo clauso, *vbi pueri mei mecum sunt in cubili*, Luc. 11. Vbi ego præcinctus ministro illis omne beatitatis delitium.

6. Id quod graphicè depingitur istis: Heb. 12. *Non accessistis ad montem Sion. &c.* fumosum; *sed ad Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & spiritus iustorum. &c.*

7. Non sic olim, Hebr. 9. *adhuc priore tabernaculo habente statum, propalata erit Sanctorũ via*; ceu nũc per Me propalata est. Per quam & Stephanus, Act. 7. *vidit apertos cælos, & Me stantem à dexteris Dei. Vidit & orauit: Domine Iesu suscipe Spiritum meum*: & exauditus est pro reuerentia sua: Sicut & Ego simili in agone.

8. Denique Apocalypsis plena est visorum in cœlis cum Agno, cũ Deo, Sanctorum, Apoc. 6. 7. *qui amicti stolis albis sunt ante Thronum Dei, & seruunt ei die & nocte in Templo eius*: non in atrio, aut sub Altari.

QVÆSTIO XXII.

An Sancti sanctè Coli, Inuocarique possint?

XLV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI iuxta & CALVINIANI inclytos fama, virtute, miraculis & vitæ sanctimoniâ viros haud ferunt *Sanctos* appellari, ab Ecclesia verò declarari tales, colique fremunt ac frendent. Vide prolixè in *Luthero-calu. par. 1. quæst. 74.*

CHRISTVS. Declarare Sanctos, præsertim vitâ sanctè institutâ, beatequè perfunctos; fas, dignum, perutile, ac necessarium est.

1. Sic ego declaraui vtrumque Lazarum, vt viuere desierunt: Mendicum quidem, Luc. 16. *Qui mortuus est, & portabatur in sinum Abrahæ.* Magdaleum verò dicens, Ioan. 11. *Lazarus Amicus noster dormit: sed vado excitare eum.*

2. Similiter, Ioan. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ dixi. &c.* Quisquis sic: Ami-

Amicus Dei constituitur, Sanctus idē declaratur. Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* Amicitia, *& innumerabilis honestas &c. Infinitus enim thesaurus est hominibus; quo qui vsi sunt, participes facti sunt Amicitiæ Dei, propter Disciplinæ dona commendati.*

3. Sic & per Angelum, Sanctam declaraui Mariam *Gratiâ plenam.* &c. Item ipse Baptistam esse *plus quam Heliam.*

4. Sic per Lucam testatus sum, & Sanctum declaratum volui Stephanum, Petrum, Paulum. &c. Quò sanctius iussit Psaltes. 150. *Laudate Dominum in Sanctis eius.* Vide in *Genealog. p. 1. q. 20.* Sat de Cultu: porro de Inuocatione.

XLVII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ communiter fingunt:

1. Orari à nobis Sanctos, vt autores largitoresque gratiarum & gloriæ.

2. Vt immediatos ad Deum Mediatores in Christi iniuriam.

3. Forte eos generatim orare pro Ecclesia:

4. Singulatim verò pro nemine.

5. Proinde inuocari eos Inutiliter ac Illicitè. Vide in *Luthero-cal. q. 76.*

CHRISTVS. Singula isthæc expresso meo contraria Verbo, etiam Scripto, militant.

I. Ego sum: de quo Ps. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Ps. 120. *Auxilium meum à Domino.* Quò verius Iacobus c. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.*

II. Per me est omne bonum, ita merentem à Patre. Vnde Col. 1. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare; & per Eum reconciliare omnia. &c.* Item, 1. Ioa. 1. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. &c. & totius mundi.* Atque ipse dixi vobis: Quia, Ioa. 10. *Ego sum via, veritas, & vita;* Idcirco Ioan. 14. *Nemo venit ad Patrē, nisi per Me.* Ego ideo docui, Ioan. 16. *Petite in Nomine meo.* Vnde dicor, 1. *Tim.* 2. *&* 1. *Ioan.* 2. Aduocatus vester apud Patrem. Quare *Per me Reges regnant:* Per me Sancti orati orant, & mea fidelibus applicati merita impetrant.

III. Neque *Fortè*, neque *Generatim* solùm, interpellant per Me apud Deum.

1. Verè enim dixit 2. Petrus. 1. *Dabo operam & frequenter habere vos* commendatos *post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.*

2. Vel ipse diues in gehenna pro fratribus supplicabat Abrahæ, *Luc.* 16. quantò magis Sancti mei, quorumcunque voluerint supplicū, meminisse supplices queunt?

3. Hinc, *Apoc.* 5. XXIV. Seniores visi procidere coram Throno meo & Agno, aureasque effundere precum phialas.

4. Et verò etiam *Apoc.* 6. Martyrum animæ petunt vindictam de persecutoribus Ecclesiæ: quantò magis Misericordiam pro Fratribus?

5 Demum in Scripturis doceo passim Communionem esse Sanctorum vtriusque Triumphantis & Militantis Ecclesiæ, cuius Ego Caput sum, *Eph.* 2. *&* 4. *Gal.* 4. *Hebr.* 12. *Rom.* 12. 1. *Cor.* 12. Orant igitur certo: non fortè: generatim quoque.

IV. Quin & *Singulatim* orant Sancti, pro quoque Fidelium ritè inuocati, nō minus quam Phylacangeli mei. Sic ipse promisi, Apoc. 2. *Qui vicerit, & custodierit*

rit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea: Meo sc. exemplo. Apoc. 3. *Qui vicerit, faciam illum Columnam in Templo meo. &c. Dabo ei sedere mecum in Throno meo: sicut & Ego vici, & sedi cum Patre meo.* At ego tam singulorū res ac vota procuro, quam vniuersorum: Ita & Sancti mei mecum. Facessant igitur eos incessere profani.

V. Pie & vtiliter inuocari Sanctos, meus indicat Iob. 5. *Voca, si quis est, qui tibi respondeat & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Et ipse ad Angelos clamabat, c. 19. *Miseremini mei vos saltem Amici mei.* Ideo, c. 33. inquit: *Si fuerit Angelus loquens pro te, vnus de millibus miserebitur eius, & dicet: Libera eum.* Pium erat votum & precatio Iacob, Gen. 48. *Inuocetur nomen Meum super pueros hos, & nomina Patrum meorum.*

Dicvnt Cacozelotæ, Christum per alios potius, quam sine alijs solum ipsūmet rogari; esse mihi iniuriam irrogari.

Ego verò dictum hoc, maledictum duco, ad insignem iniuriam meam.

1. Siccine, quem honorem mihi Centurio fecit, cum per seni ores me supplex adibat, *Luc.* 7. Isti ad iniuriam meam verterint?

2. Nimis ingrati interpretes, & iniqui! 2. Paulus, *Rom.* 15. ad iniuriam meam pro se apud me deprecationes fieri à Fidelibus postulasset?

3. Minus Sancti mei possent in cęlis; quam in terris Moyses, qui meritò gloriabatur, Deut. 5. *Ego Sequester & medius fui inter Dominum, & vos?* Meæ mihi Mediatura manet nihilo minus integra: nihil ei derogant, quin arrogant illi Submediatores mei. Horum ego rogatu, Heb. 7. *accedo per memetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro vobis.*

Sed vide quemadmodum agant mecum pseudoxani: Iam negant me adorari oportere; *suprà q.* 11.

Mox queruntur, Inuocatis Sanctis intercessoribus, honori meo derogari: Rursus volunt meam etiam Humanitatem versam in Deum, ac deificatam esse: *suprà q.* 6. 9. Iterumque negant me verè Deum Dei Filium vnum cum Patre, & æqualem Patri credi debere, *sup. q.* 11. Qui talia in Magistrum; quæ non in Discipulos eius audebunt? Quo mirandum minus; quod veros Mei, Sanctorumque adoratores culpent vt idolatras: vt ij videantur, qui non sunt, veri Adoratores.

QVÆSTIO XXIII.

An Sanctorum RELIQVIAE sint veneranda?

XLVII. ANTICHRISTIANISMVS.

Lvthero-Calvinistae Sacras reliquias abolendas censent, vt ossa profana, & seductiones plebis. Vide in mea *Geneal. p. 1. q.* 22. & in *Luthero-calu. p. 1. q.* 78.

CHRISTVS. I. Hæmorrhoissæ, *Mat.* 9. & turbæ ægrorum, *Mat.* 14. vestis meę fimbriam tetigisse reuerenter, saluti fuit: idemque per mihi gratum, vt factum miraculi dignitate voluerim commendatum.

II. Deinde quia promisi, Ioan. 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet; & maiora horum faciet:* idcirco vel

vmbra Petri, *Act.* 5. quos tangebat, ægros persanabat in plateas expositos. Pauli quoque sudaria & semicinctia, *Act.* 19. ad ægros delata tactu sanitates faciebant.

III. Meum verò *Sepulcrum*, tum aliis ab causis, tum reliquiarũ Sanctitate ac veneratione *gloriosum* fore prædixit vetè Isaias, *c.* 11. Id quod sic rectè interpretatus & expertus est S. Hieronymus; qui gloriam sepulcri Dominici sat admirari, venerarique nequibat.

IV. Quod si honorem istum Sanctorum ossibus debitè liciteq; exhibitum voluit Deus in Veteri Testamẽto: quãto iustius ille defertur meorum Amicorum reliquijs in Testamento gratiæ?

1. Merito suo laudatur Moyses; quòd *Exod.* 13. secum ossa Iosephi exportarit in locum terræ sanctę digniorem: Qualis hodie Sanctorum translatio ratione multò iustiore frequentatur in honorem meum, Patrisq; gloriã insignioręm.

2. Quin Deus ipse Moysis sui reliquias honorauit sic, vt in secretiorem eas tumulum inferret. *Deut. vlt.*

3. Mortuos suscitare, solius Dei est; cui verò eandem donarit gratiam Deus, permagni honoris est argumentum. Atqui eo Deus, 4. *Reg.* 13. ossa Helisæi fuit dignatus, ad mortui suscitationem solo tactu fortuito procuratam.

4. Rex Iosias Idololatratum fana, & sepulcra euastabat, ossibus in cineres redactis; At solas prophetę sãcti reliquias sanctè iussit asseruari. 4. *Reg.* 23.

Quò detestabilior blasphemia est Lutheri in l. de abolenda Missa: *Deo*, aiebat, *nihilo maior cura est de Sepulcro suo, quam de bobus.*

QVÆSTIO XXIV.

Sanctorum IMAGINES an, & quatenus sint venerandæ?

XLIX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI ægrè, CALVINIANI minimè vel tolerandas esse volunt: Neutri verò vel tantillum venerandas pernegant, quin & omnem earum cultum detestantur. Docui in meo *Lutherocalu. p. 1. q. 70. Mendace Antipap. p. 1. q. 7. & in Genealog. p. 1. q. 24.*

CHRISTVS. Sacri sacris debentur honores. Religionem autem rebus facit aut sua ipsarum conditio sacra, vt est Verbum Dei, & S. Sacramenta; aut institutio autoritasque virorum sacrorum, & finis rerum: vt imagines meæ atque Sanctorum.

1. Hisce Signis quia reuerentia Christi ac Cœlitum proponitur; ijsdem religiosa quoque reuerentia debetur, quæ in rem significatam ritè referatur. Sicut præcepi, Mat. 5. *Nolite iurare per Cœlum*, temerè; *quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum eius.*

Sanctè iurare licet, quia actus religionis est, Deo primariò debitus, secundariò terræ vel cœlo, vt Dei creaturis, quatenus relationem habent ad Deum. Sic & cum sacris imaginibus res habet.

2. Quod si creaturæ censentur Sanctæ ob relationem suam ad res sacras, quibus adhibentur: Vt Exod. 3. *Locus, in quo stas, terra sancta est*, ob Angeli sc. præsentiam. Vt Exo. 12. *Dies Paschæ sancta & venerabilis erit*, ob significationem Agni. Exod. 28. Vestes sanctæ Sacerdotum;

Isa.

Isa. 11. *Sepulcrum meum erit gloriosum*: 2. Tim. 3. *Ab infantia Sacras Literas nosti.* Sacræ, quia signa rerum sunt sacrarum. Ita iustus iubetur, *vt* Phil. 2. *in Nomine IESV omne genu flectatur.* Quid est igitur cur Sacrę imagines minus honorentur; cum æquè rerum sint Sacrarum signa?

3. Ideo, saluo Decalogo, *Exod.* 25. Cherubini supra Propitiatorium honorierant: Et serpens æneus, *Num.* 21. Quæ rectè huc interpretantur S. Hieronymus *ep. ad Marcellam*, & S. Aug. *l.* 3. *Trin. c.* 10. Itaque Ps. 95. *Adorate scabellum pedum eius*: hac enim humilitate Ipse Deus adoratur: ita quoque in iconibus ad ipsius ac Sanctorum honorem institutis.

QVÆSTIO XXV.

An CRVX sit veneranda?

I. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHEROCALVINISTÆ nec crucem ferunt Christi, neque cultum eiusdem. Patet in mea *Genealog. p.* 1. *q.* 25. & *in Luthero-caluin. par.* 1. *q.* 82.

CHRISTVS. Tria blasphemant inimici Crucis meæ: Lignum, Signũque Crucis Permanens, ac Transiens, & debitum illis honorem sacrum abnegant: sed suopte, sectatorumque malo.

I. LIGNVM S. CRVCIS ipsum venerandum est optimo cuique:

1. Quia illud ego elegi, dicens, Ioa. 10. In hoc *ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me.* Quippe, Isa. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Act. 3. *Deus, qui prænunciauit per os omnium prophetarum pati Christum suum, impleuit SIC.*

2. Quia Crux ea fuit Ara meâ; & Ego Sacrificium ac Victima, Colos. 1. Hebr. 7. *Pacificans per Sanguinem Crucis* omnia. In cuius typum Iacob, *Gen.* 20. erexit lapidem, vnxit, & vocauit Domum Dei.

3. Quia Crux ea fuit Scala mea ad regnum. Vnde dixi Ioan. 12. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras: & Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum,* Ideo Phil. *Humiliauit memetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.*

4. Quia Crux ea fuit Redemptionis innocuum instrumentum, & lectulus quietis meæ, ceu Figuræ prænotarunt, quas collegit Damasc. l. 4. de fide. c. 12. Vt Lignum vitæ, *Gen.* 2. Arca lignea, domum Noe seruans, *Gen.* 8. Virga Moysis, *Exo.* 14. mare aperiens. Lignum, *Exod.* 15. dulcorans aquas. Serpens æneus, *Gen.* 18. exltatus. Ioa. 3. *Sicut exaltauit Moyses. &c.* Vnde Gal. 6. *Vos igitur gloriari oportet in cruce Domini nostri IESV Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio.*

5. Quia Cruce diabolum vici, ac triumphaui. Quò rectius de me, Gal. 6. *Chirographum decreti quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus & potestates traduxit palam confidenter, triumphans illos in semetipso*: vel ἐν αὐτῷ sc. τῷ σταυρῷ, iuxta Orig. hom. 8. in Iosuen & Theoph.

II. SIGNVM PERMANENS S. Crucis quodcunque venerabile est: vt de quo dixi, Mat. 24. *Tunc apparebit Signum Filij hominis in cælo.* Id quod Caluinus, Musculus, Marloratus, negant de cruce accipiendum: At contra S. Patres Orig. Chrys. Hier. Hilar. &c. Cùm itaque sit

Signum Meum, ac Vexillum Christi; Cùm locari cælo dignum: Cùm, vt ait *Aug serm.*130. Angelorum manibus sit præferendum Iudici: Cùm sole clarius relucebit, vt sol & stellę sint inde obscurandæ, *Mat.* 24. planè omni honore dignandum S. Crucis signum est.

III. SIGNVM TRANSIENS S. crucis religiosa cum & Reuerentia & Frequentia vsurpandum est. Sic ostēdi Ioanni meo, Apoc. 14 *Habentes Nomen meum, & Nomen Patris mei in frontibus suis.* Vnde clamabant ij, Apoc. 7. *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus; quousque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Sicut *Ezech.* 9. signum Tau iubetur in frontibus gementium describi. Neque aliud sanguis agni; *Exo.*12. in postibus domorum denotabat, quam crucis signum in frontibus fidelium. Plura in meo *Luthero-calu. p.*1. *q.*82.

QVÆSTIO XXVI.

An DEVS, & Sancti rectè colantur TEMPLIS?

II. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERO-CALVINISTÆ præter Concionum & Sacramentorum Ministerium, vix aliud quicquam tribuunt templis: at in quæ debacchantur, sunt plura.

1. Quæcunque loca seruire diuinis.
2. Non sacrificijs templa deberi:
3. Non precibus:
4. Non Sanctis.

CHRISTVS. I. Templa! quin & Situm horum ad Orientem amo, voloque.

1. Huc enim verti orantes Me versus iubeo, iuxta Nomen meum, Zach. 6. *Vir Oriens Nomen eius.* Ideo namq; Ioan. 8. *Ego sum LVX mundi; quæ illuminat omnem hominem*, Ioan. 1. à meo *Patre luminum* vnde ad orantes *descendit omne bonum.*

2. Ideo sic orari docui, Matt. 5. *Pater noster qui es in cælis*: Qui ab Oriente moueri incipiunt, plaga omnium nobilissima; Vbi ego *sedeo à dextris Patris.* Vnde à Me, ceu Sole iustitiæ, *veros adoratores in spiritu & veritate* oportet illustrari.

3. Templum mihi locus voluptatis est & Paradisus. Atqui verò, Gen. 2. *Plantauerat Deus Paradisum à principio ad Orientalem plagam,* κατὰ ἀνατολὰς: anterior enim pars orbis est Oriens. *Gen.* 4. Huc versi comprecentur, qui se per egrinos & exules ad patriam adspirare profitentur: ait Greg. Nyssenus.

4. Hic ego votis iustorum requirendus sum, quò ascendi. Atqui, Ps. 67. *Ascendit in cælum cælorum ad Orientem.* Atque indidem reueniam ad Iudicium: Matt. 24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem: ita erit Aduentus Filij hominis.*

5. Quòd si cordi mihi sit templorum situs; quanto magis ipsa templa volo? Ideo dixi, Mat. 21. *Domus mea domus orationis vocabitur.*

Quocirca Ioan. 2. *Auferte ista hinc* profana hæreticorum dogmata omnia, *& nolite facere Domum Patris mei domum negotiationis.*

II. VERBI DIVINI & Sacramentorum administrationi rectè instituuntur Ecclesiæ.

1. Exēplo mei, etsi varijs in locis prædicare solitus; præsertim tamen, Mat. 26. *quotidie apud vos sedebam docens in Tē-*

plo.

plo. Ioan. 18. *Ego palam locutus sum mundo; Ego semper docui in Synagoga & Templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil.*

2. Similiter *& Apostolos iussit Angelus: Act. 5. Ite, & stantes in templo loquimini plebi omnia verba vitæ huius.* &c. Ita Act. 13. Paulus & Barnabas ad prædicãdum missi intrant in Synagogam. &c.

3. Ita primitiua Ecclesia sacras Ædes à priuatis domibus habuit distinctas. 1. Cor. 11. *Nunquid domos non habetis ad mand. & bib., aut Ecclesiam Dei contemnitis?* 1. Cor. 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant: si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.*

III. Sacrificiis patrandis Mihi Tẽplà ritè dedicantur; vt quæ sacris aris propria sint domicilia; Aræ autem solis seruiant Sacrificijs; adeo vt ab Aris Tẽpla venerationem titulumque sibi inueniant. Quantus autem cunque Altarium sit numerus, vnus tamen eorum omnium sum Dominus solus Deus verus: in quo omnes Aræ sunt vna; sicut & Sacrificiũ vnum est, quoties illudcunque repetitũ ritè patretur. Vnde Heb. 13. *Habemus ALTARE, de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deseruiunt.* Et 1. Cor. 10. *Non potestis Mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum participes esse.*

IV. Orationis quà publicis, quà priuatis Ædes sacræ religiosè destinantur.

1. Quia, Mat. 21. ex Isa. 56. *Domus mea Domus orationis vocabitur.* Veluti & Salomon orabat, 3. *Reg.* 8. *&* 2. *Paral.* 6. vt Deus fundendas in Templo preces exaudiret: Et vero sic facturum sese promisit Deus 3. *Reg.* 9. Atque reipsa præstitit, Annæ, 1. *Reg.* 1. ante Tabernaculum precanti; Dauid, 2. *Reg.* 7. Daniel, à Templo procul in Babylone, versus hoc tamen orabat. *Dan.* 6. Luc. 2. *Annæ nõ discedebat de Tẽplo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die.* Luc. 18. Publicanus ascendebat ad orandum. Petrus & Ioannes, Act. 3. *ascendebãt in Templum ad horam orationis Nonam.* Eunuchus, *Act.* 8, venit adorare in Ierusalem. Vide meũ *Luthero calu. pa.* 1. *q.* 82. & in *Gencal. par.* 1. *q.* 26.

QVÆSTIO XXVII.

An sit tolerabilis Templorum Dedicatio, & Ornatus?

LII. ANTICHRISTIANISMVS.

Lvthero-Calvinistæ. Dedicatio templorum est κακοζηλία Iudæorum.

2. Ceremoniæ dedicatoriæ sũt quasi magicæ.

3. Sanctificari templum impiè creditur.

CHRISTVS I. Equidem scriptam dictare vnquam Legem volui de Templis Deo inaugurandis; eo quod legem ipsi naturæ impressissem.

1. Vnde, nulla Dei iussione sed ex seipso, ab Natura instinctus Moyses, *Num.* 7. consecrauit Tabernaculum ac aram: Templum primitus. 2. *Paral.* 7. Salomon: Secundò Esdras *l.* 1. *c.* 6. Tertiò Machabæus *lib.* 1. *cap.* 4. Quas inaugurationes annuas ipse mea præsentiæ cohonestaui. *Ioan.* 10.

2. Eadem quoque Magistrâ Natura Deo grati festa agamus gaudia post grandis operis perfectionem.

3. Quin ipse Deus, orbe condito, in signum quasi lętitiæ, diei septimæ benedixit, eamque æternum voluit sanctificatam.

4. Quò sanctior Vsus ille perpetuus cõsecrandi in populo Dei perstitit, hodie vniuersalis persistit, Ecclesiâ meâ ita sanciente per Felicem IV. ante 1000. annos: *Solennitates dedicationum per singulos annos celebrandæ sunt.* Malè igitur vt κακοζηλία culpatur iudaica, quod ex ipsa haustum est natura.

II. Ceremoniæ Consecrationis piæ sunt, non superstitiosæ. Stat pro ijs in lege naturæ Iacob *Gen.* 28. qui erexit lapidem sacrificaturus; eum consecrauit fundens oleum desuper; locumque appellauit Bethel, id est, domum Dei. Nulla hic magiæ suspicio. In statu legis, *Exo.* 40. *Num.* 7. Moyses sanctè egit Tabernaculum consecrando. In euangelij æuo feliciore clarè docet meus Apostolus, 1. *Cor.* 11. ecclesias sacris vsibus solis destinatas esse, velut profanis ædes priuatæ.

III. Effectvs consecrationis recte creditur, & est Sanctificatio.

1. Nam Leuit. vlt. *Quicquid semel fuerit consecratum Domino, Sanctũ Sanctorum erit.* Quocirca Matt. 23. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicunque iurauerit per Tẽplum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti, & cæci: quid enim maius est, aurum, an Templum, quod sanctificat aurum?* 1. Tim. 4. *Sanctificatur enim per Verbum Dei, & orationem.* Ideo, 3. Reg. 9. *Exaudiui orationem tuam*, Salomon, *& sanctificaui Domum hanc, quam ædificasti.* Vnde Heliodorus verè dicebat. 2. Mac. 3. *In loco illo est verè Dei virtus quadam; nam ipse, qui habitat in cælis, visitator est & adiutor loci illius.*

LIII. ANTICHRISTIANISMVS.

Lvthero-calvinistæ multipliciter arguunt sacrum Templorum ornatum; strenui sectatores Petrobrusianorum & Wiclefistarum, Vide in mea *Genealog. p. 1. q. 27.*

CHRISTVS. 1. Deum ipsum Patrem meum in hoc coarguit hæretica impietas; qui, *Exo.* 25. 26. 27. *&c.* 39. Tabernaculum suum fieri præcepit ornatissimum. Laudatique sunt rectè ac iure merito per Moysen, qui *Num.* 7. certatim munera contulerunt ad ornatum.

2. Dauid ac Salomon æuiternam hic memoriam, isthic gloriam sibi inuenerunt per Templi structuram, sumptus, ac ornatum. 1. *Paral. vlt. &c.*

3. Nunquid ipse dilaudaui paupercula viduam, *Mat.* 12. duo minuta mittentem in Gazophylatium. Admirantibus verò meis, *Mat.* 13. templum: *Aspice quales structuræ*: nihil quicquam arguere volui. Laudaui autem profusum vnguẽ tum pretiosum esse super caput meum potius, quam vt pauperibus erogatum fuisset; *Mat.* 14.

4. Nimirum oportet impleri istud Isa. 60. *Domum Maiestatis meæ glorificabo.* & quæ plura ibidem eximia.

QVÆSTIO XXVIII.

An BENEDICTARVM vsus rerum, atque Peregrinationum sit licitus?

LIV. ANTICHRISTIANISMVS.

Mos vsusque benedicendi aquam, panes, cereos, ramos. &c. à Waldensibus irridetur; à Flagellantibus dicuntur res eæ scintillæ in-

læ infernales: ab Lutheranis Magia, ab Caluinistis ritus ethnicus, ab alijs aliter petulanter traducitur.

CHRISTVS. I. Ego verò Exemplum pariter & Documentum dedi vobis.

1. Exemplum *Mat.* 14. *& Luc.* 9. dum in cælum suspiciens panes benedixi, ac multiplicaui. *Et quis ex vobis arguet me de peccato?*

2. Documentum tradidi per Apostolum, 1. Tim. 4. *Omnis creatura Dei bona est; & nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per Verbum Dei, & orationem.* id est, ait Chrys. & Theophyl. Omnis creatura bona est & munda; si tamen foret mala & immunda; sanctificaretur per Verbum.

II. Ad pellendos dæmones eam valere benedictionem Sacerdotalem, satis inde liquet; quòd, *Num.* 5. aqua ab Sacerdote maledictionibus affecta, adulteræ ventrem inflaret, fœmurq; putrefaceret, vt primum gustassiet. Quò vis maior rebus inesse debet benedictis.

3. Quod item, *Num.* 19. docet aqua cineribus mista; qua aspersi ab legalibus delictis expiabantur; sic volente Deo, teste *Heb.* 9. Quale & istud erat, quod, 4. *Reg.* 2. Helisæus tale aquas persanarit.

4. Idemque, 4, *Reg.* 5. per aquas Iordanis ab lepra Naamanum emundarit.

5. Sic, *Mar.* 6. oleo vngebant ægros Apostoli, & curabantur. In quibus nec suspicio necromantiæ, aut ethnicismi, vel suspicionis inhærere potest. Vide *Luthero-cal. p.* 1, *q.* 86.

LV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ pariter omnes cũ priscis Hagiomachis, & Iconoclastis omnem ad Christi & Sanctorum templa seu Memorias. &c. peregrinationem execrantur, ceu superstitionem ac idololatriam. Vt liquet in mea *Genealog. p.* 1. *q.* 29.

CHRISTVS. Equidem vidi, teste *Ioanne* 12. etiam Gentiles ascendere Ierosolymam procul aduentantes, & adorare: neque vnquam id improbare cogitaui.

2. Neque *Act.* 8. Eunuchus Æthiops vllam meruit reprehensionem, sed gratiam solidam, quod orationis causa Ierosolymam peregrinaretur.

3. Paulus quoque *Act.* 20. festinabat sanctè eodem, vt Pentecosten celebraret cum sanctis. Id quod *S. Hier. epist.* 17. in exemplum peregrinationis recte adducit.

4. Et vero Deus instituit olim, *Deut.* 16. vt omnes ter in anno ad Tabernaculum, seu Templum peregrinationem obirent.

5. Quà in Dei cultu laudatur merito Helcana cum vxore Anna, 1. *Reg.* 1. Tuleruntque præmium facti.

6. Ac ne veteris solum Legis id opus seruile duceretur; ipse ego, *Luc.* 2. cum Matre ac Iosepho pro more pio id frequentans approbaui.

Porro vide in meo *Luthero-calu. par.* 1. *q.* 87.

Hucusque de Triumphantis Ecclesiæ Capite CHRISTO, eiusque Corpore Sanctorum debite colendo. Purgantes Animæ, quia & ipsæ ad Comprehensores beatos sunt adiudicatæ, licet indebiti ad nouissimum teruncium persolutione destinantur; beatis tamen sunt vicinissi-

nissimæ: ea causa hic quoque locum suum gradumque tenebant proximum à Beatis.

VI. DE PVRGATORIO.

QVÆSTIO XXIX.

An sit Purgatorium?

LVI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ id negant & detestantur vniuersi. Vide in mea *Geneal. p. 1. q. 31.*

CHRISTVS. Esse purgatorium equidem euidenter docui, cum dixi:

1. Matth. 12. *esse peccatum quod neque in hoc sæculo, neque in futuro remittitur.* Inq; sententiam hanc plena cum fide concesserunt S. Patres: Aug. l. 21. Ciu. c. 24. Greg. l. 4. Dial. ca. 39. Bern. hom. 66. in Cant. in hoc solo acquieuit loco aduersum hæreses. Neque (vt vult Pet. Martyr) id per exaggerationem, aut comminationem dixi: Nam ita & infernum esse quis negaret, isto item sic interuerso dicto meo: *Ite in ignem æternum.*

2. Deinde loquebar de perfecta remissione venialis culpæ vt temporalis pœnæ, in altero sæculo: non de sola culpa. Neque ea omnium est immanitas peccatorum, quin aliqua, vt venialia quoad culpam, & mortalia, quoad pœnam, isthic expientur ad remissionem.

3. Neque *futurum sæculum* intelligo, quod sequetur post extremum iudicium; sed post cuiusque vitæ finem. Quo in futuro est Remissio venialium, & satisfactio pœnarum de mortalibus.

4. Istud autem Marci ca. 3. *Non habet remissionem in æternum*, id est, nunquam dum vixero. Sicut Ioan. 13. *Non lauabis mihi pedes in æternum*, scilicet quoad viuam.

II. Dixi Matth. 5. Luc. 12. *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via: ne tradat te Iudici, & Iudex tortori, & mittaris in carcerem.* &c. *Aduersarius* est vel lex Dei, aut Deus, contraria Carni præcipiens: vel Conscientia, Dei Legem semper obiectans peccanti: Hæc sunt nobiscum in via vitæ. Ita S. Patres ex meliore sententia. *Iudex* est Christus, Ioan. 5. *Carcer* est infernus. &c.

Scopus parabolæ est, (etsi Ochinus ex Chrys. male neget esse parabolam) Rectè rationes tuas cum Deo instituas, dum viuis, & facilem remissionem pœnæ debitæ impetrare potes: Non expectes futurum sæculum, in quo seueriſſimè exigentur debita omnia. Ita *Tertullian. Cyprian. Orig. &c.* qui hinc inferunt esse Purgatorium: vnde datur exire persoluto nouissimo teruncio.

III. Dixi Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo. &c. reus erit Iudicio, Concilio, Gehennâ.* Certum est hæc rectè de pœnis in foro Dei iniungendis exponi: Vt ea *S. Aug. lib. 1. de serm. Dom. In monte cap. 19.* exponit de pœnis animarum post hanc vitam. *Item* certum est, distingui genera pœnarum & culparum. *Item* certum est aliquas pœnas pro leuioribus culpis esse Temporales, id est, purgatorias,

rias ex quibus est liberatio. Vnde sat certò infertur purgatorium.

IV. Dixi Luc. 16. *Facite vobis amicos de. &c. vt recipiant vos in ætern. taberna.* De quo rectè *Augustinus libr. 21. Ciu. c.27.* Aliqui tam sunt Sancti, vt rectà ad cœlum euolent: Alij tam mali, vt nec à se, vel alijs iuuari possint, sed ad infernum descendant: Alij sunt medij: & hi recipiuntur in æterna tabernacula precibus sanctorũ. Cũ igitur ex aliquibus inferni pœnis sit liberatio certa; certum quoque est easdem purgatorias esse.

V. Iudas, 2. Mach. 12. *misit Ieroſolymam offerri, pro peccatis mortuorum, Sacrificium: bene & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum Orare pro mortuis. Et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur.*

Ecce hic quinque.

1. Posse mortuos à peccatis solui, ac proinde Purgatorium esse.

2. Sacrificia & orationes viuorum prodesse defunctis.

3. Morte non omnia semper expiari.

4. Posse quem piè mori, & tamen habere soluenda debita.

5. Hæc esse de Fide. Quæ vanè asserunt hæretici contra locum hunc vide in *Bellar. lib. 1. de Purg. cap. 3.* Sanè S. Aug. l. 18. Ciu. cap. 36. inquit, *Libros Machabæorum non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* Quicquid ganniant hæretici.

Quos sanet IESVS Christus, benedictus in sæcula. Amen.

ANTICHRISTI THEOMACHIÆ LVTHERO-CALVINISTICÆ

FINIS.

Gloria sit TRIADI; Mariæ, & sit gloria DIVIS.

COPPENSTEINII

ANTICHRISTVS ECCLESIOMACHIÆ LVTHERO-CALVINISTICÆ.

PARS SECVNDA

De Ecclesia Militante.

I. DE PRIMATV PETRI.

QVÆSTIO I.

Monarchicum regimen an sit optimum; esseque debeat Ecclesiasticum?

ANTICHRISTIANISMVS. Caluin. Monarchia, tres inter simplices formas regendi, non est optima. Vide *Luthero-calu. p. 2. q. 2.*

CHRISTVS. 1. *Deus*, Act. 17. *ex vno fecit omne genus humanum:* Chry. hom. 34. in 1. Cor. 13. Virum ex humo, fæminam ex viro; vt esset inter homines Regnum, non Democratia. Nam si plures ex humo produxisset, singuli suæ posteritatis Principes esse debuissent.

2. Deus omnibus creatis naturalem inseuit propensionem ad monarchicum regimen. Hinc in omni domo Paterfamilias regit; Reges in regnis, &c.

3. Hebræorum regimen semper monarchicum esse voluit Deus: ac primò dedit Patriarchas, tum Duces, dein Reges; iterumq; Duces: Et singulis ijs potestas erat regia, id est, Monarchica. Mixtum tamen regimen è tribus simplicibus, prædominante Monarchia, optimum est. Nam Monarchia Hebræorum continebat & Aristocratiam, eligens minores principes, *Exo.* 18. ex quaque tribu: Rursumque his inferio-

res è plebe lectos; quæ est Democratia. Sic & Ego Christus Monarcha elegi Apostolos; & vocaui LXXII. Discipulos. Sic rectè & meus in terris Vicarius habet Episcopos, & Parochos.

II. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI hi esse volunt regimen Ecclesiæ Democraticum: Illi Aristocraticum:

CALVINISTÆ Mixtum. Vide *Luthero-calu. p. 2. q. 3.*

CHRISTVS. I. Democratiam Autor Ecclesiæ nouæ respui. Nam, Ioan. 15. *Ego*, vt Monarcha, *elegi vos, & posui.* &c. Et vos similiter agetis. Ideo Paulus Act. 15. *transiens Syriam & Ciliciam, præcipiebat populis, vt custodirent præcepta Apostolorum & Seniorum*, id est, Ecclesiæ, quæ in his consistit vno sub Capite. Hinc iussi Mat. 18. *Dic Ecclesiæ.*

II. Nec solam in Ecclesia Aristocratiam volui. Ideo, 1. Cor. 12. Eph. 4. *Deus in Ecclesia posuit primum Apostolos, deinde Prophetas, tum Pastores. &c.* Vnde Ps. 44. *Pro Patribus tuis*, Apostolis, *nati sunt tibi Filij*, Episcopi: *Constitues eos Principes. &c:* Et Ego dixi, Ioan. 21. *Pasce oues meas*, regimine vtpote sacro & supernaturali.

III. Monarchiam istis permistam elegi, qua mea regatur Ecclesia.

1. Quia qualis est Cœlestis hierarchia Angelorum; talis & terrestris sit fidelium: at in illa fuit monarcha Lucifer post Deum; nunc que est Michael: Vnde Apoc. 21. *Vidi Ierusalem nouam descendentem de cælo.* &c.

2. Quia Ecclesia mea est Cant. 6. *Acies ordinata:* cui Dux vnus: Est, Cant. 7. *Mulier speciosa*, cui caput vnum vir: Est, Dan. 2. *Regnum*; cui Rex vnus: Est *Ouile*, Ioan. 10. *At fiet Ouile vnum & vnus Pastor.* Est 1. *Tim.* 3. Domus & vna Nauis; quibus vnus est Gubernator. Vnde dixi, Luc. 12. *Quis putas est fidelis Dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt &c.* Et quærebat Petrus: *Domine ad nos dicis parabolam istã, an ad omnes?* Ad vos, inquam, & de Vno. Ideo *Si dixerit malus ille Seruus in corde suo. &c.* Pariter Ecclesiæ vnus sit Rector, Pastor, & Caput.

3. Monarchia optimè conseruat Vnitatem; Esse autem in Ecclesia debet, Eph. 4. *Vnus Deus, vna Fides, vnum Baptisma.* Verum ita, vt non sit dominatus gentilis, Luc. 22. sed *qui inter vos maior est, fiat sicut minor: & Præcessor*, ἡγούμενος, Dux, Princeps, *fiat sicut Ministrator.*

4. Exemplum dedi vobis: *Sicut Ego non veni ministrari, sed ministrare.* Et: Ego in medio vestrum *sum, sicut qui ministrat.* Et tamen, Ioan. 13. *Vocatis me Magister & Domine; & benedicitus; sum etenim.* &c. Vide in *Luthero-caluin. p. 2. q. 3.*

QVÆSTIO II.

An promissæ, Datæque sint Petro principaliter Claues Primatus Monarchici sacri?

III. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI: Non Petrus est Petra; sed *Vel* Fides, fideique Confessio; *Vel* Omnis Christi fidelis:

Aut CALVINISTÆ, Christus est Petra. Vide *Luthero-calu. p. 2. q. 4.*

CHRI-

CHRISTVS. I. Ego dixi, Mat. 16. *Tu es Petrus & super Hanc Petram* ; non quà persona particularis es, sed quà Caput & Pastor: Et sic *Petrus es Petra.* Syriacè : *Tu es Cephi, & super hoc Cepha ædific. &c.* Vocis itaque feci allusionem, vt vox *Hanc*, referri debeat ad ὁ καὶ ἡ πέτρος, atticum. Huc omnes per Euangelium sparsæ Petri Prærogatiuę spectant, eiusque Primatum luculentè demonstrant. De quibus vide *Luthero-cal. par. 2. quæst. 7.*

II. Ego verò tametsi sum Petra, ac XII. fundamentorum fundamentum princeps & vnicum; hic tamen non ad Me istud, *Hanc*, referre potui; sed debui ad proximum sermonis mei Petrum, iuxta nominis allusionem. Et me *Petrus* seu *Petra confitens* appellabat sic : *Tu es Christus Filius Dei viui.* Et Ego ipsum dixi Petram, non Me : itaque vocem, *Hanc*, ad eum, non ad me referebam. Neque dixi, *Aedificaui* iam fidem sc. sed *Aedificabo Ecclesiam*, congregationem Fidelium.

IV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ. Nihil *Mat. 16.* promissum est Petro, nisi vt Patris auditor erat. Et promissum illi est, quod omnibus, sc. ligandi Soluendique potestas. Vide *Luthero-caluin. quæst. 5.*

CHRISTVS. Dixi : *Dabo tibi Claues regni cælorum. &c. Tibi* Simoni *bar-Ionæ. Tibi, ad* quem aiebam : *Ego dico tibi, Tu es Petrus. &c.* Et quia *es*; & quia *ædificabo*; ideo *dabo tibi. &c.* tibi Sic, vt nulli alteri. *Tibi*, cui postea dixi ; *Vade post me. &c.* At is tu Petrus eras solus.

V. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ. Promissi Exhibitio nulla Petro magis, quam cuiquam facta est Apostolorum. Vide *Luthero-caluin. p. 2. q. 6.*

CHRISTVS. Ego verò huic personæ Petro, ceu Capiti ac Pastori Vniuersali, vt Promisi, sic & Dedi Claues verè, principaliter & immediatè. Idcirco sic personam eius designaui, vt nullus Notarius magis describere possit testatorem : A substantia personæ, *Tibi*. A nomine natali : *Beatus es Simon.* A genitore, *Bar-Ionæ.* A nomine nouo; *Ego dico Tibi, quia Tu es Petrus*:

2. Neque nomine Ecclesiæ Claues accepit; sed suo ipsius solius. Quia non erat Legatus aut Vicarius Ecclesiæ : A quo enim factus aut constitutus?

3. Dicenti, *Tu es Filius Dei viui* ; illi tradidi Claues soli : Sicque, vt notat S. Hieronymus, *mercedem accepit Confessio.*

4. Cui post pauxillum dixi: *Vade, post me Satana. &c.* eidem & dixi : *Tibi dabo Claues :* Dedique dicens : *Pasce oues meas.*

5. Illi dedi eas, cui dixi : *Non potes me sequi modo*; *sequeris autem postea.* De quo Sanctus Ambrosius lib. de Isaac, cap. 3. *Claues commiserat regni cælorum* ; *& sequelam imparem indicauit.*

6. Neque etiam par est ratio cum Petro & Abraham; quod, sicut, Rom. 4. *Abrahæ reputata est Fides ad iustitiam*; sic & omni Credenti : Pariter, vt Petro tradidi Claues, sic simul omnibus fidelibus.

Quia dispar materia est, etsi par forma argumenti.

Nam fides naturâ suâ ducit ad iustitiam & iustificat: non autem ad Clauium acceptionem: poteram namque eam Petri Confessionem sexcentis modis alijs remunerari.

VI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ. Vt sint Petro datæ CLAVES; non hæ tamen significant Principatum Ecclesiæ. Vide *Luthero-caluin. par. 2. quæst. 5.*

CHRISTVS. 1. At verò metaphora Clauium in Scriptura significat Principatum. Vt Isa. 22. *Dabo Clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat, &c.* Quod est principari; non, prædicare. Atque etiam, Isa. 9. *Factus est PRINCIPATVS super humerum eius.* Teste Apoc. 3. *Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet Clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.*

2. Quid? Sic Vsus obtinet: q. vrbis tradit claues, Dominum tradit.

3. Dixi Petro: Mat. 18. *Quodcunque ligaueris, erit ligatum.* Ligare autē in Scripturis est Præcipere & Punire. Præcipere: vt Mat. 23. *Alligant onera grauia. &c.* Punire; vt Mat. 18. *Quæcunque alligaueris super terram.* Itaque homines obligantur legibus directiuis & vindicatiuis.

QVÆSTIO III.

An soli Petro sit vniuersæ Ecclesiæ Pastura commissa?

VII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVIN. Non soli Petro, sed toti Ecclesiæ Claues sunt Promissæ ac Datæ.

CHRISTVS. 1. Ego dixi: Ioan. 21. *Simon Ioannis, Pasce oues meas.* 1. Hoc vocabulum solius est Petri; cui & respondet mysterium Petræ in promissione Clauium, vbi Petrum dixi Petram.

2. Cui dixi: *Diligis me plus his* Apostolis? Eidem commisi quoque *plus his*, sc. *Pasce oues meas*; idque item *plus his*, tu vnus ac solus.

3. Quem ter idem interrogaui; quòd ter negaturus erat Petrus solus, eidem dixi, *Pasce.*

4. Qui ter interrogatus *contristatus est Petrus:* quique respondit, *Tu scis Domine quia amo te*: eidem personæ dixi, *Pasce.*

5. Cui dixi: *Cum senueris, extendes manum. &c.* Quæ sciscitabatur. *Hic autem quid?* Cui respondi, *Quid ad Te? Tu me sequere:* illi ipsi dixi soli, *Pasce.*

Vnde S. Amb. in vlt. Lu. *Quia solus profitetur ex omnibus; omnibus antefertur.* Ita & cæteri Patrum.

VIII. ANTICHRISTIANISMVS,

LVTHERO-CALV. *Pasce*, id est, Doce Gregem; & non est idem quod Rege, castiga. &c.

CHRISTVS. Luc. 12. *Quis putas est fidelis Dispensator ac prudens, quem constituit Dominus super Familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* Is quidem, qui cibum ministrat; at verò vel in primis ille, qui cibum prouidet atque procurat: quod Præpositi est. Quocirca & huius proprium est *Pascere*, i. Regere præceptis, ac pœnis. Actus enim Pastorales sunt Ducere, Tueri, Præesse, Regere, Castigare. Id Pedum indicat pastorale. Vnde Isa. 44. *Pastor meus es* Cyre, id est, Rex: Idemque & in græco significat ποιμαίνω: pasco, rego. Sic Patres interpretantur.

IX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHE-

LVTHERO-CALVIN. Hoc, *Oues meas*, non significat Vniuersam Ecclesiam. &c. Vide meum *Luthero-calu. p. 2. q. 6.*

CHRISTVS. 1. Ego verò tertiùm dixi, Πέτρε, ποίμαινε τὰ Αννία, προβάλια, προβάτα. *Pasce Agnos, Ouiculas, Oues meas:* scil. Incipientes, Proficientes, Perfectos: Laicos, Clericos, Episcopos: Vel Iudæos, Gentes, eorumque Pastores. *Meas* inquam absolutè, id est, *Omnes.* Sicuti Ioan. 10. *Cognosco oues meas*, sc. omnes; & *oues meæ vocem meam*, omnem, scriptam ac traditam, *audiunt. Et ego pono animam meam* totam *pro ouibus meis* vniuersis. Neque aliud est, *Pasce oues meas*, quam *Curam habe totius Ouilis mei.* Ita necesse est. Quia Ioan. 10. *Erit Vnum Ouile, & Vnus Pastor.*

2. Denique Ego dixi:

1. *Beatus es Simon bar-Ionæ.*

2. *Reuelauit tibi Pater meus, qui in cælis est.*

Lutherus lib. de potest. Papæ: Contradicit:

1. Petro non promittuntur Claues; vt est *bar-Iona*: sed vt est auditor Patris cœlestis.

2. De nullo autem homine certo nobis constat, sitne is verus Auditor Dei.

AT de Petro constat.

II. DE PONTIFICE ROMANO

QVÆSTIO IV.

An Petrus Iure Diuino habere Successores debuit?

X. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO CALVINISTÆ cæterique hæretici hodierni pertendunt: Esto; habuerit à Christo Petrus Primatum & Monarchiam; Non tamen quisquam Petro succedere debet Iure Diuino.

CHRISTVS. Iure diuino debet aliquis succedere Petro in totius Ecclesiæ Monarchia.

1. Sic volui, Ioan. vlt. *Pasce oues meas.* At Oues cum Ouili esse semper volo perpetes: Quare & Pastoris Officium sit ordinarium oportet ac perpetuum: proindeque in eo continui quoq; Successores sunto: & hisce idem *Pasce* dictum, quod Petro. Quam enim æternare volui Ecclesiam; ei non minus in progressu, quam in ortu volo prouisum. Neque Petrus semper victurus erat; ideo tam Successores eius in ipso, quam ipsummet compellaui.

2. Ego promisi, Mat. 28. *Ego ero vobiscum vsque ad consummationem sæculi:* non cum vestris solum Personis, sed Officij vestri Successoribus omni loco, tempore, & causis in *ijs* ac rebus, *quæ sunt Patris mei.* Bene S. Leo serm. 2. de Assumt. *Manet dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine Petræ perseuerat, & viuit in Successoribus suis.*

3. Ego dixi, Ioan. 10. *Et erit Vnum Ouile, & Vnus Pastor.* Ego, Luc. 22. *rogaui pro te Petre, vt non deficiat Fides tua*; Et, Ioan. 17. *non pro te solum, sed pro omnibus, qui credituri sunt per* Apostolos; *vt sint Vnum, sicut & nos Vnum sumus:* & ex hoc cognoscat mundus. &c. Quare ipsa Ecclesiæ Vnitas, omni tempore & loco Eadem reposcit, vt forma regiminis nō immutetur. Sicut igitur in prima Ecclesiæ institutione Vnum posui Caput omnium; sic & esse volo iubeo in Conseruatione.

Quæ

Quæ omnia Iuris esse Diuini rectè docet *S. Cypr. lib. de Vnit. Eccles. Hier. lib. 1. contra Iouin. &c.*

4. Vnum Ecclesiæ semper esse Corpus volui; quid ni & Caput Vnum? Caput autem cum ego sim inuisibile ac spiritale; visibile quoque sit aliud Ecclesiæ necesse est. Rectè id innuitur 1. Cor. 12. *Non potest Caput dicere pedibus; non estis mihi necessarij.* Quod certè Christo conuenire nequit: Ego enim omnibus sum necessarius, mihi nullus. Caput igitur nullum est aliud visibile Ecclesiæ, quam Petrus, eiusque omni tempore successor.

5. Sicut Diuina Constitutione perpetua Deus omnium rerum est principium & causa; idem tamen per immediatas proximasque causas agit: Ita vt Corpus Ecclesiæ à Primario & Vitali Capite iugem gratiæ influxum recipiat, *Col. 2 Eph. 1. & 4.* omnino debuit constitui Caput Vnum secundarium ac ministeriale, Corpori homogenium, idque dum Corpus illud durabit.

6. In Veteri Test. continua serie Aaroni succedebatur; vt *Num. 28.* Eleazari huic, *Iud. 20.* Phinees. &c. At, Sacerdotium veteris Test. figuram Noui prætulit Sacerdotij summi: Parem igitur hodieque Successionem in hoc continuari necesse est. Vide in *Luthero-calu. p. 2. q. 9.*

QVÆSTIO V.

An Papa quæstiones Fidei ac Morum infallibili iudicio definiat?

XII. ANTICHRISTIANISMVS. Lvthero-Calvinistæ pernegant: quin de facto Papam hæresin docuisse narrant. Vide *Luthero-cal. p. 2. q. 13.*

CHRISTVS. 1. Ego verò dixi, Lu. 22. *Simon, Simõ, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem rogaui p Te, vt NON deficiat fides Tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Et exauditus sum orans pro Reuerentia mea.

2. Deinde Orationi promissionem adieci præsentiæ meæ. Mat. 28. *Ecce Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Addidi promissionem Sp. Sancti, ac præstiti infallibilem illius Assistentiam, *& ille docebit vos omnia.*

3. Promisi Ecclesiæ Capiti: Mat. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Eccl. siam meam: & Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quis ergo nocebit nobis, si boni æmulatores simus? Promissum que præstiti: Ioan. vlt. *Pasce oues meas* doctrinis infallibiliter sanis ex Officij dono. Sicut ego Sacramentis pasco ex opere operato infallibiliter efficacibus; ita tu Doctrinis in meæ Orationis, Promissionis, Donationis infallibiliter certis semper futuris. *Ego enim dabo tibi os & sapientiam, cui non poterũt resistere &c.*

4. Istorum prætulit typum Rationale summi Pontificis, cuius epigrapha, *Veritas & Doctrina:* Exod. 28. Quippe, *Deut. 17.* omnes in re dubia iubebantur à Pontifice requirere, & obedire Voci Sacerdotis: Sin' ; morte morerentur. Ita, (ceu Petrus Rauennas Eutychetem monebat) quæ à Beatissimo *Papa scripta sunt, obedienter attendo. Quoniam B. Petrus, qui in propria Sede & viuit & præsidet, præstat*

stat quærentibus Fidei Veritatem.

5. Neque secus docuit hactenus experientia. Omnes enim cæteræ Sedes Patriarchales ab hæresibus, quin & hæresiarchis aliquando contigit adulterari; Romanam verò nunquam.

QVÆSTIO VI.

Fasne Papæ condere leges in conscientia obligantes ad culpam ac pœnam?

XIII. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERO-CALVINISTAE negant. Sed cum priscis hæreticis. Vide *Luthero-caluin. par. 2. q. 19.*

CHRISTVS. 1. Dixi, Matth. 16. *Quodcunque ligaueris*, &c. Atqui ligare non solum est retinere peccata indimissa; sed etiam ferre leges: prout declaro, Mat. 23 *Alligant onera grauia & importabilia*, sc. Præceptorum. Ita S. Hieron. in c. 18. Mat.

2. Deinde: Promissum *Mat.* 16. præstiti Petro, Ioan. 21. *Pasce oues meas.* ποίμαινε, regiæ potestatis vocabulum est; cuiu; est ferre leges.

3. Adhæc, Ioan. 20 *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* sc. cum omni potestate etiam ferendi leges: Proinde Lu. 10. *Qui vos audit, me audit, &c.* Ita S. Cyprian. li. 4. ep. 9. Basil. in Const. Mon. ca. 23.

4. Quo rectius, 1. Cor. 11. *Laudo vos, quod præcepta mea tenetis.* 1. Thes. 4. *Scitis, quæ præcepta dederim vobis. Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui S. Spiritum suum nobis dedit.* Sic & 2. Thes. 3. *Qui non obedit verbo nostro, ne commisceamini illi.*

QVÆSTIO VII.

Habeatne Papa temporalem Iurisdictionem?

XIV. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERO-CALVINISTÆ Nullam in seu Dominia, seu Principes, iure vllo diuino tribuunt Papæ. Neque licuisse Papis & Episcopis, aiunt, dominia acceptare. Vide *Luthero-calu. p. 2. q. 21.*

CHRISTVS. Cùm, Ioan. 18. *regnum meum non est de hoc mundo*; etsi Rex cœlorum natus fuerim: Cum Rex eligi fugerim; *Ioan.* 6. Cum verè paupere fuerim volens: Cum Scripturas, quibus Rex appellor de spiritali regno accipi oporteat: Cum fine orbis imperio finem assequi spiritalẽ valuerim, orbemque redimere: idcirco regna non eripui mortalia, qui cœlestia dabam, At, Ioan. 20. *Sicut misit me Pater*; sic *& ego mitto vos* inprimis Petrum eiusque successores Papas; Vicarios meos qua Homo sum, non qua Deus. Quare nec ad Papas iure diuino directè habere temporalem volui potestatem.

II. Indirectè tamen, ad maius bonum spiritale, Dominium orbis habet. Sic Petro dedi, *Ioan. vlt.* triplicem potestatem; Arcendi lupos infideles; Coercendi arietes tyrannorum fidelium, & Pascendi oues. Consule meum *Luthero-cal. p. 2. q. 21.*

QVÆSTIO VIII.

Quis, qualisque Antichristus erit?

XV. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERO-CALVINISTÆ, I. Antichristus idem est quod Vicarius Christi.

II. Est vnum quoddam regnum continuum, & Corpus tyrannorum.

III. Aduenit autem in orbem post annum Christi 600.

IV. Characterem habet Vnctionem, Adorationem Sanctorum, Eucharistiæ, Missam. &c.

V. Et is Papa est Romanus,

VI. Romæ solium habiturus:

VII. Seque pro Deo ostensurus Vicarius Dei.

CHRISTVS. I. Antichristus idem est quod Contrarius Christo inimicus: 2. Thes. 2. *Qui extollitur super omne, quod est Deus*: Et 1. Ioan. 2. *Qui negat IESVM esse Christum.* Ita, vt Mat. 24. *Dicat se esse Christum.*

II. Idemque vnus, verus, certus ac singularis erit Homo, ex homine natus: sicut & ego singularis sum, ac indiuiduum. Ioan. 5. *Ego in nomine Patris mei veni, & non recepistis me: si ALIVS venerit in nomine suo, illum recipietis.* 1. Ioan. 2. *Antichristus venit,* (voce hac communiter pro quocunque Christi aduersario accepta:) *Licet nondum venerit, de quo audistis,* singulari. De quo 2. Thes. 2. *Nisi reuelatus fuerit ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας.* Sic 1. Ioan. 2. *ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται.* Ecce, ILLE antonomastice. Ita Dan. 7. 11. 12. *Rex vnus* vocatur, non *regnum vnum.*

III. Nondum venit in orbem: tunc venit, Mat. 24. *cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele,* ca. 9. &c. 2. Thes. 2. *Deus interficiet eum spiritu oris sui.* Apoc. 11. *Dabo autem duobus testibus meis, & prophetabunt diebus* 1260. Enoch gentibus, & Helias Iudæis. Atque tunc fuerit, *Matt.* 24. *Euangelium meum prædicatum vbique:* Ac etiam *Iuge Sacrificium* sublatum: *Et, Apoc.* 12. Tuba sexta sonabit; Et erit consummatio sæculi. Apoc. 12. *Beatus qui expectat ad illos dies.*

IV. Papa verò Antichristus nec fuit, nec esse potest, obstante tam diuturna, continua, tamque multorum successione; *& portæ inferi non præualebunt aduersus eam:* Quia *Ego sum cum ea vsque ad consummationem sæculi.* Et sicut, Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei;* sic & omnis Papa venit: *Si ALIVS* Antipapa *venerit in nomine suo, &c.*

V. Suo cum singulari charactere, *Apoc.* 13. Numeri & Nominis, omnibusque communi suis.

VI. Ierosolymis sedem statuet: Hic vbi, *Apoc.* 11. Henoch & Helias post pugnas *iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ dicitur Sodoma,* Isa. 1. *vbi est Dominus eorum crucifixus.* Roma autem, *Apoc.* 17. desolabitur ab illo; At ipse, 2. Thes. 2. *in Templo Dei sedebit:* ἐν τῷ ναῷ, scil. Salomonæo.

VII. SE dicet esse DEVM, 1. Ioan. 2. *Quis est mendax, nisi qui negat IESVM esse Christum? Et hic est Antichristus.* Ioan. 5. *In nomine suo veniet:* Et Dan. 11. *Deum Patrum suorum non reputabit.* &c. Vide *Luthero-calu. p. 2. q. 22, 23, 24 25.*

III. DE CONCILIIS & ECCLESIA.

QVÆSTIO IX.

Eccuius sit Generalia Conc. indicere, præsidendo regere & confirmare; & id qua forma?

XVI.

XVI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI fingunt: solius Imperatoris esse, generalia indicere & regere Concilia. At in ijs Episcopi sunt Cõsiliarij. Vide *Luthero-caluinistam. par. 2. q. 26. & 29.*

CHRISTVS. I. Cùm ego Potestatem meam, Autoritatemque sacram Petro soli, vt Vicario meo, tradiderim per excellentiam; debeantq; Concilia cogi *Autoritate mea*, hoc est *In Nomine meo*: planè est necesse, vt meus in Ecclesia Vicarius Successor Petri, data sibi Autoritate solus vti debeat.

2. Atq; tametsi, Mat. 18. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in Nomine meo, ibi ego in medio eorum sum*, inuisibilis quidem; non sic tamen, vt quisquam discernere queat Me præsidere: Multò minus, si qui S. Scripturam præesse solam, vt Iudicem, velint. Ad hanc enim omnes hactenus hæretici appellarunt.

3. Quocirca meam ablaturus Ecclesiæ visibilem præsentiam, Petro dixi, nõ Tiberio: Ioan. vlt. *Pasce oues meas*, infallibiliter. Quia Lu. 22. *Ego rogaui pro te.* &c. proinde, *Et tu confirma fratres tuos*, in nomine meo ad Concilia congregatos: *Et ecce Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Mat. 28.

4. Cuius autem indicere; eiusdem est, ceu Capitis, regere Concilia generalia, velut membra; sc. Vicarij mei Papa. Ideo iussi Petro: Ioan. vlt. *Pasce*, docendo & ducẽdo. Idẽq; & fecit Petrus, *Act. 15.* psidens Concilio, & indixerat: ad quod conuenerunt Apostoli, *& Seniores ceu Iudices, non vt Consiliarij, videre de verbo h.* clegalium ceremoniarum, an ad salutem forent necessariæ. Et Paulus Act. 16. *pertransiens ciuitates præcipiebat eis custodire* decreta, conscientias obligantia, ob Autoritatem præsidis Petri.

III. Porro Episcopi suffragijs definiunt vt Iudices, in forma Iudicij; non disputant solum vt Consiliarij.

1. Idcirco docui, Mat. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus.* Iuste: nam Deut. 17. *Qui non obedierit eorum sententiæ, morte condemnetur.* Hinc in Conc. Ierusolymitano *Act. 15. & 16. conuenerunt Apostoli & Seniores*, Iudices, *videre de verbo hoc*, non de fide sola iustificante; sed de ceremonijs abstinentiæ à sanguine, suffocato, & immolatitijs: de quibus nihil in Verbo Scripto extabat: Nec tamen permissa erant exanimi discipulorum; sed imperata simpliciter cum obligatione conscientiarum: vti & Paulus prædicabat.

IV. Atque istud est Pascere; iuxta quod, Eph. 4. *Posui dios Pastores & Doctores.* Prout promisi, Ierem. 3. *Dabo vobis Pastores secundum cor meum; & Pascent vos Scientia & Doctrina.* Quõ necessaria monitio hæc, Act. 10. *Attendite vobis, & vniuerso Gregi, in quo posuit vos Sp. Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

QVÆSTIO X.

Concilia per Papam confirmata num errare possint?

XVII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI itemque CALVINIANI affirmant errare posse, errasseque de facto sæpius. Vide *Luthero-cal. p. 2. q. 30.*

CHRISTVS. I. Ego postquam dixissem. Mat. 18. *Dic Ecclesiæ; & si Ecclesiam nõ audierit, sit tibi. &c.* vim autoritatẽque Ecclesiæ tantam esse ostendi ad do-

cendum, vt subiecerim: *Vbi sunt duo vel tres* duntaxat, quanto magis si plures, *congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum*, ipsa scil. Veritas & via, vt errare non possint. Quin & tantam eorum esse potestatem; vt addiderim, *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Adeo certa est mea Concilijs sacris Assistentia, si eadem nõ desit priuatis.

2. Deinde Errarent, quibus addixi. Ioan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatẽ.* An Apostolos solos? Quin & successores, quia Ioan. 14. promisi mansurum Spirit. S. vobiscum in æternum.

3. Experti testantur: Act. 15. dicentes: *Visum est Spiritui S. & nobis.*

II. Docui, Ecclesiam errare non posse: Matt. 16. *Super hanc Petram ædificabo.* &c. Mat. vlt. *Ecce Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Consonatque Apostolus. 1. Tim. 3. *Ecclesia Dei viui est Columna & firmamentum veritatis.* Quare nec Concilia ritè cõgregata possunt errare: cùm in his resideat formaliter Autoritas Ecclesiæ, in ijsdem repræsentatæ; habentibus consensum vniuersæ.

III. Nec Vicarium meum errare posse affirmaui, dicens, Luc. 22. *Patrẽ ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: Et tu conuersus confirma fratres tuos:* præsertim in Concilium conuocatos. Illius itaque est confirmare congregatos: quo sine possunt sequiore vento circumferri.

* * *

QVÆSTIO XI.

Scripturæ, Papæ, an Concilij potior sit Autoritas?

XVIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI ab Papistis S. Scripturam esse pessundatam & abiectam conclamant. Vide in meo *Luthero-caluin. p. 2. q. 31.*

CHRISTVS. *Qui Spiritum Christi acceperunt,* (qui est *Verbum Patris*;) ij *Vocem meam audiunt*, habentque *Spiritum Veritatis*, & *Verbum vitæ.* ideoque Sacræ Scripturæ semper à Me secundas tribuunt, longè posteriora dant Concilijs.

1. Quippe, 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata est.* Et, 2. Pet. 1. *Spir. S. inspirante locuti sunt Sancti Dei.* Et verè Testis meus, 1. Ioan. 1. *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ; & Vita manifestata est; & vidimus, & testamur.* Ita Matthæus & Ioannes: At Marcus & Lucas audita scripserunt; *Sicut tradiderant nobis, qui ab initio ipsi viderunt.* Ideo Scripturæ omne Concilium sese submittit, quod *in Nomine meo congregatum est.*

2. Scriptura nullo constitit labore conscriptionis: Nullus ei error inesse potest seu verbuli, seu sententiæ: Nec indiga humanæ confirmationis est: At secus Concilia habent indictis singulis.

Ergo Scriptura omnibus potior est.

XIX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ Concilijs Papam sub-

subijciunt. Lutherus lib. de Concilijs. *Putasne adeo esse tenue officium Parochi aut Ludimagistri, vt non possint aliqua ex parte conferri ad Concilia?* Quin errare possunt omnes in Concilio, & vnus sentire secundum Scripturam; tunc omissis omnibus, ille sequendus vnus est. Quanto inferior Papa est.

CHRISTVS. Dixi Petro; eiusque Successoribus, & factum est; Matt. 16. *Tu es Petrus; & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Dixi, Ioan. vlt. *Pasce oues meas.* Ergo Caput & Pastor est vnus Corporis & Gregis totius mystici; quod fundamentum est domus: at ab hac illud non pendet, sed domus innititur illi tota. Nec vnam, sed omnem Ecclesiam Vniuersè ædificabo: id est omne Concilium repræsentans Ecclesiam: Sicut ipsi Sectarij intelligũt istud Mat. 18. *Dic Ecclesiæ.*

2. Deinde Ecclesiam meam esse volui regnum Monarchicum: Quia Ps. 2. *Ego constitutus sum Rex super Sion.* Et, Ioan. 8. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et, Luc. 1. *Regni mei non erit finis.* Rex autem regnat; non regnatur. Præsertim meus in terris Vicerex, qui Regnum Ecclesiæ susceperit imediatè à Me Christo suo, non à populo, vt in regnis mundi assolet. Quia verum est istud, Apoc. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum:* hoc verò me non fecit Regem. Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. &c.*

3. An potestatẽ accipit Paterfamil. ab familia? Pastor ab ouib⁹? Caput à corpore? Vir ab vxore? Ita & Christus ab Ecclesia? Minime verò. At Petrus eiusque Successor omnis est is, de quo dixi Mat. 24. *Quis est fidelis seruus & prudens, quem Constituit DOMINVS SVPER,* non infra, *familiam suam?* Item Ioan. 10. *Ego sum Pastor bonus: & est vnum Ouile:* Item Eph. 4. Ego sum *Caput*, Ecclesia *Corpus*: Eph. 5. Ego sum *sponsus*, Ecclesia *sponsa*. Nolui igitur Vicarium meum subiacere Ecclesiæ seu dispersæ, seu Collectæ. Vide *Bell. l. 2. c. 17.* de Nominibus Christi, quæ docent Papam absolutè esse supra Concilium.

QVÆSTIO XII.

An, & quales peccatores sint in Ecclesia?

XX. ANTICHRISTIANISMVS.

PELAGIANI, Anabaptistæ, & Luthero-caluinistæ, *p. 2. q. 33.* ferè consentiunt, ab omni imaculatos peccato, id est, solos iustos efficere Ecclesiam. Nam, Pelagiani aiebant, etiam peccata venialia constituunt hominem inimicum Deo.

CHRISTVS. Ego sic orare omnes docui, Mat. 6. *Dimitte nobis debita nostra.* Nam, Iac. 3. *In multis offendimus omnes.* Et 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas non est in nobis.*

Sic & Vetus Instrumentum: 3. Reg. 8. *Nec enim est homo, qui non peccet.* Idem Eccl. 7. Psa. 31. *Tu Remisisti impietatem peccati mei: pro hac* remissione *orabit ad te omnis Sanctus.* Pro. 24. *Septies enim in die cadit iustus.*

XXI. ANTICHRISTIANISMVS.

Nouatiani, Donatistæ, Confessionistæ: In Ecclesia sunt soli Fide perfecti, & ex ea nunquam lapsi. Vide *Luthero-caluin. par. 2. quæstion. 34.*

CHRISTVS. Docui, Mat. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, 1. Vade, corripe eum, &c.*

2. *Adhibe tecum vnum, vel duos; si vos non aud.*

3. *Dic Ecclesiæ:*

4. *Si Eccl. non audierit, sit tibi sicut. &c.* Ecce manere improbos in Ecclesia, donec per huius sententiam excludantur. 2. *Mat.* 23. de malis Præpositis dixi parendum dictis eorum, non exemplis. *Mat.* 24. de percussore conseruorum; *Dominus diuidet eum, partemque eius cum hypocritis ponet.* Vnde 1. Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes. &c. Tollatur de medio vestrum.* Dictum factum. *Apoc.* 2. & 3. Ecclesiæ ferè singulæ culpantur à peccatis. Sicut in Lege semper erant grauissima peccata in populo. Sic est, eritque. *Semper enim habebitis pauperes vobiscum.*

QVÆSTIO XIII.

An soli Prædestinati sint in Ecclesia?

XXII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS tria. 1. Prædestinati sunt verè Fideles, quòd fides semel habita perdi non possit.

2. Ecclesia à solo Deo cognoscitur.

3. In Externa Ecclesia sunt boni & mali. Vide *Luthero-calu. p. 2. q. 35.*

CHRISTVS. I. Ego in isto, Matth. 3. *Permundabit Aream suam, & congregabit triticum. &c.* designaui Ecclesiam; in qua *paleæ* reprobos significant comburendos, non electos. Item Ecclesiam dixi, Mat. 13. similem *Sagenæ, ex omni genere piscium congreganti bonos, & malos.* Ité *Matt* 22. Conuiuio nuptiali, in quo boni & mali: ideo *Multi sunt vocati; pauci verò electi.* Item, *Mat.* 25. Decem virginibus, quarum quinque prudentes, quinque fatuæ. Ibid. Ouilis in quo oues, & hædi.

2. Meus ille Apostolus, 1. *Cor.* 5. incœstuosum expulit Ecclesiâ, non tamen reprobum fecit ex prædestinato, nec id voluit. Nam, 2. Tim. 2. *In magna domo vasa sunt aurea. &c. & fictilia; quædam in gloriam, & quædam in contumeliam.*

Erunt autem qui dictis meis abutentur talibus: Ioan. 10. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili.* Et Ioan. 11. *Iesus moriturus erat pro Gente, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret.* Quasi ideo prædestinati essent de Ecclesia, licet degant extra eam. Sic etiam 1. Ioan. 2. *Ex nobis exierunt; sed non erant ex nobis; nam si ex nobis fuissent, mansissent vtique nobiscum*, quasi, antequam exissent, non erant ex iustis, sed videbantur solum esse. &c.

Sciendum igitur, quosdam dici in Scriptura oues, filios Dei, mẽbra. &c. secundum prędestinationem potentiâ, in futurum: alios Actu in præsens, idque per inhærentem actualiter ijs iustitiam verè: Et hoc, veritate aut Formæ, id est, Charitatis; à qua excidens non tamen excidit à Fide, seu Ecclesia. Aut Veritate Finis, seu permanentiæ, cum qua assequitur hæreditatem. Ex his prædicta siniſtrè accepta sanius intelligi distinguique debent.

QVÆSTIO XIV.

Ecclesia num sit Visibilis?

XXIII.

XXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVIN. fingunt inuisibilem, soli Deo notam, ac solum esse piorum paucorum, inde ab exordio Ecclesiæ etiam Veteris Testamenti. Vide *Luthero-calu. p. 2. q. 36.*

CHRISTVS. 1. Fundamentum Ecclesiæ est visibile ac sensibile; Mat. 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; quare & hæc visibilis sit necesse est.

2. Ideo, Mat. 18. *Dic Ecclesiæ, Si Ecclesiam non audierit.* Videtur, auditur, conuenitur sermone, regitur, salutatur. &c. suos ea suscipit, deducit. &c. Vnde Act. 28. *Attendite vobis, & vniuerso Gregi, in quo nos Sp. Sanctus posuit Episcopos Regere Ecclesiam Dei.* Act. 18. *Ascendit Paulus, & salutauit Ecclesiam.* Idem se persecutum dicit Ecclesiã, 1. *Cor. 15. Gal. 1. Phil. 3.* hoc est, Christianos, *Act. 9.* 1. Tim. 3. *Scias quomodo te oporteat conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui.* Act. 15. *Illi deducti ab Ecclesia pertransibant. &c. & susceptisunt ab Ecclesia.*

3. Omnino visibilis est, de qua dixi, Matt. 5. *Non potest Ciuitas abscondi supra montem posita*: Et quam comparaui Areæ, Reti, Ouili, Conuiuio. &c.

4. Talis & in Veteri Lege describitur: Num. 20. *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem?* 3. Reg. 8. *Conuertit Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel: Omnis enim Ecclesia stabat.* Ps. 18. *In sole posuit Tabernaculum suum*: id est, Ecclesiam in manifesto, ait *Aug. tract. 2. in ep. Ioan.*

5. Olim visibile signum Circumcisionis incidi Ecclesiæ: Nunc Spiritu S. visibilem superfudi, vt Apostolos, Discipulosque: His additi sunt visibiles semel 3000. rursus 5000. per fidei confessionem & Baptismum. *Act. 1, 2, 3. 4.* Sicque deinceps vsque huc.

QVÆSTIO XV.

An Visibilis Ecclesia possit Deficere, aut Errare?

XXIV. ANTICHRISTIANISMVS

AFFIRMANT Luthero-caluinistæ, multisque adstruunt in meo *Luthero-caluin. par. 2. q. 37.*

CHRISTVS. 1. Ego verò asserui, Mat. 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quia, 1. Tim. 3. *Est Ecclesia Dei Viui Columna & firmamentum veritatis.*

2. Ego promisi, Mat. vlt. *Ecce, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi:* At illi erant visibiles, quibus hoc promissum, similiterque eorum successores. Vnde Eph. 4. *Ipse*, ait, *dedit quosdam Apost. alios Prophetas, alios Euang. &c. ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes. &c.* At ista visibilis est successio perennans.

3. Ita & Psaltes 47. *Deus fundauit eam in æternum*, id est, Ecclesiam ait August. Huc ego, *Luc. 4.* in Synagoga itaui illud Isa. 61. *Spiritus Domini super me. &c. Et fœdus perpetuum feriam eis: & Scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos: quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.*

4. Parabolis; Vt erat Area, Ager, Cõuiuium, Ouile: tria docui Ecclesiam esse Vi-

se Visibilem; Constare bonis & malis: & perennare ad vsque iudicium extremum. Mat. 3. *Triticum congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Mat. 13. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem. Messis autem consummatio saeculi est. &c.*

XXV. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ aiunt Ecclesiam Visibilem posse errare.

CHRISTVS. 1. Ego verò anathema dixi nolentibus Cedere Ecclesiæ in omnibus. Mat. 18. *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Vnde praxis Conciliorum manat iusta, anathematizans omnes parere nolentes decretis suis. Neque ego docui omnia, nam *adhuc multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modò*: Nec, quæ docui, scripta sunt omnia; verum vt tradita multa benè sunt, sic & erunt, essequè debebunt. Vide suprà part. 1.

2. Adhæc, A me, ceu Capite & sponso, ab Sp. Sancto ceu Anima, gubernatur Ecclesia: Eph. 1. *Ipsum Me dedit Caput super omnem Ecclesiam, quæ est Corpus ipsius.* Eph. 4. *Vnum Corpus, & vnus Spiritus.* Quocirca meus is, & Sp. Sancti foret error, si erraret Ecclesia. At nunc, Ioan. 16. *Spiritus Veritatis docebit vos omnem veritatem*: omnem, næuo nullo relicto, non solùm necessariam & scriptam.

IV. DE CLERICIS.

QVÆSTIO XVI.

Sintne Clerici, Laicique distinguendi?

XXVI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS. *Clericos à Laicis discreuit impia hominum Traditio.* Idem: *Christianus populus est simplex, in quo nulla secta. &c.*

CALVINVS. *Tota Ecclesia est Clerus. Vtinam Patribus nunquam venisset in mentem* vti hac voce Clerus. Vide *Luthero-ca. p. 2. q. 41.*

CHRISTVS. 1. Quid attinet contendere de nomine, cum de re constet? De illo tamen ita Spiritus Dei apud Ierem. 12. *Cleri eorum non proderunt eis.* Et, 1. Pet. 5. *Pascite, qui in vobis est, Gregem Dei. &c. neque vt dominantes in Cleris; sed forma facti Gregis ex animo.*

2. Nam, vt benè Hieron. epist. ad Nepot. *Propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini; vel quia ipse Dominus Sors, id est, pars Clericorum est.* Ideo quisque *nitatur esse, quod dicitur.*

3. Hinc Colos. 1. *Dignos nos fecit, in partem sortis Sanctorum.* Eph. 1. *In quo nos Sorte vocati sumus*; nullo merito nostro præcedente: vt Pelagiani finxere.

4. Ego Cleri ab Laicis distinctionem innouaui: Nam Ioan. 15. *Ego elegi vos*, sc. è populo; *& posui vos, vt eatis & fructum afferatis. &c.* Sicut *Num.* 18. *Deut.* 18. Leuitæ dicuntur esse de sorte Domini: & Dominus sors eorum ac hæreditas; vt quibus dedit sortem extra alios de plebe; & insuper donauit decimas ac oblationes.

5. Instè terra dehiscebat Chore, Dathan & Abyron, *Num.* 16. quod contra Sacerdotes, id est, Clerum cierent seditionem.

***

QVÆ-

QVÆSTIO XVII.

Ius eligendi Pastores, seu Ministros estne Populi, an Episcoporum?

XXVII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ: Eligere & vocare populi solius est: Ordinare autem Pastorum; sed nomine populi. Vide meum *Luthero-cal. p. 2. q. 42.*

CHRISTVS Ioan. 15. *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos:* Sicut Moysen Deus, & Moyses Aaronem. Vnde Ps. 98. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius.*

2. Et ego Summus Sacerdos quam incruenti sacrificij *Hostiam Feci* ter sanctissimam, *Facere* item iussi Apostolos, dicens: *Hoc facite.* Dictumque factum fuit; eoque ipso, Vocatos & Electos, in Sacerdotes inauguraui, & Potestatem faciendi contuli, cuius faciendi mandatum dedi.

3. Ego dixi, & feci: Ioan. 20. *Sicut misit me Pater*, ad Sacra omnia operandum; ita *& Ego MITTO vos.* Simul *Insufflaui & dixi eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et quis est hic, qui peccata dimittit, nisi Christus per Sacerdotem secundum Ordinem Melchisedech?

4. Simili cum propagatione spirituali; (non carnali;) etiam Apostoli mei S. Clerum meum exauxerunt. Vnde Paulus Sacris ab sese ritè initiatum monet & officij ordinarij exercendi, & Sacerdotij propagandi, dicens 1. Tim. 4. *Noli negligere Gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per IMPOSITIONEM MANVVM Presbyterij*, id est, per Episcoporum cætum, non per Sacerdotes simplices: Ita S. Chrys. cæterique Patres. 2. Tim. 1. *Resuscites gratiam, quæ data est tibi per Impositionem manuum mearum*: Non populi, aut Sacerdotum simplicium.

Verum, 1. Tim. 4. *Manus citò nemini imposueris*; vt Episcopus episcopando.

Ordines Sacri tres Maiores an sint iuris diuini? Luthero-caluinistæ non controuertunt quidem; Minores tamen certos aspernantur; malunt arbitrarios.

De Episcopis vide 1. *Tim. 3. Tit.* 1. De presbyteris, 1. *Tim.* 4. *Tit.* 1. De Diaconis, 1. *Tim.* 3. *Act.* 6. de 7. Diaconis. *Act.* 7. de S. Stephano.

Minores quatuor docentur ex S. Traditione apud *Bellar. lib. 1. de Cler. cap.* 11, 12.

QVÆSTIO XVIII.

An Episcopi sint maiores Presbyteris?

XXVIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVIN. cum Aerio archihær. pernegant. Vide in meo *Luthero-calu. par. 2. q. 46.*

CHRISTVS. 1. Ego, Luc. 6. *elegi duodecim ex illis* Discipulis, LXX. Luc. 22. *iudicantes XII. Tribus Israel.* Nam *constituit eos Principes super omnem terram:* Et cuiq; dixi, vt verè S. Patres aduerterũt, Mat. 24. *Fidelis seruus & prũ. quẽ constituit Dominus super Familiam suam*, non subter.

Qualibus & Paulus dixit, Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo Vos Sp. S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.*

Sicut igitur Apostolos Discipulis esse statui superiores; sic & Presbyteris Episcopos: hi enim Apostolis, illi Discipulis iure pari succedunt.

2. Non extat alius ortus istius subordinationis in vllo iure humano; vnde ex diuino promanet oportet. Ideo ipsi Apostoli sic Vsu obseruarunt, vt Episcopis Presbyteri subessent. Hinc 1. Tim. 5. monetur Episcopus: *Aduersus Presbyterum accusationem noli accipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Vide porro in meo Luthero-cal. p. 2. q.

QVÆSTIO XIX.

An iure Apostolico COELIBATVS sit Ordinibus sacris annexus?

XXIX. ANTICHRISTIANISMVS.

NVLLO iure, aiunt Iouinianus, Vigilantius, Wicleff, Græci, Luthero-caluinianique vniuersi. Vide in *Luthero-caluin. par. 2. quæst. 48. & 49.*

CHRISTVS. Equidem de hoc in Euangelijs dictaui nihil quicquam:

1. Exemplo tamen meo sat docui Cultor Cœlibatus.

2. Nec improbaui, sequaces mei Apostolos, Discipulosque vxores continuò reliquisse; nec liberis carnalibus, sed spiritalibus operam nauasse impensius.

3. Quò Sanctius illud Tit. 1. *Oportet esse Episcopum hospitalem*, φιλόξενον, id est, vertit Hiero. *Castum, seu sobrium, iustum, Sanctum, Continentem*, scil. à ducta prius. Item, 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo*; vt Sacris initiati: *se implicat negotijs secularibus*; qualis res est vxoria. Vnde S. Basilius ait: *Nuptiæ sunt pedicæ.* Ideo 1. *Cor.* 7. monentur coniugati *ad tempus abstinere, propter orationem:* Vnde infert *S. Hier. in Tit.* 1. ergo præcipitur Ordinatis semper abstinere. Sic & *Orig. hom. 23. in Num.* Vt quibus semper sit orandum.

4. Neque Vetus Test. absimile. Nam *Exo.* 12. Agnum paschalem esuri iubentur lumbos subcingere. *Exo.* 19. Legem accepturis dicitur: *Ne appropinquetis vxoribus vestris.* Exo. 28. Sancta ingressuri iubentur fœmoralia induere. 1. *Reg.* 21. Achimelec noluit dare Panes propos. nisi impollutis. 1. *Paral.* 24. Sacerdotes in templo degebant, dum Vices suas ministrabant. Quibus è locis S. Patres Cœlibatum rectè obseruari, præcipique deducunt, eò decentiorem Christianis, quò Sacra sunt diuiniora.

QVÆSTIO XX.

Fas ne Clero, accipere decimas, & possessiones?

XXX. ANTICHRISTIANISMVS.

ERASMO decimarum exactio est tyrannica, *Wicleffo* est mera eleemosyna, neganda discolis: *Fraticelli* eas sibi deberi, vt sponte, pauperibus, aiebant. *Anabaptistæ*, veri Christi ministris, non falsi, deberi volunt. Vide *Genealog. p. 21. q. 12.*

CHRISTVS. Seu Decimariam, seu qualemcunque deberi pensionem Magistratui docebam isto, Mat. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei, Deo.* vbi rectè S. Hier. & Aug. *Cæsari tributa; Decimas Deo* in suis ministris templi. Iuxta 1. Cor. 9. *Nescitis, quoniam qui in Sacra-*

Sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deseruiũt, de altario viuũt: Ita Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Quia, Mat. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* &c. 1. Cor. 9. *Quis militat stipendijs suis vnquam? Et si nos vobis spiritalia seminauimus; magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Atque tunc infidelis erat & Cæsar, & Sacerdotes plerique.

II. Quò improbius negantur possessiones iure teneri à S. Clero: cum sit, Nu. 35. *Præcipe filijs ISAE vt dent Leuitis de possessionibus.* Datumque est, *Iosue* 21. Leu 25. *Et Leu. vlt.* Qui agrum Domino vouit, eum sacerdotes possidere iubentur. Et talium Deus possessor est in famulo suo.

QVÆSTIO XXI.

An RES, Causæ, & personæ Clericales sint diuino iure Exemptæ ab sæculari Potestate?

XXXI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI Clericorum & personas, & Res, & Causas quascunque politiæ subiiciunt.

CALVINIANI res, causasque merè ecclesiasticas excipiunt. Vide in meo *Luthero-cal. p. 2. q. 51. & in Genealog. p. 2. q. 13.*

CHRISTVS. 1. Ego meam Ecclesiam esse volui, non Democraticam, vt populus eligeret Ministros sacros, ac regeret: nec Aristocraticam, vt soli iunctim Apostoli seu Episcopi præessent: sed Monarchicam, vt his quà Pastoribus, quà Gregibus, vno in Ouili Pastor vnus, Vicarius meus Petrus, Petrique successor ex ordine superintenderet. Vide *suprà q. 1.*

Qui igitur huic ordinationi resisteret, aut S. Clerum potestati sæculari subijceret, *Dei ordinationi resisteret* idem, ac cœlum terræ misceret; imò subiecta. ret. Ecquæ isthæc rerum diuinarum euersio? Diuinarum, humanarumque confusio? & certa euersio. Benè, verè Alexander Papa in Conc. Lateran. *Non decet Ecclesiam Dei minus liberam esse tempore Principum Christianorum, quam fuerit tempore Pharaonis.*

2. Quid? Deterioris forent conditionis Sacra Christiana Virique Sacri in Nouo Testamento, quam in Veteri fuerũt? At in hoc cum fortunis suis exempti erant Sacerdotes, *Gen.* 47. sub Pharaone: Leuitæ, *Exo.* 30. *Num.* 1. *&* 3. donati omnes Aaroni, iussu Dei, vt sors Dei propria. Item, 1. *Esd.* 7. Sacerdotes sub Artaxerxe.

3. Mat. 17. *Liberi sunt filij Regum* à tributis: At Ego sum Rex Regum, & Clerici sunt liberi mei. Quin Regum quoque ministri habentur immunes; quo magis serui mei in libertatem vocati. Quò sanctius ab exemplis S. Scripturæ statuerunt Sancti mei, diuino iure, etsi minus expresè scripto, tamen ab exemplis ducto, Ministros meos esse debere, sicut, Magister eorum est, exemptos. Satis est, *si sit Discipulus, sicut Magister est.*

DE MONACHIS.

QVÆSTIO XXII.

Quanta sit Antiquitas Religiosæ vitæ?

XXXII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI negant ante 400. annum à Christo nato vllam vsquam Monasticen extitisse. Vide in meo *Lutherocalu. p. 2. q. 53.*

CHRISTVS. I. Ego ipse meâ vitâ & Doctrinâ status Religiosi perfecti, quantus in Euangelio apparet, Autor extiti, promulgator, & protector, *Est autem Religio status hominum ad perfectionem tendentium per indissolubilem Votorum trium essentialium professionem.*

1. Consilium Obedientiæ dedi Luc. 9. *Qui vult venire post me, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur post me.* Matth. 19. *Consulebam* iuueni. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.*

2. Paupertatem, Luc. 14. *Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.*

Item Matth. 19. vers. 29. Lu. 18. vers. 29. &c.

3. Castitatem docui, Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.*

II. Et verò Apostoli mei Consilia amplexi ritè tenuere: Matt. 19. *Ecce nos reliquimus omnia*, Bona fortunæ, vt Pauperes: vxores, v t casti: *& secuti sumus te*, vt obedientes. Atque ideo *Amen dico vobis, qui reliquerit domum, & patrem & matrem & vxorem, & agros propter regnum Dei, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

III. Accedit, quòd præcessit adumbratio Religionis; cuius quædam est in Euangelio perfectio. 1. Gen. 4. Enos, *iste cæpit inuocare Nomen Domini*, cultu rituque scilicet peculiari; nam antè Adamus, Abel, Seth inuocauerant Dominum modo vulgari.

2. Nazaræi, *Numero. 6.* Votis conceptis sese cultui diuino consecrabant.

3. Helias & Helisæus absque vxoribus, opumque studio vitam transegerunt. Vnde filios prophetarum, Monachos appellat S. Hieronymus *ep. ad Rusticum.*

4. Nepotes Rechab, *Ierem. 35.* abstinebant vino, agros non colebant, duram vitam exigebant.

5. Ioannem Baptistam verè Monachorum principem appellant S. Patres, Chry. Hier.

QVÆSTIO XXIII.

An sint CONSILIA Evangelica?

XXXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ negant vtrumque. Vide in meo *Luthero-calu. p. 2. q. 54. 55.* Et in *Genealog. p. 2. q. 15.*

CHRISTVS. 1. Dicentibus Apostolis. Mat. 19. *Non expedit nubere*; respondi: *Non omnes capiunt verbum hoc; sed quibus datum est, &c.* Nam *sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat*: hoc Consilij est, non præcepti: Neque illud, *Propter regnum cælorum*, significat, propter Euangelium prædicandum: (vt vult Martyr, contra S. Patres.)

2. De voluntaria Paupertate dixi adole-

olescentulo: Mat. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & veni, sequere me* obedienter. Et hoc Consilium esse patet ex hoc: *Si vis perfectus esse:* Nam de necessitate præceptæ salutis dixeram: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quod autem Consilijs istis suum sit præmium, meritumq; certum, subiuncto docui: *Et habebis thesaurum in cælo.* Sic omnis Patrum consensus est.

Sicque Petrus intellexit, ideo audito Consilio hoc meo, aiebat: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis* meriti ac præmij? Matth. 16. respondi: *Qui vult venire post me, Abneget semetipsum;* quò magis sua: *Et tollat crucem suam,* quæ existit ex concupiscentiæ stimulo perpetiendo; *& sequatur me,* obediendo. *Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam* in vitam æternam.

QVÆSTIO XXIV.

An Consilia Euangelica sint obseruatu possibilia?

XXXIV. ANTICHRISTIANISMVS.

PRÆCEPTA Dei obseruatu possibilia nemini sunt; quanto minus, si quæ forent, altioris Consilia perfectionis.

CHRISTVS. 1. Verè Pater meus dixit per Moysen, Deu. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est: sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, in corde tuo, vt facias illū.* Eccl. 33. *Homo sensatus credit Legi Dei, & lex est fidelis.* Et ego, Matth. 11. *Tollite iugum meum s. vos: Iugum enim meum suaue est & onus meum leue.*

2. Atque idcirco, Mat. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata;* dixi adolescēti: Qui mihi verè reddebat. *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea. Quid adhuc mihi deest?* Consilium, inquam, Euāgelicæ perfectionis: *Nam si vis perfectus esse,* Paupertatem voluntariam sectare, *vende omnia, & da pauperibus; & veni,* cum flore castitatis, *& sequere me* Virginem Virgo, & obedientem obediens.

3. Erit, quando, Act. 2. & 4. nemo, *quæ possidebat, aliquid suum esse dicet; sed erunt illis omnia communia:* & venditorum *pretium ponent ad pedes Apostolorum: ac diuident illa omnibus, prout cuiq; opus erit.* Factumque est ita.

4. Erit, quando vni Philippo parenti, Act. 21. *erunt quatuor filiæ Virgines prophetantes:* Si tunc tot, quot erunt cæteris? Sap. 3. *Felix sterilis, & incoinquinata. &c.* Quare, Isa. 56. *Non dicat eunuchus: Ego lignum aridum. &c. Dabo eis nomen melius à filijs & filiabus.*

5. Quoad obedientiam; *Ego veni, non vt faciam voluntatem meam; sed Patris mei, qui in cælis est:* Et *hic est cibus meus.* Huc & Discipulos vocaui, Matt. 4. *Venite post me; & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis relictis relictis retibus & naui, secuti sunt me obedientes.*

QVÆSTIO XXV.

An Vota sint Vtilia, gratusq; DEO cultus? An cum Veteri Test. sublatus?

XXXV. ANTICHRISTIANISMVS.

VOTA nulli sunt bono; adeoque non vllus Dei cultus; vt sit ἐθελοθρησκεία, seu voluntaria superstitio. Suntque cum vetere lege stirpitus sublata.

CHRISTVS. 1. Promisi ac præstiti, & præstabo: Mat. 19. *Vos, qui secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis: Et sedebitis, iudicantes XII. Tribus Israel.* Sap. 3. *Quæ nesciuit thorum in delicto, dabitur ei fidei donũ electum.* 1. Cor. 7. *Dico innuptis & viduis: Bonum est, si sic permãserint.* Et Vidua *beatior erit, si sic permanserit.* Quam glorioſæ hæc sunt vtilitatis?

II. Vouere autem, Deum est insigniter colere. Isa. 19. *Colent Deum in hostijs & muneribus: Vota vouebunt, & soluent.* Nec aliud insignius sciebat, quod Deo præstaret, quam, Gen. 28. quod *Votum vouit Iacob.* Itemque Dauid, 2. *Reg.* 7. Idque voluntarium, minimeque præceptum. Vide *Luthero-cal. p. 2. q. 56.*

III. *Neque ego veni soluere legem, sed adimplere;* Mat. 5. Hocque amplius legem de Votis reddendis; quò lex gratiæ esse perfectior debet Lege vetere seruitutis. Cùm autem in hac Lex de Votis Moralis fuerit, non solui eam, sed adimpleri perficique oportuit per veros Adoratores in spiritu & veritate: Veluti prædictum Isa. 19. *Vota vouebunt Domino, & soluent.* Sin; 1. Tim. 5. erunt *habentes damnationem; quia primam Fidem irritam fecerunt.*

Tametsi igitur omnia Veteris Testamenti Ceremonialia, & Iudicialia voluerim antiquata; Moralia tamen confirmaui tantò solidius, quale *Vouere Deo* est. Quocirca, Deut. 23. *Si nolueris polliceri; absque peccato eris: Si voueris; non tardabis reddere.*

QVÆSTIO XXVI.

An Deo rectè voueatur Paupertas, & Obedientia?

XXXVI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ damnant vtramque ἐθελοθρησκείας, seu superstitionis; Vide *Luthero-cal. p. 2. q. 59.*

CHRISTVS. 1. Ego sic volui, & docui, Mat. 5. *Beati pauperes spiritu:* non paupertate Afflictionis; non Humiliationis; sed voluntate non diuites; Et; nõ diuites, seu pauperes Actu, sed non affectu; neque pauperes actu simul & affectu: sed pauperes Affectu, etsi non actu. Hi enim sunt hilariter & sponte afflicti, humiles; &, licet *omnia habentes, nihil tamen possidentes.* Hunc in sensum istius beatitudinis concedit omnis S. Patrum consensus.

2. *Quoniam talium est regnum cælorum;* principaliter sic mea eis gratia donante; dein etiam ipsorum Voto sic commerente. Proinde dixi, Luc. 6. *Væ diuitibus:* Et Mar. 10. *Quam difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum cælorum! Facilius est Camelum intrare per foramen acus, quam diuitem in regnum cælorũ.* Quare id omne Deo recte vouetur, quod Deo teste bonum esse, gratumque illi scimus: tale est Paupertatis voluntariæ votum: ergo rectè vouetur.

3. Mat. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende. &c.* Quia rectum est vouere, ac perfectum, ideo ad id hortatus sum: præmiumq; proposui, vt traherẽ pellectos.

4. Hue

4. Huc concurrebant, Act. 4. *Credentium cor vnum & anima vna; nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum dicebat.*

5. Huius violatio voti, *Act.* 5. Sacrilegij crimine obstrinxit Ananiam & Saphiram, reosque mortis constituit.

XXXVII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ: Obedire, cui non debetur, quasi ob Dei cultum; est stultum; & impietas. Vide *Luthero-cal. p. 2. q. 54. & 59.*

CHRISTVS. Ego verò *fui obediens vsque ad mortem.* Phil. 2. Et dixi, docuique: Mat. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hoc animi præparatione omnibus Fidelibus est factu Necessarium ad salutem; ad perfectionem verò altiorem & coronam gloriosiorem, est Consultum: sed *qui potest capere, capiat.* Si *vis perfectus esse, vende. &c. & sequere Me* sic obligatus arctè, vt retrocedere tibi integrum non sit, vi voti facti.

QVÆSTIO XXVII.

An Castitas ritè voueri possit? Et à quibus?

XXXVIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHEROCALVINISTÆ negant. Vide in *Genea. p. 2. q. 15.*

CHRISTVS. 1. Meam Virginem Matrem Deo perpetuam vouisse castitatem, isto Gabrielem docebat: Luc. 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quasi dicat, Impedimentum posui, quo minꝰ cõcipere me fas: istud a. est votum, ob quod non licet cognoscere virum. Ita S. Patres rectè intellexerunt.

2. Eg[illegible]oni, Mat. 19. *Sunt Eunuchi, qui se[illegible]ropter regnum Dei. Qui potest capere, capiat*; sic suadeo. Castratio hic non est euiratæ naturæ, non ferri emasculantis; sed Continentia voto necessitante professa. Ita S. Patres semper sanè id intellexerunt.

3. Huc meus respexit Apostolus, 1. Tim. 5. *Adolescentiores viduas deuita; cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem; quia primam FIDEM irritam fecerunt,* votifragæ nimirum.

XXXIX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS, viris, anno ætatis 70. aut 80. Caluinus; Fœminis olim licuit ætatis anno 60. Vide meum *Luthero-cal. p. 2. q. 66.*

CHRISTVS. Ego verò ad ætatem acquiesco, cui liberi sit vsus arbitrij.

1. Vnde Mat. 19. *Sinite paruulos ad me venire.*

2. Quia Thre. 3. *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia.*

3. Exempla ecce: Baptista puer secessit in eremum. Mater mea, *Lu.* 1. adolescentula vouit Non cognoscere virum. Sic Antonius, Paulus, Hilarion, &c. Thecla, Agnes, Cecilia. &c.

XL. ANTICHRISTIANISMVS

LVTHERVS, cum suis: Parentibus inuitis nulli vnquam fas inire religionem.

CHRISTVS. At Mat. 10. inquam: *Qui amat patrem, aut matrem plus, quam me, non est me dignus.* Et *Luc.* 9. Vocatum nec vel salutare, vel sepelire parentes permisi. Id adeo in Veteris Test. imperfectione Pater voluit obseruatum. Gen. 12. *Egredere de domo tua, & de cognatione tua.* Deut 33. *Qui dixerit patri suo, & matri suæ, Nescio vos; & fratribus suis, Ignoro vos: hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum.* Ps. 44. *Obliuiscere populum tuũ, & do-*

& domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.

XLI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI in meo *Luthero-calu. p. 2. q. 66.* Professio castitatis in religione non soluit matrimonium seu ratum solum, seu etiam consummatum.

CHRISTVS. 1. Consummatum non solui posse docui, Mat. 19. *Quos Deus coniunxit, homo nõ separet. Qui dimiserit vxorem suam, facit eam mœchari.* Vnde 1. Cor. 7. *Iis, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus: Mulierem à viro non discedere*: post Consummationem. Sic Patres.

2. Ratum duntaxat potest solui per monasticen professam, exempla sanctorum approbat Deus.

QVÆSTIO XXVIII.

An Vita EREMITICA sit probanda?

XLII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI culpant in ea solitudinem, & Austeritatem. Vide meum *Luthero-cal. p. 2. q. 67.*

CHRISTVS. Eremiticen esse sanctam, in meo docui Præcursore & Baptista Ioanne, inque Helia. Ille per eam tantus euasit, vt Mat. 11. *Inter natos mulierum non surrexerit maior Ioanne.* Et *ipse*, Luc. 1. *præcessit ante me in Spiritu & virtute Heliæ.* Qui, 4. *Reg.* 1. vir qualis ac quantus?

2. De me quoque sic prodidit Lu. 5. *Ipse secedebat in desertum, & orabat.* Ceu Moysen, *Exo.* 24. in montem ascendere solum iussit Deus, ei locuturus.

QVÆSTIO XXIX.

An Monachis LABORARE necesse: & nefas MENDICARE?

XLIII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS: suis solis victitent laboribus monachi, ex præcepto.

CHRISTVS. 1. Cùm Religiosi me vocante, Mei, Apostolorumque esse debeant imitatores; Quidam in sola vita Cõtẽplatiua; Alij in Actiua sola; in Mixta alij: Vacare Deo quoq; *Supplices* soli ipsos quandoq; oportet: aut proximorũ saluti, seu cõprecando, seu prædicando. In vtroque sunt operarij & serui boni. At, Mat. 10. *Dignus est Operarius mercede sua*: præsertim spiritu laborans.

2. Corporis autem labor, vt meus & Apostolorum, esse pro Vocationum varietate potest in vinea mea, ac messe.

1. Ob quam & Ipse me cum Apostolis mulierum pietate sustẽtari permisi.

2. Quò constantius Apostoli, omissa piscatione sua ordinaria, ordinariam tenuere vocationem suam me sequendo. Quin tamen & subinde repeterent piscationem; cum libebat, licebat; non sic verò, vt Piscatoriam profiterentur. Itaque Laborandi præceptum commune omnibus volui; plus tamen, minusue alijs; alijsque aliter.

XLIV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI, teste *Luthero-cal. p. 2. q. 69.* cum damnatis olim hæreticis, Vide in *Genea p. 2 q. 16.* damnationem spontaneam colentibus mendicitatem denuntiant.

CHRISTVS 1. Ego, cùm essem dives, pauper factus sũ; ideo, Luc. 9. *Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Et testis idem Lucas, 6. *Mulieres aliquæ ministrabant ei de facultatibus suis:*

2. Om-

2. Omnis vita mea spontàneâ testatur paupertatem, opis, stipisq; indigam alienæ. Sine domo natus vixi: prædicãdo conuersatus apud diuersos prandebam; alieno iumento vilique vectus nec victum in vrbe reperiebam: in domo cœnã suprema aliena habui; alieno illatus demum sepulcro quieui. Quia Ps. 39. *Ego Mendicus sum & pauper.* Et populus meus, Psa. 108. *persecutus est hominem inopem & mendicũ.* At verò, 2. Cor. 8. *Propter Vos egenus factus sum, cũ essem diues.*

3. Sanè, cùm ad tam glorioſam me demiserim Mendicitatem; imitatores meos degeneres mei haud esse conuenit; Nec eis illam à quoquam duci ignominiosam; tantum non damnosam.

4. Sicut enim morte mea Crucis ignominiam verti in gloriam; ita paupere Vitâ meâ Mendicitatis opprobrium transtuli in fructuosum exemplum & ad Priuilegium euexi glorioſum.

5. Hinc Apostolus gloriabunda cõfidentia exclamat: Mat. 19. *Ecce, Nos reliquimus omnia.* Hinc alacres acceptabãt mandatum meum, Mat. 19. *Nolite possidere aurum, neque argentum in Zonis, nec duas tunicas.* Hinc in gratis dantes prædicationem Euangelij, quam gratis acceperant, suam auditores Euangelij profusè promebant liberalitatem, vt in mendicos præclarè de ipsis meritos: *Mat.* 10. 1. *Cor.* 9.

QVÆSTIO XXX.

An hæretici incorrigibiles sint plectendi?

XLV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS cum Donatistis & Husio, negat. Vide in *Luthero e.p.* 2. *q.* 73. *& Genea.p.* 2. *q.* 16.

CHRISTVS. Ego talibus hæreticos comparaui quæ sunt ferro flammisque persequenda. Mat. 7. *Attendite à falsis prophetis. &c. intrinsecus sunt LVPI rapaces.* Sic & Apostolus Act. 20. *Post discessum meum intrabunt lupi rapaces.* Ioan. 10. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde; ille fur est, & latro:* At hi tales morte mulctandi sunt: & verè S. Patres per tales intellexerũt hæreticos.

2. Et Ipse ego, *Ioan.* 2. nunquid flagello facto expuli profanatores templi?

3. Non Petrus, *Act.* 5. mentitos Spiritui S. Ananiam ac Saphiram spiritu oris sui occidit? Non Paulus Elymam, *Act.* 13. seductorem proconsulis cæcitate percussit?

4. Quò iustius. *Deut.* 13. & 18. falsi prophetæ iubentur occidi. Deu. 17. *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio; ex sententia Iudicis moriatur.* Sicque vsitarunt Helias, Iosias, Iehu. &c. 3. Reg. 18. 4. Reg. 10. & 23. Iustum Nabuchodonosoris edictum est, *Dan.* 3. vt, qui blasphemaret Deum Danielis, interficeretur & domus eius deuastaretur.

Quocirca cùm Ecclesia inobedientes debeat reijcere, vt ethnicos, & gladio sæculari relictos: certum est, quod Magistratus sæcularis, Rom. 13. *non sine causa gladium portat: minister enim Dei est, vindex in iram.*

ANTICHRISTI ECCLESIOMACHIÆ LVTHERO-CALVINISTICÆ

FINIS.

SACRAMENTARIVS

ANTICHRISTVS MYSTERIOMACHIÆ LVTHERO-CALVINISTICÆ.

PARS TERTIA

De Militaribus Ecclesiæ Sacramentis.

QVÆSTIO I.

An nomen Sacramentum sit ἄγραφον, nec vsurpandum?

1. ANTICHRISTIANISMVS. Lvtherv cum suis primum reiecerunt peruicaciter, sed resumente id Luthero, in odium Carolstadii ac Zvvinglii; cæteri quoque id receptarunt, ac retentant.

Calvinvs pertinaciter reiecit, hodieque respuunt Caluinistæ & Sacramentarij vniuersi, maluntque σφραγίδας, seu symbola. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 1*

CHRISTVS. Cum Sacramentum sit signum visibile rei inuisibilis, idem est quod Μυστήριον: & hoc in Biblijs græcè redditis sæpius rectè vsurpatur. Vt, *Dan. 2.* statua Nabuchodonosoris dicitur μυστήριον, signum rei secretæ, non, Rem secretam; sc. successionis regnorum, & regni Christiani. Ita Apoc. 17. *In fronte eius nomen scriptum Mysterium.* Infrà: *Ego dicam tibi sacramentum mulieris*, sc. Antichristi: Vbi non res latens, sed mulier signans dicitur mysterium. Sic & apud Apostolũ, 2. Thes. 2. *Mysterium iam operatur iniquitatis*: sc. persecutiones Imperatorum & hæreticorum.

Quare si quidem de vocabulo quæritur; in Biblijs reperitur. Sin' de veritate ac proprietate vocis *Sacramenti* agitur; equidem V l I. Sacramenta instituì; qui solus potui, volui, ac debui, vocem

tamen nusquam vsurpaui; quòd, Ioan. 16. *Multa habeo dicere vobis*, aiebam, *quæ non potestis portare modo. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Atque ex illo didicit Apostolus, ꝙ de Matrimonio dixit, Eph. 4. *Sacramentum hoc magnum est*, sc. viri fœminæque coniunctio significans illam Ecclesiæ mecum. Subinde tamen extare volui in Bibliis vocem *Sacramentum*, vbi non denotaret signum rei sacræ; sed rem ipsam secretam: Vt Tob. 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Ita Eph. 1. *notum feci vobis Sacramentum voluntatis meæ.* Et, 1. Tim. 3. *Magnũ pietatis sacramentum* est incarnatio.

QVÆSTIO II.

An Verbum Sacramenti sit Prædicatorium, an Consecratorium?

II. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI *in baptismo* volunt concionale, & conceptum baptismale:

1. Sed Caluinistæ volunt id esse necessarium ad essentiam Sacramenti; Lutherani verò ad fructuosam susceptionem eiusdem.

2. *In Cœna* Caluinistæ solum concionale requirunt: Lutherani etiam Verba institutionis: etsi diuersimodè. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 5.*

CHRISTVS, I. Ego verò in Cœna sum certâ verborum vsus formâ ad benedictionem panis: *Hoc est corpus meum. quod pro vobis datur*: dein iussi idem vsurpari: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. *Facite*, dixi, totam scilicet Actionem verbi & facti.

Et exinde vsque huc ita factum est. Sicut & in baptismo, dixi; *Docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine. &c.* Sic & factum, fitque adhuc, teste Traditione verborum horum: *Ego te baptizo in. &c.* & non aliorum Necesse est igitur certis vti verbis, si qui velint facere, quod feci ego.

2. Cùm igitur in Baptismo suscipitur Ecclesiæ Autoritas; cur non & in Eucharistia, cæterisque Sacramentis?

3. Sic in Confirmatione vsurpatur forma orationis cum impositione manuum ex *Act.* 8. An Pœnitentia tenetur forma ex Ioan. 2. *Quorum remiseritis peccata.* &c.

5. In Ordinatione item concepta seruatur, cum manuum impositione.

6. In Vnctione item ex *Iac.* 5. Traditio formam peruicacem nuit.

7. In Matrimonio similiter formam transmisit ad nos Traditio sancta.

II. Nec Concionale Verbum requiri volui.

1. Quia nusquam vel præcepto, vel exemplo sic institui. Quoad Baptismũ fit mentio nulla Concionis: vt Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &. &c.* Mar. vlt. *Qui crediderit & baptizatus. &c.* 1. Pet. 3. *Vos saluos facit baptisma.* Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum.*

2. Quia dixi, Mat. vlt. *Docete omnes gentes*, ætate sc. adultiores prius catechizate; vt rectè fit, non quod ea catechizatio forma sit essentialis baptismi; cæteroquin paruuli doctrinæ incapaces tingi non possent; Attamen *Baptizate eos in Nomine.* &c. Et hæc sola formula est necessaria.

Vnde

Vnde Eph. 5. dicitur, *Mundans eam lauacro aquæ in Verbo vitæ*, non Concionatorio; Sed illo, *Ego te baptizo in &c.* Ita verè S. Patres id exposuere.

Neque item in Synaxi fieri oportere concionem docui, *Mat. 26.* aut Apostolus, 1. *Cor.* 11. Factâ Cœnâ sermonem habui; sed eum non Eucharisticum. Par cæterorum est ratio Sacramentorum, quoad formam conceptam, minimèque concionalem.

3. Denique *Baptizantes in nomine Patris. &c.* baptizare est, non prædicare: Quo iussi ad baptismum INVOCARI Deum formula sub concepta verborum: non prædicari prius, nisi ad adultos catechumenos, hos *docete* prius vt capaces, non solùm de Trinitate, sed etiam de Incarnatione, Passione. &c. oratione, vitaque Christiana.

QVÆSTIO III.

Quis esse Minister Sacramentorum debeat?

III. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS *lib. de Missa priu* Minister Verbi & Sacramentor m esse vel diabolus potest, Eoque magis quilibet Christianus baptizatus vir seu fœmina. Vide in *Luthero-cal. p.* 390.

CHRISTVS. Ego non Angelis dixi, nec quibusuis Christianis; sed Apostolis, Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine. &c.* Luc. 22. *Hoc Facite in meam commemorationem.* Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.*

2. Et de me Apostolus, Eph. 4. *Christus ascendens dedit dona hominibus.* Nam *vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. &c. Dedit quosdam quidam Apostolos, alios.* &c. Et Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur:* Non igitur Angelus bonus, seu malus.

IV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS. Quiuis baptizatus sit sacerdos in baptismo, potestque sacra omnia ministrare. Sed non expedit vsus potestatis, ob confusionem, sine Vocatione

CHRISTVS. Apostoli mei baptizarunt ante passionem meam, *Ioanne, cap. 4. teste*: & Ecclesiæ non fit crédibile quod baptizarint non baptizati. Potestatem quoque consecrandi primum acceperunt in Cœna, cum dixi: *Hoc facite*: Absoluendi, Ioan 20. *Quorũ remiseritis. &c.* Nõ igitur in baptismo acceperunt: alioquin bis accepissent.

2. Quo rectius dixit Apostolus meus, Ephes. 4. *Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes prophetæ?* &c.

Item Heb. 5. *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo, tanquam Aaron:* idque ad honoris Potestatem, & Vsum.

3. Quin de me vere idem ibidem. *Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret.*

QVÆSTIO IV.

An Sacramenta conferant gratiam ex opere operato?

V. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ pernegant Sa-

cramenta quicquam conferre gratiæ; sed solum significando excitare fidem, quę iustificat: sicut verbum prædicatum.

CHRISTVS. 1. Præcursor meus & Baptista prædicabat & baptizabat; non tamen iustificabat: vnde aiebat, Mat. 3. *Ego baptizo vos aqua: Ille vos baptizabit Spiritu Sancto.* Discrimen afferebat ingens efficacia, quanta spiritum inter & aquã est. Alioquin par vtrique vis inerat significandi, adque fidem excitandi. At ob disparem efficaciam, Paulus, *Act.* 19. iussit baptizari baptismo Christi eos, qui Ioannis baptismo fuerant baptizati.

2. Mar. vlt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic saluus erit.* Hic baptismo vim saluandi tribuit nõ fidei soli. Hęc enim cũ præcedat baptismum, iam hominẽ iustificasset ante, quam aquâ tingeretur: at effectus sequitur causam, nõ præcedit.

3. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. S. non potest introire in regnum Dei.* Nil hic dixi de concione, nil de fide excitata; solum de vi baptismi. Quod si fides sola iustificaret, quid opus Baptismo? Sicut dixi, Mat. 3. *Ille vos baptizabit in Sp. Sancto & igni*, sc. externo, indice Spiritu interni: ita isthic *in aqua*, indice Spiritus interni ac gratiæ: Sicut acceptum panem dixi, *Hoc est corpus meum*, visibilis species index erat inuisibilis gratiæ & mysterij præsentis.

4. Neque Discipuli mei secus, quam ipse dicere, docereque potuerunt. Vnde Petrus, Act. 2 *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum, in Remissionem peccatorum.* Act. 22. *Quid moraris? baptizare, & ablue peccata tua, inuocato Nomine ipsius.* Iam illi crediderant, & tamen vis baptismi necessaria restabat: Non vt testimonium aut sigillum factæ gratiæ, sed vt instrumentum faciendę remissionis, id est, iustificationis.

5. Vidit Simon, Act. 8. *quia per Impositionem manuum Apostolorum daretur Spirit. Sanctus*, sc. Confirmationis & Ordinationis. Sic admonuit, 2. Tim. 2. *vt resuscites gratiam, quæ est in te per Impositionem manuum.* Hæc apertissima sacramenta causam esse gratiæ testantur.

6. De Eucharistia: 1. Cor. 10. *Vnum Corpus multi sumus*; Quantus hic effectus & gratia quanta? Eccuius causæ? *Qui de vno Pane participamus.* Eucharistia hæc vis est. Sicut illa baptismi: 1. Cor. 12. *Omnes nos in vno spiritu, in vnum Corpus baptizati sumus.* Per Baptismum hæc vis spiritus est Vere igitur, Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* &c.

7. Huc spectarunt Prophetiæ ac Figuræ.

QVÆSTIO V.

An Sacramenta Veteris Legis iustificarint; vti Nouæ?

VI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS affirmat de habentibus annexam promissionem remissionis peccatorum: negat de nõ habentibus eam.

CALVINVS: Ait, *Vberior sub Christi regno percipitur gratia.* Is vult pariter; hic, minus iustificasse: reijcirque illius distinctionem. KEMNITIVS accipit minoritatem à Caluino, & Distinctionem à Luthero.

CHRISTVS. Ego verò inquam, Ioan. 6. *Patres vestri manducauerunt Manna in deserto; & mortui sunt: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* His & non illis esca saluti fuit; Tantum inter vtraque

que Sacramenta interest. *Quia* nimirum, Ioan. 1. *Lex per Moysen data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est.*

2. Vnde Apostolus, Rom 3. *Quid amplius Iudæo est*, quam gentili; *aut quæ vtilitas Circumcisionis? Multum quidem per omnem modum.* Potissimum, *quia credita sunt illis eloquia Dei*, id est, lex circumcisis: & hoc præstabant hi gentibus, non iustificatione ex circumcisione. *Causati enim sumus omnes sub peccato esse* sc. circumcisos & incircumcisos.

3. Ideo, *Rom.* 4. ex professo probat, Abrahamum fuisse iustificatum in præputio, non in circumcisione.

4. Hinc, 1. Cor. 7. si de iustificatione agitur, *Circumcisio nihil est, & præputio nihil est.*

5. Gal. 4. Inter *infirma & egena elementa* est circumcisio.

6. Ideo, Gal. 6. ait; *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed noua creatura.*

7. Phil. 2. arbitratur *detrimentum iustitiam, quæ ex lege est.*

8. Col. 2. *Circumcisi estis, non circumcisione manufacta. &c. sed circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo.*

9 Idcirco, Heb. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem & inutilitatem.*

10. *Heb.* 9. Ceremonias veteres dicit fuisse iustitias carnis. Et, *Heb.* 10. ait legem Vmbram habuisse, non imaginem rerum, nec auferre peccata potuisse.

QVÆSTIO VI.

An sit Character Sacramentalis?

VII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI æque ac CALVINIANI esse negant; vt qui doceri nequeat seu Scripturis, siue aliter. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 15. & 16.*

CHRISTVS. Quod meum erat, Sacramenta instituere; peregi: instituta doceri, Apostolici muneris esse iussi: Mar. vlt. *Euntes docete omnes gentes.* &c. Et verò de Charactere, quod res est, docuerunt.

1. Vnde, 2. Cor. 1. *Vnxit nos Deus*, per gratiam gratum facientem; *Et Signauit nos*, Charactere ceu Sigillo obsignatos, consecratosque ad Dei cultum: *Et dedit Pignus Spiritus in cordibus nostris*, id est, testimonium bonæ conscientiæ, ceu consequens ad iustificationem. Quod dicit de cordis obsignatione, non externa solum symbolica.

2. Quia, Eph. 1. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis.* Benè signaculum id Patres de charactere accipiũt, post fidem dato per baptismum.

3. Eph. 4. *Nolite contristare Sp. sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis*, id est, diem baptismi aiunt Patres. Istis Credentes dicũtur obsignari; non promissiones cordis.

4. Vt Circumcisio fuit corporis character in lege carnali: ita character est spirituale animarum signaculum; de quo Isa. 66. *Omnes gentes & linguæ venient, & videbunt gloriam meam; & ponam in eis Signum*, tum Crucis, tum characteristicum. Cuius fuerit typus, *Exo.* 12. Signatura superliminarium in sanguine agni. Nec abludit vaticinium Ezech. 9. *Signa Tau in frontibus gementium & dolentium.* Et Apoc. 7. *Donec signemus seruos Dei in fron-*

frontibus eorum. Qui typi tamen rectius de vi Crucis accipiuntur, quam de charactere: signati illa saluantur omnes; non characterizati omnes.

QVÆSTIO VII.

An sint septem Sacramenta?

VIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI variant: Hi tamen vt plurimum duo solum adnumerant. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 17.*

CHRISTVS. Ego, sicut neque miracula mea, neque articulos fidei enumeraui in scriptura; ita nec Sacramenta. Neque de Nomine hæc appellaui vsquam, de Re ipsa solicitus instituenda. Quin alia plura, quæ Sacramenta vera non sunt, vocari tamen Sacramenta permisi; sed in certo significatu alio. Quare sat esse duxi instituisse signa sensibilia gratiæ insensibilis, habentis promissionem annexam. Et hæc talia sunt omnino septem.

I. BAPTISMI Ritus: est, Eph. 5. *Lauacrum aquæ in verbo vitæ.* Institutio & mandatum. Mat. vlt. *Baptizantes eos.* Promissio. Mat. vlt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.*

II. EVCHARISTIÆ Ritus: Matt. 26. *Accepit panem, &. &c.* Institutio & mandatum: *Hoc facite.* Ioan. 6. *Nisi manducaueritis. &c.* Promissio: Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

III. CONFIRMATIONIS Ritus, Act. 8. & 19. *Manuum impositio.* Effectus gratiæ ibidem, *Spiritus sancti collatio.* Institutio & mandatum indidem colligitur ex tam confidente Apostolorum Impositione manuum. Neque enim hominis esse sciebant instituere, vt Spiritus S. daretur. Vnde Petrus & Ioannes abierunt Ierosolymâ Samariam, vt manus imponerent, & orarent, ac vngerent.

IV. POENITENTIAE Ritus, Ioan. 20. *Quorum remiseritis. &c.* rituiudiciali externo. Promissio: *Remittuntur eis.* Mandatum: *Sicut misit me Pater, & Ego MITTO vos.*

V. ORDINIS Ritus, Manus impositio; 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.* Sic 2. Tim. 4. *Resuscites gratiã, quæ est. &c.* Institutio & mand. Eph. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Euangelistas. &c.* Promissus effectus: *Gratia, quæ est in te.* Ex promissione enim tam fidenter affirmabat.

VI. MATRIMONII Ritus est Contractus visibilis. Institutio & mand. Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Promissio: Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo IESV & Ecclesia. &c* 2. Cor. 10. *Despõdi enim vos vni viro. &c.*

VII. EXTREMÆ VNCTIONIS Ritus, Iac. 5 *Orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.* Promissio: *Et alleuabit eum Dominꝰ; & si in peccatis fuerit, dimittẽtur ei.* Mandatum colligitur ex confidentia docentis ac iubentis Apostoli, freti iussu Christi.

II. DE BAPTISMO.

QVÆSTIO VIII.

Quæ sit Materia, & forma Baptismi?

IX.

IX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS *in symposiacis, c.* 17. Ratus est baptismus in lacte, cerevisia, aut quocunque in liquore datus qui balneum dici queat.

CHRISTVS. 1. Ego verò dico, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. S. non potest. &c.*

2. Ipseque ego, *Mat.* 3. volui in Iordane baptizari.

3. Discipuli etiam Ioannis visis Apostolis baptizare *in aqua*, vt & Ioannes, æmulatione succendebantur.

4. Hinc Eunuchus Philippo, Act. 8. *Ecce*, aiebat, *aqua; quis prohibet baptizari?*

5. Quo rectius, Eph. 5. *Lauacro aquæ in verbo vitæ.* Idem, 1. *Cor.* 10. Confert baptismum cum mari rubro: Petrus, 1. *Pet.* 3. cum diluuio.

6. Sic & Prophetæ; Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam.*

Dicitur autem de me, 1. Ioan. 3. *Hic est, qui venit per aquam & Sanguinem: non in aqua solum; sed in aqua & sanguine:* quia est baptism⁹ Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Quod *Mat.* 3. *Lu.* 3. de igne & Spir. S. dicitur; id in Pentecoste impletum est.

X. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS *lib. de Capt. bab.* Forma consueta non est ad substantiam Baptismi necessaria: vtare verbis quibus libuerit, dummodo in nomine Domini baptizes; aut adeo in diaboli nomine; aut ipse diabolus baptizet; modo suscipias baptismum in nomine Domini.

CHRISTVS. Ego dixi, Mar. vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vnde Sponsa mea, Magistra Veritatis ex Sp. sancto, tali vtendum Forma sueuit & decreuit inde ab Apostolis: *Ego te baptizo in nomine. &c.* Quam S. Traditio vt docet, sic & custodit, pluribus Concilijs confirmatam.

Atque hoc est baptizari, Eph. 5. lauacro aquæ in VERBO VITAE: non concionali, sed concepto verbis totidem ac formali.

Quod autem Apostoli mei *in Nomine Christi* baptizasse produntur in *Actis*; *c.* 2. 14. 19: id in meo Instituto, sc. *in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, factum esse intellige cum S. Patribus.

QVÆSTIO XI.

An baptismus sit ad salutem necessarius?

XI. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS, Zvvinglius. &c. Baptismus non est necessarius siue ad remissionem pec. or. siue ad salutem consequendam. &c. Vide *Luthero-cal. p.* 3. *q.* 21.

CHRISTVS. Ego vero dico, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spir. S. non poterit intrare in regnum Dei;* Hæc necessitas Medij est, non præcepti: vt benè docet Au. *l.* 1. *de pe. mer. & remis. c.* 30. Rationem ipse reddidi: *Quod enim natum est de carne, caro est: Et oportet vos nasci denuo.* Declaraui idem typo Serpentis ænei, cuius aspectus erat de necessitate medij: sic & Baptismi vsus contra morsum serpentis, id est, peccatum orig.

Neque hic per *aquam* volui *mortificationem* intelligi *peccatorum*: Neque *Aqua* est epithetum *Spiritus S.* Neque *Spiritum* volui magis necessarium quam *aquam*: Neque toto dicto inesse periphrasin pœnitentiæ volui: Neque etiam *aquam* passionis è latere meo manantem; *ex aqua*, id est, merito ac vi passionis meæ. Nihil, inquam, istorum volui: sed naturalem aquam.

QVÆSTIO X.

Baptizare cui fas in necessitate?

XII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS negat fas vlli, nisi Ordinario. Nouum hoc, eiusque proprium commentum est. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 22.*

CHRISTVS. Ego contrà affirmo, 1. Quia Mat. 28. *Euntes docete omnes gẽtes, baptizantes eos*: at omnes tenentur etiam in articulo necessitatis Docere: quid nî & baptizare?

2. Piè fecerunt, *Act.* 18. docendo Apollinem Aquila & Priscilla par coniugum.

3. Deinde, *Act.* 8. Philippus solum Diaconus baptizauit eunuchum: Ananias, *Act.* 9. Paulum laicus. Petrus, *Act.* 10. iussit baptizari à fratribus laicis Cornelium eiusque familiam.

4. Ipso Pentecostes die baptizata sunt 3000. hominum; quod Apostoli soli facere nequiuerint; iuuerint LXXII. discipuli, tum adhuc laici.

5. Sephora, *Exo.* 4. placuit Deo, quod in necessitate filium circumciderit, etiam coram Moyse, per id à morte seruato. Quantò gratius mihi fiet, seruatâ per baptismum in periculo subitaneum animâ, pro qua mortuus sum?

QVÆSTIO XI.

Sintne baptizandi infantes?

XII. ANTICHRISTIANISMVS.

ANABAPTISTAE negant ante XXX. annum baptizari oportere. Itemque Ministri Transyluani; & subobscurè Erasmus.

CHRISTVS. Ego de omni ætatis gradu dixi, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei.*

Atque singulatim de Infantibus, Luc. 18. *Sinite paruulos ad me venire, talium enim est regnum cœlorum. Et afferebant ad eum Infantes.* Ideo ipsos arctè tum amplexatus, & benedixi, notante id Marco.

2. Deinde cum integras Apostoli familias baptizarunt, in ijs & paruulos fuisse quis negarit? Vt *Act.* 16. Lydiæ domus, & Custodis carceris, & 1. *Cor.* 1. Stephanæ.

3. Demum typus ita præmonstranit: nam Circumcisio data infantibus est: at *Col.* 2. ea dicitur baptismus quidam. Quo rectius Ecclesia definiuit sub anathemate, ita fieri oportere.

QVÆSTIO XII.

Num quæ Fides in pædobaptismo infantibus necessaria?

XIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI Infantes quidem esse baptizandos; & An: fidem in eis non requiri: Aut ipsos habere fidem, id est, motus nouos & sanctos, inclinantes ad fidem, &c.

CALVINISTÆ contrà: Infantes non credere: recte baptizari tamen; quod antè sanctificati sint, & Electi, in promissione Abrahæ facta. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 24.*

CHRISTVS. 1. Tametsi infantes actualem habere fidem non possint; vt quæ cognitione intellectus indigeat; Nec motus nouos fidei similes persentiscant: Non tamen iustificantur sine vlla fide.

1. Di-

1. Dixi enim, Ioa. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est.* Vbi de Medio salutis loquebar; non de præcepto credendi: hoc enim infantes teneri non possunt. Et illius necessitatem absolutam ibidem declaraui typo serpentis ænei, indefesso exaltati, cuius respectu à serpentibus icti seruabantur; peribant, qui eum non aspectabant læsi: *Ita exaltari oportet Filium hominis, Vt omnis, qui Credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

2. Hinc iterum dixi: Mat. vlt. *Ite docentes & baptizantes, &c. qui Crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.*

3. Adeo, Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Vnde passim Apostolus; Rom. 3. *Arbitramur hominem iustificari per fidem.*

II. Porro Ego ipsis fidei, spei, charitatis habitus in baptismo infundo: Sicq; *Ego & Pater meus ad eum venimus, & mansionem apud eum facimus*; Ioan. 14. Sic, Ioan. 15. *Ego sum Vitis, vos palmites. &c.* Sic dicitur; Eph. 3. *Christus habitat per fidem in cordibus vestris.* Gal. 3. *Qui in Christo IESV baptizati estis, Christum induistis. &c. Viuo iam non ego, viuit vero in me Christus.*

III. Demum Actu credere infantes dici possunt; Tum quòd actu baptismi susceptí sit realis ac personalis professio fidei Christianæ: Tum quòd aliena fide afferantur ac gaudeant.

QVÆSTIO XIII.

An baptismus verè tollat peccata? An & Impeccabiles reddat?

XIV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ cum Origenistis & Messalinis pernegant tolli; sed tegi solũ non imputata. Vide Luthero-caluin. par. . q. 25.

CHRISTVS. At verè de me Baptista, Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui Tollit peccata mundi.* Et Ipse ego, Ioan. 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet; sed est mũdus totus.* Si *totus*, nil ergo remanet, ait S. Greg. l. 9. epist. 39.

2. Idque ex contrario liquet, Ioan. 3. *Quod natum est ex carne; caro est*, carnale totum: *quod natum est ex spiritu, spiritus est*, seu spiritale. *Sicut enim*, ait meus testis, 1. Cor. 15. *in Adam omnes moriuntur; ita in Christo omnes viuificantur.* At mors illa vera fuit: ergo & vita vera, non imputatiua. Rursum, Rom 5. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita per Vnius obedientiam iusti constituentur multi.*

3. Itaque Ioan. 3. *Nisi quis Renatus fuerit. &c.* Sic, Col. 2. *Cum essemus mortui propter delicta, conuiuificauit nos Christo:* 1. Pet. 2. *Quasi modo genitos infantes.*

4. Figuris idem manifestaui: taceo veteres: Ecce tibi, *Mat.* 8. porcorum in mari submersio. Probatica, *Ioan.* 5. Sanitatem veram corpori conferebat. Ego, *Ioan.* 9. cæcum natum oculos liniui; se lauit, & vidit.

XV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTAE. *Non potest homo damnari nisi nolit Credere: si stet, vel redeat fides in promissionem baptizato factam.* Non baptismo, tanquam Dei chirographo certiores reddimur de perpetua adoptionis gratia, ait Caluinus. Vide *Lutherocaluin. par. 3. quæst. 26.*

CHRISTVS. 1. Ego verò Sententiam recitaui ferendam, non ob fidei defectum, sed vitæ; Mat. 25. *Ite maledicti. &c. quia esuriui & non dedistis. &c.* Ibidem:

fatuæ excludúntur à nuptijs, non quòd virgines non essent in fide illibata; sed quod non ornatis essent lampadibus paratæ. Certe 1. Pet. 2. *Melius erat eis non cognoscere viam iustitiæ.*

2. Atque tametsi Rom. 11. *Tu fide stas:* tamen *Noli altum sapere:* nam excidere fide potes: Sicut *pater mendacij ab initio in Veritate non stetit.* Meus ille Iudas verè, vt cæteri, credidit; at excidit fide, ac perijt. Ita multi, 1. Tim. 1. *circa fidem naufragauerunt.* Thomas & Apostoli steterunt mecum in fide; sine me exciderunt; perissent, nî ipsos restituissem.

QVÆSTIO XIV.

An baptismus liberet fideles a lege Dei, Ecclesiæ, & à Votis?

XVI. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERANI iuxta & CALVINIANI aiunt, Christianos ad aliam Dei legem non obligari, nisi ad Fidem; inq; hoc Christianam consistere libertatem. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 27.*

CHRISTVS. Ego verò perneceſſarium esse docui: Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* Omnino, Mat. 5. *nolite putare quoniam veni soluere legem. &c.* Proinde *qui seruat mandata mea, hic est qui diligit me.* Mat. vlt. *Baptizantes. &c. & docentes eos seruare, quæcunque mandani vobis.*

XVII. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERO-CALVINIANI aiunt omnes, Baptismum omnes ab omni etiam humana lege obseruanda absoluere, cum nulla obligare conscientiam possit. &c.

CHRISTVS. Tales me conueniebant, vt circumuenirent, Luc. 20. *Licet ne tributum dare Cæsari, an non?* Quibus inquam: *Quid me tentatis hypocritæ?* Ro. 13. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo.* &c. Mat. 7. *Reddite ergo Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ Dei, Deo.*

2. Quid ego Pilato? Ioan. 16. *Non haberes potestatem aduersum Me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Ideo, Heb 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis. Ipsi enim perui gilant pro vobis, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.*

XVIII. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERO-CALVINISTÆ: Baptismus liberat à Votis tam factis, quam faciendis.

CHRISTVS. Stat, perstatq; lex, Ps. 75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* Et verò præclare norat vim Voti mea Deipara, dum *dixit ad Angelum: Quomodo fiet istud,* vt à voto absoluar, *quoniam* ex voto *virum non cognosco?* Deuotæ enim Deo, 1. Tit. 5. *Cùm luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt, habentes damnationem; quia primam fidem irritam fecerunt:* at hæ baptizatæ fuerant, neque tamen à voto liberatæ. Plura par. 2.

QVÆSTIO XV.

Baptismus Christi, & Ioannis an sit idem?

XIX. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERO-CALVINISTÆ, *p. 3. q. 31.* contra Lutherum, affirmant idem esse sacramento, & efficacia.

CHRISTVS. I. Nec ipse Ioannes baptismum suum esse Sacramentum vnquam dixisset: quod altioris id esse potestatis sit professus: *Non sum ego Christus: sed qui medius vestrum stetit, ille est: cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti.*

2. Ipse

2. Ipse differentiam edixit: Mar. 1. *Ego baptizaui vos in aqua* sola, absque verbi concepta forma: *Ille vos baptizabit in Spiritu S.*

3. Illius baptismus proprie dictus est *Baptismus Ioannis.* Mar. 11. Luc. 20. Act. 1. 18. 19. quod nihil ei Numinis ineslet. Hinc, Mat. 3. *Videns Ioannes multos, venientes ad Baptismum SVVM.* Et Ego, Mat. 22. *Baptismus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus?*

XX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ parem Ioannis & Christi baptismis vim asserunt valuisse ad remissionem peccatorum vt ea non imputarentur.

CHRISTVS. 1. *Quantò præstantior est Spiritus aqua,* (ait recte S. Basil. lib. 1. de bapt.) *tantum excedit qui baptizat in Sp. S. illum, qui baptizat in aqua: Et ipsum adeo baptisma*: quantumque sacramentum est præ non sacramento.

2 Officium Ioannis erat, non instituere sacramentum: sed quod Angelus descripsit, Lu. 1. *Præibit ante Illum in spiritu & virtute Heliæ, &c. parare Domino plebem perfectam.* Ioan. 1. *Ego vox clamantis: parate viam Domini.* Venit ergo *ad dandam scientiam salutis*, non salutem ipsam vi Sacramenti.

III. DE CONFIRMATIONE ET EVCHARISTIA.

QVÆSTIO XVI.

An Confirmatio sit verum Sacramentum?

XXI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHEROCALVINISTÆ negant. Vide *Luthero-caluin. p. 3. q. 26.*

CHRISTVS. Quæ tria ad sacramenti essentiam requiri posse videntur, ea adsunt Cõfirmationi. Promissio, Signum cum verbo & Mandatum.

I. PROMISSIONEM feci peramplam ac illustrem, *Ioa.* 11, 14. de Sp. Sancto Consolaturo meos; *Ioan.* 15. & confortaturo ad testificandum; &, Ioan. 16. daturo Apostolis ac fidelibus robur ad arguendum *mundum de peccato, de iustitia, & iudicio.* Ideo iussi, Luc. vlt. *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Act. 1. *Accipietis Virtutem superuenientis Sp. Sancti in vos, & eritis mihi testes.* Atqui hæc insuper promissio facta est iam diu multumque catechizatis, Et baptizatis, sicque in gratia positis; & tamen ampliore confirmandis.

II. SIGNVM sensibile cum Verbo, quibus ea promissio applicetur, est Manuum impositio cum oratione. Et Apostoliquidem acceperunt eam gratiam absque medio, at non absque miraculo, in die Pẽtecostes: Cæteri verò cum medio dicto per Ministerium Apostolorum. Act. 8. *Tunc imponebant manus super eos, & accipiebant Sp. Sanctum.* Idem *Act.* 19. Atque ad hoc medium infallibilis subsequebatur effectus, diu visibiliter superuenientis Sp. Sancti, demum inuisibiliter. Patet concionante Petro, *Act.* 2. idemque ex Iohele testante. Item *Act.* 11. Cornelium eiusque comites catechizante, & ad manuum impositionem veniente Sp. Sancto sic, quod, Nihil discreuit inter nos & illos, inquiebat.

III. MANDATVM colligitur ex ordi-

naria & secura manuum impositione, teste Mandati desuper accepti. En praxin *Act.* 8. 19. *Hebr.* 6.

Neque ea Impositio manuum fuit baptizatorum oblatio facta Deo; sed infallibilis Collatio gratiæ. Neque erat gratia gratis data: quia hæc non dicitur simpliciter Sp. Sanctus; nec habitat semper in iustis, sed etiam improbis datur, *Mat.* 7. Neque hanc Ego promisi *Ioan.* 14. 15. 16. sed communem omnibus aliam. 1. Cor. 12. *Nunquid omnes prophetant; nunquid omnes loquuntur linguis?* Vide in *Luthero-cal. p.* 3 *q.* 36.

DE EVCHARISTIA.

QVÆSTIO XVII.

An Realis veritas Eucharistica doceatur ex Figuris, Promissione?

XXII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ statuunt ita: Nobis, & Hebræis symbola sunt in Sacramentis diuersa; etsi nostra melior: at REM omnino eandem, figuratè & significatiuè tantum. Vide *Luthero. cal. p.* 3. *q.* 43.

CHRISTVS. Vtrorumq; st Æqualitas in Symbolica Re siue materia. Vt in pane & vino Melchisedechano; in Propositionis panibus: in Eliæ pane. Par est & vis significandi.

AT non par Efficiendi. Nam Hebræis *in figura omnia contingebant*: Nunc verò, Ioan. 1. *Lux in tenebris lucet; & tenebræ* vmbrarum *eam non comprehenderunt. Ego sum Lux mundi: Ego sum panis viuus & verus, qui de cælo descendit.* Ioan. 6, 1. Bene de me, Heb. 6. *Tu es Sacerdos in Aeternũ, secundum ordinem* Melchisedech; sed hic tamen non in æternum; nec iugiter, sed semel.

2. Deinde. 1. Reg. 21. Mundis corpore dabantur panes propositionis: At, 1. Cor. 11. *probet seipsum homo; qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat.*

3 Demum Heliæ panis satiabat ventrem: at Meus mentem. Ideireo *Ecce ego plus, quam Elias*, nempe *Heli.* Quantò igitur *Ego sum veritas & vita* præ Vmbris istis, & manibus elementis? Quò Diuinius quid inesse reuera debet meo Sacramento; quam in figuris huiusce inerat?

II. Præstantiores quoque fuissent Vmbræ & signa Hebræorum, quã Symbola Christianorum: Vt Agnus animalis, Manna cœleste, Sanguis aspersionis digniora sunt pane inanimato, furnali, & vino: Præstantiores in quam in Materia symbolica: in Vi significatiua: in que Effectu corporali.

AT verò nunc in Sacramento meo, Ioan. 6. *Caro non prodest quicquam* animalis; *Ecce, ego sum, qui loquor vobis: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata; qui immolatus est* paschalis.

2. Deinde, Ioan. 6. *Patres vestri manducauerunt Manna, & mortui sunt:* At verò *Qui manducat hunc Panem, viuet in aternum.*

3. Demum, dicebat Moyses in aspersione, Exo. 24. *Hic est Sanguis testamenti, quem misit ad vos Deus?* At Ego dixi: Mat. 26. *Hic est Sanguis meus Noui testamenti.* Luc. 22. *Hic Calix Nouum Testamentum est in meo Sanguine.*

Ecce vna RE Diuinâ Nouum Sacramen-

mentum superat Vetera elementa inania. Et vero sanguis ille aspersionis typum præferebat potius Institutionis Eucharisticæ, quam Passionis Dominicæ. *Bell. l. 1. c. 3.*

XXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI. in meo *Lutherocal. p. 3. q. 44.* pernegant, Ioan. 6. factam Eucharistiæ Promissionem aut Commendationem; nisi spiritalis manducationis cum fide apprehensiua Christi.

CHRISTVS. Ego verò secundum id promisi bifariam.

I. Implicitè, Mat. 28. *Ecce Ego vobiscum sum vsque ad consummationem*, scil. in *Iugi sacrificio*, Dan. 8. Sic id exponit Clemens V. cum Conc. Vienn. in Clementina de reliquijs: & Innocent. l. 4. c. 44. Patres tamen id exponunt de præsentia Diuinitatis, aut Prouidentia Christi: Vti illud Mat. 24. *Me autem non semper habebitis* corporali, visibilique præsentia, sicut *pauperes semper habebitis*: at vero in Sacramentali, *Ecce, Ego ipse adsum, qui loquor vobis. Ego*, Ioan. 10. *sum Pastor bonus*, pascens Verbo & Prædicato; & Incarnato, & Mystico.

II. Expressè promisi, *Ioan. 6* Demonstrantque id illud Circumstantiæ omnes.

1. Quia Ego quà Fidei obiectum eram Præsens ac datus: at loquebar de futuro: *quem Dabo.* Dein Manducatio per fidem res est omnium temporum, præteriti Patribus; præsentis, tunc cũ Christo degentib⁹: at Eucharistia hic promissa, anno post Instituta, res erat futura, Et quidem Danda ad Manducandum hic ait non ad Patiendum: nam hic de passione nec verbulum.

2. Distinctè loquebar: De me Dato in obiectum fidei sic: *Pater meus dat vobis Panem Viuum de cælo.* De Dando Sacramentaliter, dixi: *Panis, quem Ego dabo*, prius Incarnatum; at postea Transubstantiandum.

3. Dicere quid clarius debui ista promissione; *Panis, quem ego Dabo, Caro mea est: quã dabo pro mundi vita:* Itẽq; ista promissi exhibitione: *Accipite, & manducate; Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur in remissionem pec.* Idem, quod promisi, & præstiti.

4. Promissum sic intellexerunt Samaritæ dicentes: *Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum?* Et Discipuli dicentes: *Durus est hic sermo; & quis potest eum audire?* Quos vtrosq; correxi dicens: *Nisi manducaueritis Carnem. &c.* Neque in re tanta ludere volui metaphoris aut parabolis; qui hasce alias sueui discipulis explicare. *Mat. 13. Ioan. 3.* 10 16. At claritate scandalizatis hic dixi: *Vultis & vos abire?* quasi dicat, fide hic opus; qui non credit, abeat.

5. Ego toto hoc sermone sæpè distinxi *Cibum & Potum, manducare & bibere, Carnem & sanguinem*: quò apertè speciẽ vtramque futuri Sacramenti expressi. At spiritalis perceptio Christi per fidem non aget distinctione; cùm modo fiat vno semper simulque manducatio & bibitio. Sin tollas Species, iam perit Modus communicandi iste; *Caro mea verè est cibus; & Sanguis meus verè est potus.*

6. Ideo dixi: *Non, sicut manducauerant patres vestri manna*: sc. fide sola in Venturum: sed realiter, substantialiter, vereq; sub speciebus.

7. Idcirco subiunxi sermoni miraculum de multiplicatis panibus, in typum

typum Sacramenti futuri. 8. Istud Manducare & Bibere realiter iuratus, *Amen, Amen,* confirmaui: & in iuramento lusissem figuratis terminis, contra ius fas omne, moremque? At ista significat propriè corporalem actionem circa rem non imaginariam, sed reipsa præsentem.

9. Planè sicut de futuro Baptismo dixi Nicodemo, Ioa. 3. *Oportet vos nasci denuò.* Et *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Sic & de Eucharistia futura Ioan. 6. *Nisi manduc. &c.* Et *Qui manducat meam. &c.* Quare cedant Vmbræ Veritati; & Fides mãducet realiter præsentem Me, non imaginariè apprehensum tantum.

QVÆSTIO XVIII.

An Veritas Eucharistica doceatur ex INSTITVTIONE?

XXIV. ANTICHRISTIANISMVS.

SACRAMENTARII CALVINISTÆ figuratè Christi verba capienda esse pertendunt, & abnegant Veritatem: Secus credentes arguunt Idololatriæ.

CHRISTVS: At Ego Veritas dixi, & dictum factum erat:

1. *Hoc* sub speciebus contentum, *Est* verè realiter, substantialiter, *Corpus meum*: Nimirum illud, Lu. 22. *q pro vobis datur*: 1. Cor. 11. *Tradetur: Frãgitur.* At panis non est traditus, datus, factus pro vobis: Ergo Neque *Hoc* est hic panis: Neque *Est* significat corpus, vti mera figura: Neque *Corpus* est Sacramentum corporis; sed *est* ipsum *Corpus meum* meæ Personæ Christi Dei & Hominis.

2. Similiter, Mat. 26. *accipiens Calicem gratias egi, & dedi illis, dicens* Consecrando: Mat. & Mar. 14. *Hic est Sanguis meus noui Testamenti*: Vel Luc. 22. *Hic est Calix nouum Test. in Sanguine meo:* Matth. Mar. Luc. *Qui pro vobis effundetur*: At meus vere Personalis est effusus: ergo & in Sacramento prius datus. Atq; tali in re ac tanta propriè loqui debui, & feci.

3. Ita quoque verba mea Apostoli, omnisque retrò Patrum & Ecclesiæ posteritas accepit: & verè. Ego quoque omnem hæresin aduersariam destruxi; & anathematizauit Ecclesia.

4. Esto; sim in Baptismi promulgatione locutus figurate, Ioan. 3. *Nisi quis renatus*: continuò tamen explicaui tropum per hoc, *ex aqua & Spiritu Sancto.* Et in Institutione sum propriè locutus. Mar. vlt. *Euntes baptizate in. &c.* At in Cœna voces sunt propriæ omnes; explicaui nihil; quòd opus esset nihil. Vide in *Luthero-cal. p. 3. q. 46.*

5. Adhæc id tempus, is locus, ea Actio, eæ personæ erant; quæ omnem lusum tropicum minimè patiebantur. Mei quoque Euangelistæ, ipseque Paulus, verbis vtuntur ijsdem proprijs: cùm alioquin vnus explicare soleat, siquid alter scripsit figuratè.

6. Denique Ego *& panem & Calicem gratias agens benedixi*: hoc est, Consecraui. Neque sueui Benedicere, nisi magnũ quid ac singulare in rebus efficiens ipsa Benedictione rerum, Deo eiusque Honori facta.

7. Vnde Apostolus. 1. Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis &c.* Hæc de realiter vero Corpore & Sãguine meo dicuntur; non de figurato. Sicut

&i-

& istud: 1. Cor. 11. *Qui mand. & bibit indignè &c. Reus est Corporis & Sanguinis Domini.* Qui solo corpore accipiunt, ij indignè: at dignè percipiunt, qui spiritu & fide sumunt in ore & corde.

QVÆSTIO XIX.

An possibile DEO, pluribus in locis simul Christi existere Corpus?

XXV. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTAE, cum damnato Wiclefo, negant. Vide in *Luthero-cal. p. 3. q. 49. In Genea. p. 3. q. 12.*

CHRISTVS. 1. Dixi, Mat. 19. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Ita Factis docui, *quando eram cum Deo cuncta componens* Ego, *per quem omnia facta sunt*: Et *qui voco ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.*

2. Velint Adynatarij; nil credendum sine Verbo Dei; At Corpus vnum pluribus in locis existere non posse, nusquã scribi curaui, aut docui. Scriptum est, Heb. 6. *Impossibile est mẽtiri Deum.* 1. Tim. 2. *Negare seipsum non potest.* Quia non potest illa Deus, quæ facere, deficere est.

3. Docent Adynatarij verè: Vera doctrina est, quę Deum exaltat, hominem deprimit: At asserere istud de meo Corpore, est exaltare Deum.

4. Ea implicant, vt fatentur, quę cum rei essentia pugnant; at *Esse in loco* est rei extrinsecum & accidentarium. Nam & vltimum cœlum non est in loco. Omitto, quod natura docet.

5. Cùm, *Act. 9. & 22.* Paulo apparui; in cœlo simul & in aere extiti. Cui & dixi, Act. 26, *Ad hoc apparui tibi, vt constituam te Ministrum & testem eorum, quæ vidisti.* Et ipse inquit: 1. Cor. 9. *Nonne Dominũ nostrum vidi?* 1. Cor. 15. *Nouissimè, tanquam abortiuo, visus est & mihi.* Et quidem in terra me vidit, non oculis in cælo existentem intuitus est. Nam Act. 9. *Lux circumfulsit eum*: at *Ego sum lux.* Et percunctanti, *Quis es Domine?* aiebam, *Ego sum IESVS, quem tu persequeris.*

6. Sic & Petro apparui colloquens ei: Testibus S. Ambr. Egesippo, Athan. Sic deinde pluribus Sanctis *in terris visus sum.* &c. Simulque in cælo existebam idem.

QVÆSTIO XX.

An Corpus Christi tantum sit in Eucharistia sine Quanto, & Loco?

XXVI. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINIANI Veram præsentiam negant Christi, ob quantitatem, quam occupare locum esse necessarium volunt.

CHRISTVS. 1. At ego dixi, Matth. 19. Mar. 10. Luc. 18. *Facilius est CAMELO per foramen acus transire; quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* Attamen, vt *hoc apud homines impossibile est; apud Deum omnia possibilia sunt.* At non potest Camelus sic transire, nisi non occupando locum: quod cum Deo sit facilius; ergo & possibile est corpus non occupare locum. Iam verò minor est proportio foraminis acus ad camelum, quam hostiolæ ad Corpus Christi: atqui illud possibile est, & *facilius*, quam saluari diuitem: ergo & hoc, Christi Corpus non occupare locum in Euch. est possibilius illo. Esto, sit *Camelus* animal, siue rudens nauticus; sus deque est ad propositum vtrumque.

2. De me tradit Symbolum, id est, Verbum Dei Traditum, non Scriptum: *NATVS ex MARIA VIRGINE*: Iuxta Isa. 7. *Ecce VIRGO concipiet, & pariet filium*: sc. per Portam clausam, *Ezech.* 44. per quam solus Dominus intrat. Et clare S. Patres asserunt, talem meum per Virginem egressum esse cum corporum penetratione factum, sine alterius mutatione substantiæ: Quanto facilior est in Eucharistia cum transubstantiatione?

3. *Angelus*, Mat. 28. Mar. 16. *reuoluit LAPIDEM ab ostio monumenti*; non Christus resurgens, qui prius eo clauso me penetraui. Nec lapis meo cessit Corpori; (vt fingunt Calu. Beza. &c. Contra S. Patrum Consensum:)

4. *Veni*, Ioan. 20. *ad discipulos foribus clausis* secundum: vbi vel locũ non occupauit Corpus meum, vel penetratio facta corporum est: Vtrumque soli possibile Deo. Qui verò talem meum ingressum negant, (contradicentibus Euangelistis, & S. Patribus,) ME Christum abnegant, infideli deteriores.

5. Dixi, Ioa. 3. *Nemo Ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis.* Idemque feci: Luc. 24. *Recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Act. 1. *Videntibus illis elevatus est in cœlum.* En modum, Heb. 4. *Habentes ergo Pontificem, qui PENETRAVIT cœlos IESVM.* Atqui, Iob. 37. *Solidissimi, quasi ære fusi sunt cœli.* Quare Corpus Christi locum non occupauit sese penetrando. Proinde vt pariter in Euch. sit, possibile est, adeoque verissimum.

6. Epulonis vox est, Luc. 16. *Valde crucior in hac flamma.* His in animarum pœnis plura insunt miracula.

1. Corpora vruntur verè; nec tamen dissoluuntur dolore.

2. Tam spiritali naturæ conuenit, Non posse impediri; quam corporali posse impediri. Attamen potentia Dei animas adstringit gehennæ, vt non possint, quo vellent; & hisce corporibus nostris includit animas, à corpore non dependentes, vt egredi nequeant citra corporis dissolutionem.

3. Animæ seu spiritus nõ solum tenẽtur ab igne, sed & cruciãtur. quod intelligi sat nequit: credi debet Pariter causa Eucharistiæ.

7. Exempla plura similia Vide in me *Genea. p. 3. q. 12.* Cætera in *Luthero cal. p. q. 49.*

QVÆSTIO XXI.

An vere fiat TRANSVBSTANTIATIO & Accidentia persistent?

XXVII. ANTICHRISTIANISMVS

LVTHERANI probabilius putant non fieri; fieri men non impossibile censent. Vide *Luthero-cal. q. 51. 52. Genea. p. 3. q. 13.*

CALVINIANI omnem abnegant, ante santur, ciurant Transubstantiationem.

CHRISTVS. I. Quod dixi, feci, A verum erat: Mat. 26. *Hoc est Corpus meum* Hic *Panem accepi & benedixi* verè & proprièergo Mutatum dedi verumque dixi. *Hoc est corpus meum*, sc. *Hoc* sub specie bus Contentum, non est panis, sed *Corpus meum*: Non est figura corporis; sed *corpus*: Quanto minus verum est, Hic panis triticeus verè & propriè *est corpus meum*. Nam impossibile est Rem non mutari, & tamen fieri aliam: Nam esset ipsa, & non esset.

II. Hæ

II. *Hoc est Corpus meũ, quod pro vobis tradetur.* At non est traditus, seu crucifixus panis; Non Corpus paniceum; Non figura corporis mei: sed *Corpus meum:* Ergo *Hoc*, quod erat sub speciebus panis. Quare panem necesse erat esse mutatum in Corpus meum, esseque panem desisse.

III. Atque in hunc sensum meum omnium Sanctorum ijt semper, it, ibitq; Consensus Patrum.

IV. Idẽ docui potestate simili, Minore, & Maiore substãtiã vnã mutans in aliam: Simili, *Ioa.* 2. Aquam in vinum mutans *feci initium signorum, & manifestaui gloriam meam.* At in simi ibus est simile iudicium: hîc quoque similis est virtus: ergo & similis effectus.

2. Minore; Eò quod res, quæ minus possunt, quam Verbum Dei, vnam mutent in alteram substantiam; vt Ars, Natura, Gratia.

Ars Vitrificis cinerem mutat in vitrum: quantò magis Verbum Dei panem in Corpus meum? Cum, Eccl. 8. *Sermo* Dei potestate plenus est; Nec dicere ei quisquam potest, quare ita facis?

Natvra, Vt in vite, aqua mutatur in vinum; succus florũ per apes in mel, cibus in carnem: ergo magis, ait Damas. *panis & vinum transeunt, virtute Consecrationis, in Corpus & sanguinem Christi: Sic panis & vinum transeunt per nutrimentum in corpus hominis, & non in aliud.*

Gratia, Vt *Moyses*, ait Ambr. *virgam proiecit, & facta est serpens per gratiam. Quod si tantum valuit benedictio humana, vt naturam conuerteret; quid dicemus de ipsa Consecratione diuina, vbi Verba Saluatoris operantur?*

3. A Maiore. Nam Verbum Dei maiora fecit, facitque: *In principio erat Verbum; omnia per ipsum facta sunt*, Eugenius, *ex nihilo: ita ex potestate in spiritalibus Sacramentis, vbi præcipit Virtus, seruit effectus.*

XXVIII. ANTICHRISTIANISMVS.

Pet. Martyr. Si detur Transubstantiatio, tunc sensus falluntur circa proprium obiectum: Et probamus in Euch. esse verum panem, quia adest color, sapor. &c. Sicut Christus se probauit hominem verum, quod comedebat, dormiebat. &c. Alioquin in accidentibus esset falsitas; vt quę sunt naturalia signa internæ substantiæ.

CHRISTVS. Dixi: *Hoc*, (saluo sensuum officio, & signorum seu specierum indicio:) *est corpus meum*, Contentum, & Significatum speciebus. Similiter & *Hic Calix*, &c. Quia Ioan. 6. *Hic est Panis*, specietenus, *Viuus*, re & veritate Christus, *qui de cœlo descendit.* Ita & *Hic calix est. &c.* specietenus: at re & veritate *Sanguis* idem, *qui pro vobis effundetur.*

Quocirca sensus non falluntur circa obiectum per se, quod sunt Accidentia; quæ manent; Substantia enim est eorum obiectum per accidens. Neque in his est falsitas; quia verè significant corpus Christi præsens eiusque effectus supernaturales: cùm facta sit mutatio supernaturalis, dicta Transubstantiatio.

Hanc triplici Similitudine ostendo sic fieri, vt Accidentia maneant.

I. *Heliseus*, 4. Reg. 2. *misit sal in aquas amaras, & conuersæ sunt in dulces.* Qua in

Conuersione quatuor insunt: *Continens* species, seu claritas exterior, quæ manet. *Cõtentũ*, amaritudo interior; quæ transit in *Operatum*, sc. in Dulcedinem; Sed per *Operans*, quæ est gratia: Sic in Eucharistia est *Continens*, Species permanens: *Contentum*, substantia panis interior, transiens in *Operatum* quod est Corpus Christi: idque per *Operans*, quod est verbum Dei.

II. Samuel ait ad Saul: 1. Reg. 10. *Insiliet in te Spiritus Domini, & mutaberis*, sc. ex peccatore in iustum. In peccatore Species exterior corporis manet; Amaritudo peccati interior transit in Dulcedinem gratiæ; sed per Sp. Sanctum. Sic fit conuersio. Eugenius ad conuersum: *Nouum tibi & impossibile esse non debet, quòd in Christi substantiam terrena conuertantur: Teipsum interroga, qui præterita vilitate depositâ subitò nouam indutus es dignitatem. In exteriori nihil additum; totum est in interiore mutatum.*

III. Similitudo. Oua sub aue excluduntur in pullos. *Continens*, testa, est species exterior: *Contentum* est vitellum, quasi substantia interior oui: Hæc transit mutata in *Operatum*, sc. pullum; Sed per *Operans*, quod Natura est. Ita in Eucharistia.

2. Sic, *Luc.* 3. Sp. sanctus in specie columbæ apparuit super Christum.

3. Sic, Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*; Glossa, *Sicut auis fouens oua.* Ita, ait Aug. *Panis non sanctificatur, vt sit Sacramentum, nisi operante inuisibiliter Spir. Sancto. Quia Sicut de Virgine, per Sp. S. vera Caro Christi, sine coitu, est formata; ita per eundem de substantia panis mysticè idem Corpus Christi consecratur.* Vnde Versus.

Corpus DE pane est: Corpus DE Virgine. Primum
DE, Conuersiuum est: Sed Materiale Secundum.

QVÆSTIO XXII.

Eucharistia sine Res permanens; an Actio transiens?

XXIX ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI, Sacramentum Euch. est in solo vsu actio transiens: Permanet tamen Præsentia Corporis Christi, dum ad ægros immediatè post Cœnam defertur.

CALVINIANI: tum præcisè tantum est Sacramentum, cum actu sumitur; non dum defertur. Vide *Luthero-c. p. 3. q. 55.*

CHRISTVS. 1. Ego ante manducationem & bibitionem dixi, & feci, verumque fuit: *Hoc est Corpus meum.* Quippe *cum accedit verbum ad elementum*, tunc, non postea, *fit Sacramentum.* At prolata à me verba protinus vera fuerunt.

Neque hic attendendum, quid prius, posteriusue scripserint Euangelistæ: nã, *Mar.* 14. produntur prius bibisse; deinde dixisse, *Hic est Sanguis meus. &c.* Sensus autem verborum cogit, ea prius dicta fuisse: cùm causa manducandi esset istud. *Manducate*; Cur? *Hoc est ENIM Corpus meum*: Mat. 26. *Hic est ENIM Sang. meus.* Idque prius in calice fuit, quam in ore; nam, Luc. 22 Mar. 14. *Hic est calix noui Test. in Sang. meo. Est*, dixi, nõ *Erit.* Itaq; Consecratio materiæ est actio Sacramentalis perfecta, etiam non subsequête Manducatione.

2. Ideo S. Patres dicunt in altari esse Sacramentum; aram esse sedem eius. &c. Vnde Rem permanentem verè esse Sacra-

Sacramentum agnouerunt, etiam omissa manducatione; Licet Benedictio fiat in ordine ad manducandum.

3. Dissimilitudo Baptismi & Eucharistiæ id declarat: Nam Baptismus non est aqua; sed aquæ applicatio; quæ est actio transiens; At Eucharistia est Res ipsa benedicta, res permanens per se & sacra, non communis: Sic 1. Cor. 11. *Panis, quem frangimus: Calix benedictionis, cui benedicimus.* Atque illi Rei permanenti conuenit definitio Sacramenti; vt sit signum visibile, gratiæ inuisibilis. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 55.*

QVÆSTIO XXIII.

Qualis Panis & Vinum sint MATERIA Eucharistiæ?

XXX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINIANI Panem fermentatum sibi deposcunt, cum Græcis Schismaticis. Vide *Luthero-c. p. 3. q. 56.*

CHRISTVS. At, Mat. 26. *Prima die Azymorum*, feria V. Luna XIV. vesperi, *accesserunt discipuli dicentes: Vbi vis paremus. &c.* Sic Mar. 14. *Prima die azy. quando Pascha immolabant.* Luc. 22. *Venit dies azy. in qua necesse erat occidi Pascha.*

2. Ac ne feriam VI. Lunam XV. putes serotinam; ideo ait Ioan. 13. *Ante diem festum*; sc. Luna XIV. Et postridie clamabant: *Non licet nobis intelligere*, sc. ob festum Lunæ XV. quo Pascha bonum, ouiumque immolandum: ideo nec Prætorium intrarunt Ioan. 18. *Vnum dimittam vobis in Pascha*, ipsa XV. Luna.

3. Hisce consentiunt S. Patres omnes recti corde. Atqui cum initio feriæ VI. quod dabatur vesperi feria V. Pascha manducaui, & continuò post institui Euch. in ferm.

XXXI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI sentiunt, Vinum posse misceri aqua; at non ex debito, seu præcepto: facto tamen non miscent in Cœna.

CALVINIANI aquam etiam dirè execrantur in Cœna.

CHRISTVS. Ego verò ipse in Cœna sacra, calicem vini aquâ permiscui; etsi nullum id verbum scriptum, Traditum tamen testatur, in Liturgia Iacobi, in Const. l. 8. Clementis, &c. & omnis retrò continuata ætas, & S. Patrum harmonia. Vide *Luthero caluin. par. 3. q. 57.*

QVÆSTIO XXIV.

An certa Verborum FORMA conficiatur Sacramentum? Et ab alio, quam Sacerdote?

XXXI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI aiunt; Sed ore & voluntate Christi per Ministrum; non ore Sacerdotis vi iussionis Christi &c.

CALVINIANI negant: sed verbum concionatorium, aut Institutionis Recitatorium ex 1. Cor. 11. requirunt. Quòd hæc verba velint ad instruendum populum historiæ recitari; non ad benedicendum Panem ac Vinum. Vide *Luthero-c. p. 3. q. 58.*

CHRISTVS. At Ego, 1. Pronunciaui hæc: *Hoc est enim Corpus meum: Hic est enim Calix Sanguinis mei.*

2. Hisce Consecraui: quia dicta verba ea statim esse vera oportuit, Idque esse, quod affirmant.

3. Volui eadem repeti, ijsdemque cõsecrari. & id per os Sacerdotis; non per

ſolam voluntatem meam: *Hoc facite:* ſic volo, ſic iubeo, vos *facite* ritu tali ſenſibili, hoc ſacramentali; non ſola voluntate mea, hoc eſt modo miraculoſo, & non ſacramentali ſenſibili.

4. *Hoc* vere *facite*, non hiſtorice ſolum recitate, non ſolum prædicate, *manducate*, non ſolum Credite fide excitatâ. Ita omnis retro poſteritas Faciet, Fecit, Facit: nil Fingite. &c.

XXXII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHER. Baptizatus omnis poteſt adminiſtrare Euchariſtiam; at ob confuſionem ordinis eccleſiaſtici non vulgandum.

CALVINVS id præfractè negat.

CHRISTVS. Ego præcepi, *Hoc facite*, cunctis quidem Chriſtianis ſc. *manducate, & bibite*: at ſolis Apoſtolis, *Benedicite, Frangite, Diſtribuite.*

1. Cùm enim Sacramenta conficiantur in perſona mea, ideo nil is facit, cui Ego non id commiſi. Vnde Lucas; qui ſolus ſcribit, *Hoc facite*; ſolum præmiſerat, *Accepit, benedixit, dedit*: quaſi dicat, *Hoc*, quod ſolorum eſt Sacerdotum *facite*: Quia autem ego ipſe manducaui & bibi; ideo & *vos manducate & bibite* ſub eodem præcepto.

2. Quia ſi omnibus mandaſſem; benedicere & diſtribuere omnes tenerentur: quod perabſurdum foret: ideo nunquam ſic vſquam intellexit Eccleſia. Quare ſolos attinet Sacerdotes mandatum hoc.

QVÆSTIO XXV.

Quali cum Effectu, & Præparatione Communicatur?

XXXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS: Præparatio optima eſt, ante retroque ſcatere peccatis: Effectus Remitti peccata: Indignitas accedendi eſt, vacare culpa. LVTHERANI Remiſſionem pec. credunt; cætera reijciunt.

CALVINVS variat, eadem aſſerendo, & negando. Vide *Luthero-c. p. 3. q. 60.*

CHRISTVS. 1. At ego, *Ioan. 6.* aſſero, ad vitam ſumi panem cœleſtem nutriendam ac conſeruandam. Et aduerſarij fatentur me loqui iſthic de ſpiritalis manducationis effectu, etſi de ſymbolis agi pernegent. At *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Id quod externæ ſpecies atteſtantur. Cibum verò mortuis dari abſurdum.

2. Deinde Euchariſticæ Figuræ præmonſtrarunt idem: vt Eſus agni, *Num. 9. & 2. Paral. 30.* à purificatis ſolum veſcendi. Item panes propoſitionis: 1. *Reg. 21.* Carnes ſacrificiorum, *Leu 22.* qui pollutus edebat, peribat anima eius de populo.

3. Et vero idcirco, Ioa. 13 Laui pedes diſcipulorum prius, quam Synaxim adirent. Sic *Luc. 15.* Filius prodigus ante pœnitebat reconciliatus patri. Carens veſte nuptiali, *Mat. 22.* eiectus è nuptiis dirè punitur.

4. Hinc Apoſtolus, 1. Cor. 10. *Vnus panis, & vnum Corpus multi ſumus, qui de Vno Pane participamus.* Eò, quod Euchariſtia ſolum proſit vnitis in Charitate viua membris. Proinde, 1. Cor. 11. *Probet ſeipſum homo, & ſic de Pane illo edat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi man. & bibit.* Neque probatus is cenſetur, qui ſolum credit; ſed quem expiatum non arguit conſcientia; quique ſeipſum iudicauit.

QVÆ-

QVÆSTIO XXVI.

An Christus in quaque specie sit totus? An Vtraque sit vi Præcepti sumenda?

XXXIV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS ait, negatque: Lutherani plures aiunt, prudentiores quæstionem dissimulant: Vbiquitarij coguntur asserere.

CALVINISTAE Vident & execrantur Concomitantiam. Vide *Luthero-calvin. par. 3. quæstion. 61.*

CHRISTVS 1. Dixi, Ioan. 6. *Qui manducat ME, viuet propter me. EGO sum Panis viuus qui, &c.* at non manducor nisi in specie panis: ergo in hac totus adsum.

2. Præclarè verò de me meus, 1. *Ioan. 4. Omnis Spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo nō est; & hic est Antichristus*: at soluunt, qui Concomitantiam abnegant.

3. An non verissima hæc, *Hoc est Corpus meum*: Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur*: Quocirca viuentis esse Animam Corpori oportet.

4. An non, Ioa. 1. *Verbum Caro factum est*? Num igitur sola caro absque anima? Quare nec & solum *Hoc est Corpus meum* in anime, An non sic *Verbum Caro factum est*; vt in naturis duabus vna sit Persona in hypostatica Vnione inseparabili? Et verò ea prima sunt fidei summaq; principia Christianæ.

XXXV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS, & quidam pauci; permissam & alterutram: & vtramque dicunt sæpe; sæpe negant vt potiores.

CALVINISTÆ cum his Vtramque præceptam esse volunt.

CHRISTVS. 1. Sicut plures præiere Typi de Vna specie; de Vtraque pauciores: Ita Ego *Ioan. 6.* quater de Vna meam prodidi Doctrinam:

1. *Qui manducat me, viuet propter me.*

2. *Qui manducat hunc Panem, viuet in æternum.*

3. *Si quis manducauerit ex hoc Pane, viuet in æternum.*

4. *Hic est Panis de cœlo descendens, vt, si quis ex ipso manducet, non moriatur.* Hæc Doctrina mea.

2. Exemplum simile, *Ioan. 6.* Panes multiplicaui; turbam saturaui, Potum nec dedi, nec procuraui. Item, *Luc. 24.* peregrinos in Emaus vnâ solâ Communicaui. Vbi sane Mysterium subesse mea declarauit panis Acceptio, Benedictio, Fractio, & Distributio: tum etiam Effectus illuminationis miraculosus. Vnde rectè multi S. Patrum asserunt S. Synaxin peractam esse: Alij Eucharistiæ fructum à me in figura demonstratum fuisse existimant. Fingunt, qui intellectionis figuram hic somniant.

3. Doctrina, Vsusque Apostolorum in vna est manifestus, Act. 22. *Erant perseuerantes in Doctrina Apostolorum, & Communicatione fractionis panis, & oratione.* Vbi non de sacrificio Apostolorum, quasi sub Vna sacrificasset; sed quid populus egerit, describitur: In populo autem fidelium tunc multi erant Nazaræi, qui vino abstinere sinebantur.

QVÆSTIO XXVII.

An sola MISSA sit propriè dictum Sacrificium?

XXXVI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ pernegant. Vide *Luthero-c.p.2.q.68.&c.*

CHRISTVS, I. Ego in SACRA COENA Meipsũ ipse Obtuli, Offerriq; iussi, *Hoc facite*, vsque ad consummationem sæculi: & sic *Ecce Ego vobiscum sum* in iugi sacrificio mundo. Atqui hoc est propriè dictum sacrificium fecisse, & instituisse: Ergo Eucharistia est illud, seu Missa. Ego vere sacrificaui; quia pane & vino sum cum benedictione. &c. vsus secundum Ordinem Melchisedech, Sacerdotis offerentis Deo.

II. Vsus sum verbis præsentis temporis, Luc. 22. *Datur*: 1. Cor. 11. *Frangitur*; Luc. 22. *Effunditur*, Matt. 26. *in remissionem peccatorum*. Hæc non sunt *Manducare, bibere*; sed *Sacrificari*: Idque tunc Incruentè, quia in præsenti & continenti: Item & postea, sed Cruentè, *Tradetur, Effundetur*.

III. *Quod pro vobis frangitur*: At Christum frangi non conuenit, nisi in specie panis: Vt Isa. 58. *Frange esurienti panem*: 1. Co. 10. *Panis, quẽ frãgimus*. Act. 2. *Frangebant circa domos Panem*. Itaque in S. Cœna Me prius obtuli sub speciebus vt Sacrificium: dein me dedi manducãdum, vt Sacramentum.

IV. IN TYPICIS Sacrificijs, præsertim victimis prius immolabatur; dein participabatur, Caro manducatione, sanguis aspersione; panis & vinum sumptione: At in S. Cœna sub speciebus Ipsissimus ineram Totus corpore & sanguine; dedique Me manducandum & bibendum: Quare prius immolasse me oportuit, sed incruentè: Et *Hoc facite*, sc. vtrumque offerendo, dein Monendo. In hunc sensum consensus inuadit S. Patrum.

V. Meo cum SAMARITANA colloquio prædixi idem, Ioa. 4. *Veri Adoratores Adorabunt in Spiritu & Veritate*, id est. Sacrificabunt.

1. Quia schisma Iudæorum & Samaritanorum, quod hi *in monte hoc* Garizim *adorauerunt*, id est, sacrificarunt: *Et vos*, Iudæi, *dicitis, quia Iero. est locus, vbi Adorare oportet*, id est, sacrificare. Ita loquebatur Abraham, Gen. 22. *Postquam Adorauerimus, reuertemur*. Sic Ioan. 12. *Gentiles ascenderant, vt Adorarent in die festo*. Act. 8. *Eunuchus venerat Adorare in Ierusalem*.

2. Quia Nunquam fuit Iudæis licita Adoratio, nisi in loco deputato vnico ratione Sacrificij: Cùm autem de hoc esset schisma, & fœmellæ sermo; meam quoque responsionem de eadem Sacrificiali Adoratione fuisse necesse est. Cæteroquin responsum non fecisset satis quæstioni. Atdixi, *Mihi CREDE, quia venit hora, quando neque in hoc monte, neque Ierosol. Adorabitis: sed in OMNI LOCO, tuxta* Malach. 1. *Offeretur Nomini meo Oblatio munda*.

3. Dixi, *In Spiritu*; quia, *Spiritus est qui vinificat*, Ioan. 6. sola mortua *caro non prodest quicquam*. Vbi verè Petrus; *Verba vitæ habes*: qualia sunt mea Consecrationis: *Et Veritate* realis vereque præsentis Corporis & Sanguinis mei.

4. De Noua Adoratione Sacrificiali dixi: *Venit hora*, incipientis à Meipso Sacrificialis Adorationis, *Et nunc est*: Ecce ego adsum: *Hoc est enim Corpus meum: Hic est enim Calix Sanguinis. &c.*

5. Sermo totus erat de Adoratione exte-

externa; non de interna simplice, aut bonis operibus: quia illa fuerunt ante in lege naturæ & Moysis. Ita recte S. Patres docuerunt.

VI. Apostolvs, 1. *Cor.* 10. *v.* 15. de altari triplice meminit, Gentilium, Iudæorum, Christianorum. Iubet, *Fugite ab idolorum cultura. Nolo vos socios fieri mensæ dæmoniorum.* Quare?

1. Quia *Calix benedictionis, cui ben. nonne Com. Sang. Christi est? & Panis. &c.* Ecce Sacrificium consecratorium: Nunc esse Sacramentum participatorium: *Non potestis calicem Domini bibere, & dæmoniorum: Non potestis mensæ Domini participes esse, & dæmoniorum.*

2. Quia *Videte Israel: Nonne, qui edunt Hostias, participes sunt Altaris?* Participare de altari, est de sacrificio participare: at Christiani participant de Mensa mea: ergo & de Sacrificio meo.

Item Heb. 7. *Translato Sacerdotio, necesse est vt Legis translatio fiat*; vt facta est à Naturali ad Mosaicam; ab hac ad Christianam: similiter & Sacerdotiũ ac sacrificium triplex est, Naturale, Legale, Christianum. Quare vbi est peculiaris Lex, ibi & Sacerdotium & sacrificium est peculiare; at Christiana est peculiaris lex: ergo & sacrificium. Vide *Becani Manuale c.* 10. *arg.* 4.

VII. Prophetiae dictis meis, Institutoque sacrificio nouo præcinuerũt. Vnde meus S. Aug. ep. 49. q. 3. *Nostrum*, ait, *Sacrificium non solum Euangelicis, sed etiam propheticis libris demonstratum est.* vt, 1. *Reg.* 2. prædicitur Heli cessaturum sacrificium Patrum eius, cum surget Nouus Sacerdos id est, Christus. Prou. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum. &c.* Isa. 19. *Cognoscent Aegyptij Dominum, & colent eum in hostijs & muneribus.* Et verò, *Dan.* 8. *&* 12. proditur Antichristus *Iuge Sacrificium* sublaturus: teste *Apoc.* 13. Malach. 1. *In omni loco sacrificatur, & offertur Nomini meo Oblatio munda: Quia magnum est nomen meum in gentibus:* De hoc in *Lutherocalvin. p.* 3. *q.* 72.

QVÆSTIO XXVIII.

An Missa sit Sacrificium Propitiatorium, & Impetratorium?

XXXVII. ANTICHRISTIANISMVS.

Lvthero-Calvinistæ propitiatorium esse negant.

CHRISTVS. Est vel maxime Propitiatorium inde ab Institutione sua.

1. Ego dixi: *Hic est Sanguis, qui pro vobis funditur in REMISSIONEM peccatorum.* Hoc vt in mea sacra Cœna iam tum in præsenti, *Funditur*, verum fuit; sic & est, eritque in Missa.

2. Eoque magis, quod Missa est sacrificium applicans promissiones Noui Test. Ideo enim Luc. 22. appellaui *Nouum Testamentum*: at inter huius promissiones vna est de Remissione peç. teste *Ierem. c.* 32. *& Heb.* 8.

3. Hinc meus ait, Heb. 5. Omnis Pontifex ex hominibus *assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt Offerat dona & Sacrificia pro peccato.*

4. Ideo ex contrario infert: Hebr. 10. Vbi est horum remissio *iam non est Oblatio pro peccato*, quasi dicat, vbi nondũ facta est remissio; ibi adhuc relinquitur Hostia pro peccato: Atqui remissio perfectè completa nondum est facta; sed fit

quotidiè vsque ad consummationem sæculi.

3. Quid? In lege Naturæ & Moysis fuisset Propitiatoria; & in Christiana lege ea desiderarentur? Iob. c. 1. quotidie sacrificabat pro peccatis liberorum. Et vt pro amicis Deum propitiaret, *ca. vlt.* iussit ipse Deus. Quæ sacrificia, *Leuit. 5. & 6.* varia, cum typica fuerint Christiani, quanto magis hoc esse propitiatorium oportet? Et ea propitiabant, non ex se, sed respectu suo ad sacrificium Crucis; quo efficacius Christianũ, in quo sum Ipse propitiatio vestra?

XXXVIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ esse Impetratorium negant.

CHRISTVS. Meum, inquam, Sacrificium Missæ est vel maxime Impetratorium.

1. Cùm inter Orationes, quas iussi, locum facilè principem obtineat. Hoc meus voluit, qui, 1. *Tim.* 2. Suadet fieri *in Ecclesiæ Obsecrationes, postulationes, orationes, gratiarum actiones pro omnibus.* Et recte sic exposuerunt eum S. Patres.

2. Idem Typi in Veteri Test. docent de Hostijs Pacificis, *Leu.* 7. Dauid, 2. Reg. vlt. pro auertenda peste obtulit pacifica: Onias, 2. Mach. 3. pro salute Heliodori. *Esd. 6* pro vita Darij. Enimuero *Ego sum pax vestra.*

IV. DE POENITENTIA.

QVÆSTIO XXIX.

An Pœnitentia sit verè Sacramentum?

XXXIX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS cum suis principio negarunt: dein asseruerunt.

CALVINVS cum suis pernegant. Vide *Luthero cal. p. 3. q. 80.*

CHRISTVS. Ego vero asserui, & assero esse Sacramentum: Ioan. 20. *Accipite Sp. Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Et quorum retinueritis; retenta sunt.* Hic nil abest eorum, quæ vero inesse Sacramento debent.

I. SIGNVM Externum: *Remiseritis*: Remitti verò sibi peccata nemo intelligit, nisi per signum, seu Ritum: vocis Tum Absoluentis: *Ego remitto*; seu, *Remitto tibi. &c.* Tum pœnitentis; Non enim remitti peccata debent aut Nolentibus, aut nisi ijs, qui peccata se habere confitentur, sibique displicere testantur. Tales, Act 19. *Qui crediderant, veniebant confitentes, & annunciantes Actus suos.* Idemque promulgatum est, Iac. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra; vt saluemini.*

II. PROMISSIO gratiæ: *Remittuntur eis*: idque potestate Iudiciaria; non Annunciatoria. Quippe hic ego dedi potestatem Clauium; non Prædicationis. Vnde rectius Patres interpretati sunt id de Fidelium peccatis remittendis in pœnitentia: non de Infidelium remittendis peccatis in baptismo. Atque de fidelibus iudicatur: Nam 1. Cor. 6. *Quid ad me de his, qui foris sunt, iudicare?*

III. MANDATVM liquet ibidem. Nam ideo Ritum dedi, & gratiam promisi, quod vsum eorum vigere volo, & durare vsque dum purgatione eget Ecclesia: Luc. 13. *Nisi enim pœnitentiam egeritis, similiter peribitis.*

IV. FOR-

IV. FORMA liquet ibidem: *Remitto tibi peccata tua*: Vel ex Mat. Absoluo te: *Quæcunque solueris super terram, &c.* Sicut ex illo: *Baptizantes eos in Nom. &c.* forma petitur ista, *Ego te baptizo.*

V. MATERIA Essentialis est in pœnitente Actio Contritionis & Confessionis: Integrans est, Actio satisfactionis. Cum igitur adsint Pœnitentiæ, quæ ad Sacramenta requiruntur; ipsum verè Sacramentum esse necesse est. Vide plura in *Luthero-calvin. par. 3. quæstion.* 80.

QVÆSTIO XXX.

Quæ sunt Partes Pœnitentiæ Essentiales?

XL. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINISTÆ Essentiales partes constituunt Memoriæ reditum ad acceptum baptismum; & Absolutionem. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 81.*

CHRISTVS 1. Dixit meus, qui me dilexit: 1. Ioan. 1. *Si Confiteamur peccata nostra*, non, si respiciamus ad baptismum: *Fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos.*

2. Dixit Vas electionis: Heb. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati*, sc. per baptismum, vt bene S. Patres; *& prolapsi sunt, rursum*, repetito & iam mente baptismo, *renouari ad pœnitentiam* baptismalem: At vero ad aliam Sacramentalem etiam plus *septuagies septies* possibile est renouari. Ratio. Vnum enim est fundamentum fidei & Ecclesiæ, ianua vna Baptismus: oportet esse *Non rursus iacientes fundamentum pœnitentiæ* baptismalis: *Qui non intrat per Ostium* baptismi, *ille fur est* infidelis: Ioan. 10. *Qui autem intrat per Ostium, ille vocem meam audit* Doctrinæ docentis per Ecclesiam, *& pascua inueniet* Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Confirmationis, &c.

3. Neque Petrus Simonem baptizatum, ac relapsum in peccata, *Act.* 8. remisit ad memoriam baptismi: Nec, 1. *Cor.* 6. incœstuosum Paulus: sed ad Pœnitentiam, tabulam secundam post naufragium.

4. Nihil vsquam in S. Scriptura, vel in Ecclesia Dei reperitur doctum tale, de memoria baptismi.

XLI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI Hi Absolutionẽ so â esse partem Essentialem volunt Pœnitentiæ: Isti duas, Ritum Visibilem, & Verbum Absolutionis.

CHRISTVS. Ego verò duas solas institui, Confessionem, & Absolutionem, *Ioan.* 20. ceu supra liquet. Cum enim Sacramentum voluerim esse signũ visibile inuisibilis gratiæ, statui ad signũ externum Confessionis *peccata remitti* cum signo externo sc. Absolutionis; aut, isto non apparente, *peccata retineri*, cum signo Absolutionis item negato. Vt pœnitentes ab impœnitentibus dignoscantur: & illis plus *septuagies ignoscatur*: hi verò *sint tibi sicut ethnicus & publicanus.* Est autem Sacerdos primarius Operarius meus per Claues Absolutionis; huius vero Cooperarius est Confitens per actum sinceræ & contritæ humiliationis; ad exemplum Publicani stantis retrò; & Magdalenæ lauantis pedes meos lacrymis; & respecti à me Petri flentis amarè.

***

QVÆSTIO XXXI.

Quæ sint Partes Pœnitentiæ Materiales?

XLII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI Alij duas aiunt, Contritionem & Fidem. Alii tertiã addunt Nouam obedientiam, seu Opus bonum.

CALVINIANI duas, Mortificationem veteris hominis & vitiorum; ac Viuificationem per fidem. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 84.*

CHRISTVS. I. TERROR ex minis Legis non est Contritio, aut Mortificatio, nec pars Pœnitentiæ. Nã, 2. Cor. 7. *Quæ secundum Deũ est Tristitia, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Tristitiam hic vocat pudorem & molestiam cogitantis adire pœnitentiam, vt Motiuum ad hanc motiuum verò ad rem pars rei non est. Vnde ibidem ait; *Gaudeo, non quia contristati estis* ex pudore humano; *sed quia contristati estis ad Pœnitentiam*, id est, de fructu tristitiæ gaudeo qui est impulsio, accessioque ad Sacramentum. Vide q. sequentem.

II. FIDES non est pars Pœn. etsi prærequiratur.

1. Nam Mar. 1. *Pœnitentiam agite, & Credite Euangelio.* Act. 20. *Testificans Iudæis & Gentilibus in Deum Pœnitentiam, & Fidem in Dominum Iesum.* Vbi sanè clara fit distinctio fidem inter & Pœnitentiam.

2. Fides præit Pœnitentiam, & gignit. Ionæ 3. *Crediderunt* primum *Niniuitæ in Deum, &* deinde *prædicauerunt ieiunium, & induti sunt saccis.*

III. Non sunt pars pœnitent. omnia Opera bona, quæ post iustificationem fiunt: sed *fructus sunt digni pœnitentiæ.*

IV. Nec Mortificatio & Viuificatio Caluiniana sunt partes. Quia & illa sunt fructus pœnitentiæ, ipsaq; Iustificatio: atqui hanc præcedit pœnitentia. Ezech. 18. *Si pœnitentiam egerit impius; iniquitatum eius non recordabor.* Dixi Luc. 13. *Nisi pœn. habueritis, omnes similiter peribitis.* Luc. 24. *Oportet prædicare pœn. & remissionem peccatorum.*

V. Contritio, Confessio & Satisfactio, sunt partes Pœnitentiæ illius, quæ ad remissionem peccatorum in Sacramento ordinatur: Alioquin pœnitentia virtus, est simplex; partium nescia. Ad Pœnitent. sacramentum igitur pertinet, 1. Contritio. Ioel. 2. *Scindite corda vestra.* Ps. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

2. Confessio Num. 5. *Vir siue mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, Confitebuntur peccatum suum.* Mat. 3. *Baptizabantur ab eo confitentes peccata sua.* Act. 19. *Multi Credentes veniebant, Confitentes & annunciantes actus suos.*

3. Satisfactio per opera laboriosa, 2. Esd. 9. *Conuenerunt filij Israel in ieiunio, & saccis, & humus super eos: & Confitebantur peccata sua.* Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Mat. 11. *Olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.*

4. *Dauid*, 2. Reg. 24. *percussit cor suum*: en Contritio: *Et dixit ad Dominum: Peccaui valde in hoc facto*: en Confessio: Porro en satisfactio: *sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stulte egi nimis. &c. Vertatur, obsecro, manus tua contra me.* Publicanus, *Luc.* 18. Contritus *non audebat oculos leuare in cælum*: Confessus,

ait:

ait: *Deus propitius esto mihi peccatori:* Satisfaciens tundebat pectus. Prodigus, *Luc.* 15. Cõtritus factum detestabatur: confitens ait, *Pater, peccaui in cœlum: & coram te.* Satisfacturus ait: *Fac me sicut vnum ex mercenariis tuis.*

QVÆSTIO XXXII.

Contritio an sit Actio libera, Euangelica, parsque Pœnitentiæ?

XLIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI, RIGIDI, eam aiunt esse Terrorem ex Lege concitis, & Legis minis: Proinde esse coactam Passionem, non Actionem liberam; Non opus bonum, quin spoliare omni opere bono: ac pertinere ad Legem, non ad Euangelium:

MOLLES contrà & CALVINISTÆ docent cum Catholice Orthodoxis.

CHRISTVS. Speculum veræ Pœnitentiæ mea præbuit Magdalena; quã & verbis ipse testatus sum luculentè, Luc. 7. *Dimittuntur ei peccata multa* (Autoritate mea, non vllius virtute Sacramenti, nondum adhuc instituti.) *Quoniam DILEXIT multum:* Non, quoniam fuit passa terrores: sed mero ex amore.

2. Iacobi 1. Nunquid *& dæmones credunt, & contremiscunt*, ad latam ipsis pœnalem legem. Neque tamen idcirco pœnitentiæ contritionem habere censendi sunt.

3. Ter, & verè testatus est Petrus mihi: Ioan. 21. *Tu scis Domine, quia amo te:* Idemque semper imperterritus egit; nisi quando, Mat. 14. *cœpit mergi;* At *Modicæ fidei:* Et ancillæ ad vocem terreri, immemor sui, *Mar.* 14. Ecce terror eum in peccatum negationis traxit: Amore autem mei suus *conuersus fleuit amarè.*

4. Pharisæi quantos Legis terrores aut sentiebant, aut præseferebãt hypocritæ: eos tamen Contritionem dixerit nemo, nisi similis ipsis aut deterior. Nec Regis Balthasar ex conscientia terror ad visæ manus apparitionem, Contritio fuit: *Dan.* 5. &c. Nec Iudæ terror conscientiæ ex læsæ memoria Legis quintæ in Decalogo.

5. Parumne clarè Dauid vim debitam asserit Contritioni, Ps. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies:* atque Isaias Dominus: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu,* amore Læsi Dei, & deinde etiam *trementem sermones meos* pœnales, Ps. 35. *Prope est Dominus iis, qui tribulato sunt corde.*

XLIV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI RIGIDI. Contritio est Passio coacta, non Actio libera.

CHRISTVS. At ego inquam, Mat. 3. *Pœnitentiam AGITE.* Ioel c. 2. *Scindite corda vestra.* Paulus Act. 17. *Annunciat hominibus, vt omnes vbique Pœnitentiam AGANT.* Imperatur, quod agamus, & agere possumus. Vide *Luthero-calu. par. 3. q. 85.*

XLV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI RIGIDI: Contritio pertinet ad Legem, non ad Euangelium.

CHRISTVS. Ego dico, Mat. 4. *Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cælorum.* Ego Luc. 5. *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Ego, *Mar.* 6. mittens Apostolos prædicatum, prædicare poenitentiam iussi: Meque explicaui post resurrectionem, Luc. vlt. *Oportet prædicari Poenitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Petrus, *Act.* 5. verè dixit, Me exaltatum à Patre, ad dandam Pœnitentiam Israeli: Quin, Act. 11. *Ergo & Gentibus Pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Hocque prædicauit, Act. 20. Vis ele-

ctionis, *Act.* 26. Et quisquam adhuc Contritionem ad Euangelium pertinere negabit?

2. Ego, *Ezech.* 11. & 36. Israeli promisi Test. Noui nouum spiritum, & cor carneum pro lapideo; *malleumque conterentem petras*, Ier. 23.

3. Lex vetus hoc differt à Noua, quod nō habeat promissionem gratiæ: Nam, Gal. 2. *Si ex Lege esset iustitia, Christus gratis mortuus esset.* Rom. 4. *Qui operatur*, ex Lege, *habet gloriam; sed non apud Deum.* At verò, 2. Cor. 3. *Idoneos Nos fecit Ministros Noui Test. non Literâ, sed Spiritu. Litera enim occidit, Spiritus a. viuificat.* Nā, Ps. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vitâ viuet.*

4. Lex solum terreret; non Euangelium? Et vero hoc longe horribilius terret illâ, minaturque gehennas. Matt. 3. *Cuius ventilabrum in manu eius. &c. paleas autem comburet igne inextinguibili.* Sic passim comminor gehennas, vermes immortales, Tenebras exteriores, stridorem, supplicia. &c. *Non erubesco Euangelium: Virtus enim Dei est in salutem omni Credenti. &c. Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam. &c.* Atque tantò minus spoliat bonis operibus hominem Contritio, vt quidam errare malunt *inimici crucis.*

QVÆSTIO XXXIII.

Contritio Vnde, Qualis, Quanta esse debet?

XLVI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANVS Kemnitius affingit Conc. Tridentino, quod stabiliat Pelagianismum, ac doceat Nos à peccatis liberari, non Dei gratiâ, sed nostris meritis.

LVTHERANI tamen omnes & Caluiniani in hoc consentiunt nobiscum.

CHRISTVS. Dixi, Mat. 18. *Si quis Ecclesiā non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* At Vniuersalis Ecclesia mea in Conc. Tridentino definiuit ac sæpius stabiliuit istud: Contritio seu Pœnitentia est Donum Dei, nec potest sine speciali gratia obtineri. Teste verbo factoque meo. Nam, *Luc.* 22. Me negauit Petrus tertium; nec resipuit, donec ego *conuersus respexi Petrum: & fleuit amarè.* Pulchrè S. Amb. lib. 10 in Luc. *Quos Iesus respicit, plorant delictum. Negauit Petrus, & non fleuit; quia non respexerat Dominus. Negauit tertiò, & respexit Iesus, & ille fleuit amarè.* Ita Ezech. 36. *Auferam vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum:* ecce Dei opus ac donum Ita Tim. 2. *Ne quando det illis Deus pœnit. & resipiscant à diaboli laqueis.*

XLVII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS solus negat odium peccati præteriti in pœnitentia includi; nouam vitam sufficere solam.

Contradicunt ei cæteri Lutherocaluinistæ omnes.

CHRISTVS. Ego verò, *Matth.* 23. & alubi sæpius Scribarum ac Pharisæorum coarguo peccata. Sic & *Act.* 7. Stephanus. *Act.* 13. Paulus. *Act.* 2. & 3. Petrus. S c Deus, Gen. 3. *Quare hoc fecisti? Gen.* 4. *Cayn quid fecisti?* Sic Prophetæ omnes in memoriam reducunt peccata. Plena exemplorum scriptura est. Magdalena, *Luc.* 7. vetera peccata defleuit. *Luc.* 19. Zachæus pro præteritis satisfecit.

XLVIII.

XLVIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS & CALVINISTAE negant esse Contritionem necessariam remissioni peccatorum.

LVTHERANI potiores affirmant Nobiscum.

CHRISTVS. At primam, vt maxime necessariam, Prophetæ, Baptista, Ego, & Apostoli prædicauimus pœnitentiam; à qua abesse nequit Contritio. Apoc. 2. *Pœnitentiam age, & prima opera fac. Sin autem, veniam tibi citò. &c.* Ezech. 18. *Proijcite à vobis prauitates: & facite vobis cor nouum.*

2. Ita mandaui; *Pœnitemini*: proinde quin necessaria sit Contritio, dubitare nefas. Nam, Mat. 19. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.*

3. Væ dixi impœnitentibus. Mat. 23. *Quoties volui congregare filios tuos. &c. & noluisti?*

XLIX ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ fingunt à Papistis requiri contritionem simpliciter Perfectam iræ Dei æqualem: quæ, vt impossibilis, adigat homines ad desperationem aut hypocrisin.

CHRISTVS. Verè Psaltes, 89. *Quis nouit potestatem iræ tuæ; & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Infinitæ iræ nulla humana contritio finita potest æquari: proinde nec in quam præcepta fuit. Sat mihi, vt Diligi, Sic & conuerti in toto corde. 2. Par. 30. *Dominus bonus propitiatur cunctis, qui in toto corde requirunt eum.* Velle tuum postulo totum; Sentire tuum da, quod vel habes, vel accipis plus minusue Penso ego, ex quanto, non quantum dolea. Ideo Isa. 30. Quo momento *reuersus ingemueris, saluus eris.* Nã, Eccl. 11. *Facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem.* Ita dole, quantum tibi posse videris, exemplo Dauid, Petri, Magdalenæ. &c.

QVÆSTIO XXXIV.

Effectus Contritionis an sit Remissio pec. etiam solum cum Voto Sacramenti?

L. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ negant: Aiunt Lutherani, vt Kemnitius.

CHRISTVS. Experta secus Magdalena est, Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, Quoniam dilexit multum*, ex, & cum qua fluxit Contritio iustificans, & dilectionem testificans. Sic Daniel c. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Tob. 12. *Eleemosyna à morte liberat; & ipsa est, quæ purgat peccata.* Quæ de eleemosynis pœnitentium accipi oportet: nam ijs iusti remissorum pec. pœnas redimunt: iniustis nil iuuantur.

LI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ aiunt, ad desperationem, vel hypocrisin homines induci per postulationem perfectæ Contritionis Papisticæ.

CHRISTVS 1. Ego verò qualem requisiui Dilectionem ex toto corde. &c. perfectam; talem & Contritionem esse pœnitentis oportere in Magdalena, cæterisque ad me conuersis peccatoribus, ostendi. Quocirca perinde esse vtraque perfecta in pœnitentibus potest; in Voluntate quidem auersa ab peccato, & conuersa ad Deum perfecta; in Sensu autem inferioris animæ, quantam

tam humana patitur fragilitas. 2. De tali Moyses, Deut. 30. *Si ductus poenitudine cordis, reuersus fueris ad Dominum in toto corde, & tota anima tua; miserebitur tui.* Sic & 3. *Reg.* 8.

3. Ita Niniuitæ contriti se conuerterunt; & iram Dei auerterunt. Sic plures. Et ea Contritio fieri momento potest: Adeo, Eccl. 11. *Facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem.*

LII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ negant Contritionem esse causam remissionis peccatorum; etsi ad eam asserant esse necessariâ: Quin nec eam cum Voto Sacramenti causare eandem.

CHRISTVS. 1. At verè Ps. 50. *Sacrificium*, sc. Propitiatorium *Deo Spiritus contribulatus.* Teste exemplo Publicani, Zachæi, Matthæi, Petri flentis, & Magdalenæ, & ex Saule Pauli. Ionæ 3. *Vidit Deus opera eorum Niniuitarum: quia conuersi sunt de via sua mala & misertus est Deus.*

II. Quin contritio voto Sacramenti remissionem operatur. Vnde Ezech. 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.* Ecce, *Luc.* 15. prodigo reuertenti pater occurrit, osculum pacis offert. Tantum Ps. 31. *Dixit: Confitebor aduersum me iniustitiam meam: Et tu remisisti impietatem meam.*

Nimirum, quia, Prou. 8. *Ego diligentes me diligo*: Hinc, 1. Pet. 4. *Vniuersa delicta operit charitas.* Vnde, 1. Ioan. 1. *Nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam: Quoniam diligimus fratres. Et qui non diligit, manet in morte.*

QVÆSTIO XXXV.

Num quæ peccata; quot, quantaque; sint irremissibilia Pœnitentia?

LIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI sub initio Pœnitentiam esse Sacramentum negarunt. Deinde vela verterunt, & affirmarunt; sed fœdis cum erroribus.

CALVINISTÆ verò negant præfractè. Vide in *Luthero-c. p. 3. q. 80.*

In quo sunt Nouatiani, negantes grandiora scelera vllâ vnquam expiari Pœnitentia posse. Vide *ibid. q. 91.*

CHRISTVS. Mea aut Vox euocantis è quibuscunque miserijs est generalis sine exceptione vlla, Mat. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis*, Sub peccatis, *& onerati estis* grauamine conscientiarum, & meritarum Iliade pœnarum: *& Ego reficiam vos.* Hæc Inuitatio est ad peccatores.

2. Promissio item mea ad Petrum constat, Mat. 16. Vniuersalis: *Quodcunq; solueris super terram, solutum erit & in cœlo.* Ad Apostolos, eorumque Successores, Mat. 16. *QVÆCVNQVE solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Ibidem quoque de NVMERO peccatorum: *Non dico vsque septies, sed vsque septuagies septies.*

3. Exhibitio Promissi à me facta est: Petro, Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Apostolis omnibus ipsique S. Sacerdotio: Ioa. 20. *Accipite Sp. Sanctum*, (simul insufflauit in eos) *QVORVM remiseritis peccata*, (sine exceptione) *remittentur eis.*

4. Exemplis constat idem. *Act.* 7. Stephanus orauit pro ijs etiam, qui restiterunt Spiritui sancto. Petrus, *Act.* 8. etiam Simonem Magum pœnitentiæ monuit. Paulus, 2. Cor. 2. *Auditur inter*

vos fornicatio, qualis nec inter gentes; vt vxorem patris sui aliquis habeat. Huic tamen correpto ac pœnitenti condonauit.

5. His adde repetita altius: In Regibus Israel, quis Achabo sceleratior? 3. *Reg.* 12. In Iuda regno quis peior Manasse? 2. *Paral.* 33. Poenitentibus tamen venia obtigit. Et Iudæ proditori eam obtuli ipse, ac sæpius.

6 Prophetæ vniuersè clamant, vt *Ezech.* 18. 33. Nolo mortem peccatoris. Sic *Isa.* 1. 55. *Ier.* 18. *&c.* Ioel. 2. *OMNIS, qui inuocauerit Nomen Domini, saluus erit:* at omnis serio contritus inuocat Dominũ. Hinc, ibid. *Inter vestibulum & Altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent:* generatim, *Parce Domine, parce populo tuo.* Quin & Niniuitis prædicauit Ionas & Rex Ioan. 3. *Operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine.* Et ego Omnes peccatores suscepi; Quin *Agnus sui ac sum Dei, qui tollit peccata mundi*, quot, quanta, qualiacunque sient.

QVÆSTIO XXXVI.

Contritio ex timore poenæ Seruili, an sit bona?

LIV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS. Seruilis ex timor hypocritas facit, augetque peccatum.

LVTHERO-CALVINISTAE verò eam adprobant, vt bonam, nobiscum.

CHRISTVS. 1. Ego multis studui timorem incutere gehennæ per & minas, & increpationes. *Mat.* 5. 13. 24. 25. *Mar.* 9. *Luc.* 12. Sic & Præcursor meus, *Mat.* 3. *Genimina viperarum, quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira?* Sic Psaltes. 7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit. &c.*

2. Vtilis ille timor est: Nam Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum:* cap. 25. *est initium dilectionis eius.* Isa. 26. *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis.* Mat. 1. *Si ego Pater vester, vbi est honor meus? Si Dominus, vbi timor meus?*

3. Hinc mandaui, Matth. 10. *Timete eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.*

4. Hinc eundem timorem inspirat Deum: Rom. 8. *Non accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum. &c.*

QVÆSTIO XXXVII.

An sit necessaria CONFESSIO de Iure diuino?

LV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI Vtilem ac necessariam aiunt; negantque:

CALVINISTÆ vllam esse necessariam pernegant, cum Montanistis, Nouatianis, Massalianis. &c.

CHRISTVS. I. Quia *nolo mortem peccatoris; sed magis vt conuertatur, & viuat:* Ideoque *non veni vocare iustos ad pœn. sed peccatores:* idcirco hi quoque tenentur iure diuino circumspicere sibi reconciliationem cum Deo. At huic necessarium est vnicum illud, post baptismum, Confessionis medium Sacerdoti faciundæ: Quocirca ad hanc tener iure diuino peccatores necesse est. Atq; eâ causâ Iudices constitui Sacerdotes, lapsorum reconciliatores. Iudicium verò nequit fieri, aut fingi, sine prævia causæ cognitione:

Quocirca ea est per Confessionem explicanda.

II. HAEC equidem istis manifestaui:

1. Promissione Principi soli Apostolorum factâ, Mat. 16. *Tibi dabo Claues regni cœlorum; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis: & quodcunque ligaueris. &c.*

2. Apostolis vniuersis promissi, Mat. 18. *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solueritis. &c.*

3. Exhibitio promissæ Potestatis, Ioa. 20. *Accipite Sp. Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt.* Itaque iure diuino tenentur Peccatores sese Deo reconciliare de peccatis, eaque Confiteri; Sacerdotes eadem audire; audita iudicare; iudicata remittere, aut retinere.

III. VSVS APOSTOLORVM solennis sic frequentauit.

1. Act. 19. *Multi credentium veniebant, CONFITENTES & annunciantes ACTVS SVOS. Multi autem ex eis, qui erant acriora sectati, contulerunt libros & combusserunt coram omnibus.* At Credentes dicuntur post baptismum: ergo Confitentes sunt lapsi post baptismum resipiscentes; Et in specie *Actus suos confitentes*: Idque non soli Deo; sed etiam Paulo. Neque huic facto sic necessario præcessit vlla humana institutio. Quare necessario dandum Institutionem Confessionis à me esse diuinam.

2. DEINDE, 2. Cor. 5. *Dedit nobis*, ait testis me°, *Ministerium Reconciliationis, & posuitin nobis Verbum reconciliat. Pro Christo ergo legatione fungimur.* Atqui verò Legatus ad Regem alteri reconciliandum fungi munere hoc nequit, nisi pernoscat causam vi potestatis sibi factæ: vnde alter eam edicere tenetur, ac Legati subiicere iudicio.

3. ADHAEC Iac. 5. *Confitemini alterum peccata vestra*: Necessitatem istham testatur adhortatio, ad Confitendum Peccata, Homini.

4. SIMILITER 1. Ioa 1. *Si Confiteamur Peccata nostra. fidelis & iustus est, vt Remittat nobis pec. nostra, & emundet nos ab omni inquitate.* Non dicit, *Si confiteamur* nos peccatores in genere; sed in specie *peccata nostra*.

IV. FIGVRAE istius ritè præcessêrunt: Sicut Baptismi in Arca Noe; in circumcisione; in Transitu maris rubri; in Probatica piscina; in Baptismo Ioannis; in Christi Promissione, Ioan. 3. *Nisi quis renatus. &c.* Figuratum pariter respondit in Institutione, Mat. vlt. *Baptizate omnes. &c.* inque Vsu. Sicut præierunt typi Eucharistici in Oblatione Melchisedech; in Panibus propositionis; in Agno paschali, in Multiplicatione panum; in Promissione Christi, *Ioan. 6.* Et Res Figurata respondit in Institutione; inque Vsu.

Sic & de Confessione pec. liquent eadem.

Deus eam in lege naturæ exegit: In Lege Moysis præscripsit: Ego eam in Euangelio, figuris expressi: Promisi: Iustitui: Apostoli celebrarunt Vsu facti, dicti, scripti.

I. IN LEGE NATVRÆ, Deus exegit Confessionem peccati, *Gen. 3.* ab

Adam

Adam & Eua: *Gen.* 4. ab Cayn. Et confessio oris, & peccati specialis; idque coram Ministro Dei angelo sic interrogante non solum cordis, peccati in genere, & coram Deo solo. Atqui & *Sacerdos Angelus Domini est.* Malac. 2.

II. IN MOSAICA. *Leu.* 13. 14. Iudicium lepræ solis creditum est Sacerdotibus inspectoribus, ac iudicibus lepræ. Et ego eam approbaui Mat. 18. *Ostende te Sacerdoti.* Num. 5. & Leu 5. Confessioni addidit Deus, loco Satisfactionis, Oblationem Sacrificij. Num. 5. *Vir, siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere; & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini atque deliquerint; confitebuntur peccatum suum,* quod fecerunt expresse, habetur in hebraico. Leuit. 5. *Agat pœnitentiam pro peccato.*

Quod si in Vet. Test. instituta Confessio fuit iure diuino necessaria; vbi nulla impendebatur Absolutio: quanto magis in Nouo?

III. IN EVANGELIO. *Mat.* 3. *Mar.* 1. Accurrentes ad baptismum Ioannis confitebantur peccata sua. *Ioan.* 11. De excitato Lazaro dixi Apostolis; *Soluite eum*, in figuram Ministerij instituendi. Quare Eccl. 4. *Non confundaris confiteri peccata tua.*

QVÆSTIO XXXVIII.

An dimissâ culpâ quandoque pœna rèmaneat temporanea?

LVI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI cum Luthero affirmant Nobiscum.

CALVINVS cum Luthero & Caluinistis negant. Vide *Luthero-c. p. 3. q. 98.*

CHRISTVS. Nolo. Veteris Testamenti dicta, factaque sat testantur; persæpè temporalem peccatoribus remanere luendam pœnam, culpâ condonatâ.

1. Cùm enim Deus sit idem & non mutetur, semper & Iustus, & Misericors; *misericordia* tamen *superaltet iudicium*: idcirco licet in culpę veniâ sit nunc facilior, placatus à me restitutore Amicitiæ suæ ad nos: tamen Iustitiæ pactum in vtramque stat partem, ad & præmia iustorum, & supplicia peccatorum iusta lance diuidenda *cuique prout gessit.* Hinc Dauid, 2. *Reg.* 12. adulterij, homicidij; culpâ donatâ, pœnas expendit morte filij Idem, 2. *Reg.* 24. ob numeratum populum pœnitens in gratiam recipitur: optio tamen ei facta est belli, famis, aut pestis, in partem pœnæ, idque ad peccatum præteritum luendum; non ad cauendum futurũ. Ideo & flebat de peccato ad Satisfactionem; non de futuro ad cautionem.

2. Item Sap. 10. *Sapientia eduxit eum* Adamum *à delicto suo.* & tamen ecce temporalem pœnam, Gen. 2. *morte morieris:* Rom 5. *Et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*: peccato originis remisso pœna, tamen subeunda superest.

3. Dominus, *Exo.* 32. ob Moysi preces peccatũ adorati vituli dimiserat; multa tamen millia sunt ob id interfecta.

4. Ad preces Moysis, *Num.* 14. murmuratio populi remissa fuit; in pœnam tamen omnes mori in deserto oportuit, præter Caleb, & Iosuen.

5. Moyses & Aaron suæ adpetram incredulitatis veniam obtinuerunt; nõ pœnam tamen euaserunt, quin more-

rentur ante ingressum terræ promissæ. *Num.* 20. *Ideo*, 1. Cor. 11. ob indignam Synaxin, *inter vos multi imbecilles, & dormiunt multi*, ecce pœnam temporariam: Verum *à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur*: ecce remissam culpā. Propheta, 3. *Reg.* 13. inobediens voci Domini à leone occiditur in pœnam: licet impetrarit veniam.

QVÆSTIO XXXIX.

Num quæ Opera bona sint Satisfactoria pro reatu pœnæ temporalis?

LVIII ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI aiunt, Pœnis temporalibus commeritis per spontaneas pœnas posse Dei manum vindicem præueniri & auerri.

CALVINIANI id pernegant: in meo. *Luthero-c.p.3.q.99.*

CHRISTVS. At ego *docui genimina viperarum fugere à ventura ira*, Mat. 3. Lu. 3. Idque per prædicatam Pœnitentiam, & fructus dignos pœnitentiæ.

2. Ego Matt. 12. Lu. 11. contra duræ ceruicis viros dixi *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia poenit. egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus, quam Ionas hic. &c.* Vnde Pater meus, 2. Paral. 7. *Si clusero cælum. &c. & conuersus populus deprecatus me fuerit: ego exaudiam de cælo. &c.* Dan. 4. *Quamobrem consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime.* Sic, sic Luc. 21. *Fugite à ventura ira, quæ superueniet vniuerso orbi. &c. Et tanquam laqueus superueniet in omnes.*

LIX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI. Castigationes à Deo immissæ vt ferendæ sunt, ita vel susceptæ sponte, vel ab Confessarijs iniunctæ, ad reatus pœnam temporalem expiandam, temnendæ sunt & reuciendæ.

CHRISTVS. I. De sponte accersitis, assumptisque pœnis, odio sui & peccatoris, & peccati; amoreque mei imitandi, dixi, me in exemplum proposito, in frumenti grano mortuo humi; *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ioan. 12. Quare, *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi Ego sum, illic & minister meus erit.* Ego autem passus sum & mortuus, *quia Volui.* Sic & vos voluntaria *in patientia vestra possidebitis animas vestras.*

2. Iob. vlt. *Insipienter locutus sum: idcirco me ipse reprehendo, & voluntarie ago poenitentiam in fauilla & cinere.*

Dauid sponte visitauit fletus, ieiunia, humicubationes, flagella, saccos. Achab iniustus se humiliauit, 3. *Reg.* 12. Itemque Niniuitæ egerunt ipsi ieiunia, cineres, saccos, fletus, orationes. Ionæ 3.

II. De iniunctis ab Confessario satedixi Mat. 18. *Quæcunque alligaueritis*, in seu culpis, seu pœnis, *alligata erunt.* Quibus igitur fit potestas alligandi culpas, quanto magis & pœnas aliquas? Idque culpis etiam remissis: sic. sic exposcente post condonatricem. Misericordiam lustitiâ Dei.

LX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANVS Melanch. Oratio, Ieiun. Eleem. non sunt opera Satisfactoria, nisi ex humana traditione & ceremoniosa fictione; ac proinde inutilia sunt. Kemnit. Bona quidem sunt in se, non tamen supersitiosè satisfactoria in tali die, modo numero, re, &c.

CHRISTVS. De istorum singulis mea secus clamant exempla facti; qui perdius & pernox in Orationibus perstiti: qui XL. dies Ieiunaui: qui esurien-

rientes cibaui; qui nullum nõn Misericordiæ opus qua spiritale, qua corporale exercui prorsus asceticè; causâque nullâ mei, sed exempli solâ, meritique vestri pro vobis.

1. De Oratione docui: Luc.18. *Quoniam oportet semper orare, & non deficere:* Et verò sic orare. *Dimitte nobis debita nostra,* culparum iuxta & pœnarum. Id quod velut explanat Apostolus, Iac.5. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini,* sc. à debitis. *Multũ enim valet deprecatio iusti assidua.* Quin etiam, Luc.6. & 23. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos; vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est:* Idque in & remissionem culpæ ac pœnæ ipsorum, & in partem vestræ Satisfactionis, & in cumulum meritorum vestrorum: omnia hæc in gloriam meam ac Dei. Quare, Mat.7. *Petite, & dabitur vobis.* Nam, Eccl. 2. *Quis inuocauit eum, & despexit illum?* Eccl.3. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & Continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur.* Etiam Leuit. 4. *Rogabit pro eo Sacerdos & propeccato eius, & dimittetur ei.* Deque me Sacerdote Sacerdotum verè, Rom. 8. *Quis est, qui condemnet? Christus IESVS qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis,* vt omne debitum dimittatur.

2. Ieiunij par vis est ad satisfactionem, cuius plena exemplorum Biblia: Moysis, *Exo.*24. & 34 *Deut.*5. *v.*9. Israelitarum, *Leu.*10. *v.*26. 2. *Reg.*7. *v.*7. in Maspha. 1 *Esd.*1. & 4. *Hest.*4. Machabęorum. Daniel, *c.*10. Niniuitarum *Ionæ.*3. Christi, *Mat.*4. Annæ, *Luc.*2. Apostolorum, Mat.9. *Cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt. Luc.*5.

3. De Eleemòsynarum vi ad expiationem & satisfactionem vetera repetere quid attinet: cum, Prou.21. *Facere misericordiam magis placeat Deo, quam victimam?* Idcirco Mat.5. *Euntes dicite, quid est; Misericordiam volo, & non sacrificium* illud Iudęorum. Sensit, cui dixi: Mat.18. *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi; quia rogasti me: Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui; sicut & Ego tui misertus sum? Dimittite, & dimittemini: dabite, & dabitur vobis.*

Quantæ manebant pœnæ culpas Prodigi, Publicani, in Adulterio deprehensæ, Zachæi defraudatoris, Peccatorumque cæterorum, quos suscepi: at *omne debitum dimisi* placatus vel oratione, vel eleemosyna, aut fletu ac pœnitudine.

QVÆSTIO XL.

An iustificatus verè possit Deo satisfacere pro temporali pœna?

LXI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ pernegant, Vide *Luthero-cal.p.*3.*q.*101.

CHRISTVS. 1. Vox Clamantis est, Luc.3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ:* sc. non solam vitæ nouitatem, & legis obseruationem; sed etiam restitutione iniuriæ aut damni, & emendatione vitæ: iuxta vnanimem S. Patrum Consensum. *Digni fructus* sunt, qui iniuriam cõpensant factam Deo; idque ad æqualitatem proportionis iuxta læsi Dei acceptationem.

2. Rectè, 2. *Cor.*7. inter dignos fru-

ctus sanctæ tristitiæ ponitur *Vindicta*, seu assumpta sponte, seu iniuncta: & ea est Satisfactio ipsa.

3. Scripturæ de meritis vitæ æternæ huc faciunt. Vt Matt. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem*, sc. *denarium*, id est, vitam æternam. De hac 2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ. &c.* At hæc laborum est merces.

4. *Isa.* 1. Deus promittit perfectam remissionem ijs, qui se & lauerint, & exercuerint operibus misericordiæ. Clarè Prou. 16. *Misericordiâ & veritate redimitur iniquitas.* Redemptio autem est Satisfactio.

V. DE EXTREMA VNCTIONE, ORDINE & Matrimonio.

QVÆSTIO XLI.

An Extrema Vnctio sit vere & proprie dictum Sacramentum?

LXII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS: Ritus est; non Sacramentum.

CALVINO & Lutheranis cum Waldensibus, Wiclefistis. &c. non est Sacramentum, sed ridiculum vnguentum.

CHRISTVS I. Vnctio infirmorũ verè est Sacramẽtum, à Me institutum; quia ab S. Iacobo promulgatum intrepide, & indubiè, ex certa scientia sua Institutionis meæ. Alioquin temeritatis excusari non posset, qui adeo mandaret vsurpari ad modum ritumque cæterorum Sacramentorum id, quod à me, vt Sacramentum ritè institutum, non accepisset.

II. Ecce omnia in Vnctione ea adsunt, quæ sacramenti sunt. *Infirmatur quis in vobis*, probabiliter ad mortem? *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, Vngentes eum oleo, in nomine Domini*, benedicto: Ecce Ritum, seu signum externum ac perennaturum: Idque rei Sacræ: nam *Et oratio fidei*, id est Verbum sacramentale cum oleo, *SALVABIT infirmum* per collatam gratiam. Nam *Si in peccatis sit, remittentur ei*, infallibiliter ex opere operato. Ecce promissionem absolutam ac certam; quæ necessario præsupponit Institutionem: Porro per accidens, (si Deo sic visum) *& alleuiabit eũ Dominus*, tum mœrore pressum animũ, seu pusillanimitate deiectum; tum & subinde corporis morbum mitigabit. Atque id signum Institutum est Noui Testamenti solius; est perpetuum, non breue, sed quamdiu infirmi erunt: Est rei sacræ, Remissionis peccatorum, Salutisque conferendæ per applicationem Vnctionis.

III. Ille curandi ritus est vere Sacramentalis; & non miraculi instar. Nam miraculum non definit certos corporis defectus; sed indifferens est ad omnes, ad cæcitatem, claud. surd. lepram. &c. At hic *Infirmatur quis*, decumbens ad mortem quasi.

2. *Inducat presbyteros*: at donum miraculorum non est proprium vnius ordinis hominum.

3. Nec in his est vllius præscriptio materiæ: at hic est olei.

4. Nec ijs additur infallibilis promissio; vt hic, *Et oratio fidei. &c.*

5. Nec ijs remittuntur peccata:

6. Nec eadem pertinent ad omnes;

vt ea,

vt ea, quæ ibidem Iacobus præscribit.

IV. Qua Vnctiõe miraculi sanabãt varios Apostoli; *Mar.6.* ea fuit dissimilis ab hac Sacramentali. Nã ea Marci dabatur surdis, cœcis, claudis: ab nõ Sacerdotibus; ad solam corporis sanationem: Quibusuis, etiam infidelibus. Sacramentalis tamen Vnctio est rectè per illam miraculosam insinuata seu adumbrata.

QVÆSTIO XLII.

An sit vere & proprie dictum Sacramentum ORDINIS?

LXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS cum suis negat.

CALVINVS cum Melanch. & Caluinistis ait. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 105.*

CHRISTVS. I. Ego, sicut Ministros ad prædicandum *misi sic, vt misit me Pater meus*; Misi ad docendum & baptizandum; ad peccatores vocandos, & soluendos. &c. Sic & Sacerdotes inaugurauisto: *Hoc facite*: quo Apostolos ab LXXII. cæteris Discipulis distinxi Ordine sacratiore Sacerdotij.

II. 1. Apostoli datam sibi gratiam grauiter resuscitarunt per Manuum Impositionem: Vt, *Act.6.* ordinarunt Diaconos: *Act.13.* Episcopos Paulum & Barnabam. Act. 14. *Cum constituissent eos Presbyteros, χειροτονήσαντες*; id est, 1. Tim. 4. *Cum impositione manuum Presbyterij.* Et illa est Signum externum.

2. Iam Gratiæ promissio constat, 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ est. &c.* 2. Tim. 1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam.*

3. Mandatum quoque liquet, Act. 13. *Segregate mihi Paulum & Bar.* Act. 20. *Vos Spiritus S. posuit Episcopos.* Eph. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores & Doctores.*

III. 1. Impositio illa manuum fiebat ad Ordinandum; non ad Orandum. Quia 1. *Tim.* 4. nulla est mentio orationis. *Act.6.* aperta fit distinctio: *Cum Orassent*, primum, deinde *Imposuerunt eis manus.* Act. 13. *Ieiunantes, & Orantes, Imponentesque illis manus, dimiserunt eos.* Adhæc illud, 1. Tim. 5. *Nemini cito manus imposueris*, nullius orationis meminerit.

Et esto: Fuerit iuncta Chirótoniæ semper oratio; nunquam vlla fit Ordinatio sine Oratione: cum verba Sacramentalia, seu Forma, sit Oratio; Vnde *Mystica preces* dicuntur.

2. Deinde quoad *promissum gratiæ*, diuersus est finis Sacramentorum à me institutorum: Alia enim sunt ad peccatum per se delendum; alia ad gratiam conferendum per se, & certam aliquam; licet, si quod inuenerint peccatum, id deleat. Talis est Ordinatio, Eucharistia, &c.

3. *Mandatum* Ordinationis per chirotoniam scriptum non est in Euangelio, vt à me datum: dedisse me tamen arguit indubitata vsurpatio Apostolica, vt rei à me Notoriè instituta; quippe quæ ab alio, nisi à me solo, manare queat. Nam *gratiam & gloriam dat Dominus* (o-

lus mediatè, vel immediate. Gratiæ vero me alligasse ad chirotoniam sat constat: quod est Sacramentum instituisse.

QVÆSTIO XLIII.

An Matrimonium sit vere & proprie dictum Sacramentum?

LXIV. ANTICHRISTIANISMVS.

HÆRITICI Veteres, vt Gnost. Manich. &c. negabant Matrimonium, quà contractus est ciuilis, esse bonum, vt à bono Deo, proinde nec Sacramentum.

LVTHERANI & CALVINIANI aiunt esse bonum à Deo; sed esse Sacramentum negant.

CHRISTVS. I. Matrimonium, quatenus in lege naturæ à Deo institutum fuit, bonum est. Quia, Gen. 2. *Non est bonum hominem esse solum: faciamus illi Adiutorium* ad prolificandum, ait S. Aug. nam alijs in rebus melius viri à viris adiuuantur.

2. Dei instinctus Spiritu dixit Adam: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem* cum dilectione naturali; *& adhærebit vxori suæ*, cum dilectione Sacramentali: Sicque prophetizauit.

3. Et Ego, Mat. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Deus enim *bene omnia fecit.* Ideo, *Ioan.* 2. nuptias cohonestaui mea & Præsentia, & miraculi operatione.

4. Vnde, 1. Cor. 7. *Si nupserit virgo, non peccat.* Hocque amplius; *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit.* Ideo 1. Tim. 4. hæreticos fore ait, *prohibentes nubere.* Et c. 5. *Volo ego iuniores nubere, filios procreare, matres fam. esse.* Hinc, Heb. 11. *Honorabile connubium.* Huc ijt omnis retrò Ecclesia Dei, ibitque.

II. Matrimonium Ego esse iussi Sacramentum.

1. Ego id Instituí; quia Apostolus Institutum prædicauit.

2. De nomine, vt *Sacramentum*:

3. De Re, vt cum Promissione gratiæ iunctum.

1. *Sacramentum* appellat; Non solum generatim, vt rem mysterioſam; sicut illius vocis vsus est creber in Scriptura, *Tob.* 12. *Dan.* 2. *Col.* 1. 2. *Tim.* 3. *Apoc.* 1. *& 17. Eph.* 1. *& 3.* quibus in locis non est sermo de propriè dicto & speciali Sacramento: Sed vere & propriè est Sacramentum; Non in coniunctione Mei cum Ecclesia; sed Viri cum fœmina coniugio, significante tum mysticam vnionem mei cum Ecclesia; in charitate, per fidem; tum Rem sacram gratiæ nubentibus in Domino collatæ ad dilectionem & vinculum insolubile; sicut mea vnio cum Ecclesia eam ditat, seruat, beat Et *Sacr. Hoc*, in viris & fœminis, *magnum est* & propriè Sacramentum, quà significans vnionem Christi cum Ecclesia, quà & sanctificans viros & fœminas. De *Hoc* omnis sermo est Apostoli capite toto.

III. PROMISSIONEM Gratiæ vná cum Institutione prædicauit, & commendauit; quæ est Charitas; *Dico autem in Christo & Ecclesia*, quasi dicat, nõ quoad coniunctionem meam cum Ecclesia in Conformitate naturæ: sed in Charitate gratiæ, sanctificãtis vnitos, *magnum est Sacr.* Et propter hoc Donum gratiæ Sacramentalis *relinquet homo patrem & matrem*, queis iungitur amore naturali nam fortiore, sacratiore vinculo *adhærebit vxori suæ*, efficiente id Sacramento.

Vnde

Vnde ait 1. Tim. 2. *Saluabitur per filiorum generationem*, id est, in hac, vt medio; non vt per causam. Proinde monet 1. Thes. 4. *Sciat vnusquisque Vas suum possidere in sanctificatione*. Et sic, 1. Tim. 2. *Vnusquisque Domum suam habet ex Deo*. Nam tale *Honorabile coniugiũ* est quasi Domus Dei.

Iam sic quisque statuat: Paulus promulgauit Matrimonium vt verum Sacramentum, signum externum gratiæ internæ: ergo accepit à me Christo Institutum cum certitudine infallibili gratiæ conferendæ. Nam cum *Gratiam & gloriam det Dominus* solus: Paulus dare, vel instituere vt daretur nequiuit citra Sacrilegã temeritatem. Quod autem Institutio specialiter scripta non sit, sicut plurium Sacramentorum etiam aliorum; causa est, quia iussi, *Prædicate Euangelium* non, *Scribite*, Sicq; prædicatũ est.

QVÆSTIO XLIV.

Polygamia an Christianis sit licita?

LXV. ANTICHRISTIANISMVS.

KEMNITIVS affingit Nobis, quod, vt Montani, prohibeamus polygamiam succeſſiuam, seu nuptias secundas, terras &c.

II. LVTHERVS disserte docet polygamiam plurium simul vxorum, vt licitam, relinqui cuique liberam: exemplo patriarcharum.

CHRISTVS. I. Colũba mea Sponsa Ecclesia semper sensit & docuit iuxta illud, 1. Cor. 7. *Si dormierit vir eius, cui vult, nubat, tantum in Domino*: quotuscunque vir ille fuerit. Quin optima cohortatio Apostoli est, 1. Tim. 5. *Viduas iuniores volo nubere*, secũdùm, tertiùm, &c.

II. Polygamiam plurium simul vxorum ego abrogaui; & *Mat.* 19. matrimonium reuocaui ad primam Institutionẽ. Percunctãtibus, an liceat dare libellum repudij, negaui, Instantibus, Moysen permisisse, dixi: *Ad duritiem cordis vestri permisit: Ab initio autem non erat sic*. Monogamiam verò vnius cum vna institutam abs Deo, istis ostendi.

1. *Masculum & fœminam fecit eos: Adhærebit vxori suæ; Erunt duo*, non tres. &c. *in carne vna.*

2. *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro*: at in pluralitate vxorum essent multæ carnes; quæ diuisio est, non vnio.

3. Et Si vni plures esse voluissemus, ei *adiutoria*, non *adiutorium*, fecissemus initio.

4. Ego ipse, *Mat.* 5. *&* 19. *Mar.* 10. *Luc.* 16. declaraui eum, qui dimissa vxore aliam duxerit, mœchari; eò sc. quod prior licitè dimitti nequibat: Esto, fiat coram hominibus; non tamen corã Deo. Quod si dimissa sit adhuc vxor; magis illa quæ nunquam dimissa fuit.

5. Prouidè Paulus semper de vxore loquitur in singulari 1. Cor. 7. *Vnusquisque vxorem suam habeat*. Et, *Alligatus es vxori? Noli quærere solutionem*. Clarè Ro. 3. *Viuente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro*. 1. Cor. 7. *Iis, qui Matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam; aut viro suo reconciliari*. Quare vnus vni, vnaq; vni inhæreat.

QVÆSTIO XLV.

An facto Diuortio ob fornicationem fiat & Vinculi solutio?

LXVI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI solutionem & thori & Vinculi ob fornicationẽ, aut infidelitatem fieri.

LVTHERANI quidam ob alias etiam culpas quascunq; solui volũt. Vide *Luthero-c. p. 3. q. 113.*

CHRISTVS. 1. Ego sic statuo, Mat. 5.

Omnis, qui dimiserit vxorem suam; (quod non licet; *exceptâ fornicationis causâ*) *facit eam mœchari*, ob permanẽs Vinculum, si dimissa ducatur ab alio; quod nefas. Nã *& qui dimissam duxerit, mœchatur* ob idem dimissę vinculum persistans. Nî ita foret, fornicarię dimissæ liceret nubere ob solutum cum thoro vinculum; foretque melior conditio reæ, quam insontis.

2. Disertè Mar. 10. *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit; adulterium committit super eam. Et, si vxor dimiserit virum suum, & alteri nupserit, mœchatur.* Sic & Lu. 16. Itaq; manet vinculum. Ac licet exceptio Matthæi, *nisi in causa forn.* apud Marcum & Lucam subaudiri possit; non tamẽ necessario debet. Quia alioquin hi non scripsissent absolutè verum. Et Marcus Romæ anno 45. non scripsit, vt Matt. scripto anno 41. aliquid adderet; sed vt memoriale Petrinæ prædicationis daret Romanis: teste Ire. Euse. Hier. Et Lucas scripsit gẽtibus, queis Paulus prędicarat; ad quos Mat & Mar. Euangelia non peruenerant; sed pseudo Matthæus ingerebatur. Neque ambigendum ait Sanctus Augustin. de eo, quod Euangelistæ dicũt; sed de eo, quod non dicunt: Non dicunt autem, Non omnis, qui dimittit vxorem, & aliam ducit, mœchatur: Sed *qui dimittit* iniuste, *mœchatur*, id est, *facit mœchari*; & *qui dimittit* iustè: ob forn. *& aliam ducit, mœchatur*: *Et qui dimissam* iustẽ, vel iniustè *ducit, mœchatur*. Hæc Euangelistarũ cõcordia est.

3. Concordat & Paulus, Rom. 7. *Mulier viuente viro alligata est Legi: igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Sic & 1. Cor. 7. *Hæc verba*, ait Aug. l. 2. de adult. c. 4. *toties inculcata, sunt vera, viua, sana, plena*, vt neutri, seu sonti, seu insonti, ad alias transire liceat nuptias, altero viuente compare dimisso.

Summa Brevis. I. Solubile est Matrimonium Infidelium, quoad vinculũ etiam; si alter fideli cohabitare nolit sine Creatoris iniuria. 1. Cor. 7. *Si infidelis discesserit, discedat.* Neque id homo separat, Sed Deus; cuius interpres Apostolus. Cui Infideles dicuntur non baptizati: in quibus matr. non est Sacramentum, sed contractus solum ciuilis; ideoque hominibus solubilis. Ego verò Mat. 19. *Qui dimiserit vxorem. &c.* de Fidelib. loquor matrimonio: Distinguit Apostolus, 1. Cor. 7. Fidelibus, *Præcipio non ego, sed Dominus. &c.* Deinde *cæteris*, scil. infidelibus, *ego dico, Si. &c.*

II. Matrimonium Consummatum Fidelium solui potest; sed quoad thorum, seu cohabitationem tantum; non quoad Vinculum.

1. Causa, Consensus mutuus, ob aliorem Statum acquirendum Religionis. Matth. 19. *Omnis, qui reliquerit patrem aut matrem aut vxorem. &c.*

2. Causa. Sine consensu, ob Crimen vel adulterij, *Mat.* 5. Vel hæresios *Tit.* 3. *Hæreticum hominem post vnam & alteram correptionem deuita.* Vniuersa Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, & vxorem. &c.*

3. Causa: Peccati periculum: Mat. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, proijce eum. &c.* Ita & Hieron. In casu adulterij et coniugii par ius vtrique, 1. Cor. 7. *Præcipio non ego, sed Dominus, Vxorem à viro non discedere; & vir vxorẽ nõ dimittat*, sc. ob iustã causã: *Quod si discesserit.* &c. ob iustã causam; *manere innuptam.* Non tamen ced-

cedant, si adulterium fuerit coactum: Si adulter vterque sit: Si post adulterium se mutuerint. Si alter alteri fuerit autor.

QVÆSTIO XLVI.

Num quæ sint Impedimenta matrim. Dirimentia?

LXVII. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERANI Sponsalia dirimunt post ea contractum cum alio matrimonium: Nec Votum factum impedit contrahendum; nec dirimit contractum matrimonium.

CHRISTVS. Voucre liberum est, ac licitum; at votum factum seruatu est necessarium: Eccl. 5. Deut. 23 *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere*: Reddi autem Deo nequit votum castitatis cum matrimoniali debito; estque, quam hoc, sanctius magisque debitum. Quocirca id dirimit subsecutum matrimonium. Nam, Luc. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum* Continentiæ votiuæ, *& respiciens retrò* ad matrimonium, *aptus est regno Dei*. Quales eæ, de quibus, 1. Tim 5. *Cùm luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem; quia primam Fidem irritam fecerunt*. Vide *supra p. 2. q.* 46. Et in *Luthero-c. p 2. q.* 60. *& p. 3. q.* 116.

LXVIII. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERVS: Male statuitur impedimentum dirimens esse Adulterium; homicidium, aliudue crimen; contra exemplum Davidis.

CHRISTVS. Dirimit crimen; Si verbi gratia adulter adulteræ virum occiderit; Aut cum ea contrahat de futuro, Seu præsenti: Vt iuste mea statuit posteritas. Davidis tamen cum Bethzabea coniugium ratum fuit: tum quod nulla tunc lex prohiberet Ecclesiæ; tunc quod adultera non consensisset in homicidium.

LXIX. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERVS. Nulla infidelitas, etiam non baptizati, impedit aut dirimit matrimonium.

CHRISTVS. At, *Deut. 7.* Deus lege Iudiciali quidem; sed etiam Morali, ideoque omnibus communi iustis, sanciuit, ne cum infidelibus contrahatur: *Quia seducet filium tuum, ne sequatur me; sed magis seruiat dys alienis*: Quę causa mòralis est. Item repetitur 3. Reg. 11. Quia *certissimè auertent corda vestra, vt sequamini Deos alienos*

2. Præceptum est, 1. Cor. 7. *Cui vult nubat; tantum in Domino*. In quo S. interpretes rectè docent, vetari connubia fidelium cum infidelibus; queis pars nulla *in Domino*.

3. Simile istud: 2 Cor. 6. *Nolite iugum* coniugale *ducere cum infidelibus*. Hoc vetitum; at non irritum reddit.

Il. Matrim. fidelis cum non baptizato est irritum; Non iure diuino, naturali, vel Ecclesiæ; Sed more Christiano laudabiliter obseruato: contrà quam Patriarchæ, & Iudæi visitarunt. Iam enim Matrimonium cum sit Sacramentum, incapaci non communicari: capacem verò reddit baptismus.

F I N I S.

ANTICHRISTI MYSTERIOMACHI LVTHERO-CALVINIANI.

DEO, Deiparæ, Diuisque Laus & Gloria Amen.

COPPENSTEINII

ANTICHRISTVS CHARITOMACHIÆ LVTHERO-CALVINISTICÆ.

PARS QVARTA

De Gratia, & Iustificatione.

I. DE AMISSA RECVPERATAQVE Gratia.

QVÆSTIO I.

Fuerintne Protoplastæ conditi cum Dono supernaturali?

I. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERANI, item & CALVINIANI pertendunt cum Pelagianis, hominem esse conditum cum solis naturalibus facultatibus, ac originantem Iustitiam ei naturalem fuisse; sicque omni dono supernaturali caruisse. Vide *Geneal. p. 4. q. 1. & Luthero-cal. p. 4. quæst. 1.*

CHRISTVS. I. At, Gen 1. *Creauit Deus hominem ad Imaginem, & Similitudinem suam.* Vere IMAGO Dei est natura Intelligentiæ ac Voluntatis: SIMILITVDO verò ad Sapientiam ac Iustitiam refertur; *quam*, inquit S. Cypr. serm. de bono patient. *peccato Adam perdiderat; & manifestatur, si luceat in actib. nostris. Quas virtutes*, ait S. Ambr. l. de dignit. hum. condit. c. 2. *quanto plus quisque in se ipse habet; tanto propius est Deo, & maiorem sui Conditoris similitudinem gerit.*

2. Gen. 2. *Erant ambo nudi, & non erubescebant.* Quia, dicit S. Aug. l. 14. Ciuit. c. 17. *nondum libido membra illa prater arbitrium commouebat. Nondum ad hominis*

inobedientiam redarguendam suâ inobedientiâ caro testimonium perhibebat.

3. Hinc, Rom. 7. *Iam non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum.* Quippe, Eccl. 7. *Creauit Deus hominem RECTVM; & secundum se vestiuit eum virtute.* Nunc autem, Eph. 2. *sumus filij iræ.*

4. Demum certum est, Sap. 2. quod *Fecit Deus hominem inexterminabilem*: Et tamen ei comminatus est, Gen. 2. *Quacunque die comederis, morte morieris.* Comedit; moritur: Vitaque mortali luit perditionem vitę spiritalis. Vnde, Rom. 7. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de Corpore Mortis huius?*

II. Homo, præter Animi Rectitudinem, accepit etiam in creatione Gratiam gratum facientem: Iuxta Eph. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ; & induite Nouum hominem, qui secundum Deum Creatus est in iustitia & Sanctitate Veritatis.* Qui Renonari iubetur, is fuit aliquando *Nouus.* Non igitur sola Caro, sed & Mens fuit vitiata.

2. Sic & Col. 3. *Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos Veterem hominem cum actibus suis; & induentes nouum; Eum, qui renouatur in agnitionem, secundum Imaginem eius, qui creauit illam* Sic enim, 2. Cor. 4. *licet, qui foris est, noster homo corrumpitur: tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem.*

III. Præditus gratia gratum faciente, alia non egebat gratia Excitante ad operandum benè, aut ad mala cauenda: adeò sufficiebat vnum supernaturale Donum ad omnia.

1. Luculentè id docui *Luc.* 10. in lapso inter latrones, quem 1. Despoliarũt: 2. Dein plagis impositis semiuiuum reliquerunt. *Spoliarunt* Originali iustitia superaddita naturæ, Quia, Eccl. 17. *Deus creauit hominem de terra, & secundum se,* id est, ad similitudinem suam, *vestiuit illũ virtute.* Vulnerarũt a naturã, post debiliorem sc. consequenter ex despoliatione relictam. Ita S. Patres recte exposuerunt Basil. Ambr. &c.

2. Adhæc istud, Gen. 3 *Puluis es, & in puluerem reuerteris,* indicat, quid ex naturæ conditione sit homo. Ex gratia vero quid? Ps. 8. *Gloria & honore coronauit eum &c.* Proinde *Quid est homo, quod memores eius, &c.* Attamen, Ps. 48. *Homo cum in Honore* doni supernaturalis *esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis,* scil. detracta ei stolã gloriæ merus puluis erat.

3. Rom. 5. *Iudicium ex vno,* peccato originali, *in damnationem,* & expulsionem è regno: quare hominẽ fuisse in regno necesse est.

4. Istud, Gal. 5. (*Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus autẽ aduersus carnem*) naturalis est partium pugna: *Hæc enim sibi inuicem aduersantur; vt non, quæcunque vultis; illa facia is* Itaq; conditi primum protoplastæ carebant supernaturalitate ista pugnâ, & supernaturaliter *abstinebant se à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.* 1. Pet. 2.

5. Denique Ego sum *Vnigenitus Dei filius, & hæres* naturalis; iusti sunt filij per adoptionem, vt *naturâ filij iræ;* sed *cohæredes Christi:* Inde etiam Ego sum *primogenitus in multis fructibus,* sc. adoptatis.

QVÆ

QVÆSTIO II.

An peccata sint omnia Aequalia in se?

II. ANTICHRISTIANISMVS.

IOVINIANVS finxit esse Aequalia: PELAGIVS, Mortalia omnia: VVICLEFVS, Reproborum, Mortalia; Electorum, Venialia.

CALVINVS istis singulis aliquid assentitur: Wicleffo omnia. Vide *Genealog. p. 4. q. 2. & Luthero-cal. p. 4. q. 2.*

CHRISTVS. Ego verò iustos & iniustos iuxta orare docui, Mat. 6. *Dimitte nobis debita nostra.* Prou. 20. *Quis potest dicere: Mundum est cor meum?* Et tamen sunt quidam in Ecclesia iusti, licet non vndequaque mundi. Itaque macula peccatorum aliqua consistit cum iustitia in electis meis.

Scrutamini Scripturas; quomodo legitis?

1. Quibusdam peccatis constitui iniustos: Ezech. 18. *Si auerterit se iustus a iustitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominationes, quas operari solet impius; nunquid viuet?*

Sic & Apostolus 1. Cor. 6. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare, neque fornicarij, &c. Et hæc quidem fuistis; sed Abluti estis* baptismo; *sed sanctificati estis, sed iustificati estis. &c.*

2. Quædam peccata stant salua cum iustitia in iustis: Nam Eccl. 7. *Non est Homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Prou. 24. *Iustus in die septies cadit.* Ps. 31. *Pro hac*, remissione peccatorum *orabit ad te omnis Sanctus.* Proinde, 1. Ioa. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.*

Indeliquet: Peccata, quæ mortis reos faciunt, esse mortalia: quæ leuis culpæ, Venialia; vt quæ iustos non reddunt iniustos. Huc omnis S. Patrum, ac retrò sæculorum, conspirat consensus. Neque obstat illud, 1. Ioan. 3. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum*, mortale, *non facit; quoniam Semen ipsius* gratię *manet in eo*, vt iusto; *&*, quà Iustus, *non potest peccare* mortaliter, & manere iustus: *quoniam ex Deo natus est*: id est; iustus, quà iustus, non peccat ad mortem. Ita *S. Aug. tract. 5. in 1. Ioan. & Hieron. l. 1. contra Pelag.* Hæc contra Iouinian. & Pelagianos nouos fabros Æqualitatis omnium peccatorum.

QVÆSTIO III.

An Electorum peccata sint tantum Venialia?

III. ANTICHRISTIANISMVS.

WICLEFVS & CALVINVS pugnaciter contẽdunt; Omnia Reproborum peccata, etiam minima, esse mortalia: Electorum, quantacunque, esse Venialia.

CHRISTVS. At sacra Exempla contrarium euincunt.

I. Adã fuit prædestinatus; quia nunc est beatus: asserensque contrarium Tacianus, est hæresios iustè damnatus. Idem tamen peccauit, Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* scil. quam Pater ei comminatus erat, Gen. 2. *Quacunque die comederis ex eo; morte morieris.*

II. Omnes Propheras meos canonizaui, me teste, beatos: Luc. 13. *Cum videri-*

ris

ritis Abraham, Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei. At in hisce & Dauid erat; cui, Act. 13. *Deus testimonium perhibens dixit: Inueni Dauid, Filium Iesse, virum secundum cor meum,* sc. plenum Fide & Iustitia. Dauid autem iustus peccauit, & dicitur 2. *Reg.* 12. filius mortis: Fateturque Ps. 5. *Tibi soli Peccaui, & malum coram te feci.* Resipiscens orat: *Cor mundum crea in me, & Spiritum rectum innoua. Et Sp. Sanctum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam Salutaris. Cor contritum & humiliatum non despicies.* Orauit, exorauitque exauditus.

III. Omnes Apostolos meos, præter filium perditionis ipse canonizaui vt hic *Amicos meos,* isthicque beatos, & *vitam æternam habituros.* Et verò de beata Petri morte sic ipse illis Ioan. vlt. *Cum senueris, alius cinget te, & ducet, quò tu non vis: Significans,* ait Ioannes, *qua morte clarificaturus esset Deum.* Et Ioa. 13. *Vos mundi estis; sed non omnes. &c.* Idē tamē me *ter negauit, ac anathematizauit nosse me.* Mox respectus resipuit, *& fleuit amarè.* Quapropter accepta semel fide ac iustitia, Spirituque S. iustus excidere per tale peccatum potest, quod mortem illius animæ infert.

QVÆSTIO IV.

An non Imputata, vt Inuoluntaria, sint Venialia, fidemque non excludant?

IX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANIS, 1. Venialia sunt, quæ non imputantur.

2. Non imputata sunt, quæ cum fide consistunt.

3. Consistunt, quæ prorsus Inuoluntaria sunt.

CHRISTVS. I. At Ego petendam suppliciter Remissionem peccatorum docui; & non vilam Non Imputationem, aut obtectionem, Mat. 6. *Dimitte nobis debita nostra.* Iuxta Ps. 31. *Pro hac* Remissione, *orabit ad te omnis Sanctus.* Cum sint cuique deprecanda pec.; certè antè dici vel Non imputata, vel Condonata, vel Tecta, vel Innoxia non queunt. Cum etiam, Prou. 20. *nemo possit dicere, Mundum est cor meum*; petenda sane omnibus remissio est pecatorum. Quocirca ex me promisit 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate.*

2. Ego Sacerdotium institui ad Remissionem peccatorum mediatam ac ministerialem; non ad immediatam Nō imputationem, Condon. Tecturam. &c. Ioan. 2. *Accipite Sp. Sanctum, quorum Remiseritis* potestate Clauium, vi & efficacia Sacramenti, *peccata, Remittuntur eis*: non Teguntur &c. Sic Moyses, Aaron, Samuel peccarant; at Ps. 89. *Tu propitius fuisti eis*; & tamen hic temporali pœnâ *Vleiscens in omnes adinuentiones eorum.*

3. Ego dixi, Ioan. 13. *Qui lotus est, in Baptismo non Indiget nisi vt pedes lauet.* De me ait S. Aug. hîc trac. 56. *Quotidie laua pedes nobis, qui interpellat pro nobis:* De hominibus ait: *Et quotidie nos opus habere, vt pedes lauemus, in oratione Dominica confitemur, cum dicimus; Dimitte nobis: &c. Sic nim confiteamur pec. &c.*

II. Omnia peccata, præter solam Infidelitatem, possunt consistere cum fide, & nihilominus esse mortalissima.

1. Vt

1. Vt Mat. 5. *Qui dixerit fratri suo*, fidelis fideli seu infideli *Fatue; reus erit gehennæ ignis*. Parumne hoc mortale est?

2. Itemque illud: Matt. 23. *Ite maledicti in ignem æternum*: O mortem animæ! Quare? Ob pec. mortalia talia; *Esuriui enim, & non. &c.* Vbi rectè S. Augustin. lib. de fide & oper. c. 15. *Eos in combustionem ituros dicit, quorum, Non Fidem, sed bona opera defuisse declarauit.*

3. Apostolus quoque Christianorum peccata enumerans credẽtium, 1. Cor. 6. Ephes. 1. Gal. 5. ait: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.*

III. *Peccatum voluntarium*, ait Aug. l. de vera relig. c. 14. *vsque adeo est malum; vt nullomodo sit peccatum, si non sit Voluntarium.* Recte: sic enim ipse docui, Luc. 7. *Pharisæi autem & Legis periti consilium Dei spreuerunt in semetipsis, non baptizati ab eo.*

2. Clare Apostolus Heb. 10. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam Veritatis*, finaliter, *iam non relinquitur pro peccatis Hostia*, seu Cruenti Sacrificij reiterandi, seu incruenti, sub iudicium extr. cessaturi: *Sed terribilis expectatio iudicij. &c.*

3. Caino dictum: Gen. 4. *Quare iratus es? Nonne, si bene egeris, recipies: si autem male, statim in foribus pec. tuum aderit. Sed Sub Te erit appetitus eius, & tu Dominaberis illius.* Quippe, Eccl. 15. *Deus ab initio reliquit hominem in manu Consilij sui: Addidit mandata; Si volueris mandata seruare, seruabunt te*; Nam, Oseæ 13. *Perditio tua Israel ex te tantummodo in me auxilium tuum.*

Plura alia repete ex *Lutheranis. par. 4. quæst. 3.*

QVÆSTIO V.

An ex Natura sua distinguantur pec. Mortalia & Venialia?

V. ANTICHRISTIANISMVS.

IOVINIANVS & PELAGIVS negarunt. VVICLEFVS distinxit, & finxit.

LVTHERANI item negant ex natura rei peccata differre, seu Mortalia esse omnia; Ex misericordia tamen Dei, non imputantis quantacunque, esse Venialia solum, ob Fidem in Misericordiam Dei propter Christum: Proinde omnia pec. Infidelium esse mortalia, quia imputantur.

CALVINIANI volunt omnia solum Reproborum peccata esse Mortalia: Prædestinatorum, Venialia.

CHRISTVS. At ego docui, Veniale ab Mortali distingui, absque respectu ad Prædestinationem, aut Misericordiam Dei, aut statum Renatorum: Offendere tamen Deum, salua amicitia; pœnamque mereri; at remissu facilem.

1. Mat. 5. *Qui*, 1. *Irascitur fratri suo; reus erit Iudicio:*

2. *Qui dixerit Raca; reus erit Concilio:*

3. *Qui dixerit, Fatue; reus erit gehennæ ignis.* Ecce tres gradus peccati eiusdem, quorum vnus altero peior est: quibus totidem respondent & pœnarum gradus. Manifestum contrarium est reum gehennæ: Iracundia non in conuitium erumpens fit rea iudicij, seu Consilij; cum non constet malitia mortalis. Itaque necessario differunt. Esto, Rom. 6. Sit *stipendium peccati mors*; non tamen omnis peccati.

2. Deinde peccata comparaui rebus leuiculis, & alia grandioribus: Matth. 13. *Duces cæci, excolantes culicem*; *camelum autem*

tem glutientes. At culicem inter & camelum est differentia in natura rei.

3. Lu. 6. *Quid vides festucam in oculo fratris tui: Trabem a. in oculo tuo non consideras?*

4. Luc. 12. *Non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas,* id est, aiunt bene S. Patres, minuta peccata luas. Sic Tert. Orig. Hier. Cypr. &c.

II. Apostoli consona meis tradunt. 1. Cor. 3 *Si quis superædificat aurum, argentum, lapides pretiosos; ligna, fœnum, stipulam; uniuscuiusque opus manifestum erit, & quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, mercedem accipiet: si arserit, detrimentum patietur; ipse autem saluus erit; sic tamen quasi per ignem.* Hæc recte S. Patres ad differentiam peccatorum interpretantur.

2. S. Iacobus cap. 1. tres motus Concupiscentiæ distinguit:

1. Inuoluntarios: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus,* vt ab causa peccati; non ipsum est peccatum.

2. Imperfectè voluntarios: *Concupiscentia verò cum conceperit, parit peccatum,* sc. Veniale: patet ex tertio.

3. Perfectè voluntarios: *Peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem,* vt Mortale: Nec ea Consummatio est operis, sed etiam animi: Nam, Matt. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam; iam mœchatus est eam in corde suo.* Vnde *Non concupisces.*

III. Ego denique de nonnullis peccatis longe mitius censui, quam de mortiferis. Vt Matth. 12. *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Oblerhalia vera pronunciauit: *Ite in ignem æternum. Proijcite eum ligatis man. & ped. in tenebras exter. Discedite à me omnes operarij iniquitatis.* Sic Eph. 5. *Omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis; sicut decet Sanctos, &c. Omnis autem immundus, &c. non habet hæreditatem in regno Christi.*

QVÆSTIO VI.

An Deus prædestinarit Adæ, omniumque hominum peccata, velitque fieri?

VI. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS cum asseclis: *Decretum fuit à Deo ab æterno, vt sua defectione periret Adam.* &c. Vide *Luthero-cal. p. 4. q. 5.*

Sic & Zvvingliani.

CHRISTVS. At Ego, & Scriptura Dei lapsum Protoplastarum adscribimus Serpenti, Satanæ, Euæ, Adamo; Deo nusquam vel verbulo. Ioan. 8. inquam: *Ille homicida fuit ab initio.* Sapiens c. 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem. &c. Inuidiâ autem diaboli mors introuit in orbem terrarum.* Gen. 3. *Serpens decepit me.* Ibid. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno.* Rom. 5. *Per Vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit:* Non autore ac prædestinatore Deo.

2. DEVS Adæ peccare prohibuit sub pœna mortis: Gen. 2. *Præcepitque ei, Ex omni ligno Paradisi comede; de ligno autem Scientiæ boni & mali ne comedas. Quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris.*

3. Deus & vindicauit transgressionem; Gen. 3. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti. &c. maledicta terra in opere suo. &c. reuertaris in terram. &c. Eiecitque Adam, & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim.*

4. Sua-

4. Suapte libera voluntate peccauit homo, non volente Deo. Eccl. 15. Nam *DEVS ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & Præcepta sua; si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi aquam & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi.*

Itaque (vt ait Calu. Inst. l. c. 15. §. 8. *Potuit Adam stare, si vellet; quando non nisi propria voluntate cecidit.*

VII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS cum Symmistis: Omnium ac singulorum singula peccata prædestinauit ab æterno Deus, vultque fieri. Vide *Luthero-cal. p. 4. quæst. 6.*

CHRISTVS. At Sap. 14. *Odio sunt Deo impius & impietas eius. Quoniam*, Psa. 5. *Non Deus Volens iniquitatem tu es.* Habac. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum; & respicere ad iniquitatem non poteris.* Quin etiam, Ezech. 18 *Nunquid voluntatis meæ est mors impij?* adeo non vult culpam, vt nec pœnam velit. Vnde 2. Pet. 3. *Deus neminem vult perire.* 1. Thes. 4. *Hæc est Voluntas Dei, Sanctificatio vestra*; non præuaricatio, pollutio peccati, ac perditio.

QVÆSTIO VII.

Quid Deus per diabolum, quid per se faciat nostra ad peccata?

VIII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS. Deus Impellit diabolum, vt homines ad peccandum inducat. Sic & Zvvingliani.

CHRISTVS. At, Eccl. 15. *Nemini mandauit Deus impiè agere*; Quod si Deus incitat diabolum; ergo falsa S. Scriptura: Si diabolus non agit impiè; ergo patronum habet contrarium asserentem.

2. Deinde Ego dico, Ioan. 8. *Cum loquitur mendacium; ex proprijs loquitur: quia mendax est, & pater eius.* Si Deus ei mandat; non loquitur ex proprijs, sed ex Deo. Vnde *à Deo ipso manat efficacia erroris & mendacij*, ait Caluinus. Sicque Deus foret pater mendacij, non diabolus. Quia, ait, *Deus clauum tenet; diabolus est tantum instrumentum.* Plura talia blasphema. Vide in *Luthero caluin. parte 4. quæst. 7.*

IX. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS ait: Deus occulta vi mouet, & necessitat homines ad peccandum; Idque physicè, effectiuè, & vt principalis Agens. Sic & Zvvingliani.

CHRISTVS. At Ego docui orare, Mat. 6. *Ne nos inducas in tentationem*: Induceret autem, si occultè moueret ad peccandum Deus. Iac. 1. *Deus Intentator malorum est: ipse autem neminem tentat*: ad Seducendum: licet ad Probandum tentet, nostrâ, non suâ, causâ. Quin etiam, 1. Cor. 10. *Fidelis Deus est qui non patitur vos Tentari supra id, quod potestis.*

2. Verè etiam Deus apud Ier. 19. testatur. *Aedificauerunt Excelsa Baalim; grande nefas! quæ Non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Itaque suapte voluntate fecerunt, nullo motu Dei.

3. Iusta Stephani exprobratio est, Act. 7. *Vos semper spiritui S. resistitis; Sicut & patres vestri.* Ergon' arcana vi Deus suggessit eis, vt lapidarent ipsum?

4. In Ecclesia, 1. Cor. 12. *Diuisiones*

Gratiarum sunt; idem autem spiritus. Monet verò S. Ioannes in 1. c. 4. *Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sunt.* Vnde id discernetur, si Deus tam ad mala, quam bona occulte moueat ac necessitet? Nam & diabolus inspirat occulte. Interna spiritus Critiria hic iactare, vanum est.

X. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ cum ZVVINGLIANIS volunt, Deum operari nobiscum peccata nostra.

CHRISTVS. At Ego sum *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore ipsius: Quem oportuit per omnia vobis assimilari; Absque peccato.* Nam, Sap. 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas eius.* At verò, Sap. 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*, Deus. Non ergo peccatum fecit.

2. Deinde, *Iacob dilexi; Esau autem odio habui*; sc. *non Hominem; sed Peccatorem*, ait S. August. li. 1. ad Simplic. q. 1. Non ergo Deus fecit Esau peccatorem; sic et instũ fecerit Iacobum.

QVÆSTIO VIII.

DEVS an simpliciter, & absolute, ac propriè sit AVTOR PECCATORVM?

XI. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ & ZVVINGLIANI affirmant esse Autorẽ Factorum; non tamen peccatorum: Quod illa ex bona Dei voluntate procedant fine bono, ad declarandã suam Iustitiam in reprobos; Misericordiam in Prædestinatos. Peccata verò promanent ex hominis mala voluntate, fine malo, ad libidinem explendam. Vide *Luthero-cal. p. 4. q. 10.*

CHRISTVS. I. At Deus Peccata non fecit. Quia Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat; & erant valde bona.* Deut. 32. *Deus fidelis, & absque omni iniquitate.* Ro. 3. *Nunquid iniquus est Deus? Absit: alioquin quomodo iudicabit hunc mundum?* Sic Ro. 9. 1. Ioan. 3. Peccatum non est in eo.

II. DEVS non vult peccatum; minus fieri decreuit. Ps. 5. *Non volens iniquitatem tu es.* Ezech. 18. *Nunquid voluntas mea est mors impij?* 2. Pet. 3. *Deus neminem vult perire.*

III. DEVS non imperat peccata. Eccl. 15. *Nemini mandauit impiè agere.* Quin, Ioan. 13. *Hoc est mandatum meum, vt diligatis inuicem.* Nam, *Qui diligit, legem impleuit. Veni vocare peccatores ad pœnitentiam.* Et *Nolo mortem peccatoris*; magis nolo peccatum.

IV. DEVS non compellit ad peccandum. Eccl. 15. *Non dicas; per Deum abest*; sc. deserendo nos; Quæ enim odit, ne feceris.

2. *Non dicas; ille me implanauit*, incẽtando intus ad peccandum.

3. *Non enim necessarij sunt ei homines impij*, sc. vt suam in eis puniendis declaret iust. tiam.

V. Peccatum est propriè solius creaturæ; non ergo Creatoris. Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel; tantummodo in me auxilium tuum.* Proinde, 1. Ioan. 3. *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* At verò 1. Ioan. 1. *Deus Lux est; & tenebræ, peccati, in eo non sunt.*

VI. DEVS hortatur homines, vt non obdurent corda in peccato. Ps. 94. *Nolite obdurare corda vestra.* Quia, Apoc. 3

Ego

Ego sto ad ostium, & pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum. Ideo, Mat. 11. *Venite ad me oēs.* Quò min° obdurat corda peccātium Deus effectiuè; obdurari tamen sic volentibus permitto, & quam respuunt, noluntque gratiam, subtraho iustè desertis.

QVÆSTIO IX.

Num quæ Scripturæ in Deum referant peccata Mortalium?

XII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ, & ZVVINGLIANI aceruant Scripturas ad referenda in Deum peccata hominum.

I. Deus voluit & decreuit peccari. Gen. 45. *Non vestro cōsilio; sed Dei voluntate huc missus sū* Gen. 50. *Nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati?* Act. 2. *Conuenerunt aduersus IESVM; definito consilio, & præscientia Dei traditum facere, quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.* Act. 4.

II. DEVS creauit impios, vt suam in puniendis iustitiam declaret. Prou. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus; Impium quoque ad diem iudicij.* Rom. 9. *An non habet potestatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Exo. 5. *Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Vel vt est Rom. 9. *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam.*

III. DEVS impellit homines ad mala, vtens eis vt instrumentis. 1. Reg. 24. *Addidit iratus furor Domini contra Israel; commouitque Dauid in eis dicens: Vade, numera Israel.* 2. Reg. 16. *Dominus præceperat Semei, vt malediceret Dauid.* 3. Reg. 22. *Decipies, & prævalebis. Vade, & fac ita.* 3. Reg. 11. 12. rebellio Ieroboam dicitur à Deo fuisse; itemque & illa Iehu, 4. Reg. 9. 10. Iob. 1. *Dominus dedit; Dominus abstulit.* Isa. 10. Sennacherib dicitur serra in manu Domini, virga furoris. Isa. 13. *Ecce ego suscitabo contra vos Medos.* Quia *Præcepi sanctificatis meis* Medis. Sic & Iere. 51. &c.

IV. DEVS dicitur excæcare & indurare corda, vt non velint, nec possint agere benè. Exo. 7. 8. 9. *Indurauit cor Pharaonis:* Deut. 2. *Spiritum Sehon.* Iosue 11. *Domini sententia fuerat, vt induxarentur.* Is. 19. *Miscuit in eis spiritum vertiginis.* Ioan. 12. *Excæcauit oculos eorum.* Rom. 1. *Tradidit eos in reprobum sensum.* Rom. 9. *Cuius vult miseretur; & quem vult, indurat. &c.*

V. DEVS dicitur reipsa operari peccata & mala. 2. Reg. 12. *Ego suscitabo super te malū.* &c. Absolonem Luc. 2. *Ecce positus est in ruinam, & resurrectionem.* Rom. 9. *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali.* Eph. 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

CHRISTVS. Vera ista sunt omnia; sed sensu non vero obtenduntur.

AD I. In malis operibus sæpe Actio mala est, bona Passio: passionis opera prædestinauit Deus; non actionis: nam in hisce Deus præuidit voluntates malas hominum agentium ea.

AD II. Deus non creat impios, nisi materialiter, id est, eos creat, quos præuidet futuros impios; vt eorum iniustitiâ vtatur ad iustitiam suam, & potentiam: sic, vt præuisio impietatis præcedat decretum damnationis; non contrà. Sic *vasa in contumeliam* ex Deo habent, vt sint *vasa*; ab materia, vt sint *in contumeliam:* Oditque ea Deus, non vt suam facturam, sed vt voluntate propria corruptam.

AD III. Modus, quo inclinet Deus ad malum, potest intelligi quadruplex.

1. Impius ac blasphemus; quod impediatè, verè, propriè, per se impellat.

2. Quod Permittit malos agere malè: Vt Satanam contra Iob sæuientem.

3. Quod insuper malos deserat exortes gratiæ. Vt Achabum decipi imperauit;

uit; & lumen ei negauit, quo verum à falso discerneret.

4. Quod deserit pios, vt cogantur pati, adstante eis gratia; impiorum verò præsidet voluntatibus, non dans eis corruptionem, sed ordinem: hic eis à Deo, vitium ex ipsismet est; & talibus vtitur Deus in bonum maius.

Ad IV. 1. Deus causa est excæcationis & indurationis *Negatiuè*, sc. permittẽdo, deserendo, non miserendo; Non *Positiuè*: seu, (vt Aug. ep. 105.) *Non obdurat impartiendo malitiam; sed non impartiendo misericordiam.*

2. Cæcationi duo insunt; à Deo iusta priuatio luminis; ab homine, affectus prauus; sic & obdurationi. Vnde non Videre à Deo est; non Posse videre, est ab excæcato.

3. Hæc autem impotentia' est exhypothesi, non absoluta: quia posset videre cum gratia Dei; at non potest, ob propriam affectus malitiam: ideo, Ioan. 15. *excusationem non habent de peccato.*

4. Demum, actio excæcandi & obdurandi, non est propriè actio; sed actionis omissio, sc. desertio Dei; Sæpe occasio rerum est, quæ excæcant; vt munera, res concupiscibiles. Atque ex istis sat liquebit sensus Scripturarum quæ contra Dei Bonitatem militare videntur.

QVÆSTIO X.

An & quo peccato peccarint protoplasta tentati?

XIII. ANTICHRISTIANISMVS.

Lvtherani quidam negarunt primos parentes tentari, aut peccare potuisse.

CHRISTVS. Quam Deus mortem comesturis pomum fuit comminatus, *Gen.* 2. quamque incurrerunt lege violata, excluſi & paradiso, & ligno vitæ, & multis subiecti laboribus; eam S. Patres rectè sunt de- & corporis, & animæ morte interpretati. Nonn. ipse pomi esus lethalis fuit; sed peccatum, quod animæ prius occidium, dein & corpori commeruit. Vnde Eccl. 2. *A mulere initium peccati; & per illam morimur omnes.* Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Rom. 6. *Stipendium peccati mors.* Ro. 8. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Plane peccarunt ambo Adam cum Eua, & peccato ad mortem. Nam immortalitas corporis erat eis ex gratia non ex natura; gratiam fugauit peccatum, naturam vitiauit: nil tale potuit natura ligni; sed superbia honoris affectati, debitique Deo soli.

XIV. ANTICHRISTIANISMVS.

Zvvinglio Calvinistæ Volunt, Deum prædestinasse primorum parentum peccatum & omnia omnium peccata; ideoque ipsius ordinatione aciussu tentatos esse simul & eosdem: idque fatali necessitate, quò Dei cognoscetur iustitia, ait Zvvinglius; vel, vt Calvinus ait, quòd misericordiæ & iustitiæ aditum, per facere non posset, nisi prius homo miser, & plicio que dignus euasisset. De quo *supra* qu 6. & 9.

CHRISTVS. 1. At ego verè dic Mat. 18. *Non est Voluntas ante Patrem v strum, vt pereat vnus de pusillis istis:* & C put, basimque generis humani adi teritum creasset?

2. Hoc odium foret. At, Sap. 11. *Di gis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, q fecis*

feciſti: Nec enim odiens aliquid conſtituiſti; aut feciſti. Quia *erant omnia bona valde, quæ fecit.*

3. Enimuerò, Mat. 19 *Nemo bonus*, abſolutè & infinitè; *niſi ſolus Deus.* Et malum ter Optimus tantum creaſſet, decreuiſſet, feciſſet.

4. Omnino, Sap. 15. *Nemini mandauit Deus impiè agere; & nemini dedit ſpatium peccandi.* Quia, Pſ. 44. *Dilexiſti iuſtitiam* in protoplaſtis coronariam; *& odiſti iniquitatem* tum originalem, tum actualem. Quocirca, Iac. 2. *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum actuum eſt: ipſe autem neminem tentat.*

5. Tametſi præſciuerit tentandum fore, ac lapſurum Adam, labique permiſit; non tamen voluit; quin præmonuit caueret; ſin' morte moriturum. Ro. 9. *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Abſit.*

Malum pœnæ à Deo eſt; at culpæ nequaquam.

XV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINIANI: Protoplaſtæ ſe morituros non crediderunt: Itaque Infidelitas radix defectionis fuit. Hinc ambitio & ſuperbia.

CHRISTVS. I. At verè, Eccl. 10. *Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo; quoniam ab eo, qui fecit eum, receſſit cor eius. &c. Initium omnis peccati Superbia.* Ecce initium & actuum hominis, & omnis peccati ſuperbia. Ideo Tob. 4. *Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut verbo dominari permittas; in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.* Nil hic de ſuperbia Angeli, ſed hominis. Rom. 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita per obedientiam Vnius iuſti conſtituentur.* Nolle ſubijci ad obedientiam ſuperbia eſt, *& quaſi ſcelus ariolandi.*

II. Verũ tamen eſt: poſt ſuperbiam, lapſos in Infidelitatem fuiſſe; vt S. Patrum conſenſus recte docet: Atque in talem Eua quidem, *ſeu* quod crederet mentitum ex inuidentia Deum in comminatione mortis: *Seu*, quòd Adæ non crederet aſſerenti, fuiſſe à Deo prohibitum eſum de ligno. Adam verò in tribus errauit; quod crederet peccatum eſſe veniale, præuaricari mandatum: Non ſe moriturum: futurumque ſe Deo ſimilem, ſubiectum nulli. Vnde 1. Tim. 2. *Vir nõ eſt ſeductus*, ſc. immediatè ab ſerpente, ſed mediatè & occaſionaliter ab Eua; Ex huius amore nimio; Ex ipſa experientia; Viſo eam poſt eſum non mortuam; Ex verbo ſerpentis ei relato.

QVÆSTIO XI.

An peccatum Originale propriè ſit peccatum, an metonymicè.

XVI. ANTICHRISTIANISMVS.

ZWINGLIANI & ANABAPTISTÆ negant propriè; aiunt metonymicè eſſe peccatum, vtpote morbum ex peccato Adæ; ſed inculpabilem, ac indamnabilem. Sic & Pelagius. Vide *Lutbero-t. p. 4. q. 14.*

CHRISTVS. At ego dixi, Ioan. 3. *Qui non credit in Filium, ira Dei manet ſuper eum*: Non, *Veniet*, ait Aug. l. 6. in Iulia. ca. 12. ſed *Manet*, quia iam ante erat per peccatum. Et Baptiſta Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, qui tollit τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, peccatum illud mundi.*

II. Apo-

II. Apostolus verò luculentè: Rom. 5. *Sicut per vnum hominẽ peccatum in hunc mundum intrauit; & per peccatum mors: & ita in omnibus hominibus mors pertransiit. In quo omnes peccauerunt.* Hic *peccatum* nõ ponitur vt effectus, sed vt causa; mors verò vt effectus. Neque *peccatum* hic significat metonymice pœnam peccati, morbum, seu concupiscentiam infrenem: quia nimis coactum hoc & fictum est.

Nec Imitatione intrauit: Quia innumeri nil cognouerunt de pec. Adæ. Dein *Sicut peccatum* vt causa; *sic & mors intrauit:* at hæc generatione, non imitatione intrauit. Ad hæc, *per vnum hominem*; si imitatione, ergo *per Angelum* dixisse oportuit; vt qui primus peccauit. Postea, *per peccatum mors*: at hæc generatione, non imitatione intrauit: ergo & iliud. Adde, *Pertransiit in omnes*: non substitit in vno, aut aliquibus. Demum *in quo* homine vno *omnes homines peccauerunt* propriè, & vere. Hoc ibidem sequentia declarant, quæ docent, ante legem datam non fuisse cognitum peccatum, nec reputatum; & tamen reuera extitisse: nam *regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos, qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Proinde ibid. *Iudicium ex vno in Condemnationem; gratia autem ex multis delatis in Iustificationem.*

III. Iob. 14. ex versione LXX. *Nemo mundus à sorde; nec infans.* Vnde Ps. 50. *Ecce in iniquitatibus cõceptus sum*; Vna enim originalis est fons omnia. Ideo Rom. 3. *Omnes peccauerunt*, originaliter in vno Capite; *& egent gloria Dei.* Sic & 1. Cor. 15. & 2. Cor. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt.* Gal. 3. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt remissio per Christum daretur credentibus.* Eph. 2. *Eramus & nos filij iræ sicut & cæteri*, sc. naturâ, id est, natiuitate, seu ratione materiæ nostræ peccabilis.

Svasiones è Scripturis oppositas vide in *Luther oc. p. 4. q. 14.*

QVÆSTIO XII.

Qualis Origo sit humanarum Animarum, & peccati Orig. Traduxi?

XVII. ANTICHRISTIANISMVS.

Gnostici, Manichæi, Priscillianistæ cum Stoicis aiebant, Animas esse particulas de substantia Dei; ac Inspirari à Deo, Non Creari: Non traduci ex parentibus.

CHRISTVS. At animæ hominum sunt mutabiles & violabiles: non Deus. Quia Mal. 3. *Ego Deus, & non mutor.* Iac. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Ps. 101. *Tu a. idem ipse es, & anni tui non deficient.* Atque tamen, Gen. 2. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, non ideo is spiritus animæ erat de substantia Dei: nam ex hac solus Spiritus Sanctus procedit.

XVII. ANTICHRISTIANISMVS.

Origenistæ, cũ Platonicis: Animæ hominum, simul cum Angelis creatæ, quod fastidissent cœlestia, amore terrestrium, in carceres corporum compinguntur.

CHRISTVS. At tunc Deus feliciter egisset cum impijs occisis, infeliciter cum iustis seruatis; vt cum Loth in incendio, cum Noe in diluuio, &c.

2. Ego beatam corporum resurrectionẽ male procurasse; mortẽ bene Satan.

3. Non

3. Non istę forent benedictiones Dei, Gen. 1. 9. *Crescite, & multiplicamini.* Gen. 17. *Patrem multarum gentium constitui te, faciamque te in gentem magnam.* Deut. 1. *Addat Deus ad hunc numerum multa millia.*

4. Per resuscitationem Lazari male feciſſem amico.

5. Multæ Scripturæ Sacræ forent falsæ: Vt Rom. 5. *Regnauit mors etiam in eos, qui non peccauerunt. &c.*

XVIII. ANTICHRISTIANISMVS.

APOLLINARIS. Luciferiani. Tertull. Animæ, vt corpora, gignuntur à parentibus.

CHRISTVS. At in creatione diximus de Animantibus: Gen 1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram. &c. Producat terra animam viuentem in genere suo & reptilia & bestias.* De Homine verò ait: *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Itaque brutæ animæ sunt materiales; spiritales vero humanæ; *Et factus est homo in animam viuentem:* Non igitur spiraculum illud erat gratia Sp. Sancti.

2 Ps. 32. *Deus fingit singulatim corda eorum.* Eccl. vlt. *Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Isa. 57. *Flatum omnem ego feci.*

XIX. ANTICHRISTIANISMVS.

1. LVTHERANIS Peccatum orig. subiectatur in corpore etiam toto.

2. Zvvinglianis certò non est in filiis fidelium; probabiliter nec in infidelium: Imò pec. orig. nihil est.

3. CALVINIANIS non est in liberis fidelium, sed in solis reprobis.

CHRISTVS. At Ego idcirco esse baptismi necessitatem, tum Medij, tum Præcepti, docui, ad abluendum pe. or. quod isthoc omnibus inhæreret, inde ab Adamo. Proinde, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. Sancto, non potest intrare in regnum cœlorum.*

2. Docuit idem Apostolus. Ephes. 2. *Eramus & nos naturâ filij iræ, sicut & cæteri:* At loquitur de Israelitis, de se, *Gal.* 2. naturâ Iudæo, non ex gentibus peccatore.

3. Dauid clarè Ps. 50. *Ecce in iniquitatib. conceptus sum;* & verè tamen prædestinatus fidelium erat filius. Suprà plura *quæst.* 11.

QVÆSTIO XIII.

Peccatum Originale an sit Substantia? Peccatum Actuale? Concupiscentia?

XX. ANTICHRISTIANISMVS.

ILLYRICVS, ex Luthero pec. or vult esse substantiam animæ, & imaginem Dei transformatam in imaginem diaboli substantialiter. Sic plures Lutherani.

CHRISTVS. Peccatum est priuatio & defectus; non substantia, seu natura. Quia, cum Ioa. 1. *Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est Nihil,* sc. peccatum: idcirco necesse est quod 1. Tim. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* Peccatum verò est malum.

Vnde Paulus, Rom. 7. *Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Non enim quod volo bonum, sed quod odi malum, hoc facio. Iam non ego operor illud; sed quod habitat in me malum.* Ecce pec. or. habitat in homine, non est homo; minus est illud ipsa mens: & Caro est pars hominis; nam distinguitur contra men-

tem: vt ibid. *Mente seruio legi Dei, carne autẽ legi peccati.* Quò minus peccatum orig. est mens ipsa.

Deinde diabolus est pater peccati, *Ioan.* 8. quod si peccatricem mentem transformat, sanè & pater foret mentis, id est conditor, seu formator.

XXI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI multi: Peccatum, aiunt, originale est Actuale, vt incredulitas, desperatio. &c. Sic Lutherus, Melanch. Kemnit &c.

CHRISTVS. At infantes, cum liberum mentis vsum non habeant; nec peccatum actuale habere possunt: *Nesciunt enim, quid faciunt:* Et tamen pecc. habent originale: Hoc igitur eis Actuale esse nequit. Vt Iacob & Esau, Rom. 9. *Cùm nondum nati fuissent, nec aliquid boni egissent, aut mali: Iacob dilexi. &c.* Sic & Deut. 1. *Filij tui, qui hodie ignorant distantiam boni & mali,* id est, nullum actuale peccatum habent. Tales, *Ionæ* 4. fuerunt in Niniue vltra 12000. hominum, qui ignorabant, quid esset inter dexteram & sinistram, id est, infantes, ait S. Hier. erant.

XXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI communiter & pertinaciter aiunt; Concupiscentiam innatam, in sua natura, esse, perquemanere continuum peccatum: omniaque hinc & opera hominum esse inquinata: Sed à Deo non imputari renatis.

CHRISTVS. At Vetus, Nouumq; Test. reclamat: docet enim tollenda, *Tollique* peccatum, non *Tegi*, præsertim in baptismo. Exo. 32. *Qui aufert iniquitates & peccata.* Ps. 50. *Dele iniquitatem meam.* Isa. 1. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix alba erunt.* Isa. 27. *Dimittetur iniquitas Iacob, vt auferatur peccatum eius.*

2. De me Ioan. 1. *Agnus Dei, qui TOLLIT peccata mundi: qui,* Rom. 5. *in mundum intrauit.*

3. Iac. 1. *Vnusquisque tentatur à Concupiscentia sua abstractus & illectus:* Tentari non est peccare At *Deinde Concupiscentia cum conceperit,* delectatione, vel etiam consensu, *parit peccatum,* cordis seu cogitationis. Demum *Peccatum verò cum consummatum fuerit* opere ipso actuale, *generat mortem.*

4. Rom. 7. *Nunc autem non ego operor illud: sed quod habitat in me peccatum:* quasi dicat, motus concupiscentiæ non est meum opus; ideoque nec mihi imputatur.

Scio enim quia non habitat in me, id est, in carne mea bonum: vbi *Caro* accipitur solum pro altera parte, non pro homine toto: Alioquin non vere diceret; *non Ego operor:* Non benè dictum corrigeret & exponeret istud: *in me, id est, in carne mea,* quasi dicat sola, non in mente per delectationem vel consensum. Atq; ita passim distinguit idem mentem contra carnem. *Mente seruio legi Dei, carne legi peccati. Qui foris est noster homo licet corrumpatur, is, qui intus, renouatur.* Gen. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Et Ego, Ioan. 3. *Quod natum est ex carne, caro est.* Luc. 16. *Caro & Sanguis non reuelauit tibi.*

5. *Nihil damnationis est in iis,* Rom. 8. *qui sunt in Christo Iesu,* id est, iustificatis, licet sentiant concupiscentiam.

Idque non, quod eius Reatus sit in baptismo solus remissus; sed quod peccatum

catum ipsum sit deletum. Nam reatus & peccatum sunt inseparabilia; & peccatum est fundamentum reatus: quocirca & hic, illo manente manet: & *odio est Deo impius, & impietas eius*, Sap. 14.

QVÆSTIO XIV.

Quæ sit pœna peccati orig. in decedentibus sine baptismo?

XXIV. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS cum sequacibus fingunt Fidelium proles, absque baptismo mortuos, Saluari ex pacto.

ZVVINGLIVS hoc certum asserit. Probabile verò, & Infidelium proles saluari; vi Redemptionis.

CHRISTVS. At iam damnati sunt.

1. Quia Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. Sancto; non potest introire in regnum Dei.*

2. Ioan. 3. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Item *ita exaltari oportet Fil. hom. vt omn. qui credit. &c.*

Notauit rectè S. Aug. ser. 14. de verb. Apost. *Non dicit, Ira Dei veniet super eos: sed manet*: adeo necesse est liberari ab ira per baptismum.

Vnde Ephes. 2. inquit, *Eramus & nos filij natura filij iræ.* Quia, Rom. 5. *Per vnius delictum omnes homines in condemnationem.* Sic irato Deo quis beatus erit, nisi amicus ipsius? Omnino, Apoc. 20. *qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.*

II. DE GRATIA ET LIB. ARBITRIO.

QVÆSTIO XV.

An gratia Iustificans sit permanens qualitas in anima?

XXV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ Imputationem solam iustitiæ Christi statuunt, vt quia acceptatione gratuita simus iusti.

CHRISTVS. At ego dixi, Ioan. 4. *Aqua gratiæ, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Qui fons est Sp. Sanctus inhabitans per gratiam. Nam, Ioan. 7. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*: subiunxitque protinus: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Sicque S. Patres illa exponunt de gratia inhabitante, & creata.

2. Idem docet meus, Rom. 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi*: sc. non imputatiuè, sed inhærente nobis iniustitia orig. Ita per obedientiam vnius hominis iusti constituentur multi: non imputatiuè, sed realiter.

3. Ideo Gratia dicitur diffundi, effundi: vt Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Sp. Sanctum, qui datus est nobis*: non imputata solum. Sicut realiter Mat. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ*, non imputatiuè.

4. Gratia comparatur rebus permanentibus; vt pignori, Vnctioni, sigillo, semini. 2. Cor. 1. *Qui Vnxit nos Deus, & Signauit nos, & dedit Pignus Spiritus in cordibus nostris.* 1. Ioan. 2. Vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. 1. Ioa.

3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quia Semen eius,* gratia, *manet in eo.*

QVÆSTIO XVI.

In quo sita sit Efficacia Gratiæ?

XXVI. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTIS omnis gratia est Efficax; Sufficiens nulla: eò quod moti à Deo, debeant; non moti, non possint, agere benè.

PELAGIANIS solum lib. arbitrium est sufficiens ad salutem operandam; gratiâ opus nullâ. Vide *Luthero-cal. p. 4. q. 29. 30.*

CHRISTVS. At Ego Dixi: Matth. 23. *Ierusalem. &c. quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & Noluisti?* Quo docui, gratiam eos Sufficientem habuisse; nō tamen Efficacem; quia Noluerunt.

2. Par querela Protomartyris, Act. 7. *Vos semper Spiritui S. restitistis*: quasi dicat, hic sufficiens vobis datus est; sed per vos nolentes non erat Efficax.

3. Sic Isa. 5. *Expectauit vt faceret vuas*; poterat enim per sufficientiam gratiæ: *& fecit labruscas*, per Inefficaciā eiusdē.

4. Rom. 2. *Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* quia sufficientem gratiam dederat. Ideo, Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso; si quis aperuerit mihi intrabo ad eum.* Pulsat sufficiens; si vis, fac Efficacem.

5. Fieri autem posse efficacem sic docui. Ioan. 6. *Omnis, qui audit à Patre,* per sufficientiam, *& discit*, per efficaciam, *venit ad me* de facto. Vnde Rom. 8. *Quos vocauit, hos & iustificauit*: istud sufficienter, hoc efficaciter.

XXVII. ANTICHRISTIANISMVS.

EFFICACEM reddere gratiam est in potestate hominis vt Sufficienti consentiat: Sicque Efficacia gratiæ consistit in voluntate humana.

CHRISTVS. At ego contrà dico, Ioan. 6. *Omnis, qui audiuit à Patre,* per inspirationem internam Dei, *venit ad me,* per Doctoris Dei suasionem, non per studium discipuli. Quia Isa. 54. *est scriptum in prophetis; Erunt omnes docibiles Dei,* theodidacti. Planè, Ps. 93. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine.*

2. Disertè quoque 1. Cor. 4. *Quis te discernit,* sc. fidelem ab infideli? Errorem prædictus diceret, Liberum arbitrium. At *quid habes,* in libero arbitrio, *quod non accepisti,* à Deo? Libertas tua est, sed Dei est bonitas persuadens arbitrio, dans *& Velle, & Perficere.*

3. Si voluntas consentiendo gratiam sufficientem redd t Efficacem, iam euersa erit Prædestinatio Diuina, Rom. 8. *Quos enim prædestinauit, hos & vocauit,* sc. suffic ēter: sed quem ad medium? Ecce *Omnia cooperantur in bonum his, qui SECVNDVM PROPOSITVM Vocati sunt Sancti*: scil. non secundum voluntatem Vocati.

XXVIII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ. Voluntas hominis in iustificatione nihil omnino agit; sed solus omnia Deus, à quo illa agitur.

CHRISTVS. At contra Dauid orabat, Psal. 69. *Deus in adiutorium meum intende.* Psal. 26. *Adiutor meus esto, ne derelinqas me. Nomen,* ait Augustin. serm. 13. de

13. de verb. Apost. *Adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis.*

2. Contra meus, 1. Cor. 15. *Gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus LABORAVI: Non Ego autem; sed Gratia Dei mecum. Ac per hæc*, ait Aug. l. de grat. & lib. arb. c. 5. *nec gratia Dei sola; nec ipse solus; sed gratia Dei cum illo.*

3 Ideo monet, 2. Cor. 6. *Ne in vacuum Dei gratiam recipiatis.* Nam, Rom. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Atque ita ait Phil. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

XXIX. ANTICHRISTIANISMVS.

Calvinistæ Negant esse in potestate hominis, Gratiæ consentire, vel refragari: adeo cogit gratia voluntatem: & quis resistat ei?

CHRISTVS. At ego, Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos; & Noluisti.*

Hoc verò resistere est gratiæ. Apoc. 3. *Ego sto ad ostium* voluntatis humanæ, *& pulso; Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* Aperire ianuam est voluntatis.

4. Vere Sanctus Stephanus, Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto restitistis.*

Quocirca, Psal. 94. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

QVÆSTIO XVII.

An SVFFICIENS Auxilium detur omnibus ad salutem?

XXX. ANTICHRISTIANISMVS.

Pelagiani fingebant, solis liberi arbitrij viribus quemque salutem consequi posse; nec opus vlla gratia præueniente.

CHRISTVS. At ego etiam ijs sufficiens præbeo, quos præuideo non credituros. Ideo dixi, Mat. 11. *Si in Tyro & Sidone hæc facta fuissent; in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.*

Ego dixi, Mat. 13. *Vobis*, etiam Iudæ, *datum est nosse mysterium regni Dei; cæteris autem non est datum* 2. Thes. 3. *Non omnium est fides.* Nam, Rom. 9. *Cuius vult, miseretur; quem vult, indurat.*

XXXI. ANTICHRISTIANISMVS.

Lvthero-Calvinistæ: Solis prædestinatis, non reprobis datur auxilium sufficiens ad salutem consequendam. Quia ipsis Omnis gratia est Efficax, & determinans voluntatem.

CHRISTVS. I. At ego dixi, Mat. 5. *Deus solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos* gratiam suam, exponit S. Ambr. serm. 8. in Psal. 118. Dixi, Ioan. 1. *Lux vera illuminat omnem hominē* luce gratiæ ait Chrys. Quia, 2. Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 2. Pet 3. *Non vult aliquos perire; sed Omnes ad pœnitentiam venire.* Ps. 18. *Non est, qui se abscondat à calore eius.* Sap. 11. *Misereris omnium, quia potes. &c.*

II. Sufficiens auxilium ad resurgendum à peccato non adest omnibus semper & vbique. Sic ipse docui, Ioa. 12. *Propterea nō poterant credere, quia iterum dixit Isaias; excæcauit oculos eorum*, sc. stante cæcitate non poterant. Idem recte asseritur 2. Tim. 2. *Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis.*

III. Ad deuitanda tamen peccata sufficiens auxilium omnibus, semper, & vbique adest, mediatè, vel immediatè. Ideo iussi orari, Mat. 6. *Et ne nos inducas in tentationem.* Proinde, Eccl. 15. *Ne dicas per Deum Abest.* Quia Oseæ 13. *Perditio tua ex te: tantummodo in me auxilium tuum.* Vnde Aug. l. de nat. & grat. c. 43. *Admonet nos Deus facere, quod possumus; & petere, quod non possumus.* Idem l. de grat. & lib. ar. c. 16. *Ideo quædã iubet, quæ non possumus; vt sciamus, quid ab illo petere debeamus.*

QVÆSTIO XVIII.

An vlla sit CAVSA PRAEDESTINATIONIS in nobis?

XXXII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ Εὐδοκίαν, seu merum gratuitum Dei beneplacitum causam Electionis impellentem bene constituunt; sed malè explicant, malè defendunt: Nimirum sic placuisse Deo ante præuisum peccatum origin. & etiam post præuisum peccat. origin. & actualia.

CHRISTVS; Ego quinque hac in re docui.

I. Aliqui sunt Electi. Mat. 20. *Multi sunt vocati; pauci verò electi.* Mat. 24. *Congregabunt Electos eius à quatuor ventis.* Ro. 8. *Quis accusabit aduersus Electos Dei?* Eph. 1. *Elegit nos IN IPSO ante mundi constitutionem.*

II. Sunt Electi ad regnum. Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex; quoniam complacuit Patri dare vobis regnum.* Rom. 10. *Reliquiæ, secundum Electionem gratiæ saluæ factæ sunt.*

III. Electi ad regnum infallibiliter saluabuntur. Mat. 24. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Ioan. 6. *Hæc est voluntas Patris; vt omne, quod dedit mihi, non perdam sed resuscitem in nouissimo die,* Ioan. 10. Nemo rapiet eas de manu mea. Ego & Pater vnum sumus. Rom. 9. *Quos prædestinauit, hos & vocauit,* sc. secundum propositum: *Et quos,* ita *vocauit, hos iustificauit: Et quos* ita *iustificauit, hos magnificauit.*

IV. Electio prædicta, est facta ex mera Dei Misericordia. Lu. 12. *Complacuit Patri dare vobis regnum,* gratuito. Quia Ioa. 15. *NON VOS Me elegistis; sed EGO elegi vos; & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat,* quasi dicat. Non elegi vos, quasi viderim me eligendum fore à vobis, vos fructificaturos, aut perseueraturos; non: sed elegi vos vt faciam vos fructificare, me sequi, & perseuerare. Glarius Rom. 11. *Reliqui mihi adhuc 7000. virorum, qui non curaucrunt genua ante Baal. Sic ergo in hoc tempore reliquiæ SECVNDVM ELECTIONEM GRATIAE saluæ factæ sunt.*

Clarissimè Eph. 1. *Elegit nos in Ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati.* Et, *Prædestinauit nos in adoptionem filiorũ SECVNDVM PROPOSITVM VOLVNTATIS SVAE, in laudem gloriæ GRATIAE suæ.*

Addit: *IN QVO nos FORTE vocati sumus, prædestinati secundum Propositum eius:* quasi dicat. Vocatio, respectu hominum dici potest Fortuita; quia ipsis inscijs facta est; at respectu Dei nõ est sors, sed destinata electio secundum propositum.

V. Electio eadem est non solum gratuita; sed etiam absque vlla præuisione operum. Rom. 9. *Cum nondum nati essent, aut*

aut aliquid boni vel mali egissent; (Vt secundum Electionem Propositum Dei maneret) non ex operibus; sed ex Vocante dictum est ei, &c. Iacob dilexi; Esau autem odio habui. Ro. 11. *Si gratiâ; iam non ex operibus: Alioqui gratia iam non est gratia.*

Verum in hisce conueniunt nobiscũ Caluiniani: discrepant Pelagiani. Liquet in meo *Luthero-cal. p. 4. q. 32.*

QVÆSTIO XIX.

An detur ex parte hominis causa Reprobationis?

XXXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ peruicaciter Negant; essequeparem causam ac eandem tum Electionis, tum Reprobationis contendunt tam Positiuæ, quam negatiuæ.

CHRISTVS. Ego vero *veni vocare peccatores*; & *nolo mortem peccatoris; sed magis vt conuertatur, & viuat*: ceu suprà pluribus manifestum: nihilominus, *quia vocaui, & noluistis; ego quoque ridebo in interitu vestro*, sed distinctè.

I. Reprobationis Negatiuæ causa est sola Dei voluntas; id est, Prior actus reprobationis est quo non vult quosdam saluare.

1. *Et quis est qui dicat ei, quare sic facis?* Adeo *Iudicia Dei abyssus multa.*

2. Quia verè, Rom. 9. *Antequam aliquid boni vel mali egissent, Non ex operibus, sed ex Vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori.* Et *Iacob dilexi; Esau autem odio habui*, scil. in præscientia mea Dei. Nec *Esau odio habui* ob peccatum orig. quia & Iacob in eadem fuit, quoad pec. orig. damnationem.

Sed hæc reprobario dicitur Negatiua, qua vnum libero ab or. pec. & alterum non libero; quia sic volo: *Miserebor, cuius miserebor:* Rom. 9. *An non habet potestatem figulus luti, &c?* Proinde Deus *cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Quæ voces licet positiuum quid sonãt; negatiuè tamen capiendæ sunt: sc. quà Deus non vult aliquos saluari Voluntate Antecedente: de qua hic sola agitur. Et in hac Deus fecit vasa contumeliæ ex massa generis humani, qualia massæ huius natura conditioque requiritur ex se, sc. vasa iræ & odij. Quibus sic in ea conditione relictis, in qua inuenit; non facit iniuriam; sed voluntate sua Antecedente se negatiuè habet: ceu verè exponit *S. Aug. ep.* 106.

II. Reprobationis Positiuæ, id est, Damnationis causa est in solis hominibus reprobis ob sua cuiusque peccata.

1. Idcirco me dicturum prædixi, Mat. 24. *Ite maledicti in ignem æternum.* Qua de causa? *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.*

2. Vnde & Rom. 2. *Ira & indignatio in omnem animam operantis malum.*

3. Debet homo Deum habere Autorem operum bonorum; tamen sine horum præuisione Deus eum prædestinauit, quia voluit & potuit: at habere Deum nequit Autorem malorum operum; ideo cum horum præuisione eum iustè reprobauit Deus positiuè ex causa peccatorum reprobi.

QVÆSTIO XX.

An Decretum Dei immutabile tollat liberum arbitrium; necessitetque tam ad bona, quam ad mala?

XXXIV.

III. Ad deuitanda tamen peccata sufficiens auxilium omnibus, semper, & vbique adest, mediatè, vel immediatè. Ideo iussi orari, Mat. 6. *Et ne nos inducas in tentationem.* Proinde, Eccl. 15. *Ne dicas per Deum Abest.* Quia Oseæ 13. *Perditio tua ex te: tantummodo in me auxilium tuum.* Vnde Aug. l. de nat. & grat. c. 43. *Admonet nos Deus facere, quod possumus; & petere, quod non possumus.* Idem l. de grat. & lib. ar. c. 16. *Ideo quædã iubet, quæ non possumus; vt sciamus, quid ab illo petere debeamus.*

QVÆSTIO XVIII.

An vlla sit CAVSA PRAEDESTINATIONIS in nobis?

XXXII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ Εὐδοκίαν, seu merum gratuitum Dei beneplacitum causam Electionis impellentem bene constituunt; sed malè explicant, malè defendunt: Nimirum sic placuisse Deo ante præuisum peccatum origin. & etiam post præuisum peccat. origin. & actualia.

CHRISTVS; Ego quinque hac in re docui.

I. Aliqui sunt Electi. Mat. 20. *Multi sunt vocati; pauci verò electi.* Mat. 24. *Congregabunt Electos eius à quatuor ventis.* Ro. 8. *Quis accusabit aduersus Electos Dei?* Eph. 1. *Elegit nos IN IPSO ante mundi constitutionem.*

II. Sunt Electi ad regnum. Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex; quoniam complacuit Patri dare vobis regnum.* Rom. 10. *Reliquiæ, secundum Electionem gratiæ saluæ factæ sunt.*

III. Electi ad regnum infallibiliter saluabuntur. Mat. 24. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Ioan. 6. *Hæc est voluntas Patris; vt omne, quod dedit mihi, non perdam sed resuscitem in nouissimo die,* Ioan. 10. Nemo rapiet eas de manu mea. Ego & Pater vnum sumus. Rom. 9. *Quos prædestinauit, hos & vocauit,* sc. secundum propositum: *Et quos,* ita *vocauit, hos iustificauit: Et quos* ita *iustificauit, hos magnificauit.*

IV. Electio prædicta, est facta ex mera Dei Misericordia. Lu. 12. *Complacuit Patri dare vobis regnum,* gratuito. Quia Ioa. 15. *NON VOS Me elegistis; sed EGO elegi vos; & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat,* quasi dicat. Non elegi vos, quasi viderim me eligendum fore à vobis, vos fructificaturos, aut perseueraturos; non: sed elegi vos vt faciam vos fructificare, me sequi, & perseuerare. Glarius Rom. 11. *Reliqui mihi adhuc 7000. virorum, qui non curaucrunt genua ante Baal. Sic ergo in hoc tempore reliquiæ SECVNDVM ELECTIONEM GRATIAE saluæ factæ sunt.*

Clarissimè Eph. 1. *Elegit nos in Ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati.* Et, *Prædestinauit nos in adoptionem filiorũ SECVNDVM PROPOSITVM VOLVNTATIS SVAE, in laudem gloriæ GRATIAE suæ.*

Addit: *IN QVO nos FORTE vocati sumus, prædestinati secundum Propositum eius:* quasi dicat. Vocatio, respectu hominum dici potest Fortuita; quia ipsis inscijs facta est; at respectu Dei nõ est sors, sed destinata electio secundum propositum.

V. Electio eadem est non solum gratuita; sed etiam absque vlla præuisione operum. Rom. 9. *Cum nondum nati essent, aut*

aut aliquid boni vel mali egissent; (Vt secundum Electionem Propositum Dei maneret) non ex operibus; sed ex Vocante dictum est ei, &c. Iacob dilexi; Esau autem odio habui. Ro. 11. *Si gratiâ; iam non ex operibus: Alioqui gratia iam non est gratia.*

Verum in hisce conueniunt nobiscũ Caluiniani: discrepant Pelagiani. Liquet in meo *Luthero-cal. p. 4. q. 32.*

QVÆSTIO XIX.

An detur ex parte hominis causa Reprobationis?

XXXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ peruicaciter Negant; essequeparem causam ac eandem tum Electionis, tum Reprobationis contendunt tam Positiuæ, quam negatiuæ.

CHRISTVS. Ego vero *veni vocare peccatores*; & *nolo mortem peccatoris; sed magis vt conuertatur, & viuat*: ceu suprà pluribus manifestum: nihilominus, *quia vocaui, & noluistis; ego quoque ridebo in interitu vestro*, sed distinctè.

I. Reprobationis Negatiuæ causa est sola Dei voluntas; id est, Prior actus reprobationis est quo non vult quosdam saluare.

1. *Et quis est qui dicat ei, quare sic facis?* Adeo *Iudicia Dei abyssus multa.*

2. Quia verè, Rom. 9. *Antequam aliquid boni vel mali egissent, Non ex operibus, sed ex Vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori.* Et *Iacob dilexi; Esau autem odio habui*, scil. in præscientia mea Dei. Nec *Esau odio habui* ob peccatum orig. quia & Iacob in eadem fuit, quoad pec. orig. damnationem.

Sed hæc reprobario dicitur Negatiua, qua vnum libero ab or. pec. & alterum non libero; quia sic volo: *Miserebor, cuius miserebor:* Rom. 9. *An non habet potestatem figulus luti, &c?* Proinde Deus *cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Quæ voces licet positiuum quid sonãt; negatiuè tamen capiendæ sunt: sc. quà Deus non vult aliquos saluari Voluntate Antecedente: de qua hic sola agitur. Et in hac Deus fecit vasa contumeliæ ex massa generis humani, qualia massæ huius natura conditioque requiritur ex se, sc. vasa iræ & odij. Quibus sic in ea conditione relictis, in qua inuenit; non facit iniuriam; sed voluntate sua Antecedente se negatiuè habet: ceu verè exponit *S. Aug. ep.* 106.

II. Reprobationis Positiuæ, id est, Damnationis causa est in solis hominibus reprobis ob sua cuiusque peccata.

1. Idcirco me dicturum prædixi, Mat. 24. *Ite maledicti in ignem æternum.* Qua de causa? *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.*

2. Vnde & Rom. 2. *Ira & indignatio in omnem animam operantis malum.*

3. Debet homo Deum habere Autorem operum bonorum; tamen sine horum præuisione Deus eum prædestinauit, quia voluit & potuit: at habere Deum nequit Autorem malorum operum; ideo cum horum præuisione eum iustè reprobauit Deus positiuè ex causa peccatorum reprobi.

QVÆSTIO XX.

An Decretum Dei immutabile tollat liberum arbitrium; necessitetque tam ad bona, quam ad mala?

XXXIV.

XXXIV. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINI & CALVINISTARVM effata ac Maximæ sunt plures.

1. Liberum arb. est extinctum & amissum per pec.orig.

CHRISTVS. At ego dixi, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Mat. 23. *Volui congregare filios tuos, & Noluisti.* Apoc.3. *Ecce sto ad ostium, & pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo.*

2. Plenum talibus vetus est Test. Vt Num.30. *In arbitrio viri erit, siue faciat, siue non faciat.* Deut. 30. *Proposui vobis vitam & mortem. Elige vitam, vt viuas.* Ios. 24. *Eligite quod placet, cui potissimum seruire debeatis.* 2. Reg. 24. *Trium tibi datur optio; elige vnum ex his.* Eccl.31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus; & facere mala, & non fecit.*

XXXV. ANTICHRISTIANISMVS.

LIBERI arb. vires naturales tolluntur per pe. actualia.

Ita CALVINISTÆ.

CHRISTVS. At præter iam dicta, testantur exempla peccantium actualiter, & tamen libertatem arbitrij seruantium saluam. Hinc Caino dictum Gen.3. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Dauidi post peccata dicitur, *Trium tibi datur optio: elige. &c.* 2. Reg.24.

XXXVI. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ. Gratia sufficiens necessitat animam liberumque arbitrium.

CHRISTVS. At ego ipse adhibui, adhiberique curo Monita, Præcepta, Consilia, Minas, Increpationes, Laudationes, Præmia, pœnasque; tanquam ad homines liberi arbitrij; quo vocanti, sana suadenti ac iubenti pareant; si velint. Hinc Mat. 23. *Quoties volui congregare filios tuos. &c.* Isa. 50. *Vocaui, & non erat, qui audiret.* Iere.7. *Vocaui vos, & non respondistis.* Zach.1. Ioel.2. Ezech.18. *Conuertimini, & agite pœnitentiam.* Sic excitatis si liberum est sequi; ergo gratia excitans nõ tollit lib. arbitrium: Si non est liberum; ergo vanæ sunt minę, pœnę, increpationes.

Manet interim istud Ioan.6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum:* Trahit enim non vi cogendo; sed amore, affectuque illiciendo.

QVÆSTIO XXI.

An arbitrij libertas sit ab & Coactione & Necessitate? Idque etiam in Deo?

XXXVII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ volunt per solam libertatem à coactione; non illam à necessitate; constitui liberum arbitrium. Vide *Luthero. c.p.4.q.37.*

CHRISTVS. Ad liberum Arbitrium requiritur Libertas vt aque: tum à Coactione, tum à Necessitate.

1. Vnde Eccl.15. *Deus dereliquit hominem in manu consilij sui: adiecit mandata: Si Volueris ea seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi ignem & aquam. &c. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placet ei, dabitur illi.* Hæc verò libertas arbitrij est & à Coactione & à Necessitate: Itemq; est inter Contradictoria: velle & non velle

velle; & inter Contraria, Eligere & Respuere. Sic Eccl. 31. *Erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi, & non est transgressus; & facere mala, & non fecit.* Isa. 66. Iudæi, *quæ nolui elegerunt.* Hæc verò illicita est libertatis licentia. Sic, Iere. 3. *Fecisti mala, & potuisti,* sc. liberè; etsi non licitè.

2. Ego dixi, Mat. 16. *Si quis VVLT venire post me:* non cogo, non necessito. Ibid. *Si VIS ad vitam ingredi, serua mandata.* Mat. 14. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; Aut facite arborem malam &c. quasi dicat, liberum stat vobis vtrumque.*

3. Sic & Apostolus. Rom. 6. *Velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio.* 2. Cor. 8. *Non solum facere, sed & Velle cœpistis anno priore; nunc & facto perficite: Vt, quemadmodum promptus est animus Voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis,* tum ex natura, tum ex gratia, *Non quod,* ait 2. Cor. 3. *Sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed Sufficientia nostra ex Deo est.* Phil. 2. *Deus est enim, qui operatur in nobis Velle & Perficere, pro bona voluntate.*

4. Idque sine vi coactionis seu necessitatis.

Vnde Gen. 4. *Nonne, si bene egeris, recipies: Si autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit Appetitus tuus; at tu Dominaberis illius,* in vtramlibet partem. Luc. 7. *Pharisæi autem & Legisperiti consilium Dei spreuerunt in semetipsis;* non in vi alia cuiusquam, *non baptizati ab eo.*

XXXVIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ volunt Deum necessariò agere, quæcunque agit.

CHRISTVS. At Ego inquam Mat. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ;* tametsi nunquam fecerit: non igitur omnia fecit, quæ potuit; plura supersunt.

Item Mat. 19. *Facilius est camelum per foramen acus transi. quam diuitem. &c.* Quanquam *apud homines hoc impossibile est: apud Deum omnia possibilia sunt.*

2. Et tamen verè Psaltes, 113. *Omnia, quæcunque voluit, fecit,* finita infinitus; proinde infinities plura potest. Verum, Eph. 1. *Qui operatur omnia secundum Consilium voluntatis suæ,* sc. per Cognitionem & Voluntatem suam.

3. Deus potest facere, quæ non facit; & potest non facere, quæ facit, vti habens Omnipotentiam libertam ac voluntariam. Ita Dan. 3. *Potens est Deus nos de manibus tuis liberare, ô Rex: Quod si noluerit. &c.* Sic & Hester 13. *Non est qui possit resistere tuæ voluntati: Si decreueris liberare nos, continuò liberabimur.* Et fecit. Sap. 11. *Non erat impossibilis manus tua immittere illis multitudinē vrsorum, aut audaces leones. &c.* Et non fecit. Ibid. *Misereris omnium, quia omnia potes: dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam:* punire potest, si vellet: ergo liber.

Denique mea vox hæc, Mat. 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam XII. legiones Angelorum?* Non feci tamen. Mea hæc, Mar 14. *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt.*

QVÆSTIO XXII.

An lumine naturæ solius cognosci possit, esse Deum, & vnum?

XXXIX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI plerique, CALVINIANI omnes pernegant.

CHRISTVS. At ego affirmo. 1. Nã Iob. 36. *Omnes homines vident Eum; sed vnusquisque intuetur procul*, in creaturis cõmunia quædam de Creatore cognoscẽtes. Vnde recta est ratiocinatio Sap. 13. *Si tantum potuerunt scire, vt possent æstimare Sæculum; quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt?* Idque naturaliter.

2. Testes mihi sunt Apostoli. Act. 17. *Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inueniant: quamuis non longè sit ab vnoquoq; nostrum.* Tam sc. esse facilem Dei notitiam hinc docent S. Patres, Chry. Oecumenius, &c. Rom. 2. *Veritatem Dei in iustitia detinent. Quia quod notum est Dei, manifestum est illis: Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt, intellectu conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus & Diuinitas; ita vt sint inexcusabiles. Quia cum cognouissent Deum; non sicut Deum glorificarunt.* Ecce notitiam Dei nõ per Reuelationem, sed per species rerum: Et Deum liberè agere cognouerunt; ideo arguuntur quod gratias non egerunt.

QVÆSTIO XXIII.

An homo sit liberi arbitrij in Naturalibus & Ciuilibus actionibus?

XL. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS & Melanchthon principio negarunt hæretice; demum retractarunt, & in hoc resipuerunt.

CALVINVS verò & Caluinistæ pernegant.

CHRISTVS. Integræ classes Scripturarum militant aduersum istud commentum.

1. Multæ Scripturæ tribuunt homini post lapsum, liberam diuersarum rerum electionem. Vt *Num.* 30. *Ios.* 24. 2. *Reg.* 24. 3. *Reg.* 3. *Dan.* 13. (Hæc suprà *quæst.* 21. reddidimus.)

2. Multæ docent, hominem aliqua posse facere, quæ non facit; & facere, quæ potuisset non fecisset: Vt 3. Reg. 3. *Quia postulasti verbum hoc, & non diuitias, &c.* Eccl. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* 1. Cor. 9. *Non sum liber; non sum Apostolus?* sc. vt potuerim circumducere fororem, accipere sumptus ab Ecclesijs. Act. 5. *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?*

3. Multæ conditionem includunt, & simul virtute liberam oppositorum optionem. Vt Il. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Mat. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Ibid. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia. &c.* Luc. 9. *Si quis vult venire post me. &c.*

4. Multæ reprehendunt cum interrogatione: quasi dicat potuisses non fecisse. Vt Gen. 3. *Quare hoc fecisti?* dicitur homini: At bestiæ, *Quia hoc fecisti.* Gen. 4. *Quare iratus es? Quare concidit vultus tuus?* Quiculæ non diceres; quare fugis lupum: quia non potest non fugere.

5. Eccl. 15. *Deus creauit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui;* Saluâ prouidentiâ Dei cui nil pugnat libertas arbitrij. Cum hac igitur creatus homo stetit rectus ante lapsum; perstitit que cum eadem & post lapsum integrè liber, sed cætera non rectus. Atque ob hanc libertatem tantò noscitur admirabilior prouidentia Dei directrix & conseruatrix homi-

hominis liberi sic, vt nil tamē ab illa necessitetur.

6. Multæ docent, hominem multa facere contra Dei voluntatem. Vt Prou. *Vocaui, & renuistis.* Isa. 5. *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Mat. 23. *Quoties volui congregare vos. &c. & noluistis.* Act. 5. *Vos semper Spiritui S. restitistis.*

7. Multæ continent præcepta, consilia, exhortationes, laudes, præmia, pœnas, minas, expostulationes: Quæ omnia clamant libertatem arbitrij ab & coactione & inprimis Necessitate.

QVÆSTIO XXIV.

An aliquod Verum morale possit solis naturæ viribus cognosci?

XLI. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINISTÆ affirmant, omnia & singula vera moralia posse solis naturæ viribus, hoc est, cum Generali auxilio Dei cognosci; nilque opus speciali ad vllum.

CHRISTVS. Non omne verum morale, sed duntaxat Aliquod, potest cum Generali auxilio naturaliter cognosci: illud nimirum, quod ex se non iustificat, nec meritorium est ad beatam vitam. At omne pertinens ad salutem, eget speciali gratia Dei.

1. Patent ista ex prædictis ad assertionem liberi arbitrij. Vnde Psal. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis Bona*, moralia quædam? *Signatum est* naturaliter *super nos* omnes & singulos *lumen* rationis practicæ *vultus tui*, intellectus. Ita S. Cyrillus Item Ps. 57. *Si verè vtique iustitiam loquimini, recta iudicate filij hominum*, impressa cordibus omnium. Plana hæc.

2. Planius Rom. 1. *Cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt.* Rom. 2. *Cùm Gentes*, nondum Christiani facti, *quæ legem non habent*, Test. veteris aut Noui, *NATVRALITER ea, quæ legis sunt, FACIVNT; eiusmodi legem*, Iudaicam aut Christianam, *non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt OPVS legis* naturaliter *scriptum in cordibus suis; testimonium illis reddente conscientia ipsorum.* Vnde *iusta querela Iudæi: Quæcunque naturaliter, tanquā muta animalia norunt, in his corrumpuntur.*

3. Denique *Pharaonis cor indurauit Dominus*, 1. speciali auxilio destituit; nihilominus tamen hoc verum morale in particulari cognouit, dicens: Exod. 9. *Peccaui: Dominus iustus, ego & populus meus impij.*

QVÆSTIO XXV.

An possit homo velle aliquid BONVM Morale viribus lib. arbitrij solis?

XLII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI pene nihil tribuunt viribus naturæ; Fidei omnia soli: Pelagiani contra, omnia viribus liberi arbitrij; gratiæ auxilio nihil.

CHRISTVS. Omnia præcepta Moralia, quoad operum substantiam, longiore tempore, obseruare nemo potest solis fretus naturæ viribus.

1. Nam obseruationem Legis tribuit Scriptura Gratiæ: Vt Ezech. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Rom. 8. *Quod impossibile erat legi*, scil. obseruari totam; *in*

q uo infirmabatur per carnem, Deus filium su. u n misit in simil itudinem carnis peccati & de peccato damnauit peccatum, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Atque vt sciatur loqui de Moralibus præceptis, exemplum subijcit, *Non concupisces.*

2. Apostolus idem diuinam legem Moralem & Naturalem vocat. 1. *Cor.* 15. Virtutem peccati, *Romanorum* 8. Legem peccati, mortis: 2. *Corin.* 15. literam occidentem; quia dum agenda docet, infirmæ naturæ vires nō præbet sed nos præuaricatores constituit reos peccati & mortis: A quo, ait *Rom.* 8. nos liberauit Spiritus vitæ *per Christum*, 1. Cor. 15. *qui dedit nobis victoriam.* Itaque recte ex hoc, 2. Cor. 3. *Litera occidit; Spiritus autem viuificat:* euicit contra Pelagianos S. Augustinus *lib. de spir. & lit.* solius naturæ viribus legem adimpleri non posse.

3. Rom. 2. *Factores legis iustificabuntur*, scil. per gratiam; Et tamen, Gal. 2. *Si ex lege* vel naturæ viribus, *esset iustitia, Christus gratis mortuus esset.* Ergo *factores legis* opitulante gratiâ, non solâ naturâ, *iustificabuntur:* scilicet obseruando legem, quoad Substantiam operis, id est; ne peccetur; etsi non quoad Modum perfectè.

4. Inter omnia mandata sunt aliqua, quæ absque gratia seruari non possunt: vt istud Continentiæ: Sapien. 8. *Vt scirui, quoniam aliter esse non possem continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum; adÿ Dominum, & deprecatus sum.*

Quin 1. Cor. 7. Quisque *donum suum habet ex Deo; vnus quidem sic, alius autem sic.*

Item mandatum dilectionis Dei est morale & naturale; item & hoc, *Non concupisces:* & tamen neutrum absque gratia speciali potest obseruari quoad operis substantiam minus quoad Modum.

5. Integra legis obseruatio certum est signum perfectæ charitatis: Ioan. 14. *Qui habet mandata mea, & seruat ea; ille est, qui diligit me.* 1. Ioannis 2. *Qui seruat verba eius, in hoc charitas Dei perfecta est.*

Et cap. 5. *Hæc est charitas Dei; vt mandata eius custodiamus.* Ioannis 14. *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.*

At charitas Dei non potest naturæ viribus acquiri; sed infunditur: *Rom.* 5. Ergo nec obseruatio legis sit per vires solùm naturales.

QVÆSTIO XXVI.

An possit homo tentationem vincere, aut bonum Morale perficere cum, vel sine speciali auxilio Dei?

XLIII. ANTICHRISTIANISMVS.

PELAGIANI: este Hieron. aiebant posse. Vide *Lathero-cal p. 4. q. 44.*

CHRISTVS. Quoad tentationes vincendas veras dixi: Matt. 26. *Orate* pro auxilio gratiæ, *ne intretis in tentationem.*

Docui etiam orari: Matth. 6. *Et ne nos inducas in tentationem.*

2. Addit Apostolus, 1. Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id*

id quod potestis. Si non patitur; ergo suâ gratiâ conseruat, nosque vallat.

Si non supra posse; ergo indicat posse tentationes incidere, quæ superent naturæ vires.

3. Clarè Sapiens. 8. Nemo potest continens, nisi det Deus. Quò minus vincit tentatio contra continentiam potest grauior, *nisi det Deus.*

4. Vnde Psaltes, 27. *In te eripiar à tentatione.* 26. *Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Ps. 117. *Impulsus, euersus sum, vt caderem; & Dominus suscepit me.*

XLIV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI volũt, Opera omnia infidelium esse peccata; etiam ea, quæ cum speciali fiunt auxilio Dei: Idque negare, esse Pelagianismum.

CHRISTVS. Veritas dicit: Etiam sine fide ab infidelibus, & cum Dei auxilio speciali posse opera aliqua moralia bona fieri; itemque etiam sine speciali gratia Dei.

1. Ideo dixi Mat. 5. *Si salutaueritis fratres vestros tantum*; quod morale bonum est; *quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo perfecti, &c.* quasi dicat maiora facere condecet.

At in eo gentiles non peccant, sed benè agunt sine fide, & gratia; sed Rom. 2. *Naturaliter, quæ legis sunt, faciunt.*

2. Exod. 1. *Quia timuerunt obstetrices Ægyptiæ Deum*, cauentes infanticidia quod bonum; ideo *ædificauit illis domos:* sc. remunerans eis opus bonum.

Sic Ezech. 29. *Nabuchodonosori merces non est reddita, neque exercitui eius de Tyro, pro seruitute, qua seruiuit mihi aduersus eam. Propterea, ecce dedi Nabuchodonosor Regem Babylonis, &c. diripiet spolia, & erit merces exercitui illius.* Sic & Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*; non obstante, quod sine fide, sine gratia Dei sis ethnicus.

QVÆSTIO XXVII.

An homo liberi sit arbitrij in MORALIBVS?

XLV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI certatim ac CALVINIANI prælfractè negant.

CHRISTVS. At ego affirmo constanter totâ Scriptura.

1. Ex ea, quæ Præcepta continet: vt Decalogum, & alia *Exod.* 20. At frustra præcipitur eis, qui non possunt non deficere; aut non possunt deficere; id est, qui in vtroque necessitantur destituti libero arbitrio.

2. Ex ea, quæ continet Promissa Conditionata: Vt Isaiæ 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Si nolueritis, gladius deuorabit vos.* Amos 5. *Quærite bonitatem, & non malitiam; & viuetis.* Mat. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

3. Ex ea, quæ docet, per hominem stetisse, quo minus bene ageret, & peccata vitaret.

Vt Num. 14. *Gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino.* Deut. 30. *Mandatum quod Ego præcipio tibi hodie, non supra te est.* Isa. 5. *Quid potui vineæ meæ facere, & non feci?* Mat. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* Act. 7. Vos semper restitistis Spiritui Sancto.

4. Ex ea, quæ dicit Deum quasi recedere exploratum, quò studia vergant hominum: Vt Deut. 8. *Adduxit te Dominus XL. annis per desertum, vt afflingeret te, & tentaret, & nota fierent, quæ in animo tuo versabantur.* Ibid. c. 13. *Tentat vos Dominus, vt videat, si diligatis eum.* At frustra exploraret homines Deus, nisi liberi essent arbitrij.

5. Gen. 4. *Si benè egeris, recipies; sin malè, statim in foribus peccatum aderit. Sed sub te erit appetitus eius,* sc. peccati; *& tu dominaberis illius* actionis tuæ per arbitrium. Eccl. 15. *Deus reliquit hominem in manu consilij sui. &c.*

6. Deut. 30. *Proposui vitam & mortem. &c. Elige ergo vitam, vt viuas.* Ios. 4. *Optio vobis datur, cui potissimum seruire debeatis.* Eccl. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* 1. Cor. 7. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem; sed potestatem habens suæ Voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare Virginem suam; benè facit.* 2. Cor. 9. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo; non ex tristitia aut necessitate: hilarem enim datorem diligit Dominus.*

QVÆSTIO XXVIII.

An homo post lapsum sit liberi arb. in rebus SVPERNATVRALIBVS?

XLVI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI negant; sed à Deo cogi ac salutari volunt voluntates electorum. Vide *Luthero-caluin. p. 4. q. 47.*

CHRISTVS. 1. Ego verò in pijs occupatos dixi operarios, ædificatores, plantatores, cooperatores: aguntigitur aliquid; non passiuè aguntur. Matt. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Talis erat qui dixit, 1. Cor. 3. *Ego plantaui, Apollo rigauit; Deus autem dedit incrementum.* Ibid. *Vnusquisque autem mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus Coadiutores:* θεοῦ πάνοι, *proprium laborem.* Sic Mar. vlt. *Prædicauerunt vbique, Domino cooperante: & confirmante sermonem sequentibus signis.*

2. Scripturæ imperant, suadent opera pietatis & conuersionem, vt hominibus liberi arbitrij: alioquin suadere coactis stultum est. Vt Zach. 1. Ioel. 2. *Conuertimini ad me. &c.* Is. 1. *Lauamini, mundi estote.* Ioa. 6. *Operamini nõ cibũ, qui perit; sed qui permanet in vitam æternam.* Ibid. *Quid faciemus, vt operemur opera Dei?* Respondi: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.* Hinc Phil. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini. Deus enim est qui operatur in vobis.*

3. Scripturæ docent, homines à Deo iuuari; vt qui non nihil agãt. Ps. 26. *Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Ps. 69. *Deus in adiutorium meum intende.* Rom. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. &c. postulat pro nobis gemitibus inenarr.* 1. Cor. 15. *Plus omnibus laboraui; non autem ego, sed gratia Dei mecum.* De quo Aug. l. de grat. & lib. arb. c. 15. *Nec gratia Dei sola; nec ipse solus; sed gratia Dei cum illo.*

4. Denique Scripturæ docent vocatos posse non venire. Vt Prou. 11. Vocaui, & renuistis. Mat. 23. *Volui tuos cõgregare, & noluisti.* Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto restitistis.* Apoc. 3. *Ego sto ad ostiũ, & pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad eũ. &c.* Quæ omnia lib. arbitrium testantur.

QVÆ-

QVÆSTIO XXIX.

Num quæ sint humanæ Dispositiones ad Iustificationem?

XLVII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ communiter negant omnem in & ex homine dispositionem propriam, ad Iustificationem à peccatis: sed hominem volunt simpliciter passiue agi à Deo & cogi.

CHRISTVS. I. At Ego prædicaui adultis, Mat. 3. *Parate viam Domini; Pœnitentiam agite.* Quippe, Prou. 16. *Hominis est præparare animam.* Quocirca, 1. Reg. 7. *Præparate corda vestra Domino.* Atque hæ adulti rationes compotes valent, ac debent. In infantibus, rationisque carentibus vsu, sat est aliena fides.

II. Sic tamen homines est præparare animam, vt ipsa illa præparatio gratia indigeat præueniente, qua cum homo Actiuè concurrit, non passiuè. *Agite*, inquam, *pœnitentiam.* Mat. 3. *Facite*, Mat. 7. *arborem bonam, & fructum eius.* Ezech. 18. *Facite vobis cor nouum.* Quocirca principalior est autor iustificationis DEVS, mouens liberum arb. Proinde nemo potest infallibiliter cognoscere suæ sufficientiam dispositionis: Mereri verò multò minus.

QVÆSTIO XXX.

Quid sit Fides iustificans? An fiducia? An Notitia?

XLVIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI, & iuxtà CALVINIANI pertendunt Fidem iustificantem esse FIDVCIAM specialis misericordiæ de remissis sibi peccatis: Ideoq; obiectum Fidei esse Scripturæ quidem omnem, at propriè solùm Promissiones in eadem factas. Luthero-caluin. parte 4. quæst. 53. 54.

CHRISTVS. At longè secus Apostolus meum vas electionis, Hebr. 11. *Fides est sperandarum substantia rerum*, vt Græci legunt; seu, vt Latini vertunt, *est sperantium fundamentum:* Vnde fidei spes innititur: *Argumentũ*, conuincens intellectum, *non Apparentium*; quales sunt res REVELATÆ; siue eæ sint Historicæ relationes & doctrinæ; siue Miracula, seu Promissiones, siue Mandata aut Consilia: Qualia *ibidem c. 10. & 11.* commemorat Apostol⁹; Vt de Historica Fide; *Per eam intelligimus aptata esse sæcula:* De Miraculorum fide; Per eam *Sancti vicerunt regna, obturauerunt ora leonum*: De promissis: Per eam *adepti sunt repromissiones in Christo Iesu.*

II. Fidem facere trifidam Historicam, Miraculorum, & Promissionum; hancque Promissionum solam iustificare, commentum est profanum. Nam Vna fides est, ceu DEVS vnus, & vna Veritas reuelans ac reuelata, quæ omnia ista, aliaque plura complectitur. Credere igitur S. Scripturæ Historiam, Miracula, Promissa; hæc inquam singula saluant; non ꝙ de singulis fides sit singularis, sed omnium vna. Id quod in *Luthero-cal. p. 4. q. 52.*

XLIX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ, Fides est fiducia, & Notitia.

CHRI-

CHRISTVS. Fides nõ est FIDVCIA.

1. Quia *substantiam rerum sperandarum* futura facit præsentia: at repræsentare est intellectus. *Argumentum* quoque est conuictio intellectus. *Fide intelligimus. &c.* at hoc est intellectus.

2. Idem patet Rom. 4. in fide Abrahæ. Eph. 3. In Christo *habemus fiduciam, & accessum in confidentia PER FIDEM eius.* Itaque spes *acquirit multam fiduciam in Fide*, 1. Tim. 3.

3. Hinç Mat. 9. *Confide filia*, iam nunc spem concipe; quia prodroma *fides tua te saluam fecit.* Vide *Luthero-caluin. par.* 4. *quæst.* 54.

II. Fides non est NOTITIA, sed est Assensus in rem Incognitam.

1. Quia *est argumentum non apparentium*, quasi dicat, Fidei est, obscura credere; non, facere ea perspicua. Facit fides quod argumentum; sed alio modo.

Nam argumenta conuincunt intellectum ad assentiendum per Euidentiam rei, causas, & proprietates: at Fides cedendo Autoritati reuelantis.

2. Isa. 7. *Nisi credideritis, non intelligetis*: itaq; fides est via ad intelligentiam. Vnde Philosophus, *Discentem oportet credere.*

3. In 1. Cor. 13 Notitiam mysteriorum distinguit à fide: *Si habuero omnem scientiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem Fidem. &c.* Itẽ 1. Cor. 12. *Alij datur sermo Sap. alij scientiæ, alij Fides.*

4. In 2. *Cor.* 10. ait se per Euangelij prædicationem in captiuitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi: at captiuitate tali nil opus vbi est notitia. Ideo *Obedientia fidei prædicatur*, quæ non est notitia.

QVÆSTIO XXXI.

Ecquod Fidei iustificantis Obiectum?

I. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ contendunt obiectum fidei Specialis præcipuum esse Promissiones euangelicas; subque hoc & cæteri contineri. Luthero-c. p. 4. q. 55.

CHRISTVS. 1. *Ego sum Via, Veritas* reuelans & reuelata, *& vita*: in nullo promissiones; quæ sunt pars minima Reuelationis. At Veritati fidem requiro parem & adæquatam sic, vt, veluti Reuelatio est fidei formalis ratio; sic & OMNIA Reuelata sint vnum formale obiectum fidei.

2 Fides erat iustificans, quam ego & exigebam, & miraculis confirmabam, & prædicabam. Nam Luc. 19. *Venit saluum facere quod perierat.* Ioan. 3. *Vt omnis, qui credit in eum, non pereat.* Atqui cœcis Mat. 9. dixi: *Creditis quia hoc possum facere vobis?* Illis, *Vtique Domine*, inquam; *Secundum fidem vestram fiat vobis.* Hic de fide solius Omnipotentiæ quærebatur. Petri fides, *Matth.* 16. erat de Diuinitate mea: Centurionis, *Luc.* 7. de eius: Marthę, *Ioan.* 11. de Diuinitate: *Quia tuus filius Dei.* Thomæ item, *Ioan.* 20. *&c.*

3. Fides est iustificans licet non respiciat specialem misericordiam: Vt Voluntatem; Mar. 1. *Si vis, potes me mundare. Volo.* Pharisæus confidens se iustum, *Lu.* 18. habuit fidem specialem; Publicanus hac caruit; hic tamen *præ illo descendit iustificatus.* Mar. vlt. *Qui baptizatus fuerit saluus erit. Signa autem eos, qui crediderint* hæc

hæ sequentur. &c. En fidem iustificantem; non tamen specialem.

4. Horum similia docent Apostoli. *Act.* 1. 4. 10. 13. 17. referuntur conciones Petri, & Pauli de fide; at nil ibi de speciali. Philippus, *Act.* 8. ad Eunuchum idem de fide disserit, sed generati. Item *Rom.* 1. de fide Abrahæ multa; nil de speciali. Sic *Rom.* 10. de fide generatim. &c. Item 1. *Cor.* 13. *&* 15. fides prædicatur, & alubi: at nusquam specialis.

QVÆSTIO XXXII.

An, & Quomodo, SOLA Fides iustificet?

LI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI affirmant, quoad rem ipsam: At quoad MODVM dissentiunt.

I. LVTHERANI Rigidi, seu Saxonici, seu VVirtenbergenses aiunt Fidem iustificare per modum causæ formalis. ALII MOLLES seu Electorales seu Flacciani id negant. Voluntque tantum *Relative* iustificare.

2. Item RIGIDI: Fidem ita solam iustificare, vt aliarum virtutum Præsentiam ac meritum excludat: MOLLES, & CALVINIANI præsentiam eorum necessariam asserunt, necà fide separari posse.

CHRISTVS. Fides non sola iustificat, id est, disponit ad gratiam iustificantem.

I. Quia Sacra Scriptura tribuit etiam alijs virtutibus vim iustificandi.

VTI. TIMOR *Domini expellit peccatum*; Eccl. 1, *Est principium salutis.*

2. CARITAS, Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum.*

3. Mat. 3. POENITENTIAM *agite.*

4. SPES: Mat. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

5. FIDES, Gal. 5. *per Dilectionem operatur.*

6. Desiderium Sacramenti suscipiendi.

7. Propositum emendationis vitæ. Luc. 3. *Dirigite viam Domini, rectas facite semitas vestras.* Mat. vlt. *Docentes eos seruare omnia.*

II. SOLA *Fides* nec Voce, nec Re est in Scriptura. Non in hoc, Roman. 3. *Arbitror hominem iustificari per fidem, sine operibus legis.* Nam hoc si excludit.

1. Omnia opera; ergo & fidem; Actus enim fidei est Opus; Ioan. 6. *Hoc est opus Dei, vt Credatis.*

2. Si omnem Legem excludit; ergo & legem fidei: Vnde Rom. 3. *Exclusa est gloriatio tua per legem fidei.*

3. Si aliquod genus operum & legis excludit: ergo non SOLA FIDES iustificat.

III. Fides non iustificat, solum RELATIVE per modum instrumenti; sed per modum Causæ, dignitatis, ac meriti.

1. Fides est causa. Quia Rom. 3. dicitur: *hominem iustificari PER Fidem.* Rom. 5. *Iustificati EX fide.* Passim in Scriptura *Ex*, & *Per* significant causam.

2. Fides est principium iustificationis Rom. 4. *Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides ad iustitiam.* Act. 15. *Fide purificans corda eorum*, scil. à peccatis.

3. Per fidem impetratur remissio peccatorum; non tantum relatiuè respicit eam, fides & apprehendit. Ideo dixi: Lu. 7. *Fides tua te saluam fecit* à peccatis.

Mat.15.*O mulier, magna est fides tua.* Mar. 7.*PROPTER hunc sermonem vade;exiit dæmonium à filia tua.*

QVÆSTIO XXXIII.

An iustitia nobis inhærens sit formalis causa iustificationis perfectæ?

LII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI, & CALVINIANI pernegant pugnaciter.

CHRISTVS. At verò longè verissimè Apostolus 1 *Rom.*4.docet, Iustificari esse,iustum constitui per obedientiam Christi;quæ est,*perfecta* iustitia;diciturque *Abundantia gratiæ*;& maius Donum Dei,quam fuerit peccatum Adæ; quod perfectam iustitiam in nobis effecit. Rom. 8. *Quem autem Deus iustificat, quis est qui condemnet?* Nec iustificare est annunciare iustum;sed facere, iudicialiter pronunciare iustum;quod Dei solius est:Neque hoc forēsi modo,extrinsecè,non imputando;sed diuino modo, intrinsecè iustificationem efficiendo.

2. Item Rom.3. *Iustificati gratis*: Efficiente liberalitate Dei,*per gratiam ipsius*, ab eo donatam & infusam, vt causam formalem: *Per redemptionem quæ est in Christo IESV*, Meritoriè: *Quem proposuit propitiatorem per Fidem in Sāguine eius*; Dispositiuè per fidem. En causas iustificationis. Vbi *Gratis* significat externum fauorem Dei; *Per gratiam*, effectū fauoris, *Per* causam formalem. Nam beneuelle Dei & ipsum Benefacere.

3. Item 1. Cor.7. *Ablutiestis, Sanctificati,iustificati estis in nomine Domini. &c.*

4. Tit.3.*Vt iustificati gratiâ ipsius, hæredes simus,secundum spem vitæ æt.* Quia *Spirit. Sanctum effudit in nos abunde per IESVM.*&c. Vide plura *Luthero-calu. p.4.q.62.*

5. Rom. 8. *Sicut portauimus imaginem Terreni; ita portemus & imaginem Cælestis:* qui Ego sum,at non per imputationem iustus, sed per inhabitationem iustitiæ increatæ. Rectius enim denominamur ex eo quod sumus;quam quod putamur. Et qui reipsa sunt iniusti,& solum imputatiue iusti;ij diabolo, quam Christo, sunt similiores. In quibus igitur fuit inhærens iniustitia, in ijs iustificatis est inhærens iustitia.

6.Rom.6.*Qui mortuus est,iustificatus est à peccato.*1.Pet.4.*Qui passus est in carne,desijt à peccatis.*

At verè passus & mortuus resurrexit non imputatiuè: Sic & nos per baptismum verè, non putatiuè morimur, & resurgimus.&c.

QVÆSTIO XXXIV.

Causa Formalis iustificationis sitne Remissio peccatorum,an Imputat.o iustitiæ Christi?

LIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI causam ponunt præcipuam in Non Imputatione peccatorum, & Imputatione iustitiæ Christi

CALVINIANI, præcipuam asserunt causam esse in Remissione peccatorum, siue Non imputatione, inclusa iustitiæ Christi Imputatione.Quæ prioris terminivariatio non affert sententiæ variationem; itaque consentiunt.

CHRISTVS. Neque ego agnosco, neque sciuit docuitue meus Apostolus seu Non imputationem,seu Imputationem,

nem. Verum ita de me dequere statuit. Rom. 4. *Qui traditus est propter delicta nostra.* Hæc pars prior est iustificationis, Remissio peccatorum; Altera, *Et resurrexit propter iustificationem nostram.* Istis præparatoria præeunt fides, spes, charitas, timor. &c. Nam 1. Cor. 15. *Si non resurrexissem, inanis esset fides vestra.* Nunc autem, Rom. 5. *Sicut peccatum regnauit in mortem: ita & gratia regnat per Iustitiam in vitam æternam.* Vide in *Luthero calu. p. 4. q. 65. 64.* de inseparabilitate Remissionis & Renouationis.

LIV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ. Imputatio Iustitiæ Christi est forma Iustificationis Christianæ.

CHRISTVS. At neque Prophetica, neque Euangelica, nec Apostolica Scriptura vel nouit vnquam imputationem iustitiæ meæ; At Redemptionis ac Meritorum meorum imputatio constat.

At vt huius multa est, sic nulla istius necessitas assignari potest, nisi ficta.

I. Non quod post iustificationem inhæreant, æquè ac prius, peccata; sed tantum sint TECTA. Quia TOLLI peccata docent Scripturæ Veteris Test. 1. Par. 2. *Obsecro Domine, auser iniquitatem serui tui.* Isa. 44. *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam, peccata tua.* Ezech. 36. *Mundabimini ab inquinamentis.* Ps. 5. *Mundabor & super niuem dealbabor;* Ps. 102. *Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit iniquitates à nobis.* Ps. 9. *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur.*

2. Ipse me, Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Act. 3. *Conuertimini vt Deleantur peccata vestra.* Heb. 9. *Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata.* 1. Cor. 6. *Abluti estis. &c.* Eph. 5. *Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.*

3. Rom. 5. *Sicut per inobedientiam Adami peccatores constituti sunt multi: ita per obedientiam Christi iusti constituuntur multi.* At verè, non imputatiuè *sunt peccatores constituti:* Ergo similiter iusti. Quin imò ibid. *Maior est Christi gratia, quàm Adami peccatum.*

II. Imputatio non est ideo necessaria, quod nostra inhærens iustitia non sit tum perfecta vt simpliciter iustificet. Quia iustitia inhærens sita est in fide, spe, charitate, iuxta Scripturas: At ista hic esse perfecta queunt: ergo & iustitia.

De fide: Quia ni possit hic esse perfecta; is thic non erit, sicque nunquam: nam 1. *Cor.* 13. fides desinet. 1. Iac. 1. *Probatio vestræ fidei multo pretiosior auro.* Eunuchus, *Act.* 8. credidit ex toto corde: ergo perfectè. *Abraham,* Rom. 4. *non infirmatus fide contra spem in spem credidit.* Heb. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna.* 1. Ioan. 5. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.*

De Spe, *Heb.* 6. esse debere dicitur *tanquam anchora firma.* De Caritate, Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionẽ nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* At hoc S. Martyres fecerunt. 1. Ioan. 2. *Qui seruat verbum eius, in hoc verè caritas Dei perfecta est. Et,* c. 5. *mandata eius grauia non sunt.* Hinc plurima perfectorum exempla in scripturis.

* * *

QVÆSTIO XXXV.

An certitudine fidei quis certus esse possit ac debeat se esse Iustificatum?

LV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ Affirmant posse, debereque credi.

CHRISTVS. Verè Sapiens: Prou. 20. *Quis potest dicere*, min⁹ debet de se credere: *Mundum est cor meum, purus sum à peccato*, Ideo orabat Ps 5. *Cor mundum crea in me Deus.*

2. Eccl. 9. *Sunt iusti & sapientes, & opera eorum in manu Dei. Et tamen nescit homo; vtrum odio, vel amore dignus sit; sed omnia in futurum seruantur incerta.*

3. Eccl. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu; neque adijcias peccatum super peccatum, & ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* De his in *Luthero caluin. parte 4. q. 66.*

4. Iob. 9. *Non reprehendit me, cor meum in vita mea. &c. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Et tamen, *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.*

5. Dauid Ps. 18. *Delicta quis intelligit? Ab occultis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.*

6. Paulus 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum.* Vbi horum certitudo iustificationis?

7. Quid, quod passim Scripturæ Vel Conditiones requirant ad iustificationem: *Deut. 4.* 2. Paral. 6. Isa. 1. Ioan. 13. *Vos amici eritis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Act. 8. *Si credis in toto corde, licet.*

2. Vel Scripturæ indicant incertum esse, an, qui pœnitet, consequatur remissionem. Vt Dan. 4. *Forsan ignoscet Deus delictis tuis.* Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde. &c. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus.* Idem Ionæ 3. Act. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum si forte remittat tibi.*

3. Vel Scripturæ admonent, ne simus inuicem securi quasi certi de adepta iustitia. Vnde Prou. 28. *Beatus homo, qui semper est pauidus.* 2. Cor. 10. *Non enim, qui seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commẽdat:* at habens certitudinem fidei de sua iustitia posset se verè commendare. Verum secus Phil. 2. *Cum metu & tremore salutem operamini.* 1. Pet. 1. *In timore, inhabitus vestri tempore cõuersamini.* 2. Pet. 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*, id est, iustificationem, Rom. 8. *Nam quos vocauit, & iustificauit.* Quod si iustificationis certitudo ex bonis operibus pendet; nõ igitur ex sola fide. At certa, illorum certitudo est coniecturalis.

QVÆSTIO XXXVI.

An certitudine fidei homo certus esse possit, ac debeat, SE esse Prædestinatum.

LVI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ affirmant adeo, vt negent esse fidelem, qui id non credat, perinde vt credit Christum esse, & Deum esse.

CHRISTVS. 1. Ego verò docui, salutem ex conditione operum dependere. Mat. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plus,*

plus, quam Phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Mat. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Rom. 8. *Quod Si filij & hæredes: si tamen compatimur.* 2. Tim. 2. *Si commortui sumus & conuiuemus &c. Nō coronabitur, Nisi qui legitimè certauerit.*

II. Paulus mysterium Prædestinationis refert inter arcanissima: Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia Deus, & inuestigabiles viæ eius?* Et *Quis nouit sensum Domini, aut quis Consiliarius eius fuit?*

III. Apostoli docent fideles ad timorem. Rom. 11. *Fide stas; noli altum sapere: sed time.* 1. Cor. 10. *Qui stat, videat ne cadat.* Phil. 2. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.* Apoc. 3. *Tene quod habes, ne alius fortè accipiat coronam tuam.*

IV. Docui in parabola seminis, *Lu.* 8. multos ad tempus credere, & in tempore tentationis recedere. 1. Tim. 4. *Discedent quidam à fide.* Ibid. c. 4. *Quidam errauerunt à fide.* Instantias hæreticorum dilutas repete ex *Luthero cal. p.* 4. *quæst.* 67. Quare tametsi fidem habens certus esset suæ de fide non tamen ideo certus est de SVA iustitia; cum sola fides non iustificet. Nec certus est de perseuerantia; Cùm fides amitti possit: Nec certus de prædestinatione; cum fides communis sit reprobis & prædestinatis.

QVÆSTIO XXXVII.

Fides & Iustitia an sint propria sotorum electorum, amittique possint?

LVII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI plerique volunt, & benè Electos posse labi: Attamen fieri posse negant Martyr & Kemnitius, quin ante vitæ finem resipiscant. &c. Vide *Luthero. cal. p.* 4 *q.* 68.

CALVINIANI, Esse propriam asserunt; amittique posse negant: Et ideo dirè ab Lutheranis impugnantur.

CHRISTVS. At Ego docui esse multos, Luc. 8. *qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Hisce perseuerantia deest: non fidei semen, quod cum gaudio susceperant.

2. Dixi, Ioan. 15. *Omnem palmitem in me*, ergò viuentem fide & iustitia, sed *non ferentem fructum, tollet eum.* At palmites nascuntur è vite, non inseruntur: sic fideles in Christo renati, sunt viui; infrugiferi arescunt: ideo *colligent eos & in ignē mittunt.* 3. Dixi, Mat. 24. *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*: at frigefacti nō perseuerabūt. 4. Quocirca, Ezech. 18. *Cum auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem morietur in illo.* Ideo 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum. &c. ne fortè, cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Hoc non metuunt p̄sumptuosi Caluinistæ. Idcirco, Gal. 5. *Euacuati estis, qui in Lege iustificamini*, in fœdere Abrahæ, *à gratia excidistis*, quam in baptismo accepistis. 5. Atq; ita 1. Tim. 1. *Quidam circa fidem naufragarunt.* Et. c. 4. *In nouissimis diebus discedent quidam à fide.* Et iam, c. 6. *Quidam errauerunt à fide.* Et verò Heb. 6. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptā notitiam veritatis, iam non relinquitur hostia pro pecc. &c.* Quia *Impossibile est*, i. difficillimū, *eos, qui prolapsi sunt, renouari ad pœn.* 6. Sese tamen renouarunt, prolapsi Adam, Dauid, Petrus, &c. Non renouati sunt lapsi prius Lucifer, Saul, Salomon, Simon Magus, Iudas. Itaque tū reprobi fidem iustitiamque recepisse possunt, & tamen perdere; tum electi receptam perdere, perditamque recuperare valent.

QVÆSTIO XXXVIII.

An homo post iustificationem maneat peccator? Sintque iusti omnes pares?

LVIII. ANTICHRISTIANISMVS.

1. LVTHERO-CALVINISTÆ affirmant post iustificationem homines manere peccatores, manentibus peccatis in eis, licet tectis per imputatiuam iustitiam.

CHRISTVS. At ego inquam, Mat. 23. tales esse *similes sepulcris dealbatis, quæ intus plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Similes Virginibus fatuis oleo iustitiæ carentibus, Mat. 25. Similes lupis rapacibus intus; foris licet in vestimentis ouium veniant. *Mat.* 7.

2. Aliter de me Vas meum electionis Rom. 8. *Prædestinauit nos conformes fieri imaginis Filij sui: vt sit ipse Primogenitus in multis fratribus.* Istis verò quid difformius? Aliter Psaltes 50 *Asperges me, & mundabor: &c. Cor mundum crea in me Deus.* Sic, 1. Cor. 6. *Ablati estis, sanctificati estis, iustificati estis.* Sic, Eph. 1. *elegit vos, vt esse-tis sancti & immaculati in conspectu Dei.*

LIX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI Iouinianissantes affirmant iustos inter se pares esse. Vide in *Luthero cal par. 4. q. 69.* Et in *Genial. p. 4. q. 15.*

CHRISTVS. At si verum, quod, Mat. 11. *Non surrexit maior Ioanne Baptistâ*; iam cæteros ei impares fuisse necesse est: Vt & Centurioni, De quo Mat. 8. *non inueni tantam fidem in Israel.* Clarè Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui minus dimittitur, minus diligit,* Inde, *Mat.* 13. Terra alia efferebat fructum tricesimum, sexagesimum, aliaque centesimum.

2. Pariter & *in domo patris mei mansiones multæ sunt*: Ioan. 14. Quia 1. Cor. 15. *Alia claritas solis, alia lunæ. &c. & stella differt à stella. &c.* Ita & iusti cum in terris, tum & in cœlis. Plura in Luthero-caluinista.

LX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO CALVINIANI negant iustos crescere in iustitia; ideoque pares esse; licet in virtutibus fide, spe, caritate crescant.

CHRISTVS. Ego docui Caritatem augescere: vt Ioa. vlt. *Diligis me plus his?* Ioan. 15 *Maiorem dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* His consonant passim Apostoli. Ac iustitia est ipsa caritas: vt docui Matt. *Nisi abundauerit iustitia vestra plus. &c.* id est, caritas: nam Scribas arguebat, quod diligerent solum diligentes se; at ego iussi quoque inimicos diligi, eisque beneficere. Sic, 2. Cor. 9. *Deus augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ* vobis inhærentis; non meæ Christi, quæ exaugeri nequit. Itaque Prou. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens præcedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Proinde Apoc. vlt. *Qui iustus est, iustificetur adhuc; & qui sanctus est, sanctificetur adhuc.*

QVÆSTIO XXXIX.

An Discrimen Legis & Euangelij probet operum bonorum necessitatem?

LXI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI, CALVINIANI, cæterique Sectarii volunt posse hominem saluari, et-

ri, etsi nulla opera bona operetur, aut Dei mandata seruet. Quidam eorum volunt necessitatem Præsentiæ; at non Efficientiæ. Plerique triplex discrimen legis & Euangelij fingunt, vt opera bona eliminent.

1. Vetus Test. esse legem operum: Nouum esse lætum duntaxat Nuncium; proinde nec Christum esse Legislatorem: Præceptaque Noui Test. pertinere ad Vetus.

2. Legem esse cum conditione operum: Euangelium verò gratuitum cum promissionibus absolutis, non conditionatis operum.

3. Legem terrere, minari; Euangelium consolari solum. Vide *Luthero-calum. par. 4. quæst. 71. 72.*

CHRISTVS. *Narrauerunt mihi iniquifabulationes.*

I. LEGES propriè pertinent ad Euangelium; iuxta prophetias, Isa. 2. *De Sion exibit Lex.* Leu. 33. Ego dicor *Iudex, Legifer, Dominus.*

2 Deinde, Ego *Mat. 5.* Legem Moysis confirmaui, explicaui, perfeci: *Nisi abundauerit iustitia vestra plus. &c.* Ideo dixi ibid: *Ego autem dico vobis*; vt Legifer. *Non veni soluere legem; sed adimplere.* Idcirco, Mat. 7 *Eram docens sicut potestatem habens; non sicut Scribæ*, ex sola scientia; sed ex Autoritatis excellentia. Quin ita concluſi: *Si quis ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis*, Moralibus sc. *& docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.*

II. MINAE item pertinent ad Euangelium.

1. Ipse enim talia: Mat. 5. *Qui dixerit fratri suo fatue; reus erit gehennæ ignis.* Mat. 7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonũ, excidetur, & in ignem mittetur.* Similium plena omnia.

FINGVNT quidam ista ad vetus Test. referenda.

AT ita plerique sermones mei spectarent eodem, & Noui Test. pars potior foret Vetus. Idem de Apostolicis scriptis, dictisque statuendum esset. Id quod est Lucem appellare tenebras. Euangelium tamen, licet terreat, lætum nuncium dicitur ob nunciatum saluatorem, remissionem peccatorum, cœlum reseratum, Sp. sanctum missum, qui est caritatis & timoris, sed filialis ac casti.

III. PROMISSIONES Euangelij sunt CONDITIONALES. Vnde dixi, *Nisi abundauerit. &c.* Mat. 9. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Vide hic *Luthero-cal. p. 4 q. 72.* Luc. 10. *Domine; quid faciendo vitam æternam possidebo? &c. Hoc fac, & vives.* Hæc conditionata promissio est; non absoluta; non ironica; vti fingũt. Plena talium conditionum scriptura est. Mar. vlt. *Qui crediderit, saluꝰ erit.* Nec pluribus opus in re liquida.

QVÆSTIO XL.

An Libertas Christiana probet operum bonorum necessitatem ad salutem?

LXII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI iuxtà contendunt Christianos esse exleges: opera bona esse fructus & signa fidei; tamen indifferentia esse oportere, vt nec præcepta, Nec prohibita; quæque nec damnare, nec iustificare valeant; sicque facienda, vt quæ sint à Deo acceptanda; non vt examinanda; &c. Vide *Luthero-cal. p. 4. q. 74.*

CHRISTVS. I. Atiam liquet Me verum Legislatorem; pdictum, & esse: & Euan-

Euangelium propriè legem.

2. Deinde vere præcepta sanciui, *Ioan.*3.de baptismo: *Ioan.* 6. de Eucharistia. *Mat.*5.de Cõiugio & repudio. De quo 1. Cor.7. *Præcipio non ego, sed Dominus.* De præcepto dilectionis, *Mat.* 22.

3. Legem Moralem Moysis comprobaui, *Mat.*5.6.7.19. *Mar.* 10. *Luc.* 18. adprobans Decalogum. Et non eam per Euangelium abrogaui. Nam Matth. 5. *Non veni soluere legẽ, sed adimplere* Moralẽ.

4. Idcirco venturus sum Iudex ; *vt reddam vnicuique iuxta opera eius.* Mat. 24. Act.10.17.Rom.2.4.&c.

II. VERA LIBERTAS CHRISTIANA est in tribus.

I. Libertas à peccato & morte: Ideo Ioan.8.*Si vos Filius liberauit, verè liberi eritis. Qui autem facit peccatum, seruus est peccati.* Ita & Rom.6.& 7. Quod si permaneret peccatum in homine iustificato, sed non imputatum, non esset verè liberatus; nec ego verè essem Redẽptor.

II. Libertas à iugo ceremonialium & iudicialium. Act 15. *Quid tentatis imponere iugum. &c.* Gal. 4. *Quomodo reuertimini ad infirma & egena elementa ?* &c. Gal.5.*State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Heb.7. *Translato enim Sacerdotio, necesse est, vt & Legis translatio fiat.*

III. Libertas à dominio Legis naturalis, id est, à seruili timore. Quia Rom. 6.*Non estis sub lege, sed sub gratia.* 2. Cor.3. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Gal. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* 1. Tim.1. *Iusto non est posita lex, sed iniustis & non subditis.* Aug. in Ps. 1. *Aliud est esse hominem sub lege, aliud esse in lege.* Illud serui, hoc liberi est, qui agit, non agitur. Cum igitur promissio vitæ sit conditionalis, plane conditionem obseruari necesse est. Atque ita seruire Deo, est in libertate Christiana regnare.

QVÆSTIO XLI.

An necessitas operum ad salutem doceatur ex Nouo Testamento?

LXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI perinde ac CALVINIANI solam Præsentiæ necessitatem affirmant, id est, necessaria esse, vt fides sit viua, vera & fructuosa: Fidem vero solam habere relationem ad salutem, non opera, quasi hæc essent merita, causæ, conditiones.

CHRISTVS. 1. At ego venturus Iudex ex Dei gratuita misericordia, per mea Merita, Electis suæ beatificationis causam quadantenus sum ita pronunciaturus, Mat.25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Cur? *Esurui enim, & dedistis mihi manducare.*

2. His consonant Apostoli mei. Heb. 10. *Patientia vobis necessaria est;* Cur? *Vt facientes voluntatem Dei, reportetis promissionem.* 1. Tim.2. *Mulier. &c. saluabitur per filiorum generationem; si permanserit in fide:* Sola? Non, sed *& dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Phil. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* 2 Cor.7. *Tristitia, quæ secundum Deum est, pœnitentiam ad salutem stabilẽ operatur.* Ro. 8. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* 2. Cor. 4. *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Rom. 8. *Existimo enim quia non sunt condignæ passiones huius tempo-*

temporis ad futuram gloriam. Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam; ore autem fit confessio ad salutem.* Nimirum ipse dixi, Matth. 10. *Qui me confessus fuerit, cõfitebor ego eum coram Patre meo.* Iacob. 1. *Qui perspexerit in lege perfectæ libertatis & permanserit in ea, non Auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in FACTO suo erit.* Iac. 2. *Quid prodest, si fidem quis dicat se habere; opera autem non habeat; nunquid poterit fides saluare eum?*

3. Atque ad istam de operum ad salutem necessitate veritatem Euangelicã & Apostolicam accessit eiusdem continuata Traditio.

QVÆSTIO XLII.

An Lex Diuina sit possibilis obseruatu?

LXIII ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI æque ac CALVINIANI adeò negant impletu possibilem; vt iustorum quoque opera reprobationem mereri comminiscantur. Vide *Luthero-cal. p. 4. q. 76.*

CHRISTVS. I. At sæpius docet Scriptura, quod 1. Ioan. 5. *Mandata eius grauia non sunt.* Et ego, Mat. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Quò possibile magis.

Neque ideo *suaue, & non graue*; vt Nouatores fingunt, quòd renatis non imputetur præuaricatio; vt quos liberarim a maledicto legis: *Gal. 3.* Et nihil eis sit damnationis, qui sunt in Christo; *Rom. 8.* Non, inquam ideo: Quia illa Non imputatio Vel tollit Obligationem legis; tunc facit vt lex sit non lex; sicq; fallum esset hoc, lex mea est iugum suaue: Vel tollit reatum ex præuaricatione contractum, quem contrahi permittit vt seruatu impossibilis; tunc esset iugũ durissimum. At contra docuit Ezech. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis:* Et si ego fideles liceraui à maledicto legis importabilis antè, nunc facilis facta.

II. Docui Ioan. 14. *Qui diligit me, sermonem meum seruabit.* Rom. 13. *Qui diligit proximũ, legem impleuit.* Nam, Gal. 5. *Omnis lex in vno sermone impletur; Diliges proximum tuum. &c.* At omnes debent, & possunt diligere proximum: ergo & legem obseruare. Vnde Ioan. 3. *In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis; si dilectionem habueritis ad inuicem.* Quin imò Ioa. 15. *Vos amici mei eritis si feceritis, quæ ego præcipio vobis:* Sin' amici non eritis.

DICENT, dilectionem hic esse inchoatam solum; non perfectam; ideo non diligi sicut oportet.

Verum est, Nihil hîc absolutè perfectum est; est tamen secundum quid perfecta dilectio, eaque possibilis ad sufficientiam legis. Vnde datur hîc perfectio aliqua: Ideo Matth. 5. *Estote perfecti.* Mar. 19. *Si vis perfectus esse.* Phil. 3. *Quicunque perfecti sumus.* Itaque 1. Ioa. 5. *Qui seruat verbum eius, vere in hoc caritas Dei perfecta est.* Quare, Gen. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus.*

III. Quidam seruarunt mãdata; præsertim illud, *Diliges*: & hoc, *Non concupisces.* Vt Dauid Psa. 118. *In toto corde meo exquisiui te.* 3. Reg. 14. *Dauid custodiuit mandata mea* & secutus est me in toto corde suo, faciẽs quod placitum esset. Act. 13. *Vir secundum cor meum, qui omnes meas voluntates faciet.*

Et vero ego de Apostolis sum Patri testatus: Ioan. 17. *Sermonem meum seruauerunt.* Et de Zacharia & coniuge, Luc. 1. *Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus, sine querela.* Illud, *Non concupisces*: Voluntati præcipitur; non Sensui, vtpote legis incapaci. Vnde Rom. 7. *Si quod nolo facio*, concupisco sci. inuitus: *iam non ego operor illud* voluntate.

QVÆSTIO XLIII.

An opera iustorum bona, sint peccata; & nihil iustificent?

LXIV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ esse peccata asserunt præfractè,

CHRISTVS. At opera iusta esse iniusta nego.

1. Quia Mat. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*: Luc. 11. *Et sicut lucerna fulgoris illuminabit te* Oculus intentio est, corpus lucidum est opus bonum. Proinde Mat. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*

2. Iob. 1. *in Omnibus his non peccauit labijs suis*: *vir simplex & rectus, & recedens à malo.* Ps. 7. *Iudica me Domine secundum iustitiam meam. &c.* 1. Cor. 3. *Si cuius opus manserit, quod superædificauit; mercedem accipiet: Si cuius opus arserit, detrimentum patietur.* En operum differentiam.

3. Iacob. 3. *In multis offendimus omnes:* At si omnia opera iustorum sint peccata; iam *in omnibus offenderetur.* Vnde Iac. 2. *Si legem perficitis regalem: Diliges proximum. &c. benefacitis.*

4. Quoties ego, vetusq; Scriptura deterremus homines ne peccent? Suademus ut bona operentur? Et opera bona essent peccata mala?

5. Demum opera dixi absolutè bona, Mat. 5. *Videant opera vestra bona.* 1. Tim. 6. *Diuitibus præcipe non superbe sapere, diuites fieri in operibus bonis.* Tit. 3. *Curent operibus bonis præesse, qui credunt Deo.*

LXV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ negant opera bona iustificare amplius.

CHRISTVS. At ego dixi, Ioan. 14. *Qui diligit me*; quod nemo potest, nisi iustificatione prima iustificatus, *sermonem meum seruabit*, ad iustificationem secundam ampliorem, *& Pater meus diliget eũ.*

2. Sic è contra, Apoc. vlt. *Qui sordidus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc.* Sic Deus, 2. Cor. 9. *multiplicabit semen, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* 2. Cor. 7. *Emũdemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini.*

3. Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem: sic exhibete ea seruire iustitiæ in sanctificationem* vlteriorem.

4. Denique Eccl. 18. *Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari.*

QVÆSTIO XLIV.

An opera iustorum sint æternæ vitæ meritoria?

LXVI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINIANI pernegant in meo Luthero-cal. p. 4. q. 81.

CHRI-

CHRISTVS. Affirmant Scripturæ: 1. Quæ vitam æternã appellant mercedẽ. Mat. 5. *Merces vestra copiosa est in cælis. Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Mat. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem*: illam, quæ debetur operibus, non solum promissioni; quia huius impletæ conditio est opus. Nec ideo datur filijs, quia filij sunt; sed operibus quoque ipsis Infantibus datur iure hæreditatis; at adultis etiam iure mercedis.

2. Datur merces in mensura. Mat. 16. *Reddet vnicuique secundum opera sua.* Lu. 6. *Eâdem mensurâ, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* 1. Cor. 3. *Vnusquisque mercedem recipiet secundum laborem suum*: Nec solum præmium, sed ipsam *vitam æternam his, qui per patientiam boni operis quærunt gloriã & incorruptionem.* Nam addit, *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternã.* Et verò præter hanc quid isthic est præmij? Neque vita æterna datur fidei soli, & operibus ceu fidei signis ac fructibus, vt fingitur; quia malè tunc diceret Scriptura *secundum opera sua.*

3. Ratio, cur detur æterna vita sunt opera. Vt Mat. 25. *Venite, possidete paratũ vobis regnum. Esuriui ENIM; & dedistis mihi &c* Apoc. 7. *Hi sunt, qui venerunt ex magna trib. &c. IDEO sunt ante Thronum Dei.* Ob opera datur; non ob prædestinationem eorum ad vitam. Sicut promisit Deus Abrahæ multiplicationem seminis; at eam voluit ipsum promererì opibus: Isaacum voluit precibus impetrare filios.

4. Scripturæ docent, præmium operibus reddi ex iustitia. 2. Thes. 2. *Iustum est apud Deum retribuere tribulationem his, qui vos tribulant; & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum.* 2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona IVSTITIAE. &c.* Heb. 6. *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* 1. Cor. 9. *Vnus accipit brauium.* Plura vide in *Luthero-cal. p. 4. q. 81.*

QVÆSTIO XLV

Num quæ fiducia sit in meritis collocandis sitque fas eorum intuitu, operari?

LXVII. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERO-CALVINISTÆ. Nulla in meritis ponenda fiducia est.

CHRISTVS. Præcipua in Deo; aliqua in meritis spes proprijs esto. Nam Tob. 4. *Fiducia magna erit coram Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Iob. 11. *Si non manserit in tabernaculo tuo iniustitia; tũc habebis fiduciam proposita spe.* 1. Tim. 3. Qui bene ministrauerit, gradum bonum acquiret, *& multam fiduciam. &c.* 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos; fiduciam habemus ad Deum.* Vide plura in *Luthero-cal. p. 4. q. 82.*

LXVIII. ANTICHRISTIANISMVS. LVTHERO-CALVINISTÆ. Nefas est, mercedis intuitu operarì benè.

CHRISTVS. Fas est; sed nec tantum, nec præcipuè: primæ sint Deo.

1. Sic monui, Mat. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquat ENIM regnum cælorum.* Sic & Baptista *Mat. 3.*

2. Sic iussi, Mat. 6. *Primum quærite regnũ Dei.* Lu. 16. *Facite vobis amicos. &c. vt recipiant vos in æterna tabernacula.*

3. Sic exempla docent: Dauidis, Psa. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes PROPTER retributionem.* Eccl. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari; Quoniã merces Dei manet in æternum.*

4. Sic monent Apostoli. 1. Cor. 9. *Sic currite, vt comprehendatis.* Col. 3. *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: scientes, quòd à Domino accipietis retributionem.*

QVÆSTIO XLVI.

An oratio sit necessaria & vtilis; vt Pater, Horæ, Cantus?

LXIX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANVS Monhemius solus ait, Deum id petentibus dare, quod vltrò daturus erat.

LVTHERO-CALVINISTÆ negant orationē esse Satisfactoriam, aut Meritoriam; Impetratoriam esse cōcedunt, sed non remissionis peccatorum, & iustificationis.

CHRISTVS. At ego dico, Luc. 18. *OPORTET semper orare, & nunquam deficere:* Hæc necessitas est. Mar. 3. *Videte, vigilate, & orate.* Mar. 14. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Ideo docui orare, Mat. 5. *Pater noster, qui. &c.*

2. Sic necesse est ad rectè viuendum: Nam Ioan. 15. *Sine me nihil potestis.* Omnino Deus *dixit, vt differeret eos: si non Moyses electus eius stetisset in confractione eius.* Ps. 105. Deinde Mat. 17. *Hoc genus dæmoniorum non ejcitur, nisi in oratione & ieiunio.* Quò Augustini vox verior est, serm. 1. de S. Steph. Si *S. Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* Ita Isaac sciebat suam seminis futuram benedictionem, *Gen.* 25. & tamen orabat pro Rebeccæ fœcunditate. Helias, 3. *Reg.* 18. orabat pro pluuia, quam præsciebat. Tobias, *c.* 6. Saram futuram suam sciebat; orabat tamen vt à dæmonio seruaretur.

Quæ singula docent orationis & Necessitatem, & Vtilitatem, & Meritum; Iustificandi vim quoque: nam, Luc. 18 *Publicanus* oratione facta *descendit iustificatus.*

LXX. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINIANI quidam Orationis Dominicæ petitiones esse volunt duntaxat sex, duas vltimas in vnam contrahentes. In quinta verò petiſolum panem corporalem.

CHRISTVS. Istud Nouare est: veteres primi expositores. Orationis meæ septenas docuere petitiones. Aug. Ansel. &c. Alij exponunt eam, de numero nō soliciti. Et ipse apud Matthæum octo, apud Lucam quatuor tradidi beatitudines: Sic alios & alio tempore docui orare apud Matthæum & alios apud Lucam.

LXXI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO CALVINISTÆ septem Horas canonicas è medio tollunt, & insectantur.

CHRISTVS. At ego, *quotidie docens in templo*, Horarum apud Iudæos pium vsum; inde ab Dauide institutore obseruatum, nunquam coargui: Neque Dauidem perstrinxi, Horarias suas preces sæpius in Psalmis commemorantem. Vide meum *Luthero cal. p. 4. quæst.* 86.

2. Esdras, Daniel cæterique earum obseruatores meritā in scripturis ferunt laudem.

3. Eosdem quoque Apostoli mei sanctè sunt imitati. *Act.* 2 3.

4. Et verò sancta est in Horarum cultu ratio & intentio.

DE Cantu Horarum. Officiorumq; Diuinorum, par ratio est, iustitia, & laus.

2. Ha-

2. Habetque exempla Angelorum, Dauidis.

3. Turbæ accinentis mihi *Osanna.*

4. Meum dicentis hymnum Cœna facta.

5. Et Præceptum Apostolicum. *Col.* 3. cum S. Traditione Ecclesiæ.

QVÆSTIO XLVII.

Ieiunium an quæ secum trahat culpanda ac reformanda?

LXXII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ negant tempus cœnæ statum obseruandum esse.

II. Ab vllo nos cibo posse inquinari ad peccatum.

III. Delectum igitur ciborum negant tolerandum.

IV. Eoque minus lege diuina, vel in genere præceptum esse.

V. Ecclesiastica autem lege id iniungi conscientiis posse pernegant.

VI. Aut Dei esse cultum meritorium seu satisfactorium. Vide *Luthero-c.p.4.qq.88.89.90.91.92.93.*

CHRISTVS. I. Statum soluendi ieiunij tempus rite ab Ecclesia est indictum; cum exemplo sit ei Iudaicæ Ecclesiæ ieiunium, non solui nisi vespero sero consuetum. *Dein* Natura ipsa rerum suarum ortus, occasusque obseruat statis temporibus recurrentes: sic & animalia cœli, terrarum, vndarumque: *fecit* namque Deus *omnia in numero, pondere & mensura.*

Quò rectius Ecclesia: Matth. 18 *quam qui non audierit, sit tibi sicut ethnicus.*

II. Dixi: Luc. 11. *Ecce, omnia munda sunt vobis.*

2. Et Petro immunditiam animalium excusanti; Act. 11. *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Adeò, Tit. 1. *Omnia munda mundis.*

3. Mar. 7. *Sic & vos imprudentes estis? Non intelligitis; quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum coinquinare: quia non intrat in cor eius.* Sic & Mat. 15.

III. Ciborũ delectus ita temporarij ieiunij ritui ac instituto est necessarius, sicut omni tẽpore vitæ ac victus Tẽperantia. Id celebrati per Scripturam ieiunatores sat testantur vt Daniel, *c.* 10. Baptista, *Mat.* 3. Timotheus *in* 1. *c.* 5. Neque vsquam Scriptura dicit eos, qui ieiunarunt, denique carnes comedisse.

IV. Lege diuina ipse præcepi ieiunium in genere & vniuersè:

1. Mat. 6. *Cùm ieiunas, vnge caput.* Modum ieiunandi trado sic, vt præcepti necessitatem præsuppositam voluerim subaudiri.

2. Isto, Mat. 9. *Cùm auferetur ab eis sponsus, TVNC IEIVNABVNT*, & prædixi futurum; & Præcepi vt legislator.

3. Quò rectius & constantius vnanimis omnium S. Patrum huc conuenit consensus.

4. Veteris Test. præceptum, èx naturæ acceptum Curia, in vsum inuasit communem; vt exemplorum & multitudo, & magnitudo, & certitudo id disputari non sinat.

V. Ecclesiæ lex sacri ieiunij, ad tempus definiti, cum ciborum delectu, obligat in conscientia; pro iure omnis iustæ legis.

1. Hinc Apostolicum Conc. *Act.* 1. iustè interdixit vsum sanguinis & suffocati idq; ad tempus; eò quod Iudæi ab his abhorrebãt, Gentes sunt iussi abijs abstinere; quò facilius coalescerent fideles. Id a. verum erat præceptũ: nam ideo, Act. 15. *Paulus perambulabat Syriam & Ciliciam, præcipiens custodire præcepta Apostolorũ & Seniorum.* Istud secuta & imitata sunt Concilia complura, quorum in media congregatione ego fui.

2. Ionadab, *Ier.* 35. licite posteris vini potum interdixit. Hestera, *c.* 9. cum Mardochæo, cunctis Iudæis ieiunium solenne imposuerunt; idemque gens ea perpetuum iussit. *Zach.* 4. Magistratus constituit ieiunia quarti, quinti, septimi, decimique mensis; quæ ante nunquã fuerant. Velle autem ista τῆς καινοζηλίας arguere, nimium hagiomachiæ scelere non caret.

VI. Vtilitas ieiunij est tam multiplex, quam efficax. I. Carnem subigit spiritui domitam. Hinc, 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*, scil. ieiunio, ait Chrys. Ambr. &c.

II. Animam disponit ad orationem: Ita Moyses, *Exo.* 34. se ad Colloquium cum Deo parabat: Helias, 3. *Reg.* 19. vt Deum videret in Horeb: Daniel vt reuelationes acciperet.

III. Præstat gratum Deo CVLTVM, quatenus ad eius honorem suscipitur ex obedientia Ecclesiæ. Inde laudaui S. Annam, Luc. 2. quæ *coluit Deum ieiunijs & orationibus*, λατρεύουσα; idque voluntariè, non ex præcepto.

IV. Satisfacit Deo. 1. *Reg.* 7. Israelitæ ieiunijs à placato Numine etiam Victoriam contra hostes abstulerunt. Achab, 3. *Reg.* 21. irã Dei ex occiso Naboth fregit, vicitque ieiunio. Item Iudæi, *Esther* 4. *Iudith.* 4. Niniuitæ, *Ioel.* 2.

V. Meretur beneficia Dei. 1. Sic, 1. *Reg.* 1. *Anna Helcana*, ait Hieronymus, inanem cibo ventrem filij meruit implere. Dauid, 2. *Reg.* 12. ægro filio studuit vitam impetrare.

Sara, *Tob.* 3. dæmonio liberatur. Et, *Mat.* 17. Est *genus dæmoniorum*, q̃ non ejicitur, nisi ieiunio & oratione. 2. Quare, Mat. 6. *Cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans. Et Pater tuus, qui videt in absondito, REDDET TIBI.* Econtra ibid. *Exterminant* hypocritæ *facies suas, vt pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.* Quæ merces primariò quidem est donum; quia ex Dei gratia fit ieiunium; at secundariò est quoque debitum ob promissionem.

ANTICHRISTI QVADRIPERTITI LVTHERO-CALVINIANI

FINIS.

Sit Laus TRINVNO, & Diuis: Fructusq; Labori.
Gloria sit CHRISTO: Confusio, Antagonistæ.

GENEA-

GENEALOGIA LVTHERO-CALVINISTICÆ

I. THEOMACHIÆ. II. ECCLESIOMACHIÆ.
III. MYSTERIOMACHIÆ. IV. CHARITOMACHIÆ.

Per Partes quaternas

Inde ab suis retro Maioribus
HÆRESIARCHIS
deriuata ac demonstrata

AVTORE

F. IOANNE ANDREA COPPENSTEIN MANDALENSI,
Ordinis Prædicatorum Theologo, Parocho
Heidelbergæ.

PARS I.

THEOMACHIA
LVTHERO-CALVINISMI
GENEALOGISTICA.

Superiorùm permissu

ANNO M. DC. XXV.

TERTVLLIANVS
Lib. de Præscriptionibus aduersus hæreticos.

SI Hæretici sunt; Christiani esse non possunt, non in CHRISTO habendo, quod de sua electione sectati, Hæreticorum nomen admittunt.

S. ATHANASIVS
In Orat. 2. contra Arianos.

NVnquam populus ab Episcopis suis; sed à Domino, in quem creditum fuit, Nomen accepit. Certè non ab Apostolis; sed à CHRISTO CHRISTIANI & sumus, & nuncupamur. Illi qui aliunde Originem suæ Fidei deducunt; meritò Autorum suorum cognomenta; vt ad quos pertineant; præseferunt.

IEREMIAS Thren. 2.

PRophetæ tui viderunt tibi Falsa & Stulta; nec aperiebant tibi iniquitatem tuam; vt ad pœnitentiam prouocarent. Ezech. 13. Prophetæ linebant parietem.

ÆQVO

ÆQVO LECTORI, F A V E.

NOMINIS seu Tituli rationem etsi loquatur Opus; præloquar tamen ipse tribus.

Georgius Scherer alias ioco serio ac perutili consarcinauit Lutherocentonem des Luthers Bettelmantel: quem Lutherani infeliciter excusserunt. Ego hic Luthero-caluinistarum Centonem institui consarcinare: verũ vt ab instituto, sic & ab titulo omnem abesse iocum volui Titulumque libello serium præcripsi, GENEALOGIA LVTHERO-CALVINISTICA.

LVTHERO-CALVINISMI quidem à me redditam rationem est quod repetas ex præfatione mei Luthero-caluinistæ. Vnius hic duntaxat Monitor sim: Vtrosque *Lutheranos* perinde ac *Caluinistas*; vt deament, ac tantum non deperéant suum isti *Lutherum* hi *Caluinum*; ipsi tamen eorum Sectatores ab eis appellari *Lutheranos* ac *Caluinistas* peræqrè audiunt; quòd nominis ipsa nouitas doctrinæ clamet nouitatem; hocque ipso de hæresi notatam. Qua causa inde ab origine sua nupera, arripuerunt, inuaserunt auidè; vsurparunt, iactarunt glorioſè *nomina*, ab sæcularibus Sectæ nouæ Principibus, *Protestantium*: Ab Ministrorũ suorũ Confessione Augustana, *Cõfessionistarum*: Ab Professione iactabunda omnium, *Euangelicorum*.

In hæc Nomina pars irrepserunt, pars irruperunt Caluinistæ; præsertim arte ac Vnione initâ cum Lutheranis mutuâ: Nisi quòd vno *Reformatorum* vocabulo ab istis volunt in nonnullis internosci.

1. Quam tamen ex hoc vatinianis, planèque viperinis, verè Satanicis, inter sese odijs dissideant, tum ipsis est notissimum; tum nemini non notum. Deo laus.

2. In quot verò quantisq; Fidei quæstionibus aduersum S. Rom. Ecclesiam coniurati conspirent; meus *Luthero-caluinista* docet.

3. Quam ex diametro etiam contraria CHRISTO dogmatizent; meus

Antichristus Luthero-caluinismi demonstrat.

4. Quàm impudenter effrontes Mẽdacijs ac Calumnijs, (cõuitia nil moramur) Romano-catholicos certatim onerare nil erubescant; meus *Mendax Antipapista* paucis indicat.

5. Eccunde autem suarum repetant hæresium originem; isthæc mea GENEALOGIA inde eam ab singularum deducit Hæresiarchis priscis; olimque sæpius con!emnatis.

Et hic est ipse SCOPVS, in quem collimat hoc Opus.

Porrò, quod omnis illa seu Hæresiarcharum, seu Hæreticorum progenies & Genealogia vno ex Patre DIABOLO est, *qui fuit mendax & homicida ab initio*; notum est seipso.

Id tamen à S. Chrysostomo graphicè descriptũ, ex ipsius hom. 48. Op. Imperf. in c. 24. Matt. huc subijciam. *Tempore Apostolorum*, inquit, *tantummodo seminatæ sunt hæreses: Tempore autem Regis Christiani germinauerunt: Nostris autem temporibus maturuerunt, & prævaluerunt.*

Et infrà de scissionibus sectatorum, & Vnione Romanocatholicorũ ita: *Destructa turre Babel fitij Noe dispersi sunt, & in tot partes diuisi: Et super singulas quasque Gentes PRAEPOSITI SVNT ANGELI MALIGNI: sola autem gens Iudæa facta est in portione Dei.* Deut. 32. *Quando diuidebat Altissimus gentes:* & vsque, *Iacob funiculus hæreditatis eius.* Applicat ita. *Quando ergo Ecclesia ex mistis voluntatibus erat repleta: Sicut Retia, quæ dicuntur in Euangelio repleta de piscibus mixtis: necesse erat, vt purgaretur Ecclesia; vt boni quidem pisces mitterentur in vasis, mali autem proïcerentur foras. Ideo concessa est DIABOLO Errorũ seminandi licentia; & sic dispersæ sunt per plurimas hæreses, Vnusquisque secundum propositum suum. Remansit autem VNA FIDES tantum apud Deum.*

Vnde, sicut tunc, cum omnes homines essent Vna Gens & Lingua, diuisi sunt per plurimas Gentes: Ita & modo, cũ esset totus populus Christianus Vna Ecclesia, & Vna Fides diuisi sunt per multas hæreses.

Et sicut tunc omnes Gentes factæ sunt sub principatu PRINCIPVM MALIGNORVM: Sic modò Omnes hæreses factæ sunt SVB DAEMONVM PRINCIPATV: Vna autem sub Principatu CHRISTI remansit. De qua dicit propter Ecclesiam: Vna est Columba mea, Perfecta mea. Verè Chrysostomicũs Sed Genesin hæreticorum altius repetit idem hom. 8. in 2. ad Tim. 4. *Si quis*, ait, *non indignetur quod hæretici sint; consideret eos primordijs Fidei erupisse, DIABOLO semper Veritati mendacium clam inserere molienti. 1. Promiserat initio Deus primis hominibus bona: accessit DIABOLVS promittens itidem bona, & qui rebus nihil poterat, verbis promittit ingentia. Huiusmodi quippe Seductores sunt.*

2. *Postea fuerunt Moyses & Magi; Prophetæ & Pseudoprophetæ; Apostoli & Pseudoapostoli; Christus, & Antichristus. Prius igitur atque ab ipsis cunabulis mundi, & Apostolorum temporibus ista contigerunt. Nunquam igitur fuit, quin Mendacium Veritati latenter sese insereret: non mirum ergo, quod nunc quoque ista sint, cum dixerit Apostolus,* 2. Tim. 4. *quod in nouissimis temporibus instabunt tempora periculosa.*

Denique Exitum ecce omnium, *Finis interitus.* Vnde S. Ambrosius l. de fide Orth. contra Arianos. to. 4. *Nihil pernicio-*

sius

cioſius hæreticis eſſe poteſt, quod, quibus multa nobiſcum paria ſunt, vno tamen verbo, quaſi veneni guttâ, meram illam ac ſimplicem eidem Dominicæ, & exinde Apoſtolicæ Traditionis inficiant. &c. Nihil tam cogit in mortem, quam ſub obtentu Fidei, Fidem violare. Vt enim gypſum aquâ permixtum, lac colore mentitur: ita hic per Veriſimilem Confeſſionem Traditio inimica ſuggeritur.

S. Hieron. lib. 4. in Ierem. c. 23. *Cum ſemel ſe tradiderint falſi doctores mendaciis, atque periuriis & mortibus deceptorum; non pedetentim nec conſiderato gradu ſed præcipites currunt ad interitum & ſuum, & eorum, quos deceperint. &c.* Hinc corpora curant cum cœleſtia deſperant, vt docet ibidem S. Hieronymus Luculente. Sed nos prolixiore miſſa Præfatione, rem propoſitam quæ adoriamur cum Deo

DOCERE

Per Inductionem ſingularum Controuerſiarum; Lutherocaluiniſtas innouare veterum Hæreſes Hæreſiarcharum, olim condemnatiſſimas ab eadem S. Rom. Eccleſia; quam Nouatores hodieque per anathematizatas, olim hæreſes impugnant.

E CONTRA:

Lutherocaluiniſtæ pariter doceant, abſque figmento & fuco; S. Rom. Eccleſiam hodie tenere, aut vnquam tenuiſſe ſententiam; quam cum vllo priſcorum Hæreſiarcha contigerit Oecumenicè anathematizari.

Gloria noſtra hæc eſt:
Teſtimonium Conſcientiæ noſtræ:
Et Vox Eccleſiæ Teſtantis vt SIC,
Cui me, meaque omnia voueo: & Obedienter ſubmitto.

ITA VIVO.

Partium quaternarum

Genealogiæ Lutherocaluinisticæ singularum singulares

CENSVRÆ,

APPROBATIONES,

&

LICENTIA PROVINCIALIS
Eadem,

quæ suprà in Luthero-Caluinista.

SYNO-

SYNOPSIS QVÆSTIONVM

GENEALOGIÆ LVTHERO-CALVINISTICÆ QVADRIPERTITÆ.

PARS I.

THEOMACHIA,

De Ecclesia Triumphante.

Præfatio de Protogenealogia seu Patriarchia Luthero-caluiniana.

I. *Qvi sint Canonici S. Scripturæ libri.* Variant.
II. *An commune sit hæreticis odium Sacrarum Traditionum?* Est.

II. DE CHRISTO DEO.

III. *Qualis sit Luthero-caluinistis S S. Trinitas, & Christi Diuinitas.* Monstrum.
IV. *An Luthero-caluinistæ sint Tritheitæ?* Sunt.
V. *An quæ sit in Diuinis Personarum Inæqualitas Ariana?* Aiunt.
VI. *An Dei Filius sit gradu minor à Patre distinctus quà Deus.* Aiunt.
VII. *An Christus, quà Deus, sit impassibilis, Immortalis, Impeccabilis?* Aiunt.
VIII. *Caluiniana in Diuinis Distinctio an sit indistincta athea, autothea, antithea?* Est.

III. DE CHRISTO HOMINE.

IX. *An Luthero-caluiniani sint Nestoriani, duarum assertores Personarum?* Sunt.
X. *An Lutherani sint Eutychiani, duarum negatores Naturarum?* Sunt.

XI. *Num*

XI. *Num quâ laborauit ignorantiâ Christus?* Aiunt.
XII. *An Christus sit verus Deus? An verus Homo, Idemque adorandus?* Negant.
XIII. *An B. V. Maria verè Mater Christi facta permanserit Virgo?* Negant.
XIV. *Quo sit cultus genere veneranda Maria?* Negant.

IV. DE CHRISTO PASSO. &c.

XV. *An Christus verè sit in Corpore vero passus?* Negant.
XVI. *Quæ in Passione Dominica fuit Christi Animæ conditio.* Infelicem aiunt.
XVII. *An Christus è Limbo Patres eduxerit in cœlum sub aram.* Aiunt.
XVIII. *Quatenus IESVS CHRISTVS Mediator sit Dei & hominum?* Fingunt.
XIX. *Qualis, & qualiter resurrexerit IESVS?* Nugantur.

V. DE SANCTORVM CVLTV.

XX. *An Sancti in cœlis degant cum Christo Beati: & vnde censeantur beati.* Negant.
XXI. *An, & qualis Cultus ac Inuocatio Sanctis debeatur?* Negant vllum.
XXII. *Quis honor est debitus Reliquijs Sanctorum?* Negant vllum.
XXIII. *Quo temporum successu processit ICONOMACHIA?* Vario.
XXIV. *An omnis Sacrarum Imaginum Cultus sit illicitus?* Aiunt.
XXV. *An CRVCI Dominicæ debeatur Adoratio?* Negant.
XXVI. *An Deus & Sancti rectè colantur TEMPLIS?* Negant.
XXVII. *An tolerabilis sit Templorum ORNATVS?* Negant.
XXVIII. *An BENEDICTARVM rerum vsus in Dei Cultu sit Christianus?* Negant.
XXIX. *Peregrinationes ac Vota num licitè fiant Sanctis?* Negant.
XXX. *An Christo & Sanctis sint Dies Festi concelebrandi?* Negant.

VI. DE PVRGATORIO.

XXXI. *Num quod sit nusquam Purgatorium?* Negant.

PARS II.

ECCLESIOMACHIA Lutherocalui-nistica,

De Ecclesia Militante.

I. *An B. Petrus Romæ vixerit, Episcopusque sit ibidem mortuus?* Negant.

II. An,

II. *An, & quo iure succedat Episcopus Romanus Petro in Pontificatu.* Negant vlio.
III. *A quo possit iudicari Papa?* Aiunt posse.
IV. *Sine Papæ Iurisdictio coercitiua, vt possit condere Leges, conscientias obligare? &c.* Negant.
V. *An Papa sit adhuc Episcopus, num Antichristus?* Aiunt Antichristus.
VI. *An peccatores parui & magni, id est, Perfecti, & imperfecti sint in Ecclesia?* Negant.
VII. *An soli Prædestinati sint in Ecclesia?* Aiunt.
VIII. *An Visibilis Ecclesia possit Deficere.* Aiunt.
IX. *Parne sit, differre Clericos ab Laicis?*
X. *Sint ne distincti Episcopi & Presbyteri?* Negant.
XI. *Cœlibatus rectene sit iure Apostolico S. Ordinibus annexus?* Negant.
XII. *An Clerici Decimas & temporalia iure possideant?* Negant.
XIII. *An Clerici sint liberi à iugo Secularis Potestatis?*
XIV. *Quam proprium hæreticis odium in Monachos?*
XV. *An sint Consilia Euangelica, differantque à Præceptis?* Negant.
XVI. *An Laborare Monachis sit necesse; & Mendicare nefas.* Aiunt.
XVII. *An damnati ab Ecclesia hæretici iustè à Magistratu Seculari plectantur?*

PARS III. SACRAMENTARIA.

Mysteriomachia Lutherocalvinistica.

I. De Sacramentis in genere.

I. *An Res & Verba Sacramentorum mutare liceat?* Aiunt.
II. *An Sacramenta conferant gratiam ex Opere operato?* Negant.
III. *An, & quale quid sit Character Sacramentalis?* Negant.

II. DE BAPTISMO.

IV. *Quæ Materia & Forma debita sit Baptismi?* Variant.
V. *An, & quatenus sit ad salutem necessarius Baptismus?* Variant.
VI. *An baptizandi sint infantes?* Negant necesse.
VII. *An baptismus verè tollat peccata?* Negant.
VIII. *An baptismus reddat homines impeccabiles?*
IX. *Baptisma Christi & Ioannis Baptismus an idem sit Sacramentum?* Aiunt.

III. DE CONFIRMATIONE & EVCHARISTIA.

X. *An sit aliquid Sacramentum Confirmationis?* Negant.

XI. *Quis Confirmationis sit Minister?* Fingunt.
XII. *An Realis præsentia Christi sit in Eucharistia testibus Figuris?* Negant.
XIII. *Ecqui Errores circa EXISTENTIAE modum Corporis Christi in Eucharistia?* Vari.
XIV. *Quæ debita Eucharistiæ Materia?* Variant.
XV. *Ecquæ sit Consecrationis Forma, quisue Minister?* Variant.
XVI. *An in Vtralibet specie Christus insit Totus, sic vt sub Vna communicare fas sit?* Negant.
XVII. *An pro defunctis rite sacrificetur?* Negant.

IV. DE POENITENTIA, EXTREMA VNCTIONE & Ordine.

XVIII. *An pœnitentia sit propriè dictum Sacramentum?* Negant.
XIX. *An Contritio possit haberi sine speciali auxilio Dei?* Affingunt.
XX. *An Confessio sit de iure diuino necessaria?* Negant.
XXI. *Vnctio infirmorum an sit propriè dictum Sacramentum?* Negant.
XXII. *An Ordinatio sit vere Sacramentum?* Negant.

V. DE MATRIMONIO.

XXIII. *An matrimonium sit vere Sacramentum?* Negant.
XXIV. *An Fidelium Matrim. Consummatum sit solubile quoad Vinculum?* Aiunt.

PARS IV.

CHARITOMACHIA Luthero-caluinistica,

De Gratia & Iustificatione.

I. *An Adam fuerit cum aliquo Dono supernaturali conditus?* Negant.
II. *An homo potuisset mori, si non peccasset; Idque naturaliter, an supernaturaliter?* Variant.
III. *An omnia peccata sint Aequalia, aut Mortalia?* Pelagianismus hic.
IV. *An iustorum solorum peccata quæcunque sint tantum venialia?* Aiunt.
V. *An DEVS dici possit Autor peccati?* Aiunt.
VI. *An sit aliquod peccatum originale?* Variant.
VII. *Qualis origo sit Animarum humanarum?* Docemus.
VIII. *Decedentium sine Baptismo Pœna an sit mors æterna?* Aiunt.
IX. *An Sufficiens auxilium detur omnibus ad salutem?* Negant.
X. *An vlla in nobis insit causa Prædestinationis?* Aiunt C.
XI. *An Deus sit libe. i arbitrij?* Negant C.

XII. *An*

XII. *An homo sit liberi arbitrij in actionibus naturalibus & ciuilibus?* Negant C.
XIII. *An possit solis naturæ viribus cognosci Verum Morale, & bonum Moraleagi?* Aiunt C.
XIV. *An possit Credi, an & Appeti aliquid ad salutem pertinens?* Aiunt Pelag.
XV. *An Fides & Iustitia possint amitti: sintque iusti inter se pares?* Hoc aiunt, illud Negant L.
XVI. *Oratio num necessaria sit & vtilis?* Negant partim L. C
XVII. *An Horæ Canonicæ, & Cantus Ecclesiasticus sic, vt sunt, tolerari queant?* Negant L. C.
XVIII. *Adieiunium an requiratur ciborum delectus; possitque præcipi conscientijs?* Negant L. C.
XIX. *An ieiunium sit Dei cultus Meritorius, & Satisfactorius?* Negant L. C.

CENSVRÆ,

APPROBATIONES,

&

FACVLTAS PROVINCIALIS

Eadem, quæ suprà in Luthero-Caluiniſta.

COPPENSTEINII

PARS I.

GENEALOGIÆ LV-THERO-CALVINISTI-CÆ, DICTÆ

THEOMACHIA,

seu Contra

Ecclesiam Triumphantem Archihæretica Rebellio.

PRÆFATIO TITVLARIS

De Protogenealogia, seu Patriarchia Luthero-Caluiniana.

I. DIABOLVS, Archihæresium Pater ac mendaciorum, indeab creatione sui *in Veritate non stetit*: ideoque rebellis Deo in abyssum est religatus. Inde salutis humanæ inuidus exijt spiritus mendax in ore serpentis; dein multorum pseudoprophetarum; demum

demum ipsum SALVATOREM ipse Tentator adortus, nequicquam ei technas innexuit. Domino tamen cœlos supergresso, sedenteque ad Dexteram Patris, continuò nonnullos sibi deuotos ad infanda hæresium dogmata instigauit. Atque sicut Sp. Sanctus Fideles Christi duxit in omnem Veritatem; ita satanicus hæreticos in omnem Falsitatem.

II. SIMON MAGVS, teste *Cæs. Baron. Ann. tom. 1. anno 35.* ex Samaria oriundus, ab S. Philippo baptizatus, adeo se in ipsam dæmonis familiaritatem deuouit atque disciplinam; Vt Petrus viso diceret, Act. 8. *Cor tuum non est rectum coram Deo. &c. in felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.* Et S. Ignatius epist. ad Trallianos, *Primogenitum Satanæ* appellat. De eius prestigijs *Baron. to. 1. anno 68.* In cæteris verò docebant SIMONIANI, teste *S. Ignatio epist. ad Smyrnen.* Et Sacrificium, & Sacramentum Altaris nihili esse; neque veram Christi Carnem ac Humanitatem illi inesse posse.

III. BERENGARIVS, annis abhinc 550. Archidiaconus in Italia, Sacramētariorum Patriarcha, Corporis Dominici in Eucharistia veritatem abnegabat; atab diabolo eductus.

Ecce enim cum ad Sancti Fulberti morituri cubile alios inter venisset, is intermortuis vocibus, digito in eum intento, dixit: *Berengarium educite; video in eius humero* Diabolum: qui in aures eius hæresim dictam inspiraret: teste Guil. Bibliothecario. Sexcentos, vt aiunt, veterum prætereo.

IV. LVTHERVS l. de Missa priuata to. 7. fatetur: *Media nocte Satan contra me disputauit de diuersis fidei punctis sic, vt superatus ab eo atque conuictus debuerim illi assentiri. In tantas enim angustias animam adigere nouit, vt in momento possit è corpore expelli: vt e\pertus ipse sepius ad extrema deueni.*

Idem in mensalibus sermon. par. 2. pag. 23. edit. 2. Francof. *Diabolus me sæpius in desperationem coniecit tantam, vt nescirem, an vel Deus esset vsquam; sicque funditus de Deo desperarim.*

2. Ista omnium nomine Lutheranorum fatetur Olsnicensis superintendēs Balduinus in Apologia aduersus Serarium, *Lutheri*, ait, *cū diabolo disputationem Veram fuisse fateor: eam à Luthero scriptam, non ioco, sed serio; non hyperbolice, sed propriè & historice, non nego.*

3. Accedit & Caluinistarum asseueratio; vt Dauidis Paræi Heidelbergensis in catechisticarum prælectionum lib. 5. ca. 7. pag. 257.

In isto Papistico Enthymemate; Lutherus seipso teste, ex atro spiritu diabolo didicit rationes, cur damnanda sit Missa priuata, & Sacerdotum Chrisma: Ergo diaboli discipulus est:

In isto, inquam, antecedens negare non possunt Lutherani.

V. CALVINVS autem Lutheri discipulus est: Ergo & Satanæ.

1. Lutheri enim libros auidissimè lectitauit.

Biturigibus quoque Melchiorē Volmarium Lutheranum diligentissimè audi-

audiuit, vt vix ab eius latere diuelleretur.

Quodque *meliorem* docuisset fidem, *melioremque Christianum fecisset*, ait Beza, non *Melchior*, sed *Melior* vocari solet.

2. Vltro quoque dant Caluiniani, *Caluinum, seque ipsos Lutheri discipulos esse.* Et in libro contra Concordiam, à Casimirianis Neostadij edito. cap. 6. pag. 206. & 241.

Sacramentarios, liberos è corpore suo genitos; licet Absolones; vocat Lutherus, epist. ad Hausmannum. *Et verum fit de ijs illud Ioannis*, ait Olsnicensis; *Ex Lutheri schola prodierunt; sed non erant ex ea.*

3. Deinde Caluinus Diaboli grauissimis de rebus dogmata ab Luthero accepit; quare vtriusque vere discipulus fuit.

Dogmata verò sunt. 1. Missam esse impiam ac detestabilem.

2. Sacramentorum formas esse Conciones; non concepta verba practica.

3. Sacerdotum consecrationem esse nihili.

4. Sanctorum inuocationem esse idolatriam.

5. Fidem specialem cum præfidentia cuilibet esse necessariam.

6. Christianos omnes ad illius vsque noctis tempus apostatas à Christo extitisse.

7. Christianorum fidem fide Turcarum ac Dæmonum nec hilo fuisse meliorem.

8. Ecclesiam totam tot retro sæculis in errorum tenebris iacuisse. Aliaque talia diabolo annuit Lutherus; & cum hoc consensit Caluinus in singulis; etsi deinde in nonnullis desciuerit: vt in præsentiæ Dominici Corporis Sacramento; cuius Absentiam dæmon illo in nocturno gymnasio insinuauit: Quo in errore Magistrum superauit Caluinus, mentem diaboli percipiens perfectius.

Et tamen errorem duntaxat insinuauit Lutherus *lib. de captiuitat. Babyl. &c.* teste *Bell. l. 1. de Sacr. Euch. cap. 1.* At propagauit, Confirmauitque Caluinus.

VI. Zvvinglivs eodem in errore, cum Berengario, Sathanæ discipulus fuit.

De hoc diximus. Ille de se ita confitetur, tomo 2. in libro Subsidium de Eucharistia dicto: *Cum Aprilis tredecima lux appeteret, visus sum mihi in somno, multo cum tædio denuò contendere cum aduersario Scriba; sicque obmutuisse, vt, quod verum scirem, negante lingua beneficium suum, proloqui non possem.*

Nam antè Tiguri anno 1525. die 12. Aprilis, cum in senatu in Præsentiam Dominicam inueheretur, bonus Reip. Actuarius eum compulit vsquam doceret è Scriptura, istud Est sumi pro *significat.*

Hic ille æstuare, obmutescere, & cõfundi. Pergit Zvvinglius: *Ibi visus est monitor adesse; Ater fuerit, an Albus, nihil memini; qui dicebat: Quin, ignaue, respondes ei, quod Exo. 12. scribitur: Est enim Phase, hoc est Transitus Domini. Protinus vt hoc phantasma visum est, simul expergefio, & è lecto exilio.*

Atqui Calvinianis hunc Diabolum Magistrum obiectant Lutherani Smidelinus & Schlüsselburgius.

Per-

Pergeage nunc Caluine, lib. Instruct. de Libert. c. 14. Libertinis obiectare, quod *Deum in diabolum transforment*: cum tute ad diaboli magisterium transieris ipse.

Hinc de effectu testatur Lutherus in Postilla Ienensi anno 1559. conci. 2. Dom. 1. Aduentus. *Ex hac doctrina mundus indies vsque deterior euadit. Iam homines sunt obsessi septem diabolis, cùm antea solum ab vnico tenerentur. Diabolus inuolat iam turmatim in homines; vt sub clara luce Euangelij seipsis fiant auariores, callidiores, audaciores, ac deteriores, quam vnquam fuerint sub Papatu.* Vide & To. 1. Witt. fol. 170. Et verum est testimonium eius. Atque hęc vniuersim *de Protogenealogia Luthero-caluiniana*. Porro propius ad rem.

QVÆSTIO I.

Qui sint Canonici S. Scripturæ Libri?

I. HÆRESIARCHIA. Simoniani, & Basilidiani, sub annum 35. Marcionitæ sub annum 146. apud Irenæum *l. 5. c. 20. 22. 29.* Manichæi sub annum 276. apud Epiph. *hæresi 66.* Bogomiles sub annum 118. apud Euthymium *Panoplia par. 2. tit. 23. c. 1.* Albigenses, sub annum 1200. teste S. Antonino *pa. 4. tit. 11. c. 7.* hi Vetus Testamentum respuebant, vt a Malo Deo dictatum.

ANABAPTISTÆ, *in Colloquio Franckendalensi*, Vetus Test. haud aliter ad fidem valere Censuerunt, quàm quatenus cum Nouo concordat.

PAPISTA. 1. At hi Nouatores in hæresiarcharum olim damnatorum anathema inuadunt scientes; Christo aduersarij, Luc. vlt. *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi & Prophetis, & Psalmis de me.* Apostolo contrarij *Ro. 1. Gal. 4. Hebr. 1.*

2. Contraque ipsos pugnarunt Epiphanius, Augustinus, Petrus Cluniacensis.

II. HÆRESIARCHIA. Hebræi in Talmud. Ord. 4. c. 3. librum Iob exauctorarunt: quod Iobum exstitisse vnquam negent. Alii eum commentariis illustrarunt Rabini, sed sæpius reprehendunt, vt qui verbis & corde peccarit, Dei prouidentiam abnegans & resurrectionem; ideoque rustas pœnas exprendisse.

LVTHERVS *in Conuiuialibus tit. de Patriarch. & Proph.* non credit sic gesta omnia, sicut in libro Iob enarrantur: effeq; hic ceu fabulæ argumentum, ad exemplum patientiæ proponendum.

PAPISTA. At de Iobi encomio Ezechiel, c. 14. *Si steterit Noe, Daniel & Iob ipsi in iustitia sua liberabunt animas suas.* Iob. 2. Iacob. 5. &c.

III. HÆRESIARCHIA. Quidam apud Philastrium *in Catal. hær. c. 132.* repudiabant Ecclesiasten, velut seneiam effœminato Salomone conscriptum. Sic & Canticа Cant.

LVTHERVS *in Conuiuial. serm.* ait, Ecclesiasten videri sibi ocreis & calcaribus destitutum equitare tantum in soccis; ceu soleret ipse, cum adhuc esset in cœnobio.

PAPISTA. Ecclesiastes verò omnis honestatis, sobrietatisque magister est, & fluxarum despectum rerum condocet; seuerus epulonum ac voluptuariorum Aristarchus: Neq; pauca è vulgi dicit opinione, non sua. Vere igitur, *c. 2.* affirmat, *Sapientia quoque perseuerauit mecum.* Ideo Nondum amore mulierem deperijt, cum Ecclesiasten conscripsit. Castallio, teste Beza, sensit Canticа impunæ esse libidinis, ac filiæ Pharaonis erotica.

IV. HÆRESIARCHIA. MOPSVESTAN. In Hebraïs Baruch propheta non repetitur.

Hinc eum reiiciunt CALVINVS *Instit. 3. c. 20. §. 8.* KEMNITIVS Lutheranus *in exam. Trid. sess. 4.*

PAPISTA. 1. At & THEODORVS MOPSVESTANVS olim omnes Prophetas despuebat, teste *Syn. v. Coll. 4.*

2. De-

2. Deinde, Reclamarunt ijs S. Patres *Cypr. Hilar. Cyril. Clemens Alex. Euseb. &c.*

V. HÆRESIARCH. Iudæi, ait S Hieron. *præfat. in Dan.* reiiciebant c. 3. Danielis & c. 14. Itemque Porphyrius.

Kemnitivs, cum Lutheranis, *in Exam. Trid. sess. 4.* similiter: Item & Anabaptistæ.

Erasmus quoque cum Paganis & Iudæis historiam Susannæ subsannat, & exibilat, Contra S. Patres & Concilia. Iidem cum iisdem impiis, ac Magdeburgenses etiam Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum libros è S. Canone proscribunt. Vide *Luthero-cal. p. 1. q. 1.* Bonos quidem & sanctos libros eos concedunt; at infallibilis esse veritatis sic, vt ex iis firmare queant argumenta, negant.

PAPISTA. Jugularunt istos cum hisce, sanctosq; libros definierunt, anno 397. Concil. III. Carthag. *Can.* 47. & Trident. *sess. 4.* Item & S. Patres. Est autem figmentum Kemnitij, quosdam esse libros sacros; & non tamen infallibilis Veritatis. Nam quomodo Veri norma forent?

VI. HÆRESIARCH. Faustus Manichæus, sub annum 400. teste *Aug. l. 32 contra Faustum. ca. 2 & l. 33. c. 3* Euangelia, dixit esse ab aliis conficta, itemque Epistolas: nil scripsisse Apostolos.

Alij, vt Ethnici, & sub annum 356.

Iulianus; esse ab Apostolis scripta, at errare sæpe, pugnareque secum.

Cum hisce sensit Otto Brunsfeld. Lutheranus, teste Cochlæo *l. de Scr. & Eccl. c. 3. & 4.*

Lvtherus in præfat. ad Nouum Test. lat. *S. Ioannis Euangelium, eius 1. Epistola. & Pauli ad Romanos Galatas, Ephesios, prima Petri, hi libri tibi ostendunt IESVM, docentque omnia scitu necessaria; & beatus es, etsi alium librum nunquam legas aut audias. Abolendæ opinio est tantum esse quatuor Euangelia: Ioannis Euangelium est vnicum, pulcrum, verum.* To. 2. Ienen. fol. 318. *Omnia quæ Apostoli scripserunt vnum sunt Euangelium: proinde non rectum est, quod 4. Euangelista numerentur.*

Calvinvs in Luc. 16. *differens Christus duras & longe petitas adhibet similitudines; quæ* in Luc. 22. v. 13. *non ex omni parte quadrant;* in Mat. 7. vers. 12. *Superuacuas illationes. Nec*, in Ioan. 1. *satis aptas proposito. Sæpe;* Mat. 9. v. 5. *Parum solide ratiocinatur.* Item in Mat. 18. *Verba Prophetarum in alienum sensum deflectit.* Item in Mat. 12. v. 25. *Parum solidè refutat aduersarios.*

Item in Luc. 7. v. 29. *Euangelij Christi gloriam valde obscurat, quod Discipulos sibi ille non nisi ex quibusquilijs & face populi colligere potuit.*

PAPISTA. 1. At ista refutant S. Patres; in primis *Irenæus l. 3. c. 11. Tert. l. 4. in Marcionem.* &c. Et quatuor Animalia visa Ezechieli, & Ioanni.

2. Deinde Falleretur & falleret Paulus ad Colos. affirmans *in Christo esse thesauros omnes scientiæ & sapientiæ Dei.* Desipuissent, qui Mat. 7. Luc. 2. Ioa. 7. dicebant: *Nunquam sic homo locutus est.* Quis talia peripateticum contra Aristotelem effutire pateretur? An non h. e. cũ Iuliano, Luciano, Porphyrio veteres philosophos Christo anteponere; quod, quam Christus; longè solidius sua dogmata confirmassent?

Quanto Alcoranus de Christo honorificentius? Vide *Theuet. l. 6. c. 5.* Vade age, garri Erasme *in annot. ad c. 2. & 27. Mat.* Non esse metuendum, ne totius Scripturæ corruat autoritas, si leuis error in ea deprehẽdatur: præsertim cum Euangelistas interdum memoria lapsos d cat *Aug. l. 3 de Consen. Euang. c. 7.* Sed fingit hoc Erasmus.

VII. HÆRESIARCH. Inimici veræ fidei, ait Aug. *l. 2. de adulterinis coniugiis*, ex nõnullis codicibus eraterunt historiam de Adultera, *Ioan. 8.*

Erasmvs *in annot. ad Ioa. 8.* Negat esse historiam, sed parabolam meram: Negatque certę olim fidei fuisse. Vide *in Lutherocal. p. 1. q. 1.* plura alia,

PAPISTA. 1. At eam agnoscunt grauissimi S. Patres Græci ac Latini:

Pannonius, Athanasius, Chrys. Hier. Ambros. &c.

2. Pariter idem Erasmus *in* 1. *Ioan. ca. vlt.* illa verba; *Tres sunt, qui testimonium dant. &c.* ait in dubio fuisse olim; esseque oportere perpendit.

AT S. Patres eadem Canonica agnoscunt, ac venerantur.

VIII. HÆRESIARCH. Marcion sub annum 146. teste Hieron. *præfat ad Titum:* & Arius, teste Theodoreto *in præf. ad Hebr.* Epistolam ad Hebræos neque Pauli esse; neque Sacram fingebant.

LVTHERANI similiter. Vide in nostro *Luthero-cal. p.1.q.1.§.2.*

CALVINISTÆ *verò esse quidem Apostolicam pertendunt; Eccuius tamen sit, addubitant.* Ita Cal. Instit. impress. anno 1554. c. 8. §. 216. &c. 10. §. 83. Ministri in Cõfessione oblata Pissiaci art. 3.

PAPISTA. Reclamat & condemnat istud omnis retrò veneranda Antiquitas Christiana, apud *Bell. l. 1. de Verbo Dei c.17.*

IV. HÆRESIARCH. Pelagius sub annum 410. Manichæi, similesque hæretici, (queritur S. Hieron. *l. contra Pelag.*) vt fauorem sibi plebis conciliarent; scientiam Legis ac Scripturæ quibusuis, adeoque ipsis etiam mulierculis tribuerunt.

LVTHERO-CALVINISTÆ iubent ẽt quoscunque scrutari, & iudicare Scripturas.

PAPISTA. Istud explicatius pertractaui, & refutaui in meo *Luthero-cal. p.1.q.4.*

2. Et verò S. Patres docent, non aliunde tot hæreses ac schismata esse proseminata; quam quod Scriptura quibusuis esset prostituta, vt legerent, iudicarent, & ad sua quisque commenta accommodaret. CONTRA Iacob. 3. *Nolite plures Magistri fieri. &c.*

QVÆSTIO II.

An commune sit hæreticis odium S. Traditionum?

HÆRESIARCH. Ex horum, Traditiones reiicientium, consensu pertinace, omnibus retrò sæculis, docemus Orthodoxi eas minimè repudiandas esse: Sed iuxta omnium S. Patrum consensum, custodiendas. Ecce aliquam tibi Inductionem.

1. *Valentiniani sub annum 146. & Marcionistæ* sunt aspernati Traditiones, teste Irenæo *l. 3. c. 2.* Tertull. *l. de præscript.*

2. *Donatistæ* sub annum 306. è solis Scripturis pugnabant; S. Aug. *l. de Vanitate Eccl. c. 19. &c.* per Traditiones obsistebat.

3. *Ariani* sub annum 317 nil, nisi scriptum, audiebant; omne Traditum respuentes: teste Hilario *l. contra Constantium.* Epiph. *hæres 69. 73.*

4. *Aeriani* sub annum 357. idem, ait Epiph. *hær. 75.*

5. De *Eunomianis* sub annum 360. idem. Basil. *l. de Sp. Sancto c.27.*

6. De *Nestorio, Eutychete, Dioscoro.* &c. Basilius Ancyr. in Synodo VII. act. 1.

7. De *Apostolicis* idem, S. Bern. hom. 66. in Cant.

8. De *Wicleff* sub annum 1380. testatur Tho. Waldensis *l. 2. doct. in antiqua fidei.* &c. Et *sic dicatur* Ergo. &c.

LVTHERANI & CALVINISTÆ, minores istorum sequaces sunt gnauiter. Vide in meo *Luthero-cal. p. 1. q. 5.*

PAPISTA. 1. Sicut hodierni Nouatores hæresin suã de contemnẽdis Traditionibus acceperunt per manus Tridentium Archihæreticorum priscorũ. Ita & nos à S. Patribus accepimus & didicimus, Fidem de Traditionibus, omni cum honore venerandis. 2. Mos omnium Gentiũ fuit, Traditionibus stare. De Iudæis, extra Scriptam legem, traditionũ obseruantibus, testatur *Orig. hom. 5. Num. & Com. in Ro. 3. Hilar. in Psal. 2. Euseb. l. 7. hist. c. 28. &c.* De Rebus p. vt Athenis; Pericles diuisit ius in Scriptum, & non scriptum. *Arist. l. 3. polit. c. 11.* statuit regendam ciuitatem partim optimis legib.; partim arbitrio optimi viri. Et hũc vocat *Ius animatum.* lib. 5. de morib. ca. 4. Lacedæmonijs Lycurgus nullam dare scriptam voluit legem; ait *Plutar.* sed solis vti Traditionibus; quò essent in agendo, quam legendo diligentiores. Romanis placuisse traditiones, patet ex *Cic. l. 1. de legibus.* De Gallorum Druidibus seu sapien-

sapientibus idem testatur *Cæs. l. 6. de bello Gallico. &c.* 3. Denique in Iure Ciuili, *L. Diuturna. ff. de Legib.* Et in *Iure Canonico, dist. 1. Can. Consuetudo*: tribuitur eadẽ Legi scriptæ, & Consuetudini non scriptæ autoritas. Itaque Traditiones sunt legis q. naturalis. Vide *Bell. l. 4. c. 8. de Verb. Dei.*

Regulas deniq; huc subiicere, quibus Traditiones veræ cognoscuntur, est pretij. l. *Quod vniuersa Ecclesia, vt fidei dogma tenet, nec scriptum inuenitur: id Traditum esse necesse est.* Quia Ecclesia, vt *columna & firmamẽtum veritatis*, 1. Tim. 3. errare nõ potest. Nec enim Mat. 16. *Portæ inferi præualebunt aduersus eam.*

II. Reg. *Quod vniuersa seruat Ecclesia, & id constituere nemo potuit, nisi Deus; neq; tamen vsquam scriptum est: id ab Christo & Apostolis Traditum, dici necesse est.* Aug. epist. 118. *Insolentissimæ insaniæ est existimare, Non rectè fieri, quod ab vniuersa Ecclesia fit.* Tale est Baptisma paruulorum actu non credentium: quod nec Lutherani, nec Caluinistæ, nec Catholici ex Scripturis cõtra Anabaptistas in Colloq. Frankent. potuerunt. Et idem Synodus Generalis Wittenberg. ex Luthero in Gal. 3. Kem. Exa. sess. 7. definiuit tenendum ex fide. Tale de non rebaptizandis hæreticis; quod Aug. defendit ex Traditione sola, contra S. Cypr. in hoc Traditionis negligẽtem: At ante mortem conuersum, ait *Aug. epist.* 48.

III. Reg. *Quod omnis retrò seruauit Ecclesia, merito creditur ab Apostolis institutum, & si tale sit, vt ab ecclesia potuerit institui.* Talis est Quadragesima: quam Caluinus *Institution. libr. 4. capit. 12. §. 20.* vocat superstitionem, post Apostolos excogitatam. Sicut & S. Ordines minores dicit, *l. 4. c. 19. §. 24.* nouitium commentum Sorbonistarum. &c.

IV. Reg. *Cùm omnes Ecclesiæ Doctores communi docent consensu, aliquid ex Apostolica Traditione descendere; illud Traditionem esse credendum est.* Ratio. Quia si talis consẽsus errare posset; posset & Ecclesia; q̃ suos sequi Doctores tenetur. Tale est, Imaginum cultus, Ritus Baptismales. &c.

V. Reg. *Esse ab Apostolis Traditum id, quod pro tali habetur in Ecclesijs, in quibus continuata successio est ab Apostolis.* Sic Iren. l. 3. c. 3. Tertul. l. de præscript.

II. DE VERBO DEI INCARNATO.

QVÆSTIO III.

Qualis sit Luthero caluinistis S. Trinitas, & Christi Diuinitas?

HÆRESIARCH. I. Diagoras & Theodorus, ait *Cic. l. 1. de na. Deor.* negarunt Deum esse: Protagoras, esse dubitauit. Plato, vnum esse asseruit. Alij, plures fecere Deos.

2. *Gnostici. Carpocrat. Manichæi,* duo Principia statuerunt, Bonum spiritalium, Malum corporearum rerum. *Cerdoniani & Marcionitæ* vnum Legis, alium Euangelii Deum esse voluerunt.

3. *Sabelliani, Noetiani, Praxeani. Hermogeniani* sub an. 200. & porrò, Trinitatẽ vnã esse personã affirmarunt, quæ iuxta officia, nũc Pater, nũc Filius, nunc Sp. S. diceretur: teste *S. Aug. l. de hær. c. 41. 4. Ebion, Cerinth.* sub an. 90. negarunt Christi Diuinit. quod merus homo ex Iosepho & Maria natus fuisset. *Euseb. l. 5. hist. Eccl. c. 27.* Itẽ Carpocrates sub an. 137. teste *Aug. de hær. c. 7. 5. Arius* finxit, Deũ sẽper fuisse Patrem, Filiũ ante creaturas creatum, & à Filio Sp. Sanctum, teste *Euseb.* sed ἀμοιουσίους: *Eunomiani* ἀνομοιουσίους.

Lutheranos itẽq; Caluinianos quosdam; adeoq; in his primipilos. similia istis sensisse & scripsisse, reor nec ipsos Lutherocaluinianos induci facile posse vt credant. Alii argutiores, sc. suorũ dicta infanda interpretari aliò nitentur; cautiores humanũ lapsũ excusabũt, in varia lectione volũtatẽ negare noluerint; sed cõmunes sectariorũ opiniones Synodalesq; Consensus opponent: & ex professo ab suorũ blasphemiis abhorrebunt. Verumtamen quot, & quantiferaci hæresum ęuo hoc, & cum damnatissimis istis hęresiarch. priscis senserunt, & cum nupero, Caluini ęquali, licet antagonista eius talium assertore Serueto? *lib. 5. Trin. p. 189.* Et *in respon. ad art. 1.*

Ita & Ministri Transsyluani *l. 2. c. 4.* atheizant omnes. Vide in meo *Luthero-c. p. 1. q. 6. 7. 8. 9. 11. 12.* vbi totidem ipsorum verba quà recitantur; quà & refutantur partim, partim & in meo *Antichristo quæst. 3. 4 5.*

PAPISTA. Sacrum vtrumque reclamat Instrumentum; vniuersaque SS. Patrum consentiens Antiquitas; & Ecclesia Dei conclamat aduersum Atheistas istos.

1. Nam, 1. Reg. 2. *Non est sanctus, vt est Dominus: neque enim est alius extra te.* 3. Reg. 8. *Deus Israel, non est similis tui Deus.* At si duæ aliæ forent naturæ diuinæ; essent similes. Mar. 12. *Vnus est Deus, & non est alius præter eum,* scil. in Vnitate naturæ.

2. Trinitas est in personis distincta per relationes; sed non diuisa. Vnde symb. Athanasii: *Alia est Persona Patris, alij Filij, alia Sp. S.* Dicit a. Boetius lib. de Trin. *Substantia in diuinis continet Vnitatem: Relatio multiplicat Trinitatem.* Si ergo, ait *S. Tho. p. 1. q. 28. a. 3. c.* Relationes Non distinguuntur realiter, non erit in diuinis Trinitas realis; sed rationis tantum: Quod est Sabelliani erroris.

3. Quare sic ratiocinatur *S. Tho. 1. q. 30. a. 1.* Nomen *Persona* significat in Diuinis Relationem, vt rem subsistentem in natura diuina: Sed relationes reales sunt in diuinis plures: *ibid. q. 27. a. 1. 3. 4.* Ergo sunt plures res subsistentes in diuina natura: & hoc est esse plures Personas. Manente nihilominus isto S. Ambrosij l. 1. de Fide c. 2. *Deus in Deo est: sed non duo Dij.* Quocirca ait Damasc. lib. 3. Orthod. fidei c. 5. *Differentiam hypostaseon in tribus Proprietatibus,* scil. paternali, filiali, & processionali, *recognoscimus.*

Verum id ita, ceu S. Ambr. l. 1. de Fide c. 5. to. 2. ait. *Impossibile est Generationis scire secretum: mens deficit, vox silet.* Sed per originem generationis & processionis distinguitur Trinitas, ait *D. Tho. 1. q. 32. a. 1. Ergo Trinitas ea personarum per rationem cognosci nõ potest.* Vnitas vero Deitatis, hoc est.

Nam Pagani, vt plures inuexerint Deos; Vnum tamẽ cognouerunt, *Rom. 1.* Aut cognoscere naturaliter potuerunt.

II. HÆRESIARCHIA. *IESVS Christus non est verè Vnus solus Deus ab æterno; vt qui ante Incarnationem Nihil fuit, nisi per Ideam in mente Dei.* Ita olim Ebion & Cherinthus apud Irenæum *l. 1. c. 25 26.* Item Samosatenus & Photinus apud *Aug. hæresi 44. & 45.* De Tritheismo, vide q. sequente.

LVTHERO-CALVINISTA similiter: patet ex *Luthero-c. q. 7. & 9.*

PAPISTA. 1. Dominus IESVS in Euangelio se esse docet Iudæis Vnum, verum, solumque Deum; vt in meo *Antichristo, q. 3. n. 6.* demonstro.

2. Ita Moyses Deu. 4. *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter Vnum,* Deut. 6. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est; Vnitate* numerica, non specifica: Vnitate naturæ non solum charitatis, vt Erasmus, Caluinus, Transylvani, & Ariani volunt. Similia passim in libris Historialibus, & Propheticis: Vide *Bell. l. 1. de Christo, c. 3.* De S. Patribus ibidem.

RATIO fauet. 1. Deus est summum Ens: *Ego sum, qui sum.* Exo. 3. Ergo est sũme Vnus. Quo enim quid est magis Ens, eò magis est Vnum. Et quo quid perfectius est in Esse, eò longius abest ab Non esse, & proinde ab diuisione.

2. Deus est suum Esse: Exo. 3. *Ego sum qui*

qui sum: & caret omni cõpositione: ergo non est multiplicabilis, nec diuisibilis in plura individua. Nam Esse proprium vnius, non potest Esse alterius.

3. Deus est, Ps. 82. *Solus Altissimus:* Eccl. 1. *Vnus altissimus:* Est finis vltimus omnium, Apoc. 1. *Ego sum α & ω.* Est infinitus in essentia, potentia, sapientia. &c. Ps. 144. *Et magnitudinis eius non est numerus.* Ergo vnus est numero.

Suasiones Transyluanorum sileo; quod hodie plerique Luth. & Calu. ab eis abeant.

III. HÆRESIARCHIA. *Christus est minor Patre. Est instrumentum Patris in creando. Est aliquid Naturæ diuinæ. Est Proprietate tantum distinctus à Patre:* &c. Et quæ talia complura in meo *Luthero-c. q. 9.* Ita Arius, teste *Epiph. hæres. 69.*

LVTHERO-CALVINISTÆ Eadem; & his infandiora plura: adeo profecit deterior posteritas hæretica.

PAPISTA. Quæcunque iam attulimus ad demonstrandam Vnitatem Christi cum Patre in vna Deitate & natura; omnia illa & ad Æqualitatem vtriusque euidenter valent. De quo vide & in meo *Antichristo Calu. q. 3. n. 6. Et q. insequente.*

IV. HÆRESIARCH. *Christo homini est communicata à Deo Diuinitas, non æterna generatione sed per inhabitationem, & gratiam.*

Ita Nestorius apud Theodoretum *l. 4 hæret. fab.*

CALVINISTA. *Christus secundum Diuinitatem restituit sibi gloriam postulat:* ait Melanch. Et Caluinus: *Pater solus in Scripturis Deus vocatur per excellentiam.*

LVTH. *Filius Dei est Virtus Patris, & Instrumentum.*

ERASMVS. *In Scripturis Pater intelligitur, quoties absolute DEVS appellatur.*

CALVIN. *Christus secundum Diuinitatem est Mediator.* &c. Vide *Luthero-c. q. 9. 11. & 12.*

PAPISTA. Quæ in Veteri Testamento de Vno vero Deo dicuntur; eadem in Nouo Testam. exponuntur de Christo: Ergo Dei Filius, quâ Deus verus, est *Æqualis Patri secundum Diuinitatem: minor Patre secundum Humanitatem:* ait Symbolum Athanasii: quod Gregorius Niger vocat *Symbolum Athanasii,* Sed blasphemè.

1. Vt, istud Num. 21. *Dominus immisit in populũ ignitos serpentes:* Paulus de Christo exponit. 1. Cor. 10: *Neque tentemus Christum, sicut quidam tentauerunt; & à serpentibus perierunt.*

2. Item, Mala. 3. *Ego sum primus & nouissimus:* Apoc. 1. de Christo: *Ego sum α & ω. Ego sum primus & nouissimus: & viuens, & fui mortuus.*

3. Item Ps. 101. *Tu Domine initio terram fundasti.* Hebr. 1. Christus probatur esse maior Angelis, & creator. &c. Vide plura talia, apud *Bell. l. 1. de Christo. c. 4.* Et in meo *Lutherocalu. q. 12.*

QVÆSTIO IV.

An Luthero-caluinistæ sint Tritheitæ?

HÆRESIARCHIA. *Tres sunt Spiritus æterni, essentiali numero differentes.*

Ita olim Peratæ, apud Theodoretum *l. 1. c. 18. hær. fâbul.* asserentes, *Trinitatem esse tres Deos, tres mentes.* Vide Annales Bzouii anno 535. §. 10. Baron. to. 7. Philoponus abolitam hæresin hanc renouauit: Item Gallus, sub annum 1090. Contra quem S. Anselmus stetit. Idem docuit Raym. Lullus sub annum 1240. *tres personas tres Essentias esse.*

DE LVTHERO-CALVINO, eorumque sequacibus, idem disertè docentibus, vide meum *Luthero-c. p. 1. q. 9. 11. & 12.* Hodie tamen communiter deseruerunt errorem.

PAPISTA. Ex Euangelio blasphemiam refutatam require in meo *Antichristo. p. 1. q. 2. & 4.* præcipuè. Quibus ad

de ex D. Tho. p. 1. q. 31. a. 1. Cùm, iuxta Symbolum Athanasii, *Vnitas in Trinitate, & Trinitas in Vnitate veneranda sit*: etymologicè quidè Trinitas significat vnã essentiam trium personarum; quasi trium Vnitas: At propriè, magis denotat Numerum trium personarum vnius Essentiæ. Ideo Pater non est Trinitas, neque pars Trinitatis; sed Persona eiusdem. *In qua*, ait S. Aug. l. de Fide ad Petrum, c. 2. to. 3. *non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Sp. S. quamuis personaliter sit Alius Pater, alius Filius, alius Sp. Sanctus.*

2. Probè iuxta Deut. 4. *Dominus ipse est Deus; & non est Alius præter Vnum*: Non *Alius* in Essentiæ Vno; etsi sit *Alius* in personarum Trino numerali. Neque in hoc sunt tria indiuidua singularia, quasi vnius speciei; sed Vnus Deus vnum est indiuiduum singulare solum; & non Vniuersalis quasi ad specie plures: id est, Trinitas est numerica, non specifica.

3. S S. Patrum hac de . . sunt istæ propositiones summariæ.

1. *Est Deus Pater, Deus Filius, Sp. S. & tamen non tres Dij, sed vnus Deus.* S. Ambr. l. 2. de Fide c. 2. *Deus in Deo est; sed non duo Dij.*

2. Patres negant numerum inueniri in Diuinitate; sed solum in Personarum proprietatibus.

3. Patres vocant Deum singularem aut naturam indiuiduam.

4. Negant Deum esse vnum specie.

5. Dicunt esse mysterium ineffabile, quod tres Personæ sint vnus Deus: At si forent Vnus specie, non esset mysterium.

6. Dicunt Sabellium ad Iudæos, negantes personarum Trinitatem; Arium ad Paganos pertinere, asserentes Deorum pluralitatem: Ecclesiam incedere via media; quæ nec vnam Personam esse Deum credat cum Iudæis; nec plures Deos cum ethnicis. Hæ summæ Patrum, quos vide apud Bellar. Hactenus de TRINVNO.

QVÆSTIO V.

An, quæ sit in DIVINIS Personarum Inæqualitas Ariana?

HÆRESIARCH. *Non sunt Æquales in Deo Personæ; sed Pater est cæteris eminentior vt Essentia vt cæteris Essentialis.* Sic Arius, sub annum 324. teste Epiphanio *hæresi* 69. & Theodoreto *lib. 4. hæret. fabul.* Atque in hoc a Tritheitis abiit Arius asserens tacitè *Duos Deos.*

LVTHERO-CALVINISTA. Lutherus libr. contra Latomum tom. 2. Wittemb. anno 1521. testatur. *Anima mea odit ὁμοούσιον: & optimè exegerunt Ariani, ne vocem illam profanam & nouam Regula Fidei statui liceret.* Idem in Gen. 1. *Dei Filius est instrumentum, quo Deus Pater est vsus in operando.* Sic & alii.

CALVINVS. *Filius etiam in diuina Natura, officij ratione Patre minor est.* Sic & cæteri. Vide meum *Luthero-cal. p. 1. q. 9. & 12.*

PAPISTA. In *Antichristo part. 1. q. 5.* prolixè è Scripturis liquet Æqualitas Personarum in Deo. Quibus adde: 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pa. Ve. & Sp. S. Et hi tres VNVM sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Sp. Aqua & Sanguis.*

Quibus docet Christi & Diuinitatem vnam, vnamque Humanitatem. Quare, ibid. *Si testimonium hominum accipimus; testimonium Dei maius est.*

2. Rursus ibid. *Vt simus in Vero Filio eius;*

ius; hic est verus Deus, & Vita aterna. Atqui vnus solus est verus Deus; ergo æqualis. Ergo non solus Pater est *Verus Deus*; Quod nomẽ proprium Patris esse contendunt malitiosè Transyluani & Erasmus. Ita ibidem S. Patres 3. Ioan. 1. *in principio*, id est, ab æterno, *erat Verbum*, Dei Filius: & *verbum erat* substantialiter in Vnitate æquali *apud Deum*: id est, ait S. Ambr. *Deus in Deo vnus*. Idcirco & *Deus erat Verbum*. Et *Omnia per Ipsum facta sunt*. Ergo infert *S. Aug. lib. 1. de Trin. c. 6.* Verbum non est factum: quia est vnus Deus cum Patre. &c.

4. Id quod explicat Apostolus, Col. 1. *In ipso condita sunt vniuersa in cælis & in terra. &c. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt; & ipse est ante omnia; & omnia in ipso constant.* Ecce tibi Deum Verum, Æqualem, Æternum.

5. Clarius Hebr. 1. *Per quem fecit & sæculi.* Idque explicatur disertius, Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* Malè igitur fingunt Transyluani li. 2. c. vlt. intelligi sæcula noua reparati generis humani.

1. RATIO denique *D. Tho. p. 1. q. 42. a. 4.* euincit. Necesse est dicere Filium Æqualem Patri in Magnitudine. Magnitudo enim Dei non est aliud, quam perfectio naturæ ipsius: hoc autem est de ratione paternitatis & filiationis; vt filius per generationem pertingat ad habendam perfectionem naturæ, quæ est in Patre, sicut & pater. &c. Nec potest dici quod virtus Dei Patris fuerit defectiua in generando; neque, quod Dei filius successiue, sed p trãsmutationẽ, vti homo, ad perfectionem peruenerit: Vnde necesse est dicere, quod ab æterno fuerit Patri Æqualis in magnitudine.

Vnde, Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* D. Tho. ibid. a. 5. c. sc. 1. Secundũ Essentiam, quam Pater Filio communicat. Ideo S. Hil. l. 5. de Trin. ait: *Naturam suam sequitur immutabilis Deus, immutabilem gignens Deum subsistentem.*

2. Secundum Relationem: Quia vnum, oppositorum est relatiue in altero secundum intellectum.

3. Et secundum Originem: Quia processio verbi intelligibilis non est aliquid extra; sed manet in dicente: Id etiam, quod verbo dicitur, in verbo continetur. Et eadem ratio est de Sp. S. Hæc S. Thomas.

2. RATIO par de Potentia est. Nam Ioan. 5. *Quæcunque Pater facit, hæc & Filius similiter facit.* Ergo Æqualis est Potestate. Potentia enim, ait *D. Tho. ibid. art. 6.* agendi consequitur perfectionem naturæ: in qua Patri Filius est æqualis necessariò: vt iam ostensum.

QVÆSTIO VI.

An Dei Filius sit gradu minor à Patre distinctus quà Deus?

II. HÆRESIARCH. ARIVS, apud Cyril l. 11. in Ioan. c. 17. & 18. & apud Aug. in serm Arianorum, tom. 6. ita docuit: *1. Christus fuit Deus Vnigenitus, voluntate & præcepto Patris, ante omnia sæcula constitutus, omniumq; æ futurorum Deus & Dominus. 2. sed ut tamen, vt Sacerdos, adorat Deum Patrem; & ab omnibus adoratur vt Deus. 3. Sacerdos est quatenus Deus. Sacrificium eius est Caro. 4. Inde inferebat: Fieri non potest, vt subditus superiori, Vnigenitus Ingenito, Sacerdos Deo Vnus sit.*

LVTHERO-CALVINISTA. Lutherus: *Verbũ est instrumentum Patris in operando. &c.* Melanchton in Locis (Stancaro interprete, immundis) anni 1558. partim Epist. ad Elect. Brandeb. ita. Synopticõs.

Dei

Dei filius, quatenus Deus, Mediator est, Sacerdos & Pontifex.

2. *Patri obedit & ministrat; subditus est & subiectus: ei supplicat, eum orat, apud eum intercedit: orat hæreditatem gentium.*

3. *Postulat dari sibi ac restitui gloriam: Arcanum Diuinitatis consilium ingreditur. &c.*

CALVINVS *epist. ad Polonos* prorsus similia, ac tantum non multa eadem. In cathedra Pinozouiana: *Filius in diuina natura Patre minor est.* Inst. l. 2. c. 14. §. 3. *Subiectus est Patri quoad diuinitatem.* Et alibi, *Est Patris Vicarius, Minister, & ab intimis secretis.* &c. Vide *Luthero-calvin. meum quæstion.* 9. 12.

PAPISTA. Rectè Stancarus lib. de Trin. *Philippum Melanch.* appellauit *Antichristum septentrionis*, vnde *panditur omne malum.* Interea nihilominus Philippina illa Obedientia diuinæ naturæ adeo placuit Symmystis Bergensibus, & Lutheranis proceribus arrisit paradoxon illud; vt, tanquam Cedro dignum, in suam illud Concordiæ Formulam traductum, omnibus germanè Euangelicis, scilicet, Laicis quidem credendum; Ministris autem prædicandum proposuerint.

Obedientia, inquiunt pag. 536. *Christi, non est Vnius naturæ sed totius Personæ.* Per totam verò Personam, aiunt pag. 727. significare se DVAS NATVRAS. O theologissimos vigiles Capitolinos! id est, gracitatores anserinos.

Reuocemus ad tres nunc ferè omnia, ad Sabellium, Arium, Nestorium.

I. SABELLIVS, sub annum 216. finxit: *Deus vna est persona; Trinitas nulla est: diuersa autem nomina sunt*, excogitata ad diuersos Dei effectus significandos.

Ita & CALVINVS Lib. contra Gentilem: *Pater Filio nec in solido, nec in parte communicauit Essentiam:* Tres solum, Inst. l. 1. c. 13. §. 5. *Proprietate quadam distincti sunt.*

II. ARIVS, sub annũ 324. finxit: *Christus minor est Patre; prima ab eo creatura productus.*

LVTHERO-CALVINISTÆ similiter, vt patet in meo eodem, *quæstione* 9. 12. 13.

III. NESTORIVS, sub annum 428. confinxit: *Maria solum Christum peperit, cui dein accessit Dei Filius inhabitator per gratiam.*

Ita & Lutherus in Concio. Nat. Dom. *Vnus Christus est Deus omnipotens, alter Christus est Homo non omnipotens.*

Brentius l. recognitionis suæ pag. 18. *Communicatione Proprietatum Filius hominis ab inhabitante Dei Filio ornatur.*

Quæ quidem singula tam aliena sunt à Dei Verbo Scripto; quam ab ipso Incarnato IESV Christo Dei Filio vero ac æterno.

QVÆSTIO VII.

An Christus, quà Deus, sit impassibilis, mortalis & Impeccabilis?

I. HÆRESIARCH. Petrus Cnaffæus Fullo, Episc. Alexan. deprauator Trishagii, autor Theopaschitarum fuit dicentium: *Vnum in Trinitate passum in carne fuisse ac mortuum.*

De quo in Concil. Romano damnato ita Felix Papa: apud Bzouium anno 483. §. 4. *Passionem impassibili Deo iniquissimè intulisti: immortali Spiritui mortem apponere præsumpsisti. &c.*

LVTHERO-CALVINISTA noster p. 1. q. 16. prolixè docet, de Lutheranis asserentibus a-

pud

pud Gerlachium contra Busæum: *Vera sunt hæ propositiones; Diuinitas est nata, crucifixa, mortua.*

CALVINVS Inst.l.1.c.17. *Deitas mortalis est, & aliquando mortua. &c.* Lutherani hanc hæresin Concordiæ suę insertam perennare voluerunt, & quater millenis subscriptionibus corroborarunt.

PAPISTA. Respondi in meo Lutherocaluinista, *q.* 16. & in Antichristo *q.*7. Et verò Concilij Romani contra Cnaffæum anathematismus secundus est iste anno 483. *Si quis confundit duas Christi naturas, dicens: Deum passum carne; & non passum Christum carne secundum Apostolum, damnetur.* Tertius: *Si quis impassibilem & immortalem Deum Verbum dicit conuersum in passionem & mortem; & non reddit eius Carni; damnetur.*

II. HÆRESIARCH. *Mala opera in impiis regit Deus.* Ita Manes apud *Aug. hæresi* 46.49.

LVTHER I eadem verba sunt totidem, *in assert. art.* 36. *to.* 2. *V Vitenb. anni* 1551. Et *eum articulum dicit omnium optimum esse, & rei Christianæ summam. &c.* CALVINVS quantum, docere contendat, *Deum esse scelerum autorem*, repete ex nostro Lutherocal. *q.*17.18.

PAPISTA: Ibidem contra venenum hoc præbui amuletum: & alibi ex professo pertractandi id locus erit infrà proprius *p.*4.

III. HÆRESIARCH. Apud Bzouium in Annalibus anni 357. §.1. Photinus *Christum non fuisse ante D. Virginem asseruit.* Sic & Paulus Samosatenus, anno 464. §.5. & anno 266. §.7 Et Nestorius *Eam esse Theotocon negauit. &c.* Sed vterque damnatus est.

CALVINVS quoque Institution. libr. 1. cap. 13. §. vlt. ait: *Stultè fingitur in Patre continuus actus generandi*: quia scilicet, semper intelligit se, id est, generat procedens Verbum Dei Filium.

PAPISTA. In Antichristo nostro *quæst.*7. Christus ipse respondet, & immortalem suam vindicat Æternitatem: Sic & Heb. 13. *IESVS Christus heri, & hodie, & in sæcula.* Heb. 7. *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Apoc. 1. 4. 11. sæpius: *Qui erat, qui est, & qui venturus est. Quin* Imò Ioan. 5. *Hic est Verus Deus, & vita æterna.* Vide Bell. l. 1. de Christo. c. 8.

QVÆSTIO VIII.

Caluiniana in Diuinis Distinctio an sit indistincta Athea an Autothea?

I. HÆRESIARCH. 1. Sabelliani, Samosateni. &c *Distinctionem in Deo negant Personalem.*

2. Trithei æ, vt Philoponus, Gallus. Lullus. &c. *trealem constituunt.*

3. Ariani, *tres inæquales in Deo somniabant.*

4. Ariani, ὁμοούσιον *execrabantur*, & ἀντοούσιον. De hisce require in nostro *Luthero. c.*9.20.

CALVINISTA. Caluinus Inst. 1. c. 13. §. 23. *Filius Dei est compositum quid: pars vna est à semetipsa, altera à Patre.*

Calu. l. contra Gentilem pag. 917. *Si essentiam Pater cum filio communicauit ex parte; dimidius Deus est: Si ex solido; in ipso Patre euanuit.* Ergo Vel cum Sabellio, *non distinguit filium à Patre personaliter*, sensit: Vel cum Manichæo, statuit; *etiam naturâ distingui vtrumque.*

PAPISTA. 1. Vox, *Alius*, in Scripturis realem distinctionem significat. Vt Ioan. 5. *Alius est*, sc. à me Pater, *qui testimonium perhibet de Me.* Et Ioan. 14. *Alium*, à me & se diuersum, *Paracletum dabit vobis.*

Sic in Personis: at in Natura *Ego & Pater vnum sumus.* Ioan. 10. Isa. 48. *Dominus me misit, ET Spiritus eius.* Eph. 2. *Per ipsum Filium habemus accessum ad Patrem in vno spiritu.* En diuersos tres.

2. Scriptura facit Deum loquentem in numero plurali.

Gen. 1. *Dixit Deus; Faciamus hominem ad imaginem.* Gen. 3. *Ecce Adam quasi vnus ex Nobis factus est.* Gen. 11. *Venite descendamus, & confundamus linguam eorum.* Ioan. 14. *Ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem faciemus.*

3. Scriptura, de Deo loquens, ternario numero gaudet: Vt *Ego sum, qui sum; qui est, misit me ad vos.* Exo. 3. Ibid. *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Deut. 6. *Dominus Deus Dominus vnus est. &c.* Vide Bell. l. 2. de Christo c. 6.

II. HÆRESIARCH. Mahumetis vox est: Azoara 27. *Deus substantia est necessariò existens; cui impossibile est, vt Essentiam aliunde mutuetur.*

CALVINI vox est, Inst. l. 1. c. 13. §. 23. *Quomodo Creator est Christus, si qui omnibus Esse dat, non erit à seipso; sed aliunde Essentiam mutuabitur.* Vix quo conformius quum est.

PAPISTA. Longè secus S. Patres. Hilarius l. 4. de Trinit. *Nihil, nisi natum, habet Filius*, id est, ait Aug. tract. 31. in Ioan. *Quicquid est Filius, de illo est, cuius est Filius, Ideo Dominum IESVM dicimus Deum de Deo* Secus à Caluino concilia. Secus S. Biblia. Vide *Luthero-calu. q. 21.*

III. DE CHRISTO HOMINE.

QVÆSTIO IX.

An Luthero-caluiniani sint Nestoriani?

I. HÆRESIARCH. Cherintus, Apostolorũ ætate, Iesvm separauit à Christo; vt purum hominẽ ex Ioseph & Maria natum; in quem dum baptizaretur, specie columbæ, descendit Christus. Ita apud *Ireæum l. 1. c. 23.*

Dein PELAGIANI quidam, ait *Cassianus l. 1. & 6. de Incarn.* docuerunt, Natum merum Hominem, sua meritis, anno ætatis 30. Christum factum: post passionem suis item meritis factum Deum: Similiterque alios suis posse viribus benè beatèque viuere, atque beari.

APOLLINARIS sub annum 378 *Diuinitatem Christi animæ loco fuisse* confinxit: quod humana careret anima. Bzou. anno 349. §. 5.

NESTORIVS, sub annum 429. Patriarcha Constantinopolitanus, innouauit idem; addens: *Christum non solum Naturam, sed & Personam humanam assumpsisse, ac proinde Mariã solũ esse Χριστοτοκον, non θεοτοκον; & humiliatem, passionem, &c. ascensionem Homini soli tribuendam.*

Porro VNIONEM Christi cum Dei Filio factam postea fingebat quadrifariam, teste *Euagrio lib. 1. c. &c. & Theodoreto l. 4. hær. fabul.* (Qui principio & ipse Nestorianus contra Cyrillum scripsit; sed resipuit in Conc. Chalcedonensi Act. 8.)

1. *Per inhabitationem* Dei in Christo, vt templo.

2. *Per vnionem voluntatis* & dilectionis Christi cum voluntate Dei: Vt vir & mulier duæ personæ sunt, & vna tamen caro: ita Christus est Deus.

3. *Per Operationem*, qua Deus vtebatur homine Christo in miraculis patrandis.

4. *Per Participationem*: qua Verbum Christo impertiuit Nomen Filii Dei, Dignitatem, vt adoraretur. Vti imagines afficiuntur Nominibus Sanctorum & Honoribus.

LVTHERVS in Conc. de Nat. Dom. *Impetus quidam Christum Hominem Omnipotentem facit.* Ab ea tamen abiuit sententia in contrariam Eutychianam. De qua questus Beza lib. contra theses Andr. Smidlini; *Germania*, ait, *totumque mundi peccata fecerunt, quod Lutherus in ea sententia non perseuerauerit.*

2. Nic. Selneccerus epist. ad Wittemb. ait: *Dicere; Humana in Christo natura non est omnipotens, blasphemum est.*

3. Realem Attributorum communicationem docent Lutherani; Verbalem Caluinistæ. Patet in *Luthero-cal. q. 24. 25.* Et eam fieri volũt accidentaliter ex Vnione naturarum. At hoc Nestorianum est.

Caluinianum istud Bezæ lib. contra Westphalum: *Deus per Omnipotentiam suam non potest constituere Corpus Christi in pluribus locis.* Sed de omnipotentia Christi vide *Luthero-c. p. 1. q. 14.*

CALVINVS *Inst. l. 1. c. 13* §. 9. perpetuò distinguit Duas in Christo Personas, Vnam Filii Dei alte-

alteram Mediatoris: Aut in excusabili Æquiuocatione ludit in nomine, *Persona Mediatoris*, non Substantiam, sed Qualitatem intelligendo, siue Officium, non Hominem. Ettamen *ibid.* §. 6. fatetur: *Personam voco Substantiam*, sc. incommunicabilem. Ibid. §. 13. ait. *Respondeo*; *Dei esse Filium: Quia Sermo est à Patre ante sæcula genitus: nondum enim de Mediatoris Persona nobis sermo est.*

2. Clarissimè verò BRENTIVS, lib. de Maiest. Hominis Christi, persæpe reperit; *Filium Dei esse in filio Mariæ.* Similia Smidelinus in Thesibus.

3. Ægid. Hunnius in Papismis Caluinisticis ex Ioachimo Vadiano recitat ista: *Christus Duas habet Personas: Vnam, quà est Verbum: alteram quà est Christus.* Docetque porro ibid. è Caluinistarum sententia Trinitatem Personis constare quaternis; & vnâ insuper Creaturâ.

4. BEZA in respons. ad Brentij argum. de omni præs. ait: *Personaliter Christus Homo à Deo distinctus est: & Duæ in illo sunt Vniones Hypostaticæ: Vna inter Corpus & animam: altera, inter Verbum & hominem.* Admonuit hominem erroris Smidelinus; Sed is, iactato in aera brachio, spreuit. Postea Beza lib. de hypostatica duarũ in Christo naturarum vnione, pag. 64. de plano confitetur: *Semper se duas Vniones hypostaticas in Christo ponere.*

Idem vt ab Omnipotentia Dei abhorruerit, Vide in mea *Genea. Luthero-c. p. 1. q. 16.*

Istud tamen hic te memorem monuerim: Bezam & Brentium consentire quidem in duarum assertione Personarum: & dissidere in Eutychianismo. Nam Naturam Vtramque Brentio placet esse Diuinam, reclamante Beza. De quo vide in *Luthero-c. q. 23.* Et hic subiuncto zytimate.

PAPISTA. I. Quæ superius pro Christo vero Deo, æquali Patri attulimus contra nouos Samosatenos & Arianos; par robur habent & aduersum Nestorianos.

2. Scripturæ docent, in Christo Personam esse vnam, Naturas duas. Vide *Antichristum meum p. 1. q. 8.* Deinde Ro. 8. *Qui proprio Filio non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum*, in Humana natura. Rom. 9. *In quibus est Christus secundum carnem; qui est super omnia DEVS benedictus in sæcula.* Phil. 2. *Qui cum in forma Dei esset. &c. exinaniuit se formam serui accipiens.* 1. Cor. 2. *Si cognouissent, nunquam Domino gloriæ crucifixissent.* 1. Cor. 8. *VNVS Dominus IESVS, per quem omnia*, Ioan. 1. *facta sunt.* Ergo natus ex Maria & Deo Patre VNVS est in Persona. &c.

RESPONDENT Nestoriani: IESVM esse Dei Filium, & Vnum habitatione, voluntate, operatione, participatione; non Persona.

AT Cherinthus idem aiebat, & tamen de eo, 1. Ioan. 2. *Quis est mendax, nisi qui negat, quoniam IESVS est Christus?* 1. Ioan. 4. *Omnis spiritus, qui soluit IESVM, ex Deo non est; & hic est antichristus.*

3. Quam Vnionem quadruplicem tribuunt Christo; conuenit & cæteris Sanctis. Vide *Bell. l. 3. de Christo c. 6.*

4. Sic & Concilia definiunt; Patresque SS. conspirant.

5. Demum, quomodo Deus erit Luthero; qui Omnipotens non sit? Vide omnino *D. Tho. p. 3. q. 13.*

QVÆSTIO X.

An Lutherani sint Eutychiani?

HÆRESIARCH. MANES seu Manichæus, sub *annum* 276. veram Christi Humanitatem abnegabat; Autorem secutus VALENTINVM, portenta hæresium fundentem. *Bzouius anno* 142. § 9. Demum EVTYCHES Archimandrita, sub annum 448. dogmatizauit ista.

1. In Christo post Incarnationem Vnam solam fuisse naturam Rebatur aliter defendi non posse, Vnum esse Christum, & non duos, contra Nestorium.

2. Vnam factam conuersione Diuinitatis in car-

nem: Quia Ioan. 1. *Verbum caro factum est*: Sicut *aqua vinum factum est*, id est, conuersa in vinum.

3. Diuinit item verbi natam, passam, mortuam. &c. Rebatur aliter refelli Nestorium posse; negantem, Deum natum passum. &c.

4. Christi carnem non in veram carnem vertisse, sed in apparentem & phantasticam; vt Verbum simularit se hominem natum, passum. &c. Ideoque nec eiusdem speciei esse cum nostra, carnem Christi. Rebatur indignum Deo, Deum nasci, pati, mori. &c.

LVTHERANI eam hæresin innouarunt; teste Staphilo, *l. de Concord. discipulorum Lutheri*. Vt Gasp. Svvenckfeldius & Andreas Musculus. &c. Vide *Luthero-c. p. 1. q* 23.

PAPISTA. Docenda breuiter contraria prædictis.

1. Duæ insunt Christo naturæ. Act. 20. *Spiritus Sanctus posuit vos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit Sanguine suo.*

At Deus est Spiritus, carens Sanguine: ergo assumpsit naturæ spiritali sanguineam. Rom. 9. *Patres, ex quibus est Christus secundum carnem.* en naturam humanam: *qui est super omnia Deus*: en diuinam. Phil. 2. *Cùm in forma Dei esset, serui formam accepit.*

Sanctus Vigilius libr. 2. *Mirum est cur timeant quidam dicere duas Naturas, cùm Paulus dicat duas formas.*

2. Eæ naturæ non sũt inuicẽ conuersæ. Quia Scriptura dicit Deum immortalem immutabilem, &c. Matth. 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Iac. 1. *Apud quem non est transmutatio.* 1. Tim. 1. *Qui solus habet immortalitatem.*

3. Diuinitas non est nata, passa. &c. Quia Scripturæ aiunt Christum in tempore natum, passum. &c. adduntque, *secundum carnem.* Rom. 1. & 9. 1. Pet. 3. 4. *Christo in carne passo. &c.* Et tamen Lutherani quidam Deitatem passam blasphemant, contra etiam S. Patres. *Bell. l. 3. de Christo c. 3.*

4. Christus verè, non simulatorie, passus est. Mat. 1. Maria *peperit Filium suum primogenitum*: homo hominem verus verum, eiusdẽ secum speciei. Et scripturæ appellant Christum filium hominis ante & post resurrectionem. Si que non vere esset passus. &c. nec vere nos redẽpti foremus. &c. Plura vide in meo *Luthero-cal. p. 1. q. 23.* & in *Antichristo. q.* 8.

5. Denique Lutherani vel sunt Eutychiani, vel Nestoriani; aut hybrides & monstrum ex vtrisque. Nam *cum duo doceant*: 1. *Christi Carnem Diuinitatis esse praeditam Attributis*, præsertim Omnipresentiâ. 2. Hypostaticam Vnionem consistere volunt in Communicatione diuinorum Attributorum facta Humanitati. Iam ex his ita ratiocinor. Attributa ea coniuncta volunt Humanitati aut Essentialiter: Tunc ea Humanitas fiet eadem cum Diuinitate: Et ita sunt Eutychiani; aut Accidentaliter: Tunc distinctæ erunt Personæ Dei & Hominis; vnaque erit alia per accidentalem inhabitationem: &c. Et ita aptè Nestoriani sũt Lutherani. Quicquid id est, (reor vtrũque) Caluiniani abhorrent ab Eutychianis; repugnantque sæuiter Lutheranis: vt liquet hic & in *Antiluthero calmeo c.* 2.

QVÆSTIO XI.

Num qua laborarit Ignorantiâ Christus?

HÆRESIARCH. 1. NICOLAITÆ orti sub annum 68. ab portentosa insames libidine, vt inparem apud ethnicos infamiam vniuersum traherent nomen Christianum; sed cogniti demum ac perosi, misso Nicolaitarum nomine, pulcerrimum ab scientia nomen arrogarunt sibi GNOSTICORVM; qui cæteris in

fabu-

fabulis suis, *Irenæo teste lib. 1. cap.* 13. Christum alphabetarium confinxere puellum, pariter cæteris ignoracem & tabulam rasam.

2. PHOTINVS Sirmij Episcopus Christum merum hominem fuisse docuit, obnoxium ignorantiæ: eum Constantinus edictis coercuit anno 342 §. 10. *apud Bzou.* Anno 357. Ariani eum proscribunt docentem, Iesum tunc cœpisse fieri Christum: cum super eum columba visa; nec ante B. Mariam eum exitisse. Cuius ideo sequaces dicti sunt Homunciſtæ.

3. AGNOETAE sub annum 535. §. 8. *apud Bzou.* exorti, Christum ignorantiæ arguebant, ignauique timoris.

LVTHERO-CALVINISTÆ eadem in hæresi innouata nihil ab eis abeunt: vt videre est in meo *Luthero-c. p. 1. q.* 28.

PAPISTA. Sacra eos Pagina refutat; ceu meus docet *Antichristus, q.* 10.

2. Dein & S. Patres horum maiores olim intestabiles condemnarunt; vindicata Christi Scientiâ. Vt S. Ambr. lib. 5. de fide. c. 8. Et S. Greg. Nazian. Orat. in Basilium. *Proficiebat, non vt incrementum acciperet; cum ab initio gratiâ sapientiaque absolutus esset; sed quod hæc hominibus ignaris paulatim apparerent.* S. Hier. in Ier. 31. Mulier circumdabit virum; ait: *Qui iuxta incrementa quidem ætatis per vagitus & infantiam proficere videbitur: sed perfectus vir in vtero Virginis continebitur.*

3. Diuinè, vt omnia, *S. Tho. 3. q.* 9. In Christo fuerunt thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, Beatæ, Infusæ, & Acquisitæ.

1. Beatam in cognitione Dei. Quia Ioan. 8. *Scio eum, & sermonem eius seruo.*

2. Infusam. Quia Col. 2. *In quo sunt omnes thesauri. &c.*

3. Experimentalem: Quia Heb. 5. *Cùm esset Filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam*, Glossa, id est, *expertus est.* Hæc porro tribus *qq.* 10, 11, 12. exequitur lucu lente: & ex illo meus *Luthero-cal.* 28. 29. 30.

QVÆSTIO XII.

An Christus sit verus Deus? an verus Homo? Idemque Adorandus?

I. HÆRESIARCH. PHOTINVS Sirmianus Episcopus, apud Bzouium in Annalibus, anno 342. §. 10. docet; & anno 357. damnatur docuisse; quod Christus *Filius Dei esset nudus Homo; Nec ante B. V. Mariam fuisset; Sed tunc esse Christus cœpisset, postquam Sp. Sanctus super eum visus apparuisset;*

LVTHERVS, Christum *Dei virtutem & Instrumentum*, non *Deum* vult appellari. Erasmi regula est: Quoties *DEVS* absolutè in Scriptura ponitur, solum intelligi Patrem: Filius vbi Deus dicitur, eas gnomas aliò interpretatur, quam de Christo. &c.

CALVINISTIS Christus non aliter Christus est Deus, quàm Socrates. &c. Vide in meo *Luthero-c. p. 1. q.* 81.

PAPISTA. Actum non agamus; neque huc, demonstrata superius, *q.* 3. &c. repetamus. Clarè satis ac disertè in Symbolum S. Athanasii profitetur Vniuersitas Ecclesiæ: *Perfectus Deus, perfectus Homo. Qui licet Deus sit & homo; non duo tamen, sed Vnus est Christus. Vnus non Conuersione Diuinitatis in carnem; sed assumptione Humanitatis in Deum. Vnus omnino, non Confusione substantiæ, sed Vnitate Personæ.*

II. HÆRESIARCH. SABELLIVS sub *annum* 260. §. 11. *apud Bzouium* docuit, cum Iudæis: vnam in Deitate Personam esse: trium verò nomina diuersos solùm Deitatis effectus denotare. Vnde necessariò, sicut & Iudæi, tantum non adorandum, vt nec agnoscendum esse Christum, consequebatur. Atque id de plano aiebant APOLLINARISTAE apud *Bzouium anno* 373. §. 2.

LVTHERANIS plura pene suppetunt argumenta non inuocandi Christum, ac penè tantum non etiam Trinitatem ipsam; quam vt veram cum cum latria doceant adorandum esse.

CALVINISTÆ minus tribuunt diuini honoris Christo; vt nec vel intentionem velint ab comprecantibus ad IESVM conuerti. Vide in *Luthero-c. p. 1. q. 34.*

PAPISTA. Procliuis illa sequitur sponte ex impietate impietas; vt adorandum negent IESVM, qui Deum esse negarunt IESVM; qui ægrè Trinitatem ferunt; quique Personarum malunt Naturarumque Confusionem, quam orthodoxam Distinctionem.

1. *Fides autem Catholica hæc est, vt Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate VENEREMVR.* Ita Symb. Athan.

2. Ergo Heb. 9. *Dicet Deus, vt adorent eum* IESVM *omnes Angeli Dei.*

3. Et ipsi acclamabant Animalia quatuor, Apoc. 4. *Sanctus, Sanctus, S. &c. qui erat, & qui est, & qui vēturus est,* sc. iudicare viuos & mortuos IESVS Christus. Apoc. 5. *Audiui dicentes sedenti in throno & Agno: Benedictio. &c. Et XXIV. Seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Viuentem in sæcula.* Phil. 2. *in Nomine IESV omne genuflectetur.* &c. Vide *Luthero-c. p. 1. q. 34.* Et in *Antichristo p. 1. q.*

III. HÆRESIARCH. MARCION Ponticus obstuprum à suopte parente eiectus ex ecclesia ad Cerdonem archihær. confugiens ait, teste Epiph. hær. 51. *Mittam fissuram in Ecclesiam in æternum.* Cum Cerdone igitur, apud Tertull. lib. de præscrip. c 51. Dei Filium in substantia carnis venisse negabat, sed in phãtasmate solo; nec verè, sed quasi natum de Virgine, quasi passum: animarum, non corporum fore resurrectionem prædicabat. At Marcion sub *annum* 146. *apud Bzouium,* istis infandiora blasphemabat, Veteris Testam. repudiator, Noui mutilator. &c. S. Polycarpus ei scisciranti: *Cognoscis nos?* respondit: *Noui te primogenitum Satanæ.*

CERINTHVS, *anno* 60. §. 4. *apud Bzouium,* Christum verum Deum esse negabat, sed merum hominem affirmabat.

LVTHERANI, verum esse Hominem Christum profitentur semiore:

CALVINISTÆ obscuriore: obscurissimo Anabaptistæ. Vide in meo *Luthero-cal. par. 1. quæst. 35.*

PAPISTA. 1. Christus verus Deus, & verus Homo promittitur, Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem; & semen tuum, & Semen illius. Et tu insidiaberis calcaneo illius, Ipse autem conteret caput tuum.*

1. Abrahæ; Gen. 22. *Benedicentur in Semine Tuo omnes gentes.* Deut. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui. &c.*

2. Missus datur: Ioan. 1. *Verbum CARO factum est.* Rom. 8. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne.* Quare 1. Tim. 3. *Manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu. &c.*

3. Homo conceptus, & natus est. *Mat. 1. Luc. 1.* & circumcisus, *Luc. 2.* Cuius & humana docetur genealogia. *Matt. 1.* Dumque moreretur, Centurio exclamauit, Mar. 15. *Verè hic Homo Filius Dei erat. &c.* Itaque Apoc. 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est accipere Virtutem, & Diuinitatem. &c.* Idem c. 13. Plura, vbi suprà.

QVÆSTIO XIII.

An B. V. Maria verè Mater Christi facta permanserit Virgo?

HÆRESIARCH. 1. SIMON Magus, Basilides & CERINTHVS, apud Bzou. anno 60 §. 1. diuidentes Christum à Iesv, Dei Genetricem Mariam, Matrem fuisse Iesv, non autem Christi, comminiscebantur: solumque IESVM crucifixum Christo se in Simonem Cyrenæum transformante, aut certè lictoribus subtrahente Testibus *Irenæo l. 1. c. 20. 11. Epiph. hær. 21. 24. Theodoreto l. 2. hær. fabul. c. 4. Ignatio epist. 8.*

2. NESTORIVS è contra, sub *annum* 428. §. 7. Eandem esse θεοτόκον abnegabat, solum Χριστότοκον affirmans: teste *Theodoreto l. 65.*

3. A-

3. APOLLINARIS verò ante hunc, anno 373 § 4. autor Antidicomarianitarum, teste *Theod. har. fab. l.* 4. iactantium in Arabia, V. Mariã post verbi genituram, Iosepho consuesse.

4. IOVINIANVS, è monasterio Mediolanensi apostata, ait *Hieron. l.* . apud Bzouium *anno* 382. §. 6. luxui deditus nuptias Virginitati æquabat: & cum HELVIDIO Deiparam post partum cum Iosepho coiuisse blasphemabant. Vtrumque verò S. Hieronymus stylo suo confixit ac iugulauit.

HEBIONITIS eandem tribuit hæresin *S. Aug. to. 6. l. de har. c.* 8. 10. qui Christum purum hominem vtroque de sexu natum fabulabantur.

LVTHERANI, præsertim Vbiquistæ, Mariam Virginem nec solam vtero gestasse Christum; nec ideo multum honoris ei tribuunt: quin virum admisisse post partum credi non valde vetant.

CALVINISTÆ similia; de vtrisque videre est testata in meo *Luthero c. q.* 37. 38.

PAPISTA. Non ego hic maria SS. Patrũ ingrediar: sed rẽ ipsam breuissime totã ex *S. Thoma. 3. q.* 28. perstringã. Isa. 7. *Ecce VIRGO concipiet*: ob quadruplicem conuenientiam.

1. Quia Diuini Patris reuerentiam ad patrem carnalem transferri non decebat.

2. Verbum omne in mente absque mentis corruptione concipiatur; potius Dei Verbum concipi oportuit ac edi absque vteri virginalis corruptione.

3. Quia Christi Humanitas in peccato concipi nasciue non debuit, quæ tollere peccatum venit.

4. August. l. de Virginit. c. 6. *Oportebat Caput nostrum insigni miraculo, secundum corpus, nasci de Virgine; vt significaret membra sua de Virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura.*

2. *D. Th. ib. a.* 2. In partu Virgo permansit. Conc. Ephe. *Natura post partum nescit vlterius virginem: Gratia vero & parientem ostendit, & matrem fecit, & virginitati non nocuit.* Isa. 7. *Virgo pariet filium:* Sicut conceptum mente editur Verbum absque mentis corruptione. Aug. serm. 6. de Nat. Dom. *Fas non erat, vt per eius aduentum violaretur integritas; qui venerat sanare corrupta.*

3. Virgo post partum. *Ibid. a.* 3. Iuxtã Ezech. 46. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* De qua S. Aug. serm. 14. de Nat. Dom. *Quid est porta in domo Domini semper clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est; Homo non trans. per eam: nisi quod Ioseph non cognoscet eam? Quid est, clausa erit; nisi quod Maria Virgo est ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum?*

4. Et quidem, ait Aug. lib. de Virginit. c. 4. *Annuncianti Angelo Maria respondit*: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? *Quod profecto non diceret, nisi prius se Virginem Deo vouisset.*

QVÆSTIO XIV.

Quo sit cultus genere veneranda Maria?

HÆRESIARCH. Dicti quæstione superiore hæresiarchæ, inimici Virginitatis ac Deiparentelæ Marianæ; eiusdem quoque honoris insectatores infesti extiterunt. Inprimis verò Nestoriani, Heluidius, Iouinianus, & Copronymus. &c.

LVTHERO-CALVINIANI, (præter ea, quæ in nostro *Luthero-cal. p. 1. q.* 38. recitauimus) *pugnauerunt contra me verbis mendacij*, Ps. 149. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes.* Præsertim Lutherus *in Postilla in conc. Nat. Mariæ.* Brentius *in Catech. ad 1. præcep.* Catholicos, de primo Decalogi violato per Mariæ cultum, accusat; ac eum ad idololatriæ scelus transfert.

Melanchton in respon. ad Clerum Colon. dam-

damnatis olim Collyridianis nos adnumerat. *Narrat*, ait, *Epiphanius suæ ætate mulieres in Syria statuam Mariæ circumtulisse, & ei liba obtulisse. Quem morem inter hæreses recenset, oppressum autoritate Episcoporum: quod esset ethnici furoris imitatio. Nunc magna pietas ducitur colere Mariam, inuocare, donaria libenter cumulare.*

CALVINVS in Ioan. c. 2. v. 4. Quid mihi & tibi mulier, *sic alloquitur, vt perpetuam sæculis omnibus doctrinam tradat, ne immodicus matris honor Diuinam suam gloriam obscuret.* Porrò *quam necessaria hæc admonitio fuerit, ex crassis fœdisque superstitionibus, quæ postea secutæ sunt, plus satis notum est. Facta est enim Maria Regina cœli, spes, vita & mundi salus. &c.* Vide in *Mendace Antipap. p. 1. q. 3.*

PAPISTA. Quanto honorificentius Machomet in Alchorano c. 25. Azoara 5? *Nullus nascitur de filijs Adam, quem non tangat Sathan, præter Mariam & eius Filium.*

2. LYTHERVS, quam vituperat, laudat eandem, in Comment. in Matt. *Eo ipso*, ait, *quod Maria Mater Dei est facta, tam ingentia ei dona sunt data, vt superent captum cuiuscuiusque. Hinc enim omnis honos ac beatitudo prouenit, vt in vniuerso genere humano vnica persona superior sit cunctis; cui nemo par sit: Quod cum cœlesti Patre Filium habeat communem.*

Ibidem in illud, Fecit mihi magna, &c. *Talis ac tantus honor in hac Matris nomenclatura continetur, vt maiora nemo de illa prædicare possit, etsi tot linguas habeat, quot flores terra, stellas cœlum. &c.*

3. CALVINVS in Harmon. Luc. c. 1. *Hodie celebrari nequit allata nobis per Christum benedictio; quin simul occurrat, quam honorificè Mariam ornauerit Deus, qui Vnigeniti Filij sui Matrem esse voluit. Felix Maria, quæ promissionem Dei amplexa, sibi, totique mundo Salutem concepit ac peperit.*

4. BVCERVS in exposit. c. 1. Mat. *Pius animus de Maria Vase tam sancto atque electo, vt Christum nobis pareret; non nisi sanctissima cogitabit.*

Hisque ampliora Bullingerus in serm. de B. V. Maria. Tanta vis virtutis est Marianæ; vt tanta veritatis quæ vel ab inuitis, etiam hæreticis, extorqueatur in suam ipsorum confutationem atque confusionem!

EGO tamen ipsis hic pauca reponam.

1. Tenemus primum Decalogi; neque tamen honori Dei per Deiparæ Sanctorumque cultum derogamus quicquam, quin eò amplius adijcimus; dum per honoratissimam à Deo, in Deum Deiparæ transmittimus honorem. Quippe Rom. 2. *Gloria & honor omni homini operanti bonum*: quantò magis Deiparæ?

2. Alienos illi colebant deos, qui dicebant, Ierem. 44. *Faciamus vota nostra, quæ vouimus, vt sacrificemus Reginæ cœli*, Lunæ sc. *& libemus ei libamina.* Sicut Collyridiani panes, tortulas Mariæ, ceu Deæ, per scelus idololatriæ, libabant. Quâ re nobis impietatem Melanchton per calumniam imponit, &c.

Vide *Bzouij conc. 1. & 19. in salue Reg.* disertissimè ac solidè plura.

Manet istud: Sola Deo soli Latriæ hyperdulia Humanitati Christi, Virginique Matri; Sanctis cæteris Dulia debetur.

Plura forte alibi, cum de Sanctorum cultu dispiciemus. Quamquam copiosa cum breuitate, plurima paucis simul executus hac super re & causa, in mea *Claui prædicandi Rosarium lib. 1. c. 13. 14. 15.* quo Lectorem remitto. Nunc ad Christum reuertamur.

QVÆSTIO XV.

An Christus verè sit in Corpore vero passus?

Huc

Huc faciunt quæstiones supra 12. an Christus verus Homo: & 13. an Deipara verè Christi Mater sit. Quare isthic productos hæresiarchas hic in scenam reducere nil attinet. Nam qui Christum verum fuisse Hominem negarunt; qui merũ affirmarunt: qui B. Mariam Christiparam, non Deiparam, audire debere voluerunt: iidem quoque verè passum abnegarunt Christum.

Vt sunt *Simoniani, Basilidiani, Cerinthiani, Nicolaitæ, Ebionitæ, Apollinaristæ, Gnostici, Marcionitæ, Photiniani, Nestoriani, Eutychiani, Sabelliani, Iouinianistæ, Heluidiani*, &c. Prò monstra!

LVTHERO-CALVINISTAS verò nostros istorum esse, quam videri similes voluisse, satis ostendi in meo *Luthero-cal. q.* 35., 6. 41. quo Lectorem voco.

PAPISTA. Quod infelici æuo superiore tot è, nescio quo, lernæo lacu, lechæoue stagno enatæ extitere hæreses, hodieque limphatæ furenter insaniunt in mundo nihil sano; quæ *Veritatem præsentiæ Corporis ac Sanguinis Domini in SS. Eucharistia* negantes eam, tota vi oppugnarent; reor hic facilè cuique liquere, vnde tanti erroris, an furoris, manarit origo.

Nimirum *Veritatem in Persona Corporis Dominici, ac vel Hominis, vel Dei, è Maria Virgine nati, passique Redemptoris*, minimè satis credebant.

Neque tamen damnatarum olim hæresium vulgò profiteri apertam impietatem ausi, quòd aures Christianæ ab tanta blasphemiarum immanitate abhorrerent.

Eandem autem ipsissimam *VERITATEM Hominis Dei Christi in Eucharistia* Neophyti hæretici & negarunt, & impugnarunt, & blasphemarunt; quam prisci illi hæresiarchæ *in Persona Domini* abnegauerant.

Nimirum hoc orbi deerat Christiano, vt sicut Maiores ipsorum circa Personam Christi excidentes, hæresiarcharum sibi nomen inuenerunt; sic Nouatores nostri circa Eucharistiam naufragantes apostatæ, nouos sese facerent hæresiarchas.

Et facti sunt: heu nobis; væ illis!

Atque vt prædictorum nomina portentorum declinarent, tot retrò sæculis condemnata & exosa; sua istis nouitia adiecerunt nominibus tenus Nouatores; at rebus ipsis priscorum Renouatores errorum.

QVOS equidem sat superque refutasse arbitror; fontes eorum atque progenitores archihæreticos appellasse de Nomine; de Re ac hæresi reuelasse; de Anathematizatione publicis ac communibus Christiani orbis vniuersi suffragijs atque sententiis facta, conuictos demonstrasse. Accedit, quòd suprà *quæstion.* 12. *&* 13. & in *Luthero-caluin. quæstion.* 35. 36. 41. nostratium hæreticorum reddiderim sententias; ac simul antidota subiecerim sana accerta.

Neque hìc alia ab istis adiicere plura sinit propositum breuitatis.

* * *

IV. DE CHRISTO PASSO.

QVÆSTIO XVI.

Quæ in Passione Christi fuit Animæ conditio?

I. HÆRESIARCH. APOLLINARIS *anno* 349. §. 5. *apud Bzouium*, Laodiceæ docere cœptauit, Christum Diuinitatem loco Animæ habuisse, vt qui propria caruerit anima; solo corpore ex Virgine assumpto; ac proinde in Diuinitate quoque passum oppetiisse mortem. Vnde S. Greg. Nazianzenus exprobrans ei dixit: *Tu Sarcolatra es; equidem Anthropolatra sum: Tu Animam in Christo negans semihominem asseris.* Anno 373. In Conc. Romano recitati illius articuli sunt anathematizati.

De GNAFFAEO hæretico Theopaschita vide suprà *q.* 7.

LVTHERO-CALVINISTAS esse Psychipaschitas, asserentes Animam Christi pœnas inferni pertulisse, Vide in meo *Luthero-c. p.* 1. *q.* 42. 43. & 52. Esse & Theopaschitas vide *ib. q.* 16. & hic suprà *q.* 7. & vlteriorem nil opus demonstratione est.

Solum hoc nondum asserunt; Diuinitatem subire locum animæ in Christo. Sed eo deteriores sunt, quòd *Christum, quam in corpore, plus passum in Anima, inque Diuinitate blasphement.*

PAPISTA. Christum in Diuinitate passum ac mortuum; itemque in Animâ, & eâ ab exordio beatâ; tam Christianis accidit auribus horrificum; vt vix dum illius blasphemiæ refutationem ferre satis valeant. Equidem tum citatis iam locis; tum hisce subiunctis nō pauca hanc in quæstionem disserui; vt in meo *Luthero-cal. p.* 1. *q.* 45. an de salute sua dubitarit Iesus: Et *q.* 48. an de sperando peccârit: & *q.* 49. 50. & 52. Quocirca pijs hic auribus parcere constituj; Quibus libuerit, indicium facio, vnde compendio requirant.

II. HÆRESIARCH. Origenes, lib. 1. Periarchon c. 8. to. 4. teste S. Hier. epist. ad Auitum, abilla quondam, in cæteris, hæresi infamis damnatusq; fuit; quod diceret: *Esse in inferno, nil aliud esse, quam iratum timere Deum.* Cuius similia monstra configunt Bzouius *an.* 397. §. 1. & *an.* 538. §. 5.

LVTHERO-CALVINISTAS ipsum idem peruicaciter declamare, vt cœlum à blasphemis eorum vocibus exhorrescere videatur; compēdio collectum reperies in meo *Luthero-ca. q.* 52. & 57. vbi porrò assignata alia accipies loca, quibus illud luculentius enarramus.

PAPISTA. Multa sunt ac varia, quę de inferis Pagina Sacra prodit, Sanctique Patres confirmant, ac prædicat Ecclesia: profunda, quæ altissime Scholastici perrimantur: qualia sunt: An, Quid, Vbi, qualis sit infernus? Qui, quales, quanti inferi? Quæ, quales, quantę, quam variæ pœnæ? Harum quis timor, quæ necessitas, qui cruciandi modus? Pœnarum quæ virga, calices, mallei, ignes, tenebræ, fames, sitis, frigora, flagra, furiæ, linguarum commasticationes. &c.

Quæ pœna sensus, quæ damni; quæ talium æternatio, iustitia, infelicitas. &c.

Hæc inquam ad vnum referre ac interpretari Numen iratum, ad Metum conscientiarum; hoc opus, hic labor fōret, isque nouus Dis, Orcique Magister, tale qui vel attentarit. Plane necesse est, nouos Originistas Luthero-caluinianos consequenter fingere, & prædicta suo cum errore proposito conciliare. Ex quo quantam S. Scripturis Orciloquis & pœnicrepis sint confusionem, omniumque perturbationem, ac euersionem Bibliorum illaturi, nemo non

non videt, planequè intelligit. Adhæc, instantium timor est; præsentium verò sensus: cum sit autem damnatis dolor & cruciatus semper præsens; esse in inferno, dici potius oporteret, esse discruciari a Tortore Deo, tortorem Odisse, desperare quietem. &c.

3. Deinde Infernus dicitur Chaos, regnum tyrannicum, cuius membra dæmones, serui Damnati. &c. Isa. 24. *Congregabuntur in vnum LOCVM, & claudentur ibi in Carcerem*, 2. Pet. 2. *in Tartarum*, Luc. 12. *in gehennam*. Mat. 13. *in caminum ignis*. Mar. 9. *in ignem inextinguibilem*. Mat. 8. *in Tenebras exter. &c.* Sic Lu. 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno*. At Christus Ps. 106. *Contruit portas æreas, & vectes ferreos confregit*. Quæ timor dici nequeunt.

4. Postea *Cum contraria sint contrariorum consequentia*, qui infernum esse Timorem fingunt; quid esse beatorum felicitatem comminiscentur? Spem timori contrariam? At *spes*, Prou. 13. *quæ differtur, affligit animam*; sicque eadem infelicitatem pareret in ipsa felicitate.

5. Adhæc Numinis irati metum quis incola terræ, mortalisque vitæ hospes, non metuit? Cum, 1. Pet. 4. *iustus vix saluabitur, impius vbi parebit*? Cum vel ipse iustissimus *nescit, timore an odio dignus sit*; dicaturque *Beatus vir, qui est semper pauidus*; plane iustos, & beatos simul dicere infelices, damnatosque necesse est, eò, quòd iratum pertimescere Deum necesse habeant: Ipsi in terris agentes, agere simul infra terram in tartaro dicendi forent. Quæ voluntaria quidem insania est.

6. Ad vltimum Origenis tanta fuit in Ecclesia viuentis autoritas, vt ea pene vniuersa, ad illius obstupefacta miraculum ingenij, scientiæ, eloquentiæ, conuersationis ac vitæ, ab vno penderet. Verum is denique fidentior sui in superbiam elatus Ecclesiæ temnere simplicitatem cœpit; hocque in spiritu, quæ allubescebat, in Scripturarum interpretatione monstra confingere noua, Cui contrarius Ecclesiæ Deique spiritus iustum intorsit fulmen anathematis, eumque confodit.

Periculosus Doctor; Vt vera S. Hier. ad Periarchōn librum censura dicat esse talem, *Vt, qui in Trinitate Catholicum legeret, in alijs hæreticum non caueret*. Et Cassiodori de Institut. diuin. lect. sententia de Origine sit: *Vbi benè, nemo melius: Vbi malè, nemo peius*. Eius articulorum ac errorum prodigia ibidem recenset pauca S. Hieronymus, vt *de Angelorum ruina, animarum lapsu, de mundis Epicuri, præstigiis resurrectionis*. &c.

Vigilius Papa ad instantiam Orientis Ecclesiæ, anno 538. tum ista, tum & hæc damnauit; *Christi animam, vt omnium animas, præexistisse ante corpora; Corpus Christi solum in B. Virgine prius formatum fuisse, dein additum animæ, demum vnitum Diuinitati*; à qua seiunctum Christum exhorruisse tartara finxit Origines Allegorista & speculator.

QVÆSTIO XVII.

An Christus è Limbo Patres eduxerit in cœlum Subter aram?

HÆRESIARCH. TERTVLLIANVS l. 4. in Marcionem. *Eam regionem Sinum dico Abrahæ, etsi non cœlestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium*

prabituram animabus iustorum; donec consummatio rerum, resurrectionem omnium, plenitudine mercedis expungat: Tum apparitura cœlesti promissione. &c. Limbum exhaustum negat, ait etiamnum augeri animarum accessu.

VIGILANTIVS apud S. Hier. lib. contra Vigil. *Ais, Vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, Vel subter aram Dei animæ Apostolorum & Martyrum consedisse; nec posse suis tumulis, & vbi voluerint, esse præsentes. Senatoria videlicet dignitatis sunt; vt non inter homicidas deterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia, in fortunatorum insulis & in campis Elisæis recludantur.*

Tertullianus damnatur anno 213. §. 7. &c. apud Bzon. Vigilantius anno 406. §. 6 &c.

CALVINISTA. 1. Caluinus Inst. l. 2. c. 16. §. 9. *Illa de Limbo fabula merè est. &c.* Vide meum *Luthero-calu. par. 1. q. 56.*

2. Idem Inst. l. b. 4. c. 25. §. 6. *Stultum & temerarium est inquirere, quo in loco sint animæ iustorum, an gloria fruantur, nec ne. &c. Contenti simus, militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, vbi cũ felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ exspectant.*

3. Si quæras, *Vbi fuerint ante Christi mortem animæ Iustorum* Respondet Caluinus in Psychopannychia, Beza lib. contra Brentium de Christi Maiest parte 2. Vbi de ascens. agit. *Fuisse in cœlo, licet non viderint Deum; nec ante iudicij extremi diem visuræ sint.*

PAPISTA. 1. *Mentita est iniquitas sibi.* Ps. 20. Veritas ita docetur à Sancto Hieronymo ibidem.

Tu Deo leges ponis? Tu Apostolis vincula injicies, vt vsque ad diem iudicij teneantur custodiâ, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est, Apoc. 4. *Sequuntur Agnum, quocunque ierit.* &c.

2. Deinde *Cum dæmones toto vagentur orbe, & vbiq. præsentes sint celeritate nimia; Martyres post effusionem Sanguinis Arâ operientur inclusi, & inde exire non poterunt.*

Hinc teste S. Gregorio lib. 4. Dialog. mortui multi viuentibus apparuerunt. Sed hoc interest inter Sanctos & damnatos, ait *S. Tho. 4. d. 45. q. 1. a. 1. q. 3.* quod sancti, cum voluerint, apparere possint: non item damnati. Plura vide in *Antichristo meo p. 1. q. 14.* Et in *Luthero-cal. p. 1. q. 55. 56.*

3. Adde: Phil. 1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Ex quo sic arguit S. Greg. lib. 4. Dialog. *Qui ergo Christum in cœlo esse non dubitat; nec Pauli animam esse in cœlo negat.* De quorum neutro dubitat quisquam Christianus. Atqui negat etiam Caluinus: De S. Paulo? Quin et omnibus S.

QVÆSTIO XVIII.

Quatenus IESVS Christus Mediator sit Dei & hominum?

1. HÆRESIARCH. NESTORIVS duarum in Christo Personarum inuentor, in plures ex vno iam præstitit errores damnatos singulos anno 430. vt *Verbi & carnis vnionem esse secundum dignitatem, non iuxta naturalem Vnionem: Christum esse hominem Deiferum, non Deum; B. V. Mariam esse Christiparam, non Deiparam: Verbum esse Christi Deum: Christi hominem Verbi actum, & hoc illi inhabitasse: Duplice, non vna Christum adoratione colendum. Christum miracula operatum ex vi Sp. Sancti non sua Dei: Christum se Patri sacrificasse pro seipso homine mero:* Sicque deinceps Opera Redemptionis Mediatoria soli tribuere Humanitati Christi, Nestorianum est.

LVTHERANVS Franc. Stancarus dictam innouauit hæresin. Vide in *Luthero-c. q. 64.*

PAPISTA. Mediari proprium est Christi; estque extrema vnire duo in medio vno, sc. Deum & hominem in pacem repositos reconciliare: Id quod Christus ex seipso, vt Sacerdos & victima, præstitit Redimendo nos, facta de suo satisfactione Patri ac Supplicando; & benefactis promerendo: omnia quà homo; sed Vnitus Deo. Itaq; Mediator est principalis: Ministratorij sunt Angeli, Cœlites, Sacerdotes. Is n. extrema sol s vnire valuit, vtpote medius: Non qua Deus est: nam sic ipse alterum est extremorum; nec quà homo peccator: sic enim rursum alterum fuisset extremum: Ergo quà homo iustus Essentialiter, non Accidentaliter solum vt sancti

cæte-

cæteri. Heb. 7. *Hic enim quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis. TALIS enim decebat, vt nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* &c. Ecce vere Medi⁹. Vnde & S. Aug. l. 1. Trin. c. 7. *Christus in forma Dei, æqualis Patri: in forma serui, Mediator est.* Idem l. 1. Confes. c. 43. *Christus in quantum Homo, Mediator: in quantũ Verbum, non est medius; quia æqualis Patri.*

II. HÆRESIARCH. Eutyches, præses monasterii Constantinopoli. prædicabat anno 448. *Ante factam Vnionem in Christo duas fuisse naturas: vnam vero post vnionem.* Ecce Arius *solam Animam hominis*, Apollinaris *solum Corpus assumptum* confingebat: Eutyches, *mixtum cum Diuinitate*: ideoque & *idiomatum secutam communicationem; ipsamque Diuinitatem passam, mortuam, &c. ac Mediatricem esse ad, ac Humanitatem Deificatam.*

LVTHERANOS pariter ac CALVINISTAS eadem illa adstruere, tametsi alios aliter: Humanitatis quoque Deificationem Vbiquitarios præcipue; pluribus supra quæstis est demonstratum Quin & ipsam Diuinitatem esse Mediatricem clamant. Vide in *Luthero-cal. p. 1. q. 27. 64. & 69.* & in meo *Antichristo. p. 1. q. 16.*

PAPISTA. Agite Luthero-caluinicolæ; quæro cum S. Cyrillo in Apologia pro XII. capitibus.

Si Deus Verbum est Sacerdos; cui, vel quali Deo suum ministerium offert? Respondet. *Quando factus est Homo, vocatus est Pontifex: non quod maiori Deo offerret sacrificium; sed sibi ipsi & Patri;* quà homo, non quà Deus. Aug. l. 2. de pec. orig. c. 28. *Inferior Patre; quia in forma serui: Superior nobis, quia sine labe peccati: ac ideo Mediator est.*

NOTA 1. Cum in Scripturis dicitur *DEVS nos reconciliare per Christum; Pacificare per Sanguinem eius; Exhortari per suos:* non ideo Diuinitas est Mediatrix: quia si quis perseipsum sibi reconciliat inimicum, non est Mediator; quod non sit inter duos medius, sed alter. Itaque omnis Mediator est Reconciliator; non contrà.

2. Similiter Renouare corda, dare Sp. Sanctum; meritoriè, solius Mediatoris est: At gratuitè, Dei est.

3. Quod autem Caluinus *epist. ad Polonos* ait, Christum dici Caput Angelorum & hominum ante lapsum, quà Mediator est; id fingit cum Ario, Dei Filium faciente Ministrum Patris.

Quia, quà Deus, tunc erat Caput Angelorum: postea verò etiam, quà homo, factus est Caput vtriusque Ecclesiæ, Militantis æque ac Triumphantis vniuersæ; & sic perennat.

QVÆSTIO XIX.

Qualis, & qualiter resurrexit IESVS?

HÆRESIARCH. 1. Saducæi, ab Sacerdote Sadoch orti, teste Iosepho *lib. 18 c. 2. & Epiph. lib. 1. Panar. c. 14.* dicebât, *Non esse resurrectionẽ mortuorum, neque Angelum, neque Spiritum, Animasque simul cum corporibus extingui.*

2. BASILIDES Alexandrinus, *anno* 120. Negauit *Christi crucifixionem & resurrectionem; quòd Simon Cyrenæus fuisset in Christum transformatus ac affixus cruci:* item, inuoluntaria & ignorantiæ tantum peccata; non omnia, dimitti: Salutem corpori promissam soli; Fidemque naturalem esse.

3. VALENTINVS, *anno* 142. §. 9. & Cerdon, *anno* 146. Seueriani *anno* 171 §. 9 demum Originistæ *anno* 393. §. 2. eundem innouatum errorem propagarunt negãtes corporum resurrectionem. Vide Bzou, annis adnotatis.

LVTHERANI, 1. Vbiquistæ solum volunt *apparẽter exisse sepulcro, qui inuisibiliter vbiq; existebat.*

2. Cæteri fabulantur, quòd *Caro Christi seipsam excitauit*. Et *Petri, quam Christi, pene mirabiliorem esse resurrectionem; certe discrimen nullum.*

3. CALVINVS negat, quod *seipsum Christus in vitam reuocauit; Patris interuenire operam oportuit.*

4. MARTYR: *Angeli indigebant auxilio, qui lapidem remoueret. &c.* Vide meum *Luthero-calu. p. 1. q. 66.* Et *Antichristum q. 17.*

PAPISTA. Quatuor hic in quæstione vocari videntur: An, Qualis, Quatenus, Quare resurrexit IESVS?

1. An? Luc. vlt. *Oportebat Christum pati & resurgere à mortuis.*

1. Ob Iustitiam Dei, vt qui humiliarat se, exaltaret eum.

2. Ob Fidem. 1. Cor. 15. *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.*

3. Ob spem. Iob. 19. *Scio, quod Redemptor meus viuit.*

4. Ob mores Rom. 6. *Quomodo Christus resurrexit per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.*

5. Ob salutem nostram. Rom. 4. *Traditus est propter delicta nostra; & resurrexit propter iustificationem nostram.* Ista D. Th. 3. q. 53. a. 1. Itaque 1. Cor. 15. *Christus surrexit à mortuis, primitiæ dormientium:* Glossa: *Quia prius tempore & dignitate surrexit.*

Et quidem ibid. art. 4. Sibi ipse causa resurrectionis fuit, idque per virtutem vnitæ Diuinitatis cum Corpore & Anima. Hinc 2. Cor. vlt. *Etsi crucifixus est ex Infirmitato nostra Sed viuit ex Virtute Dei.*

2. QVALIS? Respondet *D. Th. 3. q. 54. a. 1.* Vero cum Corpore. Quia vera, & non apparens solum, fuit resurrectio. Vnde existimantibus *se spiritum videre,* dixit, Luc. vlt. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere:* quod ad omnem spiritus nutum paret spiritale, & glorificatum, in omnem locum, figuramque sequax; prout spiritus voluerit. *Item art. 3.* Idem quoq; gloriosum surrexit ita, sicut Phil. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum Corpori claritatis suæ.*

Idem surrexit, *art. 4.* Integrum ad perfectissimam naturæ humanæ integritatem; vt Necessarium quoque S. Sanguinem profusum, (etsi non item Nutrimentalem omnem) resumpserit totum: vt quicum Diuinitas inseparabiliter manserit hypostaticè adunita.

3. QVATENVS resurrectionem manifestauit D. Tho. 3. q. 55. ex Act. 10. *Dedit eum manifestum fieri Non Omni populo, sed Testibus præordinatis à Deo.* Idque Act. 1. *Per XL dies in multis argumentis, loquens de regno Dei.*

Quò dicere possent, 1. Ioan. 1. *Quod vidimus, & audiuimus, & manus nostræ contrectauerant; hoc testamur.*

4. QVARE? Ad resurrectionem nostram. &c. Vide *Diu. Thom. 3. quæstion. 56.*

CAPVT *sua Membra sequuntur;* CHRISTVM *Beati. De hisce igitur porrò disquiramus, ordine sic reposcente Ecclesiæ Triumphantis.*

V. DE CVLTV SANCTORVM.

QVÆSTIO XX.

An Sancti in cœlis degant cum Christo beati? Et vnde censeantur beati?

I. HÆ-

I. HÆRESIARCH. Ante extremum Iudicii diem beatitudinem Sanctis abiudicarunt Tertullianus, Vigilantius & Armeni, Guidone teste *in Summa de har.* & Græci apud *D. Tho. Opusc. 6. c. 9.*

DE LVTHERO-CALVINISTIS vide *supra q.* 17. & in *Luthero-c. q. 67. & 73.*

PAPISTA. Scripturæ sacræ sensu, consensuque standum perpetuo Ecclesiæ est. De Scripturis vide in meo *Antichristo p. 1. q. 21.* Consensus Ecclesiæ constat Tum à SS. Patribus orbis vtriusque Christiani, apud Bell. *l. 1. de Sanctis. c. 4. & 5.* Quique ibidem, c. 3. videntur Sanctis felicitatem Deique visionem abdicere; ij omnino de consummata illa, post sæculi consummationem futurâ, loquuntur.

Tum etiam duo Generalia sic statuere Concilia, Florentinum, & Tridentinum sess. 25. Sic & Papæ, vt Innocentius III. Benedictus XII. Huius prædecessor Ioannes XXII. Senfit aliquando contrarium; sed vt Doctor; definiuit nihil, quin successoribus suis suam submisit sententiam. Qua in causa vide mendacia Caluini quina in meo *Mendace Antipap. p. 1. q. 5.*

II. HÆRESIARCH. Ioannes VVicleffus, plurium conditor parensque hæresion, teste Thoma VValdensi; tom. 3. de Sacram. l. 1. c. 122. dixit, dum in Sanctorum Album refert aliquos Pontifex, eum *errare non minus posse, quam Presbyterum Ioannem Regem Aethiopiæ, vel Turcam, aut Sultanum.*

LVTHERVS & CALVINVS, cæterique Nouatores hunc gnauiter sunt imitati: vt in parte 2. patebit infrà. Item Pet. Martyr & Aretius in 1. Cor. 1. dici non ferunt Sanctos seu cœlites, seu Purgatorios.

PAPISTA. 1. Si hac in re fallere, falliue posset Ecclesia, iam, 1. Tim. 3. *Veritatis columna* rueret; nutaret, Eph. 4. *firmamentum* suam desereret *Sponsam* Christus: Nec, Ioan. 16. *omnem* necessariam *Veritatem doceret Spiritus S.* Nec in Successoribus suis Petrus *pasceret oues suas* pabulo necessariæ certæque salutis.

2. At verè de Sanctorũ festis S. Bern. Epist. 174. ad Lugdun. ait: *Quæ accepi ab ecclesia, securus teneo, & trado.*

Et S. Aug. epist. 118. c. 5. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia; quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

3. Accedit diligentissima, quæ in canonizandorum vitam, mores, dicta, factaque fit inquisitio, Deique per ieiunia precesque publicas reconciliatrix inuocatio; vt de canonizato dubitare fas sit nemini, quin sit inuocandus: ergo minus an sit Sanctus.

4. Adhæc tenemur obsequi Papæ, dies festos indicenti: Ergo & Sanctos declaranti credere tenemur. Neu pro Sanctis orando, ipsis iniuriam irrogemus. Nam, ait August. ser. 17. de Verb. Dom. *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro martyre.*

5. Credemus historiographorum narrationi; non crederemus summi Pastoris declarationi? Præsertim attestantibus miraculis, & accuratissima singulorum præuia attestatione facta?

Obiiciunt ex Augustino: *Multorum corpora honorantur in terris; quorum animæ torquentur in gehenna.*

1. Sed hoc vbi habet Augustinus? Sit tamen cuiuscunque Christiani;

2. Verum est de monumentis Alexandri, Cæsaris, &c. similiumq; mausoleis & pyramidibus.

3. Verum est & de Luthero; cuius vasta & crassa statua in Francofurdiano mercatu fuit spectaculo; quam non nisi pre-

pretio annumerato ſpectare licebat.

4. Quid? Sturmius de famato Lutherano ſcripſit ad Caluinum: *Vſque adeo* φιλολȣθηρος *eſt, vt vel crepidas eius adorandas putet.* Quin ipſe Lutherus in Colloq. menſal. vaticinatus eſt, *ſuum à ſuis oletum olim adorandum fore.* Prô propudium beſtiæ!

Quid, quod idem quoque Melanchtonem *canonizarit.*

Vide plura talia in meo *Luthero-c. p. 1. quæſt. 74.* inque *Mendace Antipap. parte 1. quæſt. 5.*

III. HÆRESIARCH. 1. BOGOMILI, Sanctos appellari vetabant cum præfatione Sanctitatis: ſed dici Petrum, Paulum, Laurentium.

2. Michaelus Imp. in Miſcellaneis vetuit pictis ſculptisue Sanctorum imaginibus ſubſcribi *Sanctus* Specietenus, quòd is ſolius eſſet Dei titulus.

3. Succeſſores ac hæredes impietatis eiuſdem fuere Iſauricus, & Copronymus Iconomachi.

LVTHERO-CALVINISTÆ cum peregrè ferant ſanctiſſimum Dei Nomen IESVS: quem admodum ferant illud Diuorum *Sanctus*? Vide in meo *Luthero-c. p. 1. q. 74.*

PAPISTA. Ibidem abundè reſponſum; fauente Apoſtolo, Hebr. 13. *SANCTI mei vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones in Chriſto IESV.*

QVÆSTIO XXI.

An, & qualis Cultus ac Inuocatio Sanctis debeatur?

I. HÆRESIARCH. Sanctorum Cultum abrogandum cenſuerunt olim & impugnarunt complures: vt *Euſtathius*: apud Socratem lib 2. hiſt ca. 33. qui ſemiarianus Epiſcopatu deiectus Macedonio adhæreſcebat, anno 365. damnatus eſt.

Succeſſit ei *Manes, Eunomius & Vigilantius* in hæreſi, apud S. Hieronymum: Deinde alii; demum *VVicleffus* apud Thomam VValdenſem, tom. 3. de Sacrament. tit. 13.

LVTHERANI & CALVINIANI ſopitos ſuſcitant ignes, damnatæque ſæpius hæreſios cadauera ex orco refodiunt.

PAPISTA. Abrogare contendunt Sanctorum Cultum; quem derogare Deo non docent.

At *nos*, ait ante 1400. annos Iuſtinus in 2. Apolog. *& Deum, & eius Filium, qui venit, nosque hæc docuit; & aliorum ſequentium ſimiliumque Angelorum bonorum exercitum colimus & adoramus, verboque & re, ſeu veritate veneramur. Idque omnibus, qui diſcere volunt, vt docti, inſtitutique ſumus, copiosè TRADIMVS.*

Theodoretus l. 8. *Suos mortuos Deus in templa pro Dijs veſtris induxit: Ac illos quidem caſſos gloria, vanosque reddidit; ſuis autem Martyribus honorem illorum dedit*: talem, inquam, qualem in meo Luthero-calu. p. 1. q 75. docui.

Atque vt ait S. Hiero. epiſt. ad Riparium, *Honoramus ſeruos, vt honor ſeruorum redundet ad Dominum.*

Quod igitur ethnicis; Angelorum cultum exprobrantibus reſpondit Aug. in Pſ. 96. idem & nos Hagiomachis noſtris: *Vtinam & vos illos colere velletis: Facile enim ab ipſis diſcetis, non illos colere vt Deos; ſed vt Sanctos.*

II. HÆRESIARCH. *Collyridiani* docebant, Deiparam non ſecus, ac Deum inuocandam eſſe, teſte Epiph. *hær. 78. 79. Vigilantius*, teſte S. Hieronymo *l. contra ipſum*; aiebat: Nullius poſt mortem preces pro altero exauditi, nec mortuos orare pro viuis Ideo nequicquam inuocantur. *Euſtathius* baſilicas martyrum & reliquias contemnebat: de Inuocatione nil ex eo conſtat.

Hos imitati ſunt Henriciani, Apoſtolici, VValdenſes, VViclef, Thaboritæ, Huſs. VVicleffi vox erat: *Licita inuocatio eſt; ſed inutilis eſt. Stultum adire ſcurras principis; hoc per ſe ad audiendum inclinatiſſimo. Stultum, turbidos ſectari riuos; fonte cuiuis patente.*

LVTHERVS *in Li. ad VValdenſes*: Melanchton *in Apolog. a. 21. Conf. Aug.* Brentius *c. 24. Conf. VVirtemb.*

CAL-

CALVINVS *Inst. l. 2. c. 14. §. 12. & l. 3. c. 20. §. 20. &c.* Hi tria docent.

I. *Mortuos pro viuis orare non constat ex S. Scriptura, esseque incertum.*

II. *Si orent, orare solum in genere pro Ecclesia; pro nemine singulatim.*

III. *Sanctos inuocare, esse Inutile; quod auris non habeant tam longas: Esse illicitum, quòd gloria Christi Mediatoris obscuretur.*

PAPISTA. Hoc vniuersè tenendum est, iustè, licitè, & sanctè orari Sanctos, vt orent pro nobis per IESVM Christum apud Deum; quibuscunque verbis quis vtatur. Nec enim de verbis, sed de verborum sensu agitur. Vt si ores, S. Petre miserere mei, salua me, sana, da patientiam. &c. subaudi, pro me orando Deum.

Nam sic & Paulus, Rom. 11. *Vt saluos facerem aliquos ex illis.* 1. Cor. 9. *Vt omnes facerem saluos*; non vt Deus, sed vt seruus.

2. Tres personæ necessariò attenduntur in omni Sanctorum inuocatione: DEVS, qui adoratur; CHRISTVS, per cuius merita oratur: Sancti, quorum intercessio petitur ad Christum. Vnde Aug. in Psal. 108. Oratio eius fiat in peccatum: *Oratio*, ait, *quæ non sit per Christum, non solum non potest delere peccatum; sed etiam ipsa fit peccatum.* Vnde preces Ecclesiæ omnes rogant *intercessionem Sanctorum per Christum Dominum nostrum.*

3. Istud Colos. 2. *Nemo vos seducat volens in humilitate Angelorum, quæ non vidit. &c.* damnare intendit hæresin Simonis Magi, qui cum Platonicis docuit, quosdam Angelos, vt Deos minores, adorari oportere; vt qui mundum fabricarint, per prophetas locuti sint. &c. AT hæc idololatria est, aut Magia, de hac Irenæus *l. 1. c. 20.* Tertul. *de præscript.* Epiph. *in Simone.* &c. Damnatur in Conc. Laodic. cap 35.

QVÆSTIO XXII.

Quis Honor est RELIQVIIS debitus Sanctorum?

HÆRESIARCH. 1. EVNOMIVS anno CCCLX. anabaptismi inuentor, Reliquiarum sanctarum contemptor, non Christum fuisse, sed esse Deo se similem asserebat, vt qui Dei substantiam intimè pernouisset: miracula verò Diuorum meras dicebat præstigias esse. 2. Huic in contemptu SS. Reliquiarum successit Vigilantius, teste S. Hier. dicente Tertul. olim contra eandem hæresin Gnosticorum librũ Scorpiacum euulgasse. 3. Deinde sub annos 764. &c. Const. Copronymus Impp omnes vbique deleri iussit Reliquias Sacras; teste Suida in vita illius. Fortè quod ex Iudæorum & Samaritanorum hæresi iudicarent omnia corpora immunda. VVicleff, & supradicti. *qq. 20. & 22.* eadem lue laborarunt.

LVTHERVS *serm. de Cruce, Reliquias, vt Fidelium seductiones, altissimè sub terram abscondendas iudicat.* Sic & Magdeburgenses *Cent. 4. c. 6.* &c. Vide in *Mendace Antipap. q. 7.*

CALVINVS lib. de necessit. reformandæ Eccl. idem vrget his argumentis.

1. Quia *Deut. vlt.* Deus abscondit corpus Moysis, ne à Iudæis adoraretur.

2. Quia, 2. *Cor. 5. Iam non nouimus Christum secundum carnem*: minus Christianos mortuos.

3. Quia *Col.* 2. damnat omnem cultum arbitrarium, id est, non à Deo institutum: at talis est reliquiarius. 4. Quia desiderium reliquiarum est mater idololatriæ; nam earum veneratio est Christi exhonorificatio. Hinc obiicienti Vigilantio cereorum accensiones ad sepulchra, solum hoc respondit S. Hieronymus; id muliercularum esse, quæ zelum habẽt, non scientiam. 5. Quia suppositiciæ sunt pleræque reliquiæ. Demum Caluinistæ, vbi possent, reliquias exurunt: velut & Ethnici.

PAPISTA. Quã sancta Deo in lege Veteri, & in Noua Christo, fuerit reuerentia Reliquiarũ; noster è S. Scripturis docet *Antich. p. 1. q. 23.* Quã eadẽ Fidelib. digna sit & iusta, meus demonstrat *Luthero c. p. 1. q. 78.* Quã calumniose traducta proscindatur ab hæreticis, meus *Mendax Antipap. p. 1. q. 7.* verissime docet. Cæ

terum hoc loci argutatiunculas omnino futiles refutare non dedignabor.

Ad I. Quid si dicerem Moysen non mortuum, nec sepultum; sed translatũ cum Henoch & Helia? Ita S. Hilar. *in c. 17. Mat.* Ambr. *l. 1. de Cain. c. 2.* Greg. Nyss. Sed cedo Ruperto *in Deut. vlt.* & Philoni, id solidè refellentibus. Probabilius; fuisse glorioſe à Domino sepultum, ait Oecumenius *in epist. Iudæ*: & occultatum; ait Chrys. *hom. 5. in Matt.* ne pro Deo coleretur; Vt cultus est, 4. *Reg.* 18. æneus serpens, qui signum duntaxat fuerat salutis.

At apud Christianos nunquam vel auditum est, Sanctos, eorumque reliquias pro Deo cultas fuisse.

Ad II. *Non nouimus Christum secundum carnem* mortalem; sed immortalem: & quæ in mortali gessit sancta, sanctè recolimus; Ceu iussi, 1. Cor. 11. *Mortem Domini annunciabitis.* Hebr. 12. *Recogitate eum, qui talem adu. semetipsum sustinuit maledictionem.*

Ad III. Reliquiarum cultus non est ab hominibus institutus; sed Inspiratus à Deo in vtroque testamento; Et Christi doctus exemplo sua in fimbria, in vmbra Petri. &c. Dein *Col. 2.* ἐθελοθρησκεία significat cultum superstitioſum iuxta S. Hieronymum; non vero ab hominibus excogitatum.

At reliquiarum cultus sanctus est; non superstitioſus.

Ad IV. Tantum abest à nobis idololatriæ periculum, vt in translationibus, cantetur: *Confundantur omnes, qui adorant simulacra.* Sic teste *Rufino l. c. 35.* in S. Babylæ translatione cantatum proditur. Neque cereorum vsus ad Sanctorum memorias signũ est adorationis: Qui non offeruntur vt sacrificia; sed accenduntur *in signum Lætitiæ* inter fideles, *Gloriæ* inter Cœlites, *Vitæ* beatæ in Deo. S. Hieronymus autem respondet Vigilantio de errore putantium martyres cereolis illustrari. Quem errorem vt improbat; sic approbat vsum cereorum.

Sicut & S. Augustinus arguit Agapas ad sepulcra Sanctorum, ob abusum epulandi, non ob eorum vsitationem.

Ad V. Ne reliquiæ autem vllæ obtrudantur supposititicæ, vigilantissimè cautum est per Ecclesiam pluribus in Concilijs: Vt in meo *Luthero-cal. par. 1.* 78. ostendi.

Demum age, Ecquid est, quod Reliquiarum sacrarum cultum adeo Vniuersalem reddidit per orbem vniuersum? Vt remotæ, celebres, frequentes ad sepulcra Sanctorum fierent Peregrinationes, Orationes longæ & multæ, Sumptus immensi, & tot Basilicæ collocarentur?

Quid? Beneficia innumera, & maxima; publica, priuata; Secundata bella, pax reducta, firmata: hostilitates prohibitæ, fractæ; mortalitates auersæ; sedatæ tempestates; necessitates expeditæ; sanitates redditæ; aliæque vtilitates iuxta in prosperis & aduersis impetratæ.

2. Accedunt Miracvla in ipsis Sanctorum corporibus demonstrata in sepulcris, in undis, in flammis, inter feras, inter barbaros, hæreticos. &c.

3. Inventiones autem quot, quãq; mirabiles ac glorioſas dedit sæpe Deus?

4. Translationes vero quã celebres ac memorabiles factæ produntur?

5. Inprimis illustre censeo, quod Ritu per-

tu perpetuo obseruatum inuenio; vt esse prorsus Apostolicum videatur.

SVB ALTARIBVS recondi Sanctorũ reliquias, sua peculiari sanctitate in legem abiit per omnem omnium ætatum aclocorum Ecclesiam. Vt equidem existimem, idcirco S. Ioanni, *Apoc.* 6. animas Martyrum sub Altari ostensas; quòd eorum in terris corpora sub aris requiescere consuessent. Quo honore publico haud scio num insignior sit alter.

Nulla enim gens vsquam fuit, quæ aris suis quicquam sanctius duxerit. Hæ azyla dabant confugis; his adgeniculabatur; ad has Numen iratum placabatur.

Apud Christianos verò Ara Thronus Dei titulusque Christi reputatur, & Christum in Ecclesia repræsentat: Ac conditæ sub ara reliquiæ Animas Iustorum in Manu Dei esse, inque Christo beate requiescere, nos admonent. Quò iustior cereorum ad ea, aliaque Sanctorum sepulcra, est vsus: De quo vide *Bell. l. 2. de Sanctis. c. 3. & 4.*

Et quid dignum satis ijs præstes Corporibus,

1. Quæ sanctarum Organa fuerunt animarum ad opera bona, tot, tanta?

2. Ad Miracula?

3. Ad claritatem Christi transformandam? &c.

QVÆSTIO XXIII.

Quo temporum successu processit ICONOMACHIA?

HÆRESIARCH. Iconomachus certus aliquis, qui primus fuerit, repertu difficilis est. Certum constat illud, autores Iconomachiæ diuersis extitisse ætatibus aut *Iudæos*, aut *Mahumetanos*, aut *Magos*: Quos auos hodierni sequuntur Luthero-caluinistæ.

1. IVDÆI primi videntur Iconomachi fuisse vt qui in suo Thalmud Christianorum Ecclesias esse idololatricas dicant: Et dicantur ij sæpius Iconomachi in Synodo VII.

2. XENAIAS Persa seruus profugus se baptizatum mentiens euasit in Episcopum, anno 485. Negabat deceere vt Deus, Christus, Angeli, cum sint spiritus, corporea pingantur sculpanturue effigie: nec Sp. Sanctum specie columbæ pingendum.

3. SAMARITANI anno 574. teste *Nycæno Concil. II.* immaniter per Syriam sunt in imagines debacchati.

4. EZ DES Rex Arabum Mahumetanus ab mago hebræo inductus sub annum 700. euastauit latè icones. Nec annum superuixit, cui hebræus in præmium iconomachiæ XXX. annos vitæ promiserat: teste *Synodo VII. act* 5.

5 LEO ISAVRICVS sub annum 716. ab Iudæis persuasus edicto picturas & sculpturas ex ecclesiis proscripsit, obsistentes Christianos multos contrucidauit. teste *Zonara, Cedreno, &c.*

6. CONST. Copronymus patri immanior successit necromanticus & Nestorianus, Anno 764. Sed vnà cum istis occidit & Iconomachia.

7. Post annum 800. recruduit bellum istud per Leonem Armenium, Mich. Balbum, & Theophilum Impp. Iudaizantes & necromanticos: *testibus ijdem.*

8. Sub idem tempus & in Occidente Claudius in Hispania Episcopus imagines templis eiecit.

9. Sub annum 1367. VVICLEFVS eadem infectatus est: at discipuli eius sæuius demoliti sunt: teste *Tho. VValdensi to 1. tit. 19.*

LVTHERANORVM primus And. Carolstadius anno 1521. remouit è templis imagines.

LVTHERVS, teste *Cochlæo in vita*, factum probauit; sed quod se facti autorem maluisset, eum de non petita ab se facultate increpabat. Ex eo, velut agmine facto, iconomachiam inuasere furentes: classicum concinuerunt Magdeburgenses *Cent.* 8. 9 10.

CALVINISTÆ verò comprimis iconomachiam sibi velut propriam vendicarunt; vt, quas prædicas dare primas ætatis debent, eadem eis præripiant immanitatis.

Dux belli Caluinus *Inst. l. 1. c. 11. & l. 4. c. 9 §. 9.* Vbi quæ tria asserit falso vide in meo *Luthero calu. par. 1. q. 79.*

PAPISTA. Quæ tria negant Luthero caluinistæ; semper asseruit Ecclesia.

I. Imaginem Dei ac Spirituum rectè

pingi & sculpi, tum historicῶς, tum analogicῶς; non autem οὐσιῶς, id est, quasi essentiam Dei seu spiritus exprimeret pictura, vel significaret. Quia Scriptura Deũ quasi hominẽ cum membris, & affectib. & actionib⁹ describit; vt aliqualẽ ideã Dei credentes animis concipiant.

II. Imagines Christi & Sanctorum sunt in sancto Vsu. Vnde S. Chrys. in Missa, quam Erasmus Latinam fecit, *Sacerdos egreditur*, inquit, *portans Euangelium præcedente ministro cum Lucerna: & conuersus ad Christi imaginem inter duo ostia, inflexo capite cum exclamatione dicit &c.*

Sub annum 338. Hæmorroissæ statuam æneam in templum solennissimè introductam fuisse prodit Niceph. l. 10. *hist. c.* 30. Eusebius *l.* 3. & 4. de vita Constantini Magni testatur eum templa omnia in Palestina statuis aureis & argenteis replesse. &c. Vide *Bell. l. 2. de Sanctis. c. 9.*

III. Vtilitatem imaginum docet factum Christi, qui vultus sui ideam linteo impressam Abagaro misit.

Item Ea, quam Christo erexit æneam Syrophœnissa.

Item ea quam Christo Nicodemus fecit.

Item ea, quam Deiparæ pinxit Lucas. Ideo Chrys. orat. in S. Meletium testatur, plena imaginum omnia in annulis, poculis, thoris, parietibus. &c.

QVÆSTIO XXIV.

An omnis Sacrarum Imaginum cultus sit illicitus?

HÆRESIARCH. Duo hic ex diametro pugnantia occurrunt.

I. CHRISTIANO-CATEGORI. id est, Christianorum accusatores, qui pertendebant imaginibus diuinos deberi honores: à quo pii semper abhorruerunt. Talis fuit Seuerus Alex. Imp. qui in Larario suo statuam Christi latriâ colebat, teste Ælio Lampridio.

II. ICONOMACHI omnem imaginibus negabant honorem. De vtrisque testatur Damascenus lib. de rebus. De his q. præcedente.

LVTHERANI, vt Magdeburgenses, *Cent. 8. & vbi supra*, execrantur imaginum cultum: CALVINIANI multo detestabilius deuouent ac persequuntur eundem; vt qui nec Vsum earum patiantur.

PAPISTA. I. Proiecta, & homine vel Cretensi indigna mentiendi qua libido, quà impudentia est hac in re & causa Luthero-caluinistarum: teste meo *Mendace Antipap. p. 1. q. 7.* Ea verò clamat ipsa, suam ipsorum iconomachiam ab omni desertam esse veritate.

II. Quam autem solido stet veritatis firmamento nostra Iconodulia; patet in meo *Luthero-cal. p. 1. q. 79. & in Antichristo, p. 1. q. 24.*

III. Atque istis suffragantur perpetuâ quadam concordiâ S. Patres. Hinc S. Basilij sententia citatur ab Adriano Papa in epist. ad Impp. in Syn. VII. act. 2. illa: *Historias imaginum illorum honoro, & palam adoro. Hoc enim nobis traditum à S. Apostolis non est prohibendum.* S. Ambr. serm. 10. in Psal. 118. *Qui imaginem coronat, aut contempserit Imperatoris, vtique illum honorat, aut iniuriâ afficit; cuius imago est. S. Aug. l. 3. de Doctr. Christiana c. 9.* distinguit honorantes signa vtilia; quòd alij nesciant, quid significent; hi sunt serui; vt Iudæi, alij sciunt; hi sunt liberi, vt Christiani. Li. 2. ib. c. 29. picturas, statuas ponit inter superflua hominum institutа, exceptis ijs, quæ proponuntur loco & tempore ab habente autoritatẽ, vt sunt Christi & Sanctorum icones,

Quæ

Quæ quia in terres sacras semper habitæ sunt; omnino veneratione dignæ recte censentur.

IV. Iconoclastas etiam horrificæ clades afflixerunt. Nam, teste Chronico Palmerij anno 741. sub Leone Isaurico pestis Constantinopolim exhausit, hominibus supra trecentis millibus sublatis. Sed iconomachia præierat: Leo item Italiæ exutus est imperio, eiusque successores: teste Zonara.

Rex Arabum Ezides, Hebræo 30. an. regni promittente si bellum indixisset imaginibus; vix vnum superuixit.

Const. Copronymi imperium diris cladibus terræ motuum atterebatur, peste hominibus nudabatur: cumque vbiq; cruces sublatæ fuissent, ecce pluebat cruces: Pontus insueto frigore constitit ad 100. miliaria glacie crassa 50. cubitos: quæ soluta mœnia domosque euertit Constantinopoli: Ipse Copronymus adhuc viuus se flammis inextingui bilibus cremari vociferans perijt.

QVÆSTIO XXV.

An Cruci Dominicæ debeatur adoratio?

HÆRESIARCH: Clavdivs Taurinensis, sub annum 800. teste *Iona l.1.* detestabatur Crucem Domini. Itemque Pauliciani, teste Eutymio *in Panoplia p.2.tit.11.*

Item sub annum 1130. Petrus Bruis & Henricus, teste *Cluniacensi.* Sub idem tempus & Bogomiles. Similiter & VVicleffistæ, teste *Tho. VVald. to.3. tit.20.*

Lvtherani Magdeburgenses *Cent.4. cap. 4.& 6.*

Calvinvs *Inst. l.1.c.11.§.7.* Crucis honorem detestantur infandè; Ac mendaciis onerant; vt videre est in *Mendace Antipap. p.1.q.3.*

Svadent Bogomiles & Petrobrusiani istis.

1. Quia crux dolorem & ignominiam attulit Christo: ergo detestanda est.

2. Quia Impius est filius, qui patibulum amaret patris.

3. Quia si cruces omnes adorandæ, quod Christus in cruce pependit; ergo & sepulcra; quòd in sepulcro quieuit; & præsepia, &c. & omnes columnæ, claui. &c. *Imo & asini*, ait Claudius: *quod asino vectus est Christus.*

4. Quia Christi hostes gaudebant passione Christi, oderuntque crucem: ergo qui honorant eam, sunt hostes Christi.

5. Wicleffistæ, Quia si ob contactum Christi sit adoranda; ergo & labia Iudæ, pugnus Malchi. &c. adorandus erit.

6. Centuriatores, Quia superstitio est characteribus tribuere virtutem: sed Papistæ tribuunt figuræ crucis vim pellendi dæmones: ergo superstitiosi sunt.

PAPISTA. Solutio istorũ facilis est.

Ad I. Crucis dolor & ignominia vergit in lętitiã & gloriã, dæmone deiecto.

Ad II. Dissimile istud. Quia iustè, meritus, ac inuitus suspẽditur ille: Christus verò insons, ac libens, quia voluit, suspensus est.

Ad III. Disparitas talium magna est. Nam cruces adoramus, quia veræ Crucis imagines sunt, Christique crucifixi; præsepia verò, sepulcra, claui. &c. non sunt ad exprimenda illa Christi.

Ad IV. De suo scelere gaudebant hostes Christi; at nos de Christi triumpho gaudemus, passoque compatimur.

Ad V. Disparitas talium est: ait Th. Wald. to.3. tit.13. c.120. Quia crucem Dominus elegit, amauitq; innocuam: at pugnum percussoris, proditoris labia, vt impia, execratus est. Et hæc fuerunt instrumenta sceleris; crux vero passionis: passio a. fuit sanctissima, actio verò passionem inferentium nefandissima.

AD VI. *Signo Crucis*, ait S. Athanasius lib. de Incarn. *omnia magica compescuntur* supernaturaliter: quod superstitiosi characteres non possunt. Vide *Bell. li. 2. de Sanctis c.* 30. Et meum *Luthero-c. p. 1. q.* 82. Et *Antichristo. p. 1. q.* 25.

QVÆSTIO XXVI.

An Deus & Sancti rectè colantur TEMPLIS?

HÆRESIARCH. Ariani & Donatistæ templa Catholicorum profanabant, despoliabant, odio Religionis; non, vt Ethnici, odio Templi aut Nominis Christiani teste *S. Athan. in apolog.* Theodoreto *l. 4. hist. c. 19. 20. &c.*

MANICHÆI, teste Aug. *l. 20. contra Faustum. c. 3. 4.* exprobrabant Catholicis templa, aras, &c. quod instar Gentilium & Iudæorum.

MASSALIANI item anno 361. §. v. orti, in Conc. Orient. damnati anno 425. teste **Socrate** *l. 2. hist. 33* aras ac templa execrati, in ædibus orandum esse docebant. Sicut & Eustathius.

PETROBRVSIANI similiter sub annum 1126. Dein Albigenses; Tum VValdenses; postea Taboritæ. &c. templa deiserunt, vt quibus omnia loca suis apta cœtibus essent profanis.

LVTHERO-CALVINISTÆ admittunt templa; sed ad Concliones tantum & Sacramenta ministranda.

Hinc Magdeburgenses *Cent. 4. c. 6.* multis carpunt ritus Consecrandi ecclesias: *Cent. 6.* Rodunt sumptus fabricarum; & quod in Martyrum honorem ponantur.

Ad Orandum fieri oportere negant. Caluiniani eadem reprehendunt.

CALVINVS *in præfat. Inst.* traducit ornatum templorum: Et *Inst. l. 1. c. 11. §. 13.* Ornatum asserit verum Conciones & Sacramenta.

Idem *l. 3. c. 20. §. 30.* Erigi concedit templa ad communes preces quidem; nullam tamen inesse templo sanctitatem, vnde preces commendentur.

ANABAPTISTÆ Transyluani *in Antithesibus Christi veri & Falsi*, etiam istud omne negant templisugæ; sed syluicolæ cœtus nocturnos agunt, vt noui Gnostici: Sic & VVicleffistæ, & Manichæi.

PAPISTA. Quæ istorum argumenta sint; etiam refutata repete ex meo *Luthero cal. p. 1. q.* 83.

S. Scripturæ verò testimonia exhibetur in *Antichristo. p. 1. q. 26.*

I. VERBO DEI & Sacramentis Templa ritè parantur:

1. Vnde cum Gregorio Neocæsar. parum loci esset, vbi templum instituerat collocare, vicinam rupem precibus remouit, teste Euseb. libr. 2. hist. c. 25.

2. Ad Res sacras subinde conuenire necesse est populo; huc igitur loco certo publicoque opus; sicut & politicis negotiis sua sunt destinata loca.

II. SACRIFICIIS opus est Templo:

1. Cũ sacrificia non sine atris patrẽtur; templa autem altarium sint domus; plane ad sacrificia requirũtur tẽpla Pulcre Aug. l. 8. Ciuit. c. vlt. *Nos martyribus Templa, Sacerdotia, Sacra, & Sacrificia constituimus: Quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. &c.*

Non autem ista esse sacrificia Martyrum nouit, qui nouit Vnum, quod Deo illic offertur, Sacrificium Christianorum.

III. ORATIONIBVS Publicis Priuatisque Oratoria aperiuntur.

1. Quia eam cunctis nationibus legem natura inscriptam factis ipsis declarauit. Vnde Chrys. hom. 30. contra Anomæos. *Dicis: Orare domi possumus. Magno in errore versaris. Fieri non potest, vt domi tam benè ores, quam in Eccl sia.*

2. Hinc Theodosius Imp. ait Rufinus l. 2. hist. c. 33. *circumibat omnia orationum loca.* Et Augustinus epist. 109. mul-

multa in templis miracula ab comprecantibus impetrata prodit. Ideo monet ibidem & in Regula: *In Oratorio nemo aliud agat, nisi ad quod factum est; vnde & nomen accepit.*

3. Apostolus, ducta similitudine à veris templis, sæpius dicit corpora nostra esse templum Sp. Sancti. 2. Cor. 6. *Vos estis Templum Dei viui.* Et *Aug. l. 2. ad Simplicianum q. 4.* ait Dauidem ante Arcam orasse; quod ibi sacratior locus esset, & commendatior præsentia Domini.

4. Promisit Deus Salomonæo, 3. *Reg. 9.* ergo magis Christiano cuique templo, se ibi auditurum comprecaturos. Huc adiuuat, quod templa sint accõmodatiora ad ardentius orandum; ob præsentiam Eucharistiæ, Reliquiarum, crucis, imaginum. &c.

IV. SANCTIS sanctè Memoriæ & Martyria construuntur. Ita, teste Cyrillo *Catech. 16.* ecclesia est posita Apostolis, vbi Sp. Sanctum acceperãt. Talium plenæ historiæ. Aug. l. 8. Ciuit. c. 26. *Hoc dolet, ethnicis, quod Memoriæ Martyrum nostrorum templis eorum delubrisque successerunt.*

2. RATIO fauet. Quia ait S. Hier. epist. 17. *Venerabantur quondam Iudæi Sancta Sanctorum, quia ibi erat Arca. Nonne ibi venerabilius videtur Sepulcrum Domini? aut, Reliquiæ Sanctorum?* Nam hæ videntur haud paulo Sanctiores, quam Arca lignea. 1. Cor. 6. *Membra enim nostra templum sunt Sp. Sancti.* 2. Cor. 13. *An experimentum queritis eius, qui loquitur in me, Christus?*

Templa tamen à Basilicis quidam distinguunt cum Aug. l. 22. Ciu. c. 10. *Nos Martyribus non Templa, sicut Dijs; sed Memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus.*

Illis templa, vti & Sacrificia, soli Deo fiunt. Equidem malim distinctionem petere ab intentione Ecclesiæ docentis de templis ædificandis, quam ab Vocabuli vsurpatione.

Hæc enim varia est, illa vna constans ac certa, Deo principaliter omnes Ædes sacras poni, secundario Sanctis.

QVÆSTIO XXVII.

An tolerabilis sit templorum ORNATVS?

HÆRESIARCH. PETRVS BRVIS sub annum 1126. eiusq; Sectatores Petrobrusiani: itemque VVICLEFFISTÆ omnem templorum ornatum damnant hoc amplius, quò templa ipsa execrantur infestius.

LVTHERANI æquè ac CALVINIANI ipsorum innouant impietatem, Ædesque sacras denudant. Idque zelosè & cum ratione facere videri volunt.

PAPISTA. Sic assolent. I. Sed luculentis S. Scripturæ & Basilicis exemplis contradicunt ijdem Sacrorum hostes. Vide in meo *Antichristo, parte 1. quæstion. 27.*

II. S. Patres quoquè vix ampla satis encomia queunt reperire, quibus euehant templorum Autores atque ornatores.

Vnde Paulinus natali 3. S. Felicis:

Aurea nunc niueis ornantur Limina velis.

S. Ambr. l. 1. de Off. c. 21. *Maxime Sacerdoti conuenit ornare Dei templum decore congruo; vt etiam hoc cultu aula Domini resplendeat.*

III. Quamquam iidem S. Patres profanos cultus & ambitiosos, in ecclesias

sias irrepentes specie diuinæ gloriæ, iure merito reprehenderint. Quę vitiatio è quatuor minus obseruatis potest prouenire; è loco, Tempore, Modo, & Persona; De quibus *Bell. l. 3. de Sanctis. c. 4.*

QVÆSTIO XXVIII.

An BENEDICTARVM rerum vsus in Dei Cultu sit Christianus?

HÆRESIARCH. VValdenses, exorti sub annũ 1140. omnes irridere benedictiones cœperunt: teste *Reynero in fragmentis.* Itemque Flagellantes, coorti sub annum 1350. teste *Bern. Luxenb.* Quod omnem religionę ponebant in baptismo sanguinis per flagra elicit: hic eis circo erat Confirmatio, Pœnitẽtia. &c. & omnia. At asperæ lustralis aquæ guttas dicebant scintillas gehennales. VVicleffistae, teste *Tho. VValdẽs. 3. tit. vlt. c. 68.* Benedictiones rerum dicitabant præsim Necromanticam.

Lvtherus *l. de Visione Danielis*, oẽs damnat Benedictiones ecclesiasticas. Magdeburgenses *Cent. 2. c. 6.* eas dicunt ritum ethnicum, præcipuè lustralem aspersionem.

Calvinvs *Inst. l. 4. c. 19. §. 20.* tria oblatrat contra lustralem. 1. Hanc ab autore Alexandro, à Papistis institutam Papa sc. Sexto à S. Petro; & tamen dici Apostolicam Traditionem. 2. Nec Augustini memoria eam fuisse. 3. Ipsam esse baptismi profanationem. Brentivs *in Conf. c. vlt.* Non debere adumbrari mysteria vlla in luce Euangelij. Heshusius *l. de sexcentis error. Papist. loco 27.* Error est, lustrali deleri venialia, dæmones effugari, ac morbos. 1. Quia 1. Ioan. 2. *Sanguis Christi nos emundat ab omni delicto.* 2. Quia manifesta magia est præter Dei verbum vti creaturis ad fugandos dæmones. Estque contra Deut. 18. *Non sit maleficus, neque incantator inter vos: Et Non assumes nomen Domini Dei tui inuanum.*

PAPISTA. Vana profani, & impij impia comminiscuntur.

1. Cum enim Benedicendi ritus in Scripturis Exemplum habeat, *Mat. 14. Luc. 9.* & Documentum 1. *Tim. 4.* quid humana Deo obstrepit improbitas ac maledicentia?

2. Præterquam quod Benedictionũ sanctimoniam ac vsum sancta custodiuit Traditio Ecclesiæ Christi: teste, in cæteris S. Cyrillo Catechesi 5. *Sicut manducati cibi fiunt immundi inuocatione diabolica: ita aquam simplicem fieri sanctam inuocatione Dei:*

3. Proinde *l. 4. de Sacram. c. 3 & 5. S. Ambr.* ait, Aquam, nisi Crucis signo prius sacretur, nullũ habere vsum in Ecclesia.

4. Et quidẽ *S. Basil. li. de Sp. S. c. 27.* dicit eam apostolicam esse Traditionem.

5. Quò rectius sancit Conc. Nannatense can. 4. vt presbyter visitaus ægrotum, hunc & cubiculum aqua lustrali perspergat.

Iam Ad Calvini cauillationes.

Ad I. Aquæ benedicendæ institutio tribuitur Apostolis; at Præceptum dedit Alexander I.

Ad II. Fingit id Caluinus. Lotionem pedum maluit S. Aug. differri in octauã Paschæ; ne loti pedes Catechumeni putarent se baptizatos iam esse.

Ad III. Fingit ille repeti à nobis baptismum: sed calumnia est. Recoli tamẽ eum in aspersione grati est animi.

Ad Heshusium: 1. Sanguis Christi ẽmundat nos cunctis à peccatis, sed applicatus per Sacramenta, efficaciter si venialibus, per Sacramentali a pro merito applicantis. 2. Mentitur idem, non esse scriptũ, vt aqua sanctificetur ad pellendos dæmones. Contrarium patet in meo *Antichristo p. 1. q. 28.* 3. Neque peccatur in illud; *Nõ assumes Nomen. &c.* quia benedicentes aquam. &c. nec peieramus, nec Sathanam inuocamus. Vide meum *Luthero. c. p. 1. q. 87.*

QVÆ

QVÆSTIO XXIX.

Peregrinationes, ac Vota, num licitè fiant Sanctis?

I. HÆRESIARCH. 1. CLAVD. Taurinensis, sub annum 815. teste *Iona Epis. Aurel. l. 3. de cultu imaginum*, docebat inanes ad loca Sanctorum esse peregrinationes. Sic & Petrobrusiani, teste autore *vita S. Bern l. 3. c. 5.* Et VVicleffistæ, teste *Tho. VVald. to. 3. tit. 15.*

LVTHERANI, vt Magdeburg. *Cent. 4. c. 6.* finguntempore Constantini Magni cœptas peregrinationes; sed ab Greg. Nysseno refutatas istis rationibus: *Cent. 4. c. 10.* 1. Quia Christus, Matt. 5. illas non recensuit inter octo beatitudines. 2. Quia pericula sunt multa, præsertim fœmineo sexui, in peregrinationibus. 3. Nihil inuenituralubi, quod domi promptum haberi nequeat.

CALVINVS *Inst. l. 4. c. 13. §. 7.* Plenas impietateperegrinationes asserit: eò quòd omnis voluntarius cultus Deo displiceat.

PAPISTA. Satis sui Luthero-caluinistas hæresiarchæ refutant, in hisce iam olim damnatos.

Verumtamen Centuriatores docere nunquam valent, eam orationem esse S. Gregorij: Neque in operibus eius habetur.

Deinde ea reprehendit, non peregrinationes; sed monachis & monachab. eas non conuenire docet. Ita *Ionas l. 3. ad Claudium Taur.* Sic & S. Hier. mirificus peregrinorum encomiasta, eas dissuadet tamen monacho; exemplo S. Antonij, Hilarionis, &c.

Ad I. Dico, Peregrinationesnon esse ad salutē necessarias, neq; ad pfectionē.

Ad II. Et nos dicimus oò pericula non omnib. eas conuenire.

Ad III. Nihil ad salutē necessariū; verū est: Nihil vtile inueniri alubi; falsum.

Ad Caluini maximam dico: Voluntarius cultus ētipsi dicitur, qui sine ratione suscipitur; Vt si velis lauare bis prius, quam comedas. At cultus Deo præstitus per actū virtutis ēt non præceptus, non est ita volūtarius, etsi volūtariè fiat. Vnde, *Nu. 30.* iubet Deus impleri vota rerum ēt non præceptarum. Plura in meo *Luthero c. p. 1. q. 87.*

QVÆSTIO XXX.

An Christo, & sanctis FESTI DIES sint celebrandi?

HÆRESIARCH. 1. EBION, teste *Bzou an. LXXIII.* & Ebionitæ contendebant Iudæorum ac Christianorum festa vtraq; obseruari oportere: Sic Euseb. l. 3. hist. c. 27. Æthiopes idem innouarunt tempore S. Gregorii ipso teste *l. 11 ep. 3.* Quia, Exo 31. *Pactum est sempiternum.*

II Omnia festa, ceu ceremonias Iudaicas tollebant Petrobrusiani, *in vita S. Bern. l. 3. c. 5.* & VVald. teste *Guidone in summa.* Et VVicleffistæ; teste *Tho. VVald. to. 3. tit. 16. c. 140.* Quia, 1. *Ro. 14. Alius iudicat diē inter diem: alius iudicat omnem diem:* id est, putat esse sacrū 2. Gal. 4. *Dies obseruatis, & menses, & annos &c.* 3. Col. 2. *Nemo vos iudicet in potu aut in cibo, aut in parte diei festi* 4. Patres aiunt Sabbatum carnale Iudæorum à seruilibus abstinebat; at Christianorum Sabbatum spirituale est abstinere à peccatis.

III. LVTHERANI, perindeque CALVINIANI dogmatizant quinq;. 1. Festos agitare dies iuris esse diuini ac naturalis: iuxta Decalogum. Et rectè. 2. Ius illud dies determinasse nullos: determinari verò oportere à Pastoribus; sed populo consentiente. At non ea conditione Christus Apostolis commisit regimen Ecclesiæ. 3. Determinatos non debere cēseri sanctiores cęteris, ceu mysteriosos; sed obseruari solum ob determinationem. Docentq; è Paulo, vt suprà. 4. Sanctis dies consecrare nefas. 5. Determinationē eam non obligare in conscientia; nisi ob scandalū, seu contēptū. 1. Qui a festū agere fuit res indifferens in primitiua Ecclesia; aiūt Mag. deburg. vt iā in Sabbato prędicarent; ceu Paul. *Act. 13.* iam in Dominica, qua Ioannes *Apoc. 1.* raptus fuit. 2. Quia *Gal. 4.* resistitur Pseudoapostolis festa cum obligatione inferentibus. 3. Quia ait Heshus. cū Christianorū, quā Iudæorū, plura sint festa; erit eorum iugum intolerabilius.

PAPISTA. Cum in *Luthero c. p. 1. q.*

88. veritatem asseruerim; hic falsitas redarguenda est.

I. Sabbatizantium. S. Aug. *in Gen. q.* 46. 124. 139. ait, Pacta legis dici sempiterna, quod significet res æternas; Vel duraturas quousque status ille perdurabit; Vel quousque Deo placuerit.

Ad Hoc: *Alius iudicat diem inter diē*, id est, ieiunat omni die, alius quibusdā. Ita Orig. Ambr. &c. *Vel*, Theoph. Theodor. &c. Alius abstinet à suilla semper, alius aliquando. *Vel*, Hier. Alius Sabbatum & Kalendas obseruat, alius nullum diem feriatur. Et sic loquitur de festis Iudæorum; non Christianorum.

Ad *Gal.* 4. Arguit obseruatores dierum dicentes; iam bonum est iter inire, hoc illudue agere. Sic Ambr. Aug. *Vel melius:* Aug. Hier. Græci: agitur de festis Iudæorum tantum. Sicut & *Col.* 2.

Ad Quinque illa Luthero-caluinistica liquet responsio in meo Luthero-calu.

Ad quinti I. Dico: Cultus festorum ex se indifferens est; at posita lege, necessarius. Item Paulus non ideo coluit Sabbatum, quod prædicaret Sabbato; quo collectos reperiebat.

Ad Heshusium dico: Iudaicum iugū festorū fuisse graue, qa seruile & corporale; nesciū mysterij, multis obseruatiūculis addictum permolestis: Non sic festa Christianorum plena mysterij, vacantia à seruili opere & ceremonijs seruilibus. Deniq; Dominicam, vti festorum primā, cœptā in die Pentecostes, docemus *ex Act.* 20. 1. *Cor.* 16. *Vna Sabbati cum. &c.*

At ea loca volunt de Sabbato intelligi Magdeburgenses *Cent.* 1. *l.* 2. *c.* 6. Caluinus in Catena Marlorati; & Paulum sabbatizasse aiunt.

At contra consensum S. Patrum, *Bell. l.* 3. *de Sanctis. c.* 11.

Et in c. 12. de Paschate; quod Magdeburgenses ib. volunt esse indifferens debere, vt celebretur, quo die libuerit.

At hoc Nouatianum est, iamque olim damnatum.

Vltima pars superat Ecclesiæ Triumphantis, de Sanctis in Purgatorio. Hi Viatores esse desierunt; sunt qui Comprehensores decreto quidem Dei; sed facto nōdum suo ipsos Debito tantisper remorante. De illis itaque controuersiam mouent iniquiores Nouatores, sectarum veterum damnatarum.

VI. DE PVRGATORIO.

QVÆSTIO XXXI.

Num sit Purgatorium?

HÆRESIARCH. 1. Aerius cognomento Impius emergit anno 356. damnatur in Conc. Sirmiensi anno 357. Docebat, teste *Epiph. hær.* 75. *Aug. hær.* 53. Non orandum pro defunctis, Vel, quia non egerent precibus: Vel, quod iuuari non possent. 2. Valdenses Purgatorium esse pernegabant teste S. *Anto* 4. *tit.* 11. *c.* 7. §. 3. 3. Apostolici prius idem sub annum M. C. LIII. 4. Henriciani & Petrobrusiani sub annum M. C. LXX. teste *Bern. Epist.* 240. 5. Albigenses sub annum M. C. C. cum Purgatorio infernū tollebant. teste *S. Anto p.* 4. *tit* 11 *c.* 7. § 5. 6. Sic & Vvicleffistæ, Hussitæ, Armeni & Græci. &c.

Lvther vster mutauit. I. In disput. Lipsica ait: *Ego; qui Credo fortiter: imò ausim dicere scio Purgatorium esse; facile persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem.* II. In Artic. à Leone damnatis; Admittit idem: sed cum erratis quinis: 1. *Non posse è scripturis probari Animas in eo non certas esse salutis.* 2. *Posse inibi mereri ac demereri.* 3. *Assidue in eo peccare, dum horrent pœnas & requiem appetunt.* 4. *Liberatas suffragijs Ecclesiæ minus beari, quā quæ sibi faciunt per sese.* III. Deniq; abnegatione post hāc vitam; Et vitam ait purgatorium esse, mortisq; pœnā culpam omnem extingui. Ita *l. de abroganda Missa.* Lvtherani sequuntur hoc tertium omnes Rigidi: & Molles. Itemque Calvinia ni: Caluinus Inst. l. 3. c. 5. §. 6. Id vocat *Exitiale Satanæ commentum, quod Christi Crucem euacuat; contumé-*

tumeliam non ferendam Dei misericordiæ irrogat; Fidem labefactat & euertit.

ANABAPTISTÆ Trinitarii l.2.c.1.dicunt Lutherum posuisse fundamentum reformationis, & sustulit Purgatorium, Missas, peccatorumque discrimen.

PAPISTA. Hic solum Maiores Nouatorum nostratium in medium produxisse; est hosce in eandem cum illis damnationem coniecisse. Et quid quicquam illustriorem eorum refutatione requirat? Hanc tamen præbemus in nostro *Luthero c.p.1.q.90.* Consuli poterit & meus *Mendax Antipap.p.1.q.9.*

I. Istis adde omnium nationum gentiumque consensum.

1. Hebræi 2. *Mach.12.* orarunt, sacrificaruntque propriè defunctis. Non tamen pro ijs, ait Iosephus *l. de bello Iud. c.* 19. Qui seipsos interemerunt.

2. Mahumetani in Alcorano Purgatorium disertè confitentur.

3. Ethnici item apud Platonē in Gorgia, in Phædone: apud Cicer: in somnio Scipionis; apud Claudian. l. 2. in Rufinum. *Quos. &c. egit lethæo purgatos flumine. &c.*

I. Neque omnia errantium instituta aut placita rectè dixeris errata: nā multa sunt & verissima & honestissima; vtpote ex naturæ lumine deprompta; Quod cum sit commune; communis id eo est & consensus omnium de Purgatorio.

II. Neque Apparitiones, à S. Patrib. comperto proditas, quisque sanus dixerit vanas. Quas porro inferunt aduersarij obiectiones è Scripturis, attingere supersedeo; ob futilitatem ac inutilitatem: fusè *Bell. l.1. de Purg. c.12.13.14.* Quē contra hactenus nec hiscere ausi.

III. Neque tamen in purgatorio locus est meriti aut demeriti. Quia Eccl. 9. *Mortui non habent vltra mercedem.* c. 11. *Vbicunque ceciderit lignum, ibi erit.* Luc. 16. *Iam non poteris amplius villicare.* 2. Cor. 5. *Referat vnusquisque prout gessit in suo corpore;* non extra corpus. &c. *V. Bell. c. 2. lib. 2. & c. 3.*

IV. Purgatorij sunt certi salutis. Quia per iudicium particulare iam arbor cecidit ad Austrum. Et suum quisque scit iudicium: vt Epulo in orco, & Lazarus in limbo; quanticunq; sint eis è cruciatu dolores seu perturbationes.

FINIS

Genealogiæ Theomachæ Luthero-caluinianismi.

Gloria sit Christo.
Gloria sit Mariæ.
Sit sua Gloria Diuis.

COPPENSTEINII

PARS II.

GENEALOGIÆ LVTHERO-CALVINISTICÆ DICTÆ ECCLESIOMACHIA,

id est, Contra

Ecclesiam Militantem Archihæretica Rebellio.

PRAEFATIO

De Archihæresi Luthero-caluiniana.

ADVERSVM Sacram *Ecclesiæ MONARCHIAM* aduersus Primarchi *Petri PRIMATVM*, equidem me nullam legere memini veterũ Hæresium vsquã exortam insurrexisse: adeo vniuersi illam cunctis regendi formis præstare obseruarique per Ecclesiam oportere consenserunt Æuo superiore quinto decimo primus emersit LVTHERVS, qui cũ CALVINO Primatum abnegarent Petro, peculiarem illius fuisse planeque proprium: quique Monarchicum Regimen Ecclesiæ euertere cõnitebantur.

Quocirca hoc in errore sunt αὐτόγονοι hæresiarchę; neque vsquam alicunde originem ducunt, nisi ex patre diabolo.

Nam ita doctissimus Serarius: *Lutherus Satanæ Discipulus est: Caluinus Lutheri: Ergo & Satanæ.*

Verum manet illud Christi oraculum: Mat. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus* Petram *eam.*

Voluerunt quidem Luthero-caluinistæ; sed non valuerunt; minus præualere quibunt hac in re & impietate, primogeniti Satanæ.

Attentarunt tamen nefas istud; vt eo velut posito fundamento, in Romanam sedem Apostolicam furentius debacharentur. Et huius furoris autores habuerunt hæresiarchas iamolim orbis adeo totius iudicio condemnatos.

I. DE PAPATV ROMANO.

QVÆSTIO I.

An B. Petrus Romæ vixerit Episcopusque sit ibidem mortuus?

HÆRESIARCH. *Guilielmus*, Ioannis VVicleffi præceptor, teste Tho. VVal. *l. 2. doct. fidei, a. 1. c. 7.* primus finxit Petrum nunquam vidisse Romam, minus ibi sedisse Episcopum, aut vitam obiisse. Is autem Guilielmus vixit sub annum 1400.

LVTHERANI, vt *Vdal. Velenus* grandi volumine XVIII. persuasionibus id docere conatur; & nec Petrum, Paulumue Romæ, sed Ierosolymis occidione extinctos desiisse. Sic & Illyricus *l. contra Primatum Papæ &c.*

CALVINVS *Inst. 4. c. 6. §. 15.* cum rem totam esse dubiã sibi ostendisse videbatur, ait, *Tamen propter Scriptorum consensum non pugno, quin illic mortuus fuerit; sed Episcopum fuisse, præsertim longo tempore, persuaderi nequeo.*

Similia Magdeburgenses *Cent. 1. l. 2. c. 10.*

PAPISTA. 1. Petrum prædicasse Romæ docet ipse, 1. *Pet. vlt.* ex Babylone, sc. Neroniana Christianorum persecutione scribens.

Item Paulina ad Romanos à solo Petro Christianos factos testatur, quod multi fuerint ibidem ante, quam Paulus isthuc aduenire.

2. Docet idem nouitius is error contrarius, sub annum 1400. coortus: qui fatetur ipse, omnium retrò consensum ætatum & scriptorum sibi semper constitisse de Petri in Vrbe vrbium Papatu. Vide meum *Luthero-cal. p. 2. q. 8.*

QVÆSTIO II.

An Iure, & quo succedat Petro Episcopus Romanus in Pontificatu?

I. HÆRESIARCH NILVS, Episcopus Thessalonicæ primus Romanum Pontificem petro succedere in totius Ecclesiæ Regimine; sed in Romano solum Episcopatu. Hic tamen postmodum ex Concilijs accepit Primatum inter, & super Coepiscopos cæteros.

LVTHERANI iuxta & CALVINIANI, cæteriq; hæretici omnes nuperi totum pernegant, sc.

1. Quod Iure Diuino debeat Petro aliquis succedere.

2. Quod successor is solus Rom. Pontifex esse debeat; non alius.

Ita Lutherus, Illyr. Synodus Smalcald. Magdebur.

Caluinus Instit. 4. cap. 6. 7.

PAPISTA. De Successione post Petrum Iure diuino debita vide meum *Antichristum p. 2. q. 4.* Et *Luthero-caluin. p. 2. quæst. 9.*

Solum

Solum vero Pontificem Romanum succedere Petro debere est de Fide certa: & forte de Iure diuino. Quia Quicunque Petro succedit, accipit à Christo Pontificatum Petri: (Christus enim Instituit vt perpetua esset in Sede Petri Successio Iure Diuino.) Atqui Rom. Episcopus succedit Petro, accipitque à Christo Pontificatum Petri: Petrus n. Romæ sedem fixit; & fortè Christi iussu. Ergo Rom. Episcopus Petro simul in Pontificatu succedit pari Iure; quod in Pontificatu; diuino: quod Romæ ex Petri facto diuinitus mandat. Vide meum *Luthero-cal. p. 2. q. 9. 10.*

Ita constat ex Traditione Apostolica; quam Concilia, orbisque Consensus declararunt.

II. HÆRESIARCH. Pontificatum Romanum descendere dicebant, prisci hæretici, apud *Turrecrem. l. 2. c. 39.*

1. Ab Apostolis.
2. Nilvs, à Conc. Generali Calcedon.
3. Marsilius VVicleff, Hus; à Constantino Magno.

Lvther ani Smalcaldici, Papatū prouenire à Cardinalibus electoribus.

Lvtherus, à Carolo IV. Franciæ.

Calvinvs, in Græcos, à Phoca; in Gallos & Germanos à Pipino & Carolo. Vide in *Luthero-c. p. 2. q. 11.*

PAPISTA. Ps. 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non vt Lex tua*, Christe, Tua vox est: Mat. 16. *Ego dico tibi, Tu es Petrus, & super hanc Petram. &c. Tibi dabo Claues. &c.* Mat. 18. *Pasce oues meas. Confirma fratres tuos. &c. Quodcunque ligaueris. &c.*

Ecce immediate à Christo omnis Potestas absoluta est Pontificia.

QVÆSTIO III.

A quo possit iudicari Papa?

HÆRESIARCH. 1. Marsilius de Padua, teste *Turrecrem. l. 4. de Eccl. p. 2. c. 37.* ab Imperatore.

2. Nilus: ab Concilio generali etiam deponi. Sed damnatus vterque est.

Lvthero-Calvinistæ cæterique hæretici nostrates affirmant vtrumque, & multis propugnare nituntur argumentis, sed vanis, apud *Bell. l. 2. de Pont. c. 26. 27. 28.*

PAPISTA. Pastor Orbis & Summus Princeps a Deo solo datus; *Sedesque* Petri supra Petram Christum à Christo solo posita *Prima, à nemine iudicatur*, proclamat Conc. Sinuess. Distinctius Cōc. Rom. sub Syluestro, 280. Episcoporum: *Neque ab Augusto; neque à Regibus; neque ab omni Clero iudicatur Prima Sedes.*

Quid ergo? Conc. V. sub Symmacho. *Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari; sed Sedis istius Præsulem suo, sine quæstione, reseruauit arbitrio.*

2. Idem docent testimonia Pontificum:

3. Confessio Imperatorum.

QVÆSTIO IV.

Sitne Papæ Iurisdictio coercitiua, ut possit condere leges, obligare conscientias, punire transgressores?

HÆRESIARCH. Negarunt olim VValdenses, teste S. Antonino *p. 4. tit. 11. c. 7. §. 2.*

Item Marsilius de Padua, VVicleff, Hus. &c.

Lvtherus l. de Capt. Babyl. de baptismo; Melanchton; itemque Caluinus negarunt idē. Vide *Luthero-c. p. 2. q. 19.*

PAPISTA. At affirmat Christus in meo Antichristo *p. 2. q. 6.*

Affirmat & prophetica, & Apostolica Scri

ca Scriptura, in meo Luthero-cal. Affirmat perpetua praxis Ecclesiæ & Conciliorum.

1. Dicit Caluinus: Tot sunt præcepta ecclesiastica: vt superent legalia, Veteris Test.

At vniuersalia, quæ ligant omnes, solum sunt quatuor: de Festis, Ieiunio, deque Confessionis ac Communionis tempore.

2. Dicit: Achaz & Vrias puniti sunt, quod altare aliud addiderint. 4. *Reg.* 16. Item *c.* 17. Babylonij, quod nouis ceremoniis coluerint Deum.

Et, *c.* 21. Manasses, quod aras in templo extruxerit.

At iustè puniti sunt ob idololatriam.

QVÆSTIO V.

An Papa sit adhuc Episcopus, an vero Antichristus?

HÆRESIARCH. 1. Nilvs lib. contra Primatum Rom. ait: *Donec Papa conuenientem ordinem seruat, olim in Ecclesia constitutum; &c.* omnia ei sua de ferēda censet: *sed si à veritate discessit, nec ad eam redire vult, merito pro damnato haberi debet.*

2. Vvicleff art. 30. Papam nunc Antichristum esse affirmabat.

Lvtherv s art. 28. 36. &c. turbaque sua cum ipso.

4. Itemque cum suis Calvinvs *l.* 4. *Inst. c.* 7. §. 24. 25. *Habeant etiam plura si velint, Papæ: Nihil istorum valet, nisi Romæ sit Ecclesia & Episcopus.*

Hunc mihi nodum soluant Romanenses: Nego ipsorum Pontificem esse Episcoporum Principem; cum non sit Episcopus. &c.

Ex quo Antichristi sedes fieri cœpit, desiit esse id quod erat. &c.

PAPISTA. Nec vel esse potest Papa Antichristus.

Tum quia Christus orauit pro Petro vt non deficiat fides eius: Et super Petram ædificauit Ecclesiam suam: Et Petro dedit claues regni cœlorū, non inferorum Lucifero inde exoluendo.

Vnde nec vel errare Papa potest; quia Papa; Sed semper oues pascere benè; & per indeficientem Spiritus S. Assistentiam ducere in omnem veritatem. &c. Vide *in p.* 1.

Tum quæcunque Scriptura de Antichristo dicit, eorum nihil in Papam vllum conuenit vnquam, aut conuenict. De quibus vide *Luthero-caluinistam p.* 2. *q.* 22. 23. 24. 25.

QVÆSTIO VI.

An peccatores parui & magni, id est, Perfecti, & Impij sint in Ecclesia?

HÆRESIARCH Pelagiani dicunt, ait S. Aug. l. de Hæresibus. c. 88. *Vitam iustorum in hoc seculo nullū omnino habere peccatū; & exhis Ecclesiā Christum hac mortalitate perfici:* Vt sit multitudo Perfectorum, nullum penitus etiam tenue peccatum habentium.

Anabaptistis eandem tribuit hæresin Caluinus *Inst.* 4. *c.* 1. §. 13.

Neque ipse dissentire potest, asserens, è solis prædestinatis constare Ecclesiam: istis autem nullum imputari peccatum ad mortem.

Neque Lutherani, negantes cum Caluino, vllum esse peccatum Veniale ex natura sua; sed omnia mortalia, & ea reproborum.

PAPISTA. At vere S. Cyprianus serm. de eleemos.

Quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est.

Nam, ait S. Greg. Nazi. orat. 2. in Iulianum: *Omni prorsus peccato vacare, supra humanæ naturæ modum Deus constituit.* Proinde

inde, infert S. Chrys. in Ps. 39. *Nec ex perfectis vniuersa constat Ecclesia; sed habet etiã otio deditos.* Quippe, ait S. Hier. l. 2. contra Pelag. *Iustos esse concedo, sine omni autem peccato esse, non assentior.*

II. HÆRESIARCH. Nouatiani & Donatistæ, teste *S. Cypr. l. 4. epist. 2. Aug. l. de haeres. c. 69.* finxerunt, Ecclesiam esse iustorum, qui nunquam lapsi essent circa fidem: Alios enim peccatores in cœtu suo retinebant. Vnde errat Caluinus, dicens eos omne genus peccatorum excluisse.

LVTHERANI & CALVINIANI, dum prædestinatorum esse volunt Ecclesiam, quibus nil imputatur ad peccatum, stante eorum Fide: cer tè cum damnatis istis consentire conuincuntur. Liquebit q. sequente.

PAPISTA. I. Magni & manifesti peccatores quoque sunt in Ecclesia.

1. Teste S. Scriptura: de qua in *Antichristo, p. 2. q. 13.*

2. Sic S. Patres tempore S. Augustini contra dicentes Donatistis, conuictis Reti, bonos & malos pisces congregante: Dicentibus tamen; Rete in pelago huius vitæ mersum habere occultos pisces malos: at in litore resurrectionis fore discernendos. Ad hoc Patres dicebant; Ideo comparari Ecclesiam etiam Areæ, in qua paleæ magis cernuntur, quam grana.

3. Ratio. Nî forent mali in Ecclesia, frustra esset Sacr. pœnitentiæ: Prælati lapsi non forent prælati, nec obediendum ijs. &c. Vide *Luthero-cal. p. 2. q. 33. & 34. 35.*

QVÆSTIO VII.

An soli Prædestinati sint in Ecclesia?

HÆRESIARCH. Iouinianus, teste Hier. l. 2. contra Iouin. Habens semel verè fidem est necessatiò prædestinatus, vt fide nunquam excidere possit.

CALVINVS *Inst. l. 3. c. 2. §. 8.* idem Vide in meo *Lutheroc. p. 2. q. 35.* Olim Wicleff & Huss similia.

PAPISTA. Ecclesia est cœtus hominum,

1. Eiusdem Christianæ Fidei professione,

2. Et eorundem Sacramentorum communione colligatus:

3. Sub regimine legitimorum pastorum, & præcipuè Rom. Pontificis. Excluduntur hic ex Ecclesia,

1. Iudæi, Turcæ Infidelesque omnes, qui nunquam intrarunt Ecclesiam: aut qui ab ea recesserunt, vt Hæretici.

2. Catechumeni & excommunicati.

3 Schismatici.

Hæretici requirunt internas solum virtutes ad constituendam Ecclesiam in uisibilem: Nos præsupponimus internas fidem, spem, char. &c. at Ecclesia solum iudicat de externis, vt fidei professione, vsuque Sacramentorum. Atque ita, occulti licet hæretici, tamen esse in Ecclesia censentur; & Corpore solum, non Anima: Sic *Aug. in Breuiculo Collationis, Coll. 3.*

QVÆSTIO VIII.

An visibilis Ecclesia possit Deficere?

HÆRESIARCH. Donatistæ (ait Aug. in Ps. 101) *Illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, iam non est; periit. Hoc dicunt, qui in illa non sunt.*

LVTHERO-CALVINISTÆ dicunt idem: patet in meo *Luthero-c. p. 2. q. 27.*

PAPISTA. 1. S. Aug. in Ps. 101. *Dicunt. &c. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es? Vide, ne tu ideo non sis: nam illa erit, etsi tu non sis.* Non hic loquitur de inuisibili Ecclesia; quia illam nec

perijsse, nec perituram Donatistæ admittebant. Bern. serm. 79. in Cant. *Non deficit genus Christianum, nec fides de terra, nec caritas de Ecclesia: Eo quod fundata est supra firmam petram. Petra autem erat Christus.* &c.

2. Tyranni sunt Ecclesiam persecuti; at visibilem, non inuisibilem, quæ conualuit aduersus persecutiones.

3. Cum de ratione Ecclesiæ sit, esse visibilem; si visibilis periisset, iam inuisibilis quoque interisset; Quia hanc esse volunt in paucis electis, etsi occultis ecclesiæ visibilis. &c. Vide *Luthero-cal. p. 2. q. 37.*

DE CLERICIS.

QVÆSTIO IX.

Parne sit differre Clericos ab Laicis?

HÆRESIARCH Dathan & Abyron aduersus Sacerdotes vociferabantur; Num. 16. *Sufficiat vobis quod omnis multitudo Sanctorum est; & in ipsis est Dominus. Cur eleuamini super populum Domini?*

LVTHERO-CALVINISTARVM idem est clamor seditiosus, ex odio in Clericos, & studio popularitatis Exortus. Vide meum *Luthero-cal. p. 2. q. 41.*

PAPISTA. 1. Deus in Veteri Test. distinxit Leuitas officio Vocationis propriæ ab plebe, *Num.* 18. *Deut.* 18. 2. Christus, Elegit Apostolos è numero discipulorum, & hos è populo. 3. Apostoli sorte elegerunt Apostolum, & Diaconos ex omni plebe; Canonesq; sancierunt à S. Clemẽte descriptos de Cleri & populi distinctione. 4. Vnde Orig. hom. 7. in Ierem. *Nos Clericatus ordine vobis præsidemus. &c. Nosse debetis, non statim in eo esse saluandos, quia Clerici sumus; multi enim & Presbyteri pereunt, & Laici beatissimi reperiuntur.* S. Epiph. in ep. *Oportet Clericatus honore non abuti in superbiã, sed custodiã mandatorum hoc esse, quod dicimur. Sin; Cleri eorum non proderunt eis. Iere.* 12. S. Hier. epist. ad Nepot. *Ne lucra sæculi in Christi quæras militia; ne plus habeas, quam quando Clericus factus es cœpisti; vt dicatur tibi: Cleri eorum non proderunt eis.* Quare Luthero-caluinistarum sed tio est Choreana & Abyriana.

QVÆSTIO X.

Sintne distincti Episcopi & Presbyteri?

HÆRESIARCH. Ærius Antiochiæ Diaconus ipe Episcopatus indipiscendi delectus, docuit anno 356. Episcopum à Sacerdote nihil differre: teste *Epiph. hæsi. c. 75. & Aug. de hær. c. 53.* Damnatus etiam Conc. Sirmensian 357. VVicleff eandem hæresin resuscitauit: teste Tho. VVald. *l. 2. doct. fidei. a. 3. c. 10.*

LVTHERANI & CALVINIANI conspirant certatim in æquationem Ptesbyteri & Episcopi. Quorum argutatiunculas vide in *Luthero-cal. p. 2. q. 46.*

PAPISTA. 1. Conc. Trid. sess. 23. c. 4. *declarat, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, &c.* Presbyteris superiores esse. Sic omnis ætas & Ecclesia retro in meo *Luthero-cal. p. 2. q. 46.*

2. Ita Patres, S. Hier. ep. 85. *Quid facit Episcopus, (excepta Ordinatione) quod Presbyter nõ faciat?* S. Ignatius ep. ad Philadelph. *Boni sunt Sacerdotes; melior autem est Pontifex.* Proinde S. Clemens Can. 40. *Presbyteri & Diaconi præter Episcopum nil agere pertentent; nam Domini populus illi commissus est.* Sic & S. Diony. in sua Hierarchia.

3. Hinc in Conciliis sedent Episcopi vt Iudices ac Principes, presbyterosque puniunt reos, excommunicant. &c. vt subditos.

QVÆ-

QVÆSTIO XI.

COELIBATVS Rectene sit iure Apostolico S. Ordinibus annexus?

HÆRESIARCH. 1. Iouinianus pseudomonachus Mediolani, teste *Hier. Aug. Ambr.* docuit, Virginitatem Matrimonio postponendam: 2. Vnde consequens, Frustra Sacerdotes colere Cœlibatum. Sed vna cum auditmonialis, Sacerdos nullus, Adeo protinus emergens anno 372. damnatus est Romæ anno 380. à Papa & ab Conc. Mediolan. Vide Baron. istis annis. VVicleff hæresim reduxit: teste *Tho. VVald. to. 2. de Sacram. c. 66.*

2. LVTHERVS lib. de abrog. Missa. Magdeb. Cent. 11. c. 7. vocant cœlibatum hæresin omnium pessimam, quæ orbem inuaserũt vnquam.

CALVINVS Inst. 4. c. 12. §. 23. idem. Vide *Luthero c. p. 2. q. 48.*

GRÆCORVM Error est oportere Clericos ante Ordinationem duxisse vxorem: post eam non licere. Autor erroris fit Nicolaus: Certius Vigilantius, teste Hier. l. contra Vigil. Mos ille vulgatus est inter Græcos tempore Conc. Trullan, quod Apostolicos Canones de Cœlibatu impiè damnauit. Auctior euasit error sub Leone IX. patrocinante Niceta Abbate, sedei contradicente Humberto Cardinali.

PAPISTA. Quæ in meo *Luthero ca. p. 2. q.* 48. adduxi pro Iure Apostolico Cœlibatus, huc non repetam.

Adde, 1. Sacerdos operans Sacris gerit personam Christi: Neque Leuitæ ideo se continebant, quod figuram Christi præferrent; sed quod Domino ministrabant.

2. Quo iustius Conc. Neocæsar. anno 314. Sanciuit; *Presbyter, si vxorem duxerit, Ordine suo moueatur.*

Nimirum, ait S. Leo lib epist. ad Anast. *vt, qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares & innupti.*

3. Testimonia Imperatorum his adde Cod. de Epis. & Cler. L. Eum. Authent. de Monac. Adde nubem testium S. Patrum. Hinc tria infero. 1. Errant, qui putant Siricium Papam primum legẽ cœlibatus imposuisse. Quia Clemens, Orig. Epiph. Euseb. & Concilia sunt antiquiora Siricio. 2. Mos Græcorum hodiernus non fuit primis 600. annis. Patet ex ijsdem. 3. Mentitur Caluinus *Inst. 4. c. 12. §. 25.* Patres veteres approbasse coniugium Episcoporum. Mentitur à Siricio coniugium vocatum pollutionem.

QVÆSTIO XII.

An Clerici DECIMAS & Temporalia iure possideant?

HÆRESIARCH. Fratricelli, teste *Turrecr. de Eccl. potestate p. 3. c* 27. docebant sub annum 1300. sibi solis deberi Decimas; vtpote Apostolice viuentib s. VVicleff docuit Decimas esse meras eleemosynas, proinde arbitrarias negatu ob peccata Cleri.

ANABAPTISTÆ Trinitarii dicunt falsi Christi ministris eas dari, vt ditibus aut ditandis: veri Christi ministros pauperes iis posse carere, non poscere, vt iure debitas.

ERASMVS Luthetanus in Annot. in Nouum Test. ait, Decimarum exactionem est tyrannidem.

Carionistæ volunt eam esse iuris diuini, non ecclesiastici, quantitatem.

PAPISTA. Præceptum Veteris Testamenti de decimis diuinum erat in & substantia, & quota earum tali: Verum quia iudiciale, & partim ceremoniale; non morale; ideo non transiit in legem Noui Testamenti, nisi quoad Substantiam debiti Deo in operariis suis pro bono publico seu regendo; seu quoquo modo adiuuando, in seu spiritalibus, seu temporalibus.

Vide *Luthero-cal. p. 2. q. 50. & Antichristum p. 2. q. 20.* Vnde S. Aug. ser. 219. de temp. *Deus qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatur repetere; non sibi, sed nobis profuturam:* iuxta Malac. 3. *Inferte decimam in horreis meis; vt sit cibus in domo mea; & probate me in his.* Idem hom. 48. l. 50. hom. *Maiores nostri ideo abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum: Modò quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Domino decimas; modò totum tollitur.*

QVÆSTIO XIII.

An Clerici sint liberi à iugo sæcularis potestatis?

HÆRESIARCH. Marsilius de Padua, sub annum 1340. & Ioan. de Lugduno, pertendunt, Nec Christum, *Mat.* 17, immunem fuisse tributi; pendisseque necessitate; non voluntate: Teste Turrecremata:

LVHTERANI, vt Brentius *in Prolegom.* Martyr *in Ro.* 13 Melanc. *in locis cap. de Magistr.* In causis Ecclesiasticis Clericos politicis tribunalibus subiectos esse: Nec Principes dato priuilegio posse eos soluere: quod hoc foret contra ius diuinum.

CALVINVS *Inst.* 4. c. 11. §. 15. Clericos in omnibus, nō tamen in mere Ecclesiasticis, subiici politiæ. Sic & sectatores eius cæteri.

PAPISTA. Rectè apud Sulpitium l. 2. hist. exclamat S. Martinus: *Nouum & inauditum nefas vt causam Ecclesiæ Iudex sæculi iudicaret.*

2. Hinc Concilia grauiter vindicarunt in clericos ad sæcularium tribunalia confugas.

3. Quin Apostolus, 1. *Cor.* 6. nec laicorum Christianorum lites ad Ethnicorū iudicia afferri patitur. Vide in meo *Luthero-cal. p. 2. q. 51.* Quare Conc. Agathense Can. 32. *Clericum nullus præsumat apud sæc. iudicē, Episcopo non permittente, pulsare.* Quo gloriosior vox est Constantini, & S. Greg. l. 4. ep. 75. *Vos Dij estis, à summo Deo constituti: æquum non est, vt homo iudicet Deos.* Tamen iusta vox est S. Ambrosii oratione de tradendis Basilicis. *Agri Ecclesiæ soluūt tributum;* quod cœptum sub Iustiniano Imp. Nam antea immunia erant, teste *Hier. in Mat.* 17. Primitus autem Exceptionem Clericorum, in rebus politicis, tū quoad personas, tum quoad Bona, introductum esse iure humano pariter & Diuino constat. De diuino vide *Antichristum p. 2. q. 21.*

QVÆSTIO XIV.

Quam proprium Hæreticis odium in Monachos?

HÆRESIARCH. Donatus pseudoepiscopus Carthag. athee arrogans sic, vt se Deum crederet, & iactaret; anno 331. peperit sectam Circumcellionum propudiosissimam, armatam Ecclesiæ perturbatricē, teste *Cæs. Bar. to. 3. anno* 331. inprimis verò Monasticam diram persecutricem: teste S. Aug. in Ps. 132. Circumcelliones *insultant de Monachis. Primo si comparandi sint, vos videte: Quid opus est, vt verbis nostris comparentur ebriosi cum sobrijs, furentes cum simplicibus, vagantes cum congregatis? Sed tamen dicere consueuerunt; quid sibi vult nomen Monachorum? Quanto melius dicimus nos, quid sibi vult nomen Circumcellionum?*

2. De Petiliano hæretico S. Aug. l. 3. contra Petilianum. c. 40. *Perrexit ore maledico in vituperationem monasteriorum & Monachorum: arguens etiam me, quod hoc genus vitæ à me fuerit institutum.*

3. De Arianis Ruffinus hist. l. 11. c. 3. *Lucius Episcopus ad monasteria furoris sui arma cōuertit, vastat eremum, & bella quiescentibus indicit. Ter mille simul, aut eò amplius, viros per totam solitudinem dispersos, oppugnare pariter aggreditur. Nouam belli speciem videt; hostes suos gladijs obiectare ceruices, & nihil aliud dicere, quam Amici, ad quid venisti?*

4. Valens Imperator Arianus teste *S. Hieronymo in Chronico,* vsque adeo Monachos odit, vt lege lata Monachos omnes aut arma sumere, militesque fieri; aut fustibus cædi, mactarique decreuerit.

5. Constant. Copronymus Imp. Iconomachus simul & Monachomachus immania in Monachos patrauit.

6. Wicleff vociferabatur, ad vnū omnes Monachos à diabolo in Ecclesiam introductos; Augustinum, Benedictum, Bern. &c. ad inferos esse damnatos.

Lv-

Lvthero-Calvinistæ patia euomunt, & audent. Vide *Luthero-c.p.2.q.52.*

PAPISTA. 1. Cor. 3. *Sapientia huius sæculi stultitia est apud Deum.* Sed, 1. Cor. 1. *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi. Nam quia non cognouit mundus per sapientiam Deũ, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credẽtes. &c. Quia quod stultum est Dei; sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei fortius est hominibus. &c. Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, & infirma; vt confundat sapientes, & fortia. &c. Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.*

Verum *Lux ægris odiosa est oculis*, ait Augustin. in regula breui.

At Dominus, Matth. 5. *Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter Me, Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. &c. Vos estis sal terræ. &c.*

Ideo mundus odit vos, quia de mundo non estis. Heb. 11. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus. Et hi omnes testimonio fidei probati sunt.*

Chrys. hom. 8. in Mat. *Si quis nunc ad Aegypti veniat solitudines, paradiso prorsus omnem eremum illam videbis digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus.*

Est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum Regium Gregem, virtutumque cœlestium conuersationem in terris micantem.

Atque hæc non in viris solum, sed & in fœminis splendere conspicias.

Non ita varijs astrorum choris cœlum refulget; vt Aegyptus innumeris Monachorum & Virginum distinguitur atque illustratur habitaculis.

QVÆSTIO XV.

An sint Consilia Euangelica, differantque à Præceptis?

HÆRESIARCH. 1. Apostolici, anno 260. coorti, docebant, teste *Epiph. har. 61. Augustin. har. 40.* saluari neminem posse, qui non viueret in Cœlibatu, & Paupertate.

Sic & Encratitæ cum Iuliano Apostata.

2. Iouinianus, teste *Hieronymo lib. 1. in Iouin. & Augustino har. 82.* Nullum esse Consilium, aut Præceptum Continentiæ; sed eiusdem esse meriti Virgines & Coniuges.

3. Vigilantius, teste *Hieron. lib. contra Vigil.* idem de Paupertate docebat; meliusque esse, possidere propria, & eleemosynas elargiri; quam dimittere omnia.

4. Lampetiani idem de Obedientia, teste *Damasc. har. 98.* & Monachos esse liberos oportere.

5. Vvicleff. *in Conc. Constant. sess. 8.* ait, ingredientes religionem eo ipso reddi ineptos ad mandata Dei obseruanda.

Ex quo sequitur, Consilia Euangelica esse prohibita.

Lvtherus cum suis, Calvinus item *Institut. 4. cap. 13.* docent, Nullum esse Consilium Euangelicum. Vide in meo *Luthero-cal. p. 2. q. 53.* Nec vtile vllum, aut possibile.

PAPISTA. Quod Apostolici Consilia volunt cunctis esse præcepta, & negant Consilia, & implicant contradictionem.

Responsum ijs est in meo Lutherocaluinista.

Ibidemque & Iouinianistis ac Lampetianis nouis.

Deinde Orig. in Rom. 15. *Ea, quæ supra debitum facimus, non facimus ex præceptis: Verbi gratia, Virginitas.*

Chrysostomus hom. 8. de pœnit. *Non Dominum incuses, haud mandat in*

sibilia; multi & ipsa superant mandata. &c.

Non cogo, non grauo: sed perficientem quidem coronabo; non perficientem non punio.

Cyprianus libro de habitu Virginum.

Non iugum necessitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum.

QVÆSTIO XVI.

An LABORARE Monachis necesse: & MENDICARE nefas?

HÆRESIARCH. 1. Massaliani, orti anno 361. in Mesopotamia; damnati anno 417. in Concil. Orient. negabant Monachos suis, sed a ieiis viuere laboribus oportere, ac confidere Deo.

2. Guilielmus de S. amore, sub annũ 1240. Wicleff, sub annum 1340.

CALVINVS *Institut. 4. c. 31. §. 10.* Monachos suis victitare laboribus debere.

1. Iuxta *Eph. 4. 1. Thes. 4. 1. Thes. 3.* vbi vel præcipitur, vel consulitur labor: vtroque modo tenentur monachi.

2. *S. Aug. l. de opere monac. c. 17.* ait, nec per spirituales contemplationes, excusari eos a labore.

3. Is mos fuit omnibus retrò sæculis monasticus.

PAPISTA. Dicit ad ista *S. Tho. Opusc. 19. & 2. 2. q. 187. a 3.* Si præcipitur; obligantur omnes: si Consulitur, religiosi ad omnia consilia non tenentur.

AD II. S. Aug. increpat otiantes, ignauosque fucos, fugitantes laborum.

AD III. Fuit ex peculiari regula.

II. HÆRESIARCH. Guilielmus prædictus; Desiderius Longobardus, teste *S. Thom. Opusc. 19.* Gyraldus, VVicleff, apud VValdensem *ar. 2. l. 4.* impugnarunt omnem Religiosorum Mendicitatem.

LVTHERVS *art. vlt.* Brentius *in Confiss. VVirtemb: c. de Votis:* aiunt, extra statum salutis esse, qui se ad spontaneam redigunt Mendicitatem.

PAPISTA. Exemplum Domini sponte pauperrimi, sectarios refutat in meo *Antichristo p. 2. q. 29.*

Neque huc pluribus opus, quam ex *Luthero-cal. p. 2. q. 69.* attulimus ex Bellarmino.

QVÆSTIO XVII.

An damnati ab Ecclesia hæretici iuste a Magistratu sæculari plectantur?

HÆRESIARCH. Donatistæ negabant, teste Aug. *l. contra Parmen. c. 7. & 2. contra Petilian. &c.*

Sic & Hus art. 14. in Conc. Constant damnatus, Sigismundo Imp. exulsus.

LVTHERVS in Assert. art. 33. consensit eidem, & negat vnquam constitisse Ecclesiam comburere hæreticos: Hussum quoque negat hæreticum fuisse. Vide in *Luthero calum. par. 1. quæst. 73.*

PAPISTA. 1. Scriptura sat refutat sectarios, in meo *Antichristo parte 1. quæst. 30.*

2. Deinde praxis contraria ecclesiæ ex quo Christiani extiterunt Imperatores. 3. Sic Patres S. Cyprian. *l. de exhort. martyrij. S. hoc,* (occisos pseudo prophetas) *in veteri Test. fiebat; nunc magis faciendum est.*

Sanctus Hieronymus in Gal. 5. Modicum fermentum, &c.

Arius vna scintilla fuit; sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.

Sanctus Augustinus aliquando sensit, hæreticos non esse vi cogendos, nec cædendos: quod nulla tunc extaret lex Imperatoris desuper.

Postea tamen id retractauit, *& l. 1. contra Parmen. cap. 7.* ait iuste puniri Donatistas

tistas. Et tract. 11. in Ioan. ait: *Occidunt animas; affliguntur in corpore: sempiternas mortes faciunt; & temporales se perpeti conqueruntur?*

Sed qui suas, pluriumque animas per hæresim occidunt: illis vitam, mentemque sanam restituat Vita Iesvs Christus, benedictus in sæcula. Amen.

FINIS

Genealogiæ Ecclesiomachæ Luthero-caluinismi:

Laus CHRISTO, Deiparæ, Diuisque Cœlitibus.

SACRA-

SACRAMENTARIA

GENEALOGIA MYSTERIOMACHIÆ LVTHERC-CALVINISTICÆ,

Hoc est,

OPPVGNATIO SACRAMENTORVM ARCHIhæretica.

PARS III.

De Militantis Ecclesiæ Sacramentis.

QVÆSTIO I.

An Res & verba Sacramentorum mutare liceat?

HÆRESIARCH. GNOSTICI, prius Nicolaitæ dicti, orti sub annum Christi 60. Res & Verba Sacramentorũ inuertebãt, teste *Irenæo, l. 1. c. 9. & 18. Epipha. hær. 26.* Suis tamen certis vtebantur verbis & rebus; vt Augustinus dicat l. 7. de Bapt.

c 25. *Facilius inueniuntur hæretici, qui omhino non baptizent; quam qui non illu verbis baptizent.*

LVTHERVS l.de capt.bab,c.de bapt. plus omnibus audet: *Quocunque modo*, ait, *tradatur baptismus, modo non in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur, vere saluum facit. Imo non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etsi impius Minister non det in nomine Domini, verè baptizatum esse in nomine Domini.*

Attamen hanc sententiam anno 1535. retractauit *homilia 1. de bapt.*

BRENTIVS tamen *in Catechismo suo*, & CINGLIVS *l.de vera & falsa relig.c.de bapt.* præscriptam baptismi formam haud multum curant.

PAPISTA. Cętera omnis Sectariorum turba hãc temeritatem auersatur; non tamen, quo nos, ex principio. Illi, quia nullum placere Deo cultum volunt, nisi quem ipse instituit: cætera esse ἐθελοθρησκείαν. Nos quia Sacramenta nouæ legis sunt causa gratiæ, at hanc dare solius Dei est: ergo & Dei, determinare Essentialia Sacramentorum.

2. In vetere lege Deus determinauit ritum Circumcisionis, *Gen.*17. Agni paschalis, *Exod.* 12. quæ solum typica erant nostrorum Sacramenta, legalemque gratiam afferebant: quò magis vera oportuit determinari, Vide *D. Tho.3. q.* 60. *ar.*5.

Res igitur & Verba immutabiliter designauit Autor ipse Sacramentorum; præsertim quoad verborum substantialem integritatem, constante sibi sensu præscriptorum.

Accidentalis integritas in verbis læsa nil officit: nisi fiat animo nouum introducendi ritum in Ecclesiam. &c. Porro vide in meo *Luthero-calvin. parte 3. quæstion. 6.*

* * *

QVÆSTIO II.

An Sacramenta conferant gratiam ex opere operato?

HÆRESIARCH. MASSALIANI anno 361. exorti in Mesopotamia; damnati in Conc. Orient. anno 427. docebant, teste Damasceno l. de hæresib. *Sacramenta accepta animi sordes non exigere, sed preces, quæ ad illis recte fundantur.*

ARMENI & Catharii idem.

LVTHERANI: Sacramenta volunt nullam immediatè habere efficientiam gratiæ; sed nuda esse signa: mediatè tamen repræsentando excitare fidem, quæ iustificet.

PAPISTA. Sacramentorum & Signa & Verba sunt tum Significatiua, tum Practica & effectiua gratiæ iustificantis, præsuppositæ tamen fide.

1. Teste Scriptura multiplice in meo *Antichristop.2.q.*4.& 1. Pet.3. *Nos similis formæ saluos facit baptisma*, qua scil. olim Noe per aquam vere seruatus est cum octo animabus. *Non carnis depositio sordium*, vt in Circumcisione corporali; *sed* in anima *conscientiæ bonæ*, iam expiatæ, *interrogatio in Deum.* Quanta typi ac veritatis distantia?

2. Pari typo Gen.1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, vt eas fœcundaret à piscibus ceu vitales: *Ne mirum sit in baptismo si aquæ animare possunt*, ait Tert. lib. de bapt.

3. *Omnes*, 1. Cor.10. *in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari.* Et *Hæc omnia contingebant illis figura*, baptismi sc. At in mari verè submersi sunt Ægyptij, saluatus vero Israel: sic in baptismo peccata pereunt, saluantur animæ.

Similes figuras aggerit *Bellarmin. l.2. cap.4.*

4. Ra-

4. Ratio fauet. 1. Sacramenta sunt instituta vt dent certitudinem remissionis peccatorum, Non *Infallibilem*, vt hæretici volunt, Luth. *de Capt. bab. c. de bapt.* Kemn. &c. Nec tamen *dubiam*; sed *Moralem*; quoad nos, qui ponere obicem possumus; quoad Sacramentorum autem efficaciam ex opere operato. *Certâ* infallibiliter, ob Christi institutionem. Cui tamen & in conferentis intentione defectus accidere potest. Quare ea operantur non solum obiectiuè repræsentando, sed vere efficiendo.

2. Quia Verbum prædicatorium facit fidem, *Fides enim ex auditu est:* Rom. 10 at Sacramenta prærequirunt, saltem in adultis Act. 8. *Si credis ex toto corde, licet baptizari.* Itaque hæc quid conferũt, quod præuia fides non contulerat reale ac necessarium.

3. Quacunque lingua non intellectâ dentur Sacramenta, efficaciter dantur; at verbum non intellectum nil excitat fidem.

Non ergo operantur more concionis, sed modo ex ipsis manante. Caluinus *Inst.* 4. *c.* 15. §. 15. Melanch. in Locis de bapt. istud: *Ego te baptizo &c.* Sic exponere coguntur: *Ego testificor tibi remitti peccata.* Vide meum *Luthero-cal. p.* 3. *q.* 13.

QVÆSTIO III.

An, & quale quid sit Character Sacramentalis?

HÆRESIARCH. IOAN. VVICLEFVS, teste Thoma VValden. *to.* 2. *de Sacram. c.* 109. dixit: Characterem Sacramentalem nec affirmat Scriptura, nec ratio probat.

CALVINVS in Antidoto sess. 7. Can. 9. Kemnitius & Heshusius &c. Lutherani similiter.

PAPISTA. At Scriptura eum affirmat, in meo *Antichristo p.* 3. *q.* 6. Et ratio, in meo *Luthero-caluin. par.* 3. *quæst.* 15. & 16, probat eundem: & asserunt S. Patres hic.

S. Dionysius lib. de Eccl. hierar. cap. 2. *Baptizatum diuina Maiestas in sui consortium admittit, eique lucem suam perinde ac signum aliquod tradit.*

S. Cyril. in Catechesi 4. *Sp. Sanctus tempore baptismi animam tuam obsignat.*

Basil. orat. 13. *Quomodo vendicat te Angelus sibi? si non agnouerit signaculum?*

Chrysost. hom. 2. in Eph. *Charactere Sp. Sancti nos insigniuit. Signati sunt & Israelitæ;* sed circumcisionis notâ, vt pecora: nos autem vt filij, Spiritu Sancto.

Aug. lib. de bapt. c. 1. dicit datum in hæretico baptismo characterem, sed iam conuerso, *agnosci potius, quam improbari.*

DE BAPTISMO.

QVÆSTIO IV.

Qua Materia sit & Forma debita Baptismi?

1. HÆRESIARCH. 1. MANICHÆI, teste *Aug. de hær. c.* 46. execrabantur aquam: quod corporalia omnia à diabolo procreata dicerent:

2. *Martionista*, quod à malo principio.

3. *Seleuciani*: quod aquæ baptismus esset Ioannis: Christi in Sp S. & igne teste *Aug. de hær. c.* 59.

4. *Iacobita* ideo ferro candente crucem frontibus inurebant: teste Luxenburgio *in catalo. hær.*

5. Pauliciani pro aqua substituebant hæc verba: *Ego sum aqua viua.*

LVTHERVS *in Sympoſiacis c.* 17. interrogatus, an, deficiente aqua, poſſit baptizari in lacte, aut cereuiſia? aiebat, Diuino committendum iudicio. Dein: Poſſe baptizari in omni, quod balneum dici poteſt.

PAPISTA. Conc. Trid. *ſeſſ. 7. can.* 2. definit aquam naturalem, veram, etſi accidentaliter mutatam. Sic Scriptura Ioan. 3. *Niſi. &c. ex aqua & Sp. S.* Act. 8. *Ecce aqua quis prohibet baptizari.* &c. Vide meum Antichriſtum p. 3. q. 8.

II. HÆRESIARCH. 1 Gnoſtici, teſte *Irenæo lib.* 1. *c.* 18. baptizabãt *in nomine Ignoti Patris, in veritate Matris omnium, & in nomine deſcendentis IESV.*

2. Cataphryges non baptizabant in nomine Pa. & Fil. & Sp. S.

3. Ariani; *In nomine Patris, per Filium, in Sp. Sancto.*

4. Eunomiani baptizabant *in Domini mortem.*

5. Græci ita: *Baptizetur N. ſeruus Chriſti in nom. &c.* Damnantur in Conc. Lateran non ob ſuam formam ceu malam; ſed quod noſtrâ baptizatos rebaptizabant.

LVTHERVS *l. de Capt. Baby. c. de bapt.* Ratus eſt baptiſmus, quibuſcunque verbis detur, dummodo in nomine Domini non hominis detur. Imò quocunque nomine, etſi vel diaboli; modo ſuſcipiatur in nomine Domini. COMMVNIS Luth. docet forma vſitata vtendum; at neceſſarium non eſſe. Sic & Cinglius, Brentius. &c. Vide in meo *Luthero-cal. p. 3. q.* 20.

PAPISTA. Forma baptiſmali ì Chriſto eſt inſinuata, *Mat.* 28. Euidenter tamen doceri non poſſet verbatim, niſi eſſet declarata ab Eccleſiæ Traditione. Qua nititur Conc. Trid. *ſeſſ.* 7. *Can.* 2. Conſule meum *Antichriſtum p.* 3. *q.* 8. Et *Luthero-cal. p. 3. q.* 20.

QVÆSTIO V.

An Baptiſmus ſit ad ſalutem neceſſarius, & quatenus?

HÆRESIARCH. 1. PELAGIANI, teſte Aug. *l. de hæreſ. c.* 69. negabant baptiſmum neceſſarium ad remiſſionem pec. ori. ſed ad aſſecutionem regni cœleſtis.

2. VVICLEFVS, teſte *VValden. to. 2. c.* 96. Nec ad ſalutem eſſe neceſſarium.

ZVVINGLIVS, BUCERUS, CALVINVS, &c. negant vtrumque. Vide in *Luthero-cal. p.* 3. *q.* 21.

PAPISTA. Eſt: Non ſolum præcepti; ſed & Medij neceſſitate. Ioan. 3. *Niſi quis renatus. &c.*

Hoc, ſimiliaque, S. Traditio de naturalis Aquæ neceſſitate ſemper intellexit, & intelligit. Nec Fidelium filij naſcuntur Sancti, vt baptiſmo non egeant: hãc enim hæreſin iam olim damnatam in Conc. Carthaginenſi & Mileuitano teſtatur S. Aug. *ep.* 90. *&* 92.

Eſto: dicantur naſci cum reatu pec. orig. non tamen imputari eis, vt Sanctorum filijs:

1. Tales erant & Cayn, Cham, Eſau. Hos tamen, *Roman.* 8. Deus odio habuit.

2. Deinde è fidelibus ſancti nati, erunt omnes prædeſtinati: at hoc non eſt: ergo nec illud: Aut ſi non ſint prædeſtinati, ergo nec ſancti nati fuerint, ſed ab vtero reprobati; & ſic fidelium eſſe filios nil iuuat.

Iſtud autem fundamentum eorum Gen. 17. *Ero Deus tuus, & Seminis tui;* vniuerſale eſt, & abſolutum, non conditionatum, *ſeminis tui*, ſc. ſi prædeſtinati ſint.

3. Demum Eph. 2. *Omnes naſcimur filij iræ*, id eſt, culpæ ac pœnæ obnoxij *eramus* nati; non *ſumus*, quia iam abluti & ſanctificati ſumus. Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt.* 1. Cor. 15. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt.*

QVÆ.

QVÆSTIO VI.

An baptizandi sint Infantes?

HÆRESIARCH. Anonymi extiterunt tempore S. Bernardi, ipso teste ac refellente, *serm. 66. in Cant. & Epist. 140.* qui præfractè negabant.

Ex LVTHERANO factus ANABAPTISTA primus Balthasar Pacimontanus, anno 1527. ait Ochlæus *in Actis Lutheri*: negauit quemquam baptizandum ante ætatis annum XXX. Sed rogus eum hausit Viennę. Contra scripsit Lutherus & Caluinus. &c. Vide *Luthero-Caluin. p. 2. q. 23.*

PAPISTA. 1. Mandatum est Domini, Mat. 19. *Sinite paruulos ad me venire*; comprimis baptizandos. Atque tametsi Anabaptistæ hic tricentur, *Domini humilitatem in statura pueri commendasse*, vt Augustinus loquitur; simul tamen indicauit, infantilem ætatem à cælorum regno haud esse alienam: *Talium enim*, tum ætate, tum humilitate, *est regnum cælorum*, quales scil. *afferebant ad eum infantes.*

2. Orig. l. 5. in Rom. 6. *Ecclesia ab Apostolis TRADITIONEM accepit, etiam paruulis dare baptismum.*

Idem Aug. l. 4. de bap. c. 24. Et *l. 1. de pec. mer. c. 26.* ait, Pelagianos non ausos fuisse negare baptismum paruulorum; quod viderent nimis aperte pugnandũ fuisse cum tota Ecclesia.

3. Ratio suppetit. Quia Infantes salui esse possunt: Mat. 19. *Talium est enim regnum cælorum.*

Sinamque peccati Adæ participes esse queunt; cur non & gratiæ Christi? Atqui extra Ecclesiam non est vlli salus; nam Mat. 12. *Qui non est mecum; contra me est.*

Vnde Cypr. l. de Vnit. Eccl. *Non habet Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem.*

Ergo intrent paruuli Ecclesiam oportet. Hoc, nisi per baptismum, facere nõ valent. *Quos enim*, Rom. 8. *prædestinauit, hos & vocauit*, per Ecclesiam: *quos vocauit, hos & iustificauit*, per baptismum: *quos iustificauit, hos & magnificauit*, per regnum cœlorum.

Ita Act. 2. *Qui receperunt verbum, baptizati sunt, & appositæ sunt animæ circiter* 3000.

2. Ratio. Quo mĩnus saluentur infantes baptismo, non est impedimentum.

1. Ex parte *prohibitionis* diuinę; Nam Sacramentum pendet ex diuina Institutione.

2. Non à parte *Ministri*, qui tam infantem tingere, quam adultum potest.

3. Non à parte *susceptientis*: in quo adulto fides actualis requiritur: in paruulo non; quia non habens actualem auersionem voluntatis à Deo, non egeta actuali conuersione ad Deum vt adultus: nec vsum liberi arbitrij habet, per quod actualiter operetur adhuc, vt adultus; cui dicit Augustinus: *Qui fecit te sine te: non saluabit te sine te.*

4. Non ex parte *Ecclesiæ* ius in baptizatum acquirentis: hæc enim adiuuat ad salutem multis modis.

QVÆSTIO VII.

An baptismus verè tollat peccata?

HÆRESIARCH. 1. ORIGENISTÆ sub annum 393. exorti, damnati anno 398. in Conc. Alexandrino,

drino, negabant baptismo peccata tolli; sed tegi dun taxat: teste S. *Epiph. hær.* 64.

2. MASSALINI damnatam resuscitarunt: Sed damnantur & ipsi in Conc. Orie. tali anno 427. Theodoreto *l. 4. de fabulis hær.* Alij eandem renouarunt sub annum 597. tempore S. Gregorii, vt ipse refert *lib. 9. epist. 39.*

LVTHERANI patitur ac CALVINIANI idem asserunt pertinaciter. V. *Luthero-c. p. 3. q. 25.*

PAPISTA. Baptismus stirpitus delet, tollitque peccata; teste multiplice Scriptura. Eph. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Ezech. 36. *Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

2. Enimuerò, 2. Cor. 6. *Quæ societas luci ad tenebras? Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Quæ conuentio Christi ad Belial? Qui consensus Templi Domini cum idolo? Vos enim estis templum Dei viui.*

At vero, Sap. 14. *Odio est Deo impius, & impietas eius.* Ps. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.*

Quare delet eam *per lauacrum aquæ in Verbo vitæ.*

QVÆSTIO VIII.

An baptismus reddat homines impeccabiles?

HÆRESIARC. Duæ hic olim hæreses.

1. IOVINIANI, teste *Aug. l. de hær. c.* 82. Baptizatum esse impeccabilem: siq; peccet; non esse tinctum nisi aqua.

Quia, 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare; quoniam ex Deo natus est.*

II. Anonymi tempore Augustini, vt ait *l. 21. Ciuit. c.* 25. docebant, baptizatos non posse damnari, etsi per dirissimè viuant: modo ab Ecclesia non deficerent.

LVTHERVS Posteriorem innouauit errorē Priorem CALVINVS Iouinianizans.

Vide meum *Luthero-caluin. parte 3. quæstion. 26.*

PAPISTA. Damnata est vtraque hæresis: vt Inimica verbo Dei: Refutataque iam olim ab Hier. & Augustino. Ipsaque eas refutat experientia; adeo multi verè credentes apostatarunt. Multi apostatæ resipiscunt, & quandoque recidiuant. Proinde, *qui stat, videat ne cadat.*

Nam, 1. Tim. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt à fide.* Gal. 3. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire Veritati?* c. 5. *Currebatis bene. &c. Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini: gratiâ excidistis. &c. Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos. Qui autem conturbat vos, portabit iudicium.* Ecce gentem apostatricem.

QVÆSTIO IX.

Baptismus Christi, & Ioannis an idem fuerint Sacramento & efficacia?

HÆRESIARCH. Petilianus Donatista, teste & euersore eius S. Aug. *l. 2. contra literas Petiliani c.* 32. 34. 37. asseruit Vnum esse vtriusque: quin tres Baptismos distinguebat, Ioannis in aqua, Christi in Spiritu, Paracleti in igne.

LVTHERANI & CALVINIANI, Luthero excepto, vnum vtrumque fuisse volunt. Vide in meo *Luthero-cal. p. 3. q. 31. 32.*

PAPISTA. Iustum anathema in Petilianistas nouos intorsit *Conc. Trid. sess. 7. Can. 1.*

Nec enim Ioannes baptizabat in nomine S. Trinitatis; quippe cuius ipse autor esset:

Sanctus Basilius orat. 13. de bapt. *Ioannes pœnitentiæ baptismum prædicabat; Dominus*

minus excellentius adoptionis filiorum: Initiatorium erat Ioannis baptisma; Christi, perfectorium.

Illud à peccato auocabat; istud cum Deo coniungit, & familiarem reddit.

Tertul. lib. de bapt. *humanum* vocat, non *cœlestem.*

Et *baptismus pœnitentiæ erat quasi Candidatus sanctificationis.*

Caluinus contemnit Patres: Kemnitius ait parui referre, esseque in medio relinquendam quæstionem.

DE CONFIRMATIONE.

QVÆSTIO X.

An sit Sacramentum Confirmationis?

HÆRESIARCH. 1. NOVATIANI sub annum 254. coorti, damnati anno 255. 258. 259 326. in cæteris, teste Theodoreto lib 3 hæret. fabularum ait: *Pœnitentiam à suo conuentu arcent penitus; & ijs, qui ab ipsis tinguntur, sacrum Chrisma non præbent.*

Quocirca eos, qui ex hac hæresi Corpori Ecclesiæ coniungantur, benedictis Patres vngi iusserunt.

Causa spreti S. Chrismatis erat, quia Nouatianus, ait *Euseb. hist. l. 6. c. 33.* decumbens æger baptizatus est, & postea ceremonias suppleri spreuit.

2. DONATISTAE item iniurij fuerunt in S. Chrisma: teste Optato *lib. 2. contra Parmenianum.*

3. Item & Ariani spreuerunt idem. Waldenses id plane exauctorarunt; teste Æneа Syluio *in hist. Boem.*

4. Wicleffus similiter, non tam id respuit, quam negauit è Scriptura probari posse: arguitque Catholicos.

LVTHERVS *in Capt. bab. cap. de Confirmatione*, negat eam verum esse Sacramentum: posse tamen ait recipi pro ceremonia.

KEMNITIVS *par. 2. Exam. pag.* 320. præscribit circa eam sex, & ea extra Scripturam. Vide *Luthero-ca. p. 3. q. 36.*

CALVINVS similia.

PAPISTA. Verum, & propriè dictum est Sacramentum Confirmationis.

1. Teste Scriptura, in meo *Antichristo p. 3. q. 16.*

2. Testibus Papis primis, vt S. Clemente, *lib. 3. Constit. cap. 10. 16. 17.* S. Vrbano epist. decretali, S. Cornelio Mart. S. Melchiade Mart. &c.

3. Sic antiquissima Concilia; vt Elibertinum *Can. 38.* Arelatense 1. & 11. Laodicenum, aliaque per varias orbis oras.

4. Consensus Patrum communis ac perpetuus.

QVÆSTIO XI.

Quis Confirmationis sit Minister?

HÆRESIARCH. VVICLEFVS *l. 4. Trialogi c. 14.* etsi vel esse neget Sacramentum; tamen, si foret, non pertineret ad solos Episcopos.

LVTHERANVS Kemnitius *p. 2. Exam. pag.* 324.

CALVINVS *Inst. 4. c. 19. §. 10.* id ipsum cæteri omnes: præsertim, cum vix vllam Episcopos inter & presbyteros differentiam agnoscant. Vide *Luthero-c. p. 2. q. 40.*

PAPISTA. Ordinarius, est Episcopus; extraordinarius per dispensationē esse & Sacerdos potest, ex potestate, non Iurisdictionis; sed Ordinis sacerdotalis, cuius Character est signum pacti Conditionati, & inchoati.

1. Ratio illius: Quia Confirmatio est complementum & perfectio Baptismi; ideo par est, vt à primario Ministro detur

detur: ceu vltima forma in omnibus imprimi solet omnino agente primo.

2. In Confirmatione adscribimur ad Militiam Christi, adscribere autem est Ducum. Vide in Luthero-caluinista solidiora.

DE EVCHARISTIA.

QVÆSTIO XI.

An Realis Christi Præsentia sit in Eucharistia testibus Figuris?

HÆRESIARCH I. SIMONIANI, Menandriani. &c. veram negantes Incarnationem Christi; etiam ait S. Ignat. ep. ad Smyrn. *Eucharistias & Oblationes non admittunt, eò, quod non confiteantur, Eucharistiam esse Carnem Saluatoris.*

Sed hoc ex primo consequens nec prædicarunt, nec propagarunt.

II. ICONOMACHI id primi in quæstionem vocarunt post annum Dcc. docentes, Panem & vinum significare solum Corpus & Sanguinem.

III. Sub annum Dccc. tempore Caroli Magni Ioa. SCOTVS primus in Latina Ecclesia docens idem, damnatur in Concil. Vercell. teste Lanfranco.

IV. Sub annum Dccc. LXXXVI. Bertramus idem innouauit.

V. Sub annum ML. Berengarius ista docuit:

1. Paruulos non baptizandos esse.

2. Corpus & Sanguinem Christi non esse in Eucharistia, nisi vt in signo tes significata.

Ideo cum patrem Sacramentariorum agnoscit Concilium in admon. ad VVestphalum.

3. Post tertiam palinodiam, Cum pane & vino esse Corpus & Sang. Christi.

4. Matrimonia dissolui posse.

VI. Sub annum MCXI. Henricus Petro Bruis; semel tantum in Cœna, ait, Christi Corpus præsens fuisse, idemque deinceps meram impostoram ministrorum.

I. Sub annum M. CCVIII. Athigenses idem, teste Conino.

III. Flagellantes sub annum M. CCC. L. teste Lu-

IX. Sub annum M. CCC. XX. VVicleff. Huius labe anno 1400. Bohemos Iacobitas infecerunt; abstrentetamen Hussio ab ea hæresi.

LVTHERVS idem deniq; refutauit quidem. At prius semina illius iecit.

Ex iis enati Sacramentarii, Carolstadius, Zvvinglius, Oecolampadius, CALVINVS, &c. Vide meum *Luthero-ca. p. 3. q. 42.*

PAPISTA. I. Esse Realem Christi veritatem ac Præsentiam, docent exhibitis figuris S. Patres.

Verum eatenus, quòd, vt S. Hier. in Tit. *tantum interest inter panes propositionis, & Corpus Christi; quantum inter vmbras & corpora, inter imaginem & veritatem.*

De pane & vino Melchisedech Chrys. hom. 35. *Vidisti typum, quomodo sacramentum nostrum insinuatur, cogita, ea veritatem.* Cypr. Ambr. Hier. &c.

De panibus propositionis testatur Hier. Cyril. Damasc. De Agno, Aug. 2. contra Petil. c. 37. *Aliud est Pascha, quod Iudæi de oue celebrant; aliud quod nos in Corpore & Sanguine Domini accipimus.* Ideo Dominus *Mat. 26. Lu. 22.* in Cœna primus subiecit typo veritatem. Et cerimonia Agni fuit non tam in Immolatione, quam in Manducatione, *Exod. 12.* &c.

Cum igitur vetera Sacramenta præstent Nouis præstantiâ Materiæ, Signi & corporalis effectus: in alio Noua ea præstare necesse est; id quod est Diuina præsentia realis, & vera: non per fidem solam apprehensa & phantastica.

II. Docetur eadem ex PROMISSIONE Christi facta *Ioan. 6.* Itemq; ex Verbis INSTITVTIONIS, aliisque Scripturis; & communi S. Patrum, Ætatumq; omnium Consensu. Vide meum *Lutherocal. p. 3. qq. 44. 45. 46. 47.* Et in *Anti-*

chri-

*christo p.3.q.*18. Finio verbis S. Ambrosii lib. de his qui initiantur mysteriis; ca.9. *Quantis vtimur exemplis, vt probemus hoc non esse, quod natura formauit; sed quod Benedictio consecrauit; maioremque esse vim Benedictionis, quam naturæ? Quia Benedictione & ipsa natura mutatur.*

QVÆSTIO XII.

An Corpus Christi simul locis pluribus existere possit?

IO. VVICLEFVS, teste *Tho. VValdo to.2 c.*72.73. negauit primus

Negat & CALVINVS, eiusque assecla.

PAPISTA. I. Mat. 19. *Apud Deum omnia possibilia sunt*: Neque implicat vnum corpus esse multis in locis: vt docui in *Luthero tal.p.3.q.*49. & in *Antichristo p.3.q.9.*

II. Deinde Mysteria Fidei, certa Sectarijs, æque difficilia atque hoc, docent idem.

1. Est vna natura Dei in tribus personis reipsa distinctis: quod mirabilius, quam corpus vnum in locis pluribus: quia natura identificatur cum personis singulis realiter; corpus non cum locis: & natura tamen non potest distrahi à seipsa: ergo minus corpus aliquod.

2. Vna est hypostasis in dúabus naturis, maiorque vnio harum cum illa, quam locati cum loco nam hæc est extrinseca, illa substantialis.

3 In resurrectione mirabile, quod vnum idemque individuum bis fiat: sique duplici actione, quomodo non sunt duo?

4. Ex nihilo aliquid fieri, aut ex aliquo nihil, captum superat humanum, à Philosophis semper irrisum: at nobis creditum: Corpus verò vnum pluribus in locis esse captu, credituque facilius est.

5. Æternitas est vnum instans durationis coexistens præterito & futuro, non fluens: multò facilius est vnum corpus in pluribus existere locis.

III. Exempla Dei & Animæ illustrant idem. Deus, res simplicissima, est simul infinitis in locis; nec tamen vnus diuiditur ideo in plures, nec loca plura fiunt vnum: Sic Anima rationalis est tota in qualibet parte corporis: Et Christi Corpus non in pluribus esse locis posset?

IV. Similia idem declarant. Sicut cõ uenit Graui, ponderare, Colorato videri, Lucido lucere, calido calefacere; sic & Quanto, locum occupare: Sed Deus potest facere, Vt graue non ponderet: sic, *Mat.*14. Christus & Petrus aquis inambularunt: Aquæ, *Ios.*3. non defluebãt, sed in montem assurgebant: Vt coloratum non videatur; Sic Luc.4. *Iesus transiens per medium illorum ibat.* Ioan. 8. *Abscondit se* coram lapidantibus: Vt lucidũ non luceret: Sic splendore Christi Paulus excæcatus est, *Act.* 26. qui tamen cum Apostolis post resurrectionem cõuersans splendorem occuluit. &c. His similibus vtuntur S. Patres.

QVÆSTIO XIII.

Ecqui errores circa EXISTENTIAE Modum Corporis Christi in Eucharistia?

HÆRESIARCH. I. BERENGARIVS, teste *Gnitmundo lib.*1. *&* 3. nudum defendere signum non

valens Impanationem finxit, id est, cum pane Corpus Christi consistere & miscerí: Sub annum 108.

II. Berengarii Hostes, *ibidem*, asserebant partem, à pijs sumendam, vertiin verum Christi Corpus; partem ab impijs capiendam, non mutari.

III. Dvrandi error est, *in 4. dist. 11. q. 3.* Forma panis recedente materiam consecratione informari ab Anima Christi, sicut cibus mutatur in Sanguinem.

IV. Anonymvs, apud *D. Tho. 3. q. 75. a. 6.* Formam panis manere; & Materiam mutari in Corpus Christi.

V. Rvperti Tuitiensis error, *in Ioan. 6.* Panem à Christo hypostatice assumi, vnirique sibi per consecrationem; sic Humanitas Deitati vnita est per Incarnationem, non destruendo vel mutando quicquam; sed assumendo solum.

Proinde Corpus Christi *Carneum*, & *Panaceum*, non duo esse, sed vnum in vno supposito; illudque sursum in cœlo, hoc deorsum in ara: & Impios percipere panaceum; pios vtrumque: Vtrosque ore corporali; at pios solos etiam spiritali.

Ita sub annum 1124. teste *Algero l. 1. de Sacram. c. 6.* qui Rupertum refutauit.

VI. Ioan. Parisiensis, teste *Tho. VValden. to. 2. de Sacram. c 65* refutans Rupertum finxit hæresim, Panem assumi à Verbo, mediante solo Corpore Christi absque anima: ne cogeretur sc. admittere, Deum esse panem.

Idque sub annum 1150.

Lvtherus *l. de Capt. Bab. c. de Euch.* dicit:

1. An panis maneat, nec ne; problema est; Fidei neutrum.

2. Panem manere, conformius Scripturæ est.

3. Vera propositio est: Panis est Corpus Christi; ob Vnionem: Vti vera; Christus homo est Deus: Quæ Impanatio est.

4. Sed alubi: Corpus Christi per Vnionem, ad Verbum assecutum est, vt sit, Vbicunque Verbum est, id est, Vbique: quare & in pane Cœnæ est.

Calvinistæ clamant, Transsubstantiationem esse Impossibilem; proinde sceleratam hæresin.

Lutherani possibilem annuunt, ac dissidentistis.

PAPISTA. I. De Berengario, in meo *Luthero-cal. p. 3. q. 51. 52. &c. & in Antichristo p. 3. q. 21.*

II. Hostes Berengarij errant in fundamento suo; Ne detur indignis Corpus Christi:

1. Quia, 1. Cor. 11. *Qui manducat indigne &c.* ergo sunt indigne manducantes.

2. Sic penderet consecratio à bonitate Sacerdotis; nam indignus vti non sumeret Corpus Christi, ita nec consecraret.

Et sic nunquam sciremus an hostia sit consecrata.

III. Dvrandvs errat contra Conc. Trid. sess. 13. c. 4 can. 2.

1. Quia manente materia, manerent accidentia in suo subiecto: qui est secundus error Wicleffi, contra Conc. Constant.

2. Quia Durandi mutatio esset Transformatio, non transubstantiatio, contra Conc. Lateran. Hæreticus fuisset; nisi Ecclesiæ iudicio se submisisset.

Plura *Bellar. cap. 12.*

IV. Anonymvs errat & ineptit, putans panem esse rem merè artificiosam, ac proinde figuram panis in Euch. solum manere, hoc est, ait formam.

V. Rvpertvs Errat. 1. Quia, Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, Caro mea est:* At panis ille à Verbo assumptus, est quidem *Corpus* Christi, at non *Caro*. Nam, Mat. 26. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur*: At corpus panaceum non fuit traditum pro nobis, & crucifixum.

2. Omnis Antiquitas reclamat errori huic.

3. Causæ sunt, cur Deus assumpserit hominem; at nulla, cur panem hypostaticè assumat.

4. Nulla cur Vnionem eam hypostaticam

ticam quotidie destrueret, & restrueret. Apage.

VI. PARISIENSIS ijsdem refutatur argumentis.

2. Deinde error est, Panem immediatè assumi à Corpore Christi, id est, creaturam creaturæ iungi hypostaticè.

3. Et Corpus Christi solum caret Personalitate; ecquî daret igitur eam pani, &c.

Quocirca recte sub annum 240. Tert. l. 4. in Marcionem: *Acceptum panem Corpus suum facit.*

Cyrillus Catech. 4. *Aquam mutauit in vinum; non vinum in Sanguinem transmutauit.* Ibid. *Sub specie panis datur tibi corpus &c. Certissimo sciens, Panem, qui videtur, non esse panem, etsi gustus panem esse sentiat,* &c. Bell. l. 3. c. 21. & 25.

QVÆSTIO XIV.

Quæ sit debita Eucharistiæ MATERIA?

HÆRESIARCH. extitit sub annum 1053. GRAECIA: teste *Leone IX. ep. ad Mich.* Tunc Græci reprehendere cœperunt Latinos, quod Azymo vterentur appellantque Azymitas, vt etiam hodie: Quod putent, Dominum ante diem primum azymorum instituisse Sacramentum: sc. 13. Luna mensis; sicque manducationem Paschæ vno dicant cipasse sc. feria V. Tunc enim inueniri azyma, necdum erat contra *Exo.* 12. & 13.

LVTHERANI ZVVING. & CALVINISTÆ Græcis consentiunt potius, quam Latinis. Vide meum *Luthero-ca. p 3. q. 56.*

PAPISTA. Christus in azyma Sacramentum instituit luna XV. feria V. Quia prius Pascha manducauit testibus 4. Euangelijs: at hoc sine azymis manducari nequibat; *Exod.* 12. Ergo cũ immolatio Paschę inceperit vsum azymorum, in his Dominus instituit Sacramentum. Ita *D. Tho.* 4. *d.* 2. *a.* 2. *q.* 3. Vnde nec *Ruperti*, nec *Burgẽsis Respõsio ad Græcos*, horum tollit fundamentum.

1. Nam RVPERTVS vult, feriæ V. vespero cœpisse 14. lunam; tuncque Dominum Immolasse Pascha cum azyma, & Instituisse S. Cœnã: Posteram vero diẽ fuisse profanam; quod traditio vetarit festum cum Sabbato cõtinuari: Sicque festum azymorum aliquando differri in diem sequentem; at nunquam celebrationem Paschæ mutari.

2. BVRGENSIS idem respondet: vult tamen Vtrumque differri perinde potuisse: ideo Iudæos feria VI. vesperi mãducasse pascha: Dixisseque Dominum, Mat. 26. *Scitis quia post biduum erit pascha.*

AT Neutra tollit fundamentum Græcorum de Anticipato Paschate ab Christo.

Et ephemeristæ Hebræi ita dirigebant Kalendarium, ne in feriam VI. incideret luna 14.

II. HÆRESIARCH I. EBIONITAE, ait Epiph. *hær.* 30. TATIANI, *idem, hær.* 46.

AQVARII teste Aug. *l de hær. c.* 64. prætextu sobrietatis in aqua sacrificabant.

2. ARMENI, teste *Niceph l.* 8. *c.* 53. aquam vino non miscebant in Missa; quod non crederent duarum in Christo naturarum Vnionem.

LVTHERANI & CALVINIANI mero vino absque aqua vtuntur in Cœna.

PAPISTA. In Sacrificio, non miscere aquam vino, grande piaculum est: Foret tamen Sacramentum.

NOTA. 1. *Ratio Sacramenti* Non est tota in solis speciebus; Nec in sola Re contenta: Sed in vtroque quoad essentiam; Magis tamen conuenit speciebus, vt continent; quam rei, vt continetur.

Ita *Trid. sess.* 13. *c.* 3. Quia Sacramen-

tum est signum visibile rei inuisibilis; quod est huius operatiuum proprie. At *Ratio Sacrificij, pignoris, & alimenti,* magis conuenit Rei Contentæ; quam Speciebus, vt continent. Nam quod offertur Deo, est Christus; non species proprie. Ita pignus, alimentum in re consistunt, non in speciebus propriè.

2. Sacramentum verò latè est cuiusque rei sacræ signum; Vt est Eucharistia: 2. Strictius, est signũ rei sanctificantis animam; Vt Sumptio Eucharistiæ: 3. Propriè, est Signum Significans, & Efficiens sanctitatem animæ: Vt Eucharistia; non autem Sumptio. Aqua Calici mista, neutri absolutè necessaria est per se, nec Sacrificio, nec Sacramento: Negligentia tamen non vacaret culpâ: non hæresi, contemptus. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 57.*

Vnde S. Cypr. l. 2. epist. 3. *In Calice offerendo Dominica Traditio seruetur: neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis prior fecit; vt Calix mixtus vino offeratur.* S. Aug. cum Conc. Carth. III. c. 24. *Nil amplius offeratur, quam Dominus Tradidit, id est, panis & vinum aqua mistum.*

QVÆSTIO XV.

Ecquæ sit Consecrationis Eucharisticæ FORMA? Minister quis?

I. HÆRESIARCH. GRÆCI Recentiores contendunt, non solis verbis, Ecclesiæ Romanæ sueetis; sed & aliis precibus confici Sacramentum:

LVTHERO-CALVINISTÆ in hoc conueniunt, vt formam Romanam non integrè admittant.

Dissentiunt autem, quod LVTHERANI verba Institutionis necessaria quidam negent: quidam ex parte admittant:

CALVINISTÆ vero solum verbum concionale requirant.

PAPISTA. Hæreticorum errorem refutati vide in *Luthero-cal. p. 3. q. 58.*

Græci Schismatici orant: *Fiat hic panis Corpus Christi. &c.*

1. At non orando consecrauit Dominus, sed *gratias agens,* nil petens, *dixit, Accipite. &c.* Verba gratiarum actionis non constant; Benedictionis vero constant: *Hoc est. &c.*

2. Quas adducunt autoritates Liturgiarum, item S. Dionysii, Damasc. Epipha. &c. eæ orant, vt in nobis fiat, quod iam est per Verba consecrationis factum in speciebus: vt simus vnum cum Christo, & inter nos vnum Corpus in Christo. &c. Hinc Missam S. Patres vocant *precem*; quod ante & post Consecrationem pene meræ sint preces: Et quod Sacerdos in Missa personam agat *Nunc* suam, cum confitetur & orat. &c. *Nunc* Christi; cum Consecrat: *Nunc* legati, cũ pro populo deprecatur: *Nunc* sui & Christi ab his verbis, *Qui pridie quã pateretur,* adusque finem consecrationis. Hinc quædam leguntur recitatiuè; quædam significatiuè.

II. HÆRESIARCH. VVICLEFVS, ait Tho. VValdo. 1. de Sacram. c. 7. & 28 primus in dubium vocauit, vt rem miram; cum Sacerdos improbus Eucharistiam consecrare possit; cur idem non possit laicus bonus? Definire tamen non audebat.

LVTHERVS definiuit, posse id omnem baptizatum; non decere tamen, ob rerum confusionem.

CALVINVS & assecla præfracte id negant. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 59.*

PAPISTA. Eucharistiam consecrare munus solum est Sacerdotale: *Hoc facite.*

Quod si ad quoscunque baptizatos referẽdũ foret promiscue; omnes quoq; Consecrare & distribuere tenerentur.

Si

Si non ad Consecrationem referretur, de hac nullum esset in Sacra Scriptura mandatum.

Atqui istud, *Hoc facite*, referri ad Benedictionem, Distributionem & Sumptionem, fatetur Lutherus *l. de instit. ministris*: Confessio Augustana *c. de Missa*: Caluinus *Inst. 4. c. 15. §. 20.* Kemnit. *p. 2. exam. pag. 534.*

QVÆSTIO XVI.

An in vtralibet specie Christus insit totus, Sic, vt sub Vna Communicare fasit?

I. HÆRESIARCH. PETRVS Dresdensis, & Iacobellus Misnensis an. 1412. teste Æneas Syluio *hist. Boem. c. 35.* primi docuerunt Pragæ necessitatem Communionis sub vtraque, ex illo Ioan. 6. *Nisi manducaueritis &c.* Huss eos excepit, suamque fecit hæresin, & Boemiam infecit.

LVTHERVS Est; Non est, inquit, in vtraq; Christus totus. Lutheranis & Caluinianis Concomitantia ridicula est, inuentumque diaboli. &c. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 61.*

PAPISTA. Est totus in Vtralibet Christus.

I. Quia nî esset, sub Vtraque communicare præcepisset: at non hoc: ergo. Instituit sub vtraque; sed Institutio rei nõ est eiusdem incumbens omnibus præceptio. Alioquin omnes oporteret suscipere Matrimonium, Ordinem, Extremam Vnctionem. &c. Consilia Euangelica tria. &c. Præcepta est tamen omnibus Substantia Eucharistiæ; nõ Modus specierum. Si n. præceptus esset; vsquã extaret; aut alicunde constaret: at neutrũ. Quia loca in quibus aduersarii putant contineri præceptum, Nec euincunt, Nec eadem sunt omnibus, sed aliis alia.

1. Hussitis, Ioan. 6. *Nisi manduc.* At reclamant Lutherani, agi ibi de Eucharistia.

2. Lutheranis, Luc. 21. *Hoc facite.* At repugnãt Caluinistæ; volũt solis id Ecclesiæ ministris, non laicis dictum.

3. Caluinistis Mat. 26. *Bibite ex hoc OMNES.*

At respondet Marcus. 14. *Et biberunt ex illo OMNES.*

II. A tempore Christi & Apostolorum per annos 1412. vsque ad Hussum, liberum fuit vna, vel vtraque communicare.

Ergo semper creditum est, Vtramq; non esse in præcepto.

III. CHRISTVS Vsum Vnius declarauit & verbis, Ioan. 6. Hic agi de Sacramento, negant Lutherani, & quidam Caluinistæ: Affirmant Hussitæ & Gallicani Caluinistæ; seu Hugonotæ: inque hoc nobiscum & omni cum Antiquitate consentiunt. Item & FACTO declarauit, *Lu. 24.* in Emaus: teste 1. S. Patrum autoritate:

2. Ipso Textu,

3. Ipsoque Effectu illuminationis. Spiritale hoc planeque diuinum erat; Sed Benedictio seu Consecratio, vt causa diuina diuini fructus, ex re benedicta consecuti, præcesserat.

Etiam *Mar. 4.* Panes *Benedixit, fregit, porrexit*; sequente quidem miraculo multiplicationis: Verum cum effectu solum corporali satiationis: At hic, & in Cœna cum miraculorũ miraculo Trãssubstantiationis res gesta est: *Hoc est v. Corpus meum. Hic est enim Sanguis meus.* Dixit, & facta sunt. Proinde iudunt in re omnium grauissima Caluinistæ Tropi-

ſtæ; qui Intellectiones & Synecdochas hic fingunt partis pro toto.

IV. APOSTOLI Vſum Vtriuſque tenuerunt; Act. 2. *Erant perſeuerantes. &c.* Hic agi de Synaxi, fatentur Lutherocaluiniſtæ: Quod de meris rebus ſacris agatur: Quod Syrus ita vertat: *Communicabant in precibus, & fractione Euchàriſtiæ.*

Quod Lucas de nouis Chriſtianis loquatur, qui à vino abſtinebãt multi, ceu Nazareni.

Item *Act.* 20. agi de ſola fractione fatentur Calu. Beza, Kemn. &c. & S. Patres, & Nos.

Nec tamen ſequitur neceſſariò, Apoſtolos ſub Vna Sacrificaſſe: Comedi tamen, quia fieri poteſt: & ſubinde oportet, vt in Noruegia: Quia & Chriſtus ſub Vna conſecrauit in Emaus. Licet nunc præceptum Eccleſiæ obſtet.

V. POSTERITAS Apoſtolorum Vtriuſque, vniuſque liberum tenuit Vſum ſemper: vt nec Manichæiſmo ſuſpecti habebantur. Docet vnam quoque Communicatio Domeſtica; item Laica, item Ægrotorum, ad quos vna deferebatur. Infantibus vna dari ſuerat.

VI. CHRISTVS TOTVS eſt in Vna perinde vt in vtraque.

Quia 1. Ioan. 4. *Qui ſoluit IESVM, non eſt ex Deo.* Cum igitur, Rom. 6. *Chriſtus iam non moritur*: manet *Homo Deus heri & hodie*; Et vt ait, *Ecce ego vobiſcum ſum*, tam eſſenter, præſenter, potenter; tum & Sacramentaliter, *vſque ad conſummationem ſæculi.*

Malè igitur *Caluiniſtæ* fingunt Chriſtum in cœlo ſolum eſſe cum carne, ſanguine, anima, & alubi nuſquam.

Vnde ſequitur ipſis nec ſub vna, nec ſub vtraque adeſſe Chriſtum.

Negant noſtram Catholicam *Concomitantiam* Caluiniſtæ, ac rident:

Lutherani quidam negant; ſed aſſuunt Vbiquitatem, Quidam aſtruunt Concomitantiam; ſed negant Vbiquitatem.

Ecquod tales ſanet helleborum?

Sed qui aſſerunt Lutherani *Concomitantiã*; non habent Totum, imò nec partem: cum ſolui nequeat Chriſtus, aut mori: carentque Toto: Volunt enim ſolum Corpus in pane, ſolum Sanguinem in Calice adeſſe.

Similiter qui Lutherani aſſerunt *Vbiquitatem* contra Concomitantiam; in Cœna nihilo plus habent, quã in peſce, gramine. &c. Infelices!

VII FRVCTVS par ex Vna, atque ex Vtraque conſtat.

Quia Idem vtrobique Chriſtus eſt Totus. Vt Exo. 16. *Nec, qui plus collegerat, habuit amplius, nec, qui minus parauerat, vt petit minus* de Manna, *Sed ſingulis iuxta id, quod edere poterant, congregauerunt.*

I. LVTHERANIS omnis ac ſolus fructus eſt, Extinguere, augere fidem, id eſt, fiduciam peccata ſibi eſſe remiſſa per Synaxin: vt quò inſtituta ſolum ſint Sacramenta.

AT hic etiam ex Vna conſtare poteſt; idque Videndo magis, quam Cõedendo: *quod* hoc tranſeat citius; Viſus duret diutius: *Simul* viſus vnius perinde ac vtriusque poſſit excitare fidem. *Sicut* tam vna aſperſio ſat baptizat, quam trina.

Item

Item Communicantes prius vident, quam edant: cum visus excitet fidem efficacius, quam esus; quid comestionis opus?

2. An vero Auditus fidem excitat? At verba Institutionis tam ad Vnam, quam ad vtramque recitantur.

3. An ipsa sumptio excitat? Sed quid illud in ea? Deuotio sumentium? At sic fides seipsam excitaret: idque potest extra Sumptionem: Imo fides adesset ante Sumptionem, & antequam excitaretur.

An species? At vna excitare sufficit. An res contenta? At illa his abest tota; illis adest tota hic, vt vbiq,: istis adest ex parte, id est, in nullo sui.

Ita Sacramentum sibi tales vertunt in ludibrium.

2. Calvinistis quis fructus constabit, queis dubia sunt omnia?

1. Dubium; An Christus realiter sit præsens in Cœna? Caluinus *in* 1. *Cor.* 11. Affirmat: Idem *in Confessione de re Sacram.* Negat. *Quia Christi Corpus finitũ est, & cœlo & loco cõtinetur*; necesse est à nobis tãto locorũ interuallo distare, quanto cœlũ abest à terra. Sic & Plessæus ait, & negat.

2. Dubium: Quomodo Christus edatur ac bibatur? Caluinus *Inst.* 4. *c.* 17. §. 5. à se, suisque distare fatetur Zvvinglianos: scribitque sic, vt vix intelligi sat queat.

Plessæus clarè ait: Sic edi bibiq; Christũ in Cœna, sicut in Baptismo: In hoc a. non aliter, quam in Verbo Dei, i. sola fide.

3. Dubium: Quis fructus sit manducationis & bibitionis Sacramentalis? Caluino, *ibid.* §. 2. est Certitudo seu securitas de Vita æterna.

Plessæo *l.* 4. *de Euch. c.* 1. est idem Cœnæ, qui Agni paschalis: Verbo, idem fructus est Sacramentorum omnium in Nouo, qui in vetere fuit. Vide apud Reueren. Patrem Becanum in *Manuali lib.* 1. *capite* 9. §. 79. Qui recte infert: Si Plessæo credimus; Christiani sunt pares Iudæis: Si Caluino; pares sunt Christo existenti in cœlo.

Itaque de Re discordant incerti.

De Symbolis si agitur solis; vtramque poscunt speciem; sub neutra Christus adest.

1. Quod si vna mersio ijs sufficit in baptismo; cur non vna species in Eucharistia?

2. Deinde Fructus Cœnæ, certos vitæ æternæ faciendi, habetur ante Sumptionem secundum ipsorum principia: Nam ijs Reprobi nunquã sunt certi salutis: Prædestinati verò semper manent certi per fidem suam iustificantem: at hæc præcedit Sumptionem.

Quid ergo fructus confert Cœna? quid vna; quid vtraque?

Plane ex hoc eorum fundamento nullo opus est Sacramento seu baptismi, seu Cœnæ, &c. Sola fides sufficit.

VIII. Quò iustiores sunt CAVSÆ Decreti de Vna. Quibus prædictis adde,

1. Vt & Abstemijs sit consultum;

2. Et locis, vbi vinum haberi nequit.

3. Et vt periculum effusionis aut irreuerentiæ caueatur.

Atque hasce causas adprobant etiam

iam ij, qui præceptum de Vtraque vrgent: Brent. *in apol. Confess. VVittemb.* abstemiorum communionem sub vna probat: Ruthenorum, vino carentium, Melanch. *l. de vsu Sacram.* Nec inde à Christo vnquam auditum, abstemios caruisse S. Synaxi.

Quod si vtraque foret de præcepto diuino; sane in hoc dispensari abhomine nunquam potuisset.

QVÆSTIO XVII.

An pro defunctis ritè Sacrificetur?

HÆRESIARCH. AERIVS, cognomento Impius, ortus anno 356. An iochiæ; damnatus in Synodo Syrmiensi anno 357 sæpiusque alias; primus negauit pro vitâ functis Sacrificandum esse.

LVTHERO-CALVINIANI pernegant idem. Vide meum *Luthero-ca. p. 3. quæstion. 76. & par. 1. q. 92.*

PAPISTA. 1. Ritus Sacrificandi pro defunctis est, qualis Regula. Sanctus Augustinus *li. 4. de Baptismo capite 42.*

Id certissime credendum ex apostolica Traditione descendere; quod in omni Ecclesia seruatur, nec in aliquo Conc. institutum, sed semper seruatum ac retentum est.

2. Aerius hæresios in hoc damnatus est: ergo & Luthero-caluinistæ rei.

De quo ita Melanchthon in apolog. Confess. August. *Falso citant aduersarij contra nos damnationem Aerij; quod negauerit in Missa* Oblationem *fieri pro viuis & mortuis. &c. Epiphanius testatur Aerium sensisse, quod* Orationes *pro mortuis sint inutiles; id reprehendit. Neque nos Aerio patrocinamur.*

Duo hic Mendacia:

1. Aerium negasse Orationes, non Oblationes:

2. Lutheranos non patrocinari neganti orationes pro mortuis: cum hæc & illas negent & execrentur omnes.

3. Tota Classis S. Patrum pro nobis at contra Luthero-caluinistas.

IV. DE POENITENTIA, EXTREMA VNctione & Ordine.

QVÆSTIO XVIII.

An pœnitentia sit propriè dictum Sacramentum?

HÆRESIARCH MONTANVS in Phrygia arreptus subinde spiritu nequam ex œstro prophetizare accepit anno 172. cum Prisca & Maximilla, [illegible] sub specie pietatis: Sed inferre noua dogmata, [illegible] scæ inaudita Ecclesiæ; apud *Baron. anno* 172. eo, quod honores Ecclesiæ exambitos adipisci non posset.

In hisce Pœnitentiam funditus tollebat, teste *Hieron. epist. ad Marcellam.*

Se demum laqueo interemit; hæresi post se relicta Cataphrygarum infanda; damnata sæpius.

NOVATVS presbyter Cartagin. in Africa conciuit schisma contra Sanctum Cyprianum negans lapsis reditum ad pœnitentiam, anno 254. Et Romæ Nouatianum Presbyterum Antipapam creari procurat in eadem causa Impœnitentiæ: Damnatur in Rom. Conc. anno 25[illegible] vt hæresiarcha.

LVTHERANI Pœnitentiam esse Sacramentum negarunt principio; deinde asseruerunt.

CALVINIANI præfractè negant.

Vide

Vide in meo *Luthero-ca.par.*3. *quæstion.*80. & 91.

PAPISTA. Pœnitentia est propriè dictum Sacramentum. Teste Ioan. 20. Vide *Antichristum p.*3. *q.* 29. Deinde S. Patrum conspirat huc Consensus. Tertul.l.de Pœnit. *Hæc venena prouidens Deus, clausâ Ignoscentiæ ianuâ, & Intinctionis ferâ obseratâ; aliquid adhuc permisit patere; Collocauit in vestibulo Pœnit. secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* S. Cypr. ser. de ablut. pedum. *Post baptismum, (qui sui reuerentia non patitur iterari) aliud lauacrum procurasti* Ita S. Ambr. Hier. August. Chry. Cyril. &c. & omnis primitiua Ecclesia.

QVÆSTIO XIX.

An Contritio possit haberi sine speciali auxilio Dei?

HÆRESIARCH. Pelagius indoctus calumniator S. Hier in Sicilia extitit hæresiarcha anno 410. & ait S. Hieron. *publicè erubescit loqui, quod secretò docere non metuit.* Ideo anno 415. suam damnat hæresim dolosè in Concilio: & anno 416. damnatur in Conc. Mileuitano & Carthagin. ab S. Aug. & S. Hieronymo exagitatus. Aeruisus dolosè supplicat Papæ anno 417. pro absolutione: At relapsus à Conc. Carthag. damnatur, ab Honotio relegatur. Finxit is, teste *Aug. l. de hæres. c.* 88. & *Epist.* 106. gratiam, qua liberamur ab impietate, secundum merita dari.

Lvtheranvs Kemnitius *p.*2. *Exam. pag.* 963. impingit Conc. Tridentino, quod eandem hæresim stabiliat: & Romano-catholicos facit videri Pelagianos.

PAPISTA. Mentitur iniquitas sibi. Veritas nostra dicit, dixitque semper, Conuersionem à diuina gratia præueniri, ac inspirari.

1. Sic Conc. Trid. *sess.* 6. *Can* 5. & *c.* 14. & *Can.* 3. & *sess.* 14. *c.* 4. Sic omnis retro Antiquitas tum Conciliorum tum S. Patrum Consensus: Autore S. Scriptura. Ps. 84. *Conuerte nos Deus salutaris noster.* Ps. 118. *Erraui sicut ouis quæ perijt, quære seruum tuum.* Ierem. 31. *Conuerte me Dom. ne, & conuertar. &c. Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam.* &c. Vide Antichristum p. 3. q. 33.

QVÆSTIO XX.

Num quæ sit necessitas CONFESSIONIS de Iure diuino?

HÆRESIARCH. Montanistæ & Novatiani sub annum 254. vt *q.* 18. dictum, negabant Absolutionem, vnde nulla Confessionis sequitur necessitas.

Avdiani, ab Audæo in Mesopotamia orti anno 341. ait *Theodor. l.* 4. *de fabulis hær.* iubebant quidem Confessionem, & impertiebant Absolutionem; sed pœnam iniungebant pœnitentibus nullam. Vnde hi pauca quædam confitebantur, at grauiora celabant.

Messaliani, anno 361. in Mesopotamia orti, damnati in Conc. Orientali anno 427. teste *S. Damasc. l. de hær.* peccata dimittebant, nulla habita ratione pœnitentiæ, & Canonum.

Wiclefvs ait *Tho. Vvald. to* 2. *de Sacr. c.* 135. sub annum negauit Sacramentalem Confessionem in S. Scriptura fundari; sed à Papa institutam.

Lvtheranivariè aiunt, & negant: Calviniani Sacramentalem pernegant cum Nouatianis Vide *Luthero-c. p.*3. *q.* 93.

PAPISTA. Affirmamus, ex & Institutione Christi, Figuris Veteris & Noui Testamenti, & Vsu doctrinaque Apostolorum: Vide in *Luthero-cal. p.* 3. *q.* 93. 94. 95. Et in *Antichristo q.* 37.

2. Demonstrat idē *Bell. l.* 3. *c.* 5. ex Concilijs, & *c.* 6. 7. 8. 9. ex S. Patribus ordine sæculorum. Contra quos Luthero-caluinistarum obstrigillatiunculas diluit idem *c.* 11.

3. Ratio fauet. Nam quæ iuris sunt humani, ea reperiuntur initium habuisse ab Concilijs vel Papa. At Irenæus, Tertul. &c. de iure diuino Cōfessionis prodentes omnia Concilia antecesserunt. *Item* Confessio tam res difficilis est, vt, nisi de eius iure diuino constitisset, homines adeo vniuersi ad eam adigi ne-

nequiuissent. *Item* Plurima illius vtilitas est: Miracula eam certa approbarunt. *Bell.c.12.*

QVÆSTIO XXI.

Vnctio infirmorum an sit proprie dictum Sacramentum?

HÆRESIARCH. VValdenses sub annum 1. teste Æneа Syluio *l. de Orig. Boem.* negarunt. Item Albigenses, apud S. Antoninum *p. 4. tit. 11. c. 7. §. 5.* Item VVielefus, teste Tho. VValdensi to. 2. de Sacram. c 163.

Lvtherani quidam esse Ritum dant, Sacramentum negant. Alii cum Calvino negant totum, ac irrident & dispuunt. *Luthero-ca. p. 3. q. 103. 104.*

PAPISTA. Tam confessa de hoc Sacramento semper veritas constitit, vt non nisi serò eam hęretica impietas cōuellere ausa fuerit. Neque S. Antiquitas de illius Institutione vnquam mouit quæstionem; nisi nouitia schola Theologorum: Cui visum, eius Institutionem ex Euangelistis repeti oportere: vt quam S. Iacobus adeo fidenter præsupponebat. Sed hęc certa eius scientia fidesque non innitebatur verbo Scripto magis, quam cætera illius prædicatio; quam hausit ex Traditione Domini sic tradentis ac docentis, sicut à Patre acceperat. Eadem in fide Traditionis Ecclesia esse Sacramentum constanter tenuit; at Modum eius administrandi per vetustissimos S. Canones ac Concilia definiuit stabilem ac certum. Cætera in Luthero-cal. require.

QVÆSTIO XXII.

An ORDINATIO sit vere Sacramentum?

HÆRESIARCH. 1. SATAN, hæresiarcharum Patriarcha est, de quo, Ioan. 8. *Homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia Veritas non est in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprio loquitur; quia mendax est.* Is vt degit *vbi nullus ordo, sed horror sempiternus inhabitat*: ita tum Ordinis, tū Ordinationis in Ecclesia capitalis est hostis: Et ab eo omnes filij Belial: Inprimis hæretici: qui omnia promiscue peragi volunt in Ecclesia, nulla vel sex° vel ordinis distinctione. Vnde notauit Tertul. *de præscript. c. 41.* per mulieres quoque procaces audent tingere, docere, exorcisare, & Ordinationes impendere. &c.

2. SIMON MAGVS talium primus, de quo Petrus, Act. 5. v. 20. *Plene omni dolo, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas* Solenne hæreticis semper fuit, *mulierculas circumducere oneratas peccatis*, Satanæ prophetissas; eisque permittere Sacra & profana: Quin & Laicis Sacramenta submittunt. Nec mirum, cum apud eos nullus sit Ordo, sed horror, & Confusio Babel, & ataxia plusquam gentilis. Vide *Bzov. anno 44. §. 32.*

3. Lvthervm sane Dæmonis vsum magisterio, ipse testatur *l. de priuata Missa.* Zvvinglium à nocturno spiritu, atro an albo, negationem Christi in Eucharistia hausisse, ipse prodit. Caluinum vtriusque discipulum extitisse, gloriantur etiam Caluinistæ, teste *Decade 1. & 2. Reformati Euang.* Scultetı, apud Exregem & Expalatinum Fridericum V. summi & vltimi Prædicantis Caluiniani Heidelbergæ.

De his vera ne vox Domini? Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo estis.*

Vel

Vel isthoc testatur, quod Inimici Crucis Christi, Sacramentum Ordinis execrentur, & amentataxiam, hæreticis cunctis solennem ac perennem.

LVTHERVS *l. de Capt. Baby.* Illyricus, Kemn. &c. negant S. Ordinem esse Sacramentum.

CALVINVS *Inst. 4. c. 14 §. 20. & c. 19. §. 31.* agnoscit Ordinationem esse vere Sacramentum: Seque explicat, quod alubi duo solum Baptismum & Cœnam asseruerit, velut omnibus communia.

MELANCH. in Locis primò editis duo Sacr. assignauit: At in secundo editis anno 36. 52. 58. adiecit Ordinationem vt verum Sacr. ac fusè probat. Sic & *in Apolog. Conf. Aug. art.* 13.

Sed quatenus accipitur pro Ordinatione Ministrorum: non autem pro Sacerdotio. &c.

PAPISTA. Ordinatio est propriè dictum Sacramentum; habens in Scriptura Ritum, Mandatum, Promissum. Vide in *Antichristo p.* 3. *q.* 42. Habens Traditionem perpetem Pontificum, Conciliorum, Patrum, & Theologorum consensum: Vt nullum vnquam agnorit Ecclesia ministrum altaris, qui Ordinationem ab Episcopo non accepisset orthodoxo. Solis propria hæreticis est Ataxia.

V. DE MATRIMONIO.

QVÆSTIO XXIII.

An Matrimonium sit vere Sacramentum?

HÆRESIARCH. SIMON Magus, Saturninus, Gnostici, Manichæi. &c. à Deo esse Matrimoniũ negabant; ideoque nec Sacramentum esse. Promiscuam igitur venerem inuehebant. Sic & Tatianus & Encratitæ Adamiani, Priscillianistæ, Apostolici, Albigenses: Testibus S. Patribus.

LVTHERANI item & CALVINIANI, non tollunt Matrimonium; sed negant esse Sacramentum: quod Symbolo seu Ritu careat externo, & Promissione gratiæ. Vide *Luthero-cal. p.* 3. *q.* 107.

PAPISTA. Esse propriè Sacramentum creditum constat ex & Institutione, & Traditione, in meo *Luthero-c. p.* 3. *q.* 107. *&* 108.

Et RATIO suadet. 1. Quia Matrimonium est vnius cum vna, & Insolubile vinculum. *Mat.* 10. Ergo est & Signum sacrum, & Conferens gratiam.

1. *Signum:* quia insolubilitas ea referri alio nequit, nisi in Christi & Ecclesiæ vnionem: quæ non erat apud gentiles aut Iudæos.

Vnde 1. *Cor.* 7. ante baptismum matrim. est solubile.

2. *Gratiam confert*, vt necessariam ad durandum cum vna in eo vinculo indispensabili: in necessarijs autem Deus non deficit: Et *iugum* Christi *suaue est.*

Deinde Finis Matrim. est Propagatio sobolis cũ educatione & Remediũ peccati: Vtriq; opus gratia est. *Educationi & Institutioni* liberorum piæ: quia bestiæ prolificãt; at nõ instituũt; & infideles instituũt; sed nõ ad salutẽ: hoc Christiani est coniugij: tũ vt Ecclesiã augeant; tũ vt similitudi i Christi & Ecclesiæ respõdeant, iuuand) cũctos ad salutẽ. Matrim. quà *Remedium* est, eget gratia; quia vsu copulæ accenditur concupiscentia; gratia Dei est ei velut affusa frigida. *Adhæc* S. Patres sanctissimis rebus matrimoniũ compararunt: Idque vnanimi consensu inter VII. Sacramenta numerarunt, adque huc Græci in responsione ad Conf. Augustanam.

QVÆSTIO XXIV.

An Fidelium Matr. Consummatum sit solubile quoad vinculum?

HÆRESIARCH. GRAECI Schismatici aiunt; hodieque soluunt, teste Guidone *l. de har.*

LVTHERANI perinde ac CALVINIANI plures casus, causasque Solubilitatis comminiscuntur idemque multis suadent. Vide meum *Luthero-ca. p. 3. q. 113.*

PAPISTA. Vere Christianis Thorus aut Cohabitatio solui ob fornicationem potest; at Vinculum nunquam, nisi morte sola.

1. Sic manifesta Scriptura seu Euangelica *Mat. 5. Mar. 10. Luc. 16.* vt & qui dimittit, & qui dimissam duxerit, mœchetur, Seu Apostolica, *Ro. 7. & 1. Cor. 7.* Vide *Antichristum p. 3. q. 45.* Adhæc eadem veritas per singula S. Patrum sæcula transiens ad nos vsque descendit.

In I. S. Clemens in Constit. Apost. c. 48. dimissam ducens excommunicat.

In II. Iustinus & Athenagoras in Apologia ad Imp. Antonin. & Clemens Alexandr. l. 2. Strom. *Adulterium est coniungi matrim. viuo altero ex separatis.*

In III. Marcioni obiicienti Christum Moysi contrarium esse Tertul. l. 4. in Marcionem solidum reponit Christi responsum.

In IV. Conc. Elibertinum can. 5. S. Ambr. Hier. Chrys. idem asserunt. Sicque innumeri cæteras ordine per ætates, apud *Bell. c. 16.*

FINIS

Genealogiæ Mysteriomachæ Luthero-caluinianæ.

DEO, Deiparæ Diuisque Laus & Gloria: Amen.

GENEA-

GENEALOGIA CHARITOMACHIÆ LVTHERO-CALVINISTICÆ,

Hoc est,

Gratiam Oppugnantis:

siue

PARS IV.

De Gratia & Iustificatione.

QVÆSTIO I.

An Adam fuerit cum aliquo supernaturali dono conditus?

HÆRESIARCH. PELAGIVS anno 410. mortuo Ruffino Aquileiensi presbytero, in Sicilia, librum Xysti philosophi ethnici vertit, & S. Xysto Papæ Martyri adscripsit, S. Augustini, pluriumque deceptor, donec ab S. Hieron. prodderetur anno 411. Ob hæreses ad Conc. In Palæstina citatus, eas dolose coram 14. Episcopis eiurans, effugit damnationem, anno 415. Recitat Eas Bzouius ibidem. Mox ad vomitum reuersus, ab S. Hier. & August. confutatur, & anno 416. in Conc. Mileuit, & Carthag. condemnatur. Appellãs vero ad Papam an. 417. rursus damnatur, & ab Honorio Imp. proscribitur. Is, in cæteris, finxit, *hominem esse conditum cũ solis naturalibus facultatib. & nullo cum dono supernaturali.* Ideoque per Adæ peccatũ nihil hominem perdidisse: & hodie nos tales nasci, quales erant conditi protoplastæ.

LVTHERANI, & iuxta CALVINIANI nulla dona supernaturalia in homine primo extitisse contendunt: deteriorem tamen ex lapsu euasisse eò, quod naturale quid perdiderit: inprimis verò Liberum arbitrium. Vide *Luthero-cal. p. 4. q. 1.*

PAPISTA. *Fecit Deus hominem Rectũ*, Eccl. 7. cum originali iustitia: Addiditque ei gratiam gratum facientem sic, Vt nõ egeret gratia speciali, qua ad vel bene operandum, vel cauenda mala, excitaretur: quæ omnia vnum fuerunt donum supernaturale. De gratia gratum faciente definierunt Conc. Arausicanum 1. can. 19. & Trid. sess. 5 ex S. Scriptura & S. Patrum Consensu. *Bell. c. 3.* Non egebat excitante gratia; quod nulla rebellione retardabatur, vt nos, stante appetitu sub ratione, & hac sub Deo obedienter. Vnde *S. Aug. l. de bono perseuer. c. 7.* Perseuerare in bono, resistere tentationi, seruare mandata, non peccare. &c. *Hoc non est in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt: Fuerat in homine, antequam caderet,* sc. ex gratia prima originali, non ex natura: Et ipsa ea gratia fuerat in arbitrio eius vt vteretur illa, vel non, pro vt vellet: Gratia ei non deerat; deerat ipse sibi, quia sic voluit. Vnde S. Augustinus *l. 14. Ciu c. 27.* gratiam fuisse Adamo, vt cibus est nobis: quo, si volumus, vtimur; si nolumus, non vtimur. Sic & Theologi, *in 2. dist. 24. a. 4.* Hęc de donis animæ.

QVÆSTIO II.

An homo potuisset mori, si non peccasset: idque naturaliter, an supernaturaliter?

HÆRESIARCH. PELAGIANI affirmabant, teste *S. Aug. l. de har. c. 88* morituram, etsi nõ peccasset. ALII negant morituram fuisse; vt cui Immortalitas fuerit naturalis, non supernaturalis. *c. Quia Ap. 13. Ciu. c. 15.* ait: *Corporis mortem nobis, non lege naturæ, sed merito inflictam esse peccati.* 2. Iniustitiam Deo tribuunt, qui asserunt morituros fuisse homines, etiam non peccassent: quia si mors homini naturalis esset, sine iniustitia Dei moreretur, vt bruta.

AVTOR. I. Mors est pœna peccati. Sic Gen. 2. *Quocunque die comederis, morte morieris:* Morte animæ, aiebant Pelagiani. At contra Augustinus: Mortem corporis dictauit Iudex Deus reis, Gen. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris:* ergo & eandem eis minatus est *Gen. 2.* Vnde Symmachi versionem laudat S. Hieronymus illam: *Quacunque. & c. mortalis es.* Mortem etiam animæ peccatricis intelligi nil obstat: quia *anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.*

2. Deus mortem non fecit. Quia, Sap. 1. *Deus creauit hominem inexterminabilem: inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem.* 1. Cor. 15. *In Adam omnes moriuntur.* Sic Conc. Mileuitanum can. 1.

II. Immortalitas corporalis protoplastis fuit supernaturalis, nõ naturalis. Ita S. Patres, S. Aug. l. 6. in Gen. ad lit. c. 15. &c.

DICO AD I. Lex naturæ non lapsis erat iustitia originalis, non hæc infixa mortem, sed arcebat.

AD II. Si homo fuisset in puris naturalibus conditus, mori sine iniustitia Dei potuisset: at erat conditus cum gratia ei superaddita, quam Dei benignitatem quia spreuit, debitam incurrit mortis pœnam.

QVÆSTIO III.

An omnia peccata sint Aequalia, aut Mortalia?

HÆ-

I. HÆRESIARCH. Iovinianvs, teste *S. Hier. l. 1. contra Iouin.* Mediolani Monachus apostata, an. 381. vitam asperam mutauit in epicuræam. Hæresiarcha fit horum etrorum, teste *S. Hier. ibi. l. 2.*

1. Virgines, viduas, maritatas eiusdem esse meriti.

2. Plena fide renatos in baptismo subuerti ab diabolo non posse.

3. Inter abstinentiam ciborum, & perceptionem eorundem cum gratiarum actione, non esse discrimen.

4. Vnam ac parem omnium, qui suum baptisma seruarint esse remunerationem in cœlis.

5. Diparam post partum esse Virginem desiisse. &c. Anno 390. damnatur Romæ ab Siricio Papa, & huius autoritate ab Sancto Ambrosio in Conc. Mediolanensi, simul ab Theodosio Imp. proscribitur, ab S. Aug & Hier. refutatus.

Idem in cæteris docuit, *peccata omnia esse paria.*

II. Pelagivs teste Hier. & Aug. de hær. c. 88. statuit; *quolibet peccato gratiam amitti, ideoque omne peccat. esse mortale.* Quia autem iustos esse aliquos negare nequibat, asserebat. *Posse hominem hac in vita absque omni peccato viuere.*

Lvtherus & Calvinus, eorumque sequaces quatenus Iouinianizent ac Pelagianizent, liquebit infra quæst.

Calvinus pertendit, Electis quantacunq; peccata, nulla esse mortalia, ob perstantem fidem; quæ accepta semel, perdi non queat: Ideoque iustis peccata nocere nihil.

Reprobis vero quantulacunque peccata esse mortalia: quod fide careant, ab eis nunquam vere acceptâ.

PAPISTA. Refutaui in *Luthero-cal. p. 4. q. 23. In Antichristo p. 4. q. 34.*

Vnde S. Prosper ad Genuen. *Credendo Adam diabolo, non credidit Deo. &c. Omnes igitur, quod Adam perdidit, perdiderunt.* &c. Et *quomodo in quoquam filiorum eius inueniretur, nisi eam idem spiritus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet?*

2. Dauidem Aug. in Psa. 50. sic loqui facit: *Desperarem de meo tam lethali vulnere; nisi tantum medicum reperirem.*

Ambr. l. de Apolog. Dauid. c. 16. *Ideo liberari se à sanguinibus, hoc est, à peccatis mortalibus postulauit.*

3. De Petro S. Aug. tract. 66. in Ioa. *Quanta vita est confiteri Christum; tanta mors est negare Christum.* Itaque prædestinati Adam & Petrus, iustique peccando lethaliter facti sunt iniusti, ac etiam fidē perdiderunt, quam habuerant.

QVÆSTIO IV.

An Deus dici possit autor peccati?

HÆRESIARCH. I. Simon Magus, teste *Vincent. Lyren. comment. aduersus vocum nouit.* aiebat: Deus eam nobis dedit naturam, quæ non possit non peccare.

II. Cerdon, apud *Tert. l. de præscript.* Marcion, teste *Iren. l. 1. aduersus hær c. 29.* Manichaevs apud *Aug. de hær. c. 49.* Priscillianvs, teste *S. Leone epist. 93. c. 6.* Albigenses apud *S. Anton. in Theol. Summa p. 4 tit. 11. c. 7. §. 5.* duo rerum Principia summa fingebant, Corporearum Malum, Spiritalium Bonum. Peccati causam in Deum non bonum referebant.

III. Florinvs anno 179. Ro. Ec. Presbyter, Valentinianæ hæresios propagator, discipulusque Montani, & plusquam hæreticus, ait *Casarien. l. 5. hist. c. 20.* docebat ipsum verum Deum verè causam peccati esse.

IV. Seleveciani, teste *Aug. l. de hær. c. 59.* aiebant, Malum ali quando esse à Deo, aliquando à materia.

V. Libertini (apud Caluinum *l. de Instr. contra Libert. & Epist. ad Retomag. contra Francisc. Libert.*) orti ab Coppino, & Quintino Sutoribus Flandris, docuerunt ista. 1: Peccatum nihil esse, præter falsam opinionem: cū Deus omnia faciat, & nil facere mali possit. Itaque mœchos, homicidas. &c. reprehendi non oportere; quod sit hoc Deum reprehendere. 2. Regenerationem esse depositionem conscientiæ: itaque Pœnitentiam esse profiteri se nil egisse mali. Et sic hominem posse ad summam redire innocentiam. 3. Christum nil esse, nisi Compositum quid ex Dei spiritu, & Opinione: Mortuum, cum aboleuit opinionem peccati: Resurrexisse, cum docuit nos esse ipsum Dei spiritum. 4. Ad omnem Religionem simulare, & se assimilare licitum. 5. Scripturam esse nihili; Spiritum verò cuiusque audiendum solum.

Hos ex Caluino procreatos sequentia docent, tametsi dein eos stylo infestauit: sicut & Lutherus ortos ex se Anabaptistas & Sacramentarios.

Lv-

LVTHERVS, *in assert. Art.* 36. ait: Neminem habere in potestate, vt cogitet bonum vel malum.

MELANCHT. *in Rom.* 8. ait: Sic est opus Dei Iudæ proditio, vt Pauli vocatio. Sed vterque cantarunt in hoc palinodiam.

CALVINVS, ZVVINGLIVS, Beza. &c. asserunt,

1. Deum ab æterno prædestinasse peccatum Adæ.

2. Et omnia omnium peccata:

3. Impelli diabolum à Deo, vt ad peccandum homines inducat.

4. Deum operari nobiscum actus nefandos, non vt causam vniuersalem solum; sed vt particularem: esseque nos instrumenta Dei Actiua peccatorum; Passiua, Operum vetitorum.

Vnde colligi necesse, Deum esse simpliciter autorem peccatorum; idque verè & propriè solum, non homines.

Quæ docentur ex ipsis in *Luthero-cal. p.* 4. *q.* 5.6.7.8.9.10.

PAPISTA. Ista singula singulę sunt, impiæque blasphemiæ.

RATIONES. I. *S. Anselmi l. de lib. arbit. c.* 8. Iusta voluntas hominis est ea tantum, quæ vult, quod Deus eam vult velle; iniusta, quæ vult, quod Deus non vult eam velle: Ergo, si Deus vellet hominem peccare; vellet eum velle, quod nollet eum velle.

At hoc implicat. Non ergo Deus potest id velle; min° autor fier, imperare, impellere.

II. RAT. *S. Fulgentij l.* 1. *ad Monimum, c.* 11. 22. 23. Omnes viæ Dei Misericordia & veritas, *Ps.* 21. adeo nihil est in Deo vel à Deo nisi plenum rationis: ratio autem excogitari nequit, cur velit Deus, faciatue peccare homines: non igitur vult, aut facit.

Cur autem ex iniusto iustum faciat, ratio est eius Bonitas. At è contra, ait S. Fulg. ibid. *Iustitia iusta non erit, si punien-dum reum nõ inueniſſe, ſed feciſſe dicatur. in-iuſtitia eſſet, ſi lapſo tribuat pœnam, quem ſi-tem prædeſtinaſſe dicitur ad ruinam.*

Pulcrè S. Aug. 3. Confess. c. 2. *Malev-la beneuolentia foret, ſi* quis miserum esse velit, vt ei misereatur.

Præsertim, cum, Eccl. 15. *Non sunt De-neceſſarij impij.*

III. RAT. *S. Augustini lib.* 83. *qq. q.* Insapientem non cadit, facere alium deteriorem: ergo minus in Deum, vt Sapientissimum.

Deinde Deficere est ab Esse tende-te ad non esse: Deus autem est quod est ergo deficere ad Deum pertinere ne-quit; proinde nec *Peccare*, quod est defi-çere.

IV. RAT. Deus vult eradicari malitiam, eamq; vetat, punit: Christus venit vt tollat peccata, dissoluat opera diaboli: non igitur incitat ad operandum malè.

Ita *Sanctus Ambrosius libr.* 1. *Hexam. cap.* 8.

V. RAT. Prou. 22. *Errant, qui operantur malum.* Et 3. Eth. c. 1. *Omnis malus ignorat.* Ergo Deus non potest cum peccatore malum operari.

VI. RAT. Marcion, Manichæus. &c. statuentes Deum operari in homine malum, fuerunt semper execrabiles: ergo pariter Libertini & Caluinistæ idem asserentes.

QVÆSTIO VI.

An sit aliquod peccatum Originale?

HÆRE-

HÆRESIARCH. I. PELAGIVS, teste *S. Aug. l. de pec. orig. c. 16. & l. de pecc. mer. c. 2. & l. de har. c. 88.* finxit; Peccatum Adæ soli nocuisse, non posteris: nasciquehomines sine & virtute & vitio; mori verò naturaliter: nam & Adamum fuisse moriturum, etsi non peccasset. In Synodo Palæstina hanc hæresin eiurauit. Sciscitantibus dein discipulis ecqui damnasset doctrinam suam respondit: intellexi, pec. orig. posteris nocuisse Exemplo seu imitatione; non Propagatione, infantes vero nasci non qualis Adam erant; quod careant lib. arbitrii vsu, sintque præcepti incapaces.

II. PELAGIANI postea finxerunt, Mortem corporis trahi ex Adamo per generationem; non tamen peccatum, seu mors animæ Teste *S. Aug. l. 4. contra Pelag. c. 2. 4.*

III. ALBIGENSES, teste *S. Anton. p. 4. tit. n. c. 7. §. 5.* Et antehos Petrus Abailardus, teste *S. Bern. epist. 188.* Christum fecisse omnia solum, vt nos verbo & exemplo doceret; quia solum nocuit Adam exemplo: Infantes, vt institutionis & exempli incapaces, nec in Adamo periisse; nec per Christum saluari. Itaq; Pelagianos secuti sunt; non Pelagium.

ANABAPTISTÆ, propago Lutheri, sentiunt cum Pelagio: ZVVINGLIVS & Erasmus &c. cum Pelagianis. Vide *Luthero-caluin. parte 4. quæst. 14.*

PAPISTA. Et vere peccatum originale.

Quia Rom. 5. *Sicut per vnum hominem pec. &c. & mors in omnes:* at hoc esse Actuale nequit; cum etiam infantes moriantur.

DICVNT Zvvingl. & Anabaptistæ:

1. *Per vnum* cœpit esse pec. actuale.

2. *Peccatum* metonymice dictum, sc. Concupiscentia:

3. Intrauit Imitatione, non Generatione. Vnde Erasmus sic vertit: *Propter vnum hominem. &c. In omnes homines mors peruasit. &c. Quatenus omnes peccauerunt.*

Ad I. Per Angelum cœpit actuale pec. ante Adamum; *in quo*, 1. Cor. 15. *omnes moriuntur.* Iam vt mors in mundum intrans non fuit solius Adæ, sed est omnium; ita & peccatum eius est omniũ.

AD II. Causa peccati, homo: mortis, peccatum est reale: Hoc a. non est concupiscentia seu fomes peccati; quia non fomitis, sed *peccati stipendium mors*, Ro. 6. Et Ezech. 18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Et Deus non dixit, *quacunque die* pronus fueris, sed *comederis. &c.*

AD III. Pauli scopus erat probare, Omnes vocatos ad gratiam esse; quia omnes peccauerunt in Adam origine ipsa: *Sicut in omnes* ab vno *mors pertransit.* Nam *sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: Sic per vnius iustitiam in omnes homines in Iustificationem.* Atque ita locũ istũ capi oportere definiuit Conc. Mileu. quod, vt particulare, superbè reijcit Erasmus, loci deprauator. Vide *Bell. l. 4. c. 3.* &c.

QVÆSTIO VII.

Qualis Origo sit animarum humanarum?

HÆRESIARCH. Gnostici, Manichæi, Priscillianistæ, teste *Aug. l. de har. c. 46. 70.* cum Stoicis opinabantur: Animas esse particulas substantiæ Dei: Proinde nec proprie creari; nec ab parentibus traduci; sed à Deo inspirari.

SVADENT isto, Gen. 2. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Itaque ex Spiritu suo Deus spiritum animæ produxit.

PAPISTA. Hæresis hæc damnata est in Conc. Bracarensi I. c. 5. Quia substantia Dei est immutabilis, & inuiolabilis. *Mat. 3. Ps. 101. Iac. 1.* Anima vero est mutab. & violabilis, cum possit ex bona fieri mala; & contra: possitque puniri.

DICO. Deus trifariam producit Spiritum:

1. Ex substantia sua: Vt Sp. S.

2. Ex nihilo: vt Angelos:

3. Ex materia creata: vt animas bestiarum. Anima humana non est producta

modo primo; quia est mutabilis: Non tertio; quia non est materialis: Ergo tertio.

II. HÆRESIARCH. ORIGENES l. 1. περὶ Ἀρχῶν. c. 7. cum Platonicis statuit: Animas humanas ex nihilo creatas à Deo simul cum Angelis: At fastidientes cælestium, amore terrenorum, in carcerem corporis detrusas.

SVADENT Origenistæ istis. 1. Ps. 114. *Reuertere anima in requiẽ tuam.* 2. Ps. 118. *Prius, quam humiliarer, ego deliqui.* 3. Ps. 141. *Educ de custodia animam meam.* 4. Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem Venientem in hunc mundum.*

PAPISTA. Error hic damnatus est in Conc. Bracarensi I. c. 6. & à S. Leone, & S. Patribus; inprimis à S. Cyril. Alex. *l. 1. in Ioan. 9.* argumentis XXIII. expugnatur. RATIO: Quia sequerentur absurda complura.

1. Vt improuide Deus occidisset impios, seruassetque pios, vt in diluuio, Sodomis, mari rubro. &c.

2. Gratias deberemus Satanæ, quod mortem procurasset qua carcer reseratur: nullas Christo, merenti nobis corporum resurrectionem.

3. Prolificare non foret benedictio Dei; nec gratia foret, seruari in periculis mortis, resuscitari.

4. Iniq; iuberentur occidi malefici.

5. Multæ Scripturæ forent falsæ. Vide in *Antichristo p. 4. q. 12.*

DICO AD I. Gratiarum actio est ea pro discussa tribulatione, & quiete animæ reddita; & spe beatæ quietis.

AD II. De paterna castigatione accidentaria loquitur: nõ de origine animę.

AD III. Literaliter agit de sua latebra speluncæ dum fugeret Saulem: Spiritaliter *corpus aggrauat animam.*

AD IV. Venit in mundũ, qui creatur.

III. RABBINISMVM vide in *Luthero-cal. p. 4. q. 15.* refutatum.

IV. HÆRESIARCH. APOLLINARIS, & Luciferiani, teste Aug. *de hær c. 81.* Tertullianus; Animas nec minus, quam corpora ab parentibus trahi.

SVADENT istis. 1. Gen. 46. *Omnes animæ, quæ egressæ fuerunt de fœmore Iacob, fuerunt 66.*

2. Christus & Leui erant in lumbis Abrahæ, cum hic decimas offerret Melchisedecho: at, *Heb. 7.* Leui fuit decimatus tunc, non Christus; ergo Christus alter fuit in Abrahamo, quam Leui; sc. Leui corpore & anima; Christus solo corpore: ideo nec traxit peccatum.

3. Sequeretur Absurdum; Deum cooperari adulteris in generatione.

PAPISTA. Error hic reiicitur Theologis apud *D. Tho. 1. q. 118. a. 2. & in 2. dist. 17. 18.* fretis 1. Scripturis: Vide *Antichristum. p. 4. q. 12.*

2. Traditio est Ecclesiæ per ordinem S. Patrum apud *Bell. l. 4 c. 11.*

3. Ratio euincit ex principijs fidei.

1. Quia Animæ hominum sunt immortales; quia per se subsistunt, nec dependent à corporibus; vt bestiales. Quæ autem per se subsistunt, & per se producuntur, non ad productionem & existentiam alterius, vt bestiales. Quæ potro per se producuntur, non fiunt ex propagine, sed ex nihilo fiunt; vt humanæ animæ: sin', non forent immortales.

2. Quia si anima producitur ex corpore: ergo foret corporalis & mortalis. Si ex patris anima tota: ergo pater post generationem careret anima. Si ex parte animæ; ergo anima esset partibilis, ideoque corporalis ac mortalis.

Si ex Semine corporali: ergo & anima foret corporalis: Si ex Semine spiritali substantiali; sic redit prior diuisibilitas arimæ.

Si ex accidentali; sic semen animæ non erit materia, sed instrumentum agentis; at est materia.

Vnde

Vnde ergo Forma; quæ est Anima, vt definiuit *Conc. Lateran. sess. 8.*

Dico Ad I. Scriptura animas ponit pro hominibus, partem pro toto, vt 1. *Reg.* 28. Samuel apparuit, cum sola fuerit anima. Leu. 5. *Si peccauerit anima, &c.*

Ad II. In lumbis Abrahæ fuit Christus secundum materiam carnis; non secundum rationem seminalem: at Leui secundum vtrumque, Christo n. fuit mater ex Abrahamo; at non Pater.

Ad III. Deus cooperatur actioni naturali; non vitio voluntario fornicantis. Vt, ait S. Hier. l. 3. Apolog. cõtra Ruffinum: cooperatur semini sparso, licet per furtum subl.to.

Sententias alias duas repete ex *Luthero-cal. p. 4. q. 5.* reiectas: vnde fortiter infertur veritas de Tradu ce peccati originalis.

QVÆSTIO VIII.

Decedentium sine baptismo POENA an sit mors æterna?

Hæresiarch. I. Vincentium refutat S. Aug. l. 1. de origine animæ, c. 9. & l. 3. c. 13. quod asseret esse beatos paruulos dec dentes absque baptismo. Zvvinglivs, Bucerus, Martyr, Calvinvs; aiunt, Fidelium filios saluari, certum esse: Probabile, & Infidelium; ait Zvvinglius; vi reparatæ per Christũ naturæ.

II. Pelagiani, teste Aug. l. de hær. c. 88. *Etsi non baptizentur, promittunt eis, extra regnum Dei quidem; sed tamen æternam & beatam quandam vitam suam:* sc. beatitudinem naturalem. Sic ferè & Cathatinus, & Pighius docuere. Liquet in *Luthero-ca. p. 4. q. 24.*

PAPISTA. Tales paruuli absolutè sunt damnati. Est de fide; sic definientibus Concilijs, Papis, Patrib. & Theol. Et Conc. Palæstinum coegit Pelagium suam hęresin contrariam anathematizare. S. Aug. l. 1. de Orig. animæ. c. 9. *Non baptizatis paruulis nemo promittat, inter damnationem, regnumq; cælorum, felicitatis cuiuslibet quasi medium locum. Hoc enim eis hæresis Pelagiana permisit.* Idem l. 1. de pe. mer. c. 34. *Quid in paruulo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur?* Et tali sub tyranno decedunt non baptizati. Adde quod ibidem Sanctus Augustinus non fuit ausus pronunciare de paruulis sine baptismo morientibus istud: *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

QVÆSTIO IX.

An SVFFICIENS Auxilium detur omnibus ad salutem?

Hæresiarch Pelagiani, teste *Aug. l. contra epist. Pelag. c. vlt. & Ep. 106. 107. &c.* asserebant, Gratiam omnibus paratam esse; & quemque eam posse expetere & excipere solis lib. arbitrii viribus, sine alia gratia præueniente

Lvthero-Calvinistæ, vt Lvtherus *in assert. a. 36.*

Calvinvs *Instit. 3. c. 22. §. 10. & c. 24. §. 13. 16.* confingunt contrarium: sc. multis deesse auxilium Sufficiens ad salutem; vt Reprobis abæterno.

PAPISTA. I. Conc. Arausicanum damnauit Pelagianos. Quia Ph. 2. *Vobis donatum est, vt in illum credatis:* non ex viribus arbitrij habent. Rom. 12. *Vnicuique dtuisit Deus* mẽsurã fidei: nemo suopte arbitrio acquisiuit. Vide *Luthero-c. p. 4. c. 31.*

II. Auxilium sufficiens omnibus datur pro loco & tempore. Quia Ps. 24. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non solum a. nostris, sed ẽt totius mundi.*

III. Sufficiens tamen auxilium resurgendi à peccato non adest omnibus sẽper & vbiq;. Quærit S. Aug. l. 4. in Iulian. c. 8. *Cur nõ conuertit Deus omniũ Nolentiũ voluntates? Respondeo: Cur non oẽs morituros adoptat lauacro regenerationis Infãtes?*

IV. Ad deuitanda tamen peccata semper omnibus, & vbique adest auxilium sufficiens, mediate vel immediatè. Vnde S. Leo serm. 16. de Pass. Dom. *Iustè instat præcepto, qui præcurrit auxilio.* Plura in *Lutherocal. p. 4. q. 31.*

QVÆSTIO X.

An vlla in nobis sit causa Prædestinationis?

HÆRESIARCH. PELAGIANI, teste *S. Aug. l. 2. ad Bonifacium, c. 8. & S. Prosp. l. contra Collat. c. 6.* fingebant:

1. Gratiam secundum merita nostra dari, id est, secundum quodlibet opus bonum. Gratiam verò eam omnibus exæquo offerri: in arbitrij autem potestate esse oblatam acceptare, aut respuere. Sicque adscribendam salutem partim Offerenti Deo, partim Recipienti homini.

2. Deum, prout præuidit homines gratiâ receptâ bene, maleue vsuros; ita eos destinasse ad maiorem seu Gratiæ gradum, & gloriam: seu gratiæ subtractionem & damnationem.

ORIGENES finxit Omnium hominum animas simul in cœlo creatas, has peccasse, illas non: sicque sortitas corpora Deum iuxta merita destinasse vitæ, aut morti: Sub iudicium extremum tamen & Reprobos saluandos fore: quin & cacodæmonas. Virosque damnauit Ecclesia.

CALVINISTÆ asserunt, solam Εὐδοκίαν Deum mouisse ad Electos eligendos: deoque Absolutam Voluntatem Dei solam esse causam impellentem Electionis: tum & Reprobationis: Non Fidem, vel quodlibet opus.

Sic directe aduersantur Pelagianis bene; sed intelligunt malè.

SVADENT Pelagiani istis. 1. Mat. 20. *Voca operarios, & redde ijs Mercedem.* Mat. 25. *Venite benedicti. & c. esuriui. & c.* Ita promerenda est salus destinata.

2. Mat. 25. *Vni dedit quinque talenta: & c. vnicuique secundum propriam virtutem:* Ergo vt gratia datur, sic fit & prædestinatio secundum cuiusque virtutem.

3. Ratio. Electio prærequirit disparitatem in eligendis: at hæc est ex operibus: ergo.

4. Deus pronior est ad miserendum, quam puniendum: cur ergo non aut plures, aut omnes prædestinat?

Ideo sc. quia prædestinatio pendet ex libero arbitrio nostro: quod opponit impedimento.

PAPISTA. Prædestinationis causa nulla est in nobis: sola, & tota in Deo est, ita volente.

Potest autem prædestinatio dupliciter considerari:

1. *In se:* Et sic nihil est causæ in prædestinato; sed in solius prædestinantis voluntate, quæ à nulla causa pendet, stat omne.

2. *Quoad Effectus:* & sic est aliquid causæ in prædestinato.

DICO AD I. Bona opera præuisa sunt causa, viâ Executionis nostræ; at via Intentionis diuinæ, non sunt.

Neque voluntas finis includit voluntatem mediorum. Vnde soluitur protritum hoc: *Si sum prædestinatus, saluabor, quomodocunque viuero.*

AD II. Talentum significat gratiam, quæ datur cuique secundum suam dispositionem mouente Sp. Sancto sanctam; non vi liberi arbitrij.

Vel talentum est gratia gratis data ad cuiusque modulum naturalem.

AD III. Electio ipsa facit disparitatem inter eligendos.

AD IV. Sicut non datur causa ex parte nostra, cur Deus hos prædestinet, & non illos: ita nec, cur non omnes prædestinarit. Deinde ait S. Thomas: in bonis maioribus pauciores sunt, qui assequuntur finem.

QVÆSTIO XI.

An DEVS sit liberi arbitrij?

HÆ-

HÆRESIARCH. Philosophi, vt Aristoteles, docuerunt Deum ex necessitate agere. Abailardus, teste Tho. VVald. *l.1. doctr. fidei.c.* 10. docuit Deum non posse facere, nisi quæ facit. Sic & Wiclefvs.

Lvtherani & Calviniani sentiunt idē: Vide in *Luthero-cal.p.4.q.38.*

PAPISTA. Natura dictauit Philosophis hominem liberi esse arbitrij; quãto magis Deum; cuius ad imaginem creatus est homo? Nullam vero incumbere Deo necessitatem obiectiue ab re vlla creata; nisi absolute ab se ipso; vt cuius Velle est Esse Dei; ac proinde necessarium; asserunt S. Patres: vt S. Ambr. l.2. de fide, c.3. *Hæc operatur vnus idēq; spiritus S. diuidens singulis prout vult, t. pro libero voluntatis arb. non pro necessitatis obsequio.* S. Greg. Nyss. l. de Fato. c. vlt. *Voluntatem Dei seruire necessitati, non fas est dicere. Etenim necessitatis est Conditor.* Infra: *Omnipotens neque naturæ necessitate, neque legis præscripto operatur; sed sunt illi omnia contingentia, etiam necessaria.*

Ratio S. Hieron. Chrys. Theoph. Quia Multa Deus operatur præter ordinem naturæ, vt miracula: at si operaretur ex necessitate naturæ, semper eodem modo operaretur: ergo libere operatur. Vide *Luthero-cal.p.4.q.38.*

QVÆSTIO XII.

An homo sit lib. arb. in operibus naturalibus ac ciuilibus?

HÆRESIARCHÆ cũplures id negarunt, & anathematizati sunt. Vt Simon Magus, teste S. Clemen *l. Recognit.* Bardesanes sub annum 170. ait Aug. *l. de har. c.35.* Mahumet annis 100. post, teste S. Hier. *in præfat. dialog. contra Pelag.* Priscillianus sub annum 390. ait Aug. ibid. Istos damnante S. Leone epist. 91. & Conc. Bracaracensi. Abailardus sub annum 1100. VViclefus.

Lvtherus & Melanchthon principio item negarunt: postea cantatâ palinodia affirmarunt.

Calvinvs verò cum sequaculis pernegat. Vide in *Luthero-ca.p.4.q.40.*

PAPISTA. Homo in cunctis naturalibus ac ciuilibus negotiis est purè liberi arbitrij absque omni & Coactione & Necessitate interiore ab natura, seu Deo, genioue alio. Docent id Scripturæ multiplices in meo *Antichristo p. 4. q. 23.* Item Traditio continua, & damnatio hæreticorum. Item S. Patres. Vnde S. Hier. vbi supra: *Manichæorum est hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium.* S. Iren. l. 4. c. 72. *Si non in nobis esset, facere hæc, aut non facere; quam causam habebat Apostolus, & Dominus consilium dare, quæ facere, à quibus abstinere oporteat.* Clem. Alex. l. 1. Strom. *Sed nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia iusta essent, si anima non habeat liberam potestatem.* &c. Vide *Bell. l. 4. c. 9.* & Rationes, *c.10.*

QVÆSTIO XIII.

An possit solis naturæ viribus cognosci verum Morale, & Bonum Morale agi?

1. HÆRESIARCH. Pelagiani, sub annum 416 dicebant rectè, Legem Dei, in Veteri ac Nouo Test scriptam esse Donum Dei: at affingebant, seruari eam solis naturæ viribus posse, cum auxilio Dei Generali.

Calvinistæ prorsus affirmant idem. Vide in *Luthero-ca.p.4.q.42.*

PAPISTA. Aliquod verum Morale potest cognosci naturaliter solum cum auxilio Generali: At veritates plures, graviores, aut omnes requirunt Speciale.

Vnde Concil. Mileuitanum anno eodem damnans Pelagianos ait can. 4.

Donũ Dei est, & scire quid facere debeamus; & diligere vt faciamus subaudi, In rebus ad salutem pertinentibus. Sic & Conc. Arausicanum; & S. Patres S. Hier. ep. ad Algasiam q. 8. *Lex, quæ in corde scribitur, omnes continet nationes; & nullus est, qui hãc legem nesciat. Vnde omnis mundus sub peccato est, & omnes prævaricatores legis sunt.* Aug. in Ps. 57. *Hoc; quod tibi non vis fieri, ne feceris alteri; antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est: vt esset, vnde iudicarentur.* Rationem adfert S. Prosper lib. contra Collat. c. 22. *Quis ambigat, hinc sapientiam humano generi ad temporalis vitæ vtilitatem, ex naturæ à Deo conditæ superesse reliquijs: Si enim ad ista terrena ordinandam rationalis animi non vigeret ingenium, non viciata esset; sed extincta.*

Demum *Pharaonis cor indurauit Dominus*, id est, speciale auxilium ei negabat; & tamen, Exo. 9. cognoscens verum morale ait: *Peccaui; Dominus iustus, ego & populus meus impij.*

II. HÆRESIARCH. PELAGIANI asseruerunt, solis lib. arb. viribus hominem posse omnia moralia præcepta implere, tẽtationes vincere, mala declinare, agere bona; idque sine vlla gratia Dei: Teste *S. Aug. l. de har. c. 88.*

LVTHERO-CALVINISTÆ contra, sic extenuant vires arb. lib. vt penè extinguant: Negãtque posse ex ijs, quicquam boni moralis agi, sine Fide iustificante, gratiaque speciali, quod omnia opera sint peccata. Limitant id quidam, posse aliquam impleri legem, Verbi gratia de non occidendo. &c. quoad opus externum; at non quoad internum cogitatum.

PAPISTA. Omnia præcepta moralia, quoad substantiam operis, longiore tẽpore nemo potest implere solis naturæ viribus. Vide *Luthero-c. p. 4. q. 43. 44. 45.*

QVÆSTIO XIV.

An sine speciali gratia possit CREDI, An & Appeti aliquid ad salutem pertinens?

I. HÆRESIARCH PELAGIVS Vtrumque affirmauit. PRIVS. Sola naturali intelligentiâ, sine speciali auxilio, omnia Fidei mysteria capi, credique posse. 1. Quia Pagani & hæretici credunt aliq o articulos: id quod ex dono Dei esse nequit: ergo ex natura. 2. Quia res fæ, rationem excedentes, sine speciali creduntur auxilio: ergo potest & veritas aliqua. 3. Dei articuli tot sunt confirmati testimoniis, vt censeantur omnium iudicio credi oportere. Ergo alio nullo pus auxilio.

PAPISTA Negat; *Sicut Oportet*, credi posse. 1. Quia Ioa. 6. *Nemo potest venire ad me*, id est, credere, *nisi Pater meus traxerit eum.* Phi 1. *Vobis donatum est, nõ tantum vt in illum credatis.* Act. 14. *Aperuit Dominus ostium fidei.*

2. Ratio. Quia Ecclesia orat pro conuersione.

3. Alias sequeretur, Initium salutis esse ex nobis. Demum nullum opus pium à nobis solis inchoari, perficique potest: ergo nec Credi.

DICO AD I. Creduntur aliquid; sed non SICVT OPORTET, sc. ex parte obiecti, Dei; subiecti, absque dubitatione; & ex affectu pio subiectionis sui.

AD II. Donum est ex integra causa malum si ex vna, sat est.

AD III. Sic humana fide creditur, non Diuina, quæ ob Reuelantem Deum credit, non tam ob Modum reuelationis.

II. POSTERIVS. HAERESIARCHA PELAGIVS. Sola humana volũtate potest desiderari, ac peragi quidquid pertinens ad salutem.

SVADEBANT istis, 1. Facienti quod in se est, Deus gratiam non negat: ergo ad hanc suis viribus se præparare potest.

2. AD

2. *Act.* 10. Centurio per eleemosynas promeruit instituí a Petro.

3. Possunt naturæ viribus moraliter bona fieri: at hæc sunt quædam dispositio ad diuiniora.

4. Homo naturalem habet inclinationem ad diligẽdum Deum, vt Autorem naturæ.

5. Homo potest creaturam diligere super omnia: ergo & Creatorem.

PAPISTA. I. Sine speciali auxilio non potest homo quid velle aut facere pertinens ad salutem.

1. Quia Isa. 65. *Inuentus sum à non quærentibus me* Luc. 19. *Venit Filius hominis Quærere, & saluum facere, quod perierat.* Ioan. 15. *Sine me nihil potestis* ad salutem. Phil. 1. *Qui cœpit in nobis opus bonum, ipse perficiet vsque ad diem Christi.*

2. Sic & Traditio Ecclesiæ, & Definitio Conciliorum; & praxis orans quotidie: *Actiones nostras aspirando præueni, & adiuuando prosequere.*

II. Nec PRAEPARARE se ad gratiã potest vllus absque speciali auxilio.

1. Sic Scriptura: Ps. 84. *Conuerte nos Deus salutaris.* Ps. 76. *Dixi, nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ excelsi.*

2. Ita similitudines; Ps. 142. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Ierem. 18. 47. Rom. 9. *Vt lutum in manu figuli.* 2. Cor. 2. *Eratis mortui in peccato:* At mortui se disponere nequeunt. Iac. 1. *Genuit nos verbo veritatis.*

3. D. Thom. Eius est disponere ad formam, cuius est introducere formam: at hoc Dei; ergo & illud.

III Deus in statu lapso non potest sine speciali auxilio diligi perfecte, vel imperfecte; vt Autor naturæ, nec vt Largitor gratiæ & gloriæ. Est autem *Dilectio Dei*, quà actus voluntatis, duplex: *Naturalis*, vt Autoris naturæ: *Supernaturalis*, vt Largitoris gloriæ. *Vtraque* perfecta vel imperfecta trifariam. 1. Quæ Deum anteponit omnibus, aut non omnibus *appretiatiue*: 2. *Intensiue* diligens, aut minus intensè. 3. *Intentè & continuò* diligens, non vno solum actu.

DICO AD I. Faciens quod in se est, morali sanctitate prouocat Deum ad Donum gratiæ: at petendo & desiderando suis viribus gratiam acquiri posse, Pelagianum est.

AD II. Centurio antè non fuit omnino infidelis; nam sciuit, coluitq; vnum Deum. Dein fuerit infidelis; illa tamen opera bona haud absq; Dei gratia faciebat, disponente ipsum ad credendum.

AD III. Moralia bona licet nõ reddãt magis indispositum; non tamen disponunt vltra suam naturalem actiuitatem ad gratiam, quæ altioris est ac transcendentis ordinis.

AD IV. Non sequitur. Nam inclinatio naturalis etsi in homine maneat per modum actus primi; nequit tamen in actum secundum exire sine gratia; ob naturæ corruptionem.

Neque necesse est, vt vbi est Inclinatio in actu primo, adsint & vires ad actum secundum: Nam inclinamur ad beatitudinem; non tamen absque gratia beamur.

AD V. Non sequitur. Quia sensibilia magis cognoscuntur.

Et quia natura corrupta semper ad se, suaque inclinat.

DE

DE IVSTIFICATIONE.

QVÆSTIO XV.

An fides & iustitia possint amitti: Sintque iusti inter se pares?

HÆRESIARCH. IOVINIANVS pseudomonachus Mediolanensis, sub an. CCCLXXXII. emergens, docuit teste *S. Aug. har.* 82. Iustos post acceptũ baptismum non posse peccare: sique forte peccent, eos quidem aqua lotos fuisse, at spiritum gratiæ minimè recepisse. Refutatur à S. Hier. Damnatur Romæ à Syricio Papa: & in Conc. Mediol. à S. Ambrosio, anno CCCXC. proscribitur ab Theodosio anno eodem.

CALVINVS idem ipsum innouauit, hodieq; asserunt Caluinistæ, Vide *Luthero-c. p. 4. q. 68.*

PAPISTA. Iusti perdere fidem iustitiamque possunt, & perditam recuperare.

1. Ita S. Scriptura, in *Antichristo p. 4. q. 37.*

2. Ita S. Aug. & Ambrosius, & Hier. contra Iouinianum.

Et S. Greg. l. 30. Mor. c. 32. *Quis intelligat, quod alius Catholicæ Matris ventre proditus, iuxta vitæ terminum erroris voragine deuoratur; alius autem vitam suam incatholica pietate consumat, qui ortus in perfidia, cum lacte matris hauserat virus erroris?*

II. HÆRESIARCH. IOVINIANVS, teste *S. Hier. l. 2. contra Iouin.* affirmabat iustos omnes esse pares; ex hoc fundamento; quod fingeret, Virtutes esse pares, pariaque peccata omnia.

LVTHERANI isthoc non asserunt; volunt tamen omnes iustos esse æqualiter iustos neque crescere iniustitia; licet virtutibus crescant & sint inæquales: at per hasce negant quenquam iustificari: neque crescere in fide & caritate esse aiunt crescere in iustitia.

PAPISTA. Errant vtique. Iouinian.

1. Quia Iob. 1. *Non est similis ei in terra* Psal. 83. *Beatus* ascensiones in corde suo disponit: &c. ibit de virtute in virtutem. S. Hieron. li. 2. contra Iouinian. *Quare dicunt: Adauge nobis fidem, si omnium vna mensura est?* Matth. 11. *Non surrexit maior Ioanne.* Matth. 8. *Non inuenit tantam fidem.*

1. Quia Ecclesia similis est terræ fecunditi fructum, *Mat.* 13. tricenum, centenum, &c. Corpori, *Rom.* 12. 1. *Cor.* 12. in quo membra alia aliis sunt nobiliora. 2. *Tim.* 2. Domui in qua vasa honoris & ignominiæ, lignea, fictilia, aurea, &c. Ædificio, 1. *Cor.* 3. cui superædificantur aurum, gemmas, vel ligna, fœnum, stipulas.

2. Quia præmia in cœlis sunt impares. Ioan. 14. *In Domo Patris mei mansiones multæ sunt.* 1. Cor. 15. *Alia claritas solis, alia lunæ, alia stellarum.*

Ita differt Sanctus à Sancto accidentaliter; non essentialiter. S. Ambr. li. 7. in Luc. 15. *Æqualem dignaris reddere mercedem vitæ, non gloriæ,* id est, eundem decorium æternitatis, non gloriæ. Ita S. Prosper aduersus Iouinianistas.

De Lutheranis vide *Luthero-cal. p. q. 70.*

DE BONIS OPERIBVS IN SPECIE.

QVÆSTIO XVI.

Oratio necessariane sit ac vtilis?

HÆ

HÆRESIARCH. ETHNICI quidam sunt rati orationibus prouidentiam Dei posse mutari: MASSALIANI; iis solis posse homines iustificari.

II. PERIPATETICI è contra tollebant & Dei prouidentiam, & orationem: PELAGIANI viribus liberi arbitrii tribuebant diuina omnia obseruari posse; orationem nil opus: VVICLEF operibus bonis.

III. LVTHERANVS Ioa. Monhemius aiebat, Deum petentibus dare, quod cęteroquin daturus vltro fuit: ideoque orationem esse superuacaneam.

IV. LVTHERANI, itemq; CALVINIANI præseferunt permagni ab se fieri orationem; esseque Imperatoriam; (Non tamen Remissionis peccatorum; nec Iustificationis) vt quæ soli tribuēda sint fidei. Negant quoque Satisfactoriam esse, aut Meritoriam.

PAPISTA. Necessaria Oratio est; Quod Deum flectat volentem, non mutet: Quod ad iustificationē adiuuet, nō sola efficiat: Quod ea mediante Deus dare decreuerit quædam; aliter non dāda: Ideoque præcepta est. Vide in *Luthero-cal. p. 4. q. 86.* Quo verius S. Aug. l. 2. de bono perseu. c. 16. *Constat, Deum alia dandanon orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut perseuerantiam.* Perutilis quoque oratio est ad satisfactionem, Meritum, Impetrationem primariò. Secundariò ad illuminationē mentis, Spem, Caritatem, humilitatem, castitatem, contemptum mundi, gustum cœlestium, &c.

QVÆSTIO XVII.

An Horæ Canonicæ, & Cantus Eccl siasticus sic, vt sunt, tolerari queant?

HÆRESIARCH. PAVLVS SAMOSATENVS sub an. 280 arguit Ecclesiam de hymnis in Scriptura nō contentis: teste *Eusebio l. 7. hist. c. 26.* VIGILANTIVS, sub an. 406. ab S. Hieronymo reprehensus, quod nudus oraret, & refutatus quod nocturnas vigilias reiiceret. Eius sectatores dicti sunt *Nyctazontes*, i. sommiculosi, ait *Isid. l. 1. Offic. c. 22.* VVICLEFVS Horas Canonicas in multis carpebat: Refutatus à *Tho. VVald. to. 3. de Sacr. c. 14.* THABORITAE in Boemia garriebant tempus conteri Horis dicendis: Ita Æneas Syluius *l. de Orig. Boem. c. 35.*

LVTHERO-CALVINISTÆ Institutum Horarum & rodunt, & reiiciunt magis, quam refutare nitantur. Vide *in Luthero-cal. p. 4. q. 86.* Per Salue Regina honorem adimi Deo, darique creaturæ queruntur.

PAPISTA. Horas Ecclesiasticas & Scriptura, & Traditio, & ratio sat tuentur: S. Patres verò in ijs & testandis, & commendandis sunt plurimi; in persoluendis fuerunt toti apud *Bell. l. de bon. op. c. 13.* Particulæ præcipuæ in Salue Regina primario de Deo dicuntur; at secundario ac infinities inferiore modo etiā Sanctis rectè tribuuntur: hocque amplius Deiparæ. Liquet inductione singularum.

II. HÆRESIARCH. HILARIVS quidam, ait *S. Aug. l. 2. Retract. c. 11.* CANTVM prorsus ex Ecclesiis excludebat. HENRICIANI & PETROBRVSIANI, sub an. 1126. teste *Cluniac. ep. ad Epis. c. vlt.* idem innouarunt. VVICLEF & vocem paulo altiorem in precibus non ferebat; Cantum hoc minus; teste *Tho. VVald. to. 3. tit. 2.*

LVTHERANI ac CALVINIANI Cantum in templis affectant; sed & nouant: Antiquū Ecclesiasticū illū aspernantur superbè; petulāter insectantur, impiè proscribunt. Liquet *in Luthero-c.*

PAPISTA. Cantus Ecclesiasticus inde è cœlo ab Angelis; ex Vet. Test. ab Dauide; ex Nouo Test. ab turbis Osanna Christo accinentibus, eum Christo aduersus Pharisæos defendente; Ab exemplo Christi in Cœna, Apostolorum Pauli ac Silæ; atque ab illius præcepto; Ab Ecclesiæ Traditione, ad nos vsque descendit. Vnde dispositus est ab Concilijs in Oriente, Italia, Africa, Hispania, Gallia, Germania; testibus S Patribus: Idq; in Horis concinendis, in sepulturis, in organis, musicisque instrumentis. Et verò suæ constant vtilitates eidem. 1. Accēdit animos ad pietatem; *Aug. l. 9. Conf. c. 6. 2.* Prolixitatem officiorum diuinorum mitigat, vt molesta mi-

nus accidat: *Lactant. l. 6. c. 21.* 3. Testamur infidelibus, nos fidem non erubescere. *Ambr. Ruffinus, Theodore. &c.*

4. Testamur Legem Dei nobis esse periucundam, iuxta Ps. 118: *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ.*

5. Vt etiam illo modo laudemus Deum tota contentione vocis ac corporis. *Iustinus in respons. ad quæst.* 107. Plura in *Luthero-cal. p. 4. q. 87.*

QVÆSTIO XVIII.

Ad IEIVNIVM an requiratur ciborum delectus: possitque præcipi conscientijs?

I. HÆRESIARCH. EBIONITÆ, Encratitæ, Eustathiani, Priscillianistæ, omnium animantiũ carnes immundas esse fingebant. APOSTOLICI teste *S. Bern. ser. 66. in Cant.* insuper vinum asserebant immũdum: vt olim Mahumet ac Manichæi.

II. NICOLAITÆ, & Valetiniani quosuis cibos quouis tẽpore licitos esse, vetariq; non posse. Ita *Iren. l. 1. c. 1.* IOVINIANVS, ait *Hier. l. 2. contra eum*, negabat ieiunia & abstinentiam prodesse quicquam.

III. LVTHERO-CALVINISTÆ Delectum ciborum, vt hæreticum, negant. Vide *Luthero-c. p. 4. q. 90.*

PAPISTA. In ieiunijs Delectus ciborum fuit in Veteri Test. vsitatus ac laudatus; non vt ceremonialis, aut iudicialis; sed vt moralis: moralia autem, vt ex natura promanantia, in Lege noua confirmantur etiam; tantum non antiquantur. Hinc vtriusque exempla Instrumenti nobis illustria prælucent: vt rectè ad ieiunij rationem pertinere ciborum delectum asserat Ecclesia.

II. HÆRESIARCH Eustathiani & Aeriani, teste *Socrate l. 2. hist. c. 33. & Epiph. hær. 57.* negabant Ecclesiam posse lege sua ad ieiunium obstringere conscientias.

LVTHERO-CALVINISTÆ similiter prorsus. Patet in meo *Luthero-cal. p. 4. q. 92.*

Quin addunt, nec diuina lege vllum præcipi ieiunium, adeo esse libertrimum. *Ibi. q. 91.*

PAPISTA. Iustè, licitèque indicitur ieiunium, exempla facti docent in Scriptura, vt Ionadab, Mardochæi. &c. Vnde Concilia sancta de ieiuniis statuerũt etiam anathematizando violatores eorum. Vt Gangrense, Laodicenum, Toletanum, Bracarense. Ideo Tertul. li. de ieiu. *Benè, quod & Episcopi vniuersæ plebi mandare ieiunia assolẽt.* S. Basil. orat. 2. de ieiu. *Omnes æqualiter, & præceptum audiunt, & cum gaudio suscipiunt. Angeli sunt, qui per singulas ecclesias ieiunantes describunt.* Hier. ep. ad Marcellum: *Aliud est necessitate, aliud voluntate munus offerre ieiunij.* Aug. serm. 62. de tempore. *Alys diebus ieiunare remedium est, aut præmium: in Quadragesima non ieiunare, peccatum est.*

II. Lege diuina in genere præceptum est ieiunium. Vnde S. Aug. epist. 86. *Ego in Euangelicis & Apostolicis literis, totoq; Testamento Nouo, id reuoluẽs animo, video præceptum esse ieiunium.* S. Leo serm. 4. de ieiun. *Illa, quæ rerum futurarum figuras gerebant, impletis quæ significauere; finita sunt: ieiuniorum verò vtilitatem Noui Test. gratia non remouit. &c. Quia sicut permanet ad intelligentiam Christianam, Dominum Deum tuum adorabis &c. ita quod in ijsdem libris de ieiuniorum significatione præceptum est, nulla interpretatione vacuatur.*

III. HÆRESIARCH. BEGARDI, teste *Turrecrem. l. 4. Summæ de Eccl. p. 2. c. 36.* negabant viros perfectos lege ieiunii attineri; quod peccare nequeant; & contra peccatum sit ieiunium institutum.

LVTHERO-CALVINISTÆ cum soli fidei tribuant iustificationem; cum sese prædestinatos specialiter credant; cum excidere fide ac salute se posse negent; cum electis nullum officere peccatum posse contendant, eo quod non imputetur: omnino sibi mirificam tribuere perfectionem videntur; adeo vt nulla egere sese, præterquam Christi, satisfactione propria negent?

Idcir-

Idcirco etiam vllaſe ſe ieiunii lege teneri poſſe pertendunt. Si non iidem ſint cum Begardis; certe eorum ſunt quam ſimillimi.

PAPISTA. 2. Begardorum error eſt damnatus in Conc. Vienn. Et ante ortum eius S. Leo ſerm. 11. de quadrageſ. *Adeſt maximum ſanctiſſimumque ieiunium, quod obſeruantiam ſui vniuerſis fidelibus, ſine exceptione denunciat. Quia nemo tam ſanctus, vt non ſanctior: nemo tam deuotus, vt non debeat eſſe deuotior.*

2. Etiam in tertium raptus cœlum ait, 1. Cor. 9. *Caſtigo Corpus meũ. &c.* Et Mat. 11. *Nemo ſurrexit maior Ioan. Baptiſta*; tamẽ coluit ieiuniũ; Ita & Mardochæus, Daniel, Dauid, Iudith, Heſter, Anna. &c.

3. Vana eſt autem iactantia perfectionis: cum Iacobi 1. *In multis offendimus omnes.* Vt, 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatũ nõ habemus, nos ipſos ſeducimus.* Cum quiſque fateri debeat iſtud, Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis.*

Caſſianus, affinis errori, tria aſſerit *Collat. 21. c. 29.* 1. Iuſtos non ſubeſſe legi cogenti, cum ſponte ieiunent. 2. Iuſtis facilius relaxari ieiunium indictum; ob certitudinem temperantiæ ipſorum, & caritatis. 3. Perfectos eos, qui totos ieiunant annos, nõ teneri lege ieiunij, cum plus offerãt Deo quam eis præcipiatur. At hoc improbatur: ob voluntariam oblationem non oportet omittere Neceſſariam. Et lex communis omnibus excipit neminem; ſed aut Ætas, aut Morbus, aut Neceſſitas, aut Labor. &c.

QVÆSTIO XIX.

An ieiunium ſit Dei cultus meritorius & ſatisfactorius?

HÆRESIARCH. IOVINIANVS, teſte *Hier. l. 2 contra Iouin* & Auguſtino *l. de har. c. 82.* dogmatizabat, nil ad ſalutem prodeſſe ieiunia, ciborumue delectum.

LVTHERO-CALVINISTÆ, vt Melanch. Brent. Kemnit. Caluinus, id ipſum propugnãt. Non tamen omnem ad virtutes vtilitatem ieiunii proficere diffitentur.

PAPISTA. Ieiunium eſt & meritorium, & ſatisfactorium, & Impetratoriũ. Vnde Rom. 12. *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis CORPORA veſtra hoſtiam viuentem,* λογικὴν λατρείαν, *ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrũ.* Loquitur de caſtigatione carnis; quæ potiſſimum fit ieiunio. Hinc Tert. l. de reſurr. *Sacrificia Deo grata dico ieiunia.* S. Greg. hom. 16. ait Deo decimas & vitæ primitias quaſi offerri. Tertul. ait lib. de ieiu. *Sicut primum vſus cibi perdidit; ita ieiunium Deo ſatis facit.* Ibid. Ieiunia *agnitionem Sacramentorum de Deo merentur.* S. Aug. ſerm. 26. *Ieiunium aut remedium eſt, aut præmium.*

F I N I S

Genealogiæ Luthero-caluiniſticæ quadripartitæ.

GLORIA
DEO, Trinuno, Deiparæ, Diuiſque Cœlitibus. Amen.

ANTIPAPISTA MENDAX LVTHERO-CALVINISTICÆ

I. THEOMACHIAE, II. ECCLESIOMACHIAE,
III. MYSTERIOMACHIAE, IV. CHARITOMACHIAE.

Hoc est;

MENDACIA ET CALVMNIAE LVTHERO-CALVINISTARVM,

quibus Romano-Catholicos in Quæstionibus Controuersis onerant.

Ex innumeris pauca in exemplum proposita.

AVTORE

F. IOANNE. &c.

PARS I.

THEOMACHIA

Antipapistica Mendax.

Superiorum permissu.

ANNO M. DC. XXVI

SYLLABVS QVÆSTIONVM
Antipapistæ Mendacis Quadripartiti

PARS I.

THEOMACHIA LVTHERO-CALVINISTICA,
De Ecclesia Triumphante.

I. *An Papistæ floccipendant* Verbum Dei *Scriptum more Libertinorum?*
II. *Num quæ affingant nobis Caluino-Lutherani quoad S. Scripturam?*
III. *An Romano-catholici* Deiparam *Latriæ cultu venerentur?*
IV. *Qualia Luthero-caluinistarum sint mendacia circa* Sanctos?
V. *An in cælo Sanctos per Apotheosin statuamus?*
VI. *Qualia nobis affingant Luthero-caluinistæ in Cultu Sanctorum?*
VII. *Quæ* de Reliquijs Sanctorum *comminiscantur Centuriatores?*
VIII. *An omnis Sacrarum* Imaginum *cultus fuerit semper illicitus?*
IX. *Quæ de* Templis Festisque *volitent mendacia?*
X. *Quæ* de Purgatorio *iactentur vanè?*

ECCLESIOMACHIA LVTHERO-CALVI-
nistica, seu,

PARS II.

De Ecclesia Militante.

I. *Qualia* in Papas *confingant Luthero-caluinistæ Errata?*
II. *Qualia fingantur* Antichristiana *Papistica?*
III. *Ecqualibus* Concilia *onerentur mendacijs?*
IV. *Qualia absurda* in Monasticen *effutiant Luthero-caluinistæ?*

MYSTERIOMACHIA LVTHERO-CALVINISTICA.

PARS III.

De Sacramentis.

I. *Qualia affingantur Orthodoxis mendacia* de Sacramentis *in genere?*
II. *Sacramenta Quatenus sint* necessaria?
III. *Quæ* de Ceremonijs *falsa imponantur Catholicis?*
IV. *Qualia iactentur* Charismatica *Luthero-caluinistarum mendacia?*
V. *Num quæ sint eorundum* Eucharisticæ *Calumniæ?*
VI. *Qualis in* Sacrum Missæ *Lutheroacaluinisticus furor sit mentiendi?*
VII. *De* Pœnitentia *quales eorundem sint calumniæ?*
VIII. *Quæ circa* Extremam Vnctionem *spermologizentur?*
IX. *Qualia quoad* Matrimonium *contra nos comminiscantur?*

CHA-

CHARITOMACHIA LVTHERO-CALVINISTICA.

PARS IV.

De Gratia & Iustificatione.

I. *Quales Effectus* peccati Originalis *confingant Nouatores?*
II. *Quales Sycophantiæ sint Luthero-caluinisticæ* de Gratia & Libero arbitrio?
III. *Num quæ sint Commenta sectariorum afficta Nobis circa* Iustificationem?
IV. *Qualia nobis imponant falsa* de Ieiunio?

ANTI-

ANTIPAPISTA MENDAX THEOMACHIÆ LVTHERO-CALVINISTICÆ.

PARS PRIMA.

De Ecclesia Triumphante.

QVÆSTIO I.

An Papistæ floccipendant Verbum Dei Scriptum, more Libertinorum?

CALVINVS, I. Initio li. Institutionis aduersus Anabaptistas. *Non dicimus, Papistarum more, Sacrosanctas Scripturas missas fieri oportere; vt Autoritati hominum acquiescamus. Hoc enim effugium censemus blasphemiam execrabilem.*

Similiter Caluini parens Lutherus libr. de Conciliis & Eccl. sub finem. *Papa Sacram Scripturam in cœno & puluere sepelijt, & Doctrinam Christianam penè integram, deleuit.* Eadem lib. contra Regem Angliæ, & lib. de falso statu Cleri: sic omnes

II. AVTOR. At Svvenckfeldij & Libertinorum hunc errorem esse docet CALVINVS ipse lib. Institutionis contra Libert. c. 9. *Diximus istos aperte ridere solitos, si quis Scripturas allegaret: nec dissimulasse, quin eas pro fabulis haberent: Interim tamen non desinebant ijs vti, si quis esset locus, quem in sensum suum torquere possent. Si quis illis obijceretur, dicebant, Nos literæ minime obnoxios esse; sed spiritum, qui viuificat sequi oportere. Quin etiam porcus ille Quintinus vnumquemque Apostolorum ali-*

quo scommate notarat: veluti Picardico suo sermone, Paulum vocans Vas fractum; Ioannem, iuuenem stolidum; Petrum, abnegatorem Dei: Matthæum, fœneratorem.

Libertini, teste Caluino, sunt autoribus Coppino & Quintino Sutorib. exorti, æuo inc. te superiore: quos secutus Gasp. Svvenckfeld. teste *Frid. Staphilo l. de concordia discipulorum Lutheri, & Pet. Palladio l. de hær. nostri temp.*

Hi Verbum Scriptum, vt literam occidentem respuebant, & solius interni spiritus Critirium inuexerunt.

Itaque calumniam faciunt Papistis Caluinistæ & Lutherani consensu pari in hoc; vt in aliis sibi dissentientissimi dum eundem Papistis errorem impingunt.

III. PAPISTA. Prophetica & Apostolica Scriptura est Verbum Dei: Nō quod suus cuique priuatim in cor spiritus inspirat.

1. Qvia, Christus & Apostoli ad illam, non ad hunc, appellarunt, ipsique Prophetæ.

2. Qvia Critiria cordis, vt cuique sua liquere possint; alij tamen esse nequaquam certa queunt. At vero S. Scripturæ infallibili constant veritate, Tum quod Spiritu Dei sint inspiratæ; Tum propter euentum prædictionum; ait *Aug. 12. Ciu. c. 9.* Tum ob consensum mirificum Scriptorum, calamos eorum dirigente Sp. Sancto; ait *Aug. l. 18. Ciu. c. 41.* Tum ob Miracula Dei Vindicis, aduersum profanos Verbi Dei abusores designata.

3. Qvia Omnis Resp. Scriptis stat Legibus, atque Decretis: Quo magis Christianæ Fidei ab iisdem oportuit prouideri. Vide in nostro *Antichristo cal. p. 1. q. 1.*

4. Qvia 1. cum Archihæretici Simoniani, Basilidiani, Marcionitæ, apud S. Irenæum li. 1. c. 20. 22. 29. Deinde Manichæi, apud Epiphanium hæresi Bogomiles apud Eutymium Panopl. p. 2. tit. 32. c. 1. Et Albigenses apud S. Antoninum p. 4. tit. 2. c. 7. 2. Cum, inquam isti Ecclesiæ fuerint olim intolerabiles quin sacri & inteſtabiles visi; quod *Veteris Instrumenti libros vniuersos à malo Deo quodam esse dictatos blasphemarent*: 3. Cum & Anabaptistæ Caluino sint iure merito eò infandiores; quod cum prædicti in Colloquio suo Franckendalensi, ex fuerint, *Vetus Testamentum haud secus disputationem fidei admittendum, quam tenus cum Nouo Testamento concor*

5. Quanto detestabilior Libertinorum hesterna videri hæresis debet; qui vim omnem S. Literis eleuant, atque proculcant vtrumque Instrumentum Atque tantò immanior est calumnia quaidem S. Paginæ repudium Papis affingunt Luthero-caluinistæ.

IV. Mart. Kemnitivs in Examin. Concil. Trident. sess. 4. nobis affingit:

Papam posse pro suo arbitrio, sine vllis testimonijs, facere librum canonicum de non canonico & de canonico canonicum.

Quin, imò, si Papa vellet, Scriptura diuina haberet autoritatis, quam fabula Aesopi. Bellarm. l. 1. de Verbo Dei c. 10.

V. Avtoritatem verò latinæ Editionis Vulgatæ Bibliorum, vniuersè iam olim receptissimam confringunt ac proterunt ad vsque propudium inter sese tamen dissidiosissimi Lutherani pariter ac Caluiniani: Insuper & mendaciis onerant Ecclesiam.

Cal-

Calvinvs in Antidoto Trident. sess. 4. *Decreuisse singit Tridentinos Patres, minimè audiendos esse; qui ex fonte ipso (sc. Hebræo) purum proferunt liquorem, & ex certa veritate falsum coarguunt.*

2. Idem ibid: *Adeo nullam in editione vulgata sanam esse paginam & integram; vt vix tres sint continui versus, non insigni aliquo errore fœdati.*

Avtor. Dicis blatero, non doces.

Kemnitivs in Exam. Trid. sess. 4. mentitur, 1. Concil. Trident. decreuisse, *vt pro ijs, quæ Sp. Sanctus in fontibus Hebræis & Græcis scripsit, ea recipiamus, quæ à librarijs mutata, mutilata, vel addita sunt.*

2. In promptu causa, scilicet, *quia Vulgata ea tota est transformata ad dogmata Pontificia.*

3. In Pauli IV. Catalogo libr. prohibitorum *damnari omnes Bibliorum editiones, etiam veteris editionis; in quibus manifestè errata sint correcta.*

Merè ficta hæc sunt mendacia, & Concil. afficta Tridentino. Patet legenti sess. 4.

VI. Avtor. 1. Autoritas autem statuendi, quis haberi liber bibliorum Canonicus debeat; penes solam stat Ecclesiæ potestatem.

Ita *Sanctus Augustinus libr. 13. contra Faustum, capite 5. & libr. 23. ca. 9.*

Et de Consensu Euang. lib. 33. c. 1.

Sanctus Irenæus lib. 3. c. 4.

Sanctus Athana. in Synopsi, & Conc. Toletanum, &c.

Ratio. Quia infallibilem habet Ecclesia Spiritus sancti Assistentiam, ex certitudine promissionis Christi.

Vt minimè humano; sed diuino Spiritu determinet Canonicam Scripturam; ex qua cæteræ fidei quæstiones valeant definiri.

Atque ita Ecclesia non tam est regula ipsi Sacræ Scripturæ, quam nobis; vt illam absque vllo errore veram agnoscamus.

2. Deinde rectissime eadem haud sueuit ac sinit quauis lingua vulgari seu Biblia, seu Officia diuina.

Quia 1. Iudæis, quo subcunque cælo positis, inter nationes, vnius hebraicæ linguæ semper vsus Bibliorum est sanctè obseruatus.

2. Apostoli, licet παυλαγλότ̃οι essent, solis tamen Hebræa, Græca, & Latinâ Linguis Scripturam euulgarunt.

3. Vulgi linguæ mutabiles sunt: vnde Sacræ Scripturæ apices nimium quantum abhorrent; vetatque religio.

4. Trium duntaxat linguarum illarum maiestatem suspicit orbis, ac veneratur: vt diuinam Bibliorum Maiestatem hoc minus prouulgari deceat.

5. Licentia vero promiscuæ vulgationis quot, quantorumque errorum syluam aperiat; testis hæretica est diuinorum Oraculorum temerè vsurpata vulgatio.

Quod arcere periculum errorum satius est, quam accersere.

6. Accedit quod aurium honestati ac reuerentiæ biblicæ minus valeat consulere popularis linguæ verecundia pariter ac inopia.

VII. Vnam huc è pluribus Calumnioſam Caluini ſubijciam declamationem, ex Harmon. in Ioan. c. 19. v. 23. Erat autem tunica inconſutilis. *Minime ferenda eſt Papiſtarum improbitas, cum horribili Dei blaſphemia coniuncta.*

1. *Scripturam dicunt ab hæreticis lacerari; Tunicam vero, hoc eſt, Eccleſiam integram manere:*

2. *Vt reiecta Scripturæ Auctoritate, Fidei Vnitatem in ſolo Eccleſiæ titulo conſiſtere euincant.* Vbi duo mendacia.

1. Quia non *in ſolo Eccleſiæ titulo*, ſed in ſola vera Chriſti Eccleſia Vnitatem conſiſtere affirmamus.

2. Non dicimus, reijciendam S. Scripturam, eo quod ab hæreticis laceretur: ſed ab eccleſia condiſci quæ ſit vere S. Scriptura, quis ſenſus eiusdem. &c.

Hinc porro liquent ſequentia declamationis. *Quaſi vero ipſa Eccleſiæ Vnitas alibi fundata ſit, quam in Scripturæ fide.* Eſt in hac quidem; ſed non ſola: nam præcipue in S. Spiritus infallibili aſſiſtentia in definitionibus prophetica.

Cum ergo Fidem à Scriptura diuellunt; quod mendacium eſt Caluini; *vt vir Eccleſiæ addicta ſubiaceat; tali diuortio non iam Chriſtum deſpoliant, ſed crudeli ſacrilegio diſcerpunt eius corpus.* &c.

Similia prolixe idem Inſtit. l. 4. cap. 8. §. 13. pro Scripturis contra Eccleſiam vafrè vanèque declamat. Sed de iudice vide in noſtro *Lutherocaluiniſta par. 1. q. 2. Et in Antichriſto p. 1. q. 1.*

QVÆSTIO II.

Num quæ affingant nobis de Traditionibus Caluino-Lutherani? quo ad S. Scripturam?

Et omnino plurima. In exemplum accipe pauca.

I. CALVINVS Inſtit. lib. 4. c. 10. §. 19. *Romanenſes Magiſtri extorquere volunt, vt nulla ſit aqua eos ceremoniola, quæ non pro Apoſtolica cenſeatur.*

Sic & Kemnitius, Brentius, &c. vbiſ prà.

At Falſum: Quia eas recipimus pro Apoſtolicis, quas firmis Veterum teſtimonijs teſtari valemus.

II. Sic agunt, ac ſi ſolas ipſi Scripturas propugnent: nos ſolas Traditiones tueamur; etſi contendent contra Scripturas.

Falſum hoc: Quia vtrumque iuxta Sanctum veneramur Dei Verbum Scriptum, & Non ſcriptum.

III. MEND. Kemnit. *in Exam. Conc. Trid. ſeſſ. pag. 68. 69. editionis anni 1566.*

Nos ait aſſerere; Deum conſtituiſſe, vt doctrina Chriſti & Apoſtolorum non ſcriberetur ſed viua ſolùm voce traderetur.

IV. MEND. *Ibid. pag.* 185. affirmat, Apoſtolis fuiſſe mandatum, vt ſcriberent.

Falſum prius. Quia ſic peccaſſent Apoſtoli ſcribendo.

Neque ſcriptor dari Catholicus poteſt, qui id docuerit.

Et Poſterius falſum, Quia *Mat.* vltimo mandatum eſt, vt Prædicarent; non vt ſcriberent. Nec tamè ſcribere vetuit IESVS: quin, vt ſcriberent, aliquibus inſpirauit.

V. MEND. Kemn. ibid. pag. 420. *Pontificij non verentur multa ad Apoſtolorum Traditiones referre, quæ ab alijs autoribus multò poſterioribus inſtituta, & profecta eſſe, ex ipſis Pontificiorum ſcriptoribus oſtendi poteſt.*

Idemque probare inſtat exemplis vndenis.

At falsò; Apud *Bell. lib. 4. ca. 3. de Verbo Dei.*

Similia talia complura fuerit reperiri in Caluino *Inſt. l. 4. c. 8. §. 6. 7. 8. Et c. 10. §.*

10.§.18.19.20. Et *in Antidoto Trident. sess. 4 &c.*

VI. MEND. Kemn. ibid. *Nullis certis & firmis documentis probari potest, Qui sint Ritus certò ab Apostolis traditi: qui ex Scriptura ostendi non possunt.*

At falsum: Quia eos ipsa Necessitas Traditionum docet in meo *Luthero-ca. p. 1. q. 5.*

Deinde & Veritas earum, in Scripturis contestata. Vide meum *An: christum p. 1. q. 2.*

VII. MEND. Kemnit. in Exam. Trid. sess. 4. de 7. genere traditionum. *Nullis certis & firmis documentis probari potest: Qui sint ritus ab Apostolis traditi: qui ex Scriptura ostendi non possunt.*

Falsum. Quia docuit *Bellar. libr. 4. ca. 4. 5. 6. 9. &c.*

VIII. MEND. Kemn. ibid. *Insignis audacia est, Maiestati Scripturæ Canonicæ aliquid æquare,* sc. Traditiones.

At contrà ipse, ibid. 1. *Apostolos Ritus quosdam ordinasse, & tradidisse Ecclesiis; ex eorum scriptis certo constat.*

2. *Et verosimile est, quosdam alios externos, qui in Scriptura annotati Non sunt, ab Apostolis traditos esse.*

Coacta veritatis confessio hæc contra suum met os mendax.

Hæretici non tam Orthodoxos Mendaciis onerant atque Calumniis; quam Ipsum IESVM Christum immanissime blasphemant. Quibus ae blasphemijs in meo Luthero-caluinista, & Genealogia Luthero caluinistica p. 3. q. 21. Hic igitur præterimus.

QVÆSTIO III.

An Romano-catholici Deiparam cultu Latriæ venerentur?

I. LVTHERVS in Postilla in Annunc. B. Vir. *Publica, ait, persuasione Mariæ prorsus in locum Christi successit. Hanc inuocarunt homines, huius misericordiæ confisi sunt, per hanc voluerunt placare Christum: Quasi is non esset Propitiator; sed horrendus Iudex & vltor.*

2. *Hanc Papistæ Deam constituunt: Omnipotentiam ei in cœlo & in terra tribuunt.*

II. CALVINI altius ascendit impietas, qui vetus illud Ecclesiæ Canticum, *Monstra te esse Matrem,* suggillans, talem in nos calumniam intorsit; *Eam in cœlis Mariam constituunt, quæ sibi potestatem seruet Christo Filio imperandi.*

Idem dum conuellit istud Canticum: *Sub tuum præsidiū. &c.* vociferatur: *Maiores nostri à Christo ad Mariam defecerunt.*

Perinde ac maiorem matri, quã Filio potentiam tribueremus, neque tam Deum, quam Deiparam inuocemus. Idem in Ioan. cap. 2. v. 4. Quid mihi & tibi mulier. &c.

Denique eo progressus est furor, vt Christi propemodum nudati spoliis eam ornarent. Cumque has execrabiles in Filium Dei blasphemias damnamus; maligni & inuidi vocamur à Papistis; immo improbe calumniantur, S. Virginis honorem à nobis hostiliter impugnari. Quasi verò non habeat quantum illi honoris debetur, nisi DEA fiat: Aut hoc illi sit honorificum, Sacrilegis titulis ornatam in Christi locum surrogari. Atrocem ergo illi Mariæ iniuriam faciunt, quando; vt mentitis eam laudibus deforment; Deo eripiunt, quod suum est.

DVCES hos reliquus secutus grex hæreticus, certatim in nos inque Deiparam, ceu furiis actus, inuolant, pugnantque calumniis. Selnecerus *disposit. de Festo Annunc. Virg.* Melanchton *in Consil. de vitanda superst.* Herebrandus *disputat. de har. puniendis.* Bullingerus *in Ioan. c. 2.* Brẽtius *Dom. 2. post Epiph. &c.*

Hi omnes conclamant, Mariæ inuocationem in Ecclesia Pontificia esse idololatriam.

III. Erasmus in Colloq. de peregrinatione, de naufragio; (horret animus, calamusque tremit ecfari:) De Deipara figmentum proponit, quasi Glauco Plutoni epistolam ea scripsisset in hæc verba; *Quod Lutherum secutus strenue suades, superuacaneum esse, inuocare Sanctos; à me quidem isto nomine bonam magnamque inisti gratiam, scito.*

Nam ante hac tantùm non enecabar improbis mortalium opplorationibus.

Ab Vna postulantur omnia; quasi Filius meus semper infans esset; quia talis fingitur, pingiturque in sinu meo. Subscriptio: *B. Virgo mea manu subscripsi.* Prescriptio est: *Maria Mater IESV, Glauco Pluto.* Clausula: *Hæc te scire volui: tu cogita, quid modo respondendum censeas, nam mihi plane res cordi est. Ex Æde nostra lapidea Cal. Augusti, anno filij mei passi 1524.*

Hæc vehementer & eloquenter exagitata noster Bzouius, Conc. 19. Super Salue Regina, refutat: Et ego in mea *Claui prædicandi Rosarium l. 1. ca. 14. & 16.* Vide & in sequente quæsito.

QVÆSTIO IV.

Qualia Luthero-caluinistarum sint Mendacia circa Sanctos?

DE Conuicijs, blasphemisque calumnijs vide in meo *Luthero-cal. p. 1. q. 72.*

DE MENDACIIS quibus & Cœlites, & Romano-Catholicos nos onerant, in exemplum pauca.

Suæ ipsi præcones sunt impietatis LVTHERANI.

I. LVTHERVS serm. de Cruce

Quoniam reliquiæ Sanctorum nihil sunt aliud, quam fidelium Seductiones; ne deinceps populi Deos alienos colant; placere sibi, vt omnes eiusmodi reliquiæ altissime sub terram abscondantur.

Idem in Postilla in festo Annunciationis.

Papistæ Virginem Mariam Deum constituunt. Omnipotentiam ei in cælo, & in terra attribuunt.

Rursum. *In Papatu omnes se ad Mariam contulerunt: & plus fauoris & gratiæ ab ea expectarunt, quam à Christo ipso.*

MELANCHTON in Locis Comm. de præcepto primo, Papistas cum Infidelibus iungit: Ratio: *Quod idem sit, fingere multos Deos, & Sanctos mortuos inuocare.*

Magdeburgenses Centuria prima *B. Mariæ & Sanctorum cultum* qua Verbo, qua facto nusquam *Approbatum* mentiuntur; Quin &, *vt manifestam idololatriam*, reprobatum fingunt: Inde cæteris in Centuriis quiritantur, Ecclesiam defecisse ad simulacra muta. Atque Centuria sextæ præfatione omnino tragicè deplorant; in sæculo secundo & tertio eam fecisse vitium; in quarto & quinto inclinatam; in sexto corrupisse. Verba reddit Illust. Bell. in præf. de Sanctis.

H. CALVINVS l. de reformandæ Ecclesiæ necessitate ad Carolum V. vnam ait dissensionem hanc esse, Quod *Sanctos Vnum Deum colant*: Catholici vero *sic inter Sanctos distribuerint officia, vt summum Deo tanquam collegas eos addiderint, in quorum turba delitescat: Quodque Sanctos loco Dei adorent;* Quin & *Reliquias, ossa, vestes, calceos. &c.*

Idem Inst. l. 4. c. 21. inter causas suæ nobis defectionis ponit; Quod *nullum liberi nobiscum conuentus posset, quin aperta per idololatriam pollutio fiat.*

Eam sic ostendit l. 3. c. 20. *Singulis peculiares sibi Diuos asciuerunt; in quorum non secus, atque tutelarium Deorum, fidem secutus erunt.*

Neque modo, (quod olim Israeli exprobrabat propheta) secundum numerum vrbium Dij sunt erecti; sed secundum capitum multitudinem.

Quæ quidem tam aperta sunt mendacia; vt nec verbum sit opus reposuisse.

Hæc vniuersè dicta sunto.

QVÆSTIO V.

An in cælo Sanctos per Apotheosin statuamus?

I. CAL-

I. CALVINVS vnum Papam Ioannem XXII. vnain causa de Sanctorum beatitudine, solum quinis onerat calumniosis mendaciis.

Historia facti est talis, apud Villanũ, qui in Ioannis XXII. aula vixit, & Res perscripsit Florentinorum: *lib.* 10. *&* 11. & in Extrauagante, *Benedictus Deus*. Ioannes XXII. sensit, vt Doctor, Sanctos necdum frui visione beata. Quam opinionem retractauit ante mortem; partim eam declarauit, non asseruit; & protestatus est, se non intendisse; vt vnquã definiret; sed veritatem inquisisse; Simul successorum definitioni sese submisit pridie, quam moreretur.

Cui viuenti tum maior Cardinalium pars reclamauit; tum Rex Galliæ Philippus eum amicè monuit, caueret à periculosa opinione.

Demum contrarium sanciit Ecclesia.

CALVINI vero *Inst. l.* 4. *c.* 7 §. 28. circa istud sunt hæc mendacia.

1. Gersonem cum Ioanne vixisse; sc. mortuo, anno 1334: & natum illum, anno 1363.

2. Papam negasse animæ immortalitatem. AT Gerson nullius eum erroris insimulat: nec constat aliunde.

3. Nullum Cardinalium ei sese opposuisse.

4. Regem Galliæ interdixisse suis cum Ioanne communionem.

5. Papam à Rege coactum canere palinodiam.

Fabulæ hæ, & mendaces calumniæ sunt.

II. CALVINVS ἀποθεώσεως notam Catholicis affingit in Sanctorum Canonismo: Sic enimait, Inst. l. 3. c. 20. *Sanctos habent DEOS Tutelares.* Vi retus ad Caluinum ita: *Germanum pro Deo suo Tutelari colunt Parisienses.* Rainaldus *lib.* 1. *c.* 5. de Theodoreto: *Deos propemodum ex martyribus facit.*

Vide Luthero-cal. *p.* 1. *q.* 74. & in Genealog. *p.* 1. *q.* 20.

AVTOR. Sciant, si velint vocabulum DEI bifariam accipi; Propriè & Improprie.

1. Propriè Vnus vêrus est Deus solus: quocirca ab tali sensu longissimè abest Canonismus Sanctorum.

Ethnicam talem describit ludibundus Apotheosin in Claudio Seneca, in Antonino & Geta Herodianus.

2. Improprie homines pij, Sancti, Deoque pleni vocantur ab ipso Deo *Dij*: Sicque Apotheosis impropriè dici posset Canonizatio Sanctorum.

Sic in beatorum transcribuntur aliqui: vt S. Greg. Nazi. ait ποιεῖ Θεὸν ἐμὲ δι' ἀ τὸ βαπτίσμα, id est, *me Deum per baptisma facit.*

Perge; mentire Cauine: Tute ipse nomen tibi mentitus es, postquam ereptus vindici rogo, stigmate inustus liliato, in Germaniam delatus, è Cauino te Caluinum nominasti.

Sed nomen, non pilum mutasti; nisi in deterius.

QVÆSTIO VI.

Qualia nobis affingant Luthero-caluinistæ in Cultu Sanctorum?

I. OMNES promiscue communiter fingunt

1. Sanctorum Cultum è Scripturis doceri non posse.

AT secus vide in meo *Antichristo p.* 1. *q.* 22.

II. MELANCH. *in Apolog. a.* 21. *Conf. Aug.* tria mentitur. 1. Tribuunt Sanctis Diuinitatem, id est, vim cognoscendi cogitationes.

AT

AT non has tacitas, sed precibus gestibusque promptas.

2. Ante S. Gregorii tempora nusquam fieri Inuocationis Sanctorum mentionem.

AT Kemnitius ait post S. Augustinum cœpisse Sanctorum; Mariæ verò Inuocationem per Gnaffæum sub ann. 480.

AT Augustinus, Hier. Basil. Atha. Irenæus. &c. scribunt de ea, vt antiqua pietate. Idque testantur Centuriatores, *Cent.* 4. *c.* 4. *&* *Cent.* 5. *c.* 4.

3. Papistæ sunt asini dicentes ex S. Hier. Vigilantium vetasse Sanctorum inuocationem; cum de ea nec verbulum extet.

AT Asinus est, qui non intelligit, negato sanctos orare pro nobis posse, negari quoque inuocandos esse: at illud negabat Vigilantius, Callidius Magdeburgenses, *Cent.* 4. *c.* 8. negarunt fuisse hęreticum, sed sanctum Vigilantium.

III. CALVINVS *Inst. l.* 3. *c.* 20. §. 21. 1. In Hymnis & Litaniis omnibus Papistarum nulla fit mentio Christi.

AT contrarium vbique resonat; vt sit periculum, ne diabolo cognomen Mendacis eripiat Caluinus.

2. Solus Christus introiit in Sanctuarium cœli, solusque vota offert nostra.

In atrio cœli eminus manent Sancti.

AT ist hoc iam negant Caluinistæ, docentque cum Papistis Vt Raimoldus *l.* 1. *de Rom. Idololat. c.* 7.

Deinde sic ne Angeli nostras Deo præsentarent orationes: mentiente Raphaele, Tob. 12. *Obtuli orationem tuam Domino.* Apoc. 8. *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.*

Ibidemque Caluinus admittit illud officium Angelorum.

3. Inuocant Sanctos vt Deos, plurimosque habent Deos pro capitũ, vrbium. &c. numero

AT vetus calumnia hæc, patet ex S. Cyrillo *l.* 6. *in Iulianum.* ex Aug. *l.* 22. *contra Faustum, c.* 4. Ex Hier. *contra Vigilantium.*

4. Orant Virginem, vt iubeat Filium facere petita sua.

AT Falsum est. Quod si tamen, Ioh. 2. 10. *Obedijt Deus voci hominis*: cur non & matris precibus obediret Filius?

5. Ante statuas Barbaræ. &c. demurmurent *Pater noster*, quod Deo debetur soli.

AT oramus id Deo per Sanctos præsentari.

6. In Conc. III. Carthaginensi vetitum dicere *S. Petre, ora pro nobis.*

AT confinxit hoc Caluinus.

7. Sacrilegium est horrendum Sanctos vocare *Præsules Salutis*: Orare, *E cœlo nos respice, &c. iuua.*

AT prius est S. Ambrosii l. de Vidua. Posterius est S. Gr. Nazianzeni orat. in Cyprianum. Cætera quid colligam familia?

8. *Inst. l.* 3. *c.* 20. §. 24. Deus voluit, vt nullum esset nobis commercium cum Sanctis mortuis; sed nec illis nobiscum.

AT falsum. Quia Aug. l. 20. Ciu. c. 9. probat, quod cum ijs simus Vnum Corpus, vna respublica.

9. Ibi. Patres *in Conc.* III. *Carthag.* voluerunt prohibere hanc superstitionem; sed frangere impetum vulgi non valuerunt.

AT fingit: Nam solum dicunt orationes ad solum dirigi Deum oportere; Sanctos & nos: Nã solus Deus adoratur, sed per Christi merita; perque Sanctorum intercessionem.

QVÆSTIO VII.

Quæ de RELIQVIIS Sanctorum commiscantur Centuriatores?

H

HI adeò depuduerunt Magdeburgenses, vt ipsosmet mendaciorum suorum vel memores esse piguerit.

1. Ecce *Cent.* 6. dicunt Reliquiarum cultum post annum Christi 500. cum templorum erectione cœpisse:

AT *Cent.* 5. *c.* 7. cœptum ante annum 500.

2. *Cent.* 5 *c.* 6. & 13. à Christo ad vsque annum 300. nil vsquam reperiri de cultu reliquiarum:

AT *Cent.* 4. ante Iuliani Apostatæ reliquias S. Andreæ & Lucæ Cõstantinopolim honorificè translatas esse fatentur. *Cent.* 2. *c.* 3 referunt reliquias S. Polycarpi cremãdas ab ethnicis perauidè surreptas à Christianis. Quid, quod, teste *S. Greg. l.* 3, *ep.* 3. cæsa S. Petri & Pauli Corpora eorum ciues ex vrbe translaturi, diuinitus fuerint impediti? Orbisenim Vrbiumque Vrbi debebantur.

3. *Cent.* 4. *c.* 8 Dicunt, rectè & piè Vigilantiũ hæresiarcham contra Reliquias locutum esse: & S. Hieronymum ab S. Gregorio notari de immodestia aduersus Vigilantium.

AT Erasmi Rot. ea est ad Hieronymum adspersa Nota critica, an cynica?

4. Cent. 5 c. 6. aiunt: *Augustinus de reliquijs Stephani scribit superstitiosum concursum ad eas in Africam vsque factum, dementatu populu quibusdam ILLVSIONIBVS, quæ pro miraculis habita sunt.*

AT vera prædicat MIRACVLA S. Aug. *l.* 22. *Ciu. c.* 8. quæ sacrilegè dicuntur ijs *Illusiones.*

5. *Cent.* 5. *c.* 15. Reliquias Martyrum contemptas ab Ethnicis fuisse, & in eo melius sensisse ipsos, quam superstitiosi Christiani Quam censuram affingunt Theodoreto *l.* 8. *de Martyribus.*

AT in eo contrarium est.

6. *Cent.* 4 *c.* 13. Diabolum, aiunt, ex industria obmutuisse in Oraculo Apollinis; ob vicinas reliquias S. Babylæ Martyris; vt ab earum translatione ordiretur omnium reliquiarum venerationem.

AT contrarium omnes Scriptores: & vixdum translatus fuit S. Babylas, iam continuò igne cœlitus lapso perijt Apollo, &c.

7. *Cent.* 6. *in præfat.* Cœperunt semicorrosa ossa Cotri inuocari, Diuino honore affici.

CALVINVS l. de necessit. reformandæ Eccl. *Nec solum Sanctos Christi loco adorant; sed etiam eorum ossa, vestes, calceos, & simulacra.*

AT quis vnquam sensit aut dixit Orthodoxus; *Sanctæ reliquiæ, orate pro me?* Longe inferiore gradu veneramur eas, quam Sanctorum Animas? Satseipsos refutant Magdeburgenses ipsi sibi contrarij; vt liquet ex allegatis. Cætera *ex Antichristo p.* 1. *q.* 23. ex *Luthero-cal. p.* 1. *q.* 78. ex *Mendace Antipap. p.* 1. *q.* 7. repetere licet.

QVÆSTIO VIII.

An Sacrarum Imaginum Cultus omnis fuerit semper illicitus?

LVTHERANI & maxime CALVINIANI illicitissimum atrociter contendunt: sed & quidē mendaciter propugnant. Quia vero nos respondemus ijs; simulacrorum cultũ ceu Diis præstitum, solum inhiberi: idcirco Caluinus *Inst. l. c.* 11. §. 9. 10. docere laborat, Iudæos ac Gētes in idolis suis Deum verum coluisse; & tamen reprehendi: quanto magis Sanctorũ cultores coarguendi? De Iudæis probat, Exod. 32. *Isti sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de Aegypto.* Iud. 17. *Vouit Domino* 1100. *argenteos, vt faciam sculptile.* De Ethnicis probat. 1. Quia hi respondēt apud Aug. in Ps. 113. se non idola, sed Numen colere in idolo: Ideo simulacra mutabant, non Deos. 2. Quia duo Constant. Concilia, & Francofurdianum statuerunt abolendas imagines esse. 3. Quia Conc. Nicænum refutatum est à Principe, decernens iconibus eum cultum, qui Trinitati defertur. 4. Quia Patres arguunt hæresios eos, qui Christi & B. Virginis. &c. colebant imagines. 5. Quia Ezechiel, 4. *Reg.* 18. serpentem æneum confregit ob cultum eius idololatricũ. 6. Quia errori fit occasio, vt inesse diuinitas imaginibus putetur. 7. Quia imago incapax honoris est. Hi arietes eorum.

AVTOR. At omnino siculnei.

AD I. Tantum quinquies mentiuntur in vno. 1. Quia ipsamet idola vocarunt Deos & coluerunt: sic ipse Caluinus *Inst. l. c.* 11. §. 10. sibi contrarius, ex Exod. 32. *Fac nobis Deos.* &c. Dan. 5. Ethnici *bibebant vinum & laudabant Deos suos aur. arg. æreos. &c.*

2. Iudæi in Vitulo Deum verum coluerunt:

AT contrarius Caluinus est Scripturæ. Deut. 32. *Deum, qui te genuit, dereliquisti.* Iere. 2. *Ambulauerunt post vanitatem, & non dixerunt, vbi est Dominus.*

3. In quocunque idolo Iudæi venerabantur Deum Verum.

AT falsum. Quia in Vitulo solo, non in oue. &c.

Et *Ios. vlt.* Optio fit eis idolorum. Et 3. Reg. 18 *Vsquequo claudicatis? Si Dominus est Deus, sequimini eum: Si Baal est Deus, sequimini illum.*

4. Caluinus. §. 9. *Nec ita stupidi credendi ethnici, vt non intelligerent Deum alium esse, quam ligna &c.*

AT falsum hoc. Quia verè credebant lignea idola esse ipsa Deos, quod loquerentur. Vnde labor prophetarum erat docere non ipsa Deos esse. *Baruc. 6. Act. 9.*

5. Calu. § 10. *Prophetæ Iudæis & Gentilibus fornicationes cum ligno. &c. exprobrabant, tantum ob ea, quæ quotidie ab ijs fiunt, qui Christiani haberi volunt: Nempe quod Deum in lapide &c. carnaliter venerarentur.*

AT falsum hoc. Nam Iudæi, *Exo.* 32. & Gentes, 1. *Cor.* 10. immolábãt idolis: Christiani vero nequaquam statuis immolant; Nec in ijs diuinum quid ineſſe putant. &c.

AD II. Duo ea Conc. fuerunt illegitima; quia contra ea est Nicænum Conc. I. Et reijciuntur ab omnibus. Ideo per Conc. Nicænum II. eis derogatum est. Et eadẽ sanciunt quædam, quæ Luthero caluinistæ damnãt: vt cultum Sanctorum & Inuocationem; meritum piorum operum. &c. Cõc. Franckofurdianum vero non est vnquam approbatum: Id tamen reprobauit Synodus VII. falsam quæ decreuerat imaginem adorandas esse.

AD III. Id producunt ex libris Carolinis, qui sunt Carolo afficti. Nam vnus Carolo Imp. iconomachi nec mutire ausi fuerunt. Et Carolus cum Adriano Papa fuit coniunctissimus.

AD IV. Et recte arguunt.

AD V. Sanctè zelauit contra veram idololatriam.

AD VI. Ideo quædã imagines honorantur præ alijs qui Deus plura per illas miracula facere dignatur: Aut quia ab Sanctiore factæ, vt à S. Luca, Nicodemo. &c.

AD VII. Imagines non sunt honoris capaces per se, sed relatiue honorantur atque ita etiam sanctæ dicuntur. Causa nostræ confirmationem Vide in meo *Luthero-cal. p. 1. q.* 80. In *Antichristo q.* 24 *In Genealog p. 1. q.* 24.

QVÆSTIO VIII.

Quæ de TEMPLIS FESTIS QVE vellent mendacia?

1. LVTHERANI Magdeburgenses *Cent.* 4. *c.* 4. & Et CALVINVS *Inst. l.* 1 *c.* 11. §. 7. Confinguntvsum Signi CRVCIS sæculo IV. nouum fuisse

AT illius meminit sæculo altero Tert. *l. de corona militis.*

2. *Cent* 7. *c.* 6. Mentiuntur Sergium Papam fuisse primum autorẽ, vt Crux adoraretur & exosculetur.

AT Sergius sedit anno 688. Et Euagrius *l.* 4. *c.* 26. istius meminit, plus centum annis antiquior Sergio: itemque Hie-

Hieronymus *Epist. ad Marcellam.*

3 Lvthero Calvinistæ certæ sibi nos accusant idololatriæ in templorum facta Sanctis & ædificatione, & Dedicatione: Ceremoniasque consecrationis non posse ab superstitione excusari.

At responsum ferunt per breue in meo *Luthero cal.p.1.q.83.84.* Inq; *Genea. p.1.q.25.26.*

4. Idem Ornatum templorum à S. Patribus culpari damnatiq; pertendunt; Cũ de solo vano luxuisti conquerantur Vide *Geneal.q.27.*

5. Benedictarvm vsum rerum vt ethnicũ, magicumque diffamant; *ibid.q.28.*

At Solenne suum obtinent; non tamen obtinent, quæ mentiuntur.

6 Similiter Peregrinationes Votiuas deridet, quin & execrantur.

At amuletum ecce in *Genealog.q.29. & Luthero cal.q.87.*

7. De Festis Christi ac Sanctorum quam infanda isti? Magdeburg. Cent.1.l.2.c.6. mentiuntur sub Aniceto Papa cœpisse in Rom: Ecclesia laborare mysterium iniquitatis, seque prodere semina Antichristi: Nimirum, quia Anicetus noluit Pascha alio celebrari die, nisi Dominico.

At hoc ipsum eo tempore statuerũt omnium fere Ecclesiarum Concilia: obseruantque hodie Lutherani.

8. Cumulat mendacia Heshusius dicens, Pontificios pari honore cum celeberrimis festis coli dies Innocentum Gregorii, Annæ, Catharinæ, &c.

At hæc multis in locis nec obseruãtur quidem in foro, vt aiunt.

9. Idem ait, Festum Corporis esse reiiciendum. Cur? Quia, *Non adorabis Deos alienos.*

Ergo ipsi Christus est Deus alienus.

10. Caluinus aic Cultum Sabbati apud Christianos in eo consistere, vt ociemur ab operibus nostris; & Deum in nobis operari sinamus; id est, intelligamus nos carere libero arbitrio ad bonum, & quicquid agimus, peccatum esse.

At qui ita Sabbatizant, ibunt in ignem æternum.

Et purgantes Animæ Cœlituum debentur beatati; pertinentque ad Corpus Ecclesiæ Triumphantis. Quare & hic nequaquam ab illo sunt diuellendi. Porro igitur de ijsdem.

QVÆSTIO IX.

Quæ de Purgatorio vanè iactentur?

OMITTO vetera Hæresiarcharum: Noua Nouatorum tot sunt, vt è plurimis vix pauca libeat attingere dun taxat in exemplum.

1. Ad locum ex 2. *Mach.12.* negant librum esse Canonicum.

At contra omnem retro Antiquitatis consensum, & S. Aug.

2. Esse intrusum illud: *Sancta ergo & salubris est cogit. orare pro mortuis. &c.*

3. Oratum pro mortuis, vt pius affectus seruetur; non vt ij liberentur.

At Vtrumque dicitur; non docetur.

4. Exemplum id non facit legem.

At illud est ex Vsu certo, sensuque omnium communi; qui vim legis habet.

Omnia fere sic complectitur Petrus Martyr. *Solet nobis obijci, Ecclesiam semper pro mortuis orasse.*

Quod quidem non inficior: Sed assero istius facti Neque Verbi Dei, neque Exempli, in S. Literis, autoritatem habere.

Facile mouentur homines naturali quadam charitate in defunctos, vt illis bene cupiant, & in preces pro eis erumpant: Sed affectio hæc vehementior videndum est, ne Fidei & Iustæ pietati aduersetur.

Logi impudentissime censorij totius Ecclesiæ.

11. Et Caluinus Inst. l. 3. c. 5. §. 10. *Ante M. CCC. an. vsu receptum fuit, vt precationes fierent pro defunctis. &c. Sed omnes, fateor, in errorem abrepti fuerunt.*

Mendax, impudens, & quid non tale est Caluinus?

2. Ait, Orarunt, non vt mortuis opitularentur, sed seipsos consolarentur.

AT contrà S. Patres.

3. Cœpit sic orare vulgus ex imitatione Gentilium; Et Patres se accommodasse opinioni vulgarium.

AT S. Patres eò diligentius prohibuerunt ritus Ethnicorum, quo plures ethnici conuertebantur.

4. *Aug.* ait Caluinus, *ita dubie, hæsitanter, & frigide disputat,* in libro de cura pro mortuis; *vt frigore zelum extinguere posset pugnantium pro purgatorio. Quod autem orauit pro matre; id fecit quia nihil votum non examinauit ad Scripturas, & prauo quodam affectu omnibus probari voluit.*

AT S. Augustinus id diserte dicit, docet; Non dubium esse, quin animæ iuuentur: Nec syllabam habet totus liber, quod non iuuentur. Quam igitur mendax, tam & iniquus Censor est Augustini Caluinus.

4. De Purgatorio adeo nil asseruisse Patres fingit, vt illud pro re incerta habuerint.

AT iam effrons prorsus depudet mentiri.

Mentiendi sine fine

FINIS

Antipapistæ Mendacis Theomachi.

ANTI-

ANTIPAPISTA MENDAX ECCLESIOMACHIÆ LVTHERO-CALVINISTICÆ

PARS II.

De Ecclesia Militante.

QVÆSTIO I.

Qualia in Papas confingant Luthero-caluiniſtæ Errata?

GEN. 15. *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes*: Diſpice per Luthero-caluiniſmum, & numeres mendacia ſi potes. Homini vtrumque reor perinde difficile ſic, vt ἀδύνατον videatur.

Ergo quid inſtituo? Mendacem Antipapiſtam demonſtrare, inquam, exemplis pauculis: non omnia illius adnumerare mendacia; quibus cœlum hoc terramque inceſtare nihil dum adhuc erubeſcunt meretricij frontones. Mendacia verò ea, quibus aut hæreſes proflant nouas, aut olim bis, ter, & amplius mortuas reſuſcitant; non attingam. Sed illorum duntaxat pauca, in quibus orthodoxæ Romano-catholicæ Religioni affingunt ſeu dogmata, ſeu Facta impingunt conficta.

I. Quale, quod LVTHERANI cumplures pernegent, S. Petrum vnquam vixiſſe Romæ? Et horum quidam cum CALVINO, teſtium denſitate obruti, vt dent ibidem obiiſſe diem quidem S. Petrum;

trum; at sedisse vt Episcopum inficiantur. Vide in *Luthero cal. p. 2. q. 8.* Suo igitur mendacio mendacii redarguere audent Scriptorum nubem grauissimorum, omnemque retro Antiquitatem historiæ; In quam inprimis Magdeburgenses Centuriatores, duce Flacco Illyrico, ceu Locustæ ægyptiæ, insiliunt; rodunt, taminant.

II. Atque vt Romano Pontifici ceu Petri Successori, infandiorem fœditatē inferant; in S. Petrum aggerunt Lapsus quindenos; si in hominem, calumniosè; si in Sanctum, blasphemè: de quibus *Bell. l. 1. de Pont. c. 28. & lib. 4. c. 8.* Quid quod apertè adstruant; idque ex Euangelistis sic fieri oportuisse pertendant; Petrum ac Paulum Ierosolymis, non Romæ; ab Scribis & Pharisæis, non ab Imperatore occisos. Vide *Bellar. lib. 2. de Pont. c. 10. Ibidem c. 25.* Similia Illyrici historica vide mēdacia circa ius Paparum post Petrum successionis.

III. Iam quales comminiscantur errores in Papas singulos cumplures, vt eos in fide errasse persuadeant? *Petrus*, aiunt, Dominum ter negauit: Gentiles, *Gal. 2.* iudaizare coegit. &c. *Linus* instituit, ne qua mulier ingrederetur templum, nisi capite lineis operto. *Anacletus* Memoriam S. Petri construxit. *Telesphorus* quadragesimæ ieiunium instituit: Clericorum dignitatem nimium effert supra plebeiam. *Victorem* olim hæretici dixerunt docuisse, Christum esse purū hominem. *Zephyrinus* videtur Montani hæresin adprobasse. *Vrbanus* instituit Confirmationem post Baptismum, vt plenè Christianos faceret. *Pontianus* docuit Sacerdotes ore proprio Corpus Domini conficere. *Cornelius* docuit, in Calice Domini solam aquam esse offerendam. *Marcellinus* idolis sacrificauit.

Ad quæ singula respondet *Bell. l. 4. c. 8. de Pont.* Sicut & *c. 9. & 10.* ad ista: *Liberius* Papa ariana infectus fuit hæresi. Itemque successor eius Felix II. *Siricium* ait *Caluinus, 4. Inst. c. 12. §. 24.* coniugium vocauit pollutionem. *Innocentium* I. Velata, si enupserit, aut lapsa sit, non recipiatur ad pœnitentiam, viuo comp[ri]ce. *Cœlestinus* fuit Nestorianus. *Leo* I. Mulier putans maritum mortuum, nec non rediturum, potest alteri nubere: reuersus primus eam nolit, potest manere cum altero. *Gelasius* docuit, cum Carne Christi manere panem in Sacramento: Et alteram speciem sine altera non sumi nisi sacrilege. *Vigilius* damnauit omnes, qui confitebantur duas in Christo naturas. *Gregorius* I. permisit Presbyteris conferre Sacramentū Confirmationis; quod solis conuenit Episcopis. *Bonifacius* V. docuit, Christum ab solo nos Originali peccato redemisse. Bell. c. 11. *Honorius* I. fuit Monothelita. Ca. 12. *Martinus* I. asseruit: Presbyteris & Diaconis post Ordinationem peccantibus non dandam esse veniam. *Gregorius* III. iussit iterum consecrari ordinatos ab alijs, quam quos miserat ipse. Idem permisit viro ducere aliam, cum propria ob morbum esset ad debitum impotens. *Nicolaus* I. docuit, Baptismum in solo Christi nomine, sine trium Personarum expressione ratum esse. *Stephanus* VI. irritauit Acta Formosi, sentiens Sacramenta pendere à dignitate Ministri. Itemque *Sergius* III. At Ioannes IX. medius, Stephani acta rescidit;

dit, reſtituit acta Formoſi: quæ contradictio eſt. *Ioannes* XIII. cœpit baptizare campanas. *Syluester* II. magus fuit, inque templo S. Crucis Ieroſolymæ dicerptus: at magi adorant dæmonem. cap. 13. Bellar. *Gregorius* VII fuit hæreticus necromanticus, Simoniacus, adulter. &c. Gog princeps Magog, id eſt, Antichriſtus. Cap. 14. Bell. *Alexander* III. docuit, eſſe contra diuinam Legem, & Eccleſiæ conſuetudinem, vt in teſtamentis requirantur teſtes plures tribus. *Celeſtinus* III. docuit, per hæreſim ſolui Matrimonium, facto hæretico coniugum altero.

Innocentius III. docuit, Legem Veterem nondum eſſe prorſus abrogatam. *Nicolaus* IV. docuit Chriſtum verbo factoque docuiſſe paupertatem perfectã eam, qua nullum ſibi dominium reſeruauit, nec in particulari, nec in communi. *Ioannes* XXII. docuit Animas ante reſurrectionem non viſuras Deum. Item Eſſe mortales: ait Caluinus. *Ioannes* XXIII. dicitur negaſſe Vitam venturam, & reſurrectionem.

Benedictus XIII. rectè docuit, Concilium eſſe ſupra Papam. *Innocentius* VIII. Norwegis permiſit, vt ſine vino ſacrificent. Hæc vt vaniſſima oſtendit Bellarminus vbi ſupra. His adde ex eiuſdem *l.* 2. *c.* 31. S. Gregorius recuſauit titulum *Vniuerſalis, ſummi, Sanctiſſimi*, ait Lutherus. Magdeburgenſes aiunt, Papam ab Iuſtino Imp. creatum eſſe Patriarcham anno 520. Caluinus ait, nomen *Vniuerſalis Epiſcopi* eſſe profanum, & Antichriſti præcursorem & sacrilegum.

Apud Sectarios iſto nil receptius: Papa eſt Antichriſtus; Roma Sedes eius; Regnum Papatus: cœpit cum gladio ſpirituali poſt annũ 600. cum Temporali, poſt annum 1000. Vide in *Luthero-cal. meo p. 2. q. 24.*

QVÆSTIO II.

Qualia fingantur Antichriſtiana Papiſtica?

LIBELLVS Synodi Smalchaldicæ de regno Antichriſti autore, reor, Melanchthone. *Notã Antichriſti competunt in regnum Papæ.*

1. *Quia Paulus ad Theſſ. loquitur de aliquo regnante in Eccleſia, qui doctrinam pugnantem cum Euangelio excogitaturus ſit; & arrogabit ſibi Autoritatem diuinam. &c. prætextu autoritatis Eccleſiaſtica.*

AT Qui regnat, in regno ſuo ſuperiorem non agnoſcit: Papa vero agnoſcit Chriſtum Dominum, ſe ſeruum.

II. *Sumit ſibi Papa ius mutandi Doctrinam Chriſti, cultus Dei, & ſuos ſtatuit.*

2. *Ius de animabus etiam poſt hanc vitam ſoluendi & ligandi.*

AT ſolum per modum Suffragij, non Iurisdictionis.

3. *Nolle ab Eccleſia aut vllo iudicari, eſt ſe Deum facere.*

AT Paſtor oues pascere iuſſus eſt; non contra. Et Papa ſe credit à Deo fore iudicandum; non ergo Deum ſe facit.

III. *Hostãm horribiles errores defendit cum ſummã ſauitia, & interficit diſſentientes. Docet remitti peccata propter dignitatem noſtrorum operum, & nuſquam docent, quod gratis propter Chriſtum remittantur peccata.*

AT mentitur iniquitas ſibi.

CALVINVS in 2. Theſſ. 2. ſimiles profiat fumos, venditque ventos, apud *Bell. l. 3. c. 20.*

ILLYRICVS l. contra Primatum Papæ. *Antichriſtus eſt Papa qui negat Chriſtum. Quia adimit Chriſto Sacerdotium: nam non vult Chriſtum audiri, ſed magis ſe, ſuosque pſeudoapoſtolos aliud Euangelium afferentes. Item quia multos alios Mediatores in cælo nobis pro Chriſto ſubſtituit, neglecto Chriſto: Item infinitos Sacrificulos pro Chriſto ſubſtituit.*

Deni-

Denique quia per merita suorum spiritualium, Sanctorumque nos saluari vult.

AT Logi. Piget plura.

QVÆSTIO III.

Equalibus CONCILIA onerantur mendacijs?

LIBER dictus Protestatio aduersus Conc. Trid. sic ait: *Profitemur ac protestamur, nos adhærere ac semper adhæsisse Protestationi & Appellationi R. P. D. Lutheri, ab iniustissimo & violentissimo iudicio Pontificis, ac omnium eius factionis iudicum; ad liberum, Christianum, legitimum, ac in Sp. Sancto congregatum Concilium. Qui processus, protestatio, & appellatio fuit postea vnanimiter, & multoties à nostris Ecclesijs renouatus; & in aliquot etiam Imperialibus conuentibus, ab omnibus Statibus comprobatus.*

Hinc Protestantes dicti: Sed inconstantes.

Nam simul ac Paulus III. Concil. Trident. indixit, hoc illi, cum priscis sic habitis, lacerare calumniis & mendaciis, editisque libris: Lutherus *lib. de Concilijs*, Melanchthon *lib. cur Lutherani ad Conc. non accesserint*, Libro protestationis 34. Ministrorum: Illyricus *li. de praxi Concilij*.

Kemnitii examen, Molinæi Consilium, Caluini Antidotum. &c.

c I. LVTHERVS *l. de Conc.* ait, Nil opus Conciliis, cum tiam ista olim sanctissima errarint. Quoslibet parochos & Ludimagistros non minus in Ecclesia posse, quam maxima Concilia, Apostolos in Conc. Hierosolymitano ad angustias nos redegisse, quod sit abstinendum sanguine, & suffocato. Quibus cum non abstineamus, liquere liberum esse, obedire Conciliis. *Conc. Nicani articuli sunt fœnum, stramen, ligna: De ijs ligneis articulis quasi reliquiæ remanserunt & titiones, vt articulus de festo Paschatu. &c.*

An vero nil aliud est negotij Spiritui Sancto in Concilijs, quam vt impossibilibus (de cœlibatu) *periculosis, non necessarijs legibus suos ministros obstringat & onoret. &c.*

Maius accedit lumen doctrinæ Christianæ ex Catechismo puerili, quam ex omnibus Conciliis.

Ibid. *Illi Sycophantæ, qui parasitantur Papæ, adeo sunt dementati, vt hoc paradoxon audacissime defendant: Concilia potestatem habere nouos articulos fidei condendi, & mutandi veteres.*

2. ILLYRICVS lib. de norma & praxi Conc. Trid. *Clamant illi Ecclesiam seu Pontificem cum suis esse supra Scripturam, posse contra Apostolum, & totum Vetus Testamen. dispensare. &c. Dominus Iesus obstruat igne infernali ista blasphema ora Antichristi.*

3. KEMNITIVS in Exam. Dicunt,

1. *Papa habet voluntatem pro ratione in his quæ vult:*

2. *Potest formam Sacramentorum, ab Apostolis traditam, immutare:*

3. *Contra epistolas Pauli potest statuere:*

4. *Potest dispensare contra quatuor prima Conc.*

5. *Et contra verba Euangelij.*

Cardinali Hosio: qui præsedit Concil. Trident. affinguntilla verba 34. Ministri Protestationis.

Non pro Scripturarum sententia dimicantes, ipsa Scripturas facessere iubebimus. Non oportet Legis, aut Scripturæ esse peritum, sed a Deo doctum. Vanus est labor, qui Scripturæ impenditur.

Hæc enim creatura est, & egenum elementum; non conuenit Christianum creaturæ nimium addictum esse.

Hæc ille nefarius Antichristi Cardinalis, & impij Concilij Gubernator.

Contra quæ ille: *Si mea illa verba essent, vere dignus essem, qui in medio foro cremarer.*

4. Iam qualia hæc mendacia: 1. Imperatores semper indixisse Concilia, ijsdemque præsedisse,

2. Mag-

2. Magdeburg. Cent. 1. lib. 2. c. 9. fingunt in Concil. Ierosolymitano, *Act.* 15. à tota Ecclesia fuisse collecta suffragia, & omnium iudicio definitum: sola fide, sine operibus hominem iustificari.

At de hoc nec grv. diciturque; *Conuenerunt Apostoli & Seniores videre.* &c. non plebs, nisi audire.

Nam post Petri sententiam dicitur: *Tacuit autem omnis multitudo, & audiebat Paulum, & Barnabam. &c.*

Et postquam tacuerunt, respondit Iacobus. &c.

Tunc placuit Apostolis, & Senioribus.

Itaque plebs non iudicauit; Sed adfuit, & tacito consensu *placuit omni Ecclesiæ.*

Mentiuntur apud *Bellarminum lib. 1. capite 16. de Concil.* Sæpe vnius viri Scripturâ muniti sententiam præualuisse toti Concilio: vt Hieronymi, Raptam licitè duci in vxorem, si pater eius consentiat: quod Concil. generae inhibuerat.

Item apud *Bellarminum capite* 19. Molinæus: Legatos Papæ post Episcopos in Concilijs sedisse. &c.

LVTHERVS art. 115. ex quingentis: *Capite hoc Euangelium; quia nec Papæ, nec Concilijs, nec vlli commissum est, vt concludat, Quid sit Fides.*

Ideo debeo dicere: Papa, tu concluisisti cum Concilijs; nunc ego habeo iudicium, an acceptare queam, nec ne.

Sic & Caluinus Institut. 4. capite 9. §. 8. vbi sententiam Concilij vult esse Præiudicium, non Iudicium, & cuique examinandum.

QVÆSTIO IV.

Qualia Absurda Luthero-caluinistica de MONACHIS pronuncian-tur?

LVTHERVS *in Ephitalamio* pertendit, mulieres non nisi ad matrimonium esse creatas.

2. Idem est consultare; sitne ducenda vxor; & an sit edendum ac bibendum.

3. Moysen præcepisse matrimonium omnibus sic, vt nulli continere licueritin Vet. Testamento.

4. Περιάγειν, & γαμεῖν, id est, circumducere mulierem, & ducere vxorem, esse idem.

5. Etsi Virginitas præstet Coniugio; coniux tamen coram Deo dignior est Virgine.

6. Idem *libr. de Votis monasticis*: Nouum Test. & primitiua Ecclesia prorsus nihil nouit de vllius rei voto.

7. Forma vouendi ista sit: *Voueo castitatem. &c. liberè vsque ad mortem.*

8. Christum nusquam consuluisse castitatem; quin deterruisse.

9. Vita vna nihilo melior est alia; sed paria omnia:

Ideo Iouinianum non solidè ab Hieronymo refutatum.

10. Optimam religionem fore, si nemo ad votaadmittetur ante ætatis annum 70. aut 80.

AVTOR. AD I. Nullæ igitur mulieres erunt in cœlo, vbi *non nubent, neque nubentur.*

Aut non erit distinctio sexuum: Quam hæresin Ioannis Hierosolymitani refutauit S. Hieronymus.

AD II. Etiam Ethnici consultarunt istud; hoc nec stultus vnquam.

AD III. Quomodo igitur vxoribus

caruerunt Helias, Helisæus, Ieremias, Baptista?

Ad IV. Ea aut imperitia est, aut malitia.

Ad V. Dicit pugnantia, non docet.

Ad VI. At B. V. Maria vouit: ait Sanctus Augustinus libr. de Virginit. c. 4. *Quomodo fiet istud. &c. quod profecto non dixisset, nisi Deo virginem se ante vouisse.*

Ad VII. *Si libere*, quomodo *vsque ad mortem*?

Ad VIII. At Lutherus assert. art. 30. ait, Nullum esse Consilium Euangelicum; nisi vnum Virginitatis.

Ad IX. At Augustinus libros S. Hieronymi contra Iouinianum vocat *Suauissimam disputationem.*

Et epist. 28. Iouiniani libros *vaniloquia.*

Ad X. Indignum refutatione est: vt pleraque.

II. Melanchthon *in Confess. Aug. art.* 27. Augustini tempore Monasteria fuisse libera Collegia.

2. Olim ea fuisse scholas artium.

3. Bernardum & Franciscum sola corporis vtilitate ductos ad monasticen, vt domesticis carerent molestiis & curis.

4. Monachatum, nuperum esse inuentum.

5. Nos asserere: Monasticen mereri iustificationem: & saluare alios ijs applicatam; meliorem que baptismo esse.

6. Mendicitatem nos maioribus ornare titulis, quam Legem diuinam: ita *in Locis ca. de Conciliis.*

7. Nos putare Legem Dei tantum de externa disciplina concionari; quod primos motus concupiscentiæ non esse peccata putemus.

Avtor. Ad I. Aug. in Psal. 99. Dum *non perseuerarit implere quod vouit; fit desertor tam S. propositi, & reus voti non reddit.*

Ad II. Monastices Magistri Basilius, Augustinus, Cassianus, Hieron de eo nil in monasticis suis Institutionibus.

Ad III. Ieiunare, castigare corpus, cilicijs indui, nudipedem incedere. &c miræ scilicet corporum vtilitates sunt

Ad IV. At S. Benedictus floruit ante mille annos, Augustinus, Basilius, Antonius multo sunt antiquiores.

Ad V. Fingit ille: Opera pia sunt meritoria vitæ æternæ; at non Iustificationis.

2. Nulli quisquam mereri gratiam potest; potest tamē cōmunicare merit

3. Similitudo est baptismum inter Professionem. Vide *Bell. l. 2. de Mon. c.*

Ad VI. Christiana perfectio essentialiter consistit in obseruatione præceptorum: in Consiliorum instrumentaliter: *D. Tho. 2. 2. q.* 184. *a.* 3. Consilia tamen aliquatenus possunt præceptis anteponi. Vide Bell.

Ad VII. Mentitur, Motus tamen primō primi, quia sunt inuoluntarij non sunt in peccato.

III. Calvinvs *Inst. 4. c.* 13. §. 3. Nos coniugium vocare pollutionem.

2. *Ibid.* §. 8. Olim pios in monasteriis sedes Ecclesiæ gubernationem præparasse.

3. *Ibid.* §. 10. Aug. veri monachatus Magister non vult rigidè exigi quæ libera Christus reliquit.

4. Idem requirit, Monachum omnia referre debere ad charitatem Dei & proximi: iam autem noua fingi alia.

5. Monasticen à Christo nusquam vllâ syllaba approbatam esse *Ibid.* §. 11.

6. *Ibid.*

6. *Ibid.* §. 12. Nulli veterum in mentem veniſſe vt dicerent, Chriſtum quicquam Conſuluiſſe, ſed omnia præcepiſſe.

7. *Ibi.* §. 14. Patres abhorruiſſe ab hoc, Monaſticen eſſe baptiſma ſecundum.

8. *Ibid.* Hodie monachos ab Eccleſia diſceſſionem facere.

AVTOR. AD I. Mentitur. Imo Sacramentum eſſe docemus; quod negat ipſe.

AD II. Falſum: Sed inuiti inde extrahebantur ad honores viri ſanctiſſimi quique.

AD III. Mentitur ſciens.

AD IV. Noua fingit ipſe mendax.

AD V. Contrà *Aug. epiſt. 94. q. 4. Magiſter mandata Legis ab iſta excellentiore perfectione diſtinxit. Ibi enim dixit: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: hic autem: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia. &c.*

AD VI. Mentitur.

AD VII. patet ſupra.

AD VIII. Calumnia eſt: Quia eundem Papam habent cum Eccleſia, eandem Fidem, eoſdem Ordines ab Epiſcopis. &c. per Vnum cum Patre IESVM CHRISTVM, benedictum in ſæcula. Amen.

Mentiendi ſine fine

FINIS

Antipapiſtæ Mendacis Eccleſiomachi.

ANTIPAPISTA MENDAX MYSTERIO-MACHIÆ LVTHERO-CALVI-NISTICÆ

PARS III.

De Sacramentis.

QVÆSTIO I.

Qualia sint Luthero-calvinistica mendacia de Sacramentis in genere?

LVTHERI *Mendaciorum è plurimis pauca.*

I. MEND. *l. de Capt. Baby. c.* 1. Conc. Basileense statuit, Licere Boemis vtramque speciem: Constantiense vetuisse.

At Basil. *sess.* 30. & Constant. *sess.* 13. statuunt, Laicos non tenere diuino iure ad vtramque, sed standum consuetudine & lege Ecclesiæ. Basileense tamen concessit Vtramque Boemis, modo credant non teneri ad eam iure diuino, sed Ecclesiæ lege.

II. MEND. *ibidem.* S. Thomam illius autorem esse, quod in Eucharistia non sit substantia panis, sed accidentia sola.

AT Innocentius III. in Conc. Lateran. anno 1215. id definiuit, aliique diu ante ipsum, Sancto Thoma necdum nato.

III. MEND. Ibid. c. 2. *Asserunt impij homines* scil. de baptismo, *non debere hominem certum esse de remissione peccatorum, seu gratia Sacramentorum. Qua impietate orbem totum dementant.*

AT contrarium ibidem paulo infra

fra ait: *Omnes tamen admittunt, Sacramenta esse signa efficacia gratiæ.*

Quare hanc inesse Sacramentis dubitamus nihil; at de cuiusque dispositione debita certi esse nequimus. Quia illa pendet ex diuina Institutione; hæc è nobis.

Sic ipse Lutherus *serm. de bapt.*

IV. MEND. ibid. Scholastici *tantum de materia & forma Sacramentorum scribunt, id est, litera occidente: Cæterum promissionis diuinæ veritatem, & fidem nostram intacta relinquunt.*

AT tractant de hac ex professo in 4. *sent. dist.* 4. & 9.

Stancarus l. de Trin. *vnum* ait *Mag. sententiarum pluris esse, quam* 100. *Lutheri,* 200. *Melanc.* 300. *Bullingeri,* 400. *Martyres, &* 500. *Caluini: in quibus nec vncia veræ Theologiæ &c.*

V. MEND. *ibid.* tripartitum: 1. Statuunt, *Sacramenta prodesse ijs, qui sunt in peccatis mortalibus.*

2. *Nec requiri gratiam* ad hoc, vt prosint.

3. *Nec fidem, modo non ponant obicem. Quasi ipsa incredulitas non sit obex gratiæ.*

AT 1. Quædam Sacramenta, vt bapt. pœnit. &c. sunt ad peccata abolenda instituta: Lutherani volunt omnia habere promissionem reconciliationis.

2. Ipsa vt vasa continent, conferuntque gratiam digne in gratia recipientibus ea.

3. Etiam hæretici in falsa fide verum recipiunt baptismum, sed in substantia; non in fructu: sic & Matrimonium verum, at sine fructu Sacramenti.

VI. MEND. *in assert. art.* 1. Hanc sententiam: Sacramenta conferunt gratiam non ponenti obicem; esse Scoti hæresin.

AT Ante Scotum docuit eam Innocentius III. Aug. *ep.* 23.

VII. *Ibid.* Scotistas requirere in vsu Sacr. bonum motum cordis, non fidem, non propositum bonum.

AT refellit hoc Roffensis ex Scoto *in* 4. *d.* 4. *q.* 2.

VIII. MEND. hom. vlt. de bapt. *Huc impietatis ventum est, vt sali, & aquæ, contra Verbum & mandatum sacratæ, tantundem virtutis tribuerint, quantum baptismo.*

AT *l. de Capt. bab. c. de extr. vnct.* fatetur iuxta Apostolum salem & aquam recte benedici. Neque sunt tamen Sacramenta.

2. Denique ipse sibi tulit sententiam Lutherus lib. contra Emserum. *Si semel deprehenderer ita mentitus, falsus, & crassi stolidus; iã tota mea doctrina, & honor, fides & fidelitas finem penitus haberent: Vnusquisque pro nequam & infami nebulone, vt æquum est, habiturus esset.*

At Dietẽbergius noster vel è duob. eius libellis solis collegit supra octingenta mendacia. Et prædicta quanta?

Philippi Melanchthonis mendaciorum aliqua.

I. In Confess. art. 13. *Scholastici docent* (Lutherus dixit Scotistas solos) *quod Sacramenta non ponenti obicem conferant gratiam ex opere operato, sine bono motu vtentis.*

Hæc simpliciter Iudaica cæremonia est: & tamen docetur in toto regno pontificio.

AT ipse in Apologia ar. de pœnit. fatetur; nos requirere contritionem, vel attritionem: quæ est motus cordis.

II. MEND. Conf. Augustanæ ar. de Missa. *Falsi accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant. Retinetur apud nos, & summa reuerentia celebratur.*

AT Articuli Smalcal. autoritate pares Confessioni contra aiunt: *Dracona cauda ista,* (Missa) *peperit multiplices abominationes & idololatrias.* Supra. *Abrogatio meritò missa est.*

III: MEND. ibid. *Ante Gregorium non faciunt mentionem priuatæ Missæ.*

A

AT *S. Aug.* 22. *Ciu. c.* 8. prodit in domo rustica nobilis à spiritibus infesta, Missam patram fuisse remedio: idque 200. annis ante Gregorium.

IV. MEND. ibid. ar. de Confes. *Antea immodice extollebantur satisfactiones: Fidei vero, meriti Christi, ac iustitiæ fidei nulla fiebat mentio, nec vna syllaba.*

AT pleni de his sunt libri orthodoxorum.

CALVINI *Mendaciorum nonnulla de multis.*

I. Inst. 4. c. 14. §. 14. *Magno consensu Sophisticæ scholæ tradiderunt, Sacramenta nouæ legis Iustificare, & conferre gratiam, modo non ponamus obicem peccati mortalis.*

Quæ sententia dici non potest, quam sit exitialis & pestilens.

Eoque magis, quod multis ante sæculis, magnâ Ecclesiæ iacturâ, in bona orbis parte obtinuit. Planè certe diabolica est, dum iustitiam citra fidem pollicetur.

Grata confessio Consensus, Antiquitatis & Vniuersalitatis.

Sed quod de *iustitia citra fidem*, id nobis affingit citra fidem.

II. MEND. ibid. §. 17. *Interim illud tollitur figmentum, quo Iustificationis causa, virtusque Spiritus S. elementis, seu vasculis, ac plaustris includitur.*

AT cum vnum esse Sacramentum permanere doceamus Eucharistiam; cætera in Vsu transeuntia: illud, ceu vas, continere gratiam, & conferre; cætera solum conferre dicimus velut instrumenta effectiua.

Sic etiam *sagittæ*, *Ps.* 7. dicuntur *vasa mortis*: arma Ezech. 9. *vasa interitus.*

III. MEND. ibid. c. 17. §. 43. Alexander Papa *primus azymo pane delectatus est; vt plebis oculos nouo spectaculo in admirationem traheret magis, quam vt animos proba religione instrueret.*

AT *Mat.* 26. *Mar.* 14. *Luc.* 22. Dominus primo die azymorum sic instituit.

IV. MEND. Ibid. c. 19. §. 12. *Veteres, dum propriè loquuntur, nusquam plura duobus Sacramentis recensent.*

AT Aug. l. 2. contra Petil. c. 104. *Sacramentum Chrismatis, in genere visibilium signorum, sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.*

V. MEND. Ibid. *De manuum impositione Augustinus affirmat, nihil aliud esse,* quam orationem.

AT Augustinus id ipse refutat.

VI. MEND. Ibid. §. 34. *Matrimonium pro Sacramento datum, nemo vsque ad Gregorii tempora viderat.*

AT *Aug. l. de bono coniug. c.* 18. vetustior ferè 200. annis, ait: *in nostris nuptijs plus valet Sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas veri.*

VII. MEND. in Antidoto Conc. Trid. sess. 7. can. 13. *Gemunt omnes pij, pluris in baptismo fieri Chrisma, cereum, salis saporem, sputum denique, quam aquæ lauacrum; quo tota constat baptismi perfectio.*

AT dicimus ea esse præparationes ad baptismum; qui etiam sine his ceremonijs validus est.

Kemnitiana Mendacia quædam.

I. In Exam. edito anno 1566. *Quomodo per Matrimonium Iustitia fidei incipit, vel augetur, quod Syricius Pont. desinit esse secundum carnem viuere; quod Deo placere non possit.*

AT Syricius scribit *ep.* 1. *c.* 7. de coniugio Sacerdotum illegitimo, quod est sacrilega impudicitia.

II. MEND. ibid. Scholastici laborant, vt ostendant benedictam aquam, rosam, herbam. &c. non esse Sacramenta: Vnum Gabrielem clarè edicere, deesse eis nihil nisi Institutionem diuinam.

AT nil laborant: & plura eis desunt.

III. MEND. ibid. *Quidam, vt Alensis, Thomas, Durandus,*

randus, &c. senserunt, ipsis externis Sacramentorum elementis per Verbum conferri quandam virtutem supernaturalem.

AT Durandus in hoc D. Thomam oppugnat 4. d. 1. q. 4.

IV. MEND. ibid. S. Cyprianum existimasse, baptismum esse inutilem ab hæreticis, malisue ministris collatum.

AT solum id de hæreticis erroneè affirmabat.

V. MEND. ibid. Illa opinio: quod in ipsis Sacramentorum elementis gratia essentialiter contineatur, sicut medicina in pixide; ita vt Virtus Sacramentorum sit vel essentia, vel qualitas hærens incorporalibus elementis etiam inter Scholasticos non fuit omnibus probata.

AT Gratiam, vti effectum Sacramentorum, contineri in eis, affirmamus omnes: essentialiter verò eis inhærere gratiam, dixit nemo: sic enim inhæret animæ: Contineri tamen illam in Sacramentis dicimus vt in vase metaphoricè, sc. vt effectus in causa, Sic tela sunt vasa mortis.

Virtus autem Sacramentorum non est gratia, sed id per quod Sacramentum operatur.

VI. MEND. *Virtutem Sacramentorum in ipso opere, quo celebrantur, vel suscipiuntur, constituuntur; ita vt dicantur conferre gratiam ex merito operis, quod exercet is qui celebrat, aut suscipit.*

Idem Caluinus Inst. 4. c. 14. §. 26. *Fideles Sacramenta recipiendo nihil agere quo laudem mereantur; sed hanc actionem esse mere passiuam, eos afferre nihil præter mendicitatem.*

AT opus operatum est Sacramenti, non suscipientis, aut celebrantis, qui in gratia positus cooperatur meritoriè in fide per Sacramentum.

LVTHERVS *l. de Capt. bab. c. de Matrim.* dicit Vocem, *Sacramentum*: vbicúq; in Scriptura reperitur significare *rem Secretam*: Papistas verò velle vbique significare *Signum*.

AT Falsum vtrumque. Nam, *Dan. 2.* significat signum rei secretæ; *Eph. 5.* Signum rei secretæ Sacræ: *Tob. 12.* Rem ipsam secretam.

QVÆSTIO II.

Sacramenta quatenus sint necessaria?

I CALVINVS *in Antid. Conc. sess. 7. can. 4.* & Kemnitius *in Exam. ibid.* mentiuntur damnari Lutheranos, quod Sacramenta excludant à necessitate salutis, cum tamen necessaria dicant.

AT Necessitatem solum ad bene esse dicunt; non simpliciter absolutam: & hanc soli Fidei attribuunt immediatè saluanti; quod hæreticum est.

2. Kemnitius mentitur, Concilium definire, Confirmationem, Extr. vnctionem, Confessionem, &c. esse simpliciter ad salutem necessaria.

AT Vide meum *Luthero-calu. part. 3. quæst. 6.*

3 Idem mentitur, nos docere; quod *fides non sola, sed vná cum dignitate & merito nostri operis accipiat gratiam iustificationis.*

AT negamus vlla Sacramenta esse opera nostra, aut pendere ex nostro merito seu dignitate: alioquin ab impijs collata non forent vtilia.

Luthero-cal. p. 3. q. 12. Bell. l. 2. de Sacram. ca. 1.

Multa ibi quæ affingunt orthodoxis de opere operato.

4. Idem mentitur in Exam. p. 2. Lutherum semper improbasse in Sacramentariis illam profanam sententiam; *Quod Sacramenta non sint organa, & causa instrumentalis gratiæ: Sed solum instar picturæ commonefaciant, & excitent fidem.*

AT Lutheri hanc esse sententiam. Vide in *Luthero-cal. p. 3. q. 13.*

5. Idem *in exam. p. 2. p. 35.* mentitur, Numerum septenarium Sacramentorum apud Græcos tentatum; Armenis vero obtrusum fuisse à Concil. Florent. sub an. 1000. post Christum, à Papa. Vide *Bell. l. 2. c. 25.*

AT

At Concilium illud habet Consensum Græcorum ac Latinorum Episcoporum ibi congregatorum: qui Armenos à numero Personarum in Diuinitate, & Sacramentorum deflexisse conuicerunt, ex ipsorummet antiquis incorruptisque codicibus: sicque eos conuerterunt.

Quàm falsò idem, ad duo Sacramenta solum docenda, detorqueat Patres, vide *Bell. c.* 27.

QVÆSTIO III.

Quæ de Ceremonijs falsa imponuntur Catholicis?

Kemnitius in Exam. p. 2 pag. 157. 1. Conc. Tridentinum adprobasse quoscunque Ritus ab hominibus excogitatos; quamuis absurdissimos.

Idem Caluinus in Antid. Trid.

At solum ab vniuersali receptos Ecclesia; *contra quos disputare*, ait S. Aug. ep. 118. *insolentissimæ est insaniæ.*

2. Asserunt ritus, qui pugnant contra Verbum Dei.

3. Papa, aiunt, potest immutare instituta Christi.

4. Grande peccatum, quicquam ijs in ceremoniis immutare.

Idem Caluinus *in Antid.*

5. Anteponunt humanas ceremon. diuinis præceptis.

Idem Caluinus *Inst.* 4. *c.* 10. Confess. Aug. Apolog. *ar.* 15.

6. Putant sine his cerem. Sacramenta vim & efficaciam non habere.

7. Singulis cerem. vim tribuunt spiritalem.

8. Aliquibus efficaciam Sacramentalem. Sic & Lutherus *hom. vlt. de bapt.*

Et contrarium habet *in Capt. bab. c. de Ord.*

9. Præferunt ceremonias Christi Sacramentis. Idem Caluinus *in Antidot.*

10. Tertul. & Cyprianus ex errore Montanistarum docuerunt exorcismum & Vnctionem habere effectum spiritalem.

11. Cyprianus & Cornelius tribuerunt Vnctioni, efficaciam baptismi: teste Magistro sententiarum; quæ opiniones dein sunt correctæ. Falsa omnia & conficta.

12. Caluinus *Inst.* 4. *c.* 10. §. 9. 12. In ceremoniis præcipuum Dei cultum ponunt.

Sic & Confess. Aug *ar.* 26. §. 15. Istis homines iustificari.

Vide hæc refutari in meo *Luthero-calu. par.* 3. *q.* 19.

QVÆSTIO IV.

Qualia sunt baptismalia Luthero-caluinistarum mendacia in nos?

1. De baptismo Flaminis mentitur Kemnitius *in Exam. p. 2. fol.* 90. 91. asserere Augustinum, Latronem in cruce sola fide, Christum apprehendente, iustificatum esse.

Cum dicat, fide & conuersione cordis ad Deum esse iustificatum.

2. *Ibidem* mentitur; Cyprianum ab Augustino refutari; quod credidisset Martyrium eo modo iustificare, quo baptismus.

Cum Augustinus laudet ab hoc Cyprianum.

3. Idem quoad fidem infantum in baptismo fingit Synodum VVittenb. Lutheranorum consentire cum Luthero; & hunc cum S. Augustino: requiri in eis fidem: Et Conc. Trid. contrarium Concilio Viennensi decernere.

Falsa omnia.

4. Lutherus *in assert. ar.* 2. affingit S. Augustino, docere eum, *Peccatum in baptismo remitti, non vt non sit; sed vt non imputetur.*

At Ioan. Roffensis eum mendacij conuicit.

Nihilominus postea Melanch. *in Apolog. art.* 2. *Confes. Augustana*, repetit idem.

At conuictus ab Eckio fatetur errorem: anno 1580. tamen *in libr. Con-*

cordiæ pagin. 59. id ipsum repetunt.

5. Kemnitius *in Exam. ad sess.* 7. *Can.* 7. quam infanda affingat Tridentino, vide *in Luthero-cal. par.* 3. *quæst.* 27.

6. Idem *in Exam. sess.* 7. *Can.* 10. Nos negare, posse hominem per pœnitentiam redire ad gratiam baptismi.

AT quin sit reditus per pœnitentiam docemus; per baptismum verò negamus.

Ibid. Nos in peccatis post baptismum niti propria contritione & satisfactione.

AT his nitimur instrumentaliter: Christi & Sacramenti virtute principaliter.

Ibid. Cum Lutherus dicat memoriam baptismi dimittere peccata, post eum facta: Concilium sententiam deprauasse, quasi dixisset, *perfunctoriam & historiani.*

AT ipse Concilium deprauat; nam hoc ait *sola memoriâ & fide baptismi.*

7. Magdeburg. *Cent.* 1. *l.* 2. *c.* 6. Fingunt Baptistam baptizasse in nomine S. Trinitatis.

AT nusquam id scriptum est.

QVÆSTIO V.

Qualia iactentur Charismatica Luthero-caluinistarum mendacia?

CALVINVS in Antidoto Conc. Trid. sess. 7. can. 2. *Olei qui faciat mentionem nemo est ex veteribus imò nec ex media illa ætate, quæ iam multis vitiis abundabat.*

AT Tertullianus, sub annum Christi 176, lib. 1. contra Marcionem: *Ille neque aquam Creatoris respuit, qua suos abluit; neque oleum, quo suos vngit.* Aug. l. 5. contra Donat. c. 20, sub annum 380. Cypr. Cyrill.

2. *Cal. ibid. Can.* 3. Patres Tridentinos vocat asinos, porcos. &c.

Institut. 4. *ca.* 19. §. 8. *Verbum Vnctorum est, nullam promissionem in baptismo percepisse; qua in agonibus instruantur.*

AT sui cuique Sacramento proprij sunt effectus, teste Melchiade Pont. *In baptismo regeneramur ad vitam; in Confirmatione armamur ad pugnam.*

3. Cal. Ibid. §. 10. *Nonne se Donatistas produxerunt qui vim Sacramenti à ministri dignitate æstimant?*

AT Donatistæ dignitatem probitatis ministerialis requirebant; nos verò Ordinis Episcopalis, vt qui solus Confirmationem queat conferre.

4. Calu. ibid. de Melchiade Papa. *Os sacrilegum, tunc pinguedinem fœtore duntaxat anhelitus inquinatam, & verborum murmure incantatam, audes Christi Sacramento opponere, & conferre cum aqua, verbo Dei sanctificata? At parum hoc ipsum erat tuæ improbitati, nisi etiam præferre. Hæc sunt Apostolicæ tripodis oracula:*

AT Papa is fuit sãctissimus, de quo ita Aug. ep. 162. *Qualis B. Melchiadis vltima est prolata sententia? quam innocens & integra, quam prouida atque pacifica? &c. O virum optimum! O filium Christianæ pacis! O Patrem Christianæ plebis!*

5. Calu. ibid. §. 11. *Ecce, præterita aqua, & nullo numero habitâ, vnum Oleum in baptismo magnificiunt:*

AT *l.* 4. *dist.* 7. *c.* 2. dicitur Confirmatio nobilior baptismo ratione ministri Episcopi, & partis recipientis, quia in fronte datur: non tamen ideo absolute nobilior asseritur.

Kemnitius *par.* 2. *Exam. pag.* 298. Vnctio Chrismatis ex schola Montani prodiit.

2. Tertul. & Cypr. hac in re Montanistæ fuerunt.

3. Hieron. *in dial.* contra Luciferianos hanc sententiam refutat.

AT nullus vnquam prodidit eam Montani hæresin fuisse: Esto; fuit Tertul. denique Montanista; non tamen omnia, quæ scripsit, erant Montaniana.

2. Ipse *pag.* 310. testatur, hunc errorem esse confictum ab antiquissimis Patribus, Tertul, Cornelio, Cypriano: Non ergo

ergo à Montano eum acceperunt.

3. De Hieronymo merum est mendacium.

Idem ibid. Papistæ hodie detrahunt effectus baptismo tribuuntqu. Confirmationi: id veteres Patres nõ fecisse. Catecheses Cyrilli ideo falsas esse proclamat.

At vtrumque mentitur; nec docet, nec docere potest.

Idem ibid. Abolitam nunc esse Impositionem manuum; & subintroductum oleum balsamo mixtum; cum Patres prisci de solo loquantur oleo.

At falsum vtrumque docet *Bell. li. 2. de Confir. c. 7.* Vide etiam meum *Luthero-cal. p. 3. q. 37. &c.*

QVÆSTIO VI.

An & Eucharistica sint Luthero-caluinistarum mendacia?

1. LVTHERANI iuxta & Caluiniani affirmare audent, Dominũ in hoc, *Bibite ex eo omnes*, iussisse, vt Vinum biberent: Sin' istud; certe præstigiis vsum oportuisse mutatorijs. Caluin. *Inst. 4. c. 14. §. 13.* & Martyr: Papistis, est, significat, Fit, vel *Transubstantiatur*. Quibusdam Caluinistis, apud Iansenium c. 59. istud, *Hoc est Corpus meum*, significat, *Vos estis Ecclesia mea.*

2. Martyr: *Capharnaitæ & Papistæ putant Carnem Christi corporaliter manducandam.*

At illi modo, quo aliæ comeduntur carnes, putabant. Nos; modo Sacramentali veram carnem manducare credimus.

3. Martyr. *Impie faciunt, qui Christum à gloria Patris ad hæc inferiora deuocant.*

At ipse dixit: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem.*

Item: *Ego & Pater meus ad eum veniemus, & mansionem faciemus.*

Hoc vt spiritali præsentia; sic in Eucharistia corporali præsentia seu Sacramentali: .

Hoc est enim Corpus meum; Eritq; dum Fides erit.

4. Caluinus vlt. admonit. ad Westph. *Constat vetustos omnes Scriptores, qui totis quinque seculis post Apostolos vixerunt, vno ore nobis patrocinari:* Sic & Martyr.

At nullus Thrax tam fuit mendax: Thraso nullus tam audax.

5. Lutherus *l. de Capt. Bab. c. 1.* Transubstantiatio commentum est Thomæ & Thomistarum; approbatum ab Innoc. III. in Conc. Lateran.

At hoc coactum est anno 1215. S. Thomas vero natus est anno 1224.

6. Caluinus *Institut. lib. 4. cap. 17. §. 13.* Tempore Sancti Bernardi Rem vocemque illam orbi nondum innotuisse ait.

7. Kemnitius *Exam. p. 2.* Tempore Lombardi nil certi de eo per Ecclesiam constitisse: Iam primum in Tridentino Concilio definitum esse.

At Res per Ætates singulas docetur in meo *Luthero-cal. p. 3. q. 53.*

Vox vsurpari cœpta est sub Innoc. III. anno 1215. sicut olim vox *SS. Trinitas, ὁμοούσιον &c.*

8. Caluinus ibi. §. 14. *Vetustatis patrocinio, in confirmando isto dogmate,* de reali præsentia Euch. *destitui palam est.*

2. *Nec enim ita pridem excogitatum fuit: Ignoratum quidem non melioribus illis seculis modo, quibus purior adhuc vigebat Religionis doctrina; sed cum iam admodum inquinata esset illa puritas.*

3. *Nemo est veterum, qui sacræ Cœnæ symbola non fateatur disertis verbis PANEM & VINVM esse:*

4. *Etsi variis epithetis illa interdum insigniunt.*

At liquido patet contrarium in *Luthero-cal. p. 3. q. 48. 53.*

Quo impudentius mentiuntur.

9. Martyr *lib. contra Gardin.* & Kemnitius, Græcos semper abhorruisse à voce Transubstantiationis.

Cum inter Græcos & Latinos de ea nunquam mota sit quæstio.

Vide *Bell. l. 3. c. 21.* Quin Orientales missam ad se Augustanam Confessionem refutarunt, & cap. 10. illud de negata Transubstantiatione.

10. Kemnitius: *Transubstantiatio ab Andradio collocatur inter illas res, quæ nullis Scripturæ testimonijs apertè definita & explicatæ sunt. Scotus item, Cameracensis, & alij disertè fatentur, nec verbis Scripturæ, nec Symbolis fidei, nec veterum sententiis cogi nos ad dogma transubstantiationis.*

AT Andradius hypotheticè ait: *Et si Transubstantiatio ex manifestis Scripturis, (vt tu arbitraris) probari non posset; tamen furor esset, velle suo iudicio potius, quam toti Ecclesiæ credere.*

Scoto & Cameracensi pariter id affingit.

11. Kemnitius vt Eucharistiæ Vsum solam esse Manducationē doceat; nō asseruationem, & adorationem. &c. ait, 1. Quosdam S. Patres ex simplicitate asseruasse; & his ignoscendum.

2. Quosdam cum iis non consensisse; proinde Consuetudinem Asseruandi non fuisse vniuersalem.

3. Et si ubi fuit, abrogatam fuisse.

4. Asseruatam verò esse ad solam Manducationem; non ad reliquas superstitiones.

AT Falsa omnia. docet fusè *Bell. l. 4. de Euch. c. 5.*

12. Caluinus *Inst. 4. c. 17. §. 43.* fingit, Ecclesiam inde ab Apostolis vsam pane fermentato in Cœna, vsque ad Alex. 1. Papam, qui ann. 121. federe cœpit, & azymum instituit iudaizans.

AT autorem nec citat, nec citari potest.

Contrarium testantur Patres. Vide *Lutheroacal. p. 3. q. 56.*

13 Madeburg. *Cent. 3. c. 6.* fingũt errorem miscendi vinum aqua in Calice à Papis excogitatum esse; & falsò testantur per S. Cyprianum.

14. Kemnitius affingit nobis, Romanenses docere, mixturam aquæ cum vino esse de necessitate Sacramenti,

AT pauci id sentiunt: Communis tenet sententia, sine aqua consistere posse Sacramentum, Miscendam vino tamen aquam Traditio docet ex Christi facto in Cœna.

15. Quoad FORMAM Eucharistiæ conficiendæ, Caluinus *Inst. 4. c. 17.*

Kemnit. &c. aiunt, Magicè à nobis incantari panem ac vinum.

AT hæc blasphema calumnia est.

16. Kemnitius mentitur, omnia Verba Institutionis pertinere ad Essentiam Cœnæ: Romanos multa addere, demere, transponere. &c.

AT non Essentialibus hisce: *Hoc est enim Corpus meum: Hic est enim Calix sanguinis mei.* Vide Bell. l. 4. c. 15.

17. Kemnitius *p. 2. Exam. c. 2.* Papistæ tribuunt Missæ remissionem omnium ex opere operato: at cœnæ sumptæ solum remissionem ēvenialium, & hanc subiecto periculo iudicii sumendi. Idcirco suadent emi Missas.

AT falsum est. Nam sacrificamus pro peccatoribus ad auxilium eius conuertendi ad pœnitentiam; adq; Deum ei propitiandum.

18. Caluinus *Inst. 4. c. 17. §. 40. &c.* arguit nos, quod in Communione requiramus perfectissimam fidem & chariratem.

AT talem Anabaptistæ postulant; non nos; nisi moraliter possibilem.

19. Caluinus Inst. 4. c. 17. §. 74. *Dominus ostendens panem Corpus suum esse dicit: Calicem dum obtendit, Sanguinem vocat; Humana rationis audacia contra reclamat, Panem esse Sanguinem.*

1. *Vinum esse Corpus.*

2. *Ac si Dominus nulla causa Corpus & Sanguinem verbis & signis distinxisset.*

3. *Et vnquam fando auditum esset, Corpus Christi, aut Sanguinem Deum & hominem appellari.*

AT tria hic falsa. Primum nunquam vel somniauit Catholicus. Alterum est blasphemum, soluens Iesum 1. *Ioa. 4.* Tertium est impium, abnegans Concomitantiam, ac Vnionem hypostaticam inseparabilem.

20. Kemnitius vbi supra mentitur nos nostris meritis velle acquirere Dignitatem agendi Synaxes: Idque appellare dignam præparationem.

AT

AT in ipso accessu profitemur: *Domine non sum dignus. &c.* Moraliter nos parare dignos studemus inutiles serui cum omnia etiam egerimus.

21 Caluinus ibid. *Ab Apostolis ad mille vsque annos postea, sine exceptione omnes fiebant Vtriusque Symboli participes.*

AT falsum esse docet Vsus Christi, Apostolorum, & Posteritatis.

22. Idem ibid. *Mentiebatur Paulus, se accepisse dicens, quod tradiderat? Nam postea traditionem declarat, Vt omnes promiscuè, vtroque symbolo communicarent.*

AT mentitur Caluinus de Paulo: Nam non hic declarat traditionem Domini, quasi dicentis: debere omnes sub diuino mandato vti vtraque.

23. Kemnitius ibid. Tridentinum ait, *Accipite, edite*, ad laicos pertinere: *Bibite* non.

AT Trid. non ait, non pertinere; sed Laicos non teneri ad *Bibite*, vti Sacerdotes.

24. Kemnitius p. 2 *Exam. sess* 13. *c.* 15. Nullum esse ait, qui dubitet, Christum in Euch. adorandum; nisi qui cum Sacramentariis negat Corpus Christi in eadem inesse.

AT ei reclamat Illyricus, qui Sacramentarios oppugnat, & tamen negat in Euch. Christum adorandum.

QVÆSTIO VII.

Qualis in S. Missam Luthero-caluinisticus furor est Mentiendi?

1. KEMNITIVS p. 2. Exam. pag. 717. *Sacrificium Missæ in eo consistit, quod sacrificulus certis ornamentis & instrumentis, super panem & vinum variis vtitur gestibus, motibus, &c. nunc clamosè, nunc silentio. &c.* Sicque Eckium scribere ait.

AT mentitur de Eckio, deque Sacrificio, quod in Oblatione, Consecratione, & Sumptione Corporis Christi consistit: non in illa, quam vocat, *paoplia verborum ac gestuum. &c.* hæc enim accessoria est.

2. *Kemnitius*: Histrionicam gesticulationem vocat Missam; quam S. Patres nescierunt: Sed Eucharistiæ consecrationem & distributionem vocarunt Sacrificium:

Oblationem quoque & Sacrificium intellexerunt de Sacrificio Crucis. &c.

AT ficta omnia sunt. Non Ritus Missæ, sed eius essentiam vocant S. Patres Missam aut Sacrificium: Non distributionem Eucharistiæ: Non prædicationem Christi passi: Non sacrificium Crucis; cuius solum est illud repræsentatio. Vide *Luthero-calu. p. 3. q. 73.*

3. Kemn. *p. 3. Exam. de Purg.* ait. Ritus sacrificandi pro mortuis fuit quidem alicubi, sed non in tota Ecclesia.

AT omnium retrò ætatum S. Patres reclamant.

Idem: In nulla Scriptura diuina reperitur Constitutio Apostolica, sacrificandum pro mortuis.

AT, si reperiretur expressum in Nouo Test. non foret Traditio.

4. Melanchthon *in Apol. Conf. Aug.* tria mentitur:

1. Lutheranos non patrocinari Aerio, negauti Orationes pro mortuis esse vtiles.

2. Aerium damnatum, quod negarit Orationes prodesse; non autem negasse vtilitatem Oblationum pro iisdem:

3. Citat testem S. Epiphanium pro se.

AT, S. Epiphanij verba sunt hæc in Anacæphaleosi hæresium: *Aerius docet, non oportere offerre pro ijs, qui obdormierũt.* Simile affingit mendacium S. Cyril. Chry. Ambr. Augustino; quod dicant, in actione cœnæ commemorari mortuos; sed non pro eis offerri.

5. Kemn. *pag.* 810. Affingit Catholicis, docere eos, S. Cœnam esse instituram, vt Sancti in ea imlorentur.

AT secundariò quidem hoc fieri potest; primariò tamen est ad Colendum Deum ac propitiandum.

6. Melanch. *in Apolg. Conf.* fingit ante S. Gregorium

rium nullas fuisse priuatas Missas, id est, quæ fiant sine frequentia populi.

AT S. Augustini presbyter, 22. *Ciu. c.* 8. celebrauit in casa rustica: S. Ambrosius in domo matronæ: Theodoretus in cella S. Maris: S. Lucianus in carcere: Apostoli circa domos frangebant panem.

[Kemnitii aliqua de Ceremoniis Missæ mendacia. 1. *pag.* 851. Conc. Trid. pias, impiasque promiscue adprobare 2. Omnes dimanare ex Traditione Apostolica. 3. Priscas hodie misceri & deprauari nouis & superstitiosis. 4. Necessarias adeo asseri, vt earum omissio sit peccatum mortale. 5. Non credi esse Cœnam absque iisdem. 6. Eisdem per se tribui peculiaria merita.

AT, 1. Tridentinum loquitur de ijs quas nec ipse Kemnitius censet superstitiosas.

2. Dicit *multas*, non Omnes.

3. Simpliciter falsum est.

4. Non quæuis omissio, sed quæ sit ex contemptu.

5. Sine Essentialibus, non est: at est sine ceremonijs accidentalibus.

6. Sine fide & charitate nulla merita agnoscimus: ergo Kemnitius est mendax.

QVÆSTIO VIII.

De Pœnitentia quales Luthero-caluinistarum calumniæ?

1. LVTHERVS lib. contra Antichristi Bullam art. 6. *Lege libros Sophistarum de Pœnitentia; videbis eos nec promissionis, nec fidei mentionem facere.*

Has partes Pœn. viuas omittunt, & solis mortuis contritionibus homines exagitant.

In Capt Baby. cap. de Pœn. *Desinire*] *Babyloniã hæresim esse, si fidem necessariam quis esse assereret.*

AT ibidem contrarium quoque de nobis affirmat, & verè.

2. Ibid. *Contritionem sic docuerunt, vt eam fide promissionis priorem facerent, & longe vtiliorem, vt qua non esset fidei opus, sed meritum.* Infrà: *Hũ audacis res finxerunt Attritionem, quæ virtute Clauium, quam ignorant, fieret Contritio. Eam donant impijs & increbuit; vt sic vniuersa Contritio aboleretur.*

AT hæc qui docuerit, nominari potest nemo; quia finxit Lutherus.

3. *Idem 4. disput. contra Antoninos.*

Apud Catholicos pœnitentem debere incertus esse remissionis peccatorum.

Ibid. Papistas cogere homines vt diffidant, an Christus pro eis satisfecerit.

AT tria concurrunt ad remissionem, Christi meritum, vis Sacramenti, & propria dispositio, quæ sine actu fidei nequit haberi.

Duo priora certæ sunt fidei; tertium incertum, an sit in me, quale deberet.

Posse enim quem falli in sua fide concedunt.

1. Lutherus serm. de bapt. anno 1535. *Baptismum ideo Deus non fundat super fidem nostram; cum illa possit esse incerta, & falsa.*

2. Caluinus inst. 3. c. 2. §. 10. *Tot vanitatis recessus habet, tot mendacij latebris scatet cor humanum, tam frudulenta hypocrisi tectum est: vt seipsum sæpe fallat. Atqui tales fidei simulacris gloriantur, intelligant diabolis nihilo se in hac parte præcellere.*

Ita fiduciam moralem docemus; nec tamen ideo infideles sumus.

4. Luth. *l. de Missa priu. an.* 1534. Nos ait docere, Christum solum pro pec. originali satisfeciss: pro actualib. s nos satisfacere oportere. Idem Comment. in Galatoam Iudæi Christum pro latrone habuerunt; Papistæ pro fabula, fictoque numine, vti gentiles.

AT falsitas non eget responsionis. Et ipse ait Propos. 10. de partib. pœn. *Recte fatentur Papistæ, quod Satisfactiones non mereantur remissionem culpæ.* Sic & Melanch. in apol. Conf. Aug.

MELANCHTHON similia prædictis, sed ficta magis, affingit nobis apud *Bell. l. 1. de pœn. ca. 1.*

Et

Et c. 3. Heshusiana prætereo: Item q. 3. c. 6. Kemnitiana.

CALVINIANA istis nihilo verecundiora sūt.

1. Caluinus Inst. 3. cap. 4. §. 1. *In externis exercitiis mordicus infixi, vt nihil ex immensis voluminibus colligas, quam Pœnitentiam esse austeritatem carni domandæ, & castigandis vitijs: de interiori mentis renouatione mirum silentium.*

AT ibidem infra idem: *De contritione & attritione multus apud eos sermo:* quæ interiora sunt.

2. Idem infra: Leui ceremoniarum aspersione totam cordis amaritudinem sanant.

AT quomodo igitur Pœnitentia est austeritas?

3. Ibid. *Impie definiunt, non nisi de venialibus peccatis quotidie agi pœnitentiam.*

AT qui? Nemo Catholicus.

4. Idem §. 16. *Lex illa,* de peccatorum enumeratione, *simpliciter est impossibilis.*

AT moralem duntaxat diligentiam requirimus de ijs quorum recordamur; Quin ipse item vult singulatim peccata confitenda esse.

5. Ibidem mentitur nos docere, Veniam peccatorum meritis acquiri satisfactionum.

AT docemus, Neminem posse Deo satisfacere, nisi reconciliatum. Mentitur q. ibidē, nos satisfactionem referre ad pœnam expiandam, non ad culpæ remissionem.

6. Inst. 4. cap. 19. §. 16. *Caci in Sole fuerunt, qui rem planam cuius obuiam non perspexerunt,* sc. quod speciosius in Absolutione Sacerdotis, quam in Actione pœnitentis potuissemus constituisse Sacramentum.

AT Omnes, præter Okam, in Absolutione eam constituunt.

7. Idem in Antid. Paris. art. 3. Catholici aiūt, *quod Materia Confessionis sit de iure diuino: forma de iure positiuo,* ab Innocentio introducta.

AT contrariū asserimus omnes de forma: Innocentius eam explicauit,

8. BEZA *in Conf. suæ c. 7. art.* 11. Nos vocat carnifices animarum, non medicos; qui Contit. Confes. & Satisfactionem exigamus, sicut eadem perfectè præstemus; quod est ad desperationem adigere. Et in iis poni remissionem cum insigni iniuria Christi. Ideo blasphemam esse doctrinam papisticam, quæ adimat satisfactionem peo peccatis Christo; & adscribat eam pœnitenti.

AT quæ crudelitas exigerè dolorem de peccatis, aut desiderium doloris? Id que quantum licet ac libet, cooperando gratiæ Dei. Quæ iniuria Christo, si eius merita nobis per Sacramentum applicentur. Ea vero gloria est Christo. Christi est satisfactio; nostra est cooperatio. Vide *Luthero-caluin. parte 3. quæstion. 89.*

Multa prætereo, quæ Caluinus, & inprimis Kemnitius proferunt mendaciter ex vel Historia Ecclesiastica, vel è S. Patribus.

Magno vterque auctario mendaciorum exaugent Centurias spermatologas Magdeburgensium: vt Iliades Illyrici cumularint.

QVÆSTIO IX.

Quæ circa Extr. Vnctionem spermologizentur?

1. LVTHERVS: Epistolam S. Iacobi non esse Canonicam.

2. Vnctionem eam fuisse medicinam naturalem, aut miraculosam.

3. *Kemnit.* Vnctionem institutum Sacramentum esse ab Felice: *Caluinus,* ab Innocentio I.

AT Fingunt; nil docent. Et iussam dari à Iacobo fatentur; & tamen dandam esse negant.

4. Lutherus: *Promissio huius ceremoniæ est corporalis sanitas.*

5. Kem-

5. Kemnit. Vnctio ea repetita est inde à Valentinianis hæreticis; partim ab Ethnicis. Orta est ab Sanctis oleo benedicto sanationes miraculosas operantibus. Vnde ex Vsu venit in legem.

AT hæc refutata vide in *Luthero-calu. p. 3. q. 104.*

6. *Lutherus:* Scio solum Dionysium Ordinem in Sacramentis referre: cæterorum neminem. Recens est inuentio VII. Sacramentorum. &c.

AT contra demonstro in *Luthero cal. p. 3. q. 105.*

Ibidem contemnit tantum Sanctum, dicens, sibi facile esse meliorem scribere hierarchiam.

7. *Kemnitius* negat Vnctionis in Ordinatione nullum extare exemplum in hist. ecclesiastica. Patres eius nusquam meminisse: Græcam Ecclesiam de ea nil sciuisse vsque ad annum 1200. Ritumque esse Iudaicum.

AT contraria liquent in meo Lutherocal.

QVÆSTIO X.

Qualia circa Matrimonium contra nos comminiscantur?

1. LVTH. *Calu. Mel. Beza. &c.* Quod ex Eph. 5. proprie dictum *Sacramentum* asserimus Matrimonium; affingunt nobis necessitatem multiplicandi Sacramenta: quia vox *Sacramentum* frequens est in S. Scriptura.

AT non ibi asserimus *Sacramentum*, à Christo institutum, vbicunque vox ea habetur; sed vbi Signo externo annexa est infallibilis promissio gratiæ.

2. *Iidem.* Ante Augustini & Gregorii tempora à nemine dictum *Sacramentum* esse Matrim. *Beza:* Neque ab Aug. & Hier. sic appellati.

3. *Lutherus.* Nullam id gratiam dare: nec dignum esse gratiæ.

4. *Caluinus:* Appellari Matr. à papistis pollutionem. &c. Arceri Sacerdotes ab eo, vt mala.

5. Coitum censeri partem Sacramenti.

6. Negant in coitu vnquam Sp. S. adesse.

AT mendacia hæc refutata vide in *Luthero-cal. p. 3. q. 108.*

7. Kemnitius: Nondum constat inter Papistas quæ sit materia, forma, minister matrimonii. Gropperus ait formam esse, Mat. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

AT de materia dissentimus, vt vna ablutio nos concordet: de forma & ministro liquet consensus. Gropperus decit ex ijs verbis hanc colligi formam: *Ego te accipio in meum, meam:* non, ipsa esse formam.

8. Calu. Kemn. &c. *Christus prohibet dimissionem vxoris, in causa fornicationis, ob periculum vitæ: At Pontificij de hoc non sunt soliciti.*

AT sunt maximè: ideo ægerrimè libices consentiunt petentibus ad separationem Cohabitationis.

9. Beza *l. de repudijs.* Martinum V. ait relaxasse cuidam matrim. cum germana sorore.

AT cum alterius sorore, quam violarat, sibi nullo gradu prohib. iungi permisit teste *S. Antonino p. 3. tit. 1. §. 1.* ob occulti casus scandalum cauendum.

Plurima, vt soleo, prætereo.

Mentiendi sine fine

F I N I S.

In Antipapistæ Mysteriomachia.

ANTI-

ANTIPAPISTA MENDAX CHARITOMACHIÆ LVTHERO-CALVINISTICÆ

PARS IV.

QVÆSTIO I.

Quales effectus comminiscantur peccati originalis Luthero-caluinistæ?

POMERANVS I. Lutheranus Comment. in Ierem. 1. & 44. Immaculatam Beatæ Virginis Mariæ Conceptionem Papistis haberi pro articulo fidei affirmat, dicique ex Spiritu Sancto conceptam.

Illyricus: opinionem esse erroneam:

Kemnitius, Defendi ex Scriptura non posse:

Tempore Lombardi ignotam fuisse:

Cæptam disputari ex Sancto Augustino non intellecto:

Posteriores excogitasse Sanctificationem;

Postremos Immaculationem:

Demum Tridentinum fecisse libertatem opinari extra, præter, & contra Dei verbum,

AT conficta hæc taliaque omnia esse, vide in *Luthero-caluin. parte 4. quæstion. 18.*

II. De Concupiscentia an sit peccatum, ait Lutherus in assert. articulorum art. 2. *Augustini verbum est; Peccatum remittitur in baptismo, non vt non sit; sed vt non imputetur.*

AT nusquam hoc vnquam dixit.

Melanchthon in Locis fingit Scholasticos tribuere homini post lapsum integras vires ad diligendum Deum:

Reprehendit eos, quod relationes & reatum in peccatis agnoscant:

Quod concupiscentiam in renatis negent esse defectum.

AT horum contraria ijsdem in Locis posterioris editionis asseruit.

Caluinus Institut. 2. ca. 1. §. 2. fingit Lombardum pec. Orig. ad motus sensualitatis restringere.

AT, 2. distinct. 30. lit. c. ait, *pec. orig.*

cum non sit actuale, nec actus est, siue motus animæ vel corporis. &c. Bellarmin. libr. 5. cap. 6.

QVÆSTIO II.

Quales Sycophantiæ sint Luthero-caluinisticæ, de Gratia & libero arbitrio?

I. CALVINVS vocem; *Liberum arbitrium*, perægrè fert; vt *quæ sine ingenti periculo non possit tolerari*: proinde *magno Ecclesiæ bono aboleatur.*

AT perinde execratur vocem *Trinitas*, supra p. 1. q. 6.

Persona, par. 1. q. 7. Ceu Ariani ὁμοουσίαν.

II. LVTHERO-CALVINIANI aût solum liberum volunt arbitrium à Coactione, quæ est finis vltimi; non liberum à Necessitate quæ est mediorum, & actionum: Et eam sententiam Caluinus affingit Magistro sententiarum.

AT, *Institut.* 2. c. 3. §. 5. sibi contradicens ait de eo: *cum necessitatem à coactione distinguere nesciret, pernitioso errori materiam dedit.*

III. TILLM. HESHVSIVS Lutheranus lib. de sexcentis erroribus Pont congerit XIX. de seruo arbitrio. Vt, *Liberum arbitrium est facultas applicandi sese ad gratiam.*

AT affingit istam nobis definitionem.

IV. Attribuit toti Ecclesiæ istud; *Homo ex puris naturalibus potest Deum diligere super omnia.*

AT paucorum ea opinio est Scholasticorum; quam Communis refellit.

V. Sic & istud: *Homo potest suis viribus implere præcepta Theologicarum virtutum, secundum substantiam operis*: citatque Ruardum.

AT hic id citat ex sententia aliorum contraria Tridentino *sess. 6. can. 3.*

VI. Sic, & istud: *Gentes ex sola philosophia potuerunt notitiam comparare ad salutem*: Citatque Andradium.

AT hic asserit, non ex sola, sed opus eis fuisse lumine gratiæ.

VII. Sic & isthoc: *Sine auxilio gratiæ potest homo facere opera grata Deo.* Citatque Andradium.

AT hic ait, hominem sic aliqua facere opera moraliter bona, quæ non sint peccata; non tamen gratiæ vel gloriæ meritoria.

VIII. Errare nos ait, quod dicimus, *Synderesis* ad *inclinatio ad bonum.*

AT cum ea sit *lumen à Deo nobis insitum, non potest non* inclinare ad bonum.

IX. Errant dicentes, *Synderesis non extinguitur in damnatis.*

AT ita S. Aug. l. 2. Confes. c. 4. &c. & Mar. 9. *Vermis eorum non moritur.*

X. Gabriel docet, *Homo acceptâ gratia prima gratis de condigno mereri potest gratiam gratum facientem.*

AT dicit; Non posse hominem mereri gloriam, nisi prius habeat gratiam gratum facientem.

XI. Gabriel docet: *Initium fidei à nobis esse.*

AT ait, quod actus meritorius prærequirat fidem, spem, charitatem.

XII. Ruardum docere ait; *Arbitrium credendi in nostra esse potestate.*

AT Ruardus dicit ex S. Aug. *In potestate hominis est, in melius mutare voluntatem: Sed ea potestas nulla est, nisi detur à Deo.*

XIII. Andradium dicere; *Libertas arbitrii est causa efficiens applicandæ voluntatis ad gratiam.*

AT ait, Id non posse liberum arb. nisi gratiâ confirmatur. &c.

XIV. Kemnitius in Exam. sess. 6. affingit Ecclesiæ communem esse Scholasticorum sententiam, Ante gratiam in homine præcedere bona desideria, licet debilia.

AT ea fuit solius Cassiani, & Faustiolim opinio; ab tota Theologia refutata ac reiecta.

Nec liberum arbitrium habet ex se potentiam vllam proximam adactus pietatis, sed eam accipit à Deo per gratiam præuenientem.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Num quæ sint Commenta Sectariorum, afficta Nobis, circa Iustificationem?

I. CALVINISTA Ioann. Scharpius in Cursu Theol. sect. 22. q 1. ait: *Pontificij & nos conuenimus, 1. Verbo tenus, quod fides totum Dei Verbum credat. 2. Quod fide rectè possit sibi applicare promissiones.*

AT nos Pontificii reipsa profitemur ac propugnamus prius; Sectarij excipiunt *Promissiones, quod præcipue sint obiectum fidei*: itaque ipsi id verbo tenus dicunt, sentiunt autem aliud.

Alterum negamus. Patet in *Luthero-caluinista. p. 4. q. 52. 5.* Imponit igitur Calumniam Illustrissimo Card. Bellar. l. 1. iustif. c. 4. & 11.

II. Idem ibid. quæst. 2. affirmat conuenire inter nos & ipsos, *Quod in hac vita aliquis possit ac debeat esse certus, sibi remissa esse peccata.* Bell. l. 3. de iust. c. 2.

AT nemo id vnquam Orthodoxus asseruit; falsoque citat Bellarminum; qui id diserte distincteque negat, refellitque; ac docet *Obscuram certitudinem rerum esse, quæ sola fide nituntur; sed propter diuinam Autoritatem certo creduntur.*

Dein ait, *Si de Fiducia tantum ageretur, vt Kemnitius proponit, non esset opus longa disputatione. Neque enim Catholici negant certam FIDVCIAM in Deo collocandam, & certo confitendum, post actam pœnitentiam, &c. remissa esse peccata. Sed aduersarij, vt fidem cum fiducia, ita certitudinem fidei, cum certitudine fiducia confundunt.*

III. *Caluinus* affingit Concilio *Trident. sess. 6.* Patres miscere dubitationem cum fide.

Kemnitius ibidem. Eos, ait, facere Dubitationem virtutem fidei & ornamentum; ac quærere, *Sit ne fides fiducia, an dubitatio de remissione peccatorum.*

2. Item quæri: *An peccator, in seria pœnitentia, ex fide possit certa fiducia statuere, SIBI remissa esse peccata?*

AT 1. Concilium ideo reiecit fidem specialem Sectariorum, quod certa esse non possit; cum fides esse certissima debeat. 2. Nos asserimus, Si sit vera pœnitentia, tunc ex fide credendum esse sibi remissa peccata. At non est conditionalis controuersia, sed absoluta; *An certitudine fidei certus esse possit homo, ac debeat, sibi peccata esse remissa?* Fides enim sola nititur diuina autoritate reuelata. Fiducia vero diuina promissione, & cuiusque Dispositione: illa est certa, hæc incerta nobis. Vide *Luthero-calu. parte 4. quæst. 66.*

IV. LVTHERO-CALVINISTÆ traducunt nos, quasi doceamus.

1. Solis naturæ viribus disponi ad gratiam homines:

2. Nos quibuscunque operibus, aut Ritib. tribuere meritum iustificationis, & Fidei Iustificantis nullam facere mentionem.

AT ob primum Ecclesia iam olim damnauit, hodieque damnat Pelagianos.

De secundo: Fidem definimus basin ac hypostasin ἐλπιζομένων: sicque totius structuræ Christianæ ponimus eam fundamentum: Operibus verò tribuimus id, quod Scriptura.

V. Calu. affingit Conc. Trid. *sess. 6. c. 7.* quod duplicem iustificationis causam formalem esse definiat.

AT Concilij hæc sunt verba: *Vnica formalis causa est*, iustificationis, *Iustitia Dei; Non qua ipse iustus est; sed qua nos iustos facit.*

Dein Caluinus duplicem fingit.

Institution. 3. cap. 11. §. 2. scilicet Remissionem peccatorum, & Imputationem iustitiæ Christi.

Kemnitius vero inuersum quæstionis statum nobis violenter affingit de causa formali iustificationis.

VI. Caluinus *Institut. 3. cap. 11.* Vt Iudæi, sic & Pontificii, ignorantes Dei iustitiam, nobis imputatam, quærunt suam Inhærentem statuere, *Romanorum* 10. iustitiæ Dei non subiecti.

AT cum Dei iustitia sit Apostolo, quæ est nobis ex dono Dei: nostra vero ea, quæ est ex solis viribus naturæ, vt docet S. Aug:

Ideo iure arguuntur Iudæi, vt præsumptuosi de propria iustitia.

QVÆSTIO IV.

Qualia nobis affingant de ieiunio?

I. KEMNITIVS par. 4. Examin. fingit ita: *Laborant Pontificii amoliri suspicionem istam quasi cibos quosdam prohibeant, ea opinione, qua olim Tatianus, Manichæi, & Priscillianistæ; quasi scilicet vel maledicti sint, vel à diabolo occupati; ac propterea conscientiam inquinent.*

Sed argumenta, quibus suam prohibitionem ciborum stabilire conati sunt, & pontificiæ consecrationes creaturarum prorsus ostendunt, in eodem ipsos luto cum hæreticis istis hærere.

AT nos carnes, oua, &c. comedimus extra Quadragesimam; eosdemque cibos benedicimus; nec tamen idcirco ducimus immundos ex seipsis, aut ab Sathana.

Deinde; vetitos cibos etiam in Quadragesima permittit ægrotis, quin imperat Ecclesia.

Adde; dicti hæretici piscibus quoque & omnibus quibus est anima, interdicebant: Non sic Ecclesia.

Demum; Sancti Patres ciborum delectum, quem Ecclesia, obseruabant; damnabant tamen istum hæreticorum delectum in cibis; nec ob suum delectum erant similes hæreticis.

Similia commenta vide *in Lutheran. p. 4. q. 92.*

II. Kemnitius *ibidem pagin.* 421. 490. fingit nos dicere; Ieiunium per se sumptum, sine relatione ad vllum finem bonum, ex opere operato esse Cultum Dei, meritum satisfactionem.

AT ieiunium per se, vt est abstinentia cibi, scimus rem esse mediam, nec virtutem, nec vitium: hîc vero loquimur de eo, quà cum electione, ad bonum finem assumitur: sicque est actus virtutis.

Porro, illud nemo dixit opus operatum: quia hoc pendet ex sola institutione Christi: at ieiunium pendet ex deuotione meritoque operantis.

Deinde; id Cultum Dei dicimus non actum religionis proprie dictum; sed actum in genere, gratum Deo.

III. Kemnitius ibidem ait: *Negari non potest, Patres in rhetoricis illis ieiunii encomijs sæpe longius prouectos, ab analogia fidei, & norma Scripturæ non parum discessisse.*

Infra. *Quando contra hanc fidei analogiam Pontificii talia veterum dicta vrgent; cogimur salua reuerentia, quæ tam Magnis Viris debetur, illa reiicere, vt fundamentum salutis saluum retineamus.*

AT si vnus alterue sit vsus amplificationis; ideone omnes?

Multi dogmaticos libros scripserunt, non

non sermones de ieiunio; & in ijs non rhetoricatur.

Et ob suam rhetoricationem conuulsissent fundamentum fidei, & salutis, Scripturam temerassent? Et ijs plus saperet Kemnitius?

IV. Caluinus institutæ Quadragesimæ rationem esse aliam non iactat, quam κακοζηλίαν in imitando Christo.

At iustas rationes repete ex *Lutherocal. p. 4. q. 94.*

Mentiendi sine fine

FINIS

Antipapistæ Mendacis Luthero-caluiniani quadripertiti.

Gloria VERACI: Confusio sit MENDACI.

COPPENSTEINII

EXCALVINIZATA CATECHESIS CALVINO-HEIDEL. BERGENSIS:

Hoc est:

CONVERSA IN ROMANO-CATHOLICAM SIC; VT ORTHODOXAM IN TEXTV; Caluinianam in margine cum textu communi sit legere; & vtramque, inuicem oppositam dignoscere.

AVTORE R. P. F.

IOANNE ANDREA COPPENSTEIN MANDAlensi, ordinis Prædicatorum Theologo, Parocho Heidelbergensi.

Cum Superiorum permissu.

MOGVNTIAE

Sumtibus IOANNIS THEOBALDI SCHÖNWETTERII.

Anno Domini, M. DC. XXV.

NOTA
Legendi Modum.

Responsio sine Cursiua, cum marginalibus, est Caluiniana.

Responsio sine marginalibus cum Cursiua, est Catholica.

Vides igitur tria.

1. *Propria Caluinistis in margine.*
2. *Propria Catholicis in Cursiua.*
3. *Communia vtrisque cætera.*

SAN-

SANCTISSIMO
CHRISTI VICARIO PRIMO
PETRO,
APOSTOLORVM
PRINCIPI, HEIDELBER-
gensis Parochiæ
TVTELARI PATRONO, HEI-
DELBERGENSEM
CATECHISMVM EX CALVINIZATVM
FRIDERICI III. ELECTORIS PALA-
TINI, FIDEI ROMANO-CATHOLICÆ
per Palatinatum in Caluinianam
MVTATORIS,
Religiosè
DO, DICO, CONSECRO QVE.

AB Curæ Pastoralis Officio requirit DEVS, vt *Praua* faciat, *in directa, & aspera in vias planas.* In quam hæreticam Prauitatem, & Caluinianam Asperitatem totum perueterit Palatinatum FRIDERICVS III. Palatinus, vel solus *Exitus Acta probat*: Acta ipso etiam DEO reprobante.

Iam Fridericus ille, Augustanis in comitiis hæreticus proclamatus, ad Confessionistas autem confuga, misericor-

ricorditer receptus ab ijs sibi respirare, (quia tolerari) visus; ad *Reformationem Evangelicam* totus vertebatur, Ecclesiarum, Scholarumque, Dogmatumque Caluinianorum per omnem factus Nouator & Protector Palatinatum. *Causas* sua ipsius, Catechesi præposita, hicque subiecta, loquitur Præfatio; *Dignas Memoria!*

Quæ quidem Catechesis Heidelbergensis quanti omnibus penè Caluinistis semper habita sit; vt velut Autentica hodieque proximum post S. Biblia habere locum plerisque videatur; fugit adeo neminem: Sicut & istud; quam purulenta Palatinorum animos contagione exulcerârit. Cui sanandæ LVI DEVS iam misericorditer medicinam applicare instituit.

Quocirca concreditæ mihi hîc Curæ Parochialis, reddenda DEO Ratio, flagitare visa est; vt *Prava* illa *ac Aspera Catechetica* facerem *in Directa, viasque planas*; & cacodoxam redderem Orthodoxam: Spe ductus eâ, fore, (quia Patres latini quique iam à puero istam combiberunt Catechesin Caluinianam,) vt, post factam Romanam, Tum huius ab illa differentiam perspicerent clarius. Tum citius faciliusque condiscerent Nostram Antiquam.

Quam quidem sub Sanctissimi Heidelbergensis Parochiæ PATRONI S. PETRI sacro Auspicio in publicum exire placuit, correctricem illius, cui Elector Palatinus sese facere infelicem voluit Autorem.

DEVS Nostris faueat conatibus, eo ro: Faueat, Pascat oues suas, ac adiuuet Sanctissimus Patronus noster Heidelbergensium PETRVS!

Hæc

Hæc DIVO;
Ista VIVO
PATRONO
Admodum Reuerendo
Prænobili ac Gratioſo Domino

D. ANSHELMO CASIMIRO WAMBOLT AB VMBSTAT

CANONICO CAPITVLARI METROPOlitano & Scholaſtico ad S. Albani Moguntiæ. &c.

D. PATRONO MEO
colendiſſimo.

ITA, ſat noui, ita gaudet Gr. D. Va ſe Viuum poni poſt Diuum, PATRONVM, *quem Ipſe iam diu ſanctè veneratur. Sed vt ego vtrumque venerer; venerationemque hoc excaluminizato Catechiſmo teſter: non me nihil mouet.*

Magnum, & multum Fidei in paruo hoc mouetur Catechismo: quin hac illaue in vocula Tantum quid mouetur: Quantum Magnorum Affectator Pa latinus ad Suam Celsitudinem amplius illustrandam facturum putabat. Ve rum Theologico Cothurno suum Tragicum esse imparem nesciebat. Præsumpt obcæcabat.

Tantum Tanti tamen tantillus remuto, refuto; Illius ope, qui orbem mi nimo librat digito. Adeo omnia vincit Veritas. At tantillum me, qui Tantum attingerem, non Tua quidem vlla mouit vnquam Suggestio; sed fouit quà Be neuolentia, quà Beneficentia, vti Doctorum *amantissimi Prælati, me in* Studiosorum *numero virorum recensentis, ceu Doctis & indoctis debitorem.*

Deinde, cum hæc Catholica excaluinizatio requirat legentis iudicium li quidum, doctum, profundum, latè longèque dispiciens: Istud tale verò in Gr. D. V^a. ego cum plurimis semper admiratus sim profundis in rebus Iudicium, ac ve neratus multiplex in me Beneficium: equidem hoc cum libello, tantillo simul ac Tanto, ad G. D. V^a. volui confugere Patrocinium, non sæcularis Brachij, sed perspicacis Iudicij Animique generosè æqui.

Quò fidentius mihi spondeo, tam Iudicioſi Viri, ac D. Patroni Gratioſi tum naturalem Prudentiam & heroicam Animoſitatem: tum singularem, altam, ac multiplicem Scientiam: tum variorũ in rebus Sacris, profanis, summis, imis, me diis casuum expeditam Experientiam, facile remederi nosse ac posse; Si quis ca sus me Excaluinizationis autorem in aliquod discrimen pertrahere foret attem taturus.

Quod forsan eò procliuius fuerit; quia hanc Excaluinizationem Catechet cam meis Luthero-caluinisticis *velut colophonem impono. Istam mihi cala mo fodicabit nemo; quin simul totam perforet Nauim Luthero-caluinismi, seq; præcipitet in Mare Magnum Controuersiarum; quod ostijs ego tam anguſtis eò concluſi, vt in proximi cuiusque Attentatoris caput, ruptis velut cataractis, effundam, fretus* Deo Ac Patrocinio

Adm. Reu. Prænob. ac Grat. Dom. Vestræ

Seruus in Christo ac Clien
F. Ioan. An. Coppenst.

CEN-

CENSVRA I.

EGO F. Dauid Vogt SS. Theol. Doctor, Ordinis Prædicatorum vidi, euoluique Catechismum Caluino-Heidelbergensem Excaluinizatum ab R. P. F. Ioanne Andrea Coppenstein Ord. Præd. Theologo & Parocho Heidelbergensi; ac Emendationem vehementer approbo. Hocque amplius, quod contraria iuxta se posita clarius eluceſcant. Heidelbergæ, 29. Decemb. Anno 1623.

F. Dauid Vogt. &c. qui supra.

CENSVRA II.

EGO F. Ioannes Georgius Guet Ordinis Prædicatorum pro tempore Conuentus Spirensis Prior, ac per Superiorem Germaniam Concionator generalis, Excaluinizatam hanc Catecheſin Heidelbergensem legi: nec quicquam Orthodoxæ Fidei inimicum relictum reperi: ideoque DIGNAM prælo, Luceque CENSEO.

F. Georgius &c. quisupra.

CENSVRA III.

HVNC Catechismum Heidelbergensem Excaluinizatum per R. P. F. Ioannem Andream Coppenstein Mandalensem ordinis Prædicatorum Theologum, ego infra nominatus legi ac relegi. Et quia seductis oculis Christi antiquæ veritatis vtam lucidè ostendit, dignũ illum iudico vt imprimatur, F. Michael Drebis, Ordinis Prædicatorum Moguntiæ.

LICENTIA PROVINCIALIS.

EGO F. Ioan. Gödert SS. Th. Magister & Prouincialis F. F. Ordinis Prædicatorum per Germaniam, concedo facultatem R. P. F. Ioanni Andreæ Coppenstein Ordinis Prædicatorum Theologo, vt Excaluinizatam ab eo Catecheſin Heidelbergensem latinam, lectam & iuxta Conc. Trident. ab Censoribus approbatam, typis euulgare possit: quò eiusdem Vsus, Fructusque latius constet in Ecclesia Dei.

F. Ioan. Gödert. &c.

LECTOR AMICE, FAVE.

I. *Conuersum, ecce, Bono Omine, Caluinismum, seu Caluino-catechismum; perpauca mutatis; plusculis dissimulatis; nonnullis parum explicatis.*

II. *Autoritates S. Scripturæ citatas admitto; sed earum abusu ad falsitatem, in vsum veram genuinæ sententiæ verso.*

III. *Neque hic attendo, quid in Quæstiones hasce commentetur Vrsino-Paræus aliquis: Res & verba Catecheseos specto. Nolo cum mortuis larua luctari; nisi metapempsychicus reditum huc me pertraxerit. Datam sibi rebitur ansam in confosso punctim, iugulatoque Scripturarum SS. Abusu Caluiniano.*

IV. *Ne tute te fefelleris ipse; omnem si hic Romanam tradi Catecheſin putaueris: Adeo multa desunt. Hanc trado aliquam, dum traditam potiorem Caluinianam emendo, atque consarcio.*

V. *Ita Caluinistas omnes consanet DEVS: Meque adiuuet, vbi me inuasum stylo confodere, ceu Medicum suum phrenetici, connitentur.*

VALE, FAVE, FRVERE.

FRI-

FRIDERICVS III. DEI GRATIA PALATINVS RHENI, AC SACRI IMPERII ROMANI ELector, Dux Bauariæ. &c.

OMNIBVS QVIBVS COMMISSA EST cura Ecclesiarum & Scholarum, quæ sunt in Palatinatu,

S. D.

POSTQVAM quid nostri sit muneris, *ex verbo* DEI, *atque ex natura ipsa cognouimus, nosque in eo, ipsi potissimum, qui id nobis imposuit, Deo Opt. Max. parere oportere statuimus, vt nihil esset, in quo tam in vniuersa vita laboraremus, quàm vt & nostræ conscientiæ satisfaceremus, & nostrorum saluti, quantum in nobis esset, consuleremus, Cùm autem non satis esse existimaremus, nos ita consilio & ratione iustitiam administrare, vt nostræ fidei commissi populi, tus & honestatem colentes, placide tranquilleque viuerent, nisi eò etiam perducerentur, vt Deum creatorem suum ac redemptorem ex verbo ipsius recte cognoscerent: nam id vnicum est firmum fundamentum, cum cæterarum virtutum, cum vel maximè omnis obedientiæ & vera erga Deum pietatis: Cœpimus toto animo de ista re cogitare, nihil cupientes prætermittere, quod ad eam beatitudinem tum parandum, tum conseruandum pertineret.*

Etsi autem & ab iis, qui nos proximè antecesserunt, Cognatis nostris, Palatinis ac Electoribus (quorum memoriam cum amore & reuerentia vsurpamus) varia vtiliter & piè instituta sunt, ad gloriam Dei illustrandam, & populum in officio retinendum: tamen vt ipsi in principio gubernationis nostræ experti sumus, non ea adhibita est diligentia in illis Exsequendis, & ad vtilitatem publicam accommodandis, *quam par fuerat in re tanta adhiberi. Quocirca minime mirum est, si ij, qui sperati erant fructus, percipi non potuerunt. His rebus permoti sumus,* vt non solum, quæ ab ipsis recte instituta essent, reuocaremus ac restitueremus: verum etiam, vt quæ minus firma essent, fulciremus; quæ vero corrupta & deprauata essent, ea emendaremus & corrigeremus. Iacebant Scholæ, tenera iuuentus negligebatur, nulla erat in religione Christiana certa & consentiens institutio.

Itaque:

Itaque vel male, vel ad nullam certam normam, sed ad cuiusque arbitrium iuuentus erudiebatur, vel omnino non informabatur, sed rudis prorsus & impolita relinquebatur. *Ex quo, proh dolor, cum alia infinita mala extiterunt, tum illud imprimis, vt aut vera religione non instructi,* aut variis erroribus implicati, aut non necessariis quæstionibus onerati, infeliciter cum summa inscitia adolescerēt. *Cū hæc tantas calamitates intueremur, & id quod res est cogitaremus, videlicet nec Ecclesiā, nec Rēpublicam, atque adeo ne familias quidem constitui, nec vllum honestati aut disciplinæ inter ciues locum esse posse, nisi rudu iuuentus à primis annis vna & consentienti voce ad veram sinceramque religionem instrueretur assidueque in ea exercitaretur: rei necessitas fecit, vt huic malo, qua possemus ratione, quam celerrime occurreremus, ne* in hac non postrema nostri muneris parte debitum officium meritò à nobis desiderari posset. *Quapropter re Theologis nostris, & quibus in nostra ditione præcipua Ecclesiarum cura est, commendata, negotium dedimus, vt Catechesin religionis Christiana, ex verbo Dei, Germanice & Latine conscriberent, quo in posterum non iuuentuti solum rectius prospiciatur,* sed quo concionatores etiam & ludimagistri certam habeant & definitam formam, ad quam iuventutem in templis & scholis informent, ne pro suo arbitrio noua subinde instituant, aut ea tradant, quæ verbo Dei non sint consentanea.

Vestrum nunc porro erit, cum ob gloriam Dei, cum ob vestram, eorumque, qui & nostræ & vestræ fidei creditisunt, salutem, hanc Catechesin grato animo excipere, eam pueris, cum in scholis, tum in Ecclesiis proponere, eorumque auribus & animis assidue ac diligenter inculcare, quo eam vita & factis paulatim exprimere assuescant. Quod si à vobis, vt & fides vestra & munus diuinitus impositum postulat, præstitum fuerit: optimam spem habemus fore, vt Deus Optimus Maximus propter Christum nostri misertus pœnas quas meriti sumus, remittat, & pro paterna sua bonitate vestros labores secundet, totique regioni bene faciat. Quod vt ab eo totoque ctore contendimus, ita vos etiam atque etiam monemus, vt nostram de vobis spem magis magisque confirmare studeatis.

EX-

EX CALVINI-ZATI CATECHISMI CALVINO-HEIDELBERGENSIS

DOMINICA PRIMA.

QVÆSTIO I.

Quæ est vnica consolatio in vitâ & in morte?

RESPONSIO.

QVOD animo pariter & corpore[a], siue viuam siue moriar[b], non meus[c], sed fidissimi Domini & Seruatoris mei Iesu Christi † *esse debeam ac possim* proprius[d]: qui pretioso suo Sanguine pro omnibus peccatis * *nostris* plenissime satisfaciens[e], † *nos* ab omni potestate Diaboli liberauit[f]; * *nosque* ita conseruat[g], vt sine voluntate patris mei cœlestis, ne pilus quidem de meo capite possit cadere,[h], imò verò etiam omni saluti † *nostræ* seruire oporteat[i]. Quocirca * *spem quoque nostram* de vitâ æterna † *certam* facit[k], vtque ipsi deinceps * *viuamus*, *promptos ac paratos* reddit.[l]

† sum

* meis

† me

* meque

† meæ

* me quoque Spiritu

† certum

* viuam, promtum ac paratum

a 1. Cor. 6. v. 20. *b* Rom. 14, 7, 8 *c* 1. Cor. 6, 19. *d* 1. Cor. 3, 22. *e* 1. Cor. 6, 20. 1. Ioh. 1, 7. 1. Tim. 2, 6. *f* Heb. 2, 14, 15. *g* 2. Thes. 3. 3. Iohan. 6, 39. *h* Matth. 10, 29 30, 31, Luc. 21. 18, *i* Rom. 8, 28. *k* Rom. 8, 16, 12 Eph. 1, 14, *l* Luc. 1. 69. 74, 75. Psal. 110, 3.

AVTORITATES
Excaluinizatæ

CATECHISMI CALVINO-HEIDELBERGensis Excaluinizati.

a 1. Cor. 6, 20 *Glorificate & portate Deum in corpore vestro. b* Rom. 14, 7, 8. *Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur. Siue n. viuimus, siue morimur, Domini sumus. &c. c* 1. Cor. 6. 19. *Membra vestra templum sunt Dei Sancti, &c. & non estis vestri.*

Resp, *a. b, c.* De Iure *sumus* Christi; at de Facto *esse debemus & possumus.* Nota, Caluinista, ad persuadendam Fidem Specialē, in toto Catechismo fallit ab sēsu ambiguo, capiens Communem Iuris, pro Speciali ac personali, qui est Facti. Proinde ibi de omnibus dicitur fidelibus iustis; estque de fide: Non autem de Me in singulari: ideoque hoc non est fidei, sed spei bonæ cum timore. Qui sensus est & subsequentium. *d. e. f. g. h. i. k. l.*

d. 1. Cor. 3, 22. *Omnia vestra sunt; vos autem Christi. e.* 1. Cor. 6. 20. *Empti enim estis pretio magno.* 1. Ioan. 1. 7. *Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce. Societatem habemus ad inuicē, & Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.* 1. Tim. 2, 6. *Iesus qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. f.* Hebr. 2. 14, 15. *Quia ergo pueri communicarunt Carni & Sanguini; & ipse similiter participauit eisdem; vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum. g* 2. Th. 3. 3. *Fidelis Deus, qui confirmauit vos, & custodiet à malo.* Ioh 6. 39. *Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me; vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo; sed resuscitem illud in nouissimo die. h* Matt. 10. 29. *Nonne duo passeres, &c. Vestri autem capilli. &c. Item* Luc 21, 18. Ex hisce bene infertur Certitudo fidei ac salutis in Communi: at malè, in specie, persona, & de facto vt Luthero-caluinistæ volunt: Rom. 8, 28. *Scimus autem quoniam diligentib. Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.*

Omnia, præter peccatum expiandum voto, aut opere operato Sacramenti *k* Ro. 8, 16, 17. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filij Dei. Si autem filij, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Eph. 1, 14. *Qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemtionem acquisitionis, &c. l* Luc. 1. 16. *Et erexit cornu salutis nobis.* v. 74. *Vt sine timore de manu inim. no. lib. seru. illi in sanctitate, &c.* Ps. 110, 3. *Cōfessio & magnificentia opus eius, & iustitia eius man. in sæc.*

QVÆSTIO II.

Quot sunt tibi scitu necessaria, vt istā consolatione fruens, beatè viuas & moriaris?

Resp. Tria *in cæteris.* Primum, quanta sit peccati mei & miseriæ meæ magnitudo [a]. Secundum, quo pacto ab omni peccato & miseria liberer. [b] Tertium, quam gratiam Deo pro ea liberatione debeam. [c]

a b c Rom. 7. 24. Mat. 11, 28. 29. 30.

PRI-

PRIMA PARS DE MISERIA HOMINIS.

DOMINICA II.

QVÆSTIO III.

Vnde tuam miseriam cognoscis?

RESP. Ex lege Dei a.

a Rom.3.10. Rom.7,7.

QVÆSTIO IV.

Quid à nobis postulat lex Dei?

RESP. Id nos docet Christus summatim Mat.22. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ: ex totâ † mente tua, & ex omnibus viribus tuis Hoc * est primum & maximum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Ab istis duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ.*

† cogitatione.
* Istud

Matth. 22. v.37. item Marc.12,30. Luc. 10,27.

QVÆSTIO V.

Num hæc omnia perfectè seruare potes?

RESP. † *Maximè,* a *cum Deo.* Natura enim, *licet vitiatâ, fauente gratiâ* propensus sum ad * *amorem* b Dei & proximi.c

† Minimè.
* odium

a Ierem. 13, 21. Rom.3.12. b Rom.8.7. c Gal.5,19,20. Tit.3,3.

a Ierem.13,28. *Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* Rom. 3,12. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti; non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.*

RESP. a Non quidem id ex natura; sed ex gratia Dei possumus: Nam naturâ declinauimus omnes & origine.

b Rom.8,7. *Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest.*

b *Sapientia carnis* est Concupiscentia in actu secundo, non primo. Nam in se bona est; ad vsum, indifferens: in vsu, bona vel mala, pro voluntate. Mala in actu est contraria legi; & sic factum infectum fieri nequit. Item. Quod est Naturale non est ipsa Natura. At peccatum est contra naturam. Item; Natura inclinamur, non Necessitamur, ad malum. Item: Nos amare Deum naturale est: Et ex natura quodque amat sui simile; homo hominem. Blasphemat igitur hic Autorem Naturæ Catechismus.

c Gal. 5,19.20. *Manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ &c.* Tit.3.3. *Eramus enim aliquando & nos insipientes, incredduli, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem.*

c Et ea sunt voluntatis cuiusque liberæ; non necessitatis naturalis.

DOMINICA III.

QVÆSTIO VI.

Num ergo Deus hominem ita prauum & peruersum condit?

RESP. Nequaquam. Imo vero bonum a, & ad imaginem sui b, condidit eum, hoc est, vera iustitia &

sanctitate præditum [c]; vt Deũ creatorem suum rectè *per fidem* cognosceret, ex animo diligeret, cum eo beatus in æternum viueret, idque ad eum laudandum & celebrandum [d].

a Gen 1, 31. *b* Gen. 1, 27. *c* Ephes. 4, 24. *d* Prou. 16. 4.

QVÆSTIO VII.

Vnde igitur existit hæc naturæ humanæ prauitas?

RESP. Ex lapsu & inobedientia primorum parentum, Adami & Euæ [a]: hinc natura nostra ita est deprauata, vt omnes in † *originali peccato* concipiamur & nascamur [b], *peccati fomitem nobiscum perseueraturum ferentes.*

† peccatis

a Ro. 5. 12, *b* Gen. 30, 1. 2, 3, 4. 5. 6. 7. Gen. 5. 3. Ps. 51. 7. Ioh. 3. 6.

QVÆSTIO VII.

a Rom 5, 12. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit: in quo omnes peccauerunt.*

RESP. *a* De Originali; non de actuali, prauitate loquitur, vt eaquæ sequuntur. Caluinista autem intendit hisce suadere, Ipsam Concupiscentiam omnibus inhærentem esse peccatum quà Originale, qua Actuale, quod falsum.

b Gen 30. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Cernens autem Rachel, quod infœcunda esset, inuidit Sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin moriar. Cui iratus respondit Iacob: Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui? At illa: Habeo, inquit, famulam Balam, ingredere ad illam, & pariat super genua mea, & habeam ex illa filios. Deditque illi Balam in coniugium: quæ, ingressa ad se viro, concepit & peperit filium, Dixitque Rachel, iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocẽ meam, dans mihi filium: & idcirco appellauit nomen eius Dan. Rursumque Balam concipiens peperit alterum.* Gen. 5, 3. *Vixit autem Adam centum triginta annis & genuit ad imaginem & similitudinem suam*, naturalem, non moralem, *Vocauitque nomen eius Seth.* Ps. 51. 7. *Propterea Deus destruet te in finem*: Ob malitiam actualem gentis, non naturæ vniuersæ: *Euellet te & migrabit te de tabernaculo tuo; & radicem tuam de terra viuentium.* Ioan. 3. 6. *Quod natum est ex carne caro est*: Infecta peccato Originali.

b De actuali exempla sunt facti & personæ, non naturæ ac generis vniuersi.

QVÆSTIO VIII.

An vero adeo corrupti sumus, vt ad bene agendum prorsus non simus idonei, & ad omne vitium proclives?

RESP. † *Minime* [a] *Præsertim si* per Spiritum Sanctum regeneremur [b] *in Baptismo vel Exhomologesi.*

† Certe nisi

a Rom. 7. 18. 2. Cor. 3. 5. Gen. 8. 21. Iob. 15. 16. *b* Ioh. 3. 5.

Dicit, *nisi per Spiritum S. regeneremur*: Quia lauacrum aquæ negant Caluinistæ esse necessarium necessitate medii & præcepti.

a Rom. 7. v. 18. *Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Nam velle adiacet mihi; perficere autem bonum, non inuenio* 2. Cor. 3. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Gen. 8. 21. *Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines. Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Iob. 15, 16. *Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquã iniquitatẽ?* *b* Ioh. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit.*

fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.

Resp. *a* Hæc de sola nudaque natura dicuntur vere, non de coniuncta gratiæ.

DOMINICA IV.

QVÆSTIO IX.

An non igitur Deus homini iniuriam facit, * quasi *ab eo in lege flagitet, quæ præstare non queat?*

† Minime.

Resp. † *Maxime* [a]: Nam Deus hominem talem condiderat, vt ea præstare posset [b], Verum homo impulsore Diabolo [c], sua ipsius contumacia se & omnem posteritatem diuinis illis donis *gratiæ* orbauit [d].

At Christus in melius omnia reparauit, vt legem quisque seruare possit: ac debeat. Quare Deus eam præstari iuste flagitat.

a Rom. 1. 32. *b* Eccl. 7. 30. *c.* 2. Cor. 11. 3. *d* Rom. 5. 19. Gen. 3. 7.

a Rom. 7. 23. *Qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt: quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

b Eccles. 7, 30. *Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & illi tibi.*

c 2. Cor. 11. 3. *Timeo autem, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidat à simplicitate, quæ est in Christo.*

d Rom. 5, 19. *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* Gen. 3. 7. *Et aperti sunt oculi amborum: cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.*

Resp. Ista de peccatis agunt, ex voluntate libera, certaque malitia factis contra legem. At de naturæ corruptione est quæstio: an necessitetur ad transgrediendam legem: quod falsum. Nam natura inclinatur; ex Gratia retrahitur, si velit.

QVÆSTIO X.

Num Deus hanc contumaciam & defectionem, seu Originalem siue actualem, *hominis dimittit impunitam?*

Resp. Imò verò horrendis [a] modis irascitur [b] tum ob * *innatum nobis peccatum* [c], tum ob ea quæ ipsi committimus [d], eaque iustissimo iudicio præsentibus [e] & æternis supplicijs [f] punit, quemadmodum ipse pronuntiat: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt ea faciat: *Exceptis Ceremonialibus & Iudicialibus Iudæorum.*

* innata nobis peccata.

a Ps. 76, 8. Heb. 10. 31. *b* Psal. 5. 6. *c* Ephes. 2. 3. Rom. 5. 14. *d* Rom. 1. 18. *e* Psal. 90. 7, 8, 9, 10, 11, Gen. 6. 12, 13, 17, Gen. 7, 17. 18. 19, 20, 21. Gen. 19, 24. *f* Esa. 66, 24, 2. Pet. 2. 9. Apoc. 14. 11. *g* Ps. 5. 5. 7.

c Ephes. 2. vers. 3. *In quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ sicut & cæteri.* Rom. 5, 14. *Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen etiam in eos, qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri.*

Resp. *c* Eramus filij iræ, actu, ob pecc. originale: potentia, per concupiscentiam voluntate malam faciendam à multis.

QVÆSTIO XI.

An non igitur Deus est misericors?

RESP. Est ille quidem misericors, verum ita vt etiam sit iustus [a]. Quapropter postulat eius iustitia, quod aduersus summam Dei Maiestatem commissum est, *nec per Baptismum aut Pœnitentiam expiatum*, id quoque vt summis, hoc est sempiternis, cum animi, tum corporis supplicijs luatur [b].

a Exod. 34, 6, 7. *b* 2. Thess. 1, 5. 6, 7, 8, 9.

SECVNDA PARS DE LIBERATIONE HOMINIS.

DOMINICA V.

QVÆSTIO XII.

Quoniam igitur iusto Dei iudicio temporalibus & æternis pœnis obnoxij sumus, estne reliqua vlla ratio aut via, quâ his pœnis liberemur, & Deo reconciliemur?

RESP. Vult Deus suæ iustitiæ satisfieri [a], quocirca necesse est, vel per nos [b] vel per alium satisfaciamus [c].

a Deut. 27. 26. *b* Ezech. 18, 4. *c* Ps. 69. 5, 2. Cor. 5, 21.

QVÆSTIO XIII.

Possumus ne ipsi per nos satisfacere?

RESP. † *Aliqua* ex parte [a]: * *Nisi* debitum in singulos dies augeamus [b], *peccatis peccata cumulantes.*

† Nulla
* quin etiam.

a Iob. 9, 2. *b* Rom 2, 5.

a Iob. 9. 2. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.*

RESP. *a* Ex rigore iustitiæ, verum est: at poterit, vi promissionis factæ, & sibi rite applicatæ.

QVÆSTIO XIV.

Potestne vlla creaturarum, in cœlo vel in terrâ quæ tantum creatura sit, pro nobis satisfacere?

RESP. Nulla. Nam principio non vult Deus, quod homo peccauit, id in vlla alia creatura plectere [a], *ad condignam satisfactionem.* Deinde nec potest quidem, quod nihil nisi creatura sit, iram Dei aduersus peccatum sustinere, & alios ab ea liberare [b].

a Gen. 2. 17. *b* Ierem. 4. 4. Ps. 130. 1.

QVÆSTIO XV.

Qualis ergo quærendus est Mediator?

RESP. Qui verus quidem homo sit [a], ac perfectè iustus [b], & tamen omnibus creaturis potentior, hoc est, qui simul etiam sit verus Deus [c].

a 1. Cor. 15, 21. Hebr. 2, 14. Hebr. 2, 17. *b* Heb. 7. 26. *c* Ose. 1. 7. Ier. 23. 6.

DO-

DOMINICA VI.

QVÆSTIO XVI.

Cur necesse est, eum verum hominem & quidem perfecte iustum esse?

RESP. Quia iustitia Dei postulat, vt eadem natura humana, quæ peccauit, ipsa pro peccato dependat[a], qui vero ipse peccator esset, pro alijs dependere non posset[b] *de condigno.*

a Exod.32,33.*b* Heb.7,26,27.

QVÆSTIO XVII.

Quare oportet eum simul etiam verè Deum esse?

RESP. Vt potentia suæ diuinitatis, onus iræ diuinæ carne sua sustinere[a], nobisque amissam iustitiam & vitam reparare[b], ac restituere possit[c].

a Esa.9,6.Esa.53,4.2.Cor.13,4.*b* Ier,33,16.Esa53,5,11.*c*1.Ioh.4.9.

QVÆSTIO XVIII.

Quis autem est ille Mediator, qui simul est verus Deus, & verus ac perfectè iustus homo?

RESP. Dominus noster Iesus Christus[a], qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitia, sanctificatio & redemptio[b].

a 1. Tim. 2,5. Ioh.1,1,2.3.4,5. Ioh.1,14. Philip.2,7.11.Pet 3,18.*b* 1.Cor.1,30.

QVÆSTIO XIX.

Vnde id scis?

RESP. Ex Euangelio, quod Deus, primum in paradiso patefecit,[a] ac deinceps per Patriarchas[b], & Propheras[c] propagauit, sacrificijs reliquisque ceremonijs legis adumbrauit,[d], ad extremum vero per filium suum Vnigenitum compleuit[e].

a Gen.3.14.*b* Gen.22,18.Gen.26.4.Gen. 28,14.Gen.49,10.*c* Act.3.24.Actor.10.43.*d* Heb.10.1.Col.2,16,17.*e* Ioh.2,29.1.Cor.5.7.Act.13,32,33.

DOMINICA VII.

QVÆSTIO XX.

Num igitur omnibus hominibus, qui in Adamo perierant, per Christum salus redditur?

RESP. Non omnibus: verum ijs tantum, qui vera *viuaque* fide ipsi inseruntur, eiusq; beneficia amplectuntur[b] *cum vero Sacramentorum vsu.*

a Matt.7,13,14.Matt.7.21.*b* Ioh.3.16.17.18,Ioh.3.36.

QVÆSTIO XXI.

Quid est Fides?

Est † tantum * *gratia infusa*, quæ firmiter assentior omnibus, quæ Deus nobis in[a] verbo suo *Scripto & Tradito* patefecit[b]: † *non autem est solum* certa fiducia[c], à Spiritu Sancto[d] per Euangelium[e] in corde

† non
* notitia *a*:
† sed etiam

* Fi-

*meo f

* *Fidelium* accensa, qua in Deo acquiesco, certo statuens, non solum alijs, sed *forsan &* mihi quoque *indigno*, remissionem peccatorum, æternam iustitiam & vitam donatam esse[g], idque gratis ex Dei misericordia[h], propter vnius Christi meritum [i] *primariò*; *secundariò etiam propter cuiusque meritoriam cooperationem.*

a Iacob. 2, 19 Luc 8, 13. *b* Act. 24, 14. *c* Hebr. 10, 1. Rom 4, 20, 21. Ephes. 3. 12. *d* 2. Cor. 4 13. *e* Rom 10, 17. *f* Rom. 10. 10. *g* 2. Sam. 12. 13. Psal. 103. 1, 2, 3. Mat. 9, 2. Rom. 10, 9. Galat. 2, 20. 2. Tim. 4. 8. *h* Ephes 2, 8, 9. *i* Eph. 1, 7, Col. 1, 14.

a Iacob. 2. v. 19. *Tu credis quoniam vnus est Deus; bene facis: & Dæmones credunt, & contremiscunt*; Luc. 8, 13. *Qui supra petram: qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent: quia ad tempus credunt.*

Resp. Atqui *a* hæc Fides est, non Notitia propriè dicta, nec Fiducia.

b Act. 24, 24. *Secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deseruio Patri & Deo meo, credens omnibus quæ in lege & Prophetis scripta sunt, spem habens in Deum.*

b Resp. Bene *omnibus*; sed non solum iis *omnibus* Credens; non solum Fidens, minus noscens omnia.

c Heb. 10, 1. *Vmbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere: alioquin cessassent offerri. &c.* Rom. 4. 20, 21. *In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, Dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcunque promisit, potens est & facere.*

Resp. Testatur hic fidem & spem; non quod fides sit fiducia: Clara est distinctio vtriusque.

f Rom. 10. 10. *Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem fit confessio ad salutem.*

Resp. *f* Quia *Corde*, ergone & in *Meo* infallibiliter? vbi de *Meo* Scriptura?

g 2. Reg. 12, 13. *Peccaui Domino. Dixit quæ Nathan ad Dauid; Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Ps. 192, 3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Mat. 9, 2. *Dixit que paralytico; Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Rom. 10, 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis: saluus eris.* Gal. 2. 20. *Viuo autem iam non ego; viuit vero in me Christus. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei qui dilexit me, & tradidit se metipsum pro me.* 2. Tim. 4, 8. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.*

Resp. *e* Hæc vni facta reuelatio de salutis suæ certitudine, non simul facta singulis censeri debet. Vult, potestque propitiari omnibus; sed qui se capacem reddat, scit nemo, nisi cui personaliter reuelatur, vt Paralytico, Paulo. &c.

h Eph. 2, 9. *Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim Donum est: Non ex operibus, vt ne quis glorietur.*

h Resp. Principaliter ex *gratiâ*, *non ex operibus*, nisi accidenter, & tamen vere.

i Eph. 1, 7. *In quo habemus redemptionem per Sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ eius quæ superabundauit in nobis.* Col. 1, 14. *Idem eisdem verbis.*

Non excludit meritum operum bonorum.

QVÆSTIO XXII.

Quæ sunt illa, quæ necesse est hominem Christianum credere?

Resp. Omnia quæ nobis in Euangelio *præcipiuntur &* promittuntur[a]: quorum *ferè potiorum* summa in Symbolo Apostolico, seu in capitibus

tibus Catholicæ & indubitatæ omnium Christianorum fidei, breuiter comprehenditur:

Hoc est, quæ in Verbo Scripto ac Tradito continentur. Nam Symbolum est traditum.

a Marc.1.15.Marc.16,15,16.

QVÆSTIO XXIII.

Quod est illud Symbolum?

RESP. *Credo in Deum, Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ.*

Et in Iesum Christum, Filium eius vnigenitum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad *inferna, *inferos, *tertio die resurrexit à mortuis, ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei patris omnipotentis, vnde venturus est iudicare viuos & mortuos.*

†crede *Credo in Spiritum Sanctum, † sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam.* Amen.

DOMINICA VIII.

QVÆSTIO XXIV.

In quot partes distribuitur hoc Symbolum?

RESP. In tres partes. Prima est de æterno Patre, & nostri creatione. Altera est de Filio, & nostri redemptione. Tertia est de Spiritu Sancto, & nostri sanctificatione.

QVÆSTIO XXV.

Cum vna tantum sit essentia diuina, cur tres ipsos nominas? Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum?

RESP. Quia Deus ita se in suo Verbo patefecit[a], quod tres hæ distinctæ personæ sint vnus ille verus & æternus Deus *& coæqualis.*

a Marc.12.29.ex Deut.6,4.1.Cor.8,4. Esa.48,16,17.Mat.3.16.17,Mat.28,19. Ioh. 5,32.Ioh.14,16.Ioh.15.26.1. Ioh.5,7.Ioh. 10,30.

DE PATRE

DOMINICA IX.

QVÆSTIO XXVI.

Quid credis cum dicis: Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ?

RESP. Credo, æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi[a]; (qui cœlum & terram cum omnibus, quæ in ijs sunt, ex nihilo creauit[b], quique eadem æterno suo consilio & prouidentia sustentat ac gubernat[c],) propter *semetipsum* & Christum[d], Deum meum & patrem meum esse[e]. Itaque sic *in eum spero, *ei confido, sic in eo acquiesco[f], vt non dubitem, quin prouisurus sit omnibus,

tum animo, tum còrpori meo neceſſarijs *g*: quin etiam, quæ mihi mala (*præter peccata*:) in hac ærumnoſa vita immittit, ea in meam ſalutem ſit conuerſurus [h] cum & facere id poſſit, vt omnipotens Deus [i], & facere id velit, vt benignus pater [k].

a Eph.1,3. *b* Ierem.32,17. Act.4,24. Heb. 11.3. *c* Eph.1,11. Pſ.148.1.2,3,4,5,6. Io.5,17. *d* Eph.1,5,6. *e* Ioh.20.17. Ioh.3.1. *f* Pſa.118.8. Prou.3,5. *g* 1.Pet.5.7. *h* Heb.12. Ioh.12. *i* Pſal. 115.3. Pſal.135.5,6. *k* Pſal.103,13. Eſa.49.15,16. Mat.7,11.

DOMINICA X.

QVÆSTIO XXVII.

Quid eſt Prouidentia Dei?

RESP. Omnipotens [a] & vbique præſens [b] Dei vis, quâ cœlum & terram cum omnibus creaturis tanquam manu ſuſtinet ac gubernat: [c] vt quæ terra naſcuntur, pluuia item & ſiccitas, fertilitas & ſterilitas, cibus & potus [d], bona & aduerſa valetudo [e], diuitiæ & paupertas [f] omnia denique (*præter peccatum*:) non temerè aut fortuitò, ſed paterno eius conſilio & voluntate contingant [g].

a Pſ.89,14. Eſa.40,26. *b* Pſ.139,7,8,9,10. Act.17,27. *c* Eſa.40.12. Act.17,28. *d* Pſa.104. 13,14,15,16. Act.4.17. *e* Exo.15,26. Iob.5,18, 19. *f* Sam.2,7. Prou.2,2. *g* Thr.3,37,38. Eſ.45, 7. Mat.10,29,30,31.

QVÆSTIO XXVIII.

Quid nobis prodeſt hæc cognitio Creationis & Prouidentiæ diuinæ?

RESP. Vt in aduerſis patientes [a], in ſecundis grati ſimus [b], in futurum vero optimam in Deo fidiſſimo patre, ſpem repoſitam habeamus [c], certo † *ſperantes*, nihil eſſe quod nos ab eius amore abſtrahat [d], *niſi velimus*; quandoquidem omnes creaturæ ita ſunt in eius poteſtate, vt ſine eius arbitrio non modo nihil agere, ſed ne moueri quidem poſſint [e]: *exceptis libero arbitrio præditis, ex quibus ſuum cuique peccatum eſt, & non ex Deo.* † ſcientes

a Pſal. 39,10. Iob.1.21,22. *b* Deut. 8,10. *c* 2.Cor.1,10. *d* Rom.8.35. Rom.8,38,39. *e* Act.17,28. Prou.21.1.

DE FILIO.

DOMINICA XI.

QVÆSTIO XXIX.

Quare Filius Dei appellatur Ieſus, hoc eſt, Saluator?

RESP. Quia nos ſaluat ab omnibus peccatis noſtris [a], *niſi nolimus*: nec vlla ſalus *vltimata* aliunde peti debet, *vt à Deo*; nec alibi reperiri poteſt [b]: *ſalua Sanctorum interceſſione.*

a Mat.1,21. *b* Act.4,12. 1.Cor.1, 11.

a Mat.1,21. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.*

RESP. *a Ipſe*; ſed & Sancti quodammodo ſaluare poſſunt cum, & in ipſo.

b Act.4.12. *Qui factus eſt in Caput anguli & non eſt in alio aliquo ſalus*: Sic, vt in Deo. *Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Principaliter, 1. Cor.

Cor.3, 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere. At potest superædificare, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.*

QVÆSTIO XXX.

Creduntne igitur illi in vnicum summum Seruatorem Iesum, qui à Sanctis, aut à se aut aliunde felicitatem aut salutem quæruni?

*Non. Etsi † quidē, * tamen † aut * non † aut

RESP.* *Ita.* Etenim verbo, † eo Seruatore gloriantur, & re ipsa* *non* abnegant vnicum *summum* Seruatorem Iesum. Necesse est enim, † & Iesum* esse perfectum Seruatorem[a], † & qui eum Seruatorem vera fide amplectuntur, eos omnia in ipso possidere, *mediate vel immediate*, quæ ad salutem requiruntur[b].

a Col.1,19,20. Col.2,10. *b* Ioh.1,14. Ioh. 1,16. Heb.7,25.

a Col.1,v.19,20. *Vt sit in omnibus ipse Primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare; & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per Sanguinem Crucis eius siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.* Col. 2.10. *Estis in illo repleti, qui est Caput omnis Principatus & Potestatis.*

RESP. *a* Primatui ad saluandum non derogat intercessio Sanctorum plus, quam Principatui Ministerium famulorum. Facta horum tribuuntur illi.

b Ioh. 1,14. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* 16. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Heb. 7. 2. *Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.*

RESP. Cum hæc stat salua Sanctorum Intercessio; non quæritur de absoluta necessitate medij necessaria, vt primariò saluans per se; sed vtilis sit vt adiuuans, non Deum, sed nostram infirmitatem & indignitatem.

DOMINICA XII.

QVÆSTIO XXXI.

Quare appellatur Christus, hoc est, vnctus?

RESP. Quod à patre[a] ordinatus[b], & Spiritu Sancto vnctus sit,[c] summus propheta ac doctor[d], qui nobis arcanum consilium & omnem voluntatem patris de redemptione nostri patefecit[e]; & summus pontifex[f], qui nos vnico sacrificio *cruento* sui corporis redemit[g], *nunc quoque pretium redemptionis per S. Sacramenta nobis applicat*, ac assiduè pro nobis apud patrem intercedit[h], & Rex[i], qui nos suo verbo[k] & spiritu *in Ecclesia sua sub visibili Capite* gubernat, & partam nobis salutem tuetur ac conseruat[m].

a Act. 4.27. *b* Luc. 4.18. ex Esa. 61.1. Act. 2.36. *c* Heb.1.9. ex Ps. 45.8. Act.10.38. *d* Act. 3.22. ex Deut.18.15, Mat.17.5. *e* Io.15.18. Ioh. 15.15. *f* Psal.110.4. Hebr.3.1. *g* Hebr.10, 10. Heb.10.4. *h* Rom.8.34. *i* Psal.2,6. Ioh.18, 27. *k* Ps.110.2. Ps.119,105. *l* Psal.143.10. Ioh. 16.7.13. *m* Ioh.10.27.

QVÆSTIO XXXII.

Cur verò tu Christianus appellaris?

RESP. Quod per *Baptismum* & fi-

dem membrum sum Iesu Christi[a], & vnctionis ipsius particeps: [b] vt & nomen eius confitear [c], meque sistam ipsi viuam gratitudinis hostiam [d], & in hac vita contra peccatum, & Satanam libera *ab peccatis mortalibus* & bona conscientia pugnem [e], & postea æternum cum Christo regnum in omnes creaturas teneam [f].

a 1.Ioh.2.20.Gal.4,6.*b*1.Ioa.2.27.2.Cor. 1.21.22.*c*1.Pet.2.9.*d*1.Pet.2.5.Rom.12.1. *e* Rom.6.12.13.Eph.6.12.1.Pet.5.8.9.*f* Apoc. 3.21.2.Tim.2.12.

a Ioh.2.20.*Vos vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnes*, Gal.4.6. *Quoniam estis filij, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba pater.*

Resp. *a* Hinc Christiani sumus, & filij; an iræ autem quisque vel gratiæ, nemo scit: sicut & viuum ne, an mortuum sit membrum.

DOMINICA XIII.

QVÆSTIO XXXIII.

Quam ob causam Christus vocatur Filius Dei vnigenitus, cum nos quoque simus filij Dei?

Resp. Quia solus Christus est coæternus [a] *coæqualis*, & natur alis [b] æterni patris filius: nos autem propter eum ex gratia à patre adoptati sumus [c].

a Hebr. 9, 14.1.Ioh.1.1.2.3. *b* Hebr.1.2.3. Ioh. 5.18. Rom.8.32. *c* Eph.1.5. 6. Ioh.1.12. Gal.3.26.

QVÆSTIO XXXIV.

Quâ de causâ appellas eum Dominum nostrum?

Resp. Quia corpus & animam nostram [a] à peccatis [b], non auro nec argento, sed pretioso suo sanguine redimens [c], & ab omni potestate Diaboli liberans [d], nos sibi proprios vindicauit [e], *tantum ne ab eo desciscamus volentes.*

a 1.Cor.6.20.*b* Col.1.14.*c* 1.Pet.1.18.19. *d* Heb.2.14.15.*e* Tit.2.14.

DOMINICA XIV.

QVÆSTIO XXXV.

Quid credis? cum dicis, Conceptus est per Spiritum Sanctum, Natus ex Maria virgine?

Resp. Quod ipse Filius Dei [a] qui est & permanet verus *Patri coæqualis*, & æternus Deus [b], naturam vere humanam [c], ex carne & sanguine *perpetuæ* Virginis Mariæ [d], operatione Spiritus Sancti [e] assumpsit [f], vt sit verum semen Dauidis [g], fratribus suis per omnia similis [h], excepto peccato [i].

a Gal.4.4.*b*1.Ioh.5.20.Rom 9.5. Heb.1, 10.11.12.*c*1.Ioh.1.1.2.Luc.24.39.Mat.26.38. *d* Esa,7.14.Luc.1.26.27.30.31.32. Mat.1.23. *e* Luc.1.34,35.*f* Heb.2.16.Ioh.1.14.1. Tim.3. 16.*g* Act. 2.30. Act.13.22.23.*h* Hebr.2.17. Philip.2.7.*i* 1.Ioh.3.5.Heb.4.15.

QVÆ-

QVÆSTIO XXXVI.

Quem fructum percipis ex sanctâ Conceptione & Natiuitate Christi?

RESP. Quod noster sit Mediator[a], & sua innocentia ac perfecta sanctitate * *nostra* peccata, in quibus * *concepti, aut decepti sumus, tollat*, ne in conspectum Dei veniant[b].

* mea
* concepti sum, negat,

a Heb.7.26.*b* Apoc.1.5.

b Apoc.1.5. *Commouere vos volo scientes semel omnia, quoniam Iesus populũ de terra Aegypti saluans secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.*

RESP. *b* Quid ergo? Non hoc concludit tecturam solam peccatorum: neque peccati originalis, neque Concupiscentiæ, quam innatum esse peccatum fingunt, inque vnâ cætera omnia.

DOMINICA XV.

QVÆSTIO XXXVII.

Quid credis? cum dicis, Passus est.

RESP. Fum toto quidem vitæ suæ tempore, quo in terris egit[a], præcipue vero in eius extremo [b], iram Dei aduersus peccatum vniuersi generis humani[c], corpore & *sensitiuâ* animâ[d] sustinuisse, *quo ad pœnam solam hic temporalem, non infernalem*: vt sua passione, tanquam vnico *Cruento* sacrificio propitiatorio, corpus & animam nostram ab æterna damnatione liberaret,[e] & nobis gratiam Dei[f], iustitiam[g] *nobis inhæsuram*, & vitam æternam[h] acquireret: *Nisi eâ nos indignos reddamus.*

a Esa.53.2.*b* Mat.27.46.ex Psal.22.*c* Esa. 53.4.5.6.*d* Ps.22.17.18.Mat.26.38.Psa.22.15. *e* Heb.9.12.*f* Rom.5.2.Ioh.1.17.*g* 2. Cor.5. 21.*h* 1.Ioh.4.9.Ioh.3.14.15.

QVÆSTIO XXXVIII.

Quid causæ fuit, cur sub iudice Pilato pateretur?

RESP. Vt innocens[a] coram iudice politico damnatus[b], nos à seuero Dei iudicio *damnationis*, quod omnes manebat, eximeret[c].

a Io.18.31.38.Lu.23.14.15.Mat.27.19.24. *b* Mat.27.2. Ioh.19.13.14.15.16.*c* Esa.53.5. Rom.8.34.

QVÆSTIO XXXIX.

Estne vero quiddam amplius, quod affixus sit Cruci, quam si alio genere mortis affectus esset?

RESP. Sane amplius[a]. Ex hac enim re * *sumus certi*, cum maledictionem, quæ † *nobis* incumbebat, in se recepisse[b], nam mors crucis erat à Deo maledicta[c].

* sum certus
† mihi

a Philip.2.8.*b* Gal.3.13.*c* Deut.21.22. 23.

DOMINICA XVI.

QVÆSTIO XL.

Cur necesse fuit, vt Christus ad Mortem vsque se demitteret?

RESP. Propterea quod iustitiæ [a] & veritati Dei [b] nullo alio pacto pro nostris peccatis potuit satisfieri, quam ipsa morte filij Dei, *qua Homo erat.*

a Rom.1.32. *b* Gen.2.17. Gen.3.15.

QVÆSTIO XLI.

Quare etiam Sepultus est?

RESP. Vt eo testatum faceret, se vere mortuum esse [a], *quoad solam Humanitatem.*

a Mat.15.42.43.44.45.

QVÆSTIO XLII.

At, cum Christus pro nobis mortem oppetierit, cur nobis quoque est moriendum?

RESP. Mors nostra * est *aliqua* pro peccatis nostris satisfactio [a], † *non omnis* peccati abolitio [b]: & *est* transitus in vitam æternam [c], *mediatè vel immediatè post dandam.*

* non
† sed

a Matt.16.26. *b* Hebr.14.10. *c* Philip.1.21. Phil.1.23.

a Mat.16.26. *Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.*

RESP. *a* Quid ergo? Mors non est pro peccatis aliqua satisfactio? Negatur consequentia.

c Phil.1.21. *Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum,* 23. *Cupio dissolui & esse cum Christo.*

RESP. *c* Sic esse cuique potest; non tamen est, nisi paucis Deo notis.

QVÆSTIO XLIII.

Quid præterea capimus commodi ex Sacrificio & Morte Christi?

RESP. Quod virtute eius mortis [a], vetus noster homo vna cum eo crucifigi * *debeat* [b], interimi † [c], ac sepeliri * [d], ne prauæ cupiditates & desideria carnis posthac in nobis regnent [e], *nisi velimus*: sed vt nos ipsos ei hostiam gratitudinis offeramus [f].

* tur,
† tur, c
* tur,

a Rom.6.5. Ioh.17.19. *b* Rom.6.6. Gal.5.24. *c* Rom.6.8. Rom.6.11. *d* Rom.6.4. Col.2.12. *e* Rom.6.6.14. *f* Ps 51.19. Rom.6.13.

QVÆSTIO XLIV.

Cur additur? Descendit ad † inferos?

† inferos

RESP. Vt in summis doloribus & grauissimis tentationibus me hac consolatione sustentem, quod Dominus meus Iesus Christus inenarrabilibus animi sui *sensitiui*, *non Rationalis*, angustijs, cruciatibus & terroribus (*absque infernali pœna sensus vel damni*) in quos cum antea, tum maxi-

maxime in cruce pendens, fuerat demersus [a] *quantum voluit; nos* † ab angustijs & cruciatibus inferni liberauerit [b]: *sed vt & fide viua compatiamur pœnitentes.*

a Ps.30.4.Ps.86,13.b Esa.53.3.5.1.Cor.15.55.57.

† me

DOMINICA XVIII.

QVÆSTIO XLV.

Quid nobis prodest Resurrectio Christi?

Resp. Primum, sua resurrectione mortem deuicit, vt nos posset eius iustitiæ, quam nobis sua morte pepererat, participes facere [a]. Deinde, nos quoque iam eius potentia ad nouam vitam excitamur [b]. Postremo, resurrectio Capitis nostri Christi nobis gloriosæ resurrectionis nostræ pignus est [c].

a Rom.4.25.1.Cor.15.17.b Rom.6.4.8. Col.2.12.13.c 1.Cor.15.20.21.1.Thes.4.14.

QVÆSTIO XLVI.

Quomodo intelligis istud? Ascendit ad cælos.

Resp. Quod adspicientibus discipulis [a] Christus de terra in cœlum *vi propria* sublatus est [b], atque etiamnum nostra causa ibidem est [c] & erit (*vt tamen sit & alubi; præsertim in S. Eucharistia,*) donec redeat ad iudicandum viuos & mortuos [d].

a Act.1.9.b Marc.16.9.Luc.24.50.52.c Ioh.16.7.d Act.3.21.

QVÆSTIO XLVII.

An ergo Christus non est nobiscum vsque ad finem mundi, quemadmodum nobis promisit?

Resp. Christus est verus Deus & verus homo. Itaque secundum naturam humanam *ordinariè, nisi Sacramentaliter,* iam non est in terra [a]: at secundum diuinitatem suam, maiestatem [b], gratiam & spiritum, nullo vnquam tempore à nobis abest [c]: *nisi peccatis nostris gratiam eius quisque excludamus.*

a Ioh.16.28.Mat.16.11.Heb.8.4.b Ier.23.24.c 2.Cor.1.13.Ioh.14.16.

QVÆSTIO XLVIII.

An vero isto pacto duæ naturæ in Christo non diuelluntur; si non sit natura humana vbicunque est diuina?

Resp. Minime. Nam cum Diuinitas comprehendi non queat, & *virtute sua* omni loco præsens sit [a], necessario consequitur, esse eam *alubi* quidem *etiam* extra naturam *suam* humanam, quam assumpsit [b]; * & nihilominus tamen esse in eadem, eique personaliter vnitam permanere [c]: *at vtrumque modo non vno.*

a Iob.11.8.Act.17.27.b Ioh.3.13.c Col.2.9.

* sed

DO-

DOMINICA XVIII.

QVÆSTIO XLIX.

Quem fructum nobis adfert Ascensio Christi in cælum?

RESP. Primum, quod in cœlo apud patrem pro nobis intercedit [a]. Deinde, quod carnem nostram in cœlo habemus, vt eo, tanquam certo pignore, confirmemur fore, vt ipse, qui Caput nostrum est, nos sua membra ad se extollat [b], (*nisi cor impœnitens obstiterit.*) Tertio, quod nobis suum Spiritum mutui pignoris loco mittit [c], cuius efficacia non terrena sed superna quærimus, (*nisi sit mens læua:*) vbi ipse est ad dextram DEI sedens [d].

a Heb. 9.24. Rom.8.34. *b* Eph.2.6. Ioh. 14.2.3. *c* Ioh.16.7. Eph.1.13. *d* Col.3.1.2.3.

QVÆSTIO L.

Cur additur? Sedet ad Dextram Dei.

RESP. Quia Christus ideo in cœlum ascendit, vt se ibi [a] Caput Ecclesiæ suæ declararet [b], per quod pater omnia gubernat [c], *vt ita meritum in terris.*

a Ephes.1.20. Hebr.1.3. Hebr.8.1. *b* Ephe.1.22.23. Col.1.18. *c* Ioh.5.22. Mat.28.18. 1.Cor.15.25.

DOMINICA XIX.

QVÆSTIO LI.

Quid nobis prodest hæc Gloria nostri Capitis Christi?

RESP. Primum, quod per Spiritum Sanctum in nos, sua membra, cælestia dona effundit *a. Si obicem non opponamus.*

Deinde, quod nos sua potentia contra omnes hostes protegit ac defendit *b.*

a Act. 2.33. Eph.4.8. *b* Ioh.10.28. Ioh.11. 31. Ioh.16.33. 2.Cor.12.9. Os.13.14.

QVÆSTIO LII.

Quid te consolatur Reditus Christi ad iudicandum viuos & mortuos?

RESP. Quod in omnibus miseriis & persecutionibus erecto capite *a*, eundem illum, qui se prius pro * *nobis* iudicio Dei statuit, & maledictionem omnem † *nobis* abstulit, iudicem è cœlo expecto *b*: qui omnes suos & meos hostes in æternas pœnas abiiciat *c*, me vero *ita sperantem ac orantem, licet immeritum*, cum omnib. electis ad se in cœlestia gaudia & sempiternam gloriam traducat *d. si dignus inuentar.*

* me
† à me

a Luc.21.28. *b* Act.10.39.40.42. Ioh.19. 37. ex Zach.12.10. *c* Apoc.20.10.2.Thes.1.7. 8.9.10. *d* Ioh.14.3. Ioh.17.24.1.Thes.1.17.

DE

DE SPIRITV SANCTO.

DOMINICA XX.

QVÆSTIO LIII.

Quid credis de Spiritu Sancto?

RESP. Primum, quod sit verus *coæqualis*, & coæternus Deus cum æterno Patre & Filio[a]. Deinde, quod * *nobis* quoque datus sit[b], vt † *nos* per veram fidem, Christi[i] & omnium eius beneficiorum participes faciat[c], * *nos* consoletur[d], & † *nobiscum* in æternum maneat[e].

* mihi † me

* me † mecum

a 1.Ioh.5.7.Act.5.3.4. *b* Act.2.17.18.ex Ioel 2.28.Act.2.39.*c* Rom.8.9.1.Cor.12.3. Eph.3.16.*d* Ioh.15.26.*e* Ioh.14.16.17.

b Actor.2.17.18.*Et erit in nouissimis diebus, effundam de spiritu meo super Omnem terram: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabũt.39.Vobis enim est repromissio, & filijs vestris, & omnibus, qui longe sunt, quoscunque aduocauerit Dominus.*

RESP. *b* Fidem hæc inferunt, sed non specialem. Adeo multi sunt vocati; pauci vero electi. Sequentia similiter.

c Rom.8.9.*Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: Si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.* 1.Cor.12.3.*Nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Eph.3.16.*Det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem.*

RESP. Hæc in genere sunt fidei & certa: in particulari, sunt spei, & quoad nos incerta; quoad Deum, & in se, certa.

DOMINICA XXI.

QVÆSTIO LIV.

Quid credis de Sanctâ & Catholicâ Christi Ecclesiâ?

RESP. Credo, filium Dei[a], ab initio mundi[b] ad finem vsque[c], sibi ex vniuerso genere humano[d], *visibilem* Cœtum ad vitam æternam electum[e], per Spiritum suum[f], *merita*, & verbum[g], in *Sacramentis* & vera fide *viua* consentientem[h], colligere, *sub vno in terris Capite Papa*, tueri ac seruare[i]: meque viuum eius Cœtus membrum esse *debere ac posse*[k], & perpetuo mansurum[l] *sperare*.

a Eph.4,11.12.*b* Luc.11.49.50.51.Gen.4. 4.5.Gen.4.26.Gen.8,20.Gen.12.81. Gen. 26.25.& 35.7.*c* Matth.28.20.1. Cor.11.26.*d* Psal.2.7.8.Apoc.5.9.*e* Rom.8.28.30.Ioh.10. 26.27.28.1.Petr.2.9.*f* Rom.15.17.18.19.*g* Ro.15.17.18.19.*h* Eph.4.4.Eph.4.13.*i* Mat. 16.18.*k* Ephes 2,19.20.21.22.*l* Psal.23.6.1. Cor.1,8.9.

RESP. Hæ autoritates sonant sapiuntq; vt similes supra.

QVÆSTIO LV.

Quid sibi vult Communio Sanctorum?

RESP. Primum, quod vniuersi & singuli credentes, Christi[a] & omnium

nium eius bonorum [b], *ac Sanctorum in cœlo & in terra*, tanquam ipsius mẽbra [c], communionem * *habere possint ac debeant*. Deinde, quod singuli, quæ acceperunt dona, in commune commodum & vniuersorum salutem promptè & alacriter conferre debeant [d].

* habeãt.

a 1. Ioh. 1. 3. *b* Rom. 8. 32. Ioh. 1. 16. *c* Eph. 5. 29. 30. Col. 2. 19. *d* Ephes. 4. 15. 16. 1. Petr. 4. 10.

QVÆSTIO LVI.

Quid credis de Remissione peccatorum?

RESP. Deum propter satisfactionem Christi [a], † *nostrorum* peccatorum, atque illius etiam *originalis* prauitatis, cum qua mihi per omnem vitam pugnandum est [b], * *maculam* omnẽ deposuisse [c], & † *nos* iustitia Christi gratis donare [d], ne vnquam in iudicium * *damnationis veniamus; nisi relapsi & impœnitentes sequius mereamur*.

† meorũ.

* memoriam † me * veniã *e*

a Eph. 1. 7. *b* Ps. 103. 3. Rom. 7. 24. 25. Ro. 8. 1. *c* Ierem. 31. 34. *d* Rom. 3. 24. *e* Ioh. 5. 24. Rom. 8. 33.

b Psal. 102. 3. *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* Rom. 7. 24. *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum &c. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei; carne autem, legi peccati.* Rom 8. 1. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant.*

b RESP. Morales sanat defectus; non autem naturales, in quibus est & Concupiscentia; quæ mors est non actualiter, in se, sed occasionaliter, inclinans ad peccandum. In qua iusti se habent passiue & inuoluntarie: Et sic vitæ est, nòn damnationis.

c Ier. 31. 34. *Omnes cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum & peccati eorum non memorabor amplius.*

c RESP. Propitiatio delet peccatum; ac memoriam eius etiam obliuio: non tegit solum.

d Rom. 3. 24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.*

d RESP. Vt supra quæst. 21.

e Ioh. 5. 24. *Qui verbum meum audit & credit ei, opere & veritate, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte in vitam.*

e RESP. Venit tamen in iudicium discussionis.

Rom. 8. 33. *Quis accusauit aduersus Electos Dei, Obdormientes in pace?*

DOMINICA XXII.

QVÆSTIO LVII.

Quid te consolatur Resurrectio carnis?

RESP. Quod non tantum anima mea *si iusta fuerit*, postquam è corpore excesserit, è vestigio [a] *aut per Purgatorium* ad Christum, suum Caput, assumetur [b]: verũ quod hæc quoq; caro mea [c], potentia Christi [d] excitata [e], rursus animæ meæ vnietur [f], & glorioso corpori Christi conformabitur [g], *si beatur; secus si damnatur*.

a Lu. 23. 43. Apoc. 14. 13. Lu. 16. 22. *b* Eccl. 12. 7. Philip. 1. 23. *c* Iob. 19. 25. 26. 27. 1. Cor. 15. 53. *d* Ioh. 5. 28. 29. *e* Ioh. 6. 39. 40. *f* Ezech. 37. 5. 6. *g* Philip. 3. 21. 1. Cor. 15. 42. 43.

QVÆ-

QVÆSTIO LVIII.

Quam consolationem capis ex articulo de Vitâ æternâ?

RESP. Quod, quoniam in præsentia vitæ æternæ initia in * *animas nostras infunduntur*, futurum † *speremus*, vt post hanc vitam plena perfectaque beatitudine * *potiamur*, in qua Deum in æternum celebremus [c]: quam quidem beatitudinem nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec vllus homo cogitatione comprehendit *d*.

* meo corde persentisco *a*, † sit * potiar *b*,

a 1.Pet.1.4.5.1.Pet.1.7.8. *b* Mat. 25. 34. 46.1.Cor.13.10. *c* Apoc.19.5. *d* 1.Cor.2.9.ex Esa.64.4.

a 1.Pet.1.3.4.5. *Qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, &c. Conseruatam in cælis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo &c.*

b Mat.25.34 *Dicit his à dextris: Ite benedicti, &c.* 46. *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* 1. Cor.13.10. *Cũ venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.*

RESP. *ab* Fides hisce docetur; sed non specialis vt supra.

DOMINICA XXIII.

QVÆSTIO LIX.

At cum hæc omnia credis, quid vtilitatis inde ad te redit?

RESP. Quod in Christo iustus * *esse possim ac debeam* coram Deo *a*, & hæres vitæ æternæ *b*.

* sum

a Rom.1.16.17. *b* Ioh.5.24.

a Rom.1.16.17. *Non erubesco Euangelium; virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.*

b Ioa.5.24. *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me: habet vitam æternam.*

a b RESP. Certitudinem salutis hæc docent vniuersalem: sed non personalem huius & illius, aut mei: vt supra, & proxime infra.

QVÆSTIO LX.

Quomodo iustus † esse potes *coram Deo?*

RESP. *Nequaquam* Solâ fide in Iesum Christum *a*: * *sed ita*, vt, † (*si quidem vitè contritum* me mea conscientia *non* accuset, quod *licet* aduersus omnia Dei mandata *aliquando* grauiter peccauerim, nec vllum eorum seruauerim, adhæc etiamnum ad omne malum propensus sim *b*:) nihilominus tamen (modo hæc beneficia vera animi * *fide ac spe* amplectar *c*) † *cũ aliquo* meo merito, ex mera Dei misericordia *primari*, mihi perfecta satisfactio, iustitia, & sanctitas Christi * *permittatur* ac donetur *eius capaci d*, perinde ac si nec vllum ipse peccatum admisissem, nec vlla mihi labes inhæsisset, † imo vero quasi eam obedientiam, quam pro me Christus præstitit, ipse perfectè præstitisset *e*.

* adeo † licet

* fiducia † sine vlla

* imputetur † retet,

a Rom.3.28.Gal.2.16.*b* Rom.7.14.Ro. 7.21.22.23.*c* Rom.10.Rom.4.23.24.*d*.Ro. 3.24.25.Rom.4.6.7.8.Rom.5.18.19.*e* Esa. 1.18.Mich.7.19.2.Cor.5.21.

a Rom.3.28. *Arbitramur iustificari hominem sine operibus legis.* Galat.2.16. *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: Et nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis; propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.*

Resp. Vera hæc de operibus Legis Veteris iam antiquatæ: non de operibus Nouæ; quæ iustificant, præsupposita fide ac spe in merita Christi.

b Romanorum 7.14. *Lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.&c.* 21.22.23. *Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet: Condelector igitur legi Dei secundum interiorem hominem; video autem legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.*

b Resp. Legi Spiritus repugnat Concupiscentia captiuans nos Inclinando; non Necessitando ad peccatum.

c Rom.10.10. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore &c.*

c Resp. Credere est fidei; non fiduciæ: huius est Fidere.

Rom.4.23. *Non est autem scriptum tantum propter ipsum; quia reputatum est illi ad iustitiam: Sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum.*

Resp. Abrahæ reputatum est propriè, scilicet respectiue ad Christum: Nobis reputatur per Christi merita aut Sacramenta effectiue & realiter; non tectorie.

d Rom.2.24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu; quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.*

d Resp. Supra quæst. 21. & hic litera *a*. &c. & alubi.

Rom.4.6. *Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus; Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.*

Scil. expiatione deletum ac sublatum.

Roman.5.18.19. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituuntur multi.* Vtrumque hoc realiter & verè, non solum imputatiuè.

e Isaiæ 1.18. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus: velut lana alba erunt.*

Mich.7.19. *Reuertetur, & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.*

e Resp. Similiter vt supra: *Et deponet*, non ergo *Teget* solum.

2.Cor.5.21. *Eum qui non nouerat peccatum peccatum pro nobis fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.*

Nisi nolimus ipsi impœnitentes.

QVÆSTIO LXI.

Cur non Sola *fide te iustum esse affirmas?*

Resp. Non *solum* quod dignitate meæ fidei Deo * *placere possim*: sed quod † *præcipua* satisfactio, iustitia & sanctitas Christi, * *nostra* iustitia sit coram Deo *b*, ego verò eam non alia ratione quam fide *viua* amplecti, & mihi applicare queam *c*.

*placeá a
† sola
* mea

a Eph.2.8.9.*b* Rom.3.24.25.Ro.4.6.7. 8.Rom.5.18.19.*c* Rom.3.22.Heb.11.7.Ro. 4.3.Phil.3.9.

a Eph.2.8.9. *Gratis enim estis saluati per fidem,*

dem, & non ex vobis, Dei enim donum est: Non ex operibus; ne quis glorietur.

b Ro.3.24.25. Iustificati gratis per gratiam ipsius &c. Rom.4.6. vide supra.

a b Resp. Principaliter gratis: accidenter, etiam meritorie quoad nos.

c Rom.3.22. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi; in omnes, & super omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio Hebr.11.7. Fide Noe responso accepto de ijs quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum: & iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus. Romanorum 4.3. Credidit enim Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Philip.3.9. Inueniar in illo, non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed aliam; quæ ex fide est Christi Iesu, quæ ex Deo est iustitia in fide.

c Resp. Per fidem; sed non solam, etsi præcipuè iustificamur.

b Philip.3.12.13. Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Isa.64.6. Facti sumus, vt immundus, omnes nos & quasi pannus menstruatæ, vniuersæ Iustitiæ Nostræ: & cecidimus quasi folium vniuersi; & iniquitates nostræ quasi ventus, abstulerunt nos.

b Resp. Nimirum respectiue ad Dei perfectionem & iustitiam infinitam; nostra finita, quasi nihili est: at in se attenta, est aliqua.

DOMINICA XXIV.

QVÆSTIO LXII.

Cur nostra bona opera non possunt esse iustitia, vel pars aliqua iustitiæ, coram Deo?

Resp. Propterea quod oporteat eam iustitiam, quæ in iudicio Dei consistat, perfectè absolutam esse, & omni ex parte diuinæ legi congruentem [a]; *quà humanitus possibile in Christo*: nostra vero etiam præstantissima quæque opera, *etsi* in hac vita sint *pleraque* imperfecta, atque adeo *subinde* peccatis inquinata [b]; *Christi tamen gratia efficit ea digna cœlo.*

a In q.4. & 10. b Phil.3.12.13. Esa.64.6.

QVÆSTIO LXIII.

Quomodo bona opera nostra † aliquid *promerentur, cum Deus & in præsenti & in futurâ vitâ mercedem pro his se daturum promittat?*

† nihil

Resp. Merces ea non datur ex merito [a], *principaliter, nisi de congruo*: sed ex gratia [b] *de condigno Christi sic meriti.*

a Luc.17,10. Rom.11.35.36. b Ps.103.13.

a Luc.17.10. Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Ro. 11.35. Quis dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria.

a Resp. Quia tam acquisitæ, quam infusæ gratiæ, sunt ex Deo per Christum: Ex nobis n. solis perditio est. Ideo, vt sequitur.

b Ps.102.13. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.

QVÆSTIO LXIV.

An autem Luthero-Caluinistica *doctrina non reddit homines securos & profanos?*

† Non a * quin † insiti sunt.

RESP.†. *Ita.* Neque enim fieri potest,* *quod* ij, qui Christo per fidem † *solam se insitos putant*, fructus proferant gratitudinis *b*, *vt debitos ac meritorios.*

a Rom.3.30. Rom. *6.1. b* 1. Iohan. 3.9. Ioh.15.5.

a Rom.3.30. *Vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide* non sola *& præputium per fidem*, sed viuam Rom.*6.1. Permanebimus in peccato vt gratia abundet? absit.*

RESP. *a* Ergo sola fides iustificans non reddit homines profanos? Nihildum istud sequitur.

b 1.Ioh.3.9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in ipso manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Ioh.1.5. *Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum quia sine me nihil potestis facere.*

b RESP. Atqui omnis baptizatus, est natus ex Deo; & tamen subinde peccat sic, vt excidat & non maneat in charitate Christi: licet in fide, ac spe, sed mortua. Et istud conseruat nos in filiali timore Dei: doctrina contraria temere seçuros reddit & profanos.

DE SACRAMENTIS.

DOMINICA XXV.

QVÆSTIO LXV.

Quoniam igitur Non *sola Fides nos Christi atque omnium eius beneficiorum participes facit, vnde hæc* viua *fides proficiscitur?*

RESP. A Spiritu Sancto *a*, qui eam per *Baptismum, aut* prædicationem Euangelij *b* in cordibus nostris accendit, & per vsum *cæterorum* Sacramentorum confirmat *c* & *auget.*

a 2.Cor.4.13. *b* Rom.10.17. *c* Rom.4.11. Act.8.36.37.38.

DE SACRAMENTIS.

c Rom. 4.11. *Signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio.* Act. 8.36. *Ecce aqua quid prohibet me baptizari: Dixitque Philippus Si credis ex toto corde, licet.*

c RESP. Signum est ad significandam gratiam occultam, & præsentem, in præputio quidem respectiue; at in Aqua bapt. & verbo effectiue.

QVÆSTIO LXVI.

Quid sunt Sacramenta?

RESP. Sunt sacra *a* & in oculos incurrentia *b* signa ac † *instrumenta* † figillat. *inuisibilis gratiæ*, ob eã causam à Deo *d* instituta, vt per ea nobis promissionem Euangelij magis declaret *e* & * *gratiam efficienter conferat*, quod * obsscilicet non vniuersis tantum, sed et gnet s. iam singulis *vere* credentibus, *primario* propter vnicum illud Christi sacrificium in cruce peractum gratis donet mediante Sacramento remissionem peccatorum, & vitam æternam *g*.

a Exo. 29.33. *b* Rom.2.28. Exod.12.13. *c* Gen.17.11. Rom.4.11. Exod.13.9.1. Cor.11. 24.25. *d* Act.7.8. Exo.12.27. Io.1.33.1. Cor.11. 20. *e* Gen.17.13. Deut.30.6. Exo.13.9.1. Cor. 5.7. Act.22.16.1. Cor.11.23.24.26. Matt.26. 27.28.1. Cor.11.25.26.28. *f* In hac quæstione sub lit. c & e. *g* Mat.16.28.

c Gen.

c Gen.17.11. *Circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos.* Rom.4.11. *Et signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio.* Exo.13,v.9. *Erit quasi signum in manu tua.&c.*

c Resp. In Vet. Test. erat id signaculum gratiolæ promissionis: at in Nouo sunt instrumenta realis exhibitionis, ac signa gratiæ inuisibilis & præsentis, in vsu debito.

1.Cor.11. *Hoc est Corpus meum: Hoc facite in meam Commemorationem.*

Si *Hoc est*; vt est: ergo realiter præsens Est Ipsissimum; & non significatur absens. *Hoc* Facimus autem *in Commemorationem* Vnici Cruenti Sacrificij in Cruce oblati. Nil igitur vel specietenus concludit Caluinissmus.

QVÆSTIO LXVII.

Num vtraque igitur, & Verbum & Sacramenta, eo spectant, vt fidem nostram ad sacrificium Christi in cruce peractum, tanquam ad vnicum nostræ salutis fundamentum, deducant?

Resp. Ita est: *sed non solum:* Nam Spiritus Sanctus docet Euangelio, [a] & confirmat Sacramentis [b], *& Res Sacramenti sanat, roboratque animas, docetque* omnem nostram salutem positam esse *principaliter* in vnico sacrificio Christi, pro nobis in cruce oblati: *vnde ad incruenta Sacrificia & Sacramenta vis ex opere operato promanat; & per hæc ad nos.*

a 1.Cor.1.23.1.Cor.3.11. *b* Mat.26.28.

QVÆSTIO LXVIII.

Quot Sacramenta instituit Christus in nouo fœdere?

Resp. *Non* duo *solum* Baptismum [a], & sacram Cœnam [b]: *sed & alia quinque*: *Confirmationem, Pœniten. Ord. Matrim. & Extremam Vnctionem.*

a In quæst.71. *b* In quæst.77.

DE BAPTISMO

DOMINICA XXVI.

QVÆSTIO LXIX.

Quâ ratione in Baptismo sanaris, *admoneris & confirmaris, te vnici illius* incruenti *sacrificij Christi participem esse?*

Resp. Quod Christus externum aquæ lauacrum mandauit, [a], addita hac promissione, me non minus certo ipsius sanguine & Spiritu, *vi Sacramenti sic efficientis*, à sordibus animæ, h. e. ab omnib. meis peccatis lauari; quam aqua extrinsecus ablutus sum, qua sordes corporis expurgari solent [b].

a In quæst.71. *b* Tit.3.5. Act.22.16.

QVÆSTIO LXX.

Quid est Sanguine & Spiritu Christi ablui in Baptismo?

Resp. Est accipere *per Sacramentum* à Deo remissionem peccatorum gratis, propter Sanguinẽ Christi, quem is pro nobis in suo Sacrificio,

cio in cruce profudit[a]: deinde etiam, per Spiritum Sanctum * *vi Sacramenti regenerari*, & ipso *Baptismo* sanctificante membrum Christi fieri[b], quo magis ac magis peccatis moriamur *ijs abstinentes*, & sancte inculpateque viuamus[c].

* renouari,

a b 1. Cor. 6. 11. *c* Eph. 4. 22. 23. 24.

QVÆSTIO LXXI.

Vbi promisit Christus, se nos tam certo sanguine & Spiritu suo abluturum, quam aqua Baptismi abluti sumus? Et id vtrumque in vno lauacro Sacramenti?

RESP. In institutione Baptismi, cuius hæc sunt verba. *Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluabitur: qui vero non crediderit, condemnabitur.*

Hæc promissio repetitur, cum Scriptura Baptismum nominat *lauacrum regenerationis*[a], *& ablutionem peccatorum*[b].

a Tit. 3. 5. *b* Act. 22. 16.

Sciendum: Verbum & elementum abluere animas intimè, suapte vi propria Sacramentali: Hanc vim autem promanare ex latere Christi, communiter quidem ex æquo in omnia Sacramenta septem; Operari tamen in alio aliter, atque alio: & in singulis specialiter.

DOMINICA XXVII.

QVÆSTIO LXXII.

Est ne ergo externus Baptismus aquæ, ipsa peccatorum ablutio?

RESP. Non est[a]. *Nisi accedente verbo ad elementum.* Nam *non* solus sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato[b], *sed mediatè per Baptismum.*

a 1. Pet. 3. 21. *b* Ioh. 19. 34. 1. Ioh. 5. 6.

QVÆSTIO LXXIII.

Cur ergo Spiritus Sanctus Baptismum appellat lauacrum regenerationis & ablutionem peccatorum?

RESP. Deus non sine graui causa sic loquitur: videlicet non solum vt nos doceat, quemadmodum sordes corporis aquâ purgantur *a*, sic peccata nostra Sanguine *b*, & Spiritu Christi *c vi Baptismi* expiari; verum multo magis, vt nobis hoc diuino † *remedio* ac pignore certum faciat, nos non minus verè a peccatis nostris interna lotione ablui, quam externa & visibili aqua abluti sumus *d corpore, & maxime in anima.*

† symbolo,

a Ezech. 16. 4. *b* Apoc. 1. 5. Esa. 4. 4. *d* Act. 2. 38. Gal. 3. 27.

QVÆ-

QVÆSTIO LXXIV.

Suntne etiam infantes baptizandi?

RESP. Omnino, *idque necessitate medij & præcepti.* Nam cum æque ac adulti ad fœdus[a] & Ecclesiam Dei pertineant[b]; cumque ijs per sanguinem Christi, remissio † *peccati originalis*, & Spiritus Sanctus, fidei effector, non minus quam adultis promittatur[c]; per Baptismum Ecclesiæ Dei inserendi sunt, & ab infidelium liberis discernendi. Itidem *fermè* vt in veteri fœdere per Circumcisionem fiebat[d] *typice*: cui in nouo fœdere substitutus est Baptismus[e], *gratiam efficienter conferens, vt instrumentum, non vt merum signum.*

† peccatorum

a Gen. 17. 7. 1. Cor. 7. 14. *b* Marc. 10. 14. 15. 16. *c* Act. 2. 38. 39. *d* Gen. 17. 12. 11. Col. 2. 11. 12.

DE COENA DOMINI.

DOMINICA XXVIII.

QVÆSTIO LXXV.

Quâ ratione in cœnâ Domini cibaris, *admoneris, & confirmaris, te* realiter *vnici illius sacrificij Christi in cruce oblati, atque omnium eius bonorum participem esse?*

RESP. Quod Christus me atque omnes fideles de hoc † *transubstantiato* pane edere, & de poculo *realis sanguinis* distributo bibere iussit in sui memoriam[a], addita hac promissione, *non personali, sed tantum generali;* Primum, Corpus suum non minus certo pro me *& omnibus* in cruce oblatum & fractum, & Sanguinem suum pro me *& omnibus* fusum esse; quam oculis cerno, † *specierum panis* Domini mihi frangi, & * *Calicem benedictionis* mihi communicari[b]: Deinde, animam meam non minus certò, *& realiter* ipsius Corpore, quod pro nobis crucifixum, & Sanguine, qui pro nobis fusus est; ad vitam æternam ab ipso *Sacramentaliter* pasci, quam *transubstantiatum* panem & vinum, symbola Corporis & Sanguinis Domini *& significantia, & efficientia gratiam*, è manu ministri acceptam, ore corporis *& cordis* percipio[c].

† fracto

† panem * poculi

a In quæstion. 77. *b* In quæstion. 77. *c* In quæstion. 77.

QVÆSTIO LXXVI.

Quid est crucifixum Corpus Christi edere, & fusum eius Sanguinem bibere?

RESP. Est, non tantum totam passionem & mortem Christi certa † *cum fide ac spe* amplecti, ac per id *in S. Synaxi* remissionem peccatorum *venialium*, *robur* & vitam æternam adipisci[a] *posse*: sed etiam *in vsu digno Eucharistiæ* per Spiritum San-

† animi fiducia

ctum, qui simul in Christo & in nobis *rite expiatis* habitat[b], ita sacrosancto eius Corpori magis ac magis vniri[c]; vt, quamuis ipse in cœlo, & *in Sacramento sit*, nos vero in terra simus; nihilominus tamen caro simus de Carne eius, & os de ossibus eius[d], vtque omnia corporis membra ab vna anima, sic nos vno eodemque Spiritu viuificemur & gubernemur, [e] *quem spiritum in Eucharistia roboramus ex reali præsentia Christi percepti in eadem.*

a Ioh. 6.50.35.54.47. *b* Ioh. 6.63. 1.Cor. 12.13. *c* Ioh. 6.56. *d* Eph. 5.30. *e* Iohan. 6.57.58. Rom. 8.9.11.

QVÆSTIO LXXVII.

Quo loco promisit Christus, se credentibus tam certo corpus & sanguinem suum sic edendum & bibendum sub speciebus *daturum, quam* † transubstantiatum *hunc panem edunt &* * calicem *bibunt?*

† fractum
* poculũ hoc

RESP. *Caluiniane.* In Institutione Cœnæ, cuius hæc sunt verba: *Dominus noster Iesus Christus eâ quâ nocte proditus est, accepit panem, & gratiis actis, fregit ac dixit: Accipite hoc est Corpus meum quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei recordationem. Itidem & poculum, postquam cœnassent, dicens: Hoc poculum est nouum fœdus per meum sanguinem; hoc facite quotiescunque biberitis, in mei recordationem. Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec venerit.*

Hæc promissio repetitur à Paulo, cum inquit: *Poculum gratiarum actionis quo gratias agimus, nonne communio est sanguinis Christi? panis, quem frangimus, nonne communio est corporis Christi? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus. Nam omnes vnius panis participes sumus.*

Orthodoxè.

In Institutione Eucharistiæ, cuius hæc sunt verba ab Apostolo tradita: *Dominus Iesus, qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate; Hoc est enim Corpus meum, Quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationẽ. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum Testamentum est in meo Sanguine: Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*

Calix benedictionis, cui benedicimus nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? Quoniam vnus panis, vnum Corpus multi sumus, omnes qui de vno Pane participamus.

Dominus noster Iesus &c. Vide 1. Cor. 11. 23. 24. 25. 26. Poculum gratiarum actionis Vide 1.Cor.10.16.17.

DO-

DOMINICA XXIX.

QVÆSTIO LXXVIII.

Num ergo panis & vinum fiunt Ipsum Corpus & Sanguis Christi?

RESP. † *Fiunt verissime ac realiter. Nam* vt aqua Baptismi in sanguinem Christi non conuertitur, * *& tamen per eam* est ipsa peccatorum ablutio, † *non* symbolum tantum ac pignus earum rerum: quæ nobis in Baptismo * *conferuntur*: ita *etiam* panis Cœnæ Dominicæ *transubstantiatus* est ipsũ Corpus Christi, * *sicuti etiam* pro ratione sacramentorum, & vsitata Spiritui Sancto de his loquendi forma, panis vere Corpus Christi appellatur *b*, *& est*.

† Nequaquam Verum
* nec
† sed
* obsignãtur
* quanquam

a 1. Pet. 3. 21. *b* Gen. 17. 10. Exod. 12. 11. 12. Act. 22. 16.

b Gen. 17. 10. *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis.* Exod. 12. 11. *Sic Comedetis illum: Renes vestros, &c. est enim Phase, id est transitus Domini.*

RESP. *b* Circumcisio, & Esus agni erant signum solum significans futura: At Sacramentum est signum & significans gratiam præsentem, & eam in vsu realiter effectiue conferens. Non est inane elementum, vt istud sequens extra Actionem.

Act. 22. 16. *Exurge, & baptizare, & Ablue peccata tua, inuocato Nomine ipsius:*

Scil. Verbo & Elemento *Ablue*; non solo Spiritu, & Sanguine Crucifixi per fidem cum memoria commemorato.

QVÆSTIO LXXIX.

Cur ergo Christus panem transubstantiatum *appellat suum Corpus, calicem vero suum Sanguinem seu nouum* † Testamentum *per suum Sanguinem? Paulus item panem & vinum, communionem corporis & sanguinis Christi?*

† fœdus

RESP. Christus non sine graui causa sic loquitur: videlicet non solum vt nos doceat, quemadmodum panis & vinum corporis vitam sustentant [a]; sic etiam crucifixum suum Corpus, & effusum suum sanguinem *sub speciebus*, vere esse animę nostræ cibum ac potum, quo ad vitam æternam nutriatur [b]: verum multo magis, vt hoc visibili * *Sacramento* ac pignore nobis certum faciat, nos non minus vere corporis & sanguinis sui, † *vi Sacramenti*, participes esse, quam * *sacras istas species*, in eius memoriam, ore corporis percipimus [c]: tum etiam, quod eius passio & obedientia tam certo nostra † *esse possit*, quam si ipsimet pro nostris peccatis pœnas dedissemus, & Deo satisfecissemus [d].

* si gno
† per operationem Spiritus Sancti.
* sacra ista symbola
† sit.

a Psal. 104. 14. 15. *b* Ioh. 6. 55. 49. 51. *c* Inq. 71. *d* 1. Cor. 11. 26.

DOMINICA XXX.

QVÆSTIO LXXX.

Quid interest inter Cœnam Domini & Missam Papisticam?

RESP. Cœna Domini nobis *eam digne sumentibus* testatur, nos perfectam remissionem omnium nostrorum peccatorum habere *posse vi Sacramenti* propter vnicum illud Christi sacrificium [a], quod ipsemet semel *b* in cruce peregit *c*: *& singulis vim confert Sacramentis*: tum etiam, nos per † *dignam Synaxin* inseri Christo [d], qui iam secundum naturam suam humanam *non* tantum in cœlis est ad dextram patris [e], *sed etiam in Sacramento*, & vbique vult à nobis adorari *f*. In Missa * *item minime* negatur, viuos & mortuos habere remissionem peccatorum propter vnicam Christi passionem † *Id eoque* etiamnum quotidie Christus pro ipsis à * *sacerdotibus* offertur: tũ etiam *recte* docetur, Christum corporaliter sub speciebus panis & vini esse, ideoque in illis adorandum esse. Atque ita ipsum Missæ fundamentum nihil aliud est, quam † *iteratio incruenta* vnici illius sacrificij & passionis Iesu Christi *g*, & * *sacrosancta doctrina*.

† Spiritum Sanctum

* autem

† nisi

* sacrificiis

† abnegatio

* execranda idolatria *h*

a Luc. 22. 19. 20. *b* Hebr. 9. 25. 26. 27. 28. *c* 1. Cor. 5. 7. Heb. 10. 14. Ioh. 19. 30. *d* Io. 6. 63. 1. Cor. 12. 13. *e* Col. 3. 1. Act. 3. 21. *f* Act. 7. 56. 57. 58. 59. *g* Galat. 5. 4. *h* Dan. 11. 38. 39. Deut. 27. 15.

d Ioh. 6. 63. *Spiritus est, qui viuificat: caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* 1. Cor. 12. 13. *In vno spiritu omnes nos in vnum Corpus baptizati sumus.*

d RESP. Non prodest sola Christi caro; sed cum Diuinitate vnita, accedente nostro spiritu ac fide; sic viuificat. Sic in spiritu Verbi accedentis ad elementum in ipsa baptizatione fit Sacramentum: Sic in Synaxi, &c.

e Col. 3. 1. *Christus est in dextra Dei sedens.*

e RESP. Sed non *tantum*: nam & in Eucharistia est Sacramentaliter: & alubi præsenter, essenter, potenter.

Act. 3. 21. *Quem oportet cœlum suscipere vsq; in tempora restitutionis omnium.*

g Gal. 5. 4. *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini; à gratia excidistis: Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ exspectamus.*

g RESP. Ergo vt terra volat: Sic, Missa est abnegatio passionis Christi. Propudium hoc consequentiæ Caluinianæ est.

h Dan. 11. 38. 39. *Deus autem Maozim in loco suo venerabitur, & Deum, quem ignorauerunt patres eius, colet auro, & argento, & lapide pretioso. Et* Deut. 27. 15. *Maledictus homo, qui facit sculptile & Conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito.*

h RESP. 1. Hæc blasphemia est in Sacram Domini Cœnam ac Missam. 2. Alubi idin Papæ, vt Antichristi, personam euomunt per calumniam. Vide Bellar. 3 Contradicit eis sua definitio Idololatriæ infra quæst. 95.

QVÆSTIO LXXXI.

Quibus accedendum est ad mensam Domini?

RESP. Tantum ijs, qui *rite confessi* vere dolent, se suis peccatis Deum offendisse [a]; † *sperant* autem, sibi ea propter Christum remissa esse, † *in pœnitentiæ Sacramento: Non tamen* quas reliquas habent infirmitates, eas passione & morte illius obtectas *solum* esse, [b] *sed roboratas*: quique desiderant, *ac opere ipso student*, magis ac magis *viua* in fide [c], & integritate vitæ [d] proficere.

† confidunt †&

Hypocritæ autem, & qui non vere

vere resipiscunt, damnationem sibi edunt & bibunt[e].

a b 1. Cor. 21. 28. 1. Cor. 11. 26. d 1. Cor. 11. 23. e 1. Cor. 11. 29.

QVÆSTIO LXXXII.

Sunt ne illi etiam ad hanc Cœnam admittendi, qui confessione & vitâ se infideles & impios esse declarant?

RESP. Nequaquam[a]. Nam eo pacto † *Sacramentum* Dei profanatur[b], & ira Dei in vniuersum Cœtum concitatur[c]. Quocirca Ecclesia, ex præscripto Christi & Apostolorum[d], hos, clauibus regni cœlorum vtens, *e*, à cœna arcere debet[f], quoad resipuerint & mores mutauerint[g].

† fœdus

a Mat. 7. 6. b Psal. 50. 16. c 1. Cor. 11. 30. d Mat. 18. 15. 16. 17. Tit. 3. 10. 1. Thes. 3. 6. 14. 15. e Mat. 16. 19. f 1. Cor. 5. 1. 11. g 2. Cor. 2. 6.

DOMINICA XXXI.

QVÆSTIO LXXXIII.

Quid sunt Claues regni cœlorum?

RESP. *Minime* Prædicatio Euangelij, *sed Sacramentalis absolutio, &* Ecclesiastica disciplina[a]: quibus cœlum credentibus aperitur, infidelibus autem clauditur[b].

a Mat. 16. 19. Mat. 18. 18. Ioh. 20. 22. 23. 2. Cor. 10. 4. 5. 6. b Ibidem.

a Mat. 16. 19. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Mat. 18. 18. *Quæcunque alligaueritis super terram.* Ioh. 20. 22. 23. *Insufflauit, & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum, quorum &c.* 2. Cor. 10. 4 5. 6. *Arma militiæ nostræ nõ carnalia sunt, sed potentia Deo ad destinationem, in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi: Et in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia* b Idem.

a RESP. Logi! Nil docent hæc propositum, quod Claues eæ sint Prædicatio, Vide Bellarminum.

QVÆSTIO LXXXIV.

Quo pacto clauditur & aperitur regnum cœlorum † Absolutione Sacramentali?

† Prædicatione Euangelii?

RESP. Cum ex mandato Christi, credentibus vniuersis & singulis[a], publicè annunciatur, omnia peccata ipsis diuinitus propter meritum Christi *in Sacramento pœnitentiæ seu Confessionis auricularis* condonari[b], quoties promissionem Euangelij vera fide † *per Confessionem, Absolutionem & Contritionem sibi curant applicari.*

† amplectuntur c.

Contra vero omnibus infidelibus & hypocritis *d* denunciatur, tantisper ipsis iram Dei & æternam condemnationem incumbere *e*, dum in suis sceleribus perseuerant [f] *inexpiati, seu voluntarie non pœnitendo, seu peccatis eorum ab Sacerdote retentis.*

Secundum quod Euangelij testimonium Deus tam in præsenti quã in futura vita iudicaturus est[g].

a Marc.2.3.5, *b* Mat 16.19.Ioh.20.22.23. *c* Ioh.6.37.Ezech.33.11.*d* Ioh.8.24.Act.8.21. 22.*e* Mat.16.19.Ioh.20.22.23.*f* Mat.3.7.8.*g* Rom.2.16.Mat.18.18.

QVÆSTIO LXXXV.

Quo pacto clauditur & aperitur regnum cælorum per Disciplinam Ecclesiasticam?

RESP. Cum ex mandato Christi, ij qui nomine quidem sunt Christiani, verum doctrinâ [a] aut vita [b] se ostendunt à Christo alienos, postquam aliquoties fraterne admoniti [c], ab erroribus aut flagitijs discedere nolunt, Ecclesiæ indicantur, aut ijs qui ab Ecclesia ad eam rem sunt cõstituti [d]: ac si ne horum quidem admonitioni pareant [e], ab iisdem interdictione Sacramentorum ex cœtu Ecclesiæ [f], & ab ipso Deo ex regno Christi excluduntur [g]: ac rursum, si emendationem profiteantur, & re ipsa declarent [h], tanquam Christi & Ecclesiæ membra recipiuntur [i].

a Tit.3.10.2.Iohan.10.11.*b* 1.Cor.5.11.*c* Matt.18.15.16.17.*d* Mat.18.17.*e* Mat. 18.17.*f* 1.Cor.5.11.1.Cor.5.13.*g* Matt.16.19.*h* 1.Cor. 2.6.7.

TERTIA PARS DE GRATITVDINE.

DOMINICA XXXII.

QVÆSTIO LXXXVI.

*Cum ab omnibus peccatis & miserijs, †cum aliquo nostro merito, * maxime Dei misericordiâ, propter Christum liberatissimus, quid est, cur bona opera faciamus?*

† sine vlla
* sola

RESP. Quia postquam nos Christus suo sanguine redemit, renouat nos quoque suo *merito*, *Sacramentis & Spiritu, id est, in Baptismo regenerat* ad imaginem sui [a], vt tantis beneficijs affecti, in omni vita nos erga Deum gratos declaremus [b], & ipse per nos celebretur [c], *ad maius nostrum meritum*. Deinde, vt nos quoq; ex fructibus, de sua quisque fide **certius speremus*. Postremo, vt vitæ nostræ integritate alios Christo lucrifaciamus [c].

* certiores simus

a 1.Cor.1.30.Tit.2.14.*b* Deut.32.6.*c* Mat. 5.16.*d* Iacob.2.18.1.Ioh.2.34.*e* 1.Pet.3.1.1.Pet. 2.12.

Ad hæc responsio patet ex supra dictis.

QVÆSTIO LXXXVII.

Non possunt igitur illi seruari, qui ingrati, & in peccatis secure persistentes, a sua prauitate ad Deum non conuertuntur?

RESP.

RESP. Nullo modo. Nam, vt scriptura testatur, nec impudici, nec idololatræ, nec adulteri, nec fures, nec auari, nec ebriosi, nec conuitiatores, nec raptores, hæreditatem regni Dei consequentur [a].

a 1.Cor.6.9.10.Eph.5.5.1.Ioh.3.15.

DOMINICA XXXIII.

QVÆSTIO LXXXVIII.

Quibus partibus constat Conuersio hominis ad Deum?

RESP. *Remissione peccatorum:* Mortificatione veteris, & viuificatione noui hominis [a].

a Eph.4.22.23.24.Esa.1.16.

De remissione peccatorum actum supra quæst.84.

QVÆSTIO LXXXIX.

Quid est Mortificatio veteris hominis?

RESP. *Non quidem, propriè* verè & ex animo dolere, quod peccatis tuis Deum offenderis [a], eaque magis ac magis odisse & fugere [b]: *Sed passionum ac appetituum in ordinem redactio sub lege Christi.*

a Ioel.2.12.13.2.Cor.7.10.Psal.51.6.Mat. 26.75.b Rom.12.9.Amos5.5.

QVÆSTIO XC.

Quid est Viuificatio noui hominis?

RESP. Vera *peccatorum remissio,* & lætitia in Deo per Christum [a], & serium *operosum* ac promptum studium instituendi vitam ex voluntate Dei omniaque bona opera exercendi [b].

a Psal.51.10.Psal.51.14.b Rom.7.21.22.Rom. 6.13.

QVÆSTIO XCI.

Quæ sunt bona opera?

RESP. Tantum ea, quæ ex vera fide [a], secundum legem Dei & *Ecclesiæ* fiunt, & ad eius solius gloriam referuntur [c]; non ea autem, quæ à nobis *erronea* opinione recti conficta [d], aut ab hominibus tradita sunt [e] *superstitiosè.*

a Hebr.11.6.Heb.11.4.b Leu.18.4.Deu. 12.32.Ezech.20.19.c 1.Cor.10.31.d Deu.12. 8.e Mat.15.9.Esa.29.13.

QVÆSTIO XCII.

Quid est Lex Dei?

RESP. Loquutus est Deus omnia verba hæc.

Exo.20.3.Deut.5.4.

Versio est non proba: distinctio præceptorum est numerata nouatè: sensus, Communi Versioni consonus: Transeat.

Primum præceptum.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Aegypto, domo seruitutis. Non habebis Deos alienos in conspectu meo.

Ne sculpas tibi simulacrum, nec vllam ima-

imaginem effingas eorum, quæ aut supra sunt in cælo, aut infra in terrâ, aut in aquis sub terra: neque incurues te illis, neque colas ea.

Ego enim sum Dominus, Deus tuus, fortis zelotes, vindicans peccata patrum in filijs, idque in tertia & quarta progenie eorum, qui oderunt me; & misericordia vtens in milleſimam eorum, qui diligunt me, & obſeruant præcepta mea.

Tertium. Secundum.

Ne vſurpes nomen Domini Dei tui temerè. Neque enim Dominus dimittet eum impunitum, qui nomen eius vanè vſurpauerit.

Quartum. Tertium.

Memento vt diem Sabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum. At ſeptimo die Sabbatum erit Domino Deo tuo; nec facies vllum opus, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec ſeruus tuus, nec ancilla tua, nec iumentũ tuũ, nec aduena, qui eſt intra portas tuas. Nã ſex diebus fecit Deus cælum, terram, mare, & quæcunque in ijs ſunt, & requieuit die ſeptimo, ideoque benedixit diei Sabbati, & ſanctificauit eum.

Quintum. Quartum.

Honora patrem tuum & matrem tuam, vt diu viuas in terra, quam tibi Dominus Deus tuus daturus eſt.

Sextum. Quintum.

Non occides.

Septimum. Sextum.

Non committes adulterium.

Septimum. Octauum.

Non furaberis.

Octauum. Nonum.

Non dices contra proximum tuum falſum teſtimonium.

Nonum. Decimum.

Non concupiſces domum proximi tui.

Decimum.

† *Non concupiſces vxorem proximi tui, nec ſeruum eius, nec ancillam, nec bouem, nec aſinum, nec quicquam eorum, quæ ſunt proximi tui.* †Nec

QVÆSTIO XCIII.

Quomodo diuiduntur hæc præcepta?

RESP. In duas tabulas [a]; quarum prior * *tribus* præceptis tradit, quo pacto nos erga Deum geramus [b]: poſterior † *ſeptem* præceptis, quæ officia proximo debeamus [c]. *quatuor †ſex

a Deut. 10. 34. Matt. 22. 40. *b* Matt. 22. 37. 38. *c* Mat. 22. 39.

DOMINICA XXXIV.

QVÆSTIO XCIV.

Quid poſtulat Deus in Primo præcepto?

RESP.

RESP. Vt quam mihi cara est salus animæ meæ [a], tam studiosè vitem & fugiam omnem idololatriam [b], magiam [c], incantationem, superstitionem [d], *non tamen* inuocationem Sanctorum † *sed* cæterarum creaturarum [e]: vnicum autem & verum Deum recte agnoscam [f], * *in ipsum solum credam ac sperem*, summa humilitate [h], & patiētia [i] me illi subijciā, ab eo solo *& Deo* omnia bona expectem [k]; denique intimo cordis affectu ipsum amem *l*, reuerear [m], venerer *n*, adeo vt omnibus potius creaturis (*præterquam Sanctis:*) renunciem, quam vt vel minimum contra eius voluntatem committam [o].

† aut.

* ipsi soli fidam g,

a Apoc. 21. 8. *b* Psa. 81. 9. 10. 1. Cor. 6. 9. *c d* Deut. 18. 10. 11. 12. *e* Apoc. 19. 10. Deut. 4. 15. 19. Matth. 4. 10. *f* Ioh. 17. 3. Ier. 9. 24. *g* Ierem. 17. 5. 7. *h* 1. Pet. 5. 5. *i* Heb. 10. 36. *k* Psa. 37. 5. Iac. 1. 17. *l* Deut. 6. 5. Deut. 10. 12. *m* Psa. 34. 10. Eccl. 12. 13. *n* Malach. 1. 6. *o* Mat. 10. 37. Mat. 10. 28. Act. 5. 29.

QVÆSTIO XCV.

Quid est idololatria?

RESP. Est loco vnius Dei [a], aut præter vnum illum & verum Deum, qui se in suo verbo patefecit, aliud quippiam *ceu Deum* fingere aut habere, in quo spem reponas [b].

a Gal. 4. 8. 1. Pet. 4. 3. 1. Thess. 1. 9. *b* Matth. 6. 24. Col. 3. 5. Phil. 3. 19.

DOMINICA XXXV.

QVÆSTIO XCVI.

Quid postulat * *idem præceptum?*

* Secundum.

RESP. Ne Deum vlla imagine aut figura exprimamus [a], *quasi vera ac viua*, neue vlla alia ratione eum colamus, quam qua se in suo verbo *Scripto vel Tradito per Ecclesiam* coli præcepit [b].

a Deut. 4. 23. Rom. 1. 22. 23. *b* Deut. 12. 32.

QVÆSTIO XCVII.

An nullæ ergo prorsus fingendæ sunt imagines aut simulacra?

RESP. Deus † *aliqua* ratione effingi debet [a], * & potest [b]. Creaturas autem etsi exprimere licet [c], † † *non* vetat tamen Deus earum imagines fingi [d] aut haberi [e], quo vel ipsas [f], vel Deum per ipsas, colamus aut honoremus [g].

† nec vlla

* nec

† † quidem

a Deut. 4. 12. 15. 16. 17. 18. *b* Esa. 40. 18. 25. Esa. 46. 5. *c* Exo. 35. 30. 31. *d* Deut. 27. 15. *e* Deu. 7. 5. 2. Reg. 18. 3. 4. *f* Psal. 97. 7. *g* Leuit. 26. 1. Deut. 12. 4.

a Deut. 4. 12. *Vocem verborum eius audistis formam penitus non vidistis.* 11. 15. *Non vidistis aliquam similitudinem: Ne forte errore deceptus, adores ea, &c. b* Esa. 40. 18. *Cui ergo similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei. &c.* 45. *Cui assimilastis me & adæquastis? dicit sanctus.*

a RESP. Quo ad essentiam, effigiari ne-

quit, nec se cuiquam ostendit: Quoad nostrum intelligendi modum, qui phantasmata speculatur, effigiari potest. Atque vt illud est secundum Scripturam; sic hoc nō est contra, quin est iuxta eandem.

b Deu. 27.15. *Maledictus homo, qui fecit sculptile, & conflatile, abominationem Domini. &c.*

d RESP. Eo fine, vt Adoretur, verū est.

e Deut. 7.5. *Aras eorum*, scilicet Idololatrarum, *subuertite & confringite, statuas & sculptilia comburite.* 4. Reg. 18.3.4. *Fecitque quod erat bonum coram Domino: Ipse dissipauit Excelsa, & contriuit statuas, Confregitque serpentem æneum.* *f* Psal. 96.7. *Confundantur omnes qui Adorant sculptilia* *g* Leuit. 26.1. *Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, VT ADORETIS eum.* Deut. 12.3. *Dissipate aras eorum, & Confringite statuas, & idola comminuite &c.* Adorantium ea diuino cultu latriæ.

QVÆSTIO XCVIII.

An autem in templis imagines tolerari non possunt, quæ pro libris sint imperitæ multitudini?

† Minimè

RESP. † *Maxime possunt ac debent tolerari.* Neque enim decet nos *imaginum ritum, vsum, ac cultum, negando,* sapientiores esse Deo, qui suā Ecclesiam * & mutis simulacris *a*, † & viua prædicatione verbi sui vult eruditi *b*.

* non
† sed

a Ier. 10.8.10. Hab. 2.18.19. Zach. 10.2. *b* Lu. 16.29. Ioh. 5.39.2. Tim. 3.16.17.

a Ier. 10.8. *Doctrina vanitatis eorum* Quorum? Idololatrarum, *lignum & argentum, inuolutum opus artificū &c. Dominus autem Deus verus est, ipse Deus viuens.*

RESP. Deus, & Imago Dei, differunt toto genere infinitè: Sic & vtriusque cultus.

Hab. 2.18. *Quid prodest sculptile, quia finxit illud fictor suus conflatile, & imaginem falsam; quia speravit in figmento fictor eius, vt faceret simulacra multa?*

RESP. Vt supra, scil. Vt adoraret.

Zach. 10.2. *Simulacra locuta sunt inutile, & diuini viderunt mendacium. Et somniatores locuti sunt frustra, vanè consolabantur: idcirco affligentur &c.*

RESP. Ita Gentiles: at nos Christiani minime sumus Gentiles.

b Luc. 16.29. *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos;* Ioh. 5.39. *Scrutamini Scripturas: illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* 2. Tim. 3.16. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum.*

b RESP. Oportet ista facere; & imaginum cultum non omittere. Docet Scriptura; docet & pictura seu sculptura suo modo: Hanc vide; illam audi: ex vtraque ædificeris.

DOMINICA XXXVI.

QVÆSTIO XCIX.

Quid sancit Deus † secundo *præcepto?* † Tertio

RESP. Vt non solum execrando *a*, aut peierando *b*, verum etiam temere iurando *c*, nomen Dei contumeliosè aut irreuerenter ne vsurpemus: neue tacendo aut conniuendo, horrendis istis sceleribus communicemus *d*: sed sacrosancto Dei nomine non nisi summa cum religione & veneratione vtamur *e*: vt vera & constanti confessione *f*, inuocatione *g*, omnibus deniq; verbis & actionib. nostris, ipse celebretur *h*.

a Leu.

a Leu. 24.15. *b* Leu.19.12. *c* Leu.5.4. Mat. 5.34.35.36. *d* Leu.5.1. *e* Malach.4.2. *f* Mat.10. 32.33.1. Petr.3.15. *g* Psal.50.15. *h* Col.3.17.2. Cor.10.31.

QVÆSTIO C.

Estne igitur adeo graue peccatum, iurando aut dira imprecando, nomen Dei temerare, vt Deus etiam ijs succenseat qui quantum in se est, illud non prohibent aut impediunt?

RESP. Certe grauissimum *a*, Neque enim vllum est peccatum maius, aut quod Deum grauius offendat, quam sacri ipsius nominis contumelia. Quocirca etiam id scelus morte mulctari voluit *b*.

a Leu.5.1. Prou.29.24. *b* Leu.24.16. Leu. 24.10. &c.

DOMINICA XXXVII.

QVÆSTIO CI.

Potestne quis etiam pie per nomen Dei iurare?

RESP. Potest: cum vel magistratus id exigit *a*, vel alioqui necessitas, hoc pacto fidem firmari & veritatem stabiliri, postulat *b*: quo & gloria DEI illustretur *c*, & aliorum saluti consulatur *d*. Nam eius generis iusiurandum verbo Dei sancitur *e*, ideoque etiam à sanctis in veteri & nouo fœdere recte est vsurpatum *f*.

a Exod. 22.10.11. Esra.10.5. *b* Ios.2.19. *c* Deu.10.20. *d* Ios.2.12. *e* Esa 45.23. Esa.65.16. Hebr.6.16. *f* Gen.21.25.31. Gen.31.54.1. Sam. 24.22.23. Rom.9.1. Ioh.16.23.

QVÆSTIO CII.

Estne licitum iurare per sanctos aut alias creaturas?

RESP. † *Ita.* Nam legitimum iuramentum est inuocatio Dei *a*, qua petitur, vt is tanquam vnicus cordium inspector testimonium det veritati *b*, & iurantem puniat, si sciens fallat *c*. Porro hic honos nulli creaturæ conuenit *d vt Deo: attamen & Sanctis, vt amicis Dei.*

† Non

a b c 1. Corinth.1.23. *d* Matth.4.10.1. Reg. 8.39. Gen.17.1. Deut.32.35.

a Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis, &c. ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Dei virtutem & Dei sapientiam.

a RESP. Vt prædicamus, ita iuramus, mediate scil. vel immediate per Deum, aut Christum, aut per Sanctos respectu Dei.

d Mat. 4.10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi Soli seruies.* 3. Reg. 8.39. *Tu exaudies in cœlo, in loco habitationis tuæ & repropitiaberis.* Gen.17.1. *Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus.* Deut. 32.35. nihil adrombum.

RESP. Hæc constant, saluo cultu Sanctorum: Qui respectu Sanctorum infinitè est inferior Latriâ; respectu Dei, in quem terminatur, est ipsa Latria: respectu simul vtriusque patris, est Dulia.

DOMINICA XXXVIII.

QVÆSTIO CIII.

† Quarto *Quid præcipit Deus in* † Tertiò *præcepto?*

RESP. Primum, vt ministerium Euangelij & * *Ecclesiæ festa* conseruentur [a], vtq; ego cum alijs tum præcipue festis diebus studiosè cœtus diuinos frequentem [b], verbum Dei diligenter audiam [c], vtar Sacramentis [d], precibus publicis meas quoque preces adiungam [e], pro facultatibus aliquid conferam in pauperes [f]. Deinde, vt in omni vita à prauis actionibus vacem [g], Domino concedens, *remotis peccatis*, vt per Spiritum Sanctum in me suum opus faciat [h], atque ita sempiternum illud Sabbatum in hac vita exordiar [i].

* scholæ

a Deut.12.19.1.Cor.9.14.*b* Heb.10.25.*c* Act.20.7.*d* Ps.68.27.Act.1.14.*f* 1.Cor.16.2. *g* Esa.58.3.*h* Exo.31.13.*i* Esa.66.23.Hebr.4.1.10.11.

DOMINICA XXXIX.

QVÆSTIO CIV.

† Quinto *Quid nobis iniungit Deus in* † Quarto *præcepto?*

RESP. Vt parentibus, atque adeo omnibus qui nobis præsunt, debitum honorem [a], amorem [b], & fidem [c] præstemus, nosque ipsorum fidelibus præceptis & castigationibus, ea qua par est obedientia submittamus *d*: tum etiam, vt eorum vitia & mores nostra patientia toleremus [e], illud semper cogitantes, Deum nos illorum manu velle ducere ac regere *f*.

a Malac.1.6.Eph.6.2.3.1.Tim.5.17.1.Pet. 2.18.1.Tim.6.1.Leuit.19.32.*b* Matt.10.37.1. Thes.5.12.*c* Prou.28.24.Tit.2.10.*d* Prou.6. 20.21.22.Eph.6.1.Hebr.13.17.Rom.13.1. Col.3.22.Prou.1.8.Prou.15.5.*e* Gen.9.24. Prou.30.17.Prou.23.22.1.Pet.2.18.*f* Eph.6. 5.1.Pet.2.13.Rom.13.1.

DOMINICA XL.

QVÆSTIO CV.

Quid flagitat Deus in † Quinto *præcepto?* † Sexto

RESP. Vt proximum, neque cogitatione *a*, neque verbis *b*, neque gestibus *c*, nedum factis *d*, vel per me vel per alium *e*, contumelia afficiam *f*, aut oderim *g*, aut lædam *h*; aut occidam *i*: sed omnem vindictæ cupiditatem abiiciam *k*, adhæc, ne me ipsum lædam *l*, aut sciens in aliquod periculum coniiciam *m*. Quocirca etiam, ne cædes fierent, Magistratum gladio armauit *n*.

a Zach.8.16.17.*b* Matth.5.22.Eph.4.31.*c* Gen.4.6.*d* Num.35.16.17.18.*e* 2.Sam.12.9.*f* Ps.15.1.3.*g* Leu.19.17.*h* Leu.24.19.*i* Leu.24. 17.*k* Leuit.19.18.*l* Eph.5.29.*m* Matth.4.7.*n* Gen.9.6.Exo.21.12 Mat.26.52.

QVÆ-

QVÆSTIO CVI.

Atqui hoc præceptum ſolam cædem prohibere videtur?

RESP. At cædem prohibendo docet Deus, ſe radicem & originem cædis *a*, iram *b* ſcilicet, inuidiam *c*, odium *d*, & vindictæ cupiditatem *e* odiſſe, atque ea omnia *quaſi* pro cæde ducere *f*.

a Gen. 37.4.11.18.2. Sam.13.22.28.29. Gen. 34.7.25. *b c d* Gal.5.19. *e* Ro.12.19. *f* 1. Ioh.3.15. Mat.5.22.

QVÆSTIO CVII.

An vero id ſatis eſt, nos neminem eo, quo dictum eſt modo, occidere?

RESP. Non eſt ſatis. Dum enim Deus iram, inuidiam, odium damnat; poſtulat, vt proximum æque ac nos ipſos diligamus *a*, & vt humanitate, lenitate, manſuetudine, patientia, & miſericordia erga eum vtamur *b*, quodque ei damno eſſe poſſit, quantum in nobis eſt, auertamus *c*: ad ſummam, ita animo affecti ſimus, vt ne inimicis quidem benefacere dubitemus *d*.

a Leuit.19.18. *b* Col.3.12.13. Eph.4.1. 2.3. *c* Prou. 24. 11. Eſa. 58.7. *d* Mat.5.44. Rom.12.20.

DOMINICA XLI.

QVÆSTIO CVIII.

Quæ eſt ſententia † *ſexti præcepti?* † ſexti

RESP. Deum omnem turpitudinem execrari *a*: ideoque nos eam penitus odiſſe & deteſtari *ac deuitare* debere *b*; contraque temperanter, modeſtè, & caſtè *c*, ſiue in ſacro coniugio, ſiue in vita cœlibe, viuere oportere *d*.

a Deut.27.20.22.23. Leu.20.10.11. Leu. 19.29. *b* Eph.5.3. *c* 1. Theſ.4.3. *d* 1. Cor.7.9. Hebr.13.4.

QVÆSTIO CIX.

Nihilne amplius prohibet Deus hoc præcepto, quam adulterium, & id genus turpitudines?

RESP. Cum corpus & animus noſter templa ſint Spiritus Sancti, vult Deus, vt vtrumque purè ſanctèque poſſideamus *a*: ideoque facta *b*, geſtus *c*, ſermones *d*, cogitationes *e*, cupiditates fœdas *f*, & quicquid hominem ad iſta allicit, id vniuerſum prohibet *g*.

a 1. Cor.6.18.19.20. *b* Eph.4.17.19. *c* Prou. 5.20. *d* Eph.4.29. Eph.5.3.4. *e* Mat.5. 28. *f* 1. Theſ.4.5. *g* Eph.5.18. Prou.23.1.32.33. Deu. 22.5.

DOMINICA XLII.

QVÆSTIO CX.

Quid vetat Deus in † *septimo præcepto?* † octauo

RESP. Non solum ea furta & rapinas, quas magistratus punit *a*: sed furti nomine comprehendit, quicquid est malarum artium & aucupiorum, quibus aliena captamus, & ad nos vi *b*, aut specie recti *c*, transferre studemus: qualia sunt, iniquum pondus, iniusta vlna, inæqualis mensura *d*, fucosa merx, fallax moneta *e*, vsura *f*, aut alia quæuis ratio aut modus rem faciendi à Deo interdictus *g*. His adde omnem auaritiam, & multiplicem diuinorum donorum profusionem & abusum *i*.

a Leu.19.11.13.1.Cor.6.10.*b* Luc.3.14.*c* 1. Thes.4.6.*d* Leuit.19.35.36.Prou.11.1.Deut. 25.13.14.15.*e* Amos 8.5.6.7.*f* Exo.22.25.Ps. 15.5.Ezech.18.12.13.*g* Ier.22.13.*h* 1.Tim.6. 9.10.Luc.12.15.*i* Iohan. 6.12.Prouerb. 23.20.21.

QVÆSTIO CXI.

Quæ sunt ea, quæ Deus hic iubet?

RESP. Vt commoda & vtilitates proximi, quantum possim, adiuuem & augeam *a*: cum eo sic agam, vt mecum agi cuperem *b*: sedulo & fideliter opus faciam, vt aliorum quoque egestati subuenire queam *c*.

a Deu.22.1.2.3.Phil.2.4.*b* Mat.7.12.*c* Eph. 4.28.Hebr.13.16.

DOMINICA XLIII.

QVÆSTIO CXII.

Quid exigit * octauum *præceptum?* * Nono

RESP. Ne aduersus quempiam dicam falsum testimonium *a*, nullius verba calumnier *b*, nulli obtrectem *c* aut conuitium faciam *d*, neminem temere vel indicta causa condemnem *e*: verum omnis generis mendacia *f*, fraudes *g*, vt opera Diaboli propria *h*, nisi in me grauissimam iram Dei concitare velim, omni cura fugiam *i*: in iudicijs cæterisque negotijs veritatem lecter *k*, & id quod res est, libere *l* & constanter profitear *m*: adhæc famam aliorum & existimationem, quantum queam, defendam *n* & augeam *o*.

a Exo.23.1.Prou.19.5.*b* Prou.4.24.Leu. 19.16.*c* Iac.4.11.*d* Tit.3.12.*e* Io.7.50.51.Lu. 6.7.*f* Leuit.19.11.*g* Rom.3.13.14.*h* Ioh.8. 44.*i* Psalm.5.7.*k* Zach.8.19.*l* Prou.2.17. Eph.4.25.*m* 2.Corinth.1.17.*n* 1.Sam. 19.4.*o* 1.Sam.16.18.

***

DO-

DOMINICA XLIV.

QVÆSTIO CXIII.

Quid prohibet Nonum & *Decimum Præceptum?*

RESP. Ne vel minima cupiditate *a deliberata* aut cogitatione *b*, aduersus vllum Dei præceptum corda nostra vnquam solicitentur: sed vt perpetuò, & ex animo, omne peccatum detestemur *c*, contraque omni iustitia delectemur *d*, & *eam operemur*.

a Rom.7.7. *b* Mat.15.19. *c* Gal.5.24. Psal. 119.104. *d* Rom.7.22. Mat.5.48.

QVÆSTIO CXIV.

Possuntne autem illi, qui ad Deum conuersi sunt, hæc præcepta perfectè seruare?

† Minimè a. Verum

RESP. † *Maxime. Nam* quique etiam sanctissimi, quamdiu viuunt, habent *non* tantum exigua initia huius obedientiæ *b*, *sed quandam quoque perfectionem*; si tamen serio ac non simulato studio, non secundum aliqua tantum, sed secundum omnia Dei præcepta, viuere incipiant *c*.

a Eccl.7.21. Iaco.3.2. 1.Io.1.8. *b* Iob.9.1.2. 3. Psa.19.19. Phil.3.13. *c* Psal.119.60 106.127. 128. Rom.7.2. Phil.3.15.

a Eccl.7.21. *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.*

a RESP. Iustus potest alternis facere bonum, ex gratia; & peccatum ex se: non simul; Et eum, qui cecidit, potest restituere Deus. Et cum hisce stat possibilitas obseruandi præcepta cum Deo: non obstante eo, quod subinde violentur. Vnde sequitur

Iacob.3.2. *In multis enim offendimus omnes.* 1.Ioh.1.8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

b Iob.9.1.2.3. *Vere scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum per mille.*

b RES. Nostri comparatio, respectu Dei nulla est magis, quam finiti ad infinitum. At operum nostrorum, (respectu nostri, & pro mensura gratiæ:) est perfectio secundum quid suscipiens magis & minus, ideo recte sequitur

Psal.18.15. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Phil.3.13. *Ego me non arbitror comprehendisse, ad ea quæ sunt priora extendens meipsum.*

c Psalm. 119. 60. *Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.*

c RESP. Quantum humana fragilitas patitur. Vnde sequitur recte

106. *Iuraui & statui, custodire iudicia iustitiæ tuæ.* 122. *Ideo dilexi mandata tua super aurum, &c. ad omnia mandata tua dirigebar.* Ro. 7.22. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam &c.* Philip. 3. vers.13. *Ego me non arbitror comprehendisse. &c.*

QVÆSTIO CXV.

Cur igitur vult Deus legem suam adeo exactè & seuere prædicari, cum * pauci sint † *in hac vitâ, qui eam seruare* † studeant?

* nemo
† sit
† possit?

RESP.

RESP. Primum, vt in omni vita magis magisq; agnoscamus, quanta sit naturæ nostræ ad peccandum propensio *a*, tantoque auidius remissionem peccatorum & iustitiam in Christo expetamus. *b* Deinde, vt hoc perpetuo agamus, illud semper meditemur *c*, & gratiam Spiritus Sancti à Patre imploremus *d*, quo indies magis ad imaginem Dei renouemur, donec aliquando tandem, postquam ex hac vita decesserimus, propositam nobis perfectionem læti assequamur *e*.

a Rom.3.20.Rom.4.15.Rom.5.13.20.*b* Rom.10.3.4.*c* Deut.31.11.12.13.*d* Psal.19.4.5.33.34.35.36.*e* 1.Cor.13.9.10.1.Ioh.3.2.

DE PRECATIONE.

DOMINICA XLV.

QVÆSTIO CXVI.

Quare Christianis necessaria est Precatio?

RESP. Quia præcipua pars est eius, quam Deus à nobis postulat, gratitudinis *a*. Tum quia illis tantum suam gratiam & Spiritum Sanctum Deus largitur, qui veris gemitibus continenter hæc ab eo petunt, & pro iis ipsi gratias agunt *c*.

a Ps.50.14.15.*b* Deut.4.29.Mat.7.7.Luc.11.13.*c* Ps.50.23.

QVÆSTIO CXVII.

Quæ ad eam precationem requiruntur, quæ Deo placeat, quæque ab ipso exaudiatur?

RESP. Vt à solo vero Deo, *mediatè vel immediatè*, qui se in verbo suo patefecit *a*, omnia quæ à se peti iussit *b*, vero cordis affectu petamus; ex intimo nostræ indigentiæ ac miseriæ sensu *d*, nos in conspectu diuinę maiestatis supplices abiiciamus *e*; huic firmo fundamento *spei* innitamur, nos à Deo, quanquam indignos, propter Christum tamen certo exaudiri *f*; quemadmodum nobis in suo verbo promisit *g*, *quantum saluti nostræ conduxerit*.

a Ps.83.9.Mat.4.10.*b* 1.Ioh.5.14.*c* Threr.3.41.Ps.145.18.*d* Luc.18.13.*e* Esra 9.6.*f* Dan.9.17.18.Eph.3.12.*g* Ioh.14.13.Ioh.15.7.Ioh.16.23.

QVÆSTIO CXVIII.

Quæ sunt ea, quæ à se peti iubet?

RESP. Omnia tum animæ tum corpori necessaria, quæ Dominus noster Iesus Christus eâ precatione, quam nos ipse docuit, complexus est.

QVÆSTIO CXIX.

Quæ est illa Precatio?

RESP.

RESP. *Pater noster, qui es in cælis: Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terrâ: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula, *Amen.*

quinadmodum sic etiam

Pater noster, Vide Matth.6.9.11.12.13. & Luc.11.1.2.3.4.

DOMINICA XLVI.

QVÆSTIO CXX.

Cur præcipit Christus, vt ita Deum compellemus, Pater noster?

RESP. Vt statim in ipso precationis exordio, conuenientem Dei filijs reuerentiam [a] & † *spem in* Deum [b], in nobis excitet, quæ nostræ precationis fundamentum esse debet [c]: nimirum, Deũ propter Christum nobis patrem factum esse, [d], & quæ vera fide ab eo petimus, nobis multo minus negare, quam parentes nostri nobis bona terrena denegant [e].

† fiduciã erga

a Leuit.19.3. *b* Esa.63.15.16.17. Luc.11.11. *c* Iacob 1.6.7.8.9. *d* Ioh.1.12. Eph.1.6. *e* Mat. 7.11. Ps.103.13. Esa.49.15.16.

QVÆSTIO CXXI.

Cur additur, Qui es in cælis?

RESP. Ne de cœlesti maiestate Dei humile quippiam aut terrenum cogitemus [a]: simul etiam, vt ab eius omnipotentia, quæcunque animo & corpori sunt necessaria, expectemus [b] *ac speremus.*

a 1. Reg. 8.27. Act.17.24.25. *b* Ps.115.3.2. Chron.20.6.

DOMINICA XLVII.

QVÆSTIO CXXII.

Quæ est prima petitio?

RESP. *Sanctificetur nomen tuum:* hoc est: Da principio, vt tẽ rectè agnoscamus [a], & lucentem in omnibus operibus tuis omnipotentiam [b], sapientiam [c], bonitatem [d], iustitiam [e], misericordiam [f], & veritatem [g] tuam veneremur, prædicemus & celebremus [h]: deinde vt vniuersam viram nostram, cogitationes, sermones & actiones eo semper dirigamus, ne sanctissimum nomen tuum propter nos contumelia afficiatur [i], sed honore potius & laudibus illustretur [k].

a Eph.1.16.17. *b* Deut.3.24. Rom.1.19.20. *c* Psal.104.24. *d* Psal.136. versibus omnibus. Ps.25.10. Gen.1.31. *e* Dan.9.14. *f* Ps.103.8. *g* Psal.111.7. Ps.36.6. *h* Psal.51.17. Psal.71.8. *i* *k* Psal.31.4.

DOMINICA XLVIII.

QVÆSTIO CXXIII.

Quæ est secunda petitio?

RESP. *Adueniat regnum tuum:* hoc est: Regas nos ita verbo, *Sacramentis*, & spiritu tuo, vt nos tibi magis magisque subiiciamus [a]: conserua & auge Ecclesiam tuam [b]: destrue o-

pera Diaboli [c], omnemque potentiam se aduersus maiestatem tuam efferentem [d]: irrita fac omnia consilia, quæ contra verbum tuum & *Ecclesiam* capiuntur [e], quoad plene tandem ac perfecte regnes [f], cum eris omnia in omnibus [g].

a Psal.143.10.Psal.25.4.5.*b* Psa.118.25.26. Psal.51.20.Psal.122.6.7.*c* Rom.16.20.*d* Psa. 129.5.Psal.5.11.*e* Psal.83.4.5.6.17.Psal.9.21. *f* Apoc.22.17.20.*g* 1.Cor.15.24.25.26.28.

DOMINICA XLIX.
QVÆSTIO CXXIV.

Quæ est tertia petitio?

RESP. *Fiat voluntas tua*, * sicut *in cœlo*, † & *in terra*: hoc est: Da vt nos & omnes homines, voluntati propriæ renunciantes [a], tuæ voluntati, quæ sola est sancta, prompte & sine vllo murmure pareamus [b]: atque ita singuli mandatum nobis munus fideliter & alacriter exequamur [c], quemadmodum faciunt *Sancti* & Angeli in cœlo [d].

** quemadmodum*
† sic etiam

a Psal.141.4.*b* Psal.119.33.34.35.133.Act. 21.14.*c* Psal.103.20.21.

DOMINICA L.
QVÆSTIO CXXV.

Qua est quarta petitio?

RESP. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: hoc est: Suppedita nobis omnia quæ sunt ad hanc vitam necessaria [a]: vt per ea agnoscamus, te vnicum fontem esse, ex quo omnia bona emanant [b]; ac nisi tu benedicas omnem nostram curam & industriam, atque adeo tua ipsius dona, nobis infelicia & noxia esse [c]. Quapropter da, vt fiduciam nostrã ab omnib. creaturis *terrenis* auersã, in te solo collocemus [d] *cum spe firma*.

a Psal.145.15.16.Ps.85.10.11.12.13.Prou. 30.7.8.*b*.Psal.65.3.Actor.14.15.17.*c* Deut. 8.3.Psal.127.1.2.Prou.10.22.Hag.2.16.17. 18.20.*d* Psal.146.3.4.5.6.7.Psal.55.23.Psal. 62.9.11.

DOMINICA LI.
QVÆSTIO CXXVI.

Quæ est quinta petitio?

RESP. *Dimitte nobis debita nostra* [a], *sicut & nos remittimus debitoribus nostris*: hoc est: Nobis miserrimis peccatoribus, omnia peccata nostra, atque eam etiam prauitatem *concupiscentiæ*, quæ in nobis etiamnum hæret *b*, propter Christi sanguinem ne † *in actum perduci sinas*, quemadmodum nos quoque hoc tuæ gratiæ * *donum* in cordibus nostris † *fore speramus*, quodque firmiter nobis propositum habemus, omnibus qui nos offenderunt, ex animo [d] ignoscere [e].

† impiis et
** testimonium*
† sentimus.

a Psal.51.3.4.9.11.Psal.25.7.*b* Luc.11.4.*c* Rom.4.7.8.Matth.26.28.*d* Matth.18.35.*e* Luc.11.4.

DOMINICA LII.
QVÆSTIO CXXVII.

Quæ est sexta petitio & septima?

RESP. Et *ne nos inducas intentationem, sed libera nos à malo*: hoc est: Quoniam ipsi natura adeo debiles & infirmi sumus, vt ne momento quidem subsistere possimus [a]; infensissimi

simi autem hostes nostri, Satan [b], mundus [c]; ac nostra ipsorum caro [d], nos continenter oppugnant: tu nos sustentes [e], & spiritus tui robore firmes, [f] ne in hoc spirituali certamine succũbamus [g], sed tantisper illis fortiter resistamus, donec integram tandem victoriam obtineamus [h].

a Mat. 26.41. *b* 1. Petr. 5. 8. Luc. 12. 31. 32. Ephes. 6. 12. *c* Prou. 1. 10. Ioh. 15. 19. 1. Ioh. 2. 15. 16. *d* Gal. 5. 17. Iacob. 1. 14. *e* 2. Cor. 12. 7. 8. *f* Eph. 3. 14. 16. *g* Eph. 6. 10. 11. 13. *h* Rom. 16. 20. 1. Thess. 3. 13. 1. Thess. 5. 23.

QVÆSTIO CXXVIII.

Quomodo concludis precationem tuam?

RESP. *Non necessario quidem vi Verbi Dei, nec male, ita: Quia tuum est regnũ, & potentia, & gloria in secula.* hoc est: Omnia hæc à te petimus; quia, cum & rex noster, & omnipotẽs sis, omnia nobis & vis [a] & potes [b] largiri: atque hęc quidem ideo petimus, vt ex iis non ad nos, sed ad sanctum nomen tuũ, omnis gloria redeat [c].

a Psal. 5. 3. *b* 2. Chron. 20. 6. 1. Chron. 29. 11. 12. *c* Psal. 115. 1. Esa. 37. 20. Dan. 9. 19.

QVÆSTIO CXXIX.

Quid sibi vult particula Amen?

RESP. Rem certam ac ratã esse [a] *posse.* Nam prẽcatio mea multo (*esse potest*) certi [b] à Deo est exaudita, quã ego in corde meo sentio, me illud ex animo cupere [b].

a Ierem. 28. 6. 2. Cor. 1. 20. *b* Esa. 65. 24. Eph. 3. 20.

NOTA.

I. Autoritates vtrinque Certas reddere omisi: Controuersas reddidi aliquas; Vt absonam Consequentiarum inconuenientiam cernas. Cernes autem, si ex singulis Autoritatibus suum cuiusque textum inferas, cui docendo citantur. Et vero simul cernes. 1. Nubem S. Autoritatum ferre Noctem Falsitatum. 2. Et ostendabundam Scripturarum Citationem, meram esse hæreticam Illusionem.

II. Quæ hîc controuersa indicantur verbo; in meis Luthero-caluinisticis pertractantur ex confesso. Nec Firmamenti, Luciſue parum afferet istis, (quam eodem fine conscripsi;) Historica Demonstratio Continuatæ Fidei Romano-Catholicæ.

***

Gloria sit Patri, Gnato, cum Pneumate Sancto:

Gloria sit MARIAE, Diuis: Sit Gratia Viuis.

FINIS.



F. IOANNIS ANDREÆ COPPENsteinij Mandalensis, ordinis prædicatorum

ad

EPITOME R.ss P. BELLARMINI CARD.

supplementum

CONTINENS FIDEI CATHOLICÆ SVCCESsionem & propagationem Ecclesiæ, per inductionem Hystoricam ad Hoc Nostra Tempora

MOGVNTIÆ

Impensis IOANNIS THEOBALDI SCHÖNVVETTERI.

ANNO M. DC. XXV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SCOPVS AVTORIS.

Hiſtoriam haut Scopvs eſt *Sacram* contexere; Verum
Hiſtoria è Sacrâ deducere Firmamenta
Vnivs Fidei Romanæ Continvatæ,
Dum ter quina poli diſpenſat ſæcula Titan.

Sub calcem

Ex Bellarmino Baronl Chronologiam
Rerum ſacrarum placuit ſub Schemate paruo
Condere; neu cuius forſan Quid vota requirant.

CAVSSA OPERIS.

I. Vt, quæ Fidei Controuerſa docui quaternis Opuſculis ex Theologia; eadem hic deceamus ex Continuata Vniuerſali Hiſtoria.

II. Vt hodierni in Aulis, Curijs, Rebuſſpub. & Cancellarijs Politici, *ſua habeant Spongiam Vanitatis, aut impietatis; Profanis Sacra poſthabentes, aut remiſcentes.*

III. Vt in Vna Eccleſia Romano-catholica Conſeruata maius Dei opus & miraculum, quam in Orbe Condito, conſeruatoque, cernatur.

NON EGO SED

AVTORES rèddit BARONIVS, ac ABRAH BZOVIVS.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO
DOMINO, D.

IOANNI TSERCLAS

COMITI AB TYLLI, BARONI A WARBEIS, DOMINO IN BALASTRE, Montigny & Braitenegg. &c. Sac. Cæsareæ, Hungaricæ, ac Boemicæ Maiestatis. &c. nec non Ser.mi Electoris Bauariæ. &c. Generali Gubernatori exercitus, Consiliario, ac respectiue Cubiculario, &c.

VICTORI GLORIOSO; DOMINO MEO PATRONO;
FOELICITER AGERE.

Honorem, cui Honorem:
ad beatam Felicitatem.

QVÆ elaboro; his & Principes Heroas honoro; *Illustrißime Comes, Heros inuicte*; præstoque Debitum pro Bono Publico; idq; in Heidelberga, Tyllianæ Victoriæ Tropæo. Hic, vbi VICTOR, ipsis Victoriæ Suæ diebus, mihi rite supplicanti Conuentum Prædicatorum Clementissime restituisti. Oportebat me dudum animi, pro tam Heroico Beneficio grati, significationem fecisse testatam; sed dilatam hucusque, non ablatam, scio, probabit Illustrissima Co Va. Adeo Lucubrationum mearum partes alias identidem alius sibi præuendicabat.

Ex quo namque Parochiam Heidelbergensem intraui per Ostium Pastor; primas studiorum meorum Tutelari Patrono

loci S. Petro dedicare debui, in *Heidelbergensi Catechismo* à me *Excaluinizato*; Secundas *in Caluinistico Speculo* ad Ciues Heidelbergenses meosque Compalatinianos directo; deferre debui Rmo Ordinario Wormatiensi Episcopo, Parochiæ meæ Collatori; Tertias lucubrationum mearum *in Nucleo Concionum* Serenissimo Electori Bauariæ, vt meo hic Mecænati ac Nutricio, consecraui, cum fausta Meritissimi Honoris Electoralis Gratulatione. Quartas in meis *Luthero-Caluinisticis Controuersiis*, velut monumentum Honoris ex me debiti, iure Principali reposcebat Serenissimus Archidux Leopoldus: Cuius parere debui Serenitati.

Quintas laborum meorum, secundum hosce *Tantos, Tyllia-na Excellentia*, & vero in me immerentem Sua Specialis Beneficentia, diu tacite postulabat. Enimuero Tua, *Illustrissime Comes*, Illustrior *Pietas*, Sueta Votis superare Cælum, Diuos, Deum; illa tot tantis Victoriis ab Deo, Diuis, hominibusque contestata orbi, ac adprobata *Pietas*, inuictique *Viri Virtus* Heroica; illa supplici mihi Clementissime inclinata, Sacro Prædicatorum Ordini, ereptum diu in Heidelberga Conuentum restituit; Ac datis etiam desuper Literis ad D. Gubernatorem Suum, eandem Pietatis Suæ Restitutionem factam commendauit, ad vlteriorem Protectionem: Quin additis adhæc Patentibus, exusti, heu, Conuentus restaurationem, in quorumcunque Fidelium auxiliarem Pietatem recommendauit.

Quocirca, *quid retribuam Domino* Victorioso Restitutori meo *pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Equidem ab ipsa Restitutionis factæ hora prima dixi: *Calicem Salutaris accipiam, & Nomen Domini inuocabo* pro salute Victorioſi Restitutoris nostri. Quo quid amplius in Ecclesia Dei? in S. Ordine Dominicano?

Nunc demum adiicio Minutum hoc *Historicam continuatæ Fidei Romano-Catholicæ Demonstrationem:* Hancque Illustrissimæ Celsitudinis Væ Auspicio, in signũ gratitudinis meæ, humiliter

Do,

DO, DICO, CONSECROQVE;
Precor, accipe Donum, Victor:
DEVS, accipe Votum;
vt *Tyllianam Pietatem Pius*, pro cuius Ecclesia militat inuicta,
perenniter fortunes, ac fœlicites æternum!
ITA VOVEO!
Heidelbergæ 28. Martii, anno Iubilæo 1625.

Illustrissimæ Cel.nis Væ

Seruus in Christo ac Cliens

F. Ioannes Andreas Coppenstein
Ord. Præd. Theol. ac Parochus Heidelbergæ.

AVTORIS PRÆFATIO METRICA.

LECTOR AVE.

Quæris;

Quid? Cur? Qui? Qualia præstem?

I. Quid?

Annorum à CHRISTO *per Sæcula singula ductam*
Historiâ sub teste FIDEM *dare stat* ROMANAM.
Ac tibi DEMONSTRARE, VNAM *subsistere Veram,*
Hæresium vanas tot Sectas inter obortas.

II. Cur?

Hoc Opus: At iustam conaminis accipe Causam.
I. Nostro ANTI-*in* CHRISTO *Sectas* Sacra Pagina Verbi
Scripti *convincit: 2. Rursum, in* LVTHERO-CALVINISTA;
Traditio *damnat: 3.* GENE-*mox* ALOGIA *nepotum*
Nostratum; à priscis repetita retro Hæresiarchis;
Abstentos Cœtus Maledicti Fulmine *stringit:*
4. ANTI-*que* PAPISTES MENDAX proprio *arguit* ore.
Scilicet istud erat super unum; Vincere Sectas,
Atque Docere Fidem Factis, *per Sæcula retro*
Singula testatis. 1. GENE-*quos* ALOGIA *calauit*
Hæreticos *breuiter; potes hic cognoscere plenè.*
2. *Gestaq;* Paparum; 3. Decretaque Conciliorum;
4. *Consensumque* Patrum *stabilem, Fideiq;* Petrinæ:
5. *Et* Varia Historiæ, *cui fert Ecclesia nomen.*

III. Quomodo?

Porrò disce MODVM; *quæque hunc comitantur, habeto;*
I. Est BREVITAS; *II. sed* CLARA; *mihi curtissima curæ.*
III. Historiæ AVTORES *quæris?* BARONIVS *unus*
Exhibet, ecce tibi, cunctos; & BZOVIVS *alter.*
IV. Scriptorum, *atque* Patrum *mitto sacra* Scripta *citare:*
Isthoc sat fecisse alios; Ego dicere QVI *sint.*
V. Tu ne quære STYLVM, *dum* RES *densatà refertur:*
Nil ambit cultura; nihil quoq; dextera sordet;
Scriptorem *sed agit* Sacrum *moderamine casto;*
Se Rebus vere gestis comitque, colitque.
VI. Plurima præteriit; sed paucis plurima reddit,
Et potiora. VII. Nihil pugno Ratione vel vllo
Discursu; annatim REM *tantum narro patratam.*
Tu tecum Discurre; licet: Ego pandere Gesta;
VIII. Et Rem narratam CONCLVSIO *stringere talis;*

ERGO

ERGO

Dic age: Num sincera FIDES hoc constitit æuo?
At SIC PAPISTIS RES stat ROMANA, FIDESque.
Non SIC REM seruat Luthero-caluinista, FIDEMque.
IVRE SVO PROPRIO Papa atque Ecclesia gaudet:
Quis Quid Ei AVGVSTVS Proprio de Iure remisit?
ANTI ne CHRISTVS erat quisquam hoc ROMANVS in æuo?
Quod ego sic repeto, dum singula sæcula claudo;
Tu repetens infer post singula FACTA *relata:*
ROMANAMque FIDEM *cernes testarier* ACTA:
Hæresium & technas Isdem damnarier ACTIS.
IX. In VARIIS, *mihi crede, meis mirabere* FACTA.
FACTA *docent, testante Deo, quæ* ECCLESIA VERA *est.*
Vere gesta refert mea ter CENTVRIA *quina,*
In maiusue, minusue nihil tibi finxerit vsquam:
Magdenburgensis *veluti* Centuria FINXIT.
Pol! Quot FACTA *fero, mihi tam victoria multa*
Parta venit; Scripsi; Vici: Victoria CHRISTI *est;*
Continuæ est Fidei Romanæ. Gloria CHRISTO!
Ecce MODVM *scripti; Nunc accipe* QVALIA *pandam.*
I. Aspice, quot Papas *Sanctos* Miracla *celebrant:* IV. Qualia?
Pauca ego de Papis: VARIIS *ea namque reseruo.*
Quorundam, fateor, cur cælem PROBRA *pudenda?*
II. Aspice; PONTIFICVM DECRETA *Salubria signo:*
Consigno Scriptas, Non scriptas TRADITIONES.
Non PATER *est Papæ, non Papæ est dissonus vlli*
Papa; nisi dirum forte quem Schisma notasset.
III. *Aspice; Quodque Aeuum quot ferbuit* HÆRESIARCHIS?
Insignes tantum memoro; transmitto minutos.
IV. *Aspice, quot, quantos* SANCTOS *quodque extulit æuum.*
Quos tamen haud omnes celebro; vix censeo paucos.
V. *Paucula in exemplum cito* Dogmata Relligionis
Quoquo æuo; nostro quæ disputat HÆRESIS *æuo.*
VI. SCRIPTORESque, PATRESque *Sacros quot protulit ætas*
Quæque tibi? VII. *Aetatum constans* CONCORDIA *quanta?*
VIII. CONTINVATA FIDES, *Romanæ Gloria Gentis,*
Quam Vario, & certo munimine substitit VNA?
IX. CONCILIVMne *putas Alij, aut Sibi, dicere contra?*
Æuum sic æuo; sic Orbi consonat Orbis;
Romaque sic Orbi: Ceu Romæ subditur Orbis.

Non

Non eſt Orba Fides Romana; ſed Orbi ea perſtat!
X. IMPERII *ſe multa tulit* Mutatio? *Multa*
Regnorum, *ac* Legum *metamorphoſis*, *&* Politiæ?
NVLLA PETRI PETRÆ. Romana Eccleſia ſemper
Statque, Stetit, Stabitque DEO; dum Eccleſia Stabit
VNA DEO, Summo Romæ ſub Præſule PAPA.
In minus, IMPERIVM; in maiuſque Eccleſia, creuit.
Numquid adhuc quæris, Quid? Cur? Qui? Qualia præſtem.
Hæc cape; VIVE; FAVE: *Mihi rite* PRECARE. VALETO.

SÆCVLA
Nominibus quæque ſuis
TITVLO.

Si minus attingit TITVLVS totum vndique VERVM;
Attamen adludens haud procul error abit.

SÆCVLVM

I. Ethnicum: ſed vero. Chriſtianum.
II. Ethnico-Chriſtianiſmum.
III. Chriſtiano-hæreticum.
IV. Chriſtianum.
V. Chriſtiano-arianum.
VI. Italo-gothicum; & Sectarium.
VII. Monothelicum & Longobardicum.
VIII. Iconoclaſticum, & Saracenicum.
IX. Sceptico-germanicum.
X. Antipapiſticum, ſeu Romano-ſchiſmaticum.
XI. Ferreum, ſeu Politico-ſchiſmaticum.
XII. Monaſticum & Cruceſignatum.
XIII. Turcicum.

CENSVRAM

Cuiuſquam nec requiſiui; nec requirendam duxi: Adeo ſupra omnem & Cenſuram, & Exceptionem *Baroniana* ſunt omnia & *Bzouiana*.

At
Talia reddo Mea.

COP-

COPPENSTEINII

HISTORICA DEMONSTRATIO CONTINVATÆ FIDEI ROMANO-CATHOLICÆ

Per Inductionem, Succesſionemque Sæculorum à CHRISTO quindenorum:

EX

ANNALIBVS ECCLESIASTICIS CÆSARIS BARONII ET BZOVII STRICTIM ELVCVBRATA.

Acceptæ Religionis Diuinæ Traditio non ſcripta ab Orbe Condito.

DEI VNIVS VERI cultùm ac Religionem accepit Adam *anno Orbis Conditi* 1.

I. Quam vbi ritè TRADITAM per Seth, Enos, Cainam, Malaleel, Iaret, Enoch, Mathuſalam, & Lamech, ſanctè cuſtodiſſet; diem vixit vltimum *anno* 930. ante diluuium annis

726. quod *in annum Or. C.* 1656, incidit, tenuitque totum.

II. NOE natus *anno Or. Con.* 1056. acceptam Religionem porro TRADIDIT, ac proferebat per Sem, Arphaxad, Cainam, Sale, Heber, Phalech, Reu, Sarug, Nahhor, Thare, & Abraham: vixitque annos ipsos 950. mortuus *anno Or. Cond.* 2006.

III. ABRAHAM natus *anno Or. Con.* 1978. vixit annos 175. acceptamque TRADIDIT Religionem eandem per Isaac, & Iacob, diemque clausit *anno Or. Con.* 2153.

IV. IACOB natus *anno Or. Cond.* 2138. ipsam Liberis XII. Patriarchis commendans, annis vixit 147. A quibus DEI Cultus idem ad vsque MOSEN descendit, natum *anno Or. Con.* 2403.

V. MOSES *anno Or. Cond.* 2483. ætatis suæ anno 80. Dux Israelis ex Ægypto LEGEM accepit in deserto, Summusq; simul & Princeps in politicis, & PONTIFEX in Sacris; constituto in His Vicario suo & Successore AARONE; in illis IOSVE suffecto sibi; finem viuendi fecit anno circumductionis in deserto quadragesimo.

Tenuit autem exinde ceu Summorum Pontificum, sic & Vnius veræ Fidelium Ecclesiæ continuata successio vsque ad IESVM CHRISTVM.

VI. Pontificum vero Iudæorum erat successio talis:

Hæc à Mose aduſque Machabæos fuit talis.

1. Aron.
2. Eleazar.
3. Phinees.
4. Heli.
5. Achitoph.
6. Abiathar.
7. Sadoch.
8. Æhimas.
9. Azarias.
10. Azarias II. tempore Oziæ.
11. Vrias.
12. Sobna tempore Ezechiæ.
13. Eliachim, tempore Manassæ.
14. Helcias, tempore Iosiæ.
15. Sarea, occisus à Nabuchodonosor.
16. Iosedech, in captiuitate.
17. Iesus, eius filius.
18. Ioacim.
19. Eliasib.
20. Ioadas.
21. Ioannes.
22. Iaddus.
23. Onias.
24. Simeon.
25. Eleazar II.
26. Manasses.
27. Onias II.
28. Simeon II.
29. Onias III.
30. Aleimus.
31. Iudas Machabæus.

Atque hi Religionis vnius veræ Custodes, Præsidesque fuerunt, Summi Pontifices in Sacris, ab *anno Or. Cond.* 2520. vsque ad *annum Or. Con.* 3823. quo Iuda primus erat: & tenuerunt Sacra quà præscripta, quà Tradita, sub Ducibus, quindenis, ab Iosue ad Iudam, per annos 1300.

VII.

VII. Continuata porrò Successio est ab Iudæ anno 1. qui fuit *Orb. Con.* 3823. sub Ducibus quatuor vsque ad Aristobulum, per annos 58.

Itemque sub Regibus nouem per annos 373. processit ad vsque Caipham; sub quo mortuus resurrexit Christus, *anno Or. Cond.* 4016.

Aristobulus autem *anno O. Con.* 3882. primus post Regem Sedechiam diadema sibi regium imposuit, teste *Ioseph. li. 15. antiq. c. 18.* defecitque Sceptrum Iudæ cum Agrippa iuniore *anno Orb. Con.* 4055. Christi nati *anno* 72. sub Vespasiano Christiana interim Religione latè orbem peragrante.

VIII. *Sceptro* autem & *Pontificio* legitimis Iudæorum deficientibus, Religionis facies fœda ab Sectis fuit, variæque dissecta.

I. PHARISÆI, non multo ante aduentum Christi nati, Samai & Hillel autoribus; ait *Hier. in Is.* 8. Et orti ex his SCRIBÆ Scripturam interpretantes, dogmatizabant *priuatas Traditiones, legis negligentes: Fato tribuebant omnia: Animarum iudicia subterra fieri: Esse Transanimationem Pythagoricam; sed bonorum duntaxat hominum: malorum animas æternum cruciari: Astronomiæ cultum esse sacrum.*
Scripturas vitiosè interpretabantur: Hypocrisi & specie Sanctitatis nundinabantur.

II. SADDVCÆI, à Sadoch orti, negabant esse resurrectionem, angelum, Spiritumque vllum Animas cum corporibus extingui aiebant: Inter sese feris moribus discrepabant; erga exteros inhumani.

III. ESSENI inter se dissecti Samaritæ erant; (de quibus infra *anno* 574.) cũ Iudæis nec Templum, nec Sacrificia, nec Ceremonias communes habebãt; Solum Pentateuchum agnoscebant: resurrectionem & Sp. S. negabant.

IV. SEBVSÆI & CORTHENI varia festiuitatum celebratione dissidebant.

V. DOSITHÆI ab animatis abstinebant: superstitiosè Sabbatizabant sic, vt quo quem loco sit, ibique Sabbatum oppressisset, eodem immotus staret: Monogamiam, & multi Virginitatem colebant.

VI. HEMEROBAPTISTÆ, ex Pharisæis & Saducæis conflati, rebantur viuere hominem non posse, nisi quotidie mergeretur aquis.

VII. NAZARÆI Pentateuchum nõ recipiebant, ab animatis abstinebant vt immundis.

VIII. OSSENI & HERODIANI Herodem esse Messiam iactabant, eo quod is defectum Iudæ Sceptrum excepisset.

IX. Has inter sectas Iudæorum, vt rara, suspirabat tamen vera iustorum Religio; vt Simeonis, Annæ, Zachariæ, Elisabethæ, Iosephi, Mariæ, &c.

IESV CHRISTI NATI

SÆCVLVM PRIMVM IVDÆO-ETHNICVM.

I. IESV CHRISTI *Signa Venturi* complura memorant S. Biblia, genti facta Iudæorum: at Gentibus data, produnt Historiæ. Vt, *Vaticinia* de nascituro Seruatore cecinere Sibyllæ; quarum carmina Romani solicite conquisierunt, & religiose obseruata custodierunt: eorum curâ soli Summo Sacrorum Pontifici demandatâ: libros, ex plus bis millenis fatidicis græcis latinisque oblatis, Sibyllinos sub Palatini Apollinis basi includit Augustus:

2. *Statuas* Capitolinas fulmen strauit.

3. *Literæ* Legum in columnis sunt obliteratæ.

4. Trans Tiberim *fons oleo* fluxit diem solidum:

5. *Tres soles* visi:

6. Sol *tres* intra *circulos* stetit; quorum vnus spicas ignitas cuibrabat:

7. Augustus visa Virgine in aere cũ infante, in Capitolio erexit *Aram Primogeniti DEI*: Vbi post Constantinum Deiparæ collocauit Ædem dictam *Aram cœli*:

8. *Delphicum* obmutuit, pluraque eiusmodi cula.

II. IESVM CHRISTVM verum Deum ac Hominem, præter cœlestia, terrestria, & infera, suapte vox, doctrina, & opera sunt testata: pariterque eam, quam fundauit, Vnicam Ecclesiam. Ecclesiæ porro eiusdem & Veritatem, & continuatam perseuerantiam docuit, docet docebitque porro Continuatio Pontificum Romanorum: S. Patrum & Scriptorum: Multiplicatio Hæresium, & S. Conciliorum, Sanctorum, Miraculorum, &c.

PON-

PONTIFICVM ROMANORVM A CHRISTO Cœpta, Continuataque Successio.

IESVS CHRISTVS Homo DEVS Summus Sacerdos secundum ordinẽ Melchisedech in æternum & PONTIFEX TER OPTIMVS MAXIMVS; & per excellentiam solus. Porro cæteri fuerunt, sunt, eruntque ipsius vnius Vicarij & suimet ipsorum, non CHRISTI Successores.

Atque istorum & Officij autoritate; & Iurisdictionis potestate fuit PRIMVS PETRVS Apostolus, super quem, non qua personam particularem, sed Caput ac Pastorem, fundauit Ecclesiam Christus. Quo in Cœlum digresso, Petrus Monarcha Primatum ac Papatum ingressus est *anno Christi nati* 34. Claruit rebus multis & Ecclesiasticè & Miraculosè gestis, & eximia vitæ sanctitate. *Sedit Romæ annos* 24. *Men.* 5. *dies* 11. Eius vitæ periodum reddidimus in *Luthero cal. p.* 2. *q.*

2. S. LINVS *anno* 51. Claudio Christianos proscribente, Petroque Ierosolymam confuga, absentis agit Vicarium Romæ donec *anno* 68. rediret Petrus cum Paulo Romam ad opitulandum afflictis ab persecutore Nerone. At *Anno* 69. Petro sufficitur in Sede Apostolica: Interficitur martyrio *anno* 80. expletis in Pontificatu *an.* 11. *M.* 2. *D.* 23.

3. S. CLETVS succedit; decedit martyrio *anno* 93. Sedit *A.* 12. *M.* 7. *D.* 2.

4. S. CLEMENS creatur *anno* 93. De quo in sæculo secundo.

CONCILIA APOSTOLICA SÆCVLI PRIMI.

CHRISTVS IESVS omnium quæ in cœlis ac in terris sunt, Pontificumque suorum summorum Romæ; Pontifex Summus, & ter Opt. Maximus, quandam Christianis Concilijs quasi formam præbuit *Mat.* 16. admonens congregatos Apostolos primum vt à fermento cauerent Pharisæorum ac Saducæorum: Dein grauissimam omnium quæstionum quæstionem proponit definiendam: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Et, *Quem vos me esse dicitis?* Definitque Petrus, vt Papa futurus, infallibiliter; infallibilemque recepit & promissionem: *anno Christi nati* 33. Exinde Domino in cœlos hinc egresso successerunt ordine.

HIEROSOLYMITANA CONCILIA quatuor.

I. *Anno* 34. Apostolis in cœnaculo Ioannis Marci congregatis, angebatur Petrus de Apostolorum numero complendo, sibi non tantum Gregem, sed & Pastores gregis esse commissos putans, causam Electionis Matthiæ in locum Proditoris proponit peractæ in forma scrutinij, & præmissa oratione *dederunt sortes; & cecidit sors super Matthiam.*

II. Concilium in causa electionis Diaconorum VII. Cardinalium, *Act.* 6. Quo eodem tempore Petrus Apostolorum Princeps Iacobum Alphæi, seu Minorem consecrauit Ierosolymorum Episcopum, præsentibus Ioanne & Iacobo Zebedæi: Vnde mos inoleuit, vt non minus, quam à tribus, consecraretur Episcopus. Idque *anno* 34.

III. Concilium in causa Symboli Apostolorum componendi, *anno* 44. an tequam dispergerentur in orbem, vt Vnam haberent formam prædicationis; & suam quisque tesseram Apostolus.

IV. Concilium item *Anno* 51. in causa Legalium abrogandorum, *Act.* 19. Vbi Paulus & Barnabas sententiam Concilij perscripserunt.

Item Petrus de Vocatione Gentium disseruit: conscriptaque definitio ad cæteras est, missaque Ecclesias per Paulum & Barnabam.

Vnde mos obtinuit mittendi Legatos ad Concilium, vel ex eodem ad Papam.

CANONES APOSTOLORVM.

S. Clemens Papa *collegit* 50. *Canones vt Leoni PP. placuit: vt Zephyrino*, 60. *vt Synodo sextæ* 82. *Atque eas fidei regulas seu Constitutiones esse factas Antiochiæ testantur S. Patres: queis & post Apocalypsim locum dedere primum. Eorum hæc summa est.*

1. *Episcopus à duobus aut tribus Episcopis ordinetur.*

2. *Ab vno Diaconus & cæteri Clerici.*

3. *Nihil præter Ordinationem Domini, in Sacrificio offeratur.*

4. *Cum S. Oblatio celebratur offerri licet ad luminaria & thymiamata.*

5. *Primitiæ omnium Episcopo, & Presbyteris domum mittantur; non super altare, qui eas inter Clericos diuidant.*

6. *Vxorem propriam non abijciat: sc. quasi soluto matrimony vinculo: Secedant tamen ab eis, vt Synodus VI. Generalis habet Can.* 12.

7. *Curas sæculares non assumant.*

8. *Pascha ante Vernale æquinoctium non celebretur cum Iudæis.*

9. *Omnes de Clero in Missis communicent.*

10. *Fideles non exeant Ecclesia, nisi communicarint.*

11. *Cum excommunicato loquens, sit excommunicatus.*

12. *Item cum eo orans.*

13. *Excommunicatus non suscipiatur in alia ecclesia sine Commendatitijs.*

14. *Episcopo liceat de vna ad aliam transire ecclesia ob maiorem profectum animarum.*

15. *Presbyteris non liceat propriam relinquere eccles m.*

16. *Qui eos susceperit, excommunicetur.*

17. *Bigamo non liceat Gradum ecclesiasticum suscipere.*

18. *Viduam ducenti item non liceat.*

19. *Ducens viduam fratris aut filiam fratris Clericus nequeat.*

20. *Clericus fideiussionibus inseruiens abjiciatur.*

21. *Eunuchus per insidias, aut persecutorem, aut naturam factus, fieri Episcopus possit.*

22. *Seipsum abscindens, Clericus non fiat.*

23. Cle-

23. Clericus se eunuchizans abijciatur.
24. Laicus se castrans triennio excommunicetur.
25. Episcopus fornicator deponatur.
26. Itemque Clericus.
27. Soli Cantores & Lectores nubere possint.
28. Episcopus aut Presbyter peccantes fideles non verbercnt.
29. Gradu clericali depositus si exerceat ministerium Ordinis, excommunicetur.
30. Ordinatus simoniacè dejciatur; ordinans excommunicetur.
31. Per sæculares intrans in Ecclesiasticam dignitatem deponatur.
32. Presbyter, seorsum conuentus agens, deponatur.
33. Ab abstento abstineant omnes, nec recipiatur, nisi mortuo excommunicante.
34. Nec Episcopus sine Commendatitiis in aliena Ecclesia recipiatur.
35. Plurium Episcoporum sit vnus Metropolitanus, cui omnes pareant.
36. Episcopo non liceat aliena in prouincia Ordinare.
37. Proprium non recipiens Episcopum, excommunicetur.
38. Bis quoquo anno Concilia celebrentur.
39. Episcopo non liceat ex bonis ecclesiæ aliquid condonare parentibus.
40. Episcopi bona sint à bonis Ecclesiæ diuisa.
41. Temporalium æque ac spiritalium cura ad Episcopum pertineat.
42. Ebriosus in Clero excommunicetur.
43. Item Lector aut Cantor.
44. Item Vsurarius in Clero.
45. Item orans cum hæreticis.
46. Item baptismum ab hæreticis sumens.
47. Baptizatum rebaptizans deponatur.
48. Dimittens vxorem, ducensque aliam, excommunicetur.
49. In baptismo trina fiat mersio.
50. Abstinens carnibus, non ob aliud bonum, excommunicetur.
51. Presbyter non recipiens pœnitentem deponatur.
52. In Festis abstinens carnibus ob abominationem, deponatur.
53. Clericus, in caupona cibum sumens deponatur.
54. Item Episcopum calumnians Clericus.
55. Calumniator Clerici excommunicetur.
56. Exprobrans alteri defectum corporis inculpabilem, excommunicetur.
57. Episcopus aut Presbyter negligens in erudiendo Clero, segregetur: se non corrigens, deponatur.
58. In necessitate ijdem Clericos alant.
59. Prauos libros bono sub titulo extrudens deponatur.
60. Accusatio delicti contra fidem non recipiatur in Clero.
61. Negans Christum ex metu, ejciatur.
62. Comedens de suffocato, iudicetur.
63. Cum hæreticis orans deponatur.
64. Clericus percussor deponatur: Laicus, excommunicetur.
65. Item qui in Sabbato aut Dominico ieiunarit.
66. Violator virginis eam ducat.
67. Bis ordinati deponantur.
68. Clericus, non obseruans Quadragesimam, deponatur.
69. Cum Iudæis ieiunare non liceat.
70. Ethnicis aut Iudæis dans luminaria, excommunicetur.

71. Sur-

71. *Surripiens oleum aut ceram ex templo excommunicetur.*

72. *Item Vasa sacra in vsum profanum sumens.*

73. *Contra Episcopum procedatur eum vocando; vocatus tertio non comparens, damnetur.*

74. *Delatio contra Episcopum non accipiatur à Iudæo; nec ab vno solo.*

75. *Episcopus non conferat consanguineis bona Ecclesiæ.*

76. *Monoculus, aut claudus, si dignus sit, fieri Episcopus possit.*

77. *At non fiat mutus, surdus, cæcus, corpore læsus.*

78. *Dæmoniacus nec fiat Clericus, nec oret cum Christianis.*

79. *Neophytus non fiat Episcopus.*

80. *Episcopus se negotijs secularibus non implicet.*

81. *Seruus non fiat Clericus, nisi manumissus.*

82. *Episcopus militiæ vacans deponatur.*

83. *Conuitians Imperatorem aut Magistratum Clericus deponatur, Laicus excommunicetur.*

84. *Libri qui sint Canonici.*

In sequentibus Concilijs dictorum Canonum quorundam fieri contigit seu declarationes, seu in accedente mutationes pro variatione temporum, locorum. &c.

IMPE

IMPERATORVM ACTA IN SÆCVLO I.

	Anno Christi nati
1. OCTAVIANVS AVGVSTVS promulgat edictum capitationis per orbem.	1
Virginitatis studium propagat decretis ac præmijs.	10
2. CLA. TIBERIVS proscribit Magos.	17
Sibyllinos genuinos seligit à spurijs.	19
Iudæos Vrbe submouet.	19
Christum inter Deos referri studens à Senatu impeditur.	34
Moritur.	37
3. CA. CALIGVLA Herodem cum Herodiade perpetuo multat exilio.	40
Statuis erectis vult Deus coli.	41
A coniuratis cum Augusta trucidatur.	43
4. CL. TIB. DRVSVS Caij Colossos demolitur, & Idololatriam Romæ edictis abrogat.	45
Necatur veneno à coniuge.	57
5. NERO Reuocat in Vrbe Iudæos & Christianos.	57
Agrippinam matrem interfici curat.	61
Romam incendit, oriturque persecutionem in Christianos.	64
Senecam præceptorem occidit.	67
Magiæ conquirit magistros.	68
Petrum & Paulum martyrizat.	69
Deficientibus ab eo Ducibus seipsum gladio interfecit.	70
6. GALBA. 7. OTTO. 8. VITELLIVS imperant vnus ex alio, anno vnico.	70
9. VESPASIANVS Iudæam exscindit.	69
Contra Vitellium cogitur ad Imperium.	71
Falsa ei miracula tribuuntur, & cum Tito victam Iudæam triumphat.	73
Omnes è stirpe Dauid quærit ad necem.	73
Templo pacis condito moritur.	81
10. TITVS VESPASIANVS parcit Christianis in obsidione Ierosol.	72
Veneno tollitur à fratre Domitiano.	83
11. DOMITIANVS libidinosissimus libidinem edictis coercet, & tyrannizat: Vestales lapsas defodi viuas iubet.	84
Deus appellari affectat.	84
Persecutionem II. mouet in Christianos, & S. Ioannem Euang. relegat.	92
Reliquias stirpis Dauid seruat.	94
Ob tyrannidem necatur: eius memoriâ ex tabulis omnibus erasâ.	98
12. COCCIVS NERVA exulsit quod Tyanæus eum fore Imperatorem prædixit.	84
Imperator Christianos & Iudæos exules reuocat.	99
Adoptato Traiano moritur.	100

SCRIPTORES infidelium floruerunt hoc æuo: Liuius, Ouidius, Plutarchus, Lucanus, Probus, Iuuenalis, Quintilianus, Philo Iudæus, Iosephus.

SS. PATRVM ET SCRIPTORVM CONCORDIA sub Papis Sæculi II.

S. MATTHÆVS è telonio vocatus ad Discipulatum, *anno* 31. eligitur ad Apostolatum *an.* 32. Cerintho autem contra S. Petrum murmur excitante, quod Gentibus euangelizasset, viso Linteo iussus; & Apostolorum instante dispersione, hi *an.* 41. Matthæo negotium dederunt, vt Euangelium conscriberet. Quod S. Bartholomæus descriptum contulit secum ad Indos: S. Barnabas vero circumtulit idem, ac demum secum in sepulchrum iussit inferri.

S. MARCVS, vnus euntium retro ab Domino, *Ioan.* 6. per S. Petrum reductus, ei comes fuit eunti Romam, *anno* 44. Hîc postquam Romanam instituisset Ecclesiam, sic, vt qui Catholicus, idē & Romanus diceretur; inque renunciata Antiochena sibi S. Euodium surrogasset: Marcum misit Alexandriam; iussum prius, quod ab se prædicatum audisset Euangelium, compendio literis mandare: græcaque scriptum confirmauit.

S. LVCAS, *anno* 51. comes adhæret Paulo ferenti nomen IESV coram Gentibus. Id temporis quòd Romæ Iudæi tumultum in Christianos cieret, Claudio vtrosque ex Vrbe pellente; Petrus, cognita per reuelationem contentione Antiochenâ, contra Paulum eam concitante Cerintho; quod necessaria ad salutem esset Circumcisio; Ierosolymis pergens, Concilium de legalibus celebrat, cum Paulo, Ioanne, Iacobo, Barnaba, Senioribus & presbyteris. Vbi Iudaizantibus damnatis, Paulus censuit reprehensibilem Petrum; non quod erraret in vllam fidei regulam committendo; ceu Marcionitæ, Valentiniani, Porphyriusque calumniabantur: nec quod simulate egisset; gentilizare namque licebat Petro; Sed propter consequens illud, quod Petro, (qui Antiochiæ libere cum gentibus Christianis conuiuerat) iam tum Ierosolymis quasi iudaizans, in cibo, gentes Christianas ad iudaizandum mouisse videretur.

Haud longe post Lucas Pauli iussu, ob Genealogistas, in Achaia conscribit Euangelium, *anno* 58. Acta Apostolorum finiuit *an.* 61. vitam duxit cœlibem annis 84. Medicus & pictor egregius Christi & Sanctissimæ Matris eius, Petri ac Pauli imagines ad viuum expressas reliquit. Ex suspenso ad oliuâ in Achaia oleum medicinale manauit. Eius S. reliquias ex Achaia transtulit Constantinopolim Constantinus Imp. *anno* 358. Claras miraculis.

S. IOANNES Virgo ad Apostolatum vocatur *anno* 31. Baptizat cum Petro discipulos Christi; eligiturque cum cæteris *anno* 32. Cum Petro mittitur ad confirmandos Samaritanos *an.* 35. Cum B. Virgine, in Apostolorum diuisione, rendit

tendit in Asiam minorem *anno* 44. In oleo bulliente illæsus Romæ, ab Domitiano in Pathmum relegatus prædicauit *anno* 92. & Apocalypsim scripsit ibidem *anno* 94. Demum ab Nerua exilio absolutus redit Ephesum *anno* 99. Scribitque contra hæreticos Euangelium & Epistolas, inclytus miraculis.

S. Paulus, vita, miraculis, scriptisque Epistolis vir omnino diuinus ecclesias fundauit, & orbem illustrauit.

S. Petrus, Iacobus, Iudas Ecclesiam quoque Epistolis informarunt.

S. Dionysius *anno* 52. à S. Paulo conuersus, à Clemente Papa, cum Rustico & Eleutherio in Galliam missus scripsit de cœlesti Hierarchia, deque diuinis nominibus &c.

S. Ignatius, S. Ioannis discipulus epistolas reliquit, priscis dictas Promptuarium Diuinarum Traditionum.

Idem Antiochiæ primus choris alternis canere docuit, cum Angelos eodem ritu SS. Trinitatem laudantes audisset, *anno* 93.

S. Linus Papa scripsit epistolas de martyrio SS. Petri ac Pauli anno 70.

S. Clemens Papa cõscripsit Cõstitutiones Apostolicas, & epistolas, Canones Apostolorum, Liturgiam, Libros recognitionum.

S. Polycarpus Episcopus & Martyr scripsit ad Philippenses.

S. Martialis S. Petri discipulus epistolam dedit ad Burdegalenses.

Presbyteri Achaiæ perscripserunt Acta S. Andreę quo um prę-
cipuus Papias Episcopus
Hierosol.

DOGMATA SÆCVLI I. Nouatoribus contraria. Exempli gratia.

I. *De Sacrificio Missæ* scripsit Liturgiam S. Iacobus Ierosolymitanus, qua Orientales vtuntur: Item composuit aliam S. Clemens *l.* 8. *Const. c.* 16. 17. quam Concil. Constantinop. *c.* 31. recepit, & S. Martialis eam commendat. S. Andreæ vox est apud Presbyteros Achaiæ: *Ego Sacrifico Deo vero, non carnes vitulorum, sed Agni immaculati in altari.*

II. *Veritatem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia* confitetur *S. Ignatius* ep. ad Smyrn. *S. Dionys.* in Eccl. Hierar. c. 3. S. Martialis.

III. *Orationem pro defunctis habet* S. Iacobus in Liturgia, *S. Clemens* l. 8. Const. c. 41. *S. Diony.* in Eccl. Hierarchia passim.

Vndè dogma de Purgatorio confirmatur.

IV. *Inuocationem Sanctorum præsertim Angelicam Salutationem,* S. Iacobus intulit in Liturgiam.

V. *Virginum institutum* commendat *S. Ignatius* ad Antiochenos, Tarsenses, & Heronem.

VI. *Monasticen* laudat *S. Dionysius* in Eccl. Hierarchia.

VII. *Ceremonias* præscribit *S. Clemens* lib. Const. *S. Dionys.* in Eccl. Hierar. ab Apostolis introductas.

VIII. *Crucis signum* commendat S.

Dionysius *cap. de defunctis*: *Martialis* ad Burdegal. c. 8. ait: *Crucem Domini semper in mente, in ore, in signo tenete. Crux enim est armatura vestra.*

IX. *Ieiunia ecclesiastica, Quadragesimam* statuunt *Canones Apostolorum* can. 68. 69. ab S. Clemente collecti. Item *S. Ignatius* ep. ad Philippen.

X. *Ecclesiasticos Ordines* annumerat *S. Ignatius* ep. 10. & 11. *S. Dionys.* in Eccl. Hierar. eis munia assignat.

XI. *Imaginum cultum* ostendunt *Vmbra Petri*, sanatrix ægrorum. *Imago* non manufacta, Abagaro Edessenorum Regi à Christo missa: Philippico parat victoriam. *Statua Christi* ex solido metallo, quam Paneade Syrophœnissa Domino statuit. Quas Christi & Deiparæ pinxit imagines *S. Lucas*.

XII. *Primatum S. Petri* confitentur *S. Ignatius*, *S. Clemens* in epistolis ad Romanos: *S. Cletus* de passione Petri & Pauli. Plura infra *in Varijs*. Pauca nunc sufficerint: sic enim ire per plura licebit.

HÆRESIARCHÆ IN Sæculo I. dissoni Papis.

I. Simon Magvs Samaritanus, è vico oriundus, à S. Philippo in Samaria baptizatus, apostatauit in *Primogenitum Satanæ*, ait S. Ignat. epist. ad Trall. omnium hæreticorum Pater, simiusq; diaboli, videns baptizari in nomine Patris & Filij & Spir. S. finxit *anno* 35. teste Iren. *l.* 1. *c.* 20. quod quasi Pater in Samaria descendisset; quasi Filius Dei inter Iudæos apparuerit: quasi Sp. Sanctus in Gentibus videatur.

2. Vt Paulus Christum; ita se ipse dicebat esse *Virtutem Dei*.

3. Vt Christus venit redimere & saluare: ita iactabat, se propter Selenam ouem perditam venisse, vt assumeret ei vinculis liberaret, saluaret homines per agnitionem sui.

4. Vt Christus venit ad opera diaboli soluenda: ita se venisse aduersus Angelos prauos, qui Selenam matrem omnium cœlo expulissent.

5. Loco Corporis & Sanguinis Dominici in Sacrificio ipse sanguine menstruo & semine sacrificabat.

6. Vt Simon Petrus sororem; sic ipse Selenam quæstuariam circumducebat.

7. Pro exorcismis vtebatur incantationibus.

8. Docebat amatoria, fugam martyrij, idola adorari, solâ gratiâ saluari homines, non ex operibus; sibi credentes esse liberos, agerent quæ vellent.

9. Discipulos fecerat Menandrum, Saturnium, Basilidem, Carpocratem, Cherinthum, Ebionem, Nicolaum, Cerdonem, Marcionem, philosophos nomine Christianos, plurimorum seductores. Statuam Simonis in figura Iouis, & Helenæ specie Mineruæ, adorari docebant; & ipsi ex alijs adinuenti noui Hæresiarchæ facti.

11. S. Petrus, *Act.* 8. eius Simoniam cum ipso anathematizauit.

Anno 44. Deum se ac Christum prædicans Romæ sui Selenæque statuas erexit adorandas, subscriptas ita: *Simoni Deo*

Deo Sancto. At eodem anno S. Petrus contra eum aduenit in Vrbem.

At *anno* 68. quia Nero tenebatur Magiæ studio, impense Simoni deuotus erat, præsertim quod Icarium volatum polliceretur. Interea, dum ad hoc spectaculum in aula nutriretur, faciebat ambulare statuas, ex lapidibus panes ire in flammis illæsum volutabat; in serpentem, in aurum, aliasque in bestias vertebat; per fores clausas intrabat, ferrea vincula soluebat, spectra variabat, vasa & supellectilem domus seipsa ad ministerium mouere faciebat, quos volebat conuiuas, boue sacrificato vescentes, morbis varijs afficiebat, si eum præstigiatorem dixissent. Volatu aliquando se iam oculis hominum abstulerat; cum ecce orante S. Petro, ac dicente; Si homo Dei sum, verusque IESV CHRISTI Apostolus, doctor pietatis; impero Satanis vt eum dimittant quò lapsu comminuatur. Ruit; coxendicem, talosque pedum fregit; & periit.

II. CHERINTHVS *anno* 35. Sim. Magi factus discipulus, S. Petro suam cum Gentibus conuersationem exprobrabat, *anno* 41. At *anno* 60. profitebatur Christum non Deum, sed merum fuisse hominem, Angelis inferiorem: ita Tertul. de præscient. c. 48. Ideo S. Paulus scripsit ad Colossenses, c. 2. quod sit *Caput omnis principatus. &c.*

III. BASILIDES quoque diuidebat Christum à IESV, sic, quasi B. V. Maria fuisset mater IESV, non CHRISTI: Sic Iesum crucifixum, non Christum; quod Christus se aut subtraxisset, aut se in Simonis Cyrenæi speciem mutasset, impassibilis ipse.

Ideo peruulgata late hac hæresi Paulus datis ad Ephesios, Colossenses, Laodicenos, & Corinthios epistolis contestatus est se *prædicare Christũ, & hunc crucifixũ.* Hinc in omnib. ecclesiis Crucifix⁹ proponi cœptus pro titulo: Hinc crucis signum in frontibus vsitari. Vnde Cyrillus Catechesi 13. *Non pudeat vos Crucifixum confiteri; sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur, & in omnibus alijs crux fiat, in panibus comedendis, in pocu is bibendis, in egressu & ingressu, ante somnum recumbendo & surgendo, eundo & quiescendo.*

S. Hippoclytus Martyr *l. de consum. sæc.* Antichristi notam esse dixit, quod prohibebit, ne quis crucem in fronte pingat. Vide *Bzouium anno* 60. §. 3.

IV. EBION, euersâ Ieroſolymâ, extinctisque Sectis, ex eis obscænum monstrum confarcinauit. *anno* 74. S. Paulum calumniabatur, fuisse Græcum natum, œstro in filiam Sacerdotis factum proselytum: at hac potiri nequisse, ideo ad impugnandam legem versum.

Petrum traducebat vt Hemerobaptistam, ab animatis abstinentem, Virginitatem damnantem, cogentem omnes nubere.

Dogmatizabat: duos ad rerum dominium ordinatos: *Christum* ad futurum sæculum, velut vnum ex Angelis, sed his maiorem esse creatum, & ex viro procreatam, eundemque se Adamo induisse, & postea exuisse.

Diabolum vero alterum accepisse mũdum hunc in sortem. Eum damnauit S. Ioannes, in 1. c. 4. S. Ignatius ad Philadelphios, vt verum Simonis Magi discipulum.

V. MENANDER Samarita, Magi discipulus item, *anno* 74. quicquid Magister suus se esse dixerat, id & de se affirmabat, negans saluari quemquam, nisi in suo nomine baptizatum; suos nunquam morituros spondebat.

VI. NICOLAITÆ, ortum traxerunt ab Nicolao, Simonis Magi discipulo facto, *anno* 35. non ab Nicolao è LXXII. vno Diacono pio, teste *Baron. to.* 1. *anno* 68. Docebant *communes vxores esse; voluptatem vero finem hominis vltimum; idolothyta vorabant.* Exosi cunctis nomen Nicolaitarum mutarunt in *Gnosticos* velut sapientiæ studiosos. De his infra *anno* 120. & 142. Supradicti ex philosophis Hæresiarchæ facti sunt. Vt iure Tertullianus dixerit *Philosophos hæreticorum Patres.*

VARIA

Orthodoxæ Fidei Testimonia Historica in Sæculo I.

ANNO I. CHRISTI NATI fecit indicium *Stella* sub cœlo; non firmamento infixa, nec Angelus fuit; sed noua factura Dei ac Virtus, quæ oculos rapiens raperet & mentem ad inquirendum natum regem orbis.

Magi tres de ea inde ab Balaamo, per Arabum Traditionem edocti; ipsi Arabes, non Persæ, non Chaldæi; genus ad Abrahamum referebant, ex Cethura, vel Agar propagatum; stellarumque mire obseruans, ob vaticinium Balaamis præsertim Sapientiores gentis Sabæ quales Magi: quos Origeni placuit dicere dæmonum excantores; qui, quando statuæ & oracula obmutuere, alium inquisissent. Sed dicit hoc, non docet: probat nemo.

Munera obtulerunt, qualia regibus victis abstulerat Abraham: Et attulit Salomon Regina Saba sapientissima *Die XIII.* post Christum natum aduenerunt; non biennio post.

Ideo Ecclesia ab Origine diem XIII. Epiphaniæ Sacrum semper celebrauit triregium.

Herodi ac Ierosolymæ toti ab eis accidit *turbatio:* quæ axit Simeonis ac Annæ vaticinatio: quo maturatū magis accrescentem cecidit Infanticidium; vt nec proprio filio pepercerit Herodes: dicereturque Augustus, Satius est, quam filium, esse porcum Herodis.

In Aegyptum fuga Iosephi ac Mariæ, Angeli admonitu, cædi eripuit IESVM. Cui in Ægyptum illato Persis arbos obuia se inflexisse traditur, perstareque incuruam, eiusq; folia vim accepisse quosque morbos persanandi: Item idolacorruisse, fugisse dæmonia totâ Ægypto, quæ demum idcirco euasit tanto religiosior ab S. Eremitis culta, quo superstitiosior extiterat.

Locus deserti, qui latebram Christi dedit, nobilitatus est *horto balsami* optimi quem irrigat *Fonticulus* felicis vndæ, ex quo Deipara IESVM abluere solita; *Lapis* quoque lotioni Marianæ seruiens in sancta veneratione est Saracenis. Quique quo latiora horti felicis spatia rigarentur, in balsamiferi vndulas fonticu-

ha-

lialio è fonte riuum corriuarunt, qui illi permixtus funderet latius benedictionem. Iidem hodieque *lampadem* alunt perpetem in loco, quem Deipara incoluit.

S. Ioannem Præcursorem abscondit ab occidione Zacharias primum; deinde mater cum eo fugitans in spelæo interioris deserti latitauit, dum post diem XL. Spiritum Deo redderet; pueri vero curam ageret Angelus, donec suipotēs eremiticam continuaret.

Zacharias autem iussu tyranni, ob subductum filiolum, occisus est iuxta templum, effususque sanguis in vestibulo templi, perennes sui maculas silicibus assignat.

Iudas Galilæus, indignum ratus ab libero populo tributum dependi & Cæsarem appellari *Dominum* ab colentibus DEVM Dominum, occasione descripti orbis, Galilæos solicitauit ad defectionem.

Vnde sectæ *Galilæorum*, negantium pro Cæsare tas sacrificare. Sed idcirco eorum sanguine miscuit sacrificia Herodes.

ANNO II. Iudæis fidem Cæsari iurantibus, iurare Pharisæi renuerunt; & cum eis hominum sex millia; quos male multauit Herodes: territi cæteri dictitabant, cedendum esse Decreto Dei.

ANNO VIII. Herode fœda ac dira morte sublato;

ANNO IX. *consurgens Ioseph, accepit Puerum & matrem eius, & venit in Nazaret Galilææ*, incolens domum Christi ut iciam aliam, ab illa, in qua fuit Annunciatus; Hanc Angeli in Dalmatiam, inde Lauretum, transportarunt. Isthinc Christiani dicti fuerunt Galilæi, & Nazaræni: nec diu.

ANNO XII. IESVS sedit inter sedentes ac docentes, & interrogantes; ad idæam ac formam seu Concilij, seu Magisterij in Ecclesia Doctoralis. Inuentus porro *erat subditus illis*, adeo in fabrili etiam obsequio. Cætera de Christi infantia aut anilia sunt fabulamenta, aut figmenta Iuliani & hæreticorum; certe apocrypha omnia. Certa solum & vera ista:

1. IESV Diuinitas, & Humanitas incarnati: *Ioan.* 1. & Genealogia: *Mat.* 1.

2. Ioannis ortus: *Luc.* 2.

3. Annunciatio, Luc. 1.

4. Ioseph hæsitatio, Mat. 1.

5. Ioannis natiuitas, &

6. Christi.

7. Magorum aduentus:

8. Purificatio;

9. Fuga,

10. Infanticidium,

11. Reditus,

12. Inuentio in templo:

13. Ioannis prædicatio, & testimonia de Christo.

Post hæc secuta est Prædicatio Christi. Interim Romæ agant 8000 Iudæorum, ne Regem habeant, obtinentque Tetrarchas facta regni diuisione quadripertita.

ANNO XVI. Exempto fatis Augusto succedit Tiberius, qui statuam sibi, templumue poni vetat, Dominumue dici; *Cuncta*, inquiens, *mortalium incerta, quanto que plus est quis adeptus, hoc magis expositus ludibrio est.*

ANNO XVII. Sacerdotium Iudæorum conferunt Præsides Romani, quii

qui inde ab Herode sibi vendicarunt & Regnum, & *Stolam Sacerdotij Summi*. Hanc asseruarant in turris cella obsignata; vsusque ipsius erat interno solum anni ieiunio.

Rationale, & *Sardonyx* ab annis retro ducentis, euibrare solitum splendorem in Sacris, vel ante bellum, consulentibus Deum, desierunt. Græci id dicebant λόγιον, oraculum.

Nimirum annis circiter LX. post Simonem Machabæum Iudæos fecit tributarios Romanis victor Cn. Pompeius; qui Hircano, contra fratrem Aristobulum contendenti, Pontificium confirmauit: cui successerunt Herodes Ascalonita, Archelaus, Herodes Antipas, Herodes Agrippa, Agrippa iunior: cum quo *regnum Iudæorum defecit*, sub annum Orbis conditi 4055. anno post Christum natum LXXII. cum *regnum Aegypti* 40. annis ante defeciſſet cum Cleopatra.

Anno XIX. Tiberius ipse fatidicos *Sibyllarum libros* inspexit, correxit; eo quod eorum nomine falsa quædam de Vrbis interitu spargerentur.

Anno XXIX. XXX. Prædicat Baptista Ioannes.

Anno XXXI. dicto, Isa. 61. *Placabilis & Acceptabilis annus*, primus Prædicationis Christi.

Speluncam in Sina iam deseruerat Baptista, *cum facta est vox super Ioannem, vt prædicaret Pœnitentiam*. Eam plus 200. annis post Ioannes anachorera ingressus, toto triduo febriebat; abiturum apparens Baptista manere iussit, idq; vice altera; promittit ei sanitatem, si persistere velit isthic, vbi annos ipse XXX. degisset. Assentiens sanatur. Demum ibidem est templum cum monasterio constructum. Itaque *Ioannes Monachorum princeps* recte dicitur ab Hieronymo.

2. Ille baptizans Iesvm cernere Sanctissimam meruit Trinitatem, quitum fas homini. Locus Baptismi in Iordane vim habet sanandi lepram: ecclesiaque ibidem constructa condecoratus est.

3. In deserto ieiunat Dominus.

4. Missio fit ad Ioannem percuncta. *Tu quis es?*

5. Vocatur Andreas, Simon, Philippus, Ioannes & Iacobus.

6. Aqua in vinum vertitur; nuptiarum sponsus erat Simon Cananæus Zelotes, non Ioannes, prout ex male intellecto Augustino putatur. Locum miraculi S. Helena nobili basilica illustrauit: Tempus annuum pluribus Deus cõsignat miraculis fontium, eo die vino manantium: Vt in insula Andro, vbi id circo incolæ templum posuere Bacho: Nili pars ea hora fit vinum.

7. E templo eijciuntur negotiatores tempore Paschali.

8. Docetur Nicodemus noctu: & plures à Christo, quam Ioanne baptizatur, *Ioan.* 3.

9. Ioannes in vinculis prædicauit Christo.

10. Colloquitur Samaritanæ Iesvs, conuertitque Sichimitas.

11 Reguli filius sanatur; *Io.* 4.

12. Capharnaum eligit in suam, ac primum prædicat in Galilæa.

13. E naui prædicans, vocat Apostolos captura piscium attonitos.

14. De-

14. Dæmoniacum curat Capharnaum.

15. Socrumque Petri sanat, pluresque alios.

16. In desertum secedens inuenitur, retinetur.

17. Galilæam pertransit sanando omnes.

18. Tres eum sequi volentes, sed non vt oportuit, reprehendit.

19. Mare, ventosque sedat.

20. Legionem dæmonum mittit in porcos, & mare.

21. Demissus per tectum paralyticus sanatur.

22. Mattheum vocat: curque sui non ieiunent, docet.

23 Iairi filiam suscitat, curatque Hæmorrhoissam; à qua *statua* Christo ærea ponitur; cuius herba, ad pedes excrescens, morbos curat.

24. Cœcum illuminat, mutumque pellit dæmonium.

Abgarus regulus dat Christo, Christus ipsi *epistolam:* itemque & *Imaginem* sui, vt Conc. Nicænum credidit, ex prægressis miraculis quibus eam Deus condecorauit: vt quæ impressa pallio dederit victoriam Philippico sub Mauritio Imp. contra Persas. Græci celebrant de ea festiuitatem 17. Kal. Sept.

Anno XXXII. 1. Iesvs ad probaticam sanat languidum.

2. Calumniantibus respondet.

3. Vellentes Sabbato spicas excusat.

4. Manum aridam sanat.

5. Eligit XII.

6. Docet Beatitudines.

7. Docet perfectionem Christianã præ legali: &c.

8. Leprosus mundatur.

9. Centurionis puer sanatur.

10. Viduæ filius suscitatur.

11. Ioannes in carcere legat ad Christum.

12. Peccatrix conuertitur.

13. Mutum & cæcum dæmonium pellitur: Beatus venter. &c.

14. Parobola seminantis, zizaniorum, Seminis, Sinapis, thesauri. &c.

15. Male in patria habetur.

16. Mulieres circumducit prædicans.

17. Mittit prædicatum Apostolos cum potestate in dæmones.

18. Fama Iesv ad Herodem fertur.

19. Plectitur Baptista.

20. Miraculum in 5. panibus.

21. Fugit regnum, mari cum Petro inambulat.

22. De Eucharistiæ effectu prænunciat.

Anno XXXIII. 1. De lotione manuum, & traditionibus hominum.

2. Filia Cananææ sanatur.

3. Item surdus & mutus.

4. In 7. panibus miraculum.

5. Signum è cœlo petitur.

6. Fermentum doctrinæ cauendum.

7. Cæcus in Betsaida curatur.

8. Claues Petro promittuntur.

9. Petrus vt Satana reprehenditur.

10. Quid sit Christum sequi.

11. Transfiguratur.

12. Dæmonium eijcere nequierunt Apostoli.

13. Iterum mors & resurrectio Christi prædicitur.

14. Didrachma soluitur.
15. De primatu disputant discipuli.
16. Signa faciens, nec sequens Christum, non reprehenditur.
17. Paruulos non scandalizandos.
18. Peccans frater corripiendus.
19. Rationem ponit cum seruis.
20. Clam ascendit ad festum tabernaculorum.
21. Arcetur hospitio à Samaritis.
22. X. leprosi curantur.
23. In Scænopegia in templo IESVS docet.
24. Laudatur à missis comprehensum eum.
25. Adulteram dimittit.
26. Subducit se lapidantibus.
27. Cæcum natum illuminat.
28. Qui Pastor & oues?
29. Selegit misitque LXXII.
30. Exprobrat ciuitatibus.
31. Reuersis LXXII. gratias agit Deo.
32. Lapsus in latrones suscipitur.
33. Martha Iesum hospitatur.
34. Vim, modumque orandi docet.
35. Parabola de lucerna.
36. In prandio arguit cupidos primarum.
37. Varia docet, erigitque incuruam, hydropicum curat Sabbato.
38. De cœna magna.
39. De sequela Christi cum cruce. &c.
40. Se è manibus eripit disputantium in templi encœnijs.
41. Secedit trans Iordanem.
42. De oue & drachma.
43. De prodigo.
44. De iniquo dispensatore.
45. De insolubili Matrimonio.
46. De Epulone.
47. De scandalo, ignoscendum.
48. De aduentu ad iudicium.
49. De iniquo Iudice.
50. De Pharisæo & Publicano.
51. Paruulis imponit manus.
52. Diuitem adol. inuitat ad renuntiationem.
53. De præmio sequacium Christi.
54. De conductis in vineam.

Fons Silœe, precibus Isaiæ productus, in obsidione sub Ezechia, Iudæis solit scaturiebat, Gentilibus arescebat. Hinc ad eundem Iudæi apposuerunt Isaiæ sepulcrum.

Idem, quia Sabbato tantum manebat aquis, dictus est *Sabbaticus*.

ANNO XXXIV. 1. Lazarus resuscitatur.
2. Initur Concilium de Iesu perdendo.
3. Passionem prædicit.
4. Zebedæis abnuit petitionem Primatus.
5. Cœcus ad Iericò illuminatur.
6. De Zachæo.
7. De X mnis.
8. Duo cæci extra Iericò sanatis.
9. Cœnans perungitur.
10. Asino cum palmis inuehitur in vrbem, ritu nouo, nusquam solito, tollusque Dei proprio. Ea ipsa *PALMA* sola perstitit, cæteris à Tito arboribus excisis vniuersis. Titus *in monte Oliueti* castra posuit, vbi Christus super ciuitatem fleuit.
11. Ejcit templo negotiantes, ficulneæ maledicit.
12. Quæritur à Gentibus.
13. De Baptistæ baptismo quæritur.

14. Duo

14. Duo filij dissimiliter obediunt patri.

15. De vinitoribus homicidis.

16. De nuptijs filij Regis.

17. De tributo Cæsari.

18. De resurrectione quæritur:

19. De primo mandato, & Patre Christi.

20. Scribæ audiendi, & cauendi.

21. Vitia Scrib. & Pharisæorum depingit.

22. Paupercularæ munus.

23. Euersionem templi prædicit.

24. Secutura mala.

25. De vrbis euersione.

26. De signis aduentus vltimi.

27. Paratos esse iubet.

28. De X. Virginibus, Talentis, & Iudicio extremo.

29. Concilium de perdendo IESV.

30. Agnus paschalis præparatur.

Paschæ & Azymæ solennitates erant diuersæ; eodem tamen die agitabantur, sed vespero connumerato.

In Paschate singuli è vulgo erant Sacerdotes, victimantes à prima ad vndecimam horam, epulantes communiter. Festi initium, finisque tuba dabatur. Pascha etiam dies singuli 7. sequentes Azymorum dicebantur; & omne Sacrificium.

Eiusdem *Cænæ* duplex mensa seruabatur: prior Agni, altera Azymorum; ante vtramque lauabantur. Cœnatoria vestis erat Syndon, sine qua discumbere nefas.

Post secundam mẽsam Azymorum, Christus vt apophoretum, *instituit Eucharistiã*, sic, veluti pro more Iudæi tortã azymorũ, & poculũ benedicere consuerant, & præbere singulis. *Mos sacrificandi sub vesperum* tenuit in Africa diu: Pariter quidam pertendebant conferendum baptisma agentibus in ætate Christi: Sed hi sunt refutati; illorum mos obsoleuit.

Calix argenteus, sextarium gallicum continens, asseruatur Ierosolymis ille, quo Dominus est vsus.

31. Pedes lauat.

32. Proditor denunciatus egreditur.

33. Hymno dicto, de primatu contendentes, reprehenduntur.

34. Dat Mandatum nouum.

35. Sermonem habet post Cœnam.

36. Orat pro sui clarificatione, discipulis, Fidelibusque futuris.

37. Orat in agonia horti. Ferunt petram, cui innixus orauit, cessisse genibus vt caram, ac etiamnum genuum ostendere vestigia. Ideo lapis ille intra ecclesiam nunc visitur inditus muro.

Fertur & in lapidibus torrentis impressa Christi vestigia cerni.

38. Christus Annæ sistitur, à Caipha examinatur, illuditur, negatur à Petro.

39. Iterum à Caipha examinatus damnatur.

40. Iuda fœde disrupto, ager figuli emitur.

41. A Pilato examinatur:

42. Herodes spretum remittit Pilato.

43. Barraba dimisso, flagellatur, coronatur, traditur crucifigendus.

44. Crucem baiulat.

45. Flentes admonet IESVS.

46. Crucifigitur, mortui latus aperitur, sepelitur, custoditur.

Columnam Christi tangunt multi fasciis, & has vt sanctificatas reuerenter asseruant, morbosque persanant. *Corona* reuirescere videtur; ideo serta olim nulla ferebantur in honorem coronati. Passim festiuo honore colitur.

Locus crucifixionis Dominicæ est, qui immolationis fuit Isaaci, quique sepulturæ Adami; idemque dein & damnatorum locus erat.

Velo scisso visa columba candida euolare templo.

In terræmotu superliminare templi decidit: auditique angeli tutelares templi dicere, *Transeamus hinc.*

S. Instrumenta passionis omnia sunt asseruata;

Crux inter multos diuisa manet integra, nec cariem sentit.

Terra S. Sepulcri valet aduersum complures morbos, dæmones. &c. Hesperius pauxillo Terræ templum posuit.

Ante *Sepulcrum* lampades ardent honori merito.

Longinus, reclamat corruptis custodibus ablati Christi rumore; militiæq; obnuncians prædicat Christum in Cappadocia.

Ioseph Arimat. post sepultum Dominũ à militibus Romanis sit nexus; at suspensis diuinitus muris carceris liberatur à Christo resurgente.

Post Resurrectionem.

Hæc manifestata est 1. Mulieribus per angelos,

2. Magdalenæ;

3. Iterum mulieribus:

4. Custodes eam annunciant.

5. Euntibus in Emaus apparet:

6. Collectis absque S. Thoma:

7. Præsente Thoma:

8. Ad mare septenis apparet, Petro commendat oues.

9. In Galilæa se ostendit, suos mittit cum potestate: S. Spiritum promittit: in cœlos ascendit.

Pilati ad Tiberium de Christo epistola constat: eam recitante Tiberio Senatus spreuit.

Maximinus tyrannus *falsa Acta Christi & Pilati* vulgat, quæ in Ludis docentur pueri, vt sic horrore erga Christum imbuantur.

De Sibyllæ libris refert ad Senatum Quintilianus Tribunus plebis: sed iam ante erant discussi à Collegio Sacerdotum iussu Tiberij; sc. vt ijs conuincerentur Gentiles.

Vestigia Christi ascendentis quia Orientem spectant, etiam Christiana templa eodem vertuntur; & orantes.

Ex vestigijs quantumuis terræ sumitur, eorum tamen forma inconfusa permanet.

Ecclesia Christi ædificanda loco inullum coniungi fornicem valuit; neque paueri humus; quę omnẽ accessorum respuit. Nunc lapis cum vestigiis est à Turca positus supra portam clausam Orientalem.

Post Ascensionem

Electione Matthiæ à Petro facta per sortes schedarum in vrnam missarum, data est *formula Canonica electionis.* Missio

Sp.

Sp. Sancto cum ebrij credebantur, Petrus omnium defensionem primus suscepit, & prædicatione 3000. hominum conuertit & baptizauit in nomine IESV; in quo implicite Patrèm & Sp. S. contineri definiuit Stephanus PP.

Horarum Canonicarum antiquitas indicatur ex eo, quod Petrus & Ioannes ad Horam nonam ascendebant in templum oratum. Perseuerabant item *in fractione panis quotidie. Diaconi septem* potissimum sunt ad mensas electi Sacras; etsi etiam ad Communes. Et quo rectius munus exequerentur plures sub se Ordines habebant, ait Ignatius, *Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores.* Viduæ eligebantur in *Diaconissas*, quæ portas seruarent mulierum; sicut virorum viri; nam separati degebant: quæq; eleemosynas mulieribus dispensarent. *Presbyteræ, Episcopæ* dicebantur quarũ mariti in Presbyteros aut Episcopos fuerant electi: Erant autem laicæ, non sacrę. Petrus pręsentibus Ioanne & Iacobo Zebedæi ordinat Iacobum minorem in primum Episcopũ Ierosl. Vndemos manauit in Ecclesiam, vt Ordinatio fieri debeat minimum coram duobus Episcopis.

Iacobus gestauit bracteam auream in capite; indicio, Regale esse Sacerdotium Christi iuxta ordinem Melchisedech, qui Rex & Sacerdos erat.

Ioannes in capite gestauit laminam auream: inde mos, vt Episcopi gestarẽt Cidarim bracteatam, ceu Regales Sacerdotes.

Stephanum diu vetitum sepeliri, humauit Gamaliel *cum planctu magno*; scil. pro more çum lampadibus, suffitu, panno candido, &c. quæ sunt solatia & certorum indicia viuis. Planctus tenebat 70. dies: Hinc *mos Exequiarum*, & Suffragiorum pro defunctis in debito pænæ, seu culpæ venialis; non mortalis.

Persecutio dira sæuit post necem S. Stephani Paulina. In qua Nicodemus exul à Gamaliele receptus alebatur vt Confessor Domini.

ANNO XXXV. ab occidione S. Stephani plus 15. millibus Christianis ex Iudæa dispersis, Philippus Diaconus Samaritanis prædicauit; conuersisque plurimis, Apostoli Principem suum rogarunt Petrum, vt de facta gentium cõuersione videret.

Venit, vidit & in Nationes descendere Sp. Sanctum. *Act.* 10. Quare *tunc imponebat manus super eos*, id est, Confirmationis Sacramentum eis impẽdebat: quod Episcopalis est muneris: vt, baptizare & prædicare, Diaconi. Vnde ea Confirmatio à S. Cypr. *epist.* 72. dicitur à S. Cruce impressa, *Dominicum signaculum*, à Clemente Alex. apud Eusebium l. 1. ca. 17. *Sigillum Domini*, quo illuminatum ad olescentem S. Ioannes Euangelista *obsignauit.* Ab vnctione dicitur *Chrismatis Sacramentum* à Cypriano epist. 70. Tertul. l. de resurr. ait, *Caro vngitur, vt anima consecretur, muniatur; & spiritu obumbretur, ac illuminetur.* Vide Bzouium an. 35. §. 6.

ANNO XXXVI. Ex Saulo fit Paulus, vnus è multis in Christianorum persecutionem emissis; Christiani vero accusabantur à Iudæis Atheismi.

ANNO XXXVII. Caiphas, vitæ pertæsus, sibi mortem consciscit. Pilatus Romæ grauissimorum scelerum reus peragitur.

ANNO XXXVIII. Agrippa in carcerem compingitur; quod mortem esset Tiberio imprecatus; at à Caio exolutus pro ferrea donatur aurea catena pari in pondere; & coronatur anno insecuto.

ANNO XXXIX. Paulus visitat Petrum Ierosolymis, vt Principem Apostolorum. Petrus vero Syriam peragrãs ac visitans *Sedem primam* collocat *Antiochiæ*: tenuitque annis 7.

ANNO XLI. Petrus diuino iussu recipit Gentes: id quod exprobrans ei Cherinthus excitat murmur aduersus Petrum. Sed vicit Dei gratia.

Ex eo & cæteri Apostoli ierunt in dispersionem gentium; at prius *Matthæus scribit Euangelium*, sic iubentibus Apostolis. Id descriptum Bartholomæus contulit ad Indos. Barnabas cum eodem humatus est. *Pilatus* exul Viennæ sese confodit.

ANNO XLIII. Quia hæresiarcharum sectatores DISCIPVLOS sese vocitabant; idcirco Fideles, ad differentiam, nomen Discipuli in CHRISTIANI mutarunt, Antiochiæ primum in erecta ab S. Petro ecclesia; iam tum populosissimos. Vnde S. Ignatius epist. 6. *Qui alio nomine appellatur præter HOC, hic non est Dei; nec accipit prophetiam*, Is. 62. *Vocabitur tibi Nomen, quod os Domini nominauit, & erit populus sanctus.* Hinc posteri Antiocheni sumpserunt animos, ait *S. Chrys. hom. 7. in Mat.* vt Primatum in totum orbem Christianum affectarent. Ethnici per despectum dicebant *Chrestus, & Chrestianus.*

Nomine, FRATRES, etiam gloriabantur CREDENTES.

Verum cum Carpocratiani teste *Epiph. hæresi 27. & 29.* inuaderent nomen *Christiani*; cœptum est superaddi cognomen CATHOLICI. Vnde Pacianus ad Symmachum Nouatianum; *CHRISTIANVS mihi nomen est; CATHOLICVS verò cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit. Hoc probor; inde significor.*

ANNO XLIV. *S. Iacobus*, frater Domini, Episcopus Ierosolymitanus, Hispanias adijt, ac Deiparæ posuit ecclesiam apud Cæsaraugustanos; vt fert Traditio. Descenderat noctu S. Iacobus cum Discipulis, ad ripam Iberi, ad orandum: vbi & vidit choros Angelorum, auditque concinentes: *Aue Maria gratia plena:* Alios vero respondentes, *Benedicamus Domino.* Mediam quoque inter eos conspexit B. Mariam cum filio & S. Ioanne Euangelista, iubentem, ut hic sibi Ædiculam extrueret; vbi ipsam in columna vidisset; fore vt ibi suam flagitãtibus opem ferret. Dictum, factum. Calixtus III. in Bulla an. 1465. testatur. Interim *anno eodem* Petrum educit carcere per Angelum Ecclesiæ oratio: *Diuisioque Apostolorum*, obinstantẽ persecutionem secundam, fit SYMBOLI APOSTOLICI causa condendi; cuius articulos singulos singulis tribuit Apostolis S. Augustinus, *serm. 115. de tempore.* Quod exinde sueuit ante Cõcilia recitari; ita, vt conditum, sic & Traditione custoditum sola; nulla accessione facta; quod id nulla Romæ coorta hæresis vnquam postularit. Monet vero S. Augustinus id dietim mane cuique recitandum Christiano.

Eodem anno, facto Collectarum initio pro pauperibus in Ecclesia per Paulum & Bar-

& Barnabam, cunctis de Clero Antiochiæ *ieiunantibus, & sacrificantibus illis benedixit Sp. Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabã in opus, ad quod assumpsi eos. Tũc ieiunantes & orantes, IMPONENTES QVE EIS MANVS: vt*, ait Chrys. hom. 27. in Act. *cum potestate prædicarent*, scil. Sacris eo ritu initiati, queis prius fuerat nuda potestas prædicandi extraordinaria ex DEO; nunc vero ab Ecclesiastico Magistratu ordinaria. Atque hac etiam hodie ab Orthodoxis discernuntur hæretici, currentes non missi.

Paulus autem continuo post inaugurationem *raptus*, 2. *Cor*. 12. *audiuit arcana, quæ non licet homini loqui*.

Caiani confinxerunt Euangelium Iudæ proditoris; alij, alia apocrypha.

ANNO XLV. Princeps Apostolorum in Vrbe vrbium principe principem fundauit Ecclesiam Romanam, *Cathedræ Petri* dicato die solenni: Ea vetolignea hodieque in Vaticana custoditur testis SS. Patrum panægyricis celebrata. Vnde S. Cyprianus li. de Vnit. Eccl. docet; *quod, qui Cathedram Petri deserit, in Ecclesia se esse non confidat*. Et S. Hieron. ep. 57. & 58. ait, *Quicumque Cathedræ Petri iungitur; Meus esse confidat. Quicunque extra hanc domum comederit Agnum, profanus est*. &c. Vide Bzouium. §. 2. S. Petrus institutâ rite Cathedrâ Romanâ Monarchiæ, primam scripsit Epistolam encyclicam ad Orientales ex Vrbe, id est, ex Babylone, respectu illius quæ fuit caput idololatriæ. Eam terminat isto; *Salutate inuicem in osculo sancto*, in signum Pacis.

Receptus inde fuit in Ecclesia ritus, vt in Missa post orationem Dominicam ad *Pax vobiscum*, viri seorsim, seorsim fœminæ inuicem osculentur. At mali mores fecerunt osculum transferri ad tabellam, quæ singulis osculanda præberetur.

S. Marcus, Petri comes indiuiduus, scribit compendio Euangelium Petri iussu. A quo missus Alexandriam, isthic instituit ecclesiam, & scriptum Romæ Euangelium vertit græcè: quod nunc Venetiis est.

Fundata iam Ecclesia Romæ sic, vt dici *Romanum*, & *Catholicum* reciprocè pro eodem caperetur. Quocirca Petrus Antiochenæ renuncians ecclesiæ surrogat sibi S. Euodium.

ANNO XLVI. S. Petrus Missiones complures frequentauit ad diuersa, dissitaque loca: quarum inde ab Christo repetiuit exempla.

ANNO XLVII. *S. Thecla* illustrissimo renunciat sponso, facta Pauli discipula Virgo, ait *Greg. Nyss.* Idcirco accusante sponso bestijs obiecta, tum in flammas iniecta, vtrobique permansit illæsa; ferro demum recepto Martyr cœlo recipitur. Eius exemplum Virginitatis est tropæum.

ANNO XLVIII. *Deipara obdormiens* in cœlum assumpta est: interfuit sepulturæ S. Dionysius. Apocrypha censentur, conuectos miraculo Apostolos, præter Thomam, serius allatum: Iudæo tumbam euersuro manus aruisse: cingulum ei cœlitus missum, &c.

ANNO LI. Quia Iudæi, Christianorum hostes iurati, Romæ turbas ciebant, omnes edicto proscribuntur à Claudio. *Petrus* simul cedere coactus varijs peragratis, institutisq; Ecclesijs, de-

demum *Ieroſolymis celebrat Concilium* cum Paulo, Ioanne, Iacobo, Barnaba & Senioribus, ad abolendam Circumciſionem; cuius cauſa Cherinthus inſurgebat contra Paulum: Item ad damnandos hæreticos, pertendentes *Vetus cum Nouo Teſt. ſeruandum eſſe.* Item à ſuffocatis abſtinendum; idque pro tempore, quo inter Chriſtianos degebant plures ex Iudæis, quam Gentibus. Hinc Petrus Antiochiæ cum Chriſtianis è gentibus ea comedit; Ieroſolymis vero non; quod plures ibi è Iudæis eſſent Chriſtiani. Viſus tamen Paulo fuit reprehenſibilis, non ob factū; ſed ob conſequens facti, quod eius exemplo gentes mouerentur ad ſimiliter iudaizandum.

De Nocturnis Vigilijs vide Baronium hic.

ANNO LIII. Paulus in 2. Theſ. 2. iubet TRADITIONES teneri, *quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolā.* Quarum Apologiam vide in *Bzouio hoc an. §. 2.*

ANNO LV. *Pauli ſudaria*, & ſemicinctia tactu ſanationes faciebant: quæ, ait Gennad. de Eccl. dog. 172. *qui negare voluerit, iam non Chriſtianus, ſed Eunomianus, & Vigilantianus credendus eſt.* Vnde contra Iulianum vox eſt Greg. Nazianzeni: *S. Martyrum corpora idem poſſunt quod animæ. ſiue manibus contrectentur, ſiue honorentur. &c.*

Exorcizantibus filijs Sceuæ inſultant maligni, Act. 19. *Ieſum ſcio Paulum noui: vos autem qui eſtis?* Simul inſiliēs in eis ſpiritus nequam pene expectorauit multatos male. EXORCISMVS vero Chriſtianus longe felicior eſt, teſtibus Iuſtino, Cypr. Prudentio, Ignatio *ep. 12. ad Antioch.* In eo non ſolum adiuratione vtimur, ſed & ceremonijs alijs, exemplo Chriſti; nam ſurdum & mutum, vt verbo ſanare potuit, tamen *apprehenſum de turba ſeduxit; Et miſit digitos ſuos in auriculas eius: Et expuens tetigit linguam eius; Et ſuſpiciens in cælum ingemuit: Et ait illi, Ephetha.* Atque vim noſtris ineſſe Exorciſmis quotidiana fit hodieque teſtis experientia, haud ſecus ac in primitiua Eccleſia. de qua ſic Prudentius in Apotheoſi contra Iudæos: --*Torquetur Apollo*

Nomine percuſſus Chriſti, nec fulmina Verbi

Ferre poteſt: agitant miſerum tot verbera linguæ;

Quot laudata DEI reſonant miracula Chriſti.

Intonat Antiſtes Domini; Fuge callide ſerpens,

Exue te membris, & ſpiras ſolue latentes:

Mancipium Chriſti, fur corruptiſſime, vexas.

Deſine; Chriſtus adeſt, humani corporis vltor. &c.

Has inter voces medias Cyllenius ardens

Eiulat, & notos ſuſpirat Iupiter ignes.

II. Porro ex caſu filiorū Sceuæ territi cū Iudæi, tū Gētes, Nomē IESV admirati iuxtà ſunt & venerati. Chriſtianiet iam metu icti pio. Act. 19. *veniebāt CONFITENTES & Annunciantes ACTVS SVOS.* Non qualis Baptiſtæ fiebat multorum confeſſio Mat. 3. Nam hæc erat catechumenorum, ante Baptiſmum ritusque mere externi: at Chriſtiana eſt regeneratorum, poſt baptiſmum, cum reali peccatorum remiſſione. Atque huius Confeſſionis, cum ſingulorum peccatorum enumeratione antiquitatem exemplis ac teſtimonijs illuſtribus

bus reddit testatam Baronius & Bzouius hoc anno.

IV. De POENITENTIARIIS autem PVBLICIS in Ecclesia etiam sub Decio manifeste docent ibidem. Mendaciiq; conuincitur Socrates Nouatianus hæreticus, narrans Nectarium Constantinopolitanum publicos Pœnitentiarios abrogasse, liberumque fecisse, vt pro sua quisque conscientia ageret Synaxes. Non ita; sed conniuit Nouatianis, id hæreticè factitantibus. Propter quod & S. Gregorius Nyssenus arguitur. *Deinde*; Nectarius iussit secretam ad aurem cõfiteri; non publica ad omnes enunciatione conscientiæ; quæ propter quendã reuelatæ casum Confessionis. Idem Pœnitentiarium sacrilegum mouit officio; non ipsam sustulit Pœnitentiam: quin singillatim peccata confiteri, ex Institutio Christi, vsuque Ecclesiæ mandauit: neque aliter ad synaxin quenquam admitti. Ista successor Nectarij S. Chrysostomus testatur *hom.* 83. *in Mat. & hom.* 60. *ad Antiochenos.*

Et vero homini Sacerdoti confitendum est; non solum soli Deo: Vnde S. Augustinus homil. 49. *Nemo sibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago: nouit Deus, qui mihi ignoscit; quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est; Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cæl.: Ergo sine causa Claues datæ sunt Ecclesiæ: Frustramus Euangelium DEI; frustramus verba Christi. Eph. sint non frustra ACTVS suo Paulo confitebantur.*

Namque sciebant illum posse peccata soluere, & medelam salutarem vlceri apponere.

ANNO LVII. Prima ad Corinthios epistola plurium Ecclesiæ Rituum sacrorum aperuit magisterium.

I. EXCOMMVNICANDI ius in sceleratos districtum, quod est Ligandi potestas: cuius cœptus est vsus à Deo in Ada ex Paradiso exclusissimo. Vide Baron. & Bzouium. Inde IVDICIA seu Consistoria ECCLESIASTICA dimanarunt, in laicos? imo & in Reges exercita: Fabianus Imperatorem Philippũ, Ambrosius Theodosium, Symmachus Anastasium; &c. excommunicauit. Est namque Regale Sacerdotium à Christo Rege Sacerdote summo, secundum Ordinem Melchisedech Regis ac Sacerdotis. Sacerdotij igitur est iudicare causas & sæculares, & ecclesiasticas inde ab exordio suo.

II. DIVORTIVM ad altiora vota conuolantium, ad tribunal hoc sacrum pertinere docuit Paulus: decernens, posse ex mutuo consensu, ad tempus, aut perpetuo separari coniuges, vt orationi vacent; non quidem soluto matrimonio; sed vsu sibi sponte interdicto, in separatione lecti, ac etiam tecti, teste *S. Cypr. l. de singularit. Cler.* Altior enim coniunctio est in castitate, quam coniugio.

III. MATRIMONIVM quoque *Magnum* esse *Sacramentum* prædicauit; ob mysterium, quod significat; & gratiam, quam conciliat. Huic testando Traditio est Apostolica, ait *S. Ignatius ep.* 11. vt nubentes cum Episcopi arbitrio coniungantur; indicio, nuptias coiri iuxta mandatum Domini, non ob concupiscentiam, Hoc est: *Cui vult, nubat; tantum in Domino*, nimirum iuxta ritus Ecclesiæ; Cui sponsus & sponsa offerendi, vt de consensu iudicet Sacerdos; dexteras

iungat; annulo subarratos obsignet; Benedicat; in Missa Deo offerat commendatos, & Eucharistia cibet. De quibus eximiè *Tert. l. de pudicit.*

IV. VIRGINITATEM ea in Epistola procul antefert matrimonij seu coniunctioni, seu castæ separationi. Inde Corinthijs orta VELATIO Sacrarum Virginum Græciam, barbarasque nationes peruasit, Collegijs earum ac viduarum passim constitutis: teste *Ignatio ep. 8. 10. 12. 13. Tertul. &c.* Vt S. Cyprianus l. de habitu virg. dicat orbem ijsdem repletum.

V. ECCLESIARVM dedicationem docet ibidem Paulus; quod ad eas conueniendum; quî in eis se gerant. Ampliores domus ab Apostolis in ecclesias dedicabantur; vt Romæ Pudens Senator suam dedit S. Petro, dictam *Titulus Pastoris*. Suam Euprepia Pio I. *in Titulum ad Missas celebrandas*. Ecclesiarum situs erat versus Oriẽtẽ. Altaria tot erãt quot Martyr. sepulcra. Pro foribus plerũque salientes erant, vt Christianus lotus oret, ait Traditio apostolica apud *Clem. lib. 8. Constitut. cap. 28.* Cui lauacro successit AQVA BENEDICTA, ad valuas apposita peccatis leuioribus expiandis. Ornatui templorum sancte studebatur, ac picturæ: inprimis CRVX in titulum erigebatur in cunctis. Vnde Lactantius *in carmi. de passio:*

Quisquis ades, medijq; subis ad limina tẽpli,
Siste parũs: Insontẽq; tua pro crimine passũ
Respice me, me corde animo, me in pectore serua. Ille Ego, qui casus hominum quondam miseratus acerbo.

Huc veni. Ita ad statuam Crucifixi.

Synonyma templi erant inprimis: *Oratorium, Dominicum, Basilica, Memoria Martyrum, Martyrium, Concilium Sanctorum, Titulus, Ecclesia.* In Indiæ vrbe S. Thomæ, crux sacelli sanguine S. Thomæ visitur aspersa; quæ anno 1561. ad Euangelium, sub Missa sudauit sanguinẽ, fulgore circumfusa resplenduit, ignotasque momento literas ostendit; quibus Brachmannæ duo lectis historiam S. Thomæ contineri affirmabant.

VI. EVCHARISTIA in templis & Conficiebatur, & Dispensabatur, & Asseruabatur, & Adorabatur.

RITVS communicandi seruabantur ex verbo Tradito, non scripto. Vnde 1. Cor. 11. *Cætera, cum venero, disponam:* Vt, quod à ieiunis communicandum pro viuis ac defunctis offerendum: Eleuatione proponendum vt adoretur: Communicaturis præco clamabat, *Sancta Sanctis:* dans S. communionem dicebat, *Corpus Christi;* recipiens, Amen. id est, *hoc est verum.* Ambr. de Sacr. li. 4. c. 5. Viri concauâ dexterâ, fœminæ linteo candido S. Hastiam excipiebant, sumebantq; quãdo libebat. Mos hic duravit ad vsq; an. 900. Synodus sexta vetuit ea *Receptacula.*

Romani & Africani quotidie communicabant: postea solis Dominicis: secumque deferebant domum, sumpturi per septimanam: Id quod Hormisda Papa abrogauit Occidente toto: Orientales morem retinuerunt: Iteraturi longius secum Eucharistiam deferebant in cuentum. In templis vero asseruabatur plerumque suspensis columbis inclusa; idque sub vna specie; in qua & communicabant pro arbitrio: Si qui indigne; aut morte subita peribant; aut ob-

obsessi à Satana vexabantur; idque sæpe, non semper.

VII. STIPENDIA CLERICI accipiebant excuiusque sponte oblatis, Episcopo tactis; distribuenti ea per mensruam sportulam: vnde *sportulantes* dicti. Ipsi et gentiles olim Decimas Sacerdotib. offerebāt, manubiasq; vouebāt: teste *Lipsio in Admirandis. l. 3. c. de decim.*

VIII. In epistola ad Timotheum Ephesi Episcopum Hymenæum & Alexandrum tradidit Satanæ; quod bona opera à fide separantes *circa fidem naufragassent.* Item declarat *à fide discedentes* Saturnium & Ebionem, ait Irenæus l. 1. c. 23 & Ignat. ad Philadelph. quòd *prohibebant nubere*, dicentes Matrimonium esse doctrinam diaboli; *Et abstinere à cibis, quos Deus creauit. &c.* scil. ab animatis, vt erant Enctatitæ, Marcionitæ, & Manichæi secutis temporibus. De quo in nostro *Luthero calumnista p. 4. q. 89. 94.*

ANNO LVIII. Episcopos & Presbyteros instituere Titum iubebat Paulus, eos, qui *essent sine crimine*, *sicut DEI Dispēsatores*, Successores Apostol. futuri. Presbyteri namque in Nouo Test. erant, quod in Vetere Leuitæ; scil. Episcoporum Assessores & Consiliarij. Quid differrent gradu, docetur 1. Tim. 5. *Aduersus presbyterum*, vt subditum tuum, *accusationem non accipies*, ceu Iudex eius, *nisi sub duobus aut tribus testibus.* Vnde Hiero. contra Luciferianū: *Imponit manus Episcopus; non presbyter.* Sic ut à Philippo baptizati Samaritæ, Confirmantur à S. Pet. iuxta, *Tu conuersus confirma fratres tuos.* Vide *S. Igna. ep. 5. 7. 9. 11.*

COELIBATVM commendat isto: *Vnius vxoris virum.* Cretenses enim legibus à puero nubere cogebantur: vt ibi cœlibem reperire non fuerit: proinde polygamiam statuit esse ad sacros Ordines impedimentum: Eo quod, ait Hieron. epist. 50. *Apostoli fuerant aut Virgines, aut post nuptias Continentes.* Quodq; ait Epiph. in Compēd. *Sanctū Sacerdotiū sit ex virginibus vt plurimū procedens. &c.*

II. OBEDIENTIAM Fidei Paulus ad Romanos commendat; volens & cæteras nationes ad eorum credere formā. Ita S. Patres ibidem.

III. Idem Troade prolapsum è cœnaculo Eutychum prēmissa Fractione panis, seu Missa à mortuis suscitauit. Quo in actu sacro lampadum fuit vsus multus; ceu hodieque cereorum: Quem S. Hieronymus contra Vigilantium asserit, & miraculis Deus. *Greg. Dial. 3. c. 30. S. Paulinus apud Turon. de S. Mart. c. 2.*

IV. DOMINICA quoq; dies notatur culta tunc in eo: *Vna Sabbati*, qua Troade prædicatum, cænatum: Corinthijs Collectæ factæ. Vnde S. Ignatius epist. 6. ad Magnesian. *Post Sabbatū omnis Christi amator Dominicū celebret diem*: quo scil. *vna Sabbati* Christus resurrexit: & Pet. celebrauit Pascha; ait Beda Retract. in Act. c. 20. Aug. serm. 251. de tēpore.

V. FESTA B. Ma. Apostolorū, in primis Martyr. ait Clem. *Constit. 8. c. 39.* celebrari debēt post Christū. Sic & S. PP. cæteri, ac Concilia. Antiquitati parcelebritas eorundē semper fuit, hominūque pietas vngentium, osculantium sepulcra, facientiū Collectas, erogantiū pecunias: Nec tamen ab vlla sibi metuentium idololatria. Festis fideles per Cursorem conuocabantur, ob diritas ē ethnicorum; non vllo signo publico.

Remittente tamen persecutionum sæuitiâ, crepitaculis ligneis ciebantur. Demum pace data ære campano.

VI. ORATIONES autem Christianorum quod versus orientem fierent; sibi persuadebant ethnici ab eis solem adorari. Sed ratio illius hæc proditur; quia Christi ascendentis relicta in saxo vestigia orientem spectabant: Quo versus & ipse Redemptor in cruce suffixus respiciebat.

Atque hinc mos inoleuit antiquissimus, vt in baptismo dæmoni abiuretur vultu in occidentem verso; in Orientem vero, eum Christo iuratur.

Situs ritusq; orantiũ erat nũc rectus stando; vnde *Stationes* dicta sunt Oratoria: nunc genibus humi flexis; pro temporum diuersitate; idque ex Apostolica Traditione. Subinde expansis brachijs; vt plurimum iunctis porrectisque palmis demisso, surrectoue vultu; modestiaque spectabili.

Atque ita tam in templis, quam in processionibus.

VII. VIRGINVM DEO dicandarum illustre datum exemplum est in quatuor filiabus Philippi. *Act.* 21.

VIII. RASVRAM Nazaræis præcepit Synodus Apostolorum quarta; vt pote habentibus Votum, legesque hodiernorum similes Religiosorũ. Quorum inde latior in coronam rasura manauit; certo professionis significatu ac admonitu: nimirum quasi lugentium semper in statu pœnitentiæ, Nam Græci in luctu radi solebant.

TONSVRA item Clericalis hinc originem duxit. Causas eius plures reddit *Baronius* ex variis; at accurate *Durantius in Rationali lib.* 2. *c.* 1. *n.* 20. & 31. historica illa, quod vt Crux, ita rasura apud gentes ignominiosa vertit in gloriæ & honoris coronam. Vnde Coronã Episcopalem esse latiorem, quam clericalem, oportuit; ceu status perfectioris indicem: Tantæque ob sanctimoniam reuerentiæ; vt supplices *per Coronam* iuerint obsecrare.

Hæretici quia in Hispania similem Catholicis coronam affectabant strictiorem; ideo Orthodoxus Clerus, ad modum monachalem latissimæ coronæ, se radere iussus est. S. Petrus quoque traditur à gentibus in ludibrium rasus, dum prædicaret.

ANNO LX. S. CRVCIS mos visus & statuendæ & Formandæ ab inimici crucis inualuit. Cum enim Simonis Magi genimina Basilides, Cerinthus &c. Iesum à Christo diuiderent, vt supra liquet; Iesumq; induisse Simonẽ Cyrenæum fingerent, & hunc solum passum, non CHRISTVM: sicq; Crucem Christi abnegabant; ideo Paulus Ephesijs, Colossensibus, Laodiceni, & Corinthijs contestabatur se prædicare *CHRISTVM & hunc Crucifixum*; nec aliud se scire, nisi Hunc. Inde Apostolica Traditione introductum est, vt Ecclesia verbo, signis, & factis Crucem cõfiteretur, in & Ecclesiarum Titulis singularum, in Frontibus. &c. *Cyril. Catech.* 13. *Hier. ep.* 22. Vide huius præclara dicta, factaque apud Baron. & Bzouium.

II. ANGELORVM CVLTVS sacri monet Paulus, *Col.* 2. quod Cherinthus eos Christo anteponeret: vel quod Iudæi stellas putarint animatas esse, coluerintque pro Angelis.

Vo-

Venerandi sunt igitur duleuticæ.

III. CANTVS ECCLESIASTICI monet ibidem; scil. ad exemplum Seraphinorum alternis canentium Deo; vel ut S. Ignatium vidisse testatur *Socrates l. 6. c. 8.* eoque formam Ecclesiæ Antiochenæ expressam chori instituendi, Eademque ad omnes peruenit ecclesias apostolica traditione. Cantum inprimis varie vsurparunt: 1. cum gestibus, & populo concinente cum Clero: sed ob confusiones, ait Hieron. silere iussus est populus. Alexandrinorum cantus erat simplex, suauis orientalium, medius Romanorum. *Meletiani* hæretici cantabãt cum plausu, saltu, tintinnabulis. Contra eos scripsit S. Athanasius. *Paulus Samosa.* cani fecit hymnos de Se; priscos de Christo vetuit. Sic & Apollinaris. S. Hieronymus & Chrys. suadent, cantum pueros ab nutricibus doceri. Musica instrumenta adhibita probantur: solam cytharam ait Augustinus esse ab ecclesia proscriptam.

ANNO LXIX. Petrus & Paulus affecti martyrio regifice conditi in Vaticano sepeliuntur. neque tot inter persecutiones vlla eorum reliquias contigit affici contumelia. Procul ab orbe vltimo frequentabantur ad eos peregrinationes. Orientales S. Corpora surrepturi ad alterum milliare secum asportarant: sed vlterius nequiuerunt vel loco mouere: itaque loco pristino restituunt, Vrbis Imperijque munimento. Passionis eorum instrumenta quoque in reuerentiam sunt à S. Balbina asseruata. Nero etiam per visum territus ab ijs, omittit persecutionem: seque trucidat ipse anno 70.

PERSECVTIONES denique purpurarunt hoc sæculum quatuor.

1. Paulina *anno* 34.

2. Ierosolymitana ab Agrippa, quæ plexit capite Iacobum, disperitque Apostolos ac discipulos. an. 44.

3. Neroniana *anno* 66. tenuit octennium.

4. Domitiana *anno* 92. hæc etiam martyrum acta flammis hausit cœpta in Ioanne in Pathmum relegato.

SCRIPTORES infidelium floruerunt Liuius, Ouidius, Plutarchus, Lucanus, Probus, Iuuenalis, Quintilianus, Philo Iudæus, Iosephus.

ERGO:

1. Dic age; Quæ sincera FIDES hoc constitit AEVO I?
   At SIC PAPISTIS RES stat ROMANA, FIDESQVE:
   Non SIC REM seruat Luthero-caluinista, FIDEMQVE.
2. IVRE SVO Proprio Papa, atque Ecclesia gaudent:
   Quis quid Ei AVGVSTVS proprio de iure remisit?
3. ANTI ne CHRISTVS erat quisquam hoc ROMANVS in Aeuo?

SÆCVLVM SECVNDVM ETHNI-CO-CHRISTIANIS-SIMVM.

ROMANORVM PONTIFICVM CONTINVATA SVCCESSIO.

5. S. CLEMENS *anno* 93. surrogatur Cleto, Petri Pauliq; discipulus, cum innumeros cõuertisset Ecclesiæ præses inclytus, accusatus à Traiano deportatur exul in Chersonesum, *an.* 100. Vbi in ergastulo positis fontẽ producẽs precib. plurimos Christo lucri fecit, ecclesiasq; constructit.

XL. Quo efferatus Traianus, cæsâ Christianorum turbâ maximâ, Papam in altum abiecit. Orãtibus vero cæteris Fidelibus, mare ad tria fere milliaria recedens, *an.* 102. ijs aditum aperuit: vbi in marmoreo sarcophago sacrum eius corpus repertũ est: Simul reuelatũ discipulis, fore quotannis recessurũ fretũ ipso septiduo; quò eius festiuitas ibi peragatur: proinde nec emouere sacrum corpus attentarent. Nec factum secus teste S. Ephræm Episcopo Chersonit. Sedit annos 9. men. 4. Constitutiones Clementis reddidimus supra sæculo 1. in epist. *anno* 112.

6. S. ANACLETVS, cum sedisset annos 9. men. 3. suo Traiano coronatur martyrio.

Trium Sancti Petri Sedium Patriarchalium principem esse Romanam affirmat.

DECREVIT *in Epist.* 1. Sacerdotes, quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent; sed testes secum habeant, in sacratis Deo locis; Episcopus vero

vero plures, quam alius Sacerdos. Peracta Consecratione, omnes ministri communicent. Sic Apostoli statuerunt, & S. Romana tenet Ecclesia. *Ibidem:* si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, ad Sedem Apostolicam, (si appellatum fuerit,) referantur. Quoniam Apostoli hoc statuerunt, iussu Domini, Tu es Petrus. *In epist.* 2. Initium Sacerdotij fuit Aaron; licet Melchisedech & alij spontanea voluntate, non Sacerdotali autoritate obtulerint; Filij eius Presbyterorum in Nouo Testamento demonstrarunt figuram. §. 12. *c. In nouo.* Post Christum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo: & ipsum cæteri Apostoli Principem eorum esse voluerunt.

Filius est æqualis Patri. *In Epist.* 3. Romana Ecclesia, non ab Apostolo, sed ab ipso Domino Primatum obtinuit super vniuersas ecclesias. *Ibid.* Petrus & Paulus S. Romanam Ecclesiam sua morte consecrarunt.

7. S. Evaristvs, natione Græcus, Titvlos in Ecclesiam infert. Sicut enim Fiscales nomen aut imaginem Regis in velo prætendebant ædibus, immunitatis causa: ita factum ædibus, quæ in templorum vsum vertebantur. Tales Papa hîc *septem Titulos in* Vrbe designauit VII. Presbyteris: quos demum S. Syluester Cardinales nominauit, qui inter alia curam gererent pauperum.

Vitam officiumque consummat martyrio sub Adriano, *anno* 121. cum sedisset annos 9. m. 3.

Decreta Euaristi. *Epist.* 1. *ad Africanos.*

Non fit Coniugium fidelium, nisi ab his qui super ipsam fœminam dominationem habent. Sacerdotaliter, vt mos est, benedicatur, & biduo vel orationibus vacent, & castitatem custodiant; vt bonæ proles generentur, & Domino in actibus placeant. Aliter præsumpta, non coniugia, sed adulteria potius esse non dubitate. *In epist.* 2. Episcopus Ecclesiam suam non dimittat; nec alteri se ambitus causa coniungat.

8. S. Alexander succedit in & Pontificatu, *an.* 121. & martyrio sub Adriano, *anno* 132. cum sedisset annos 10. m. 5. Scripto constituit traditum aqua misceri calicem. Item *Aqvam lustralem* cum sale benedici, ad vsum domi cuiusque, & in templis: sicut panes Christus; oleum Apostoli, Matthæus aquam benedixit, teste Clem. Const. l. 8. ca. 35. ad diaboli præstigias dissoluendas.

Decreta Alexandri I. in epistola ad omnes Orthodoxos: *In Sacrificio Missarum panis tantum; & vinum aqua mixtum offeratur.*

Quia vtrumque ex latere eius in passione sua profluxisse legitur.

H. Ibidem. *Aquam sale conspersam populis benedicimus; vt eâ cuncti aspersi sanctificentur ac purificentur: Quod & omnibus sacerdotib. faciendum esse mandamus.*

Nam si cinis vitulæ, aspersus sanguine, populum sanctificabat; multo magis aqua sale aspersa, diuinisque precibus sacrata.

Et si sale aspersa per Helisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est; quanto magis diuinis precibus sacrata sterilitatem rerum auferet humanarum, & insidias diaboli auertet, & coinquinatos sanctificabit?

9. S.

9. S. SIXTVS Pontificatum inijt *anno* 132. Martyrio vitam finiuit *anno* 142.

Constituit, vt Sacerdote Missam inchoante, populus cantaret *Sanctus*: Item sacra Vasa tangi solum ab sacris: FORMATARVM ab Papa Rom. dandarum vsum instituit, quas exhibeant in Episcopatum seu parochiam ingressuri: quo certior constaret communio Fidei eiusdem contra hæreticos.

Dicebantur etiam *literæ Communicatoriæ, Canonicæ, Pacificæ. &c.* Titulum *Vniuersalis Episcopi Apostolicæ* Ecclesiæ vsurpauit primus. S. Victor se titulauit, *Pontifex Maximus, Episcopus Episcoporũ*: ita Tert. de pudic. c. 1 Sedit an. 10. vno mẽse min.

10. S. TELESPHORVS Græcus, ex Anachoreta creatus Papa *anno* 142. subit martyrium sub Antonino, *anno* 154. sedit annos 11. M. 9. triduo minus.

QVADRAGESIMALE *Ieiunium* cum varie ieiunaretur, sanciuit ieiunari VII. hebdomadis ante pascha: Item nocte Natali media Missam, duasque porro celebrari: Adijci Missæ *Gloria in excelsis*. Hæresin damnauit Valentinianam.

11. S. HYGINIVS ex Atheniensi philosopho Papa *anno* 154. fit martyr *anno* 158. sedit annis 4. minus 2. diebus.

Hic CLERVM ordinauit in gradus ex apostolica Traditione: Patrinum & matrinam baptismo adhibuit.

12. S. PIVS. 1. Italus fit Papa, *anno* 158. Iudaizantes in celebrando PASCHATE coercuit, mandato, diem XV. esse paschalem debere, non XIV. Sic apparens ei Angelus iusserat: teste *Hermete lib. Pastoris*. Suum sibi vitæ exitum reuelatum scribit S. Iusto Viennensi Episcopo *anno* 164. quo purpuratur Martyrio, cum sedisset annis 9. M. 6. minus diebus tribus.

Sanciuit hæreticum ex Iudæis venientem, rebaptizari: quod formulam baptismi deprauarent Cherinthiani. Itẽ, Prædia sacris vsibus dicata, minime alienari debere: Blasphemum excommunicari. Idem in epistola ad Italos scribit: *Petistis, vt omnes vobis retro temporum* Cõsuetudines *seruarentur, quæ à Petri Apostolorum Principis Ordinationum initijs hactenus* Vetustas *longa seruauit. Et quidem Nos* Consuetudinem *laudamus: quæ tamen contra Fidem Catholicam nil vsurpare dignoscitur.*

13. S. ANICETVS, natione Syrus, succedit *anno* 164. cui dissentiens primum S. Polycarpus, in Asia Episcopus Smirnensis demum consensit in Paschate XV. die celebrando. Decessit martyrio, anno, 175. cum sedisset annos 9. minus mensibus tribus, diebusq; 7. Sanciuit, *neu Clericus comam* nutriret; *sed Rasuram phæricam* gereret in vertice.

14. S. SOTER è Campania sublegitur *anno* 175. Coronatur Martyrio *anno* 179. sedit annos 5. minus 12. dieb. Quia Montanistarum fœminæ Sacra tractabant; ideo S. Soter vetuit, ne monacha, vel Diaconissa pallam attingeret, aut Incensum poneret in Ecclesia. Ieiune sacrificandum, & præsente alio Sacerdote. Item: *Iuramentũ incautũ, q̃ obseruatũ in peiorem vergat exitum; salubri consilio mutandum nouerimus.* Item, In Cœna Domini omnibus communicandum, exceptis excommunicatis.

15. S. ELEVTHERVS Neapolitanus, *anno* 179. Papa sedit annos 15. Dies, 23. obiit in martyrio, nascitur, *an.* 194. Martyrem

trem Ecclesia Rom. appellat, quod & Confessores sic appellaret. Definiit: Omnes eseas in se bonas esse.

16. S. VICTOR continuo succedit *anno* 194. Hæresiarcham Theodotum excommunicat *anno* 196. fingentem esse Christum nudum hominem, solâ iustitiæ prærogatiuâ præ cæteris excellentiorem. Negarat is in patria Bizantij Christum: ad probrũ sibi exprobratum fugit Romam: & hic obiectantibus aiebat, *Hominem, non Deum, negaui.* Vide infra.

Anno 198. Orta per Asiam controuersia de Paschali die, in Concilium Episcopi coeunt, Præside Theophilo Cęsariensi; licentiam conferente S. Victore. Hic Patres docebant mundum esse conditum in Vere, lunâ plenâ, in æquinoctio, inque Dominica, propter eiusdem benedictiones: Quia in ea

1. Tenebræ sunt remotæ:

2. Populus eductus Ægypto:

3. Manna datum primo:

4. Iussitque Moses; vt esset dies primus & vltimus obseruatus:

5. *Hæc dies, quam fecit Dominus* Resurgens: Ergo die Dominica, Luna XV. celebrandum est Pascha. At è contra Asiani luna XIV. celebrandum contendebant Pascha; quod ita inde ab Apostolis accepissent.

Verum quia aliarum omnium Ecclesiarũ Traditio docebatur contra Iudaizantes in Asia plerosque, idcirco hi causa ceciderunt, abstenti facti ab S. Victore vt *Quartodecimani*; Idque propter hæreticos pertinaciter Ecclesiæ in eo contradicentes: Etsi perdiu in Schisma te eo perstiterint Asiani, accedentibus ad eos Nouatianis.

Sedit itaque S. Victor annis 9. & aliquot menses.

Vtriusque Orbis

IMPERATORVM ACTA INSÆCVLO II.

	Anno Christi nati
13. TRAIANVS *Imperat. sit.*	
Lustrans exercitum relegat 2000. Christianorum.	100
A persecutione remittit ob nimiam multitudinem Christianorum; & moritur.	109
14. HADRIANVS *Persecutionem incipit sæuam,*	118
Remittit, sibi templa consecrans.	120
Ierusalem restaurans nominat Aeliam.	132
Iudæos extinguit, porcum sub porta Ierosol. suspendens. Loca Christi passi profanat.	137
Inedia se conficit.	137
15. ANTONINVS *Pius prastigiis miranda patrat*	140
Pacem reddit Ecclesiæ.	139
Libros Sibyllinos & prophetarum vetat.	141
Moritur, interque Diuos refertur.	142
16. AVRELIVS *creatus moritur.*	158
17. LVCIVS VERVS *videt sponsam à dæmone obsessam liberari ab Episcopo.*	163
Et filium per S. Politum.	153
Apoplexia moritur inter Diuos relatus.	168
18. COMMODVS *succedit patri vita turpissimus*	170
Strangulatur ob tyrannidem & in Diuis numeratur.	179
19. PERTINAX *imperat 82. dies necatur.*	194
20. SEVERVS *bene de Christianis meretur.*	195
At diram mox persecutionem parat.	194
Filius ensem stringit in eũ: moritur.	204
	213

Concilia Sæculi II. consona Papis.

I. PALÆSTINVM, *an.* 198. in causa paschatis contra Quartodecimanos, & Asianas ecclesias, quæ Traditionem suam de luna XIV. ab Ioanne acceperãt, ob neophytos tantisper toleratam, donec Synagoga cum honore sepeliretur. Ita *Euseb. l. 5. c. 22. Tert. l. de præscr. Aug. hæresi 29.*

II. ROMANVM sub Victore, eadem ex causa, annoque eodem decreto.

SS.

SS. Patrum, ac Scriptorum Concordia, sub Papis Sæculi II.

S. IVSTINVS Samarita, philosopho rum sectis omnium pertentatis, diuinitus ad doctrinam Christi capessendam instruitur *anno* 130. à Sene, qui ad ripam maris obambulãti apparuit, eum catechisauit, simul disparuit, dato monitu: *At tu precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta; talium enim dare intelligentiam Dei, Christique est.* Baptizatus igitur aduersus gentilium in Christianos calumnias apologiam conscribit *anno* 147. ad Antoninum Imp. ac alteram contra Crescentium: demum martyrio vitam claudit. Descriptis eius Eusebius & Hieron.

S. MELITO Sardensis Episcopus, M. Aurelio Imp. apologiam pro Christianis offert, *anno* 172.

Catalogum librorum Veteris Test. conscripsit, vbi librum Sapientiæ tribuit Salomoni.

Athenagoras, æqualis Iustini pro Christianis apud Aurelium apologista, multis clarus scriptis. *Tatianus* vero S. Iustini auditor, pluribus celebris libris; at S. Iustino martyrizato in hæresiarcham prorupit.

HEGESIPPVS Apostolorum discipulus, *an.* 167. scripsit historiam Ecclesiasticam vsq; ad Anizetum PP. & libris quinq; suam de fide declarationem testatus, in itinere Romam versus cum multis contulit Episcopis, conformem singulis, vt nec ciuitas esset, in qua diuersum quid reperisset.

S. IRENÆVS, Presbyter *an.* 179. ab Lugdunensium Martyribus captus Romam ad S. Eleutherium missus rogatũ, pacem in Ecclesia componeret aduersum Montani factiones; Apostolicas ibi Traditiones, ritusq; ac disciplinam perscrutatus, pura omnia sinceraque agnouit conseruari; proinde ad ea prouocans hæreticos constrinxit Valentinianos, Marcionitas, Blastum, Florinum: enumerans Pontificum Rom. continuã successionem, ac Monarchiam Ecclesię demonstrans. Docebat item *Fidei tesseram Miracula*, donaque S. Spiritus cætera, in sola reperiri Catholica Ecclesia. Ita *l.* 2. *c.* 6. Demum martyrio consummauit. Episcopus Lugdunensis; discipulorum Ioannis & Polycarpi discipulus; natione græcus scripsit latine.

S. THEOPHILVS Antiochenus Episcopus, *an.* 170. apologiam pro Christianis dedit ad Aurelium; commentator in IV. Euangelistas eximius.

DOGMATA ROMANO-Catholica Sæculi II. Nouatoribus contraria. Exempli gratia.

I. *Missam* adstruit, post *Diony.* Areop. Eccl. Hier. c. 3. *Iustinus* in apologia 2. *Irenæus* l. 4. c. 34. *illam esse Sacrificium.* ca. 32. *Iustinus* dial. cum Tryphone, *Alexander* Papa in Decretali: *Missæ Ritus*, Iustinus in 2. Apolog. Clem. l. 2. Stro.

II. *Liberum hominis arbitrium* asserit *Iustinus* q. 103. Irenæus l. 4. c. 72. *Theophil.* l. 2. ad Autolycum *Athenag.* Alex. in parænetico *Clem.* Stro. l. 2.

III. *Gratiam Dei, iustificationis, & fidei rationem* ostendit *Clemens* Strom. l. 1. 3. 4. in Pædagogo, ac cæteri meritum Christi extollentes in Apologijs.

IV. *Opera ad salutem necessaria* docet *Clemens* l. 5. 6 Strom. *Theophylus* lib. 2. ad Autolycum *Necessitatem pœnitentiæ* docet *Clemens* lib. 2. Strom. & in Paræneticō.

V. *B. V. Mariam esse Aduocatam* asserit *Irenæus* lib. 5.

VI. *Sanctorum inuocationem* admittit *Iustinus* q. 28. & in secunda Apologia.

VII. *Signum Crucis* docet *Iustinus* contra Tryphonem q. 118.

VIII. *Veritatem Eucharistiæ, & Transubstantiationem* asserit *Iustinus* in 2. Apolog. *Clemens* 2. Strom. *Iren.* l. 4. c. 34.

IX. *Baptismum, Chrisma, & Ceremonias* docet *Iustinus* q. 136. *Irenæus* l. 1. c. 18.

X. *Primatum Pontificum Rom.* testatur *Irenæus* l. 5. Et Concilium Palæstinum apud Euseb. l. 5.

XI. *Aquam lustralem* Alexander I. *Quadragesimam, delectumque ciborum* Telesphorus Papa.

Porro *in Varijs* infra plura. Nunc pauca hæc sufficerint in exemplum: sic enim ire per plura licet.

Hæresiarchæ in Sæculo II. dissoni Papis.

GNOSTICI *anno* 120. nefandissimi à Prodico & Carpocrate prognati orbem & auram hanc incœstarunt. Sementiuam eorum fudit MENANDER, Simonis Magi germen; ex quo Saturninus Antiochenus in Syria, & Basilides Alexandrinus in Ægypto, prodierunt.

BASILIDES finxit (post 24. libros in Euangelistas scriptos) prophetias nouas Barrabæ, & Barcoph: Angelorum nomina noua: Hos condidisse Cœlū, & hoc alios: Idolothyta comedere in persecutione, fidem eiurare, esse indifferentia: Christum se in Cyrenæum vertisse, illusisse Iudæis; non passum Christum, sed istum; proinde non liberatos nos à crucifixo, sed à Christo. Corpori non promissam salutem. Peccata dimitti solum inuoluntaria, & ignorantiæ; cætera non: Fidem esse naturalem: In homine exercitum inesse spirituū, passionum; his vti naturalibus, non repugnādum, licitasque libidines. Realitatem Eucharistiæ negauit; quod è Virgine Carnem assumpsisset falsam Christus.

SATVRNINVS finxit, Deum sic esse Creatorem, vt Angeli tamen VII. creārint mundum. Deum Iudæorum esse vnum ex Angelis rebellibus; contra quē Christus sit missus homo puratitius. Ab angelis creatos homines bonos ac malos; & hisce dæmoni prodendis missum Christum: Nubere, generare à Satana esse: Abstinendum ab animatis: Prophetias alias ab Angelis, ab dæmonibus alias promanasse.

8. CARPOCRAS eodem extitit tempore, ADAMITARVM & Gnosticorū parens, magusq; finxit delicta esse præcepta, Libidinibus exhaustis omnibus tum demum supra Angelos fore homines euehendos; vxores esse communes oportere; prolificationem caueri; forte conceptum, natumque in mortario cōtundebat cum melle, pipere, vnguentis litabant Deo; hocque Pascha suum dicebant:

cebant: Signo sese isto noscitabant, cum datis dextris in vota confrictum titillationis faciebant: post epulas dicebant: *surge, fac caritatem*, commisti, manibus spermate perlitis ac eleuatis aiebant: *Hoc corpus Christi est & Pascha.* Execrabantur ieiunia: Nudi degebant in ecclesijs, quas paradisos vocabant. &c.

GNOSTICIS hisce iunxerunt sese Simoniani, Nicolaitæ, Cerdonitæ, Valentiniani.

Istorum scelera Christianis affinxerunt Iudæi & Ethnici. Notam habebāt auriculæ dexteræ pertusionem. Imagines quoque colebant, sed cultu latriæ damnato.

9. VALENTINVS Ægyptius Poeta, spe lapsus Episcopatus ambiti in Cypro, hæresin excogitat *anno* 145. Finxit Æonas 30. è quib. Saluator natus velut Pandorus esset; carnem tamen è cœlo, non ex Virgine trahens: Finxit tria esse genera hominum, Carnale, Animale, Spirituale; quale suos asserebat: ideoque suis haud necessarias operationes; sed Psychicis opus ieiunijs, martyrijs. &c. Vnde frequentabant cum ethnicis ethnica, Christiana cum Christianis. In homine vnum esse spiritum iustificantem; iniquum multiplicem: Se Catholicos & simplices vocabant: Sua mysteria quia Romæ occulte peragebant; sua Christiani celebrare instituerunt palam etiam cum luminibus. Valentinus: Euangelium de infantia Christi. Traditione potissimum conuinci poterant, sed non suaderi.

OPHITÆ, ex istis orti, serpentem, vt Dei sapientiam, colebant; vt etiā Christo anteferant eundem, alebant opipare; in aram euocatus, vt spirâ oblationem amplexus abijsset; ipsi velut de benedicta Eucharistia communicabant: Quin Christum ipsum in serpentem esse mutatum fingebant.

CAIANI item ex Valentinianis progressi, malum dicebant bonum; saluandosque oportere per omnia ire scelera: Sodomitas, Core, Iudam. &c. idcirco sanctos esse, & ex Magna Virtute prognatos: Bonorum vero oppressores esse Angelos.

12. Item SETHIANI fingebant ex Seth natum Christum loco Abelis. Ferax monstrorum sæculum!

13. ARCHONTICI *anno* 175. Valentini genimina, negabant Sacramenta; quod corporalia non possint, nec esse debeant inuisibilium signa: Deum Sabaoth in cœlo tyrannidem exercere; genuisseque Euam, & Caynum.

14. MARCVS magus, *anno* 175. se Valentini emendatorem simulabat: Calicem vini per incantationem rubere faciebat, dicens ex sese in eum stillare gratiam. Suis per magiam incantabat Spiritum quasi propheticum, vt diuina fari viderentur enthusiastæ; seq; omnem scientiæ magnitudinem accepisse gloriarentur.

15. DOCITÆ ex supradictis orti, qui hoc vnum potissimum Docere se profitebantur, (*sub annum* 191.) Christum apparenter, non vere incarnatum fuisse; & quæ ex hoc absurdo cætera consequuntur.

Illos S. Serapion Episcopus Antiochenus refutauit libro *Euangelium Petri* dicto, scripto contra Apocryphum Petri

tri Euangelium, ex quo suum Docitæ commentum docebant.

16. HELGESAITÆ *an.* 103. ab Elxai Iudæo exorti, duas fœminas vt Deas adorant. Vide *an.* 349.

17. CERDON fingit duo Principia Deos duos, Bonum superiorem: sæuũ, Creatorem. Legem & Prophetas repudiabat, Deumque Creatorem. A Superiore Christum esse; sed phantasticum, quasi natum, passum, animam resurrecturam solam, non corpus: Euangelium Lucę solum, nec totum recipiebat. Cœpit *an.* 146.

18. MARCION Ponticus Stoicus, *an.* 146. Cerdonis discipulus, ob stuprum eiectus ex Ecclesia, à Synope Episcopo, genitore suo optimo, confugit ad Cerdonem. Cum nec Romæ dein recipere tur, ait; *Findam Ecclesiam* vestram in æternum. Spreuit Vetus Test. totum; Nouum mutilauit, Christi carnem abnegans; quo veraciorem sese iactabat. Absurdissima plura vide apud Baronium & Bzou. *an.* 146. Fœminas præcipue adiutrices habuere plerique hæretici. Percunctanti Marcioni, Nosti me? respondit S. Polycarpus; *Noui te primogenitum diaboli.*

19. APELLIS similia portenta dogmatum ibidem. Tantas inter procellas cursum tenuit clauumque Ecclesia inoffensum. Prædicti Romæ an. 155. simulabant, maiestate perculsi, vt alubi ceu Catholici acciperentur.

20. MONTANVS Phryx, *an.* 173. vix dum Sacris initiatus Christianis in hæresiarchã Asiæ erũpit. Romæ tamẽ alia omnia simulans *Communicatorias* elicuit, quibus fretus hæreses, vt Romanæ conformes Ecclesiæ disseminauit, sed monitus Pontifex reuocauit literas. Idẽ cum Priscilla & Maximilla arrepti ab Satana, prophetando quæstum faciebant. Damnatur ab Asiæ Episcopis, sui impulsu spiritus laqueo vitam abrumpunt: præcipitio Theodotus.

Montani dogmata erant; *se esse Paracletum; Trinitatis vnam esse personam: nuptias secũdas damnabiles: tres esse Quadragesimas voluit: Prophetas seipsos non intellexisse vt enthusiastas: Martyrium in persecutione non fugiendum. Confiteri, vt iusti, Montanistæ erubuerunt:* Ex infante sanguinem elicitum sacrificabant in Paschate, &c.

21. TATIANVS sub S. Iustini magisterio speciem pietatis prætulit; sedem sublato magisterium inter condiscipulos affectans, *an.* 174. Romaque digressus fit hæresiarcha, depositâ simulatis Catholici laruâ: & in Valentini lapsus dogma profecit in peius, amplexus Marcionis & Saturnini continentiam, & detestans nuptias.

22. Inde hæresis ENCRATITARVM, id est, *Continentium*; qui eo superarunt magistrum, vt & sacrificium aquâ miscuerint; Vnde AQVARII dicti: & ipsi Continentes; sed per antiphrasin vtrique.

23. MONARCHICI *an.* 196. orti Romæ, simul extincti docebant vnam tantum Deitatis Personam esse. Ortisunt à Praxea fingente Patrem esse Christum; sibique sederi ipsi ad dextram.

24. THEODOTVS finxit, Christum esse inferiorem Melchisedecho; quod secundum ordinem huius esset Sacerdos *an.* 196.

VA-

VARIA

Fidei Testimonia historica in Sæculo II.

Anno C. Aduersis Ecclesia maior gentilitate sic, vt vix tria in orbe superarent oracula.

Anno CVIII. Lustrans exercitum Traianus reperta 11000. militum Christianorum mittit in exilium, & enecat. Et vero tantum erat vulgus Christianum, vt in capita solum animaduerteretur: ita ductus est S. Ignatius *an.* 109. Simeon frater Domini, Episcopus Ierosolymitanus, ætatis an. 120. crucifigitur. *S. Dionysius* Galliæ Apostolus ætatis anno 110. capite plectitur.

S. Ignatius ex itinere Romam versus diuersis in epistolis commendat Ecclesiam Romanam: Fractionem panis frequentem: Orationem communem; Ordines gradusque Ecclesiasticos: Virginum, Viduarumq; collegia. Eius Reliquiæ semesa ossa religiose relata Antiochiam asseruantur; quas magno redemptas prædicat S. Chrys. *tom.* 5. *serm. de S. Ignat.*

Anno CVIII. Traianus quinque Virgines, in cæteris, Antiochiæ combussit; Cineres æri miscuit lauacro publico parando. In quotquot lauabantur furibundi extinguebantur. Itaque æs lauacri transfudit in statuas virginum quinas, & has pro lauacro proposuit.

Anno CXII. Tituli ecclesiarum cœpti, Ordoq; Cardinalium siue VII. Diaconorum. Vide in Eccâristo supra.

Anno CXIIX. Præside Palæstinæ conquerente, se cædendis imparem Christianis, mandat Traianus cessari toto Imperio; cæsis à se prius *V. Virginibus*; quarum exustarum cineres miscuit æri in lauacrum publicum fuso. Et hoc loti furentes moriebantur. Idcirco refuso ære in statuas quinas, has pro balneo proponit.

Papias Scriptor Ecclesiasticorum, pluris ea facit, quæ scisciando ex Discipulis Apostolorum intelligit, quam quæ scriptis reperit annotata.

Anno CXXX. Iustinus philosophus veri Dei cognoscendi cupidus, per singularum sectarum philosophicarum principes obit percunctando; demum propter mare ambulanti senex se offert, docet ipsum, suadetque precibus instet ad Deum: fit Christianus.

Anno CXXXVII. Hadrianus Imp. in loco Dominicæ Passionis statuam Iouis ponit: in locum Christi nati Adonidem prostituit ac lupanar excitat ad abolendam Christi, fideique memoriam.

Anno CXL. Tanta Christianismi est propagatio, vt non Imperij; sed orbis totius finibus terminaretur.

Anno CXLIII. Quia Sibyllarum lectione gentes ad fidem Christianam inducebantur; idcirco Antoninus Imp. eam interdicit edicto sub pœna mortis.

Sed reclamat iusta Apologia Iustinus: qua etiam Gnosticorum infamiam à Christianis deriuat.

Sæ-

Secundam idem offert pro Christianis eidem anno 150. Ælij Veri vox erat: *Vxor dignitatis nomen est; non voluptatis.*

Anno CLXIII. Lucij Veri Imp. sponsa Lucilla arreptitia voluit à solo S. Albercio liberari: Idcirco Imp. assignat Episcopo & Christianis Hieropolitanis annuos modios frumenti ter millenos. Quos continuo datos sustulit Iulianus Apostata.

Anno CLXIX. *S. Polycarpus* in flammis illæsus, vt gladio traiectus iacuit, Iudæi Præsidem monebant, neu S. corporis *Reliquiæ* darentur Christiano. Pij tamen exusti ossa collecta gemmis incluserunt.

Anno CLXXVI. M. Aurelius Imp. in Marcomannos, Germanosque duxerat; sed ab his ita conclusus eingebatur, vt desperatione & siti, proprijsq; gladijs exercitus iam esset periturus. Ergo Dux Legionis è Christianis.

Melitenis ad desperatum ait Imperatorum: Nihil est, quod Christiani precibus nequeant impetrare. Marcus igitur ab Christiana petit legione, vota Deo suo faciant. Vix supplex facta, iam imber, fulminaque ruunt; hostem sternunt, recreãtq; Romanos. Mox Imperator gratus senatui Rom. iubet, vt Christiani censeantur pij, non accusentur. *Ioui Pluuio* tamen erexit statuam; cuius in columnam cœlo ictam Sixtus V. posuit D. Pauli statuam.

Anno CLXXVIII. Quia vetitũ erat Christianos hoc de nomine accusari; confictis in eos criminib aut hæreticorũ affictis damnabantur. Quidam Christum abnegantes adibant supplicia mœsti; at hilares Christum confessi. Corpora Martyrum diu seruabant milites, ne ab Christianis surriperẽtur: demũ aut canibus obijciebãtur, aut exusta in Rhodanum abijciebantur. Athenagoras philosophus edita Apologia purgat Christianos ab impietate.

Anno CLXXXI. Iudæus catechumenus iter per æstuans desertum tendens deficit viribus, socijs Christianis cantu molestiam temperantibus. Defectus adiurat comites vt baptizentur. Aqua destituti, *arenâ baptizant* eum: qui repente viribus receptis pergit iter. S. Dionysius tamen Corinthiorum Episcopus iubet eum aquâ baptizari.

Anno CLXXXIII. Commodus Imp. seipsum inter Deos referente, qui Senatus Herculem nominabat; nobilissimi quique fieri maluerunt Christiani. Lucius Rex Britanniæ, missis Romam Legatis, se, gentemq; suam petijt in fidem recipi Christianam, inaccessamalias, & inuictam.

Anno LXXXIV. S. Scripturæ versio prima facta est à LXX. Interp. Aliera ab Aquila Pontico sub Hadriano. Iam tertia ab Theodotione redditi primum Tatianista, dein Marcionita, postea proselypto Iudæo. *Aquila Ponticus*, quod Fato & Astrologiæ plus iustribueret, abstentus extra ecclesiam cludebatur: & idcireo anno 158. ex Christiano factus est Iudæus.

Anno CXCXVII. Christiani cum infidelibus conuersi, non mutabant habitum: pallium tamen assumebant fici: at *monachi*, omnes qui etiam ob vitæ studium perfectioris, capitibus rasis cedebant, despectum sui despicientes cum mundo.

An-

ANNO CXCIIX. Asiaticam *de Paschali die* controuersiam require supra in Victore PP.

ANNO CXCIX. S. Narcissus Episcopus Ierosol. quod acer in vitia diceret, per calumniam factam exulare iussus, vitam anachoreticam agit, mutatque aquam in oleum: Calumniatores pereunt ita, sicut quisque sibi fuerat imprecatus, primus fœdo morbo, igne alter, tertius cœcitate.

ERGO:

1. Dic age; Quæ sincera FIDES hoc constitit AEVO II?
   At Sic PAPISTIS RESstat ROMANA, FIDESQVE:
   Non Sic REM seruat Luthero-caluinista, FIDEMQVE.
2. IVRE Svo Proprio Papa, atque Ecclesia gaudent:
   Quis quid Ei AVGVSTVS proprio de iure remisit?
3. ANTI ne CHRISTVS erat quisquam hoc ROMANVS in Aeuo?

SÆCVLVM TERTIVM CHRISTIANO-HÆRETICVM.

SVMMORVM PONTIFICVM ROMANORVM CONTINVATA SVCCESSIO.

17. S. ZEPHYRINVS, *anno* 203. creatus Papa, Natalium quendam ab hæresi Theodosiana reducem absoluit, *an.* 206. quē Theodosiani 150. denarijs menstruis corruperant, vt eorum sese sineret sectæ creari Episcopum. Sed nocte tota flagris cæsus ab Angelis, (cum factam prius sibi visionem, vt resipisceret, neglexisset) resipuit, in sacco, cinere, fletu ad pedes Papæ adreptans. At *anno* 213. excommunicauit hæresium diuersarum præcipuos propugnatores, vt Proculum Tertullianum &c.

An. 221. Martyrio consummat; cum sedisset annis 18, diesque totidem.

18. S. CALLISTVS I. succedit *anno* 221. verum *an.* 225. diu fame in carcere tortus, cæsus fustibus quotidie, demum è fenestra in puteum subiectum præcipitatus martyrio finiuit vitam. Domus ea dein versa in templum est. *IEIVNIVM quatuor temporum* ab Zacharia, cap. 8. prædictum, ab Traditione Apostolica introductum, roborauit Scripta Constitutione. Fecit Ecclesiam B. V. Mariæ trans Tiberim, petita licentia ab Imp. Alexandro: quod ibi in taberna meritoria, die natali Christi tota, *fons oleu* manasset. Sedit an. 5. mensem vnum, dies 12.

19. S. VRBANVS *an.* 225. surrogatus, subit martyrium *anno* 233.

Fie-

Fieri sacra vasa omnia iussit argentea: contra illud Alexandri Imp. è Persio: *In Sanctis quid facit aurum?* Sedit an. 6. M. 7. d. 4.

20. S. PONTIANVS Romanus successit *an.* 233. relegatur ab Imp. in Sardiniam, martyrizatur anno 237. Sedit an. 4.

21. S. ANTERVS fit Pontifex, annoq; eodem à Præfectis Vrbis occiditur, quod S. Martyrum gesta diligenter à Notarijs exquireret, & in Acta referret. Sed & VII. Notarijs Actorum præfecerat VII. Vrbis Diaconos Cardinales. Sedit annum vnum.

22. S. FABIANVS Romanus, *an.* 238. cum in deligendo fratres inter plures deliberarent, nemine de Fabiano cogitante, is improuisâ ab deuolante columba insessus, ab vniuersis acclamatur Pōtifex Max. *An.* 244. erigit ædificia supra S. Martyrum cryptas ad eos honorandos amplius.

Anno 242. Priuatum hæreticum, in Concilio de multis conuictum, anathematizat. *Anno* 246. Philippum Imp. à Pontio Præfecto conuersum, baptizat. Deinde ob grauia delicta arcet ecclesiam ingressurum; iuberque prius eum stare inter publice pœnitentes, ac confiteri. Et fecit mandata Imperator: teste *Euseb. l. 6. c. 27.*

Anno 253. à Decio trucidatur pro fide vna cum Imperatore: cum sedisset annis 15. Sancit quotannis Chrisma renouari oportere. Cōmunicari ter in an.

23. S. CORNELIVS Romanus, post annalem Sedis Rom. vacationem, eligitur in Papam, *an.* 254. ipso in æstu persecutionis Decianæ; eoq; ardentior desiderio martyrij ferebatur: vel maxime tamen viri zelum exercebat Nouatus, Africani autor schismatis contra S. Cypr. differentem recipere lapsos: quos orta ab eius diacono Felicissimo factio voluit esse recipiendos; & huc incitabat Cō fessores contra, quam vetuerat S. Cypr. excommunicato Nouato, S. Cornelius tamen Romæ facilis erat in recipiendis. Nouatus Romam aduolans, vt suæ sectæ Papā creari procuraret, venit creato iam S. Cornelio: itaque Nouatianū à tribus inaugurari episcopis efficit Antipapam & Hæresiarcham, de lapsis non recipiendis, &c. Hic Papæ calumniator refutatur à S. Cypriano. Cornelius cum Concilio Rom. definit lapsos quidem recipiendos; sed Clericos cum suspensione ab officio, & ad laicam communionem. De quo & ad Cyprianum scribit, qui habito Concilio addit Supplicationes petētiū recipi esse mittēdas Romā. *An* 255. Gallus Imp. iubet exulare Cornelium, quod in cryptis Missas celebrare insisteret. Reductus Romam iussus sacrificare Marti noluit, ducendus quinquenn o paralyticam Sallustiam sanat, cumque tota domo baptizat: capite plectitur, cū sedisset, annis duob.

24. S. LVCIVS, ob fidem licet captus, fit Papa: reduxque Romam idola spernit *anno* 256. Sed *anno* 257. pro fide plectitur capite: ordinans dum ducitur, ne vsquam Episcopus iret absque tribus Diaconis; idque ob calumniam à Nouatiano factam S. Cornelio. Sedit annis fere duobus.

25. S. STEPHANVS Romanus, Lucij Archidiaconus, ei succedit *an.* 257. *An.* 258. damnat sententiā de rebaptizandis hæreticis; nam hunc Nouatianismum

in Hispania serpentem Episcopi ad Papam retulerant; petierantque Episcopum Arelatensem Marcianum autorem deponi. Item de ijs decreta Concilij Africani antiquabat. *An.* 59. Ecclesia Orientis cum Romanâ reconciliatur, in causa de recipiendis lapsis, & non rebaptizandis hæreticis; cui & acquieuit S. Cyprianus; licet persecutione interueniente se scripto valuerit declarare. Qua in persecutione Valeriana totus Clerus paratus est mori cum S. Stephano per baptismum sanante cœcam filiam Nemesij Tribuni item baptizati cũ plurimis: sed & affectis martyrio: In quibus Sempronius Nemesij bonorũ procurator statuæ martis dixit: *Conterat te D. IESVS Christus: Et sensim liquefactum simulacrum defluxit*; quo conuersi multi.

An. 260. Nolens sacrificare precibus templum Martis deijcit, oppressis Valeriani Satellitib. ac dispersis, ipso cum clericis illæso: digressus inde sacrificat; inque sede sua ab missis spiculatoribus trucidatur, cum sedisset annos 3. mens. 3.

26. S. SIXTVS II. *an.* 260. sublectus decretalem ad Episcopos Hispaniæ scribit de accusatione Episcoporum, *an.* 261. capite plectitur, cum sedisset anno 1. M. 2.

27. S. DIONYSIVS *anno* 261. Succedens, *an.* 264. Paulum Samosatenum Episcopum fingentem in Deo Vnitatem personarum; Christum merum hominem; sed iustum: &c. refellit, ac condemnat: & Vixit *an.* 272. cum sedisset annis 11. M. 3. Parochias, & diœceses constituit.

28. S. FELIX Romanus fit Papa *an.* 272. Sabellij & Samosateni hæresin contra Diuinitatem Christi, per epistolam ad Epis. Alexan. refellit atque condemnat. Traditionem, non scripto, sed vsu conseruauit illam, vt supra Memorias Martyrum Missæ celebrantur. Sedit an. 2. M. 5. factus Martyr pro fide, *an.* 273.

29. S. EVTYCHIANVS Succedit *an.* 273. Cũ per diuersa loca 342. martyres suapte manu sepeliisset, *an.* 283. martyrio coronatur. Hic Manichæis obnitẽs dicentibus, creaturas terrenas à malo principio exortas esse execrandas, decreuit fruges, vuas, &c. in ara benedici. Item Martyres cum dalmatica aut collobio sepeliendos. Sedit an. 9.

30. S. CAIVS surrogatur, *an.* 283. Martyrizatur *an.* 294. Sedit annis 12. M. 4. Sanciuit, vt quod hactenus exnõ scripta Traditione in tota ecclesia seruatum est, dein ex lege à se scripta seruaretur: in his, vt ad Episcopatum ascenderetur per Ordines singulos gradatim.

31. S. MARCELINVS Romanus sublegitur *an.* 296. Romæ in Vestæ thus adoleuisse torturæ metu, conuictus in Conc. Synuessano testibus 72. Cum autem summus Iudex & Pontifex à nemine iudicetur; vt Patres respondebant, idcirco seipsum damnat ad pœnitentiam. Adoleuisse tamen eum negat S. Aug. contra Donatistam Petilianum. Vt vt id fuerit, Martyrium subijt *an.* 304. cum pluribus capite p'exus. Sedit an. 8.

***

Vin-

Vtriusque Orbis

IMPERATORVM ACTA IN SÆCVLO III.

	Anno Christi nati
21. ANTONINVS CARACALLA *Imp. necem parat patri; quem mortuum mœrore in Diuos refert.*	210
Fratrem, patrique charos enecat: ducit nouercam: sceleratissimus persecutor Christianorum.	217
A Macrino caditur & in Diuos refertur.	219
22. HELIOGABALVS *solus Sacerdos se solum vult coli Deum. regnat triennio.*	220
23. ALEXANDER *Mammeæ Christianæ Christianus fauit ac Iudæis, eorum amans morum*	224
Occiditur cum matre à Maximino.	233
24. MAXIMIANVS *Collega Diocletiani fauit in Legionem Thebæam.*	237
Lustrato exercitu Christiano 10100. mactat.	238
Sponte se abdicant ambo imperio.	243
Suspendio perit.	247
25. GORDIANVS *creatur*	240
Trucidatur victis Persis.	246
26. PHILIPPVS *fœuus imperat.*	246
Inductus a Pontio præfecto fit Christianus.	249
A Papa excluditur ingressu ecclesiæ.	249
Necatur cum filio à Decio.	253
27. DECIVS *persecutione sua sedem Apostolicam Romæ vacare facit.*	253
Peryt in palude, ex Galli proditione.	254
28. GALLVS *cum filio Volusiano imperant.*	254
A militibus rebellantibus occiduntur diri Christianorum persecutores.	257
29. VALERIANVS *cum filio Gallieno Impp. in Christianos dire sæuiunt*	257
Captus à Sapore excoriatur, sale conditur.	262
30. GALLIENVS *solus fauet Christianis.*	262
Ideo vincit Tyrannos.	264.
A Claudio cum fratre & filijs occiditur.	267
31. CLAVDIVS *fauit in Christianos, Lustratoque exercitu Christianos omnes trucidat, & obit.*	267
32. AVRELIANVS *à militibus acclamatur*	267
Etsi diuinitus à Christianorum	

persecutione subscribenda retardatus, eam tamen prosequitur. 273
In suos exercens tyrannidem occiditur. 278
33. TACITVS *cohibet persecutionem edictis.* 278
Moritur statuâ eius fulmine icta. 279
34. FLORIANVS *Taci frater Imperium arripiens trucidatur à militibus.* 279
35. PROBVS *adolescens eligitur Imp.* 280
Germanos vicit, barbaros triumphat, occiditur à militibus suis. 282
36. CARVS, CARINVS, NVMERIANVS *supra vnum annum imperant, necantur.* 285
37. DIOCLETIANVS *ex gregario Imperator* 284
Galerium Maximianum creat Cæsarem. 291
Sæuit in & Christianos & cognatos. 294
Imperio se abdicant ambo. 304
Fœdo pereunt interitu. 316

Concilia Sæculi III. consona Papis.

1. ANTIOCHENVM I. Contra Schisma Nouatianum *an.* 255.

2. Alterum ibid. in causa Pauli Samosateni, *an.* 265.

3. ROMANVM I. *an.* 254. contra Nouatianum, lapsos ab Ecclesia reijcientem.

4. Alterum *an.* 263. in causa Sabellianorum.

5. Africanum *an.* 255. sub S. Cypr. in causa lapsorum, aliud in causa Aquariorum, *an.* 257.

6. Aliud de baptismo hæreticorum *anno* 258. Cuius tamen acta sunt à S. Stephano Papa rescissa.

CONCORDIA SS. Patrum, ac Scriptorum sub Papis Sæculi III.

TERTVLLIANVS Afer Carthaginensis, professus pallium, *anno* 201. à cunctis abstinens, vni studebat Sapientiæ. Solebat dicere; *Aliud non curo quam ne Curem.*

Ardentissimi zeli catholicus multa Ecclesiæ scripsit. Demũ ad Montanistas defecit. Plerique eius libri parum tuto leguntur erroribus aspersi.

CLEMENS Alexandrinus presbyter *anno* 196. insignis scriptor erat; sed eius scripta, ab hæreticis adulterata recensentur à Gelasio inter apocrypha: quibus tamen insunt bona plurima: Pantænidis discipulus Origenis magister fuit.

MINVTIVS Felix Causidicus Romæ scripsit *anno* 210. dialogum apologeticum pro Christianis.

S. HIPPOLYTVS Clementis discipulus, Episcopus Portuensis, *an.* 224, rationem Paschæ & temporum canonem scripsit, pluraq; alia, *an.* 227. quo & Martyrium subijt pro fide Christiana.

ORIGENES Alexandrinus, *an.* 204. patris ad martyrium inflammator, & eiusdem appetens puer Confessores cõfortabat. Ætatis an. 18. scholã S. Theologiæ aperuit, *an.* 205. Seipsum euirati hæreticos conuincit; Romam, Alexandriam.

driam. &c. late peragrat, vt S. Scripturæ interpretationem indaget, sex Bibliorũ editiones collegit. *An.* 248. suspectus de hæresi, publicam fidei professionem edidit, Romamq; ad Fabianũ perrexit ad sese purgandum: Dira sub Decio pro fide patiebatur, obijt *an.* 256. Cætera de eo inter hæreticos require.

AMMONIVS Alexandrinus, Sanctitate clarus eremita, & in coniugio virgo *an.* 318. defuncti anima ferri ab Angelis in cælum visa fuit *an.* 337. scripsit Canones Euangelicos seu harmoniam.

S. GREGORIVS TAVMATVRGVS Origenis discipulus: *an.* 233. Sacerdotio initiandus fugit, & absens à Phædimo Episcopo consecratur & Sacerdos, & Neocæsarienſis Episcopus: Infamatus quèa scorto diuinitus vindicatur. Articulos fidei, in primis de S. Trinitate, à B. V. Maria & S. Ioanne acceptos conscribit: ab miraculorum & frequentia & magnitudine nomen inuenit Taumaturgi: azylum Christianorum sub Decio. Ethnicos innumeros conuertit. Obijt *an.* 266.

S. CORNELIVS Papa insignes scripsit epistolas; de quibus *S. Hier.* Vide inter Pontifices supra Ibidem & de S. Sixto II. Cui falso tribuitur Sixti philosophi liber, non sanum sapiens.

S. CYPRIANVS, ex Rhetorices professore & neophyto Episcopus Carthag. *an.* 250. plus æquo Tertulliani Lectione delectatus in errorem anabaptismi labitur, *an.* 214.

Inuehitur in lapsorum impœnitentiam receptores *an.* 253.

Nouatus Afer anno 254. concitat aduersus eum schisma, cuius auctorem Felicissimum cum suis excommunicat, coacto contra Nouatianos Concilio: & purgat Cornelium Papam à calumnijs Nouatianorum.

Aquarios Concilio condemnat, *anno* 257. Diuinis visionibus ad martyrium animatur exul, *anno* 260. quod *anno* 261. consequitur. Basilica ei positâ honoratur, Patronus Africæ in direptione *anno* 239. Scriptis celeberrimus. S. Pontius Diaconus ipsius vitam graphicè descripsit.

S. DIONYSIVS Alexãdrinus Episcopus Nouatianum Antipapam ad resipiscentiam per literas hortatur, *an.* 254. stat pro sententia S. Stephani PP. de non rebaptizandis hæreticis, *anno* 258. S. Sixtum PP. de hæresi Sabellij emergente monet relegatus in exilium, *anno* 260. cuius & accusator primus & oppugnator est calamo. Millenarios item prodit & Paulum Samosatenum *anno* 264. diem obit *anno* 266. inclytus scriptor.

S. ZENO Episcopus Veronensis octauus, clarus miraculis: Ad piscandum egressus conspicatur insidentem plaustro sese iam in Atheſim cum bobus iugatis submersurum: is ergo signo crucis dæmonem fugat, & semisuffocatum redanimat. Galieni Imp. filiam obsessam liberat: oblatam coronam auream Cæsaris accepit, at protinus comminuit, egenisque distribuit. Idola Veronæ ex data licentia Cæsaris confracturus, vrbe in tumultum ruente, cadauer submersi prono flumine veniens vocauit, & redanimauit. Quo viso vrbs tota se dedit Christo.

Pipinus basilicam eius honori posuit: cuius ianuas & fenestras crescens Athesis transcendit, nec tamen influxit. Obijt *an.* 257. Scriptis plurimis relictis.

S. VICTORINVS Pictauiensis Episcopus & Martyr *an.* 303, vixit, multis in S. Scripturam Commentarijs celebris.

S. METHONVS Tyri Episcopus confutator Porphyrij apostatæ & Gentilium, multis insignis monumentis martyrio coronatus vixit *an.* 300.

His adde DOROTHEVM Tyrensem Confessorem, ARNOBIVM &c. Tryphonem, Phileam Thebanum. &c.

DOGMATA ECCLESIÆ Romano-Catholicæ Sæculi III. Nouantibus contraria. Exempli gratia.

I. *Missam & Sacrificium Noui Test.* asserit *Clemens Alexandrinus* Strom. li. 7. Tert. in Apolog. & lib. de cultu fœminarum. *Cypr.* ep. 63. & 67. *Orig.* hom. 13. in Leuit.

II. *Per baptismum gratiam infundi* docet *Cypr.* l. 1. ep. 12. *Tert.* l. de baptismo.

III. *S. Chrisma & Ceremonias* docet *Cypr.* l. 1. ep. 12. Et l. de duplici martyrio, Et l. de bapt. *Tert.* l. de Corona militis, Et de resurr. Carnis.

IV. *Purgatorium* docet *Tert.* l. 4. contra Marcionem, Et lib. de testim. animæ. *Cypr.* l. 4. ep. 2. *Orig.* hom. 6. in Exo. In Ierem. c. 14. In Ps. 36. Et contra Celsum l. 5. & 6.

V. *Orationes pro defunctis* docet *Tert.* l. 1. de Corona militis.

VI. *Primatum Petri* agnoscit *Tert.* l. de pudicit. & contra Marcionem. *Cypr.* l. 1. Epist. 8. & l. 3. ep. 11. & l. 4. epist. 8. & in tract. de simplicit. Prælatorum; vbi de Ecclesiæ Romanæ prærogatiua plura.

VII. *Matrimonium esse Sacramentum* asserit *Tert.* de Monomachia.

VIII. *Satisfactionem pro peccatis* docet *Cypr.* l. 1. ep. 3. l. 3. ep. 14. Et de lapsis. *Tert.* l. de pudicit. & Ieiunio. *Orig.* hom. 6. in Exo. *Euseb.* l. 6. c. 24. in Phil. Imp.

IX. *Confessionem Sacramentalem* docet *Tert.* l. de pœnit. *Cypr.* serm. 5. de lapsis. *Orig.* hom. 2. & 3. in Leu.

X. *Inuocationem Sanctorum* docet *Orig.* l. 2. in Iob. & hom. 16. in Iosuam. *Euseb.* l. 6. c. 5. *Cypr.* l. 3. ep. 15. & 18.

XI. *Liberum arbitrium* asserit *Tert.* l. 2. contra Marcionem. Et l. de Monog. *Orig.* hom. 9. in Num. *Cypr.* l. 3. ep. 5.

XII. *Opera bona necessaria ad salutem* docet *Orig.* l. 1. in Iob. & tract. 32. in Matth. *Tert.* l. de pat ent. *Cypr.* l. 3. ep. 25.

XIII. *Imagines* commendat *Alexand.* Mammeæ filius Imperator suo in Larario conseruans imaginem Christi, teste Lamprid. in Alexandro.

XIV. *Quadragesimale ieiunium* docet *Tert.* l. de ieiunio: *Cypr.* de ieiunio & tentationibus. *Orig.* contra Celsum.

XV. *In Eucharistia verum Christi Corpus inesse* docet *Cypr.* l. de cœlo. Et ep. 6. *Tert.* l. de resurrectione carnis. Plura *infra in Variis.* Nunc pauca hæc in exemplum sufficerint; sic enim ire per pleraque licet.

Ha-

Hæresiarchæ in Sæculo III. dissoni Papis.

25. TERTVL. Catholicæ Religionis acer propugnator demũ ad Montanistas defecit, *an.* 201. quos prĩo exagitarat. Apostasiæ causæ feruntur plures: *Vel* quod in spe Episcopatus Carthaginensis tulerit repulsam; *Vel*, quod S. Victorei in Papatu fuisset prælatus: *Aut*, quod Romani Cleri inuidiam accusaret: Atqui ab isto fauere notabatur Nouatianis: *Vel*, quia prærigore suo mitiorem Ecclesiæ vitam aspernaretur. Dementatus est ẽt ab pseudo, pphetissa, extales patiente, garriente mira visa: quã suspiciebat. Accessit Procli Montanistę potens eloquentia.

Itaque Ecclesiã sibi sumpsit exagitandam, inde à Capite, S. Victorem, quod Asianos excommunicasset; quod fugã in persecutione consuleret, nominabat, *domi leonẽ, foris ceruum*: orthodoxos, *psychicos*, id est, *animales*: Agapas ridebat; negabat fas Christianis militiam sequi; licitas nuptias secundas. Cataphrygum ei placere ieiunia, martyria non fugienda, vigilias; vt quæ à spiritu contra carnem amarentur. Hinc lapsorum negationes, mollitiæ; doli, &c.

Nec diu in Montani hæsit hæresi, sed desciscens à Cataphrygum secta, suæ hæresi nomen autoremque dedit TERTVLLIANISTARVM seu Anabaptistarum: nullum enim habere baptismũ hæreticos. Ex illius lectitatione error Episcoporum Africæ manauit; & S. Cypriani. Proinde Tertulliani scripta Gelasius censuit apocrypha. Legẽdus, sed cauendus.

26. ORIGENES doctor incomparabilis, vt, *vbi bene; nemo melius; vbi male, nemo peius*, ait Cassiodorus: cecidit tamen hæresium factus plurium autor: vt libri eius optimi non nisi cautè legendi sint. Errores eius sunt, *de Inæqualitate Diuinarum Personarum: de Origine animarum: de resurrectione corporum: de saluatione dæmonum, &c.* Scripta eius damnata sunt sæpius; non tamen prohibita legi: Quin & ipse autor damnatus est, *an.* 538. in Conc. Constantinop. *Origenistæ* plurimum facessserunt negotii Ecclesiæ, sæpius renascentes, & occumbentes anathematizati.

27. NOVATVS *an.* 252. à multis sceleribus infamis, demum matrem prægnantem calce percutiẽs, vt abortiret, ac moreretur; à Clero exclusus excommunicatur.

An. 253. orta persecutione plurium lapsus multiplicantur: in his resipiscentibus recipiendis S. Cypriano cunctante, quin & recipi vetante, vsque post reddita pacem: eius Diaconus Felicissimus, incentore Nouato, persuadet Cõfessoribus vt lapsis ipsi darent pacem. Resistente S. Cyptiano, ipse cum a sseclis in montem secessionem fecit atque conuentus: vnde MONTENSES dicti: quos excommunicat S. Cyprianus.

Occiso interim Romæ S. Fabiano, S. Cornelius succedit in Papatu sentiens, lapsos clementer recipiendos esse. Nouatus ergo Romam aduolat, tum vt excommunicationem, odiumque sui apud bonos fugeret; tum vt suæ opinionis creari faceret Papã. Vt serius venit,

nanciscitur opportunum sibi NOVATIANVM, spe Papatus lapsum, ideoq; ab Cornelio alienum. Is antea obsessus, & rite exorcizatus Fidem capesserat, differens baptismum. Tandem correptus morbo baptizabatur in lecto; ideoque ad Clerisiam inhabilis, ad Sacerdotium tamen peruenit. In quo rogatus sæuiente persecutione, vt captos consolaretur, renuit hoc cum dicto: *Nolo esse Presbyter; vitam sectabor aliam.*

Vt suã Papatus ambitionem celaret, iurat se nunquam Episcopatũ admissurũ. Cum Nouato tamen criminationes in Papam confingit, ac spargit; vt qui cum sacrificantibus communicasset; apostasiæ se crimine polluisset; hincque facilis esset lapsis recipiẽdis; Simul tres Italiæ Episcopos simpliciores ij duo inebriant, qui Nouatianum inunguntin Antipapam.

Protinus hic factiosorum dux factus, dogmatizauit: *Lapsos NON recipiendos: Non esse Remissionem peccatorum in Ecclesia post Baptismum. Baptizatos non esse S. Chrismate confirmandos: secundas nuptias illicitas: Pecc. esse aqualia omnia: S. Petrũ non fuisse baptizatum: Hæreticos esse rebaptizandos; itemque baptizatos catholicè.*

SVMMACHIANI an. 203. orti finxerunt; *Carnẽ hominis à diabolo factã esse.*

ANGELICI, item APOSTOLICI ortum ducunt vel ex, vel cum Sabellio; damnabantque omnes qui non renunciassent omnibus, quæ possiderent; quique non coluissent Cœlibatum apostolicum. *An.* 260. HIERACITÆ in Ægypto negant resurrectionẽ. S. Macarius post disputat. eos prouocat ad suscitandum mortuũ; quẽ ipse suscitat in Rom. fidei testim. *an.* 288. *Baptismum, fidem præuiam, & Confessionem, repudiãdam: Se & suos esse mundos*; ideoque in candidis incedebant; In Synaxibus iuramentum fidelitatis contra Cornelium sibi fieri statuit; & ista *an.* 254. Damnantur Nouatiani in Conc. Romano *an.* 255. Contra quod Carthagine cogit Nouatianus conciliabulũ suorum, vbi statuunt *Rebaptizandos hæreticos.* Id quod protinus est Romæ condemnatum. Nec tamen idcirco S. Cypr. & Agrippinus prædecessor eius, primus dicti erroris inuentor; sunt hæretici iudicati vnquam, aut iudicandi; cum Ecclesiæ communionem nunquam deseruerint, & absq; pertinacia sese Ecclesiæ submiserint. Donatistæ tamen eiusdem cum pertinacia defensores erroris, vere sunt hæretici. *Aug. l. 2. de baptismo contra Donat.* Vide supra in Corn.

28. SABELLIVS, è Ptolomaide Libiæ in Pentapoli oriundus, excitauit hæresin Noeti & Praxeæ; *an.* 260. *In Trinitate esse vnam Personam, distinctionem nullam: Pater, Filius, Sp. S. esse nomina solũ ad diuersos effectus significandos composita: Proinde eum Patrem, & Sp. S. esse natũ, passum, mortuum, &c. quam Filium.* Sicque reuixerunt Patripassiani, Vide infra in Varijs *an.* 254. APOSTOLICI ab hoc orti, damnabant non cœlibes; non renuntiantes omnibus.

29. PAVLVS SAMOSATENVS Antiochiæ Episcopus, *an.* 264. finxit: *Christum esse merum hominem, non Deum: non substantiam Dei, aut personam: non sempiternum: Esse iustum, corruptibilem: Circumcisionem esse obseruandam: non baptizandum in nomine trium personarum diuinarum. San-*

gui-

quinem Christi in Eucharistia esse corruptibilem.

Eius in Asia subnasci hæresim scripsit Romam diiudicandam Dionysius Alexandrinus: & cum eo refutauit ipsã Dionysius Romanus: mox eam damnauit Cõc. Romanum; Paulum deponit Episcopatu; simulatque pœnitentiam, & Catholice profitetur.

Atreuersus ad vomitum iterum in Conc. Antiocheno *an.* 272. condemnatur, & eijcitur ex Ecclesia corruptissimis morib. ac sceleribus coopertus. Appellans vero ad Imperatorem ab eo proscribitur.

30. MANES, Persa, qui prius Cucurbicus, heram duxit viduam Therebinthi, qui Scythiani magi discipulus, libros quatuor ab eo compositos, reliquerat vxori moriens; vxor Cucurbico dedit; qui se, an. 277. philosophum mox gerens, *Manem*, id est, *diserium disputatorem*; seu *Vas electum* appellauit.

Hinc MANICHÆI, id est, Electi; *Cataristæ*, id est, mundatores, *Macharij*, id est, Beati. Manes *se Paracletum dictitans*, recepit filium Regis ægrum se sanaturum, eum enecat: captus effugit in Mesopotamiam. Et hic ab Archelao conuictus in disputatione migrat locum: ac denuo à Persarum rege captus excoriatur, pelle ad portam suspensa, carne data canibus. Eum tamen discipuli adorabant fœdissimorum errorum magistri, quos ab Hermogene olim damnato sumptos innouarunt. Vide Baron. *an.* 170. 276. 287. &c. Imperio toto sæpius proscripti sunt.

31. NEPOS Episcopus in Ægypto, hymn. autor Ecclesiasticorum, curiosus S. Scripturæ scrutator, sed non ad Sensũ communem; *an.* 264. somniabat *mille annos deliciarum carnalium pijs concedendos.* Quo damnatam MILLENARIORVM hæresin resuscitauit, ortam à Papia Hierapol. Epis. *an.* 118. ex Apocalypsi, *de Millenario Christi regno terreno.*

32. AQVARII, quod ex odore vini quotidie communicantes in persecutione proderentur, data Ecclesiæ pace, *an.* 257. fouentibus Christianos Imperatoribus; existunt docentes, posse in sola aqua sacrificari Missam, & sumi calicem à laicis. Alij tamen tolerabilius sacrificabant vesperi; nec illicitè in se. Verum S. Cyprianus coacto Concilio eos excommunicat; simulque clericos, qui filiorum Christiani defuncti fierent tutores.

VARIA

Fidei Testimonia historica in Sæculo III.

ANNO CCI. *Tertulliani ab Romanis ad Nouatianos apostasia*; quæ demum euasit in Hæresiarchã, *anabaptismi*; *ac pœnitentiæ lapsis ademptæ*; *ac Traditionis non scriptæ etiã non recipiendæ*, &c. illa, inquam, damnata testis est orthodoxæ & Romano catholicæ fidei luculentè.

ANNO CCIV. Lapso Tert. mirabilior succedebat *Origenes* puer; qui ætatis an. 18. scholam S. Theologiæ aperiebat. &c. isto apostatâ indies in deteriora ruente. Nam

AN. CCXV. cum S. Zepher. Papa

Romæ disputationē cum Cataphrygibus instituisset, eos Gaius palam conuicit, prouocans secure etiam ad *Tropæa Apostol. rum*; quæ vel hostibus erant tam veneranda, quam tremenda.

Plures insuper Episcopi calamos acuerunt in Montanos; quorum patrocinium infelix suscepit Tertullianus cōtra Ecclesiam. Quos omnes *Papa ferit anathemate*. Concilioque coacto condemnat. Ipsum tamē ANNO CCXVI. Tertullianus appellat *Episcopum Episcoporum, vt Pontificem Maximum.*

Quia vero caput Schismatis erat; quod fremerent, à Papa facile ad pœnitentiam recipi lapsos; inde Papa institu it incidi CALICIBVS Sacerdotum, *Pastorem ouis baiulum*: Item, iussit Sacerdotes ferre *iniectum humeris amiculum laneum*: insigne clementię ac monimentum de lapsis ad pœnitentiam paterne recipiendis. Vtrumque dat illi probro Tertullian. tanto frementior in Romanos. Atque ex eo sectatores eius sese TERTVLLIANISTAS appellare gestierūt: Qui & Bigamiam damnabant.

ANNO CCVII. NATALIVS Confessor, à Theodosianis hæreticis in Episcopum suum emptus; eaque causa ab Papa excommunicatus; dire ab Angelis noctu flagellatur, donec resipisceret. Protinus sese ad Papæ abijcit pedes supplex; ac post multa, ægre licet, restituitur Ecclesiæ Romanæ.

ANNO CCXIV. Antoninus Imperator, in circo, ob incertam vocem, in aurigam suum iactam, ciues Romæ plurimos, militibus immissis, contrucidauit; nullo vsquā vel *læso Christiano*; quod miraculum Vindiciarum est creditum, ob tot martyria Christianorum prius designata.

ANNO CCXVII. Ex Tertullianilectione manauit error de rebaptizandis, quos hæretici baptizassent. Quem errorē primus Agrippinus Carthaginensis Episc. congregato desuper Concilio Africæ & Numidiæ, stabiliuit.

ANNO CCXXIV. *Alexander*, Mammeæ Christianæ filius, vna cum Dīuēt Christū colens, concedit Christianis, ita petentib. vt Ecclesiā Deiparę cōstruāt propter Tiberim in locū tabernę meritoriæ; *vbi Christo nato fons oleo manauit.*

ANNO CCXXXI. Origenes concinnat *Hexapla, & Octapla*, id est, seriem octo columnarum cum totidem versionibus Scripturæ:

1. Et 2. duo textus erant Hebræi:
3. Aquilæ versio:
4. Symmachi:
5. LXX. Interpretum:
6. Theodotionis:
7. Et 8. sua.

Ante LXX. versionem S. Biblia solum famâ sciebatur, nemine eam vertere audente: eo quod Theopompus, ex eis quid suis inferere scriptis conatus, ipsos XXX. dies furijs circumactus fuisset: Theodectus eius poematis quid inde misturus excæcatus est; temeratē agnoscens ac dolens, visum recepit.

Itaque Demetrius Ptolomæo Regi Bibliothecam suam etiam Biblijs auctaro, suadet, annis 280. ante Christum natum, vt per legatos à Summo Pontifice petat exemplar, ac interpretes LXX. Quos in Pharo insula singulos cellis singulis inclusit, vt suo quisque ingenio Scripturam verterent. Et verterunt.

runt verbotim velut ex ore vno. Quam versionem, ad omnes missam Synagogas, iurati Rabini affirmarunt esse probissimam. Atque hinc ex eo S. Scriptura emanauit quoque ad Gentiles, vnde & venturum Saluatorem, & Vnum esse Deum cognouerunt.

Deprauatam porro post Christum natum ab hæreticis, primus expurgat Origenes: Neque tamen vnquam ante perijt tota; ne vel in ista communi S. Scripturæ persecutione, qua Diocletiani mandato ad flammas ea conquirebatur.

Verum quia LXX. Versionem græcam plures nationes in suum idioma versam porro acceperunt, inde rursus oboriri variationes contigit; Ideirco S. Damasus Papa id negotium dedit S. Hieronymo, vt LXX. versionem verteret pure in latinam.

Atque hæc versio nomen obtinuit *Vulgatæ versionis*; in quam & posteri Patres ac Doctores sunt commentati, quãquæ omnis posteritas sancte, hodieque obseruat.

Anno CCXXXIII. S. Gregorius Taumathurgus, ab impuris, eius & puritatis & morum sanctitatis impatientibus patitur calumniam, subornata meretricula, quæ publica in disputatione mercedem ab eo Veneris postularet. At obsessa protinus furensque calumniam fassa, ab eo præcipiente liberata testis fuit innocentiæ viri.

Phœdimus Amasenorum Episcopus, aufugam S. Gregorium, & tridui itinere distantem consecrauit Sacerdotem; Demum Episcopus Neocæsariensis factus, tantus quantus in omni vita sua extitit & miraculum, & Testimonium Fidei Romanocatholicæ. Supra inter S. Patres de eo require. Neque minus *S. Alexander Carbonarius*, Origenis discipulus, ac Philosophus amore Christi amans conremptum sui, Cumanæ se dedit in carbonariam, teste S. Gregorio Nyssl. Eodem per missam legationem euocatus S. Gregorius Taumaturgus, vt Episcopum Cumanis designaret. His ei varios proponentibus, iubet viliorum de plebe quoque rationem haberi. Et ecce dum per risum plures de nomine appellantur, etiam Carbonarij inter primos fit mentio, euocatur; videtur; *vngitur Episcopus*. Innumeris clarus miraculis, coronidem imponit Martyrio *anno* 253.

Anno CCXXXVII. Terræmotus causa in Christianos, vt impios, refertur; ideoq; persecutio sæuit. Inter hanc exiſtit pseudoprophetissa, à dæmone instincta, vitæ asperæ, at libidinosæ; quæ factum à se iactat terræmotũ ideo, quod à dæmone faciendum præuidisset. Eadem Consecrabat, baptizabat, ceu iussa Deo. Sed exorcizata, desertaque ab insessore, patescit delusio Satanæ.

Anno CCXXXVIII. Anterus PP. septem Notarijs Actorũ Martyrũ præfecit Diaconos septem notandis ijs quę extra cancellas de ijs fiebant. Nam quę intra; ea, etiam prolixæ orationes, in Acta publica referebantur.

Ecce hic cædes Imperatorum; Martyria Paparum.

Anno CCXLVIII. Origen. ab Demetrio excommunicatus, ab Heracla restitutus, iam â S. Dionysio Romæ accusatur de hæresibus. Quare Origenem

Fidei professionem scribit ad Papam; ac denique ipse Romam adit sui purgandi gratia.

Anno CCXLIX. Seuera Augusta Christiana sic educauit filium *Philippum Imperatorem*, vt vix vnquam riserit; dictus inde *Agelastus*. Vnde primus Imperator ille Christianus, quæ in regimine peccauit, eadē *publica inter Pœnitentes exhomologesi*, iubente Papa Fabiano, prius excommunicatus, humiliter expiauit. Demum ethnicis ob Fidem perosus, *an.* 253. cum filio Philippo & Fabiano trucidatur; Decio succedente.

An. CCLIII Decianam persecutionem, ab occidio S. Fabiani PP. & Philipporum Impp. præcessit morum inter Christianos fœda corruptio: & visio talis, apud *S. Cypr. ep.* 8. Sedere vitus paterfamilias, & à dextris ei iuuenis mœstus, caput manus sustentans; à sinistris retiarius quasi rete concluſurus populum circumstantem.

Lapsi sunt in ea plurimi, & ij duplices; *Sacrificati*, ait S. Cypr. & *Libellatici*, id est, redimentes pecuniâ vel Sacrificationem idololatricam, vel scripto porrigentes abnegationem Christi; & ij vel capti, vel nondum capti.

Contigit sedem Romanam anno vacare totō: sed Clerus interim Romanus procurabat Ecclesiam. S. Cypr. fuga lapsus latuit; literis tamē hortatur ad preces; quod reuelatum sibi affirmaret, permissam à Deo persecutionem, quod in precandi studio dormitassent Christiani. Lapsi quod indies facile mille darent proditorios libellos, eos facile recipi verat: importunos arguit, docens, Ecclesiam esse in Episcopis: Rom. Papa & Cōc. sentiunt recipiendos benigne; sed cautè; si serio pœnituerint, ad valuas templi stent supplices, orent rei. Tunc in Romana Ecclesia sub Missa, Diaconi in Africana Lectores ex alto recitabant Euangelium. *Origenes* primum dire cruciatus, demum lapsus thurificauit, linguaq; negauit. Puduit; fugit; lamentauit dubitans aut non credens locum superesse pœnitentiæ. *S. Greg. Thaumaturgus* fugit, suisque fugam suasit, & nullius lapsū ingemiscere habuit, ait Greg. Nyss. proditus in monte vicinis spiculatoribus arbor esse cum socio credebatur; quo proditor conuertitur. Reuertens ex eremo ad Episcopatum, in via oppressus nocte, diuertit in fano vbi adituus ex oraculis idoli quæstum faciebat: sed mane mutefactis idolis fremens ille hospitem insequens expostulat; cui scriptum tradebat ille: *Greg. Satan cingere dere*. Fit: Et mox ædituus fit Christianus. Innumeris ad deserta confugis, *Paulus* ex fugitiuo fit *Eremita*.

An. CCLIV. Ephesi septem iuuenes, persecutionem Decij fugientes in antrum, occluso à persecutoribus ostio, ibidem indormierunt. Tempore Theodosij Imp. in sæculo quinto reclusis & apparentibus Christiana sacra publica fuerunt admirationi ipsis, & ipsi cæteris vniuersis. Credebat se noctem dormisse vnam; Sacra & signa Christiana agnoscebant vetera, sed mutata omnia mirabantur cætera.

Interim Nouatiana emersit hæresis, & schisma Africanum: de quo supra: & Decius in bello Gothico fugiens paludeabsorptus perit.

An. CCLV. Priuatus hæreticus à S. Cy-

Cypriano excommunicatus in Conc. Africano, contra hunc creari facit pseudoepiscopum Fortunatum, caput schismaticorum, volentium, *Lapsos sine pœnitentia recipiendos esse*. Cui schismati Africano contrarium Romæ erat Nouatianorum, volentium, *Nullū quauis ēt cum pœnitentia recipi posse lapsum*. Et duo illa inter se diuersa vnam in Ecclesiam Romanam conspirabant: Fortunatus tamen vt *Catholicus* videretur, legatione ad Papam missa petijt *Communicatorias*; at repulsam tulit. S. Cypr. cum Con. Africano statuit, lapsos nec reijciendos omnino; nec facile recipiendos, sed diu supplices inter pœnitentes pro templi valuis: singulorumq; libellos supplices Romæ transmittendos ad Papam. Seductique Confessores resipiscunt humiliter, *Serapion* recipi dilatus diu, ex morbo obmutuit & Sacerdotem tamen dū taxat petere valebat; ac rursus ad triduum obmutuit: demum, quousq; me differtis? ait. Ergo Episcopus ei per puerū mittit S. Eucharistiam; quâ sūptâ obijt. S. Cyprianus pro se, refert lapsos diuinitus *punitos*: Vt: Quod *quidam*, vt negauit, obmutuit. *Alia* post negationem in balneo obsidetur, sibique linguam commandit. *Infans* intinctum vino sumpsit idolothytum; deinde sub Missa S. Cypriani Communicatus euomuit. *Alia* indigne communicans corruit, ac si suffocaretur. *Alia* reseruatam in cista domi Eucharistiam sumpturâ, ignis prosilit, Hostiaque Sacra cernitur combusta. Ecce Communionem sub Vna: Missam: &c.

An. CCLVI. Neocæsareæ angustiis theatro spectator populus á suo Deo, cuius in festo spectaculum edebatur, locum petebat: Quibus S. Taumaturgus Episcopus ibidem respondit: Dabitur optato maior. Protinus exorta peste festum fit funestum: vulgaturque orbe toto pestis, ipso continuata decennio (viso passim spectro sub vesperum obeunte ædes) Vindiciæ hæ persecutionis erant. Orante preces pro se populo Cæsareæ ab S. Taumaturgo; orat; pestē extinguit isthic; vrbs tota dat nomen Christo.

In Africa, iussu S. Cypr. operas inter se diuidunt Christiani, certatimque iuuant peste morientes, etiam ethnicos. Timenti pestem apparens Angelus aiebat: *Pati timetis; exire non vultis: quid faciam vobis?* Igitur peste, fame, & bello Persico dum conflictatur imperium; Deos sanguine Christianorum placandos clamatur: Contra dat apologiam S. Cyprianus; in qua sibi per visionem dictum ait; *Qui Christo non credit Sacerdotem facienti; postea credere incipit Sacerdotem vindicāti*: Eo quod essent, qui credere mallent contra Sacerdotes, quam Sacerdotibus.

Necatur vterque Imperator. *Origenes* obit, eius scriptis sæpius condemnatis, vt hæreseos causa multis.

Anno CCLVIII. Nouatianismo in Hispania serpente Episcopi ad Papam nuntiant, fautorem episcopum Aurelianensem exauctorant: Exprobrant Martiali Episcopo, quod filios sepelisset apud gentiles.

Quia Montani, Nouatiani, & Cataphryges rebaptizabāt apostatātes ad se Catholicos; id circo Africani, autore S. Cypr, volebant Rebaptizandos.

Hæ-

HÆRETICOS conuersos; ne iactarent hæretici, sua Sacramenta conferi ab Catholicis munda ac approbata; crederenturque immunda Catholicorum. Atque ita in Concilio Iconiensi definiunt; Papæ missa legatione decretum submittunt, professi se mutuam cum eo Communionem seruare; & nolle orbi toti præscribere: neque se Rebaptizare, sed Baptizare: Velle se quemque in hoc dissentientem æquo ferre animo. At Legatis Papæ: *In TRADITIONE standum* ait, *quæ redeuntibus solum manus imponi iubet, non baptizari.* In quo, inquit S. Cyprianus,

1. Fauere eum hæreticis. At negat S. Augustinus:

2. Negat veram esse Traditionem, sed surreptitiam.

3. Numerosius cogit Concilium Africanum aduersus Papæ decretum. At S. Augustinus putat eum correxisse errorem suum, ante martyrium. Decreta tamen Africana de rebaptizandis antiquauit Papa.

ANNO CCLIX. Ecclesiæ orientis reconciliantur cum Romana, suamque abijciunt sententiam.

Persecutio *an.* 261. capit S. Cyprianum. Proditor Christianorum Maximus simulat se mendicum Christianũ, *date*, ait, *propter Christum, quia Credo.* At ecce obsidetur; vociferatur; *Viri Dei, proditor sum: video ignem super me, quo torqueor.* Orãt pro eo; liberatur; ab Imperatore vocatur; martyrizatur.

Lex fertur: *Qui Christianum prodet, eius fortunas habebit. S. Stephanus* Papa Nemesij cæcam filiam baptizat, visumque reddit; pater pro fide necatur.

ANNO CCLX. *S. Stephanus PP.* captus, raptusque in Martis, ait: *Destrue locum DEVS*: temploque corruente intactus ipse, cæteris oppressis, abijt. At rursus inter Sacrificandum captus, capite plectitur. *S. Dionysium* Episc. Alexandrinum iubet baptizare baptizatum ab hæretico, sed Formâ verborum vitiata; ideoque non baptizatum.

Idem S. Dionysius à clerico monitus, vt ab hæreticorum librorum lectitatione absisteret, secundum quietem in visione audijt dicentem; *Euolue euangelia: sat enim firmitatis habes ad eos etiam refutandos:* Attamen vtrum agat, ex Papa perquirit.

Valerianus edicto vetat Christianorum conuentus in cœmeterijs S. Martyrum, quos venerabantur, aut in cryptis.

Pro quo cultu pietatis apologizans S. Dionysius titulat *Imperatores Sanctissimos*, etsi sceleratissimi essẽt: nam hoc vitæ, id officij erat.

Sapricius Presbyter ad martyrium ductus, sub ictu noluit ignoscere fratri: & ecce, Christum abnegat. Dimisso frater succedit Christum confessus, auferque martyrij coronam.

S. Cyprianus in exilium mittitur; apparensque ei iuuenis ostendit manu eũ fore plectendum. At is diei positæ prorogationem exorat. Damnatos ad metalla Confessores solatur per & epistolam: & Collectam submissam.

ANNO CCLXI. *S. Sixto PP.* iam martyrio coronato subsequitur Leuita sus *S. Laurentius S. Cypriano* in carcere speculatorem expectante, noctem totã totus populus excubat ante fores carceris.

ferris. Mira circa Martyres multa contigerunt Fidei testimonia Romanæ.

Multi, circiter trecenti, adolere iussi, detrectantes, vltro in fornacem calcariam impetu facto incurrerunt: vnde *Massa candida dicti.*

S. Fructuosus ducendus offerentis poculum mistum confortatiuis, id recusat dicens: *Nondum est HORA soluendi ieiunij*: Erat enim feria quarta Stationis.

Combustus è rogo cernitur inire cœlos cum socijs martyribus. Apparens iubet *reliquias* sui corporis colligi.

An. CCLXII. Capti in Africa pro fide Romana Christiani Visionibus animantur.

1. Visa singulis martyrio coronandis *lucerna* præferri; nulla vero non necandis.

2. *Montanus* videt in lato, claroque campo socios concaptiuos candidis vestitos, carnemque pellucidam sic vt cor transpareret solari puritate illustre: in se autem sordes conspicabatur aliquantulas: nimirum quod difficilior fuisset in fratre Iuliano ad concordiam recipiendo.

3. *S. Fluianus* in visione percunctanti, an ob tormenta doleret, respondit: *Nulla caro patitur, cum animus in cœlo est; & nequaquam corpus sentit, si DEO se tota mente deuouit.*

4. *S. Marianus* prænoscit futuras clades ob persecutionem immittendas.

Vnde mox Valerianus à suo proditus Sapori, captusque subijcitur ei vt suppedaneum conscendenti equum: demum excoriatus sale conditur. Tyranni passim 30. insurgunt.

Anno CCLXIII. Alexandriæ pestis orta late grassatur.

Christiani in ægrorum mortuorumque cura correpti & extincti, annuâ memoriâ, festiua 28. Feb. recoluntur.

Anno CCLXV. *Paulus Samosatenus* Episc. Antioch. Vnitatem asserit in Deo, contra Sabellium, qui Trinitatem etiam in Essentijs diuersam fingebat.

Ille depositus Episcopatu, à Conc. Antiocheno damnatus, simulat pœnitentiam, Romanoque Catholicè profitetur.

Conquerenti tamen Imperator respondet; *Illius est Domus Ecclesiæ, cui Christiani Italiæ & Episcopi Romani adiudicarint.* Ita Aurelianus anno 272. Christianorum persecutor dirus.

Anno CCLXXXII. Manichæi, carnem à malo esse principio finxerunt; ideoque negabant Christum humanam carnem suscepisse. Quare libidinosè viuebant; quod ita probris affici carnem inimicam dicerent. Odio carnis *S. Reliquias* pariter execrabantur.

An. CCLXXXVI. In Maximiani persecutione Papa S. Caius suadet fugam; quod ēt fugientes dicantur Confessores: Ipse manet cum paucis: in his S. Tiburtius hominem ruinâ obtritū, recitato Pater & Credo, resuscitat, ac restituit.

Anno CCLXXXVIII. S. Macarius suscitat mortuum in testimonium veræ fidei contra Hieracitas.

Anno CCXC. Tharsi abblandiuntur feræ obiectis martyribus.

Sepeliri vetitorum corpora furtim tollunt Christiani stellulis ducibus.

S. Martyres; Romæ, alubique miraculis multis fidem attestantur Romano-catholicam incentati persecutione Diocletiani.

ERGO:

1. Dic age; Quæ sincera FIDES hoc constitit AEVO III?
   At SIC PAPISTIS RES stat ROMANA, FIDESQVE:
   Non SIC REM seruat Luthero-caluinista, FIDEMQVE.
2. IVRE SVO Proprio Papa, atque Ecclesia gaudent:
   Quis quid Ei AVGVSTVS proprio de iure remisit?
3. ANTI ne CHRISTVS erat quisquam hoc ROMANVS in Aeuo?

SAE-

SÆCVLVM QVARTVM CHRISTIANVM.

SVMMORVM PONTIFICVM ROMANORVM CONTINVATA SVCCESSIO.

32. S. MARCELLVS Papa creatur *anno* 304. à Maxentio *anno* 308. in Catabulum cum Christianis damnatus; ibidem inseruitio bestiarum, amictus cilicio, reddidit spiritum Deo, *anno* 309. Cum sedisset annis 5. Men. 1. Constituit 25. *Titulos in Vrbe*, ob multorum & baptismum & Pœnitentiam, qui conuertebantur; & ob sepulturas martyrum, quos in Vrbe sepeliri obtinuit à Maxentio, dum se fingeret Christianum.

33. EVSEBIVS Athenienſis creatur *anno* 309. Moritur anno 311. Sedit annis 1. Men. 7.

34. S. MELCHIADES creatur *anno* 311. Cæciliani Episc. Carthag. causam, accusati ab Donatistis, *anno* 313. cognitam, pronunciat in Conc. Romano iustam, Appellantes ad Imp. Constantinum reiiciuntur ad Papam; quem calumniantur de Traditione librorum, &c. Moritur cum sedisset an. 2. Men. 2. Dies 7. Inter Martyres numeratur: sed more prisco, quo etiam Confessores martyrum vocabulo nominabantur.

Constituit, *Neu quisquam in Dominica, aut feria quinta ieiunet*; quod Pagani ijs ieiunarent.

Eulogias, seu panes cõmunes, sub Missa consecrari solitas, dariq; præsentib. ac mitti absentib. in signũ cõmunionis Christianę, (nõ Sacramẽtalis) ab S. Pio I. olim cõstitutas; & S. Melchiades obseruari iussit, quod panis sit symbolum

Vnitatis. Dicebantur etiam *Oblationes, benedictiones. &c.*

Scripsit idem epistolam ad Episcopos Hispaniæ de Primatu Romanæ Sedis; & de Sacramento Confirmationis num sit maius Baptismo.

35. S. SILVESTER creatur *anno* 313. Mittit *anno* 314. Legatos ad Conc. Arelatense, qui huic eius nomine præsideant, in causa Donatistarum contra Cæcilianum. De quo *in Varijs infra.*

Aruspices *anno* 323. cient turbas aduersum Christianos, vt S. Syluester fugere cogeretur in Soracten.

Vnde ab Constantino leprosо, iussu Apostolorum, euocatus eundem & baptizat, & à lepra consanat.

In Conc. Romano plures anathematizat hæreticos.

Sanxit, vt *Ecclesiasticarum possessionum pars* vna cederet Pontifici; altera Clero; tertia Fabricæ; quarta pauperibus: *Chrisma* conficeret Episcopus, non Presbyter: Ne *Clerici* inferiores accusarent superiores.

Ne in parochijs plures duobus essent *Diaconi*, Romæ septem; Ne *Subdiaconi* inirent nuptias; Ne *Lectores* S. vasa contingerent: Ne *acoluthi* Sacramenta ministrarent: Ne sacrentur *Virgines*, neue profiteantur ante præfinitam ætatem. &c. Quod *nemo diiudicat Primam Sedem, nec eius Iudicem.* Hisce & Imperator subscripsit. Ad Conc. Nicænum contra Arium mittit Legatos, per quos ei præsidet. An. sequente idem in Conc. Romano confirmat. Draconem extinxit, cultum latriâ, & pestilentem, &c. Moritur *an.* 235. Sedit annis 21. Men. 10.

36. MARCVS creatur *anno* 236. obit eodem, cum sedisset Mensib. 8.

37. IVLIVS creatur *an.* 236. Insequente an. Conc. Romæ cogit pro ampliore confirmatione Nicæni, vt laborantu Ecclesiæ orientis subueniret. Iterumque aliud, *an.* 340. in causa S. Athanasij, quē *an.* 342. è latebris Romam euocat: ejectumque Paulum in Sedem Constantinopolitanam restituit. Demum *an.* 347. præsidet Concilio Generali Sardiensi in causa Arianorum, &c. Vide *in Varijs* infra. Obit sancte *an.* 352. cum sedisset annis 15. Men. 5.

38. S. LIBERIVS creatur *an.* 352. Ad Imperatorem Arianum, S. Athanasij persecutorem mittit *an.* 353. legatos, munet vt Concilium indicat: in quo et Confessores contra S. Athanasium pro Arianis subscribunt dissimulantibus legatis: quos ideo Papa coarguit.

Anno 355. Fortiter contra Constantium pro S. Athanasio agens in exilium relegatur cum nolentibus subscribere contra Athanasium in Conc. Mediolano: quod Constantius cogit in suum palatium, dissentientes ab Arianis concluſit, subscribere cogit Orientalibus Episcopis dicentibus: *Cogi ad subscriptionem non est Iuris Eccl siastici*: respondente *Quod ego volo, pro Canone esto*: Sic enim me loquentem Syriæ Episcopi ferunt. Mittit porro ad Præsides prouinciarum, qui Episcopos cogant ad subscribendum. Papam minis tentat, donisque ipsemet, in aram quoque oblatis 500. aureis: quos respuit; iussus exulare etiam datas in exilium pecunias reijcit tertiùm. Ariani Felicem ei surrogant orthodoxum, at Arianos in Communionem admittentem.

Anno

Anno 356. intercessione Romanarum matronarum restituitur ab Imp.

Anno 357. Exilij fractus tœdio subscribit damnationi Athanasij, & Conciliabulo Sirmiensi; excepto quod non probarit illud Photini de ὁμοιουσίῳ; nam ὁμοουσίαν constanter seruauit. Cum Felice Populus, Clerusque Romanus nunquam voluerunt communicare: quin & Liberium in Vrbem reuersum adeo cordate reiecerunt, vt intra ecclesiam plures Clericos ac ciues contigerit enecari. *Felix* vero resipuit; Arianos deseruit; cum Liberio stetit: Constantium damnat: ab hoc per capitis obtrũcationem coronatur Martyrio. *Liberius* quoque damnat cum Arianis communionem, & S. Athanasii damnationem damnat & execratur; legatos Imperatoris reiicit, donec professionem Fidei ederent iuxta Conc. Nicænum. In ea Constantiana persecutione has voces personabant vulgo: *Christianus sum, non Arianus: Catholicus, non hæreticus.* In Gallicanos Episcopos nil audebat Imperator; quod rebellarent barbari; quibus refellendis assumpsit impius impium Iulianum.

Anno 359. Renuens subscribere Ariminis, à Valente pellitur ex Vrbe.

Anno 362. Mittit legatos ad Conc. Alexandrinum; cuius & acta confirmat.

Anno 365. *Semiariani* ex Conc. Lampsiceno Legatos ad Liberiũ missos iubent simulare sese catholicos ac etiam professionem facere fidei iuxta Nicænum, vt Papæ persuadeant ὁμοιουσίαν nil differre ab ὁμοουσίῳ; iamque Orientales plerosq; ad subscriptiones induxerant. Quo viso Papa ratus Orientem cum Occidente fore reconciliandum; etsi ægre, recipit tamen in Communionem Legatos.

Anno 267. obit; cum sedisset annis 15. Men. 4. Diem vnum.

A multis S. Patribus *Beatus*: *Sanctus* à multis dicitur, ac colitur. Ædem Mariæ ad Niues posuit; quod Angeli in Augusto iacta niue locum designassent.

39. S. Damasvs ex Vicario Papæ creatur Papa ex communione Felicis, *anno* 267. & contra eum Vrsinus à Liberianis, fœdo cum schismate: quo intra templũ electionis die cæsi sunt 137. viri. Schismatici infamant S. Damasum: quem S. Hieronymus vocat *Virginem Virginis Ecclesiæ. &c.*

Anno 369. in Conc. Romano damnat Auxentium Mediolanensem Arianum, S. Hilarij antagonistam.

Anno 373. Conc. Romano damnat Apollinarem hær.

Anno 381. Curat conuocari Conc. Constantinopolitan. Oecumenicum, cuius & acta de fide confirmat.

Vrituruque S. Hieronymo in respondendo ad Synodicas consultationes.

Anno 384. moritur, clarus miraculis: cum sedisset annis 17. menses 3.

40. S. Siricivs *anno* 385. creatur tumultuantibus Vrsinianis: horum multos cum Vrsino proscriptos relaxat ab exilio.

Anno 386. Concilium Romanum celebrat contra Donatistas Africanos.

An. 389. laborat contra Manichæos.

An. 390. Damnat Iouinian. hæresiarcham: arguitque S. Hier. quod minus caute refutasset eum.

An. 397. Dolose circumuentus ab Origenistis impertiit eis *Communicatorias*.

Anno 398. cum sedisset annis 13. Men. 1. obijt. Sancijt Manichæos pertinaces exilio multandos: conuersos vero monasterijs includendos, nec communicandos nisi sub mortem.

41. ANASTASIVS *anno* 398. creatur: protinus citat hæreticos ad reddendam doctrinæ rationem.

Sed conscij hoc se non posse maluerunt absentes damnari. S. Paulinum Nolanum *ad Limina Apostolorum* peregrinantem, honorificè excepit.

Tunc vero isthuc perfreques erat *peregrinatio.*

An 399. fulminat cum S. Patrib. contra Origenistas: Eccl. Africanæ reconciliandæ, conuertendisque hæreticis studet, & disciplinæ Ecclesiasticæ reformandæ per Concilia complura.

Anno 402. moritur, cum sedisset annis 4. Men. 1. Dies 13. Constituit, vt ad recitationem Euangelij Sacerdotes incuruati starent; non sederent.

Sedere autem solebant inde, exquo Romæ Diaconi esse Presbyteris voluere pares, interque eos assidere.

Viri-

Vtriusque Orbis

IMPERATORVM ACTA IN SÆCVLO IV. CHRISTIANO.

	Anno Christi nati
40. GALERIVS MAXIMIANVS à Diocletiano se abdicante Cæsar dicitur cum Constantio.	291
Vincit Persas auxilio Andreæ Tribuni Christiani, dirus Christianorum persecutor.	300
Cum Constantio Chloro Imp. partitur Imperium, cedens ei Occidentem.	304
Maximinum & Seuerum creat Cæsares	306
Et persequitur Constantinum Constanty filium.	307
Diuinitus punitus desistit à persecutione: & perit.	309
41. CONSTANTIVS CHLORVS cum Galerio Cæsar dictus à Diocletiano imperat.	291
Sed in Occidente solo; partito imperio:	304
Fuit Christianis Christianus ab initio Impery.	291
Constantinum filium dicit Imperatorem & obit.	306
42. MAXIMVS à Galerio creatur Imperator & Christianorum persecutor.	306
Licinium adsciscit collegam.	311
Ex diuina vindicta cessare iubet persecutionem, miserequeperit.	314
43. CONSTANTINVS MAGNVS hæreditarium capessit Imperium Eboraci.	306
Maximiani ducit filiam, à qua de insidiis monitus eum mori cogit;	307
Maxentium fugat in Tiberim in Labari Cruce victor: quam glorioſe exaltat.	312
Licinium adsciscit collegam; scribunt pro Christianis: Vincunt Germanos:	313
A Donatistis sæpius interpellatus eos remittit ad Papam, ad Concilium, &c.	314
Permunificus in egenos, Decennalia Imperij celebrat ritu Christiano, & creat Cæsares filios Crispum & Constantinum.	315
Licinio pro Christianis bellum indicit.	316
Virtute Crucis eum sæpius deuiuit, & vbique cruces erigit.	317
Licinium rebellem relegat in Gallias morique cogit.	318
Deuictis Byzantinis orbis vtriusque	

que solus Monarcha: rescribitque pro libertate Christiana: & Clericorum Potestate, ac immunitate; contra Aruspices, & Arium. 319

Rescribit pro Cælibatu, Virginitate, Egenis è fisco iuuandis: pro Dominica & feria sexta sanctius colendis; contra maleficos. 320

Crispum filium, Licinium cum Fausta occidi iubet. 324

Baptizatur à Siluestro PP. &c. 324

Ad baptismum hortatur alios, cogit neminem. Sacerdotium & Vrbem soli cedit Papæ, & transfert Imperium Bizantium. Suadet Papæ indicat Synodum Nycæa. 325

Oblatos ab Arianis contra Orthodoxos libellos concremat, cum summa in Sacerdotes reuerentia: In Concilio post Episcopos locum sumit: Gladiatoriam, & Crucis supplicia vetat. 326

Hæreticos à Catholicorum priuilegijs excludit; oneribus obligat, conuentus habere vetat, Loca sacra basilicis ornat; proscribit Idololatriam & abolet; festa Christiana celebrari mandat; à cæde Tribunorum insontium abstinet, per visum à S. Nicolao absterritus. 326

Miraculose vincit Schytas, rescribitque gratus pro Clero. 330

Constantinopolim dedicat Deiparæ Virgini. 330

Veneno à fratrib. extinctus pie obit. 337

44. CONSTANTINVS, CONSTANTIVS, & CONSTANS Imperant: Partiunturque Imperiũ. 337

CONSTANTIVS sæuit in Consanguineos. Infectus Arianismo ab Acatio Catholicos persequi cœptat. 337

Anno Christi nati

Instructus per Visum sanatur à S. Spiridione. 338

Gentilium monumenta tuetur. 340

A Persis sæpe vincitur. 345

Episcopos Catholicos relegat, & restituit. 348

Fauet Athanasio; Gallum creat Cæsarem. 350

Macedonium hæresiarcham intrudit Constantinop. 352

Victo Magnentio, fauens Arianis fit arrogantissimus, damnat Athanasium: immunitatem Clericorum confirmat. 353

Gallum Cæsarem necat: furit in Catholicos pro Arianis; Liberium pellit in exilium: Iulianum creat Cæsarem. 355

Trucidat Catholicos Alexandrinos, victus precibus matronarum Rom. restituit Papam. 356

Osium & Liberium cogit subscribere Arianis. 357

S. Andreæ & Lucæ reliquias transfert Constantinopolim: Concilia agit. 358

Aetium & Eudoxium hæresiarchas relegat; à Persis vincitur. 359

Abrogatur ei Imperium à Iuliano, dum Christo Deitatem abrogat. 360

Post funestam visionem moritur, nominans Iulianum successorem. 361

45. CONSTANS cum fratribus partitur Imperium. 337

Studet Romano catholicis contra Africanos; Intentato bello catholicis cogit restitui Athanasium: eumque reuocat ipse. 348

Legatos eius pro vnione in Africam missos respuunt Donatistæ. 348

In conspiratione Magnenty occiditur. 350

46. IV-

	Anno Christi nati
46. IVLIANVS *Apostata puer sanctè à Constantino instruitur.*	
Arianismo inficitur clam ab Eusebio.	337
Certans cum Gallo fratre instruendo templo reprobatur, structura à noctu ruente.	345
Simulans monasticen se dedit Magiæ & Idolol.	345
Metu facta Cruce fugat dæmones.	349
Fit Cæsar à Constantio pietatem simulans.	351
S. Martini meritis se dedunt ei barbari.	355
Imperator mortuo Constantio solenniter eiurat Christum, & inauguratur ethnicismo.	356
Libertatem religionis permittit; episcopos exules restituit munificus in populū. Immolans Dijs impeditur prodigijs: persequitur Christianos, cauetque martyres fieri; Suas imagines miscet sacris.	362
Cibos Constantinopoli polluit idolothytis; Reliquias S. Babylæ reddentis mutum idolum, remouet, statuam eius Christi loco positam deijcit fulmē. Edicto iubet Christianos vocari Galilæos: Ludimagistros Christianos proscribit: Ducens in Parthos omina accipit tristia: dæmonum exercitum familiarem ducit: Iudæos concitat in Christianos reparato eorum templo frustra: Alexandri magni animam putat in se immigrasse: Hasta in prælio traiectus incerta blasphemans Christum obit.	362
I. VALENTINIANVS *senior in Occidente* VALENTEM *creat orientis Imperatorem.*	363
GRATIANVM *filium creat imperatorem.*	364
Fauet Catholicis, sæuus contra vitia. &c.	367
Moritur.	375
47. VALENS *ducturus in Gothos suasu vxoris baptizatur ab Ariano, iuratque in Arianismum.*	366
Catholicos proscribit, seducere tentat. &c.	370
Impia edicta dat contra monachos.	375
Ingenti clade à Gothis affectus reuocat exules; rescribit pro Catholicis.	377
Reuersus in Gothos vinus exuritur.	378
2. GRATIANVS *sublato Valente pacem reddit Ecclesiæ in Oriente.*	378
Victis Alemannis Theodosium creat Imp.	379
Occiditur à Maximo Imperij inuasore.	383
3. VALENTINIANVS *Iunior in occidente cum matre Ariana imperat.*	375
Quamlibet religionem admittit.	376
S. Ambrosium ablegat ad Maximum pro pace.	383
Arianis fauet contra Catholicos	386
Fugit ex Italia Maximum, ad Theodosium.	387
Ab hoc restituitur in Occ. Imperium, sitque Catholicus.	388
Gentilibus rogantibus sacra negat.	392
Suspendio necatur ab Arbogaste	

iam petito baptismo à Sancto Ambrosio. 392

48. THEODOSIVS Magnus in Oriente barbaros debellat. 379

Aeger protinus se baptizari curat. 380

Edicit pro seruando ieiunio Quadrages: Catholicis restituit ecclesias pulsis hæreticis: Iussu Damasi conuocat Conc. Generale. 381

Arcadium ortennem creat Augustum, traditque eum & Honorium Arsenio, cui sedenti vult adstare aperto capite: Approbat sententiam Conc. Constantinopolitani de Consubstantialitate. 383

Rescribit contra quoslibet Sectarios. 384

Rescribit pro Clericorum immunitate. &c. 385

Ductur us in Maximum consulit Anachoretas; ab ijs accipit arma, vincit, Valentinum conuertit, restituit Imperio. 388

Romæ triumphans abolet idololatriam. 389

Ob eadem Thessalonicæ excommunicatus pœnitet. 390

Rescribit contra Iouinianum, apostatas, hær. 391

Caput Baptistæ transfert. 394

Pie se parat ad bellum contra Eugenium: 394

Vincit miraculose: moritur, luget tur. 395

Concilia Generalia Sæculi IV. consona Papis.

Duo fuerunt. NICÆNVM contra Arianos, *an.* 325.

Et CONSTANTINOPOLITANVM contra Macedonium, *an.* 381.

PROVINCIALIA complura fuerunt. Vide *in Varijs.*

SS. Patrum, & Doctorum Concordia sub Papis in Sæculo IV.

I. LACTANTIVS Firmianus Rhetor, Crispi Cæs. præceptor, *anno* 300. Christianus factus contra Gentiles defendit Christianos; ex pauperrimo euectus per Tullianam eloquentiam.

Quia scripta eius erroribus passim scatent, S. Gelasius Papa merito voluit ea inter apocrypha censeri.

EVSEBIVS Pamphili Cæsariensis Episcopus Arianorum signifer & Princeps, ait *S. Hier.* in Palæstina Baptismum Constatini falso describit, *an.* 324. quod eum Eusebius Nocomedensis Arianus senem baptizasset. Eius scripta plane sunt malæ fidei, vt hypocritæ hæretici, ambientis Sedem Antiochenam.

An. 325. ad Conc. Nicænum venit pro parte Arianorum.

An. 340. præsedit conciliabulo Tyrio pro parte Meletianorum, contra S. Athanasium. Moriturque in hæresi an. 340. IVVENCVS Presbyter & Poeta Christianus Euangelia quatuor carmine complexus est sub *an.* 330.

S. ATHAN. duodennis æquales per lusum baptizat *an.* 311.

Vi-

Vidit id Alexander Episc. Alexan. noluit iterari baptismum, sed solas ceremonias suppleri. Ipsum cum baptizatis, cum parentum consensu, tradidit ecclesiæ suæ nutriendos. Arianorum aculeus fuit & malleus: dira perpessus miraque patrans clarus miraculis obdormit *an.* 372. cum gessisset Episcopatum an. 46. Eius scripta non extant omnia.

SERAPION Episcopus, à S. Athanasio ordinatus scripsit contra Manichæos, In psalmos.

S. HILARIVS Episc. Pictauorum creatur ex vxorato, *an.* 315. *An.* 316. ob defensionem S. Athanasii mulctatur exilio ab Constantio. *An.* 357. tamen de lapsu Liberij iniquè censet, vt qui ὁμοιούσιος Arianorum subscripsisset: cum Zozomenus, Augustinus. &c. contrarium affirment. Fuit Idem in Nicæno, totaque Gallia malleus Arianis cõfutandis; cui Centuriatores falso tribuunt hæresin Hilarij Diaconi Romani de Anabaptismo hæreticorũ. Moritur *an.* 369. 13. *Iann.* Scriptis, rebusque gestis in vita, post vitam miraculis clarus.

DIDIMVS Alexandrinus à puero cæcus plurima dictauit Origenismo infectus, *an.* 372.

S. OPTATVS Mileuitanus Episc. scriptis refutauit Donatistas, nomen *Catholici* sibi arrogantes, *an.* 321. meruitque inseri tabulis ecclesiasticis *an.* 368. sancte vita perfunctus.

TYTVS Postremus Episc. Manichæos oppugnauit, in Matthæum & Lucam Commentatus vixit sub *an.* 365.

S. CYRILLVS Ierosolymitanus Episc. creatus *an.* 351. exagitatur ab Acacio Ariano: *an.* 359. à Constantio Imp. Ariano abdicatur: *an.* 381. interest Conc. Constantinop. diemque obit *an.* 387. Scripsit Catecheses, & de apparitione S. Crucis ad Imp.

S. EPHRÆM Diaconus Edessenus *an.* 365. prius Eremiticen diu coluit: Scorto eum depereunti, seque offerenti offert concubitum in foro publicum; confusamque cõuertit in monacham. Eius miranda visio ad commendationem S. Basilij: Osor magnus librorum hæreticorum; quod in Apollinaris libro conglutinato ostendit: ex quo Apollinaris inuidia concepta extabuit. Ne fieret Episcopus, simulabat dementiam, vt raptores eius ad Episcopatum eo relicto fugerent. Moriturus iubet pro se preces offerri. Scripsit pia magis, quam Docta.

S. BASILIVS Cappadox, *an.* 354. S. Greg. Nazianzeno familiaris, *an.* 362. cum hoc ad aulam Iuliani vocatus venire respuit; Monasticenque profitetur. *An.* 365. Semiarianos Lampsaci in Concilio prodit; Arianorum terror. &c. Diuinitus testata fit eius Sanctitas S. Ephræm *an.* 370.

An. 375. Monachos à Valente Imp. ad militiam coactos consolatur. Obdormit *An.* 397. Concionanti visus S. Spiritus specie columbæ assistere.

S. GREGORIVS Nazian. Theologus, S. Basilio familiaris, *an.* 354. quo autore Monasticen inijt *an.* 362. Euocantur ex eremo Pontica ad Ecclesiæ contra Arianos defensionẽ *an.* 366. Orãtq; pro anima fratris Cæsarij defuncti *anno* 368.

Constantinopolim vocatus calũnijs A

rianorum insuspicionem hæresios adducitur, *an.*378. Obornat⁹ ab Arianis in eum sicarius, *an.* 382. pœnitens veniam petit.

*An.*381. interest Conc. Constantinopolitano, post quod se abdicat Episcopatu.

*An.*384. Eleusium Præfectum corripuit ob Ecclesiæ neglecta ieiunia. Obit sancte *an.*389.

S Epiphanivs Cypriorum Episcopus cæteris plerisque Episcopis exilio pulsis per Arianum Constantium, solus remansit, *an.*370. In dissidio cum S. Ioa. Chrysostomo alter alteri mortem prædicit, *an.*402. & euenit.

S. Ambrosivs Mediolani Episcopus inuitus *an.*374. Clerum & Sacra reformat *an.*377. Resistit Iustinæ Imp. tẽplum Arianis poscenti, *an.* 380. & 386. & in Consistorio Imperatoris de rebus fidei disputare renuit.

Et contra Auxentium disputanti loquitur ad aurem Angelus.

*An.*387. Reliquias S. Geruasii & Protasii inuenit.

*An.*388. Theodosium Imp. pœnitentem ab excommunicatione absoluit, inflictam ob cladem Thessalonicẽsem. Moritur *an.* 397. miraculis, & scriptis, rebusque gestis iuxta inclytus.

S. Philastrivs peracris Arianorum impugnator, hæresium catalogum pertexuit ad vsque sua tempora, claruit *an.*330. S. Philastrius autem Episc. Brixiæ item Arianorum infectator claruit sub *an.*569.

S. Gregorivs Nyssænvs S. Basilij frater ex coniugato creatur Episcopus *an.*369.

A Valente Imp. in exilium pulsus diu, *an.*381. interest Conc. Constantinopolitano Generali. Scribit librum de peregrinatione, *an.*386.

S. Hieronymvs *an.*377. eremi expertus delitias dilaudat: Romam euocatus *an.*382.

S. Damasum PP. iuuat in Decretalibus epistolis: Iouinianumq; confutat, Heluidium ac Luciferianos. Sub Siricio PP. *an.*385. Clero perosus Romano dissolutiori, & exagitatus Ieroſolymam confugit.

*An.*390. Scribens pro Virginitate cõtra Iouinianum, calumniam incurrit de nuptiarum despectu.

*An.*399. conclamat aduersus Originastas.

*An.*401. Vigilantium confutat; &*an.* 410, Pelagium. Moritur octuagenarius *an.* 420. Leo appictus est hieroglyphicum ipsius.

Theophilvs Alexandrinus Episc. familiaris S. Hieronymo per literas, *an.*393. strenuus contra Origenistas *an.*403 S. Chrysostomum iuuat deponi episcopatu iniustè: idque iterato, impulsus ab Eudoxia Augusta, *anno* 404. Qua causa vel post obitum S. Chrysostomi excommunicatur à Papa *an.*407. Demum tamen pœnitens, & imaginem S. Chrysostomi rite veneratus obit *anno* 412.

S. Severvs Svlpitivs ciuis Romanus, *an.*394. renuncians sæculo Monasticen profitetur.

Honoratus à S. Paulino, scribit vitam S. Martini, mittitque S. Paulino *an.*397.

Infectus Pelagianismo S. Augustinum

num defunctum sugillat: sed agnoscens suum delictum, id indicto sibi perpetuùm expiat silentio. Diem obit *an.* 431.

S. PAVLINVS NOLANVS Romæ Consularis omnibus abdicatis, cum vxore cœnobium ingressa, ipse Monasticen Nolæ professus, *an.* 394. ab Episcopis Africanis honoratur.

An. 398. Romam ad Limina Apostolorum peregrinans à PP. Anastasio honorifice excipitur.

An. 431. Sancte obit ab Sanctis ante vita perfunctis prius visitatus in morbo.

Paladius Galata Origenista, exagitat S. Hieronymum *an.* 388.

Ruffinus Aquileiensis à Dydimo Cæco erroribus infectus Origenis, fit dux eorundem, & S. Hieronymi sæuus calumniator. Alijque tales.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS *an.* 370. inuento libro Magico adolescens capitis incurrit periculum.

Init eremum, *an.* 382. tentatus grauiter eximia scribit.

An. 386. auguratur Sacerdos ex reuelatione; *an.* 397. creatur Episcopus Constan. *an.* 398. reformat Clerum. *an.* 400. Pulsos Ægypto Origenistas spe concordiæ fouit; dein expellit eosdem. Componit hymnos ecclesiasticos contra Arianos.

Vnde *an.* 401. At de Origenismo suspectus: *an.* 403. deponitur Episcopatu in Synodo, iniuste; idque iterato *anno* 404. ideoque prouocat ad Papam: Exul decedit *an* 407. clarus miraculis, rebus gestis ac scriptis.

Dogmata Ecclesiæ Romano-Catholicæ Sæculi IV. Nouatoribus contraria, Exempli gratia.

I. *Veritatis Corporis Christi in Eucharistia* asserit *S. Athanasius* l. de Christi imag. *Nyss.* orat. catech. *Cyrillus* in Mystagog. Plures collegit Garetius.

II. *Missam esse Sacrificium* docet *Nazia.* orat. 1. in Iulianum. *Ambr.* ep. 33. & lib. 4. de Sacram. *Athanas.* q. 34. ad Antioch. *Hier.* ad Helbidiam. *Basilius Amphilochius, Cyrillus, Chrysostomus* Missas scripserunt, ritusque Officii apostolicos. *Basil.* c. 17. de Sp. Sancto.

III. *Sacramentum Confirmationis* docet *S. Ambr.* l. 3. de Sacramentis.

IV. *Confessionem auricularem & satisfactionem* asserit *S. Ephræm* de compunct. cordis c. 3. *Hilar.* in Psal. 118. *Pacianus* ad Simpronianum. *Epiphan.* in Panario: & quotquot scripserunt contra Nouatianos.

V. *Liberum arbitrium* asserit *Athanas.* contra Gentes. *Basil.* l. 3. contra Eunom. *Epiphanius* in Panario l. 1. *Hier.* in ep. ad Ctesiphontem. *Nyss.* l. de lib. arb.

VI. *Opera bona ad iustificationem & salutem necessaria* asserit *Ephræm* l. de beatit. animæ. *Hier.* in Isa. lib. 8. & in Daniel. 4. *Nyss.* orat. 2. de amandis pauper. *Hilar.* can. 7. in Mat. *Ambr.* ep. 82.

VII. *Primatum Romani Pontificis* asserit *Ambr.* in 1. Tim. 3. *Hier.* ep. ad Damasum. *Concilium Nicænum.*

VIII. *S. Imaginum cultum & vsum*

asserit *Prudētius* de imag. Cassiani. *Nazian.* ep. 40. *Sozom.* l. 5. c. 21. *Nyssanus* Ora. in S. Theodot. *Eusebius* in vita *Constantini*. *Athanasius* de imagine Crucifixi.

IX. *S. Crucem* asserit visio crucis facta Constantino. Euseb. l. 1. vitæ Constantini. *Ruffinus* l. 1. c. 7. & 8. *Ambr.* de obitu Theodosii. *Euseb.* in Chron. *Cyril.* Catechesi 4. *Paulinus* ep. 11.

X. *Inuocationem Sanctorum* testatur *Athan.* de Incarn. Et in Euang. de Deipara. *Basilius* orat. in 40. Mart. *Nazian.* in laudem Basil. & Cypriani. *Ambrosius* lib. de Viduis. *Prudentius* in hymno S. Laur. *Ephræm* lib. de compunct. *Hier.* contra Vigilantium.

XI. *Suffragia pro defunctis* asserit *Epiphanius* hæresi 75. *Lactantius* lib. 7. *Hieron.* lib. 18. in Isa. *Nyss.* l. de anima. *Chrys.* & *Basil.* in Liturgijs. *Basil.* in cap. 9. Isa.

XII. *Cælibatum præsertim Clericorum* asserit *Ambr.* ad Virginem lapsam, & fere plerique æui huius.

Pauca hæc in exemplum sufficerint: sic enim ire per singula licet.

Hæresiarchæ in Sæculo IV. dissoni Papis.

33. ARIVS *an.* 306. adhæsit Meletio, Ægypti Episcopo nominato; sed vt Petrus Alexandrinus eum in Synodo deposuit, ob sacrificationem idolis factam, aliaque flagitia; ideo Meletius conuitia in Petrum confinxit, & Schisma inuexit. Tunc Arius deserens schisma creatur à Petro Diaconus Alex. at mox reuertit ad Meletiū; qua causa Petrus eū excōmunicabat. Meletius vero Maximin. Imp. in Petrū exacerbare sic, vt *an.* 310. cum alijs Episcopis Ægypti à tyranno pro fide capite plecteretur. Prius tamē S Petro visiones sunt factę, quas ipse describit. Oranti visus duodenis scisso collobio nuditatē suā tegere; scisscitanti quis vestē scidisset; coruscus puer ait; Arius. Caue, eū receperis idemq; posteris manda: Et vero tu Martyrio nies. Nunquam in Sede S. Marci sedere voluit; quod, quoties ad eā accessisset, diuinā in ea sedere virtutē radiantem videret. *An.* 315. Meletius Arium S. Scripturæ interpretē defert ad Alex. Alexādriæ episcopum, quod aliena doceret. Cōuictus Sacerdotio exuitur, eiicitur. Fugiens infamiam Eusebiū Nicomedēsem Epis. aliosq; seducit, & *an.* 318. rursus in Conc. Alex. dānatur. Cōstantinquoque encyclicis eum perstringit *an.* 319. *An.* 325. Nicæni Patres adeius scripta cohorrescunt; exuriq; subpœna capitis iubentur. Canēs vero palinodiam mittitur in exilium. *An.* 327. Eusebius persuadet Constantino, vt ab exilio reuocaretur: & ab Eusebianis in Communionem receptus, seditionum Alexandriæ autor citatur ad Imp. causæ dicēdæ *an.* 330. vbi Nicænæ fidei dolose subscribit. Protinus ab Eusebianis in ecclesiam introducendus, in secessu medius crepans viscera effudit cum animæ precibus S. Alexandri Episc.

ARIANI *an.* 343. confutantur à S. Antonio voce & miraculis, quorum sacrilegia ei per visum ostendūtur *an.* 350. Post diram rabiem, *an.* 352. ambiunt cōmunionem apud Liberium; sed repulsi. *An.* 353. arte sibi deuinciunt Constantium, qui plurimos exulare iubet Episcopos, *an.* 356. immani cum persecutione Athanasium exagitant, *an.* 357. Olim

sibi subscribere cogunt per Imp. itemq; Nicæ in Thracia Patres *an.* 359. ACACIANI quoq; sunt dicti ab Acacio Cõstantinop. Episc. eorum signifero. *Anno* 370. Miraculis eorũ hæresis confunditur. Arianus baptismo extinguit filium Valentis Imp. *An.* 400. Orthodoxos imitati hymnos concinunt; sed edictis Arcadij coercentur.

34. DONATVS *an.* 306. successor in pseudoepiscopatu Carthag. ab intruso, & mox demortuo Maioriano contra S. Cæcilianum, TRADITORVM hæresin ita confirmauit, vt ab eo *Donatistæ* vocarentur. *An.* 313. prodente S. Cæciliano Romæ in Conc. ab S. Melchiade dãnatur cũ sectarijs; qui ad Imp. Constantin. appellãt accusantes Cęcilianũ quib. hic ait. *Petitis à me in seculo iudicium; cum ego Christi iudicium exspectem.* Simul eos ad Papã reijcit. Hinc iterum damnatis ad Imp. appellantibus, is ait: *O rabida furoris audacia! Vt in causis Gentilium solet appellationem interponunt* Posteri tamen Donatistæ iactabant, Imperat. ipsis causam ad iudicasse: infamantque Papam ab Traditionis nota post annos modò 100. Ergo *an.* 314. ad Conc. Arelatense demissi damnantur ibidem. Inde rursum ijs ad Imperat. appellantibus, statuit Constãtinus: *Quicquid in quacunque causa iudicatum ab Episcopis; id sæculari Iudici iudicatum esto.* Item, *Fasces ac Præsides Episcopis subesse debere decreuit. An.* 321. arrogantes sibi nomen *Catholicorum* ab Optato ridentur. *An.* 360. iungunt sese Macedonianis. *An.* 362. Ab Iuliano relaxantur ab exilio ad turbandam Ecclesiam: & immania designant.

An. 368. penes eos remansisse Ecclesiam iactant. *An.* 394. In sectas scissi se inuicem damnant.

35. AVDÆVS Mesopotamius vitæ probatissimæ, acer improbe viuentium obiurgator; demum vna cum seueris suis ab Ecclesia secessionem facit schismaticus. Relegatus à Constantino in Scythiam exul barbaris Christum prædicat cum gentis multa conuersione, & plurium constructione monasteriorum. Dogmatizauit: *Deum habere formam humanam. Paschaluna XIV. celebrandum: Peccata paruatantum confitenda, maiora silenda, &c.* Atque ista fere *an.* 341.

Perijt bis exul & abstentus.

36. MESSALIANI *an.* 361. Siue EVCHITÆ, id est, Precarij ex anachoretis orti fingebant, *Sacramenta nec prodesse, nec obesse; sed Orationem solam: Baptismum radere peccata, sicut nouacula pilos, vt recrescant; præsertim pec. originale: Cuique inhabitare diabolum; etiam Apostolis; Se SS. Trinitatem oculis corporeis cernere: Non laborandum esse, sed precandum: Eleemosynas sibi solis deberi. &c.*

37. DONATVS alius ab illo, *an.* 331. pseudoepiscopus item Carthaginensis magni habitus, eo se extulit, vt se quasi pro Deo gereret; ac nonnullis etiam Episcopis videretur: Vt per eum, ceu Deum, iurarent: Magistratus & Imperatorem quoque conuitijs lacessebat.

Patiebatur à suis iactari: *Donatus orauit; & respondit ei Deus de cælo.*

Ab hoc propudio coorti CIRCVMCELLIONES vbique Magistratum calumniabantur minaciter eis scribentes.

Seipsos occidebant, aut occidi curabant;

bant, vt Martyrum nomen sortirentur.

An. 348. prohibuit Imperator eis dari eleemosynam. Exhalat Donatus animam *an.* 368.

38. MACEDONIVS *an.* 342. ab Arianis per tumultum creatur Episcopus Constantinopolitanus; at *an.* 351. vi armata introducitur à Constantio.

At *an.* 359. irato Constantio abdicatur.

Fingebat *Sp. Sanctum non esse eiusdem substantiæ cum Patre & Filio; sed horum famulum.*

Vitam cum suis ducebat Monachorum similem.

Quidam, vt Cyziceni præstigijs operam dabant; vt oleam specie precationis transtulit quidam, vt auditorij sui fenestram adumbraret. Alius mortuũ eloqui iussit, quãtum ei deberet vidua, à qua fœnerator plus exigebat: & edixit.

S. Athanasius in deserto delitescens primus fulminauit damnationem in Pneumatomachos istos, *an.* 360. Iungebantur autem eis Semiariani & Ariani.

An. 381 à Theodosio vocati ad Conc. Constantinop. Generale damnantur: Et ab Imp. proscribuntur.

39. PHOTINVS Sirmij in Illyrico Episcopus fingit, *an.* 342. *filium Dei merum esse hominem.*

Nec ante B. V. Mariam fuisse: Tunc cœpisse esse Christum, cum Sp. Sanctus in baptismo super eum descendere visus est.

Ariani eum in Conc. Sirmiensi condemnant. Eius sequaces dicti sunt HOMVNCISTÆ.

40. APOLLINARIS *an.* 349. Laodicææ Lector, fugienti S. Athanasio adhæsit; quod cum Arianus Episcopus ei daret crimini, vt ecclesiâ excluderetur: impatiens desciuit à fide; Finxitque *Christum nullam Animam habuisse; sed sola Diuinitate animatum fuisse.*

Negabat Mariam esse Deiparam. Natum ex ea Christum vt cæteri hominum: Creatum hominem prius, dein subijsse Deum in eum: Esseque duos filios, Dei Patris vnum, alterum Matris: Deitatem in eo per gratiam esse operatam, non essentialiter vnitam.

Crucifixum non adorandum esse. & Maximum Patrem, Maiorem Filium, Magnum Sp. Sanctum.

Christum in Diuinitate passum: Animas ex traduce generari, id est, animas ex animabus: Hypostases in Diuinis non reperiri. Diuturnitatem constare e spatio mille annorum.

S. Damasus in Concilio Romano ipsum cum sectarijs damnauit *an.* 373.

Quod S. Ephræm libri eius folia conglutinasset, ex contemptu hoc indoluit sic, vt extabesceret.

41. AETIVS, *an.* 356. à Constantio in Episcopatum Antiochænum intruditur Arianus: natus ex plebeis, aurifaber primum, dein S. Paulini discipulus, ab ipsis demum Arianis damnatur Sirmij, *quod fingeret, Filium Patri omnino dissimilem esse: Scio Deum*, aiebat, *ipsumque non vt nequidem me norim magis.*

An. 359. damnatus à Conc. Constantinop. proscribitur in exilium à Constant o:

An. 362. à Iuliano relaxatur, vt turbet Ecclesiam.

Finxit etiam cum Eunomio, *Sp. Sanctum esse creaturam filij: Opera non esse necessaria ad salutem; fidem sufficere solam.*

Et qui Episcopatum retinere nequi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bat. finxit: *Episcopos & Presbyteros esse æquales: Pro defunctis non precandum, non sacrificandum: non ieiunandum; non Festa celebranda.*

42. ANTIDICOMARANITÆ, *anno* 373. ex Apollinari progressi in Arabiã, B. Mariam, nato Christo, consuevisse Iosepho.

43. COLLYRIDIANI, eiusdem genimina, die certo in sella curuli exponebant statuam Deiparæ, eique collyridem offerebant in sacrificium per fœmellas.

44. VIGILANTIVS *an.* 395. terræmotu delatus Ierosolymam, ait Hier. *nudus orare solebat.* Rodebat in ecclesia *vsum luminum: Vigilias; Collectas eleemosynarum; Reliquiarum miracula: Cœlibatum clericorum.*

Inualuit in Gallia. Finxit *Inanem esse inuocationem Sanctorum, cultumque reliquiarum.* Refutatur à S. Hier.

45. HELVIDIVS *an.* 382. finxit, Deiparam, nato Christo filios ex Ioseph suscepisse plures. Confutatur Romæ ab S. Hieronymo.

46. IOVINIANVS pseudomonachus Mediolanensis *an.* 382. finxit, *paria esse & peccata; & præmia Sanctorum: Virginitatem non præstare ieiunio.*

Vixit splendide. Cõfutatus à S. Hieronymo, damnatur à S. Siricio Papa in Conc. Mediolanensi an. 390. Et relegatur in exilium à Theodosio.

47. PRISCILLIANVS Hispanus nobilis, prædives, acer que ingenio, in pulsos Ægypto Gnosticos lapsus, ac Manichæos, vnam ex ijs alijsque conflauit hæresin, auxiliante magia: *anno* 381. Cæsaraugustæ per mulierculas cœpit, ac profecit. Finxit, *Animas eiusdem cum Deo esse substantiæ: Mundum creatum à principe maligno: Dominicis ieiunandum, vacandum Veneri: Christum non veram assumpsisse carnem: Hominem ex XII. signis Zodiaci compositum, alligatumque fatalibus stellis: vnde signa singula singulis membris tribuebant, Mæsculus ephemerialis inde originem traxit, Carnes, vt immundas, non edebant, diuortia ad libitum frequentabant: Sabellium de Christo docuisse recte: mendacium non esse peccatum. &c.*

Damnatus *an.* 381. in Conc. Cæsaraugustano cum sectarijs, ejicitur ex Hispania. Delati in Italiam se *Catholicos* dictitant, Communionem ambiunt; nec tamen acceptas species sacras deglutiebant.

S. Damasus Papa & S. Ambr. eos rejiciunt ac damnant: mox dolose in Hispaniam irreptant.

An. 385. rursus in Conc. Burdegalẽsi damnantur: Autorem sectæ Maximus Imp. capite plectit; quem sectarij pro martyre colunt pluribus exagitati Concilijs.

VARIA

Fidei Testimonia historica in Sæculo IV.

ANNO CCCI. Maximiano, triumphatis Persis, festum ludosque dijs celebrante, & spectatores sanguine victimarum aspersuro, abscedunt Christiani, quorum ope vicerat.

Perorat pro Diis, diris fulminibus multi cadunt.

Thophida virgo in prostibulum pertracta, legit Euangeliũ; eã violaturi corruunt mortui; abit ea libera. Christiani in Natali Christi cum ipsa ecclesia collecti comburuntur.

ANNO CCCII. Diocletianus edicto curat vbique S. Biblia exurisitemque libros ethnicorum, é quibus gentilismus conuincebatur.

Vt Martyriorum, sic miraculorum plena omnia in hac persecutione. Tunc ARNOBIVS se Christianũ profiteri cœpit, ac scribere contra Gentes.

ANNO CCCIII. *Traditores* facti plurimi Episcopi: Carthaginensis Euangelia tradidit, quibus in rogum iniectis imber & grando ruens flammas extinxit.

Qui vltro *S. Codices* habere se prodidissent Iudici, vt martyrio afficerentur; ij inter Martyres haberi vetantur; quo insolentius sese Confessores iactabant; idque in Asia. *Dominici celebrandi lex* & necessitas ea esse ducitur, vt reciproce diceretur: Qui agit, Christianus est; & contra.

Genesius minus dans in scena ritus Christianos conuertitur, & martyrio coronatur.

ANNO CCCIV. Diocletianus & Maxim. se abdicarunt imperio, quod nequissent extinguere Christianos. Quorum & acta perierunt, in pœnam Euangelii persecuti.

Et tamen ijs ethnici in erectos incidunt colossos tropæa deleti nominis Christiani.

At Maximianus resumit eodem anno sceptrum: victus à Constantino, *an.* 307.

Seipsum laqueo strangulat, *Constantius* vero Imp. obit in Britannia Christianus, ad quem Româ confugerat Constantinus. Diocletianus moritur *an.* 316. Vide infrà.

ANNO CCCV. *S. Reliquiarum* honor latè celebris habebatur, adeo vt Procõsul Tharsi Simplicius auri cupidus quasi forum reliquiarum aperuerit. Quo & Agrippæ amasius *Bonifacius*, vt emeret, missus, visis martyrijs, & ipse Christianum se profitetur; & plectitur.

Pro Lapsis reconciliari poscentibus S. Petrus Alexandrinus Episc. *Regulas pœnitentiæ* præscripsit; Vt, captis, tortis & lapsis 40. dierum Captis & lapsis, venius anni pœnitentiam: Non captis, & lapsis, duorum annorum: Simulatoribus sex mensium Mittentibus pro se ferentibus, & lapsis, solatium dandum, & Eucharistia: Clericis lapsis primatio officiorum: pecuniâ redimentes sacrificationem non puniendos, quod animam seruarint ære; similiter fugâ lapsi.

Concilium Elibertinum statuens, lapsos nec in agone communicandos, id vt affine Nouatianismo, est improbatum in hoc; in alijs adprobatum à Papa.

ANNO CCCVIII. *S. Procopius*, Dux Ægypti, in Scytopoli crucem auream è collo gestandam fabre fieri curabat; aurifaber in paratâ postridie mane cernit incisum ei superne *Emanuel*, hinc *Michael*, inde *Gabriel*, hebraicis literis.

Marcus aurifaber erasurus, nequit. Eius præsidio Procopius plures abstulit ab hoste victorias.

ANNO CCCIX. *Virginum Martyrum deuota Christo* castitas emicuit.

S. Pe-

S. Pelagia rapienda, se comit velut ad nuptias itura cum sorore & matre sese in præterfluentem deijciunt Antiochiæ.

Alia ibidem ob procorum importunitatem professa est Virginitatem, vt spem nuptiarum incideret pro eis: qui sacrificare nolentem in lupanar abdiderunt: vbi precantem miles, specie libidinis ingressus, mutatis vestibus liberans martyrio sese offert pro ea.

Cum vero ducendus esset, ecce Virgo prosiliens, me, me; adsum: itaque cum ipso necatur.

Idem Didymus Alexandriæ præstitit Theodoræ: Alexander Antoninæ: Palladius Agnetæ.

S. Euphrasia Nicomediæ vim militis effugere nequijt, ergo eludit: Fingit se magicam percallere, Inprimis quæ inuulnerabilem redderet; prius eam ab se disceret artem miles, quam ipsa potiretur.

Collum cera obligat, ferire iubet; capite deiecto remanet virgo.

Anno cccx. Meletius Lycopolitanus Episcopus *anno* 306. captus negans Christum, & sacrificans; à Sancto Petro Episc. Alexandrino deponitur Episcopatu; factus dein Episcoporum persecutor cum Diocletiano.

Cui colludentem Arium item excommunicat Petrus. Verum hoc anno 310. recepit eundem, creatque Diaconum.

Et continuo in visione cernit Duodennem cum scisso colobio dicentem, *Arius scidit.*

Ergo monet, ne vnquam reciperetur Arius, si relabi eum contigisset.

S. Petro dein ob Christi fidem capto, ciues excubant ad carcerem ex amore eiusdem: Monialis, ignara illius capti, vocem audit; *Petrus initium Apostolorum; Petrus Alexandriæ finis Martyrum Episcoporum.* Consummat martyrio.

Anno cccxi. *S. Lucianus* presbyter Nicomediæ dum rapitur ad carcerem pro fide, visos milites lapsos circiter 40. reducit ad fidem, cumque ipso cippis includuntur.

Quos in festo Theophaniæ solicitos de cultu festiuo solatus Lucianus ait, ego sim ara, vos circumstantes templum; tantum pectori meo consecrandam hostiam & calicem imponite.

Fit: Missam patrat; ipse sumit, datque cæteris. Postridie affectis martyrio.

Anno cccxii. Mexentio tyranno in Constantinum ducente, visi in Italia diuini exercitus, qui ad Constantinum se tendere dicebant.

Vidit ipse post meridiem in cœlo coruscam Crucem inscriptam hisce: *In hoc vince.*

Ergo Labarum suum eâdem, vexillaque cætera, & scuta & galeas insignit cruce.

Contra 100000. educit vixdum 20000.

Apud Taurinos hostem delet horror nemine exercitus Cæsariani læso; Tyrannus in Tiberim seipsum deijcit; perit.

Constantinus Deum vicisse fatetur; triumphator Vaticanum ascendit Apostolos rite veneratus: cruces vrbe tota statuit: Senatus, ei gratificaturus, Christi statuam ponit.

Factus igitur Christianus Cõstãtinus Martyres tumultuariè in persecutione tumulatos, honorifice recõdi mandat.

Papæ Melchiadi donat palatium Plautij Laterani, ab Nerone cæsi, bonis confiscatis.

Datis rescriptis edicit imperio toto *bona ecclesiastica restitui: Clericos ab omni munere ciuili reddit immunes.*

Titulum tamen *Pontificis Maximi* seruat, ab antiquo coniunctum Imperatorio; ne subita mutatio populi Ro. cieret offensam, ac motum. Eum tam Gratianus post quartum imperij sui annum deposuit, solique Papæ Romano remisit.

Anno CCCXIII. Constantinus Donatistis S. Cæcilianum Epis. per literas accusantibus, ait: *Petitis à me in sæculo tudicium; eum ego Christi iudicium expectem:* simul eos ad Papam remittit.

Papa vero per Concilium damnante Donatistas, hisque ad Constantinum appellantibus, ait: *O rabidi furoris audaciam: vt in causis gentilium solet, appellationem interponunt.* Posteri tamen Donatistæ iactarunt, sibi causam adiudicatã fuisse. Mos viget peruetus, sub Missa benedicendi eulogias, i. panes fermentatos: quos dari cuique signũ erat *Romano-Catholicæ Cõmunionis* publicũ, & priuatũ.

Anno CCCXIV. Maximinus à Licinio victus æstuoso morbo torretur vt exarescceret; fassus iustam pœnam ob Christum persecutum.

Mortui nomen è tabulis eraditur. statuæ vbique trahuntur, plectuntur amici.

Constantinus edicit; *Quod de quacunque causa fuerit ab Episcopis iudicatum: ratum sanctumque sit Iudicibus sæcularibus.* Quin voluit sanciri in Conc. Arelatensi, *Vt Fasces ac Præsides Episcopis subessent.*

Anno CCCXV. Constantinus præcidit aures Iudæis, quod Romæ diu putatione conuicti persequerentur conuersos Iudæos: nollentque Principi parere Christiano.

Anno CCCXVI. *Diocletianus vita* Christi exaltatione, & ruina ethnica extabuit lente, accessit cœcitas, putredo viscerum, vermicosa lingua quam commansam eiectat dicens: *Vah! sat pendopœnas impiorum conatuum in Christianos.*

Constantinus turbatores Donatistas solum exilijs mulctat, tamquod vani sese de martyrio iactarent, idque affectarent: tum quod nomen *Christum* in eis reuereretur.

Anno CCCXVII. Licinio tyranno bellum in Constantinum moliente, passim visuntur milites Cæsariani momento que triumphantes disparent. Inclinatam forte aciem in Conflictu illata cruce erigit Constantinus, hostemque fugat: Signifer sibi fugã consulturus asceri tradit vexillum, simul oppetit, saluo vicario, cuius pertica Crucis tela vndique excepit.

Constantinus anno insecuto dimicaturus cum Licinio conspicatur equitem ignotum sibi crucem præferre: alias idem iuuenes duos; alias vidit castra sua diuiniore igne collustrari.

Ann-

ANNO CCCXXI. Constantinus edicit *Dominicam* vbique feriandam; ea comprecandum; suis ipse aulicis & exercitui statas preces præscribit.

Iubet & *feriam sextam* præ cæteris honorandam.

Sancit, vt Ecclesiis testamento legata bona minime negentur: quo ex protinus mirificè ditescunt.

Donatistas, nihilo meliores in exilio, relaxat. Silentio serpunt: Dici *Catholici* affectant, & videri *se communicare cum Romano Episcopo*: Idcirco creant Episcopum, Romam mittunt tanquam in Communione Papæ degentem. Sed fraus proditur.

ANNO CCCXXIV. Constantino diris conscientiæ agitato, ob illatas pluribus neces, suadet Osius Cordub. Episc. baptismum: at Flamines expiari posse negabant.

Correpto lepra illi suadent balneum ex infantili cruore: at miseranti matres apparentes, Apostoli iubent baptizetur à Syluestro, & orbe toto restauret ecclesias.

Insperatam igitur ab eo pœnitentiam priuatus agit, posità coronâ.

Baptizatur, & ecce lux cœlo accidit, & in ea Christus ei persanato dare dexteram visus est. Miram vim auri in fontem dat baptismi.

Die prima in albis edicit, orbe toto Deum vnum verum esse colendum: *altera* pœnas dictat in blasphemantes Christum, aut Christiana Sacra irridentes: *tertiâ* in Conuitiantes Christianis: *quartâ* Romanæ Ecclesiæ priuilegia impendit: *quintâ* cunctas ecclesias esse azyla iubet isthuc confugituris: *sextâ & septimâ* edicit, neu vsquam templa ponantur citra Papæ permissum: *octauâ*, bidente primus aperit terram pro ecclesia in habitu priuato, sportasque XII. terra plenas secum asportat. Dein duabus horis ad Senatum Populumq; Rom. perorat pro fide Christiana, tricies acclamato isto; *Qui Christum negat, male pereant*, aliaque tria. Soli Senatores pertinaciter ei restiterunt.

Effusa eius in excitandis ecclesiis munificentia vrbem, orbemque compleuit. Edicit neminem inuitum baptizandum: Præfecturas vacantes dat Christianis; ethnicos satrapas palam sacrificare vetat.

In erectione columnarum immanium mœsto architecto, quod nesciret quemadmodum eas eleuaret, apparens B. Virgo M. cui templum parabatur, ostendit machinas, tresque iubet pueros è ludo sumi auxiliares, per quos erigit, quas quantauis virorum vi statuere nequibat.

S. Syluester, quem Vrbs eo vsque colebat draconem, occluso antro occidit. Verum ethnici alium sculptum cum gladio in ore isthic sub gradibus posuerunt, quos scandens quotannis virgo decidebat in ensem mactata idolo: quem dolum monachus aperuit. Inde S Siluestro appingitur draco.

ANNO CCCXXV. *Ad Conc. Nicænum* venientibus Episcopis Constantinus occurrens caput manibus eorum supponit; sedentibus adstat; nec sedet nisi iussus.

Ideo vero quondam Valentinianum tali dedignatum honore S. Martinum ignis è sella exiliens compulit eum San-

cto etiam supplicem accidere. Multi Episcopi miraculis, doctrina, vita, Confessione inclyti conuenerunt ad Concilium; inter quos & filij Sathan adfuerunt Ariani; & ij vel Negatores olim, vel Traditores; qui in gratiam Constantini Actis Synodi subscripserunt; sed mox resilierunt.

Cumque cor. a Catholicos darent Constantino libellos; is ne lectos quidem exussit, dicens: *Vos dati estis à DEO Dij ad nos diiudicandos: Vos Dei exspectate iudicium*; Vel purpura sua peccantem Sacerdotem tegere paratus.

Ad Concilium quoque *Philosophi* conuolarant *ethnici*; sed hi argutantes confusi conuictique à Christiana simplicitate tum aliorum, tum Spiridionis, qui dicenti σκιμπόδιον pro γράββατον, occlamabat; *Tun' melior eo, qui dixit Grabbatum.*

Alexander Episc. Constantinopol. monitus à Constantino, vt cum Philosophis disceptationem iniret; ipse principem ex omnibus delectum reddidit mutum isto: *In nomine IESV CHRISTI præcipio tibi; ne loquare.*

Exorauit Constantinum Eusebius tectus Arianus, ne damnati Ariani Episcopatibus ejicerentur; at iussi dant libellum palinodiæ ac pœnitentiæ: quorum & scripta exuruntur, exurique iubentur edicto Imperatoris.

Et ipse Eusebius consentit in *Consubstantiale*; sed suo hoc sensu tacito, *Filium non esse partem substantiæ Patris, sed et similem.*

ALTERA QVÆSTIO Nicæni Conc. erat *de die paschali.*

Mandatur Alexandro calculatio. Decernitur tenendum morem Romanum Lunæ XV. Orientalium morem de luna XIV. deferendum.

At protinus Imperator edictoid publicat contra Quartodecimanos. Sancijt item Conc. Psalmos finiendos isto, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: at addendum: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.*

Idque propter Arianos dicentes: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto.* Sancitum: in Sacris solennibus *Symbolum Nicænum* recitari; cum alias solum in paschate recitaretur Symbolum Apostolorum.

Hoc vero solum Romæ relictum, quod nulla ibi sit vnquam hæresis orta, quæ inualuisset. &c.

Obierant ante finem Concilij Chrysantus & Massonius; Patres hoti mumalis imponunt decreta, orantque subscribant. Et ecce, postridie manè subscripsisse repertum est.

Imperator omnes religiose veneratos dimittit. Sylvester in Romano Concilio Acta decretaque Nicæna confirmat.

ANNO CCCXXVI. Meletiani & Ariani in vnam coeunt Communionem, vt iunctim Catholicos impugnent; sed vtrosque Constantinus edicto premit. Catholicorum priuilegijs.

Sepulcrum Domini aggere obrutum ab ethnicis, impositio Veneris idolo, Constantinus templo coornat, nouamque construit Ierusalem contra veterem: & *crucem* defossam restituit; quá partem suæ in foro statuæ includit ad præsidium vrbis nouæ; partim Veteri mittit. Et Crux ea nil minuebatur, quotquot inde

inde particulæ deciderentur. Helena in monte Oliueti templum ponit Virgini Matri. *Clauis Crucis* Constantinus sic vlas est: vnum in equi frenum vertit; alterum diademati inseruit: tertium mari Adriatico sedando iniecit: quartum suę v. nerationi reseruauit: demum hũc cum parte Crucis templo S. Crucis Romæ legauit moriens.

Anno CCCXXVII. Gẽtium Nationumque Conuersiones ad Romanocatholicam fidem sunt factæ. Indi hoc æstu; Meropius philosophus orbẽ perlustrans, dulcidalæ gratiâ appulit ad Indiæ oram: barbari omnes vti Romanos contrucidãt; duos pueros sub arbore lætitantes ad Regẽ adducunt: placent: educantur: Ædesio pincernæ, Frumentio Rationarij munus datur. Rege fatis perfuncto, Regina per eos omnia regnat. Demum Frumentius ab Athanasio petit Episcopum mitti; qui ipsum ordinatum remittit, Indosque conuertit inclytus miraculis.

Apud Iberos ancilla captiua serit Fidem. Notabatur statis diebus orare, ieiunare, &c. Reginam, eiusque infantem sui tactu cilicij sanat; conuertit.

Rex suasæ negligens conuersionis, in venatione per tenebras errat: inuocanti Christum lux oboritur, vt ad suos redierit; fidem porro discit ab ancilla, colitque.

Eadem precata Deum, nulla vi mobilem columnam, ad templi structuram, facit in aere pensilem seque librate super basi deponentem.

Iosephi Iudæi tarda, & mira conuersio fuit.

Euangelium clam lectitabat; signo crucis victas incantationes libidinarias vidit, obstupuit: ter à Christo sibi apparente æger sanatus, cõuertiq; iussus, noluit. Demum oblectationem Euangelij ab Iudæis in fluuium præceps actus, nõ nisi diuinitus euadens, se Christianum profitetur; ad Constantinum confugit Comes domesticus; ius construendi in Tibariade templa impetrat: ibi cum fornax parandæ calci non posset, per magiam Iudæi, ipse infusâ aqua benedictâ in nomine Crucifixi, dispulit magiam. &c.

Anno CCCXXVIII. S. Athanasius suum visitans Episcopatum, defertur ad S. Antonium, cui duo detulit pallia. A quo *Monachatus* mirifice auctus est; seu Cœnobitarum in communi viuentium; seu Anachoritarum deserta incolentium. *Monachorum traduces* ex Oriente Romam secum adduxit S. Athanasius in fuga: *an.* 340. In Vrbe, totoque occidente multiplicatos Eusebius Vercellensis, & ipse eorum hoc anno translator ex oriente in occidentem, eos *cum Clericatu coniungit* per occidentẽ: Augustinus in Africa. Martinus in Gallia: Athanasius Alexandriæ. &c.

Anno CCCXXX. Noua Roma dedicatur B. Virgini Deiparæ. In sua statua Clauũ crucis includit: cuius in dextera pomum aureum cum cruce; inscriptio talis: *Tibi Christe Deus vrbem hanc cõmendo.* Varias *reliquias* condidit in basi; vt dolabram Noachi; reliquias 7. panum Christi. &c. Tres Cruces statuit cum hac epigrapha: *Iesus Christus vincit.* Ad tertiam plura edita miracula sunt: tertio quoquo anno visi eam circuire ac suffire Angeli cantantes trishagium.

Sal-

Sallicanus à Constantino contra Scythas missus, victimat Marti; Sed ab exercitu desertus fugit.

Iussus à Sacerdote vouere, se fore Christianum: paret: Ducit recollectum exercitum; præit Angelus cum cruce, virique duo; quos secutus ad ipsum vsque Regem se penetrans supplici parcit totius victor Scythiæ. Ideo vouit perpetuam continentiam. Interim filiæ eius consecrabantur in moniales.

Post ipse Consul sua dispertiit pauperibus, ac Monasticen profitebatur.

Anno cccxxxviii. Sapor Rex Persarum, morte Constantini audita, imperium incursat: Nisibin diu nequicquam impugnans, muros demum immisso fluuio deijcit; qui tamen mane primo instaurati stabant; inque ijs Rex conspicatus virum augustissimum, ei mortem intentantem; obsidionem soluit.

S. Ephræm orarat S. Iacobum Episcopum Nisibensem, vt maledicat exercitui imprecatusque ei cyniphes, ab his dire infestati omnes, animis deijciuntur. Nunquam vero capi vrbe ea quiuit, quousque S. Iacobi reliquiæ ibidem sunt asseruatæ.

Anno cccxxxix. Ariani apud Papam accusant S. Athanasium: *Pacificas* ab eo petunt, vt Catholici viderentur.

S. Antonius in Visione conspicatur aram, mulis cinctam, calcium ictibus dissipari: visoque irriguit. Schema arianismi id erat.

Anno cccxl. S. Athanasius ad Conc. Romanum confugiens, in Vrbem secum intulit Monachos Antonianos. Contra quos clamare Circumcelliones: *Quid sibi vult nomen MONACHVS: Vbi scriptum est?* Suum Romæ cõdidit Symbolum, Romanoque obtulit Concilio.

Anno cccxli. Ariani quantum mutant suam fidei Confessionem, voluntque videri Nicæni obseruatores vt Catholici esse credantur: Quintum anno 347. qua *Essentialem esse Filium cum Patre dicunt*: non tamen *Coessentialem*. Atque inde *Semiariani* sunt dicti. Adscisuerunt autem sibi Donatistas in communionem contra Romanam. Atque eo postea Cresconius contra Augustinum probare nitebatur, se suosque veros vere *Catholicos* esse.

Anno cccxliii. *S. Antonius Eremita* confutat Arianos, fidemque Romano-catholicam miraculis confirmat. Dydimo ob cæcitatem mœsto: *mirer*, ait, *prudentem eius rei dolere damnũ, quam & musca habent; non lætari ea, quam Apostoli meruerunt.*

Anno cccxlv. Gallus setiò, Iulianus fictè pietatem professi, Clericique facti Martyria construunt: Galli operi belle processit; Iuliani fundamenta interdiu posita semper respuebat tanta sic, vt educi nunquam valuerit. Inde hic à Maximo philosopho magiam cõdiscit; vtque fallat, se in monachum tradit professione facta.

Gallus *anno* 351. factus Cæsar contra Magnentium tyrannum, necatur. Ergo Iulianus exuit Clericum, ac Monachũ; Christum eiurat, per magiam sese ad imperium inquirit. Constantius decturus in tyrannum prius omnes milites edicit baptizari, at multi etiam cingulo

gulo abiecto potius ad paganitatem se redigi patiuntur: vnde gentiles dici *Pagani* cœperant.

Idem nummum honorarium, non vsualem, cudit ista cum inscriptione; *In hoc victor eris*; Magnentius similiter; & tunc primum crux contra crucem est in aciem producta à tyranno & hæretico.

Hic victor iactat veram esse fidem suam arianam; cæterequin non daturum ei Deum victoriam fuisse. Inde scribebat; *Aeternitatem meam*, sese immortalem sibi persuadens; Cum tamen Ariani Christum negarent æternum.

Anno CCCLVII. Photino *in Sirmiano Conc.* damnato, nouam Ariani formam fidei edunt; ne videantur cum illo consentire: atque huic subscripsit Osius coactus, Papæ Legatus. Quin & Liberius Papa coactus item subscripsit; se Primæ formulæ Sirmianæ, in qua asserebatur, *Filij cum Patre Substantia communis, & Similitudo*; Non Secundæ, in qua vtraque negabatur: non Tertiæ, in qua solum Similitudo negabatur.

Non igitur Papa factus est hæreticus sentiendo, seu approbando; sed lapsus solum est communicando cum excommunicatis, sicque visus consensisse; item subscribendo contra Athanasium.

Qui fuit lapsus facti personalis; non erroris Fidei Papalis.

Reuertens tamen Romam respuebatur: Felici adhærebatur; in quem ideirco mouebat persecutionem Constantius. Donec eum capite truncasset martyrem pro fidem, excommunicatorem suum

Protinus Liberius suam cum Arianis abrupit communionem; Receptusque est in Cathedram, reuocata & cassata subscriptione sua per contrariam Confessionem.

Anno CCCLIX. Arimini Conc. ex cccc. Episcopis conuenit, in quib. solum ariani octoginta: Et contra Arianos concludebatur.

Constantius legatos ad se ex eo missos subscribere pro arianis cogit. Qui Ariminum reuersi idcirco respuuntur. Veruntamen consentientibus Episcopis vniuersis; posse *Vsiæ, Substatiæ, & Consubstantialitatis* voce Niceni Conc. omitti; dummodo in Re ac Sensu conuenia tur; eheu! ecce, labuntur omnes, *seque mundus Arianum esse ingemuit.*

At vero hic Papa Liberius vnus contra omnes reclamans, à Constantio pellitur Vrbe.

Tum contigit Arimini, quod pseudoepiscopus, ibi à Canonico proprioque Episcopo excommunicatus, verba Sacerdotalia prolaturus, diuinitus punire tur sic, vt ei lingua ex ore propenderet: egresso autem templum rediret in os. Quo ad omnem ingressum ei euenien te, demum pœnitens abijt Episcopatu.

Anno CCCLXI. *Iulianus Apostata* quoscunque Episcopos exules restituens, libertatem fecit religionis; quo penitius Ecclesiæ viscera per sectas contrarias exederet.

Anno CCCLXII. Mystâ eius non valente sacrifica patrare, ob pueri Christiani præsentiam, clamabat: *Lotus procul absit, & Vnctus. Namgenus hoc hominum tremit Insula, & omne Puluinar Diuũ.* Valens, Valentinianus, & Iouinianus Tribuni, dum ei præirent ad Fortunæ,

æditimum eos lustrali aspergentem pugnis cædunt, tactāque abiiciunt vestem: at protinus proscribebantur.

Constantinopoli cibaria omnia, per *Quadragesimam*, itemque & Antiochiæ, fieri iussit idolothyta; vt Christianos vexaret.

At S. Theodori iussu vescuntur omnes cocto frumento; sicque infandi conatus elusus est. Cæsareæ *Clericos* ad arma cogebat, militiamque sequi.

Sacris Vasis inuersis insidenti sua pudenda, corpusque à vermibus exeduntur; alius crepuit medius. Iuliani auunculo, contra *aram* mingenti, vesica computruit, stercusque per os egerens exhalauit. Blasphemus Hieron computruit, vt viuus in plateam eijciendus esset. Theotecaus sibi linguam commandit, oculos ac dentes excussit: Et ista talia contigere, cum plagis territus Iulianus præcepit RELIQVIAS S. Babylæ ex Daphnæo honorificè transferri; & Daphnæum protinus igni de cœlo deflagrauit.

Extincti pene Donatistæ ab Iuliano impetrant per Africam restitui; ac inualescunt, vt nunquam alias. Armati euastant ecclesias. *Eucharistiam* canibus obijcientes discerpuntur iisdem.

Ampullam S. Olei vitream eiectam exceperunt Angeli, vt non diffringeretur: *Virgines* stuprabant; vertebant *aras*, *calices* conflatos ethnicis diuendebant ad thurificandum: Sacras *Moniales*, abrepto *Velo*, ad sacrilega matrimonia abripiebant. Iulianus abdicatis cunctis, quæ Christiana erāt instituta; suas scholas, hospitalia, monasteria Vestalium, pædagogia, fana, &c. ad Christianorum imitationem instituebat, vt vulgo imponeret.

AN. CCCLXIII. Dum in Persiam ducit, mira contigerunt: pauca fero. Vetabat Christianorum vita perfunctorum *Exequias* interdiu perpetrari: Theatrum iussit extrui, in quo reuersus Clericos dilaniaret, & sacrificaret Christianos. Cum exercitu militum 65000. alterum traxit secum quà dæmonū, quà magorum. Ex vrbe Nisibi *reliquias S. Iacobi* iussit efferri; & protinus vrbs, inuicta alias, à Persa capitur.

In occidentem misit dæmonem nūcium: qui dies denos in aere suspensus Publium Monachum, continue precantem, nequibat præterire; vt infecto negotio reuerti cogeretur.

In castris atheus incerti ictu teliperit; ante necem tamen manu cruorem spargens clamabat: *Vicisti Galilæe; Saturare Nazarene.*

Iouinianus imperium suscipere coactus quam primum sublata Ecclesiarū priuilegia reddit; S. Athanasium accersens de pace Ecclesiæ deliberat; fana claudit, ethnica vetat sacrificia: at religionis tamen libertate relicta. Ergo perit, aut ex fungis comestis, aut ex calce parietis recentis.

ANNO CCCLXIV. Valentinianus Imp. ab Episcopis rogatus, sibi ad Concilium conuenire liceret; respondit: *Laicus sum; nefas mihi rebus huiusmodi misereme.* Simul scholis Christianos restituit Ludimagistros. *Semiariani* missa ex Lapsaceno Conc. Confessione Catholica ad Liberium, rursus eum decipiūt, fingentes sese Catholicos, vt in Communionem reciperentur.

Et

Et recepti sunt; lapsu facti personalis; non Fidei Papalis; vt *an.* 357.

Anno CCCLXIX. Emelia mater S. Basilij moriens ait: Tibi Domine primitias, Macrinam; & decimas Petram, fructum vteri mei Dico. Ergo illa fit monacha, hic monachus.

Anno CCCLXX. S. Basilius monachus & Episc. ad fidem Imperatoris ariani, huius Præfecto eum solicitanti ita respondit; vt hic diceret: *Nemo me vnquam tam libere compellauit.* Cui Basilius; *Neque forte in Episcopum incidisti.* Ipse tandem adit eum Imperator; sed ad conspectum eius in templū intremuit attonitus ab ordine Diuinorū; Iturus ad *Offertorium* labascebat, vt sustentandus esset. Abit: S. Basilio dum decernit exilium, filiolus corripitur febri. Monitus pœnā esse diuinam, ad se Basilium accersit, orare eum pro filio iubet. Cui ille; *Faciam, si Catholicè velis eum baptizari.* Negat. Ergo baptizatus ab ariano, extinguitur. Subscripturo ipsius proscriptio manus intremiscit, calamique tres diffringuntur.

Vidua nubere præsidi coacta confugit ad aram: repetenti eam Valenti negat Basilius: intentanti vngulas ait: *sic medebere hepati meo*; simul à nece Præsidem eximit subtractum tumultuanti plebi; ac viduam consecrat in monialē.

Antiocheni, post abductum in exilium Episcopum suum, Aphraati Monacho adhæserunt. Percunctante hunc Valente quo iret, aiebat: Pro regno tuo precaturus: Instanti; adhoc incellate decet; inquit: Ouibus in tuto positis id feci: nunc turbatas sequi necesse est.

Nec enim filiam, domo paterna flagrante, in cubili sessitare decet. Quam dicendi libertatem increpans satelles, dum balneum Valenti parat in bullientem lapsus perit. Idem dein Imperatoris equum aquâ per crucem benedictâ consanat. Vulgantibus menda citer arianis ipsis consentire *S. Sabam*, eremo relicta cogitur se Antiochiam deportare, ijs refellēdis. Per viam dum matrona eum excipit conuiuio filius in puteum præceps ruit: illa tegere iubet puteum; ministrare sancto satagit; puero interim saluo permanente. Idem Asterio Sophista ariano Antiochiæ concionaturo, preces & ieiunia indicit plebi; & ecce is vnum ęger diē extinguitur.

Anno CCCLXXII. Basil. ep. ad Occid. testatur, Oriente toto sic à Catholicis fugi hæreticos Arianos Semiarianos, Apollin. Collyridianos. &c. vt quāuis sæua hyeme vel in apertis campis agere conuentus malint.

Anno CCCLXXIV. Auxentio ariano mortuo, dissentiente in electione Clero, infans *S. Ambr.* nominat, tumultus tunc cauentem; frustraque obnitentem specie seueritatis, scortationis, fugæ. Lætus electione Valentinianus, audiuit concionantem contra Magistratus vitia quædā, ait: *Noui tuā in dicendo libertatē; quò studiosius Episcopatui tuo suffraga tus sū. Errat is perge nostris facere medicinā.*

An. CCCLXXV. S. Martin. aditus ad Imp. Valentem negabatur: ergo Deum oranti ac ipsum septiduū ieiunanti Angelus ait: Ito, portæ vltro patebunt. Penetrat ad Imperatorem; iratum illi assurgere nolentem cogit ignis è sella exiliens, vt occurreret etiam obuiisque amplexibus exciperet sanctum.

Dein Quados indictum bellum deprecãtes, tumidè increpat supplices; & ecce, digne de cœlo videtur suffocari, vt extinctus caderet momento. Hic finis Persecutoris Ariani. Valens autem lege iubet militare Monachos: nolentes necari fustuario.

An. CCCLXXVI. Valentinian. iunior primo Imperii an. libertatẽ Religionis indulget, cuiuscũq; licet ethnicæ; miserèq; cũ liberis perit. Gratianus verò proscribit hæreticos; victorq; prosperatur.

Quia tamen *an.* 381. Priscilliano hæresiarchæ ab exilio reuerti Cæsaraugustam permisit ad Episcopatum; Deus Maximũ excitat tyrannum illi in necẽ.

Macedonius vero, qui ære corruptus restitutionem illius procurarat, mortuo Gratiano confugiturus ad aram, templo patente ianuam reperire nequibat.

Id quod S. Ambrosius ei prædixerat. Prius tamen Gratianus se abdicabat titulo *Pontificis Maximi*, anno 383. Ideo fauentes Maximo Senatores Rom. ani gentiles aiebant: *Si Princeps dici nolit Pontifex Maximus; breui Maximus erit Pontifex.* Sed piorum & S. Ambrosii precibus auertebatur.

Anno CCCLXXXIII. Theodosius Arcadium filium dicens Imperatorem, dum indulgentius conniueret hęreticis, à S. Amphiloctio salutatur Imperator, non filius adstans. Quod ægre ferenti, ait; *Ita noris & Deum Patrem sui quoque Filij dolere iniuriam: Cur ergo blasphemos toleras?* Continuo is conuentus ẽt clandestinos hæreticorum interdicit edicto. Cæditur à Maximianis S. Vrsula cum Sodalibus.

Anno CCCLXXXIV. S. Gregorius Nazian. redarguit Præfectũ Constantinopolitanum de violato ieunio ecclesiastico. *Augustinus* Mediolani Rhetoricam profitetur; *an.* 385. conuertitur ad Catholicos.

Eodem Tyrannus Maximus agit iudicem Ecclesiasticarum causarum: at Theodosius id lege edita vetat. Iubensque tempore paschali nexos omnes solui ac dimitti, ait: *O mihi vel defunctos reuocare liceret!* Item Valentinianus.

Anno CCCLXXXVI. Maximus tyrannus Ithacij suasu hæreticos trucidarat. Theognostus eum idcirco damnat crudelitatis, ab Episcopo alienæ. Cõcilium, Treuiros a tyranno conuocatum, pronunciat pro Ithacio Hispano; at S. Martinus dissentit. Eum obiicad hæreticos adnumeraturis Episcopis dissuadet Maximus: suadetque amice S. Martino: at frustra.

Demum minante Imp. missurum se in Hispanias; cunctis hæreticis trucidandis.

Isto coactus S. Martinus cum Episcopis communicans cessit ad horam inuitus.

At protinus ab Angelo reprehensus in via acerbe indoluit. Tunc inuitus, at exoratus, adest conuiuio tyranni: vbi Sacerdoti præ Rege primum dat poculum; vt Rege digniori. Placuit. Regina quoque inuitato ministrat ipsa; menisque reliquias asseruabat.

Angelus iubet Flauianum Antiochenum, vt Antiochiæ ordinet Chrysostomum: in Ordinatione autem missi sunt Angeli manus imponere; & manifesta columba super eum deuolare. Ab hẽ con-

concionans itidē mulierculæ admonitu mutat, dicitque vulgarius; & acclamatur *Os aureum.*

Marcioniſtæ vxor ibidem ægra ex cholica, deſperataq; receptat in tēplum ad Chryſ. ſi ab eo ſanitas illi cōtigeret, catholicam futuram. Acceptâ igitur ab eo Aquâ benedictâ, hauſtâque protinus conſanabatur: Et ſecum marito conuertit. At Marcionitæ eum vt magum proclamantes, innumeri ad templum conuolant remiſtis Catholicis: & ecce per terræmotum illapſa rempli fornice, hæretici obterunrur omnes, catholicorum nec vno deſiderato.

Anno CCCLXXXVII. S. Ambroſius poſtulantibus, Imp. ariani iuſſu Tribunis S. Vaſa negat, ſeque ſuaque potius pro iiſdem offert: oratque populum vt ab templi cuſtodia recedat, cuſtodem fore Deum.

Valentiniano ariano poſcenti de bonis eccleſiaſticis tributum, S. Ambroſius nec dat, nec negat: ſinit, accipiat, ſi velit, auſitque.

Deinde Ab eodem permiſſos Gothos rogatus, iuſſuſque pendere, negat Imperatori quicquam eſſe iuris in Eccleſiam: *quod intra eam ſit filius; non ſupra tyrannus: idque ex gratia; hoc per vim.*

Repertæ tunc *reliquiæ SS. Gerualii & Protaſii* Martyrum multis celebrantur miraculis.

Anno CCCLXXXVIII. Maximo in Italiam ducente, Valentinianus, irato cædibus eius Deo, confugit ad Theodoſium; qui fretus Deo ait: *In Domino faciemus virtutem*; ſolicitatque monachorum in Ægypto preces: Senuphium epiſcopum accerſit ad ſe; at is præferens ſolitudinem, ſuum ei baculum & humerale mittit. Hoc inductus Theodoſius in aciem venit, vidit, vicit. Victum Maximum miſeratur; at tribuni abreptum trucidant, præripiuntque miſerationi. Valentiniano autē reſtituit regnum pacatum, iam ex ariano facto Catholico.

Anno CCCLXXXIX. *Theodoſius* Romam ingrediens dat poteſtatē Chriſtianis ad fana ethnica cum idolis euaſtanda. Ante Serapidis templi euerſionem in Ægypto, auditum in eo cantari *Alleluia* nullo cantore viſo: Omen id habitum Chriſtianiſmi inferendi. Marcellus Apameæ Epiſcopus, Iouis templo flammis quantisuis illæſo, obſiſtente cacodæmone, *aquam benedictam* infudit, ac protinus velut ab oleo flammæ gliſcebant. S. Martinus ſacram pinum ſucciſurus data à furente populo conditione, ſi ruentem exciperet; excipit ruentem obiecto S. Crucis ſigno; ad quod ipſa in ruina ſeſe pinus retorſit in aduerſum. Eundem alubi fanum euertentem Angeli duo aduerſum ruſticos tuētur. Percuſſuri ceruicem eius, erecta in ictum manus exaruit; Eum percuſſuro culter è manu diſparuit.

Anno CCCXC. Theſſalonicæ auriga Capitanei pincernam intuens fixius; accuſatur libidinis; captum populus in Circenſibus poſtulat ceu neceſſarium; negantem cædit in tumultu dominum. Hoc audito efferbuit Theodoſius; Epiſcopis tamen à vindicta flectentibus compromittit. Dein Tribuni vindictam ab eo impetrantes vocatam vel ut ad Circenſia plebem tribus horis concidunt. Ergo ab Vrbe Mediolanum venienti Theodoſio S. Ambroſius per

literas suasit pœnitentiam; excludit ecclesiâ, ita per visionem iussus, vt nec pro eo Sacrificiũ patraret. Ad valuas templi occurrens dicenti, *& Dauidem peccasse*, respondit; *Sequere & pœnitentem*. Recedit lugens Imperator; tẽtato frustra per subornatum Rufinum Ambrosio, ipse redit supplex; pro templi foribus exspectat; præscribi sibi pœnitentiam orat. Iubetur ista: *Sancito legem, vt mortis lata sententia ipsos XXX. dies ab executione suspendatur; sitq; eius mutandæ potestas*. Dictum factum. Introgressus igitur chorum, post Offertorium Missæ iubetur à Diacono exire, subijciente Ambrosio causam: *Nã purpura non facit Sacerdotem*. Posthæc & Constantinopoli excedere choro solitus, percunctanti causam Nectario Episcopo respondit: *Aegrè tandẽ didici quid ab Episcopo differat Imperator*. Ibidem *Pœnitentiarius*, quod vulgasset confessũ Diaconi & Diaconissæ concubitum, ab Nectario Episcopo mouetur officio. Ideo lege sancit Theodosius, neu diaconissa fiat nisi sexagenaria. At S. Ambr. cogebat eum reuocare legem; non quidẽ iniustam; sed iniuste latã; quod de Sacris sancire non esset Imperatoris.

An. CCCXCI. Caput S. Baptistæ repertum honori est: atque ab Imperatore transfertur: cuius in Samaria sepultum corpus *an.* 33. ab Sebastianis Paganis, *an.* 362. combustum est totum, nisi quod ossa pauca subtraxerint Christiani; coruscãte miraculis tamen eiusdem sepulcro. *An.* 424. Marcionitas virtute reliquiarũ ipsius contigit reuerti ad Ecclẽsiam. *S. Aug.* licet inuitus, Sacerdotio inunctus prædicat iussu Valerij; tametsi prædicare solis fas Episcopis esset. Eo monente Agapæ ob abusus subrepentes abrogantur: quæ ad Martyrũ vel pertinæ, aut defunctorũ sepulcra dari consuerãt. *Oblationes* tamẽ, quę pro animabus defunctorũ fiebant, dari voluit egenis.

An. CCCXCII. Cæso Valentiniano substituitur Eugenius ethnicus, quem de restitutis aris ac sacrificijs arguẽs S. Ambr. cedit Mediolano; & tamen eius in templo species assiduo orabunda cernitur in tẽplo. Monachos edicto euocat in vrbes fidei defendendæ. *Vela picta* cũ historijs martyrum ad templa ipsis sacra, proponi iam olim sueta, tum maxime frequentabantur.

An. CCCXCIII. Theodosius pro bello contra Eugenium missis passim Legatis preces implorat piorũ: Habitum mutato Ierosolymam ad loca sancta ipse peregrinatur, indutus cilicio, prostratus in templis. Tributa remittit, quantumuis ad belli neruũ necessaria: Militarẽ licentiam lege coercet, neu Deo hominibusque fit quisquam iniurius.

An. CCCXCIV. Suis in conflictu primo per Eugenianos profligatis, in mẽte humi nixus orat, vel in sese iram Dei vindicem verti; fundique gentes; ne dicant: *Vbi est Deus eorum?* Et ecce fundumtur, vento subito sua in excussores hostes tela retorquente. Et vero pernoctanti in oratione S. Ioan. Euangelista cum S. Philippo apparentes ei victoriã ab Deo spoponderunt. Ipse igitur signi prælij ineundi hoc esse voluit; Sese signo S. Crucis cõsignaret. Mittit victor ad Eugenium capiendum: qui ignarus victoriæ percunctabatur: Aduenitne vinctũ Theodosium? Cui satellites: Te adducemus adipsum. Constantinopoli

in

in ipso victoriæ articulo dæmon è templo, in quo Theodosius orarat, euolans exprobrat S. Ioanni Baptistæ decollationem: *Tu me vincis; heu! Paulinus*, Consul Romæ ordinarius, eiusque coniunx suas egenis opes amplissimas elargiuntur, monasticenq; profitentur Nolæ in Campania. Hoc æuum innumeris claruit & viris S. & miraculis, fidei testãdę.

An. cccxcv. Theodosio mortuo *Quadragesimum agit* Arcadius cum S. Ambr. Illius soror Siluia Monialis pijssima; & ipsius confirmatio priuilegiorum ecclesiasticorum, & proscriptio hæreticorũ commeruerunt aperiri coniurationem Rufini offensi, quod suam Arcadius sororem non duxisset in vxorem: & idcirco inuitantis Hunnos in imperium.

An. cccxcvii Melania cũ Rufino origenista reuersi ex Ægypto in Vrbem, afferunt Paulino particulã de *ligno S. Crucis*; quod tempore paschali ostensum hyperduleuticῶς adoratum est. Per idẽ Paulinus oborto incendio obiectum, flammarum vndas id à domo sua diuertit, & extinxit. Illi ambo de origenismo proditi, ab ignaro illius Papa Siricio *Cõmunicatorias* obtinent; abeunt; multosque per eas seducunt. Ideo S. Hier. ep. ad Ctesiphontem prolixe docet; pleras que hæreses ab fœminis & proseminatas, & à piis proditas oppressasque fuisse: ceu Marcella prima prodidit Melaniam & Rufinum. Moritur S. Ambr. solâ sacrâ Hostiâ sumptâ; non calice sacro.

Anno cccxcviii. Donatistarum persecutio in Clericis mactandis, cæcandis, elinguandis, mutilandisque cõpulit Honorium Imp. ad edictum pro securitate Clericorum publicandum. Augustinus quoque pro ijs ex lege plectendis orat.

Gildone Africam inuadente frater eius Mazecil confugit ad Honorium: ab hoc cum copiis in Africam remissus sanctos monachos secum ducit ceu tutelares. In procinctu apparens ei S. Ambr. ter humerum pulsat ac dicit: *Hic, hic, hic*. Ibi igitur castris fixis cum 5000. fudit fugauitque 70000. Naui Gildonem fugientem, at ventis reiectum capit, gulamque laqueo frangit. Verum quia victoriâ elatus Ecclesiam violabat, ad eam confugientes extrahens protinus occiditur in pœnam. *S. Aug.* quantumuis laicorum distineretur iudicijs; minime tamen Proconsuli permittebat in Clericos iudicium. Quia *Messaliani* hæretici monachi capillati docerent Monachis non laborandum; Augustinus euulgat librum de opere Monachorum; Monachosque Clericosque iubet radere caputque barbamque.

S. Chrys. scribit, dicitque inuectiuam contra *Agapetas Clericorum*, i. adoptiuas sorores, odium patitur, & calumniam. Idem obiurgat Eutropium, quod Honorio legis, de rapiendis vel ab ara reis, autor fuisset; ecce, de violata Augusta reus Eutropius, rapitur ipse primus ab ara.

Gazenses Pagani suo Marnæ, i. Ioui septiduo nequicquam supplicant in sic citate pro pluuia; *S. Porphyrius* autem cũ Christianis ducens extra vrbem processionẽ excluditur; sed impetrata pluuia cõtinuo recipiuntur. Rapiebãt iidẽ Diaconũ ad necẽ; quo in vrbẽ illato mortuo, (ꝙ pagãis nefas,) hi turbas ciẽt.

Orat

Orat Episcopus Deum; redditus vitæ Diaconus solus fuste cædit, fugatque omnes.

ANNO CCCC. Gainas Dux Arcadij contra Rufinum, poscit Arianis Constantinopoli templum concedi: Cui Arcadius; ad Episcopum id referam, ait, Verum S. Chrysostomus os Gainæ occludit. Qui furens vrbem inuasurus noctu, per Angelorum exercitum ter absterritus, templum extra vrbem occupat: id quod Arcadius vna cum septem millibus Gothorum inclusis exurit. Ariani ne psalmis suis seducant plures, etiam S. Chrysostomus concini hymnos curat. Ex quo suborto aliquando tumultu, cantum Arianis seuerè interdicit Imperator. Demum & vrbe pellit eosdem, dicente illi Chrysostomo in templo; *Dic; Si coronæ tuæ quis abiectos lapides insereret; quomodo ferret? Et Rex Regum Christus per Te feret hæreticas in pia ciuitate?*

Per id tempus muliercula, se Catholicam simulans, Synaxin sacram adibat. Acceptam *S. Hostiam* dans ancillæ panem sumebat: quo protinus in lapidem sub dentibus verso, Ariana se inter Cathol. recipi pœniten. orat, & exorat.

ERGO:

1. Dic age; Quæ sincera FIDES hoc constitit AEVO IV?
   At SIC PAPISTIS RES stat ROMANA, FIDESQVE:
   Non SIC REM seruat Luthero-caluinista, FIDEMQVE.
2. IVRE SVO Proprio Papa, atque Ecclesia gaudent:
   Quis quid Ei AVGVSTVS proprio de iure remisit?
3. ANTI ne CHRISTVS erat quisquam hoc ROMANVS in Aeuo?

SAE-

SÆCVLVM QVINTVM CHRISTIANO-ARIANVM.

SVMMORVM PONTIFICVM ROMANORVM CONTINVATA SVCCESSIO.

42. INNOCENTIVS I. *anno* 402. creatur: agitq; *an.* 404. pro Chrys. ad ipsum appellante contra Theophilum. Quem cum complicibus, post obitum S. Chrysostomi, excommunicat *an.* 407. Consultus ab Tolosano Episcopo de rebus Ecclesiæ respondet *an.* 405. Diuina prouidentia ab Gothica Vrbis Romanæ direptione subtrahitur, *an.* 410. Acta Conciliorum Carthaginensis & Mileuitani confirmat contra Pelagium, *an.* 416. Obit an. 417. cum sedisset annos 15. M. 1. Constituit, *Natos de Christiana debere baptizari; quadrè, vt non verbo, damnabat Pelagius*, dicens, Infantes non esse reos peccati origi. Decentio, & Eugubino *causam ieiunij Sabbatini assignauit; quia Sabbato Dominus in sepulcro fuit; & Discipuli ieiunarunt.* Dedicauit plures ecclesias.

43. ZOSIMVS Græcus creatur *anno* 417. damnati Pelagius & Cœlestinus ad Papam appellantes, & ouinam simulantes, tute profitentur. At compertos falsi damnat vniuersali decreto, Honorius edictis proscribit; Et moritur *an.* 418. Constituit Cereum paschalem benedici ab Diacono.

44. BONIFACIVS Romanus creatur, *an.* 418. Dolo Symmachi pellitur Vrbe; at cognita ab Honorio causâ restituitur; electo Eulalio pseudopapa; nō cedente sponte, vt Centuriatores fin-

m gunt,

gunt,& Pelagianus sparsit. Idē *an.* 422. Arelatensis ecclesiæ inuasorem repressit. Moritur *an.* 433. Constituit, *ne monacha sacratam pallam contingeret, aut lauaret.* Sedit an. 4 Men. 10.

45. COELESTINVS Romanus creatur *an.* 423. *An.* 428. nouū habitū prohibet Clericis, in Gallia incedere volentibus palliatos, renibusque succinctos.

An. 429. Legatos mittit contra Pelagianos in Britanniam, Hiberniam, Scotiam.

An. 430. Nestorij damnat errores.

An. 431. Concilio Ephesino Oecumenico præest per Legatos, eiusq; formam præscribit. S. Augustinum contra Pelagianos calumniatores defendit. Encyclicas scribit contra Nestorium, & hortatur Honorium ad eum comprimendum, *an.* 432. & obit, cum sedisset annis 8. Men. 5.

Constituit, *Psalmos Dauidis psalli ante missam*, cum antehac solum Epistola, & Euangelium recitarentur.

46. SIXTVS III. Rom. creatur *anno* 432. Studet Nestorium ad sana reducere; seque purgat de fauore in illum: *an.* 433. Infamatus etiam de stupro monachæ illato purgatur in Concilio coram Valentiniano Imp.

An. 439. Iulianum Pelagianismi defensorem, dolose pœnitentem reijcit. Moritur *an.* 440. Sedit annis 8.

47. S. LEO I. creatur *an.* 440. turbatissimo tempore.

An. 443. Manichæos Romæ detectos eijcit in exilium.

An. 444. Damnatis in Conc. Romano Manichæis, Pelagianos in Italia sub uertit.

An. 447. Ephesinum Episcopum deponit.

An. 448. Eutyches ad eum appellat.

An. 449. Ad pseudoconcilium Ephesinum, dolo Eutychetis ab Theodosio indictum, mittit legatos cum Encyclica de Incarnatione, quam scriptam ipsius sepulcro S. Petri imponēs ait: *Si quid, vt homo minus cautè posui, tu emenda.*

Quatriduo post reperta est manu S. Petri subscripta; *Legi: emendaui.* S. Patres eam religiosè descripserunt: Eulalius Dornæ in Lybia Episcopus eam defendit; cui tertium apparens S. Leo gratias egit. Eas tamen Dioscorus vetuit legi in Synodo, in qua Eutyches absoluitur; damnatur Flauianus insons accusator eius, occiditur. Papa Romæ in Concilio damnat acta pseudoconcilij; quod tamen Theodosius tuetur; vnde Dioscorus in Alexandrino pseudoconcilio excommunicat Papam primus.

An. 451. Conc. Chalcedonense per Legatos præsidet; Cuius acta de fide confirmat; prærogatiuam ecclesiæ Constantinopolitanę cassat, *an.* 452. Et Attilam, excidium vrbi parantem assistentibus ei S. Petro & Paulo, miraculosè flectit.

An. 459. Confessionem publicam abolet. Obit *an.* 461, cum sedisset annos 21. minus 1, mense.

Græcis miserat Brandeum de tumulo Apostolorum dubitantibus an verū esset, id forfice scissum sanguine manat. Orarat S. Leo aliquando ad sepulcrum XL. diebus pro remissione peccatorum; Apparens ei denique S. Petrus, ait: *Dimissa tibi sunt omnia, præter imposturones manuum*, sc. incautas; dimissæ hæ non erāt quoad pœnā, quoad culpā remissę.

48. S

48. S. HILARIVS Sardus creatur *an.* 461. prius legatus ex Ephesini pseudoconsilii latrocinio effugerat *an.* 449. nuncan. 461. confirmat tria Oecum. Concilia, Nicænum, Ephesinum, Chalcedonense.

An. 463. Nouum cyclum paschalem per Victorinum procurat.

An 465. In causa Hispanicæ & Gallicanæ Ecclesiarum celebrat Romæ Concilium.

An. 467. Anthenium Impp. iuramẽto adstringit, ad compescendos Macedonianos hæreticos; ac moritur. Magnus templorum ornator auro, argento, gemmis. &c. Sedit annis 6. Men. 10.

49. SIMPLICIVS Tiburtinus creatur *an.* 467. Acatio Primatum Constãtinopolitanum promouenti resistit *an.* 472. Bona ecclesiastica sic diuisit, *anno* 475. vt portio vna detur Episcopo: altera Clero: tertia & quarta Fabricæ ac pauperibus.

An. 476. Odoacro Lupercalia Romæ cogitanti restituere, restitit heroicè.

An. 477. Zenonem Imp. ad meliorem frugem reducit. Multa magna per orbis Ecclesias gessit; plures dedicauit Ecclesias: obit *an.* 483. Sedit annis 15. M. 5. Orbis causas cognouit; sententias, legesq; dedit; exauctorauit hos, illos promouit.

50. S. FELIX III. Romanus creatur *an.* 483. Excommunicat Mogum, Cnaphæum, Acacium; regitque inter eos Zenonem Imp.

An. 487. In causa rebaptizatorum ab Arianis agit Concilium Romæ, statuitque resipiscentes recipiendos: sed Episcopos ac Presbyteros ab officio suspendi tota vita: Clericos inferiores septennio stare inter pœnitentes, & peregrina communione frui. Moritur *an.* 492. Sedit annis 9. minus diebus 12. fuit atauus S. Gregorii Magni; eiusque sororibus post obitum apparet.

51. S. GELASIVS I. Romanus creatur *an.* 492. Quadripertitam bonorum ecclesiasticorum confirmat *anno* 494. Plures per orbem excommunicauit, absoluit. &c. obit *an.* 496. Sedit an. 4. M. 8.

52. ANASTASIVS II. creatur *an.* 496. obit *an.* 498. Sedit an. 2. minus dies 7.

53. S. SYMMACHVS Sardus creatur *an.* 498. prior, cui proinde posterior creatus Laurentius cessit, dum ad arbitrum tenderent Theodoricum.

An. 499. celebrat Concilium Romæ de electione Paparum. Ab Laurentianis tamen passus calumniam, datum à Theodorico Visitatorem pati debuit contra Canones: Sed damnat Laurentium inuasorem Sedis Apost.

An. 502. excommunicat Anastasium Imp. ob hæresin, vicissim ab ipso hæresios insimulatus. Moritur post varias ærumnas *an.* 515. cum sedisset annis 15. Men. 8.

Eius dalmatica solum tacta liberauit à dæmone obsessum. Paschasius quod Laurentio fauisset, perpeti tamen purgatorium debuit in balneo: Vnde liberatus est à Germano Epis. Capuano. ita *S. Greg. l. 4. Dial. c. 10.*

Vtriusque Orbis

IMPERATORVM ACTA ORIENTIS INSÆCVLO V.

49. ARCADIVS *à patre Theodosio creatur Imp. Orientis: Pietate euitat insidias Rufini, prius infideles proscribens, dein vincens Rufinum & Persas Cruce.* 395

Gainam tyrannum victum necat. 400

S. Chrysostomum ab Eudoxia relegatum terræmotu territus reuocat. 403

Eum solicitatus ab hostibus denuo deportat. 404

Ob eum dire exagitat Catholicos. 406

Ideo excommunicatus à Papa, veniamque petens absoluitur; Sed Honorius idcirco ei bellum indicit. 407

Aeger Theodosium filium octennem dicit successorem in Oriente; timensque ei ab Honorio, curatorem ei dat Persam, & moritur. 408

HONORIVS *dicitur Imp. Occidentis.* 395

Confirmat priuilegia Ecclesiastica; & decernit causas seculares ab Episcopis decidendas esse: infestat hæreticos & idololatras pro Catholicis. 397

Stiliconem mittit in Gothos: victoria elatus Gentilium ludos seculares probrose restituit: Coercet Donatistas. 404

Paganos subiugat innumeros: suos cum Papæ legatis mittit pro Chrysostomo sed incassum. 406

Ideo bellum parans in Arcadium impeditur ab tyrannis ergentibus: exagitat hæreticos edictis. 407

Cum Persa icit fœdus 100. annorum. 408

Stiliconem coniuratorem necari curat:

Non Catholicos excludit è suo exercitu:

Eius filiæ in matrimonio Virgines obeunt. 408

Ab Alarico & Attalo Gothorum regibus, contra eum in Imperium euectis, angitur:

Sed pietate meretur effugere vim eorum. 410

Triumphat de hostibus: vrget Dotist. 411

Confirmat Immunit. Eccl. & pacem cum Gothis. 415

Attalum ducit in triumphum. 417

Pelagium & Pelagia nos proscribit. 418

Et-

Eulalium antipapam pellit, restituit Bonif.
Moritur.
50. THEODOSIVS Iunior octennis Imper.
S. Pulcheriam sororem adsciscit Consortem cum ea feliciter imperat.
Parabolanos, ægrorum quorumcunque curatores, esse iussit sexcentos: quos edicto coercet.
Vincit Persas, liberat tyrannide Christianos
Vindicat in hæreticos.
Valentinianum consobr. creat Imp. Circenses abrogat, Hostes pietate triumphat; Sacerdotes honorat.
Conc. Ephesinum Generale indicentem Papam Cœlestinum adiuuat.
Rescribit pro Immunit. Eccl. Hæreticos exagitat, pellit Epheso Nestorium.
Nestorij scripta exurit, reducit abseductos; Publicat CODICEM.
Corpus S. Chrys. transfert è Cumanis
Constantinopolim datis ad eum literis.
Cogitur pendere tributum annuum Attilæ Hunnorum Regi.
Rescribit pro recipiendo Trifagio.
Chrysapio eunucho credens de abdicanda Pulcheria cogitat.
Eiusdem suasu imperat latrocinium Ephesi in gratiam Eutychetis hær. Quo & Papam dolose inuitat; actaque Concilabuli Eutychiani confirmat.
Monitus respiscit, pulso Chrysapio & Eudocia Augusta, restituitq; Pulcheriam ad Imperium: & exules episc. Cathol. Ex equo lapsus fracto collo moritur.

Anno Christi nati	
419	VALENTINIANVS III. Imp. fit, confirmat priuilegia Eccl. exagitat hær.
423	425
408	Concilium cogit in causa Sixti PP. calumnioſe de ſtupro accuſati.
	433
416	Scribit Theodoſio pro reſciſſione Actorum Latrocinij Epheſini.
	449
417	Iudiciariam Epiſcoporum poteſtatem magno ſuo & imperij malo imminuit.
	452
420	Adulterio ſe impiat: Aetium necat magiſtrum militiæ
	454
423	Necatur & ipſe à Maximo.
	455
425	51. MARCIANVS accipit prophetiam de futuro Imperio.
	431
430	Pulcheria ei nubit, ſalua Virginitate, & imperat: Leonem PP. inuitat ad Conc. celebrandum.
	450
431	A Leone ad reſtauranda m Eccleſiam incitatur; Eius partes in Concil. Chalced.
	451
435	Edicit eius Acta ſeruari contra Eutych.
	452
438	Clarus virtutibus moritur.
	457
442	52. LEO Thrax creatur Imp. iubetur à B. V. cæcum illuminare, & templum extruere: Imperat acta Chalcedon. ſeruari: Prædeceſſorum priuilegia Eccl. confirmat.
446	457
448	Precibus Dan. Stylitæ filium impetrat ſed dolo ſororis hær. mortuum
	461
449	Eum viſitat incendio vrbis auertendo.
	464
	Eius in eum reuerentia: Simeonis Stylitæ reliquias transfert.
	465
	Exercitum contra VVandalos amittit proditione Ducum hæret.
	468
	Vindicat in eos; edicit Dominicam & feſta ferianda.
	469
450	Moritur.
	474

53. ZENO *Isaurus, in præmium cæsorum proditorum accipit filiam Leonis:*

Et eo mortuo Imperium.

Fauet hæreticis; Eleemosynis sæpius eripitur vindictæ diuinæ.

A Basilisco tyranno pellitur cum coniuge in Isauriam; vbi herbis vesci cogitur ex inopia: Dan. Stylites ei prædicit reditum.

Reuersus cum exercitu Basiliscum mulctat exilio, miserequè per ire cogit, Sanct. Theclæ ponit templum; atque Resipiscens pro Papa stat contra hæreticos.

Relapsus Henoticon. ideſt, Vnitiuum promulgat; autor Acæphalorum hær.

Enoticon eius damnatur in Conc. Rom:

Præclaros viros enecat.

Comitiali morbo iacens ab Ariadna Augusta raptim sepelitur viuus,

Nomen eius eraditur è Dyptichis.

54. ANASTASIVS *ex Silentiario fit Imperator per Ariadnam, facta Euphemio professione fidei, in vita laudabili mox corruptus fit eo deterior.*

Fit Acæphalista.

Theodoricus Rex Gothorum petit ab eo sibi regnum Italiæ stabiliri;

Approbari à PP. tentat Henoticon.

Persequens Roman-Catholicos cogitur à Bulgaris auro pacem emere.

Dirè bacchatur in Catholicos;

Anno Christi nati

470
474
474
476
477
482
483
490
491
491
492
493
497
499

excommunicatur à Papa. 501

Papam calumniatur de hæresi. 503

Aram contra insultus Persarum condit & de reliquijs S. Barth. accipit reuelationem.

Prætextu hæresios persequitur Catholicos. 507

Acta Concil. Chalcedonensis exurit. 510

Constantinopolitani Catholici sæpius in eum tumultuantur. 506. 511. 512. 511

In visione discit vitæ suæ annos 14. esse detractos ob impietatē. Et fulmine extinguitur: contra eum citantur Episcopi duo, exules pro fide, in iudicium. 518

Eius nomen è Dyptichis erasum. 518 519

Imperatores Occidentis.

5. MAIORIANVS *acclamatur Imp.* 457

Dolo Seueri enecatur. 461

6. SEVERVS *inuadit Imperiū.* 461

Dolo Ricimeri veneno interit. 465

7. ANTHEMIVS *creatur Imperator, Iurat Papæ se adiuturum Catholicos.* 467

Ricimero, cui sororem dederat, necatur. 472

8. OLIBRIVS *à Ricimere fit Imp. obit.* 472

9. GLYCERIVS *creatur Imp. exutus Imperio à Iulio Nepote fit Episcopus.* 473

10. IVLIVS *Nepos imperat & interit.* 474

11. AV-

	Anno Christi nati
II. AVGVSTVLVS *contra Iulium erigitur.*	
Inuocans Odoacrem Erulorum ab hic relegatur in exilium.	475 476

REGES ITALIÆ.

I. ODOACER *rex Herulorum Arianus in Italiam vocatur.*	475
Oblatum Imperium & purpuram recusat.	
Multa indulget Catholicis: Volens restituere Lupercalia retunditur à Papa.	476
Vincitur à Theodorico Gotho.	489
Icto fœdere, dolose ab eo occiditur.	493
2. THEODORICVS *Amalus Gothorum Rex iam & Italiæ regnum sibi à Papa petit stabiliri licet Arianus.*	493
Catholicos bene habet	494
Omnium votis expetitus in schismate intrat Romam.	500
Sedem Apostolicam defendit, etsi barbarus	501
Cogit Papam ire legatum ad Imp. pro Arianis.	524
Agentem vero contra eos capit, mori cogit: Electionem Papæ sibi arrogat: moritur, damnatur.	526

Concilia Oecumenica Sæculi V. consona Papis.

Duo fuerunt: Ephesinum, contra Nestorium, *an.* 431. Chalcedonense, contra Eutychetem, *an.* 451.

Prouincialia frequentata sunt plurima.

SS. Patrum, & Doctorum Concordia sub Papis in Sæculo V.

S. AVGVSTINVS *an.* 377. in Manichæismum lapsus matrem afflígit: mœstæ Deus per visum ostendit filii conuersionem. Visa sibi stare in regula aurea, ac ponè Augustinum. *An.* 384. ab S. Ambr. in fide instructus, concubinamque deserens fide illustratur. *An.* 385. cõuertitur: *an.* 388. baptizatur. *an.* 389. matrem moritur. *an.* 390. confutat Iouinianum. *an.* 391. Ordinatur Presbyter in uitus à Valerio: prædicat Presbyter primus; Monachismum in Africam infert. *an.* 392. Faustum disputatione confundit. Contra origenistas celebrat Hipponense Concilium, *an.* 393. Creatur Episcopus *an.* 395. Felicem Manichęum disputatione publica conuertit, *an.* 464. Scribit de legibus pœnalib. contra Donatistas ferendis, *an.* 405. Pelagianismũ in ortu suo confutat, *an.* 411. 415. 418. Libros retractationum scribit *an.* 426. Moritur mœrore Hipponensis euastationis Wandalicæ, *an.* 430. ætatis 76. in pœnitentia. Ægrotans solo contactu sanat ægrotum. Eius bibliotheca seruatur angelica manu contra Wandalos.

S. MAXIMVS Taurinensis Episc. floruit sub Honorio & Theodosio iuniore: eximius in Sermonibus.

VICTOR Vticensis; *Ausonius Poeta: Synesius Episc. S. Paulin. Nolanus Episc. S. Lucian. Presbyter; Paulus Orosius presbyter Hispanus; Sedulius presbyter Scotus;* &c. claruerunt sub *an.* 410. 420. 430.

S. Cy-

S. Cyrillvs Episcopus Alexandrinus creatur *an.* 412. & visione diuina S. Chrysostomum in sacra Diptycha referre cogitur.

Inuenit Reliquias S. Marci, *an.* 414. Nouatianos expulit Alexandriâ, *anno* 415. Nestorium confutans calumnias patitur, *an.* 429. & *an.* 430. eum in Concilio damnat; à quo accusatur Apollinâ rismi apud Imperatorem. Sed panegyrim de Deipara scribit contra Nestorium, *an.* 431. Moritur an. 444. calumniarum patiens.

S. Vincentivs Lyrinensis Presbyter scribit disputationem ad deuitandas hæreses, *an.* 434.

S. Theodoretvs ex monacho Episcopus Cyri, *an.* 424. multum pro conuersione Marcionitarum laborauit, conuertitque vltra 1000. fremente dæmone in eum noctu, & vociferante: *Nisi chorus Martyrum & Iacobus te circumsistet, dudum confossus perisses. Quiesce.* Habebat ad lectum lecythum olei à martyribus benedicti, & sub ceruicali amictum S. Iacobi.

A Nestorio commouetur in Cyrillum Alexandrinum, *an.* 427 suspectusque Nestorianismi se purgat Episcopis. Damnatus de latrocinio Ephesino appellat ad Papam, *an.* 444. Episcopatu pulsus restituitur à Conc. Chalcedonensi, *an.* 451. Moritur *an.* 451. Scripta eius nomini plura supposita sunt.

S. Prosper Aquitanus S. Augustinum defendit contra Pelagianos calumniatores, *anno* 431. quos & in Italia subuertit iussu S. Leonis, *an.* 444.

S. Petrvs Chrysologvs Episcopus Rauennatum diuinitus creatur, *an.* 433. S. Petro Apostolo ipsum ostendente per visum Sixto Papæ. Scribit contra Gentiles *an.* 439. & 449. contra Eutycheten.

S. Procvlvs Constantinopolitanus Episcopus videt S. Paulum S. Chrysostomo loqui in aurem. Laborat multum contra Mopsuestenum, Nestorii, proque Chrysostomo. obit *an.* 446.

S. Gennadivs Epis. Constantinopol. creatur *an.* 458. mirificus ecclesiasticæ disciplinę reformator, *an.* 459. cõsanat manum diuina vi exarescentem, *an.* 462. Oranti spectrum prænunciat euersionem Ecclesiæ, *an.* 471. diemque obit supremum.

S. Fvlgentivs Rulpensis Episcopus certamine pro fide celebris, *an.* 49[illegible] confutat Pelagianos. Peregrinatur ad Limina Apostolorum, an. 500. Exul diu pro fide, redux demum moritur *anno* 529.

S. Boetivs Patricius apud Theodoricum falsò de conspiratione accusatus cum Symmacho martyrio afficitur *an.* 524, 526.

Alius Boetivs Seuerinus Consul Rom. suum Consulatum scriptis illustrat, *an.* 510.

S. Avitvs Viennẽsis Epis. an. 494. Sigismundum Burgundiorum Regem conuertit ad Chr. stum *an.* 509. obit an. 516.

Sixtvs III. docta scripsit an. 44[illegible] Sed ei affinguntur scripta Pelagiana.

Orosivs Hispanus Presbyter S. Augustino & S. Hieronymo familiaris contra Origenistas *an* 414. Primus in occidentem transtulit Reliquias S. Stephani *an.* 416.

Er-

Evsebivs Emesenus ab Eusebianis in Episcopatum Alexandrinum intrudendus pro Athanasio, restitit: *anno* 341. signifer tamen fuit Arianorum.

Socrates & Sozomenvs Nouatiani prosequuntur historiam Ecclesiasticam sub *an.* 440.

S. Evcherivs Episc. Lugdunensis egregia scripsit *an.* 441.

S. Sidonivs Apollinaris orator & Poeta eximi⁹ solo aspectu basilicę SS. Petri & Pauli Romę liberatur, à febri, *an.* 467. Renuncians sæculo, amplissimisque dignitatibus creatur Epis. Aruernensis *an.* 472. Pietate & supplicationibus defendit vrbem suam ab incursionibus Odoacris, an. 475. Dirè à suis Presbyteris diuexatus moritur *an.* 484. punitus morte subita persecutoribus eius.

Ioan. Cassianvs Diaconus S. Chrysostomi, Collationes PP. scribit ad Innocentium Papam *an.* 404. confutat Nestorium, *an.* 430. Eius Collationes Pelagianismo infectæ confutantur *an.* 433.

Isidorvs Peluſiota monachus sub *an.* 482. claruit doctissimus. De S. Leone Papa supra.

S. Nilvs monachus Constantinopolit. S. Chrysostomi discipulus doctissimus scripsit de Institutione monachorum, vixit sub *an.* 445.

S. Simeon Stilita scripsit librũ de morte *an.* 457.

Victor Vticensis Episcopus de Wandalica persecutione, sub *an.* 490.

S. Gelasivs Papa; de hoc supra.

Paschasivs Cardinalis, sub *an.* 499.

Dogmata Ecclesiæ Romano-Catholicę, Nouatoribus contraria, Sæculi V. Exempli gratia.

I. *Missam* asserit *S. Aug.* ep. 111. 118. In psal. 33. hom. 2. & serm. 28. 40. de verbis Dom. & l. 21. Ciuit. c. 26. *Cyril. Alex.* l. 3. c. 4. *Concilium* Ephesinum Oecumenicum.

II. *Veritatem Corporis Christi in Eucharistia* asserit *Aug.* in psal. 37. & 119. *Cyrill.* in Anathematis. *Chrys.* hom. 83. in Mat. 26. &c.

III. *Liberum arbitrum* asserit *Aug.* contra Pelag. l. 1. &c. *Cyrill. Alex.* l. 3. & 8. contra Iulianum. &c.

IV. *Fidē sine operibus mortuam* asserit *Cyril. Alex.* in Ioan. l. 10. c. 18. *Leo* serm. 3. de Epiph. *Primasius* in Gal. 2. Aug. lib. 2. de pec. merit. c. 3. 4. 15. *Salui anus* l. 4. de prouidentia. *Prosper* l. 1. de vita contemplatiua c. 19. &c.

V. *Confessionem auricularem* asserit *Cyril.* l. 3. in Leuit. *Leo* ep. 69. 91. *Aug.* hom. 49. & l. 2. de visit. infirm. c. 4. & c.

VI. *Inuocationem Sanctorum* asserit *Aug.* l. de cura pro mortuis, c. 16. *Theodorus* in Leu. q. 1. *Chrys.* hom. 1. & 44. in Genesin. &c.

VII. *Imaginum vsum & Cultum* asserit *Aug.* l. 1. de Consensu Euang. *Sozomenus* l. 2. c. 3. *Cyrill.* l. 6. contra Iulianum. *Tripartita* l. 2. c. 19. *Chrys.* l. quod Christus sit Deus. &c.

VIII. *Suffragia pro defunctis & purgatoriũ* asserit *Aug.* in Enchyr. c. 10. & in ps. 6, 37. & l. de cura pro mortuis c. 15. &c.

IX. *Primatum Petri* asserit *Cyrill. Alex.* l. 2 in Ioan. 12. *Aug.* 1. retract. c. 21. *Sozomenus* l. 3. c. 7. *Chrysost.* hom. 83. in Matt.

Hæc pauca in exemplum suffecerint: Sic enim ire per singula licet.

Hæresiarchæ in Sæculo V. dissoni Papis.

48. PELAGIVS indoctus primum in Sicilia, deinde in Rhodo vtrumque orbem infecit. *an.* 410. Christi pythagorici gentilis librum fecit latinumque affinxit S. Xysto Papæ. Quam stropham notans S. Hieron. monuit S. Aug. qui allegatas à Pelagio, vt Papæ, religiosè explicare laborauit: at monitus retractauit. Dogmatizauit autem Brito ille monachus, *Peccatum originale non esse in hominibus: Sine Dei gratia impleri omnia Dei mandata posse. Adam factum esse mortalem, etiamque mortuus fuisset, si non peccasset; solum esse vnum læsum peccato suo; non genus humanum. &c.*

Tales articulos vndenos damnauit dolose in Concilio Palæstino, *anno* 415. ne ipse damnaretur. At resiliens, istos, aliosque vulgare perrexit.

Confutatur ab Hier. & Aug. Damnatur in Concil. Mileuitano; & Carthag. *an.* 416.

Se catholicum simulans appellat ad Papam, *an.* 417. Rursum damnatus proscribitur ab Honorio Imp. *anno* 418. *&* 420.

Pelagiani iungunt se Nestorio, *an.* 431. Sæpius suppressi, emergunt sæpius. Hydra lernæa.

49. NESTORIVS Nepos Pauli Samosateni ex Presbytero Antiocheno Episcopus Constantinop. exagitator hæreticorum, *anno* 428. fingere cœpit *Duas in Christo Personas; & B. Mariam non esse Deiparam, sed Christiparam*; fraude & vi hæresin propagauit, ac scripsit *an.* 429. at quæ Deiparam execrari ipse euelauit. Eius arrogantia nec suis visa tolerabilis, diram in Monachos feritatem exeruit. Cœlestinus PP. damnationem ei minatur, *an.* 430. S. Cyrill. Alex. eum condemnauit: at ab eo insimulatur Apollinarismi.

An. 431. Se iungit Pelagianis. Damnatur absens in Conc. Ephesino; Pellitur Epheso ab Theodosio: indulgetur ei monasterium ad pœnitentiam *an.* 435. Vbi calumnijs proscindens Imperatorem damnatur ad perpetuum exilium: in quo putrefactus, linguâ ab vermibus exesâ, fœde exhalat, *an.* 436. Theodosius Nestorianorum libros conquiri, exurique mandauit, *an.* 448.

50. EVTYCHES Abbas, vt Nestorio contradiceret, finxit *Vnam in Christo esse naturam post Vnionem sicut vna persona est.* Ita *an.* 448. Damnatur à Flauiano Epis. Constantinop. ibidem in Synodo ibid. Damnatus appellat ad Leonem PP. & Imp. Theodosium. At *an.* 449. per Encyclicam damnatur à S. Leone, Absoluitur è contra ab Dioscoro Alexandrino excommunicante Papam: Facinus inauditum! Ab eo prognati sunt ACEPHALI *an.* 482. 535. SEVERIANI à Seuero Encratitarum resuscitatore; ARMENI; Iacobitæ. &c. De Seuero vide in Sæculo VI.

51. PACIFICANTES ab Zenone Imp. orti, faciente Vnionem inter Catholicos & Euthychianos.

52. PE-

52. PET. GNAPHÆVS Fullo pseudomonachus ad Eutychetis errores adiecit in trishagio: *Qui crucifixus est pro nobis:* quasi S. Trinitatem totam diceret esse passam. Cœpit *anno* 471. hæresin Theopaschitarum; damnatur à Simplicio Papa Romæ *an.* 479. Xenaiam Iconoclastarum autorem assumit socium, *an.* 485. & moritur post diras turbas *an.* 486.

Ad vltimum damnatus à Gelasio PP. *an.* 494.

53. XENAIAS Persa, seruus profugus, nondum baptizatus à Pet. Gnaphæo Fullone consecratur Hierapolitanus Episcopus *an.* 485. dictus postea Philoxenus, primus autor Iconoclastarum extitit *an.* 485.

Dogmatizauit, *Christi & Sanctorum imagines non venerandas; Angelos incorporeos forma corporea effigiare nefas: Puerile esse, in columba fingere Sp. Sanctum.*

VARIA

Testimonia Fidei historica in Sæculo V.

ANNO CDI. *S. Porphyrius*, Epis. Gazensis, contra pertinaces gentiles ciues suos quid oraturus Eudoxiam adit Augustam; Cui grauidæ roganti veniam, quod Episcopo non occurrisset, is prædicit parituram filium. Eo ad sua redeunte, dum sæua cooritur tempestas; ex reuelatione discit, ob nauclerum hæreticum ortam; quo catechisato ac conuerso, mox omnia silent.

S. Martinus obit octogenarius.

S. Porphyrius *an.* 403. Manichæam Gazæ, verbis & pecunijs multos peruertentem maledicit; continuoque muta moritur.

ANNO CDIV. Erectâ Eudoxiæ statuâ contra templum, Sanctus Chrysostomus pro concione inuehitur: per iratam coacto Concilio deponitur; ad Papam appellans describit tragœdiam; scilicet irruentes in ecclesiam milites *asseruatum Christi sanguinem* effudisse: Igne improuiso totam deflagrasse.

Interim Eudoxiæ, diré excruciatæ, fœtus in vtero computruit; criminatores Chrysostomi varijs à morbis dispereunt; cum intruso Arsacio communicat nemo.

ANNO CDIIX. *Sanctus Chrysostomus* moritur, solitus habere familiarem Sanctum Paulum; Angelosque inclines sacrificanti adsistentes.

Moriturque & Eudoxia, eius persecutrix.

Atticus Episcopus Constantinopolitanus paralyticum baptizat Iudæum; simul & sanat.

ANNO CDIX. Alaricus, Rex Gothorum, Romam obsidet; vt recedat, etiam idola erant despolianda in litrum; id quod nullis adhuc edictis potuerat obtineri.

Interim pudici Wandali impudicam vastant Hispaniam.

ANNO CDX. Romam inuadit Alaricus, Sacra vasa sanctaque cætera seruat intacta, etiam Virgines sacras.

Vrbe incensa barbari recedunt, salvis templis; Fertur vox; *Salus victis in christo.*

Monialis capta, heri proles, ob captã infirmitate percussas, sanas oratione & ieiunio reddit; liberaque dimittitur.

Honorius timore Attali, & Donatistarum, edicto cauit *libertatem religionis.* In pœnam, ecce, Vrbs capitur; diripitur; salua religione Romano-catholica. Ergo protinus reuocat edictum, digresso ex Vrbe Alarico; qui moritur *an.* 411.

Euagrius philosophus conuersus petenti Synesio accommodat 300. aureos, egenis distribuendos: petitque cautionem, sibi in altero reddendos sæculo. moritur, sepultusque cum Syngrapha, hanc, apparens Synesio reddit, ab ipso subscriptam de facta sibi restitutione.

Anno CDXIII. Nouatiani à Cyrillo & Papa terrâ marique fugantur; in cęteris hac etiam ex occasione; quod in mari solutâ naui omnes perissent Nouatiani; & Catholicorum nullus.

Anno CDXV. Pulcheriam quindecennem, votum Virginitatis habentem, sororem suam Theodosius sibi sociam adsciscit Imperij, ob raram eius sapientiam. Aulam ea velut in monasterium vertit pijssima.

Eius pietate, miraculis clara, felicitatur Imperium, hostes inter medios.

Anno CDXVII. Errore contigit *Pascha* per Ecclesiam celebrari *die non suo* ac debito; id quod ita compertum. *Meltinæ* in silvestri vinculo, dum paschali nocte Presbyter fontem baptisterii erat consecraturus, lapidis concauitas non sese ipsam replebat aquâ, vti annuo miraculo fuerat, sed biduo post.

Leucotheæ in Lucania, ipso Paschali die S. Lauacri vnda per se vltra lapidis orã, cumulatim sese exaceruans exurgere, limpidissima ad instar cristalli, consteuit; inque seipsam subsidere sensim. Idque tum cum Sacerdos baptisterium de more benedicebat.

In Lusitania apud Osem campum piscina est ex solido marmore, in formam crucis excauata. Hanc quotannis sub instans paschale tempus accidit per seipsam euacuari; vacuam ab Episcopo, vniuersa populi inspectante corona, impressis circum sigillis obsignari: die vero Parasceues eadem plebe teste resignari, ad eius sacram, cum suetis exorcismis & Chrismate, benedictionem. Resignata verò reperitur supra oram marmoris in cumulum aggesta vnda stare, nec vel guttulam exundare. Peractis solennibus certatim haurire plebem, deferreq; secum domum pios in vsus; nequedum tamen quicquam imminui: verum cum festa cedente die ad statam apsidis reuerti mensuram.

Dynasta quidam annui contemptor miraculi, iussit suos in templo eo stabulari equos: at ecce, media nocte correptus febri raptim equos mandat extrahi; simul dentibus suummet corpus discerpens exhalat.

Rex nationis Theodegisilus rem exploraturus, ipse ostia omnia consignat; Ecclesiam corona virûm cingit; idemq; & altero repetit anno: tertio insuper fossam circumducit latam quindecim, vicenos altam pedes: Sed nihil abditũ, dolique nihil comperit: id lucri abstu-

lit:

lit; quod diem eundem sequentis anni non vixit.

In Soruba vico Lyciæ subiacente ad radices montis, (in quo Coranensis est ciuitas,) Lauacrum in Epiphania sudat, sudore tribus horis continuis manante; tribusque alijs sensim remittente; interim solennis baptizatio perpetratur.

In castello Cedebratis, sub Lunciæ monte Ænoandro, baptisterium vrbis, prima paschali ex seipso repletur; est autem ex abrupto solido saxo; duratque aqua ad vsque Pentecosten. Cæterum euanescit.

Anno CDXIIX. Adrumetini monachi nimis contra Pelagium nitentes, libero arbitrio nihil; omnia soli gratiæ tribuebant; Vt S. Augustino visi fuerint arguendi.

Quare ad eos scripsit librum de gratia & arbitrio: & alterum de Correctione & gratia.

Seuerus Episcopus in Minorica insula per Encyclicam testatur, in ea insula ludæum morari nullum posse; serpentes esse impotes nocendi, feras innoxias.

Vnico in loco noxios extitisse colubros; verum & hosce ad illatas *S. Stephani Reliquias* nocendi vim amisisse.

Anno CDXIX. Plurimæ totâ Africâ Romam fiebant appellationes. Fingunt igitur Centuriatores ius appellationis Papam esse suffuratum.

Iudæus impostor iterato sæpius baptismo quæstum faciebat: semel ab Ariano; iterum à Macedoniano; tertium à Catholico baptizatus erat: quartum petenti baptismum Constantinopoli ab Paulo ieiunium indicitur: cumque tingendus esset, ecce disparuit; repletur lacus; iterumque euanescit aqua. Cui Paulus: *Aut veterator es; aut ignorans baptizatus es*: aderatque forte, qui ab Attico tinctum viderat; baptizati testis & index.

Nimirum duo priores non baptizarant; quod formâ verborum catholica non vterentur; Catholicus autem ritè baptismum cõtulit; ideo quarto disperijt aqua; dato diuinitus testimonio reprobati abs Deo Anabaptismi.

Anno CDXX. *Victor* in Africa primus docuit: *Animam ex Dei substantia creari, non ex nihilo.* Idque tum vt doctior Augustino videretur; qui animæ originem se scire negarat: Tum ita sese per Visionem didicisse narrabat. At eum refutante S. Augustino resipuit victus.

Bararanes Rex Persarum, dirus Christianorum persecutor, perfugas ad Imperatorem Theodosium repetit; Neganti eos bellum infert. Ducēs in eum retardatur grandine diuinitus grandinante dies XX. vt ijs vix stadia XX. confecerit; Theodosius imparatus, accersitis interim ducibus sese parauit. Constantinopolim obsidens Persa Christũ blasphemabat: demum obsessis re desperata cessantibus, solus Episcopus pilam excutit in blasphemum regem nomine blasphemati; & ecce Angeli in Bithynia viatoribus visi nunciare iubent Constantinopolitanis; orare, sperare insisterent; sese duces belli adfore.

Hic Persa in auxilium Saracenos iungere sibi: Sed hi diuinitus conterriti, plures centum millibus, per fugam in Euphraten præcipites proruere.

Aspebetus, Dux Saracenus, transiit

ad *Romanos*;(sic *Catholici* vulgo appellabantur)cuius semiaridus filius, Euthymium Monachum adire secundum quietem iussus; ab eodem, factis Deo precibus ac signo Crucis, persanatur. Quod miraculum ad conuersionem valuit Saracenis. *S. Hieronymus* obit. S. August. Arianos publica disputatione conuicit: Qui se tamen victores iactitabant.

Anno CDXXIII. Honorio defuncto scriba eius Ioannes inuadit Imperium; *Clericis* adimit priuilegia, forique exemptionem. At *an.* 425. Theodosius Imp. in eum ducit exercitum; cui sese Angelus Ducem offert specie pastoris; perque obiectum ducit lacum momento exsiccatum. Quo ex improuiso Ioannes obrutus, ad internecionem deletur. Clero priuilegia restituuntur; proscribuntur hæretici. Qui Duces barbari in auxilium Ioanni venerunt, Imperium in fuga deprædaturi, orante Deũ Theodosio, pereunt vniuersi igne de cœlo, fulmine, ac peste. Monachus quidã Theodosium quiddam orarat sæpius; auditus nunquam; tandem eum excommunicabat. Hîc Imperator se pransurum negabat, nisi prius absolueretur: quæsitusque monachus iuste petita annuentem absoluit; quicquid Episcopus esse vinctum negaret.

Anno CDXXIX. S. Germanus cum S. Lupo mittitur Legatus ab Episcopis Galliæ in Britanniam, ad gentem eam ab Pelagianismo reuocandã. Per suspensam è collo reliquiarum capsulã persanat cæcam. Dum in Paschate Britannis baptizandis esset intentus, de irruptione Saxonum affertur nuncius; eoque plures ante baptizati anhelant, quam in arma ruant. Iubet in congressu omnes conclamare, *Alleluia*. Quo conterriti hostes fugam inuadunt, seq; ipsos in flumen adigunt obiectum.

Anno CDXXXI. Sub Synodo Ephesina Generali contra Nestorium, docentem, Ex B. V. Maria Christum tantum hominem natum esse, datam vero Diuinitatem ei, ita merenti: quo auunculi sui Pauli Samosateni reluscitauit errores: Sub id tempus, inquam, ad Salutationem Angelicam idcirco putatur adiecta clausula hæc: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ*. Verum eam Traditio inde ab Temporibus Apostolorum acceptam hucusq; custodierat; nunc primum vero publicam acceperit Solennitatis auctoritatem, vsumque generalem: etsi vllo de Canone desuper nesciam.

Anno CDXXXII. Quod damnatus Ephesi Nestorius monasterio inclusus liberè agere permitteretur; omittente eum procul relegare Theodosio, contra suasum Papæ; ecce pœnam; Constantinopolis improuiso correpta igne triduo toto dimidiata hauritur inextinguibili, donec in se ipsum recideret.

Ibidem, Monialis, imagine Veneri delectata, obsidetur à dæmone, ab omni abstinens cibo per LXX. dies ab auicula pascebatur; quæ dæmonis erat delusio: demũ ad *S. Stephani Reliquias* cõmunicata liberatur, malo suo cautior.

S. Proclus Episc. Constantinopolitanus permouit Theodosium ad *Translationem S. Chrys.* ex Comana Constantinopolim faciendam. Verum conatu in

in medio tumba stat immobilis. Ergo Theodosius ad eum, tanquam viuentẽ, dat literas paternæ deprecatorias culpæ eiusque ab exilio reuocatorias. Quibus ad loculum admotis, mouetur ipse velut seipso. Chalcedone imponitur nauis hæc absque remigio alarum ipsa volat incitè, prævolatque cæteras eodem è portu soluentes; quib. coorta disiectis tempestate, illa incolumis vna, cursu recto, ad agrum defensæ ab S. Chrysostomo viduæ appulit. Imperator vero sacrum cum corpore Lypsanothecam, regificè exceptum, summa cum reuerentia in Sedem iuxta Proculum deponit; & solenni *prece pro defuncto* fusa parente deprecabatur. In depositò sarcophago S. Chrysostomus clarâ dixit; *Pax vobis.* Tunc simul XL. Martyrum contigit Reliquias reperiri: Et Eudoxiam *Augustam peregrinari* Ierosolymam; specie, quod filiam nuptam vidisset; reuera vt Commissa sua in S. Chrysostomũ luens expiaret. Donata Ierosol. abluuenali Epis. *Reliquijs S. Stephani, Fasciis Christi, Vinculis Petri.* Hisce filia Romę posuit Basilicâ; illis mater Constantinopoli; vbi peccarat. Et postea Vixit.

Anno CDXL. Orbis vndique turbat. In Oriente, Nestoriani, &c. in Occidente Gallia Gothi: in Africa Wandali; Romæ pulsi ex Africa Manichæi. Genfericus Arianus eiectis Africâ totâ Episcopis rogantibus, vt alicubi subsistere priuati liceret, respondit; Delere Romanos decreui vniuersos; & hoc vos petitis? Simul ipsos in mare abijci iussit: sed sui id deprecati sunt.

Sebastianum Ducem qui Româ Ducum fuerat inuidiam; iubenti profiteri Arianismum Genserico, aiebat ille: *Panem candidum, qui per ignem & aquã transijt, vt Regi apponeretur, repinse; vsque deterior euadet. Et ego sum lotus, vnctus, pastusque Sacramentis. &c. quid me fieri deteriorem iubes?*

Manichæi Romæ latentes, cumque Romanis communicantes, ex eo agnosci publicantur à S. Leone PP. quòd S. Sanguinem non sumant: quod Dominica & feria secunda ieiunent; quod prius adorent solem quam templum ingrediantur. Idcirco soliti Fideles orare versus Orientem; tum vetabantur prius isthuc flectere.

Anno CDXLVI. Oriente toto per sex menses terræmotibus quassato, Theodosius Imp. Proclus Patriarcha, omnisque populus in aperto degens campo supplicabat. Contigit ipso in supplicio puerum sublimem rapi, audireque ab Angelis concini Trishagium; *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus & immortalis, Miserere nobis.*

Hoc demissus docet Imp. Epis. & adstantes, ac moritur. Proclus id vbique cani iubet isthic, Imperator orbe toto; cessatque terra succussari.

Cyrus Præfectus Constantinopolitanus ethnicus, restaurator mœnium, proscriptus fugit ad aram, fit Christianus, & Epis. Smyrnensis; Ponit ecclesiã Deiparæ, vbi abscondita olim coruscare *B. V. Mariæ imago* visa, & reperta est, multis eius tactu persanatis. Constantinopoli Iudæ *statuã Christi*, pro foribus Christiani propositã, cultro percussit; ex qua cruore protinus exiliente conspersus eam in puteum abiecit nocte eadem. Mane omnis aqua visitur cruenta, reperi-

peritur statua: promulgatur venia reo sese vltro proditurо: suaque virum vxor prodit, factus vterque Christianus; Pulcheria Augusta Virgo renuncians Imperio consecratur in *Diaconissam*.

Anno CDXLVII. Dum hæretici per Orientem inualescunt; tenentque Galliam, Franciam & Hispaniam, (per quas oras etiam serpere hæreses eædē,) barbari VVandali, Gothi, Sueui; ecce in Tolentano Conc. istud, *à Patre Filioque procedit*; additur Symbolo: & sub eo Symbolo Gothi, Visigoti, Franci fiunt Christiani; at vero Orientales ei reclamantes euadunt Saraceni. Romani tamen solo Apostolico Symbolo vti pergunt in Missis, eò quod nulla hæresis Romanam Ecclesiam infecerit vnquã, quæ diutius in ea perstitisset. In memoriam itaque id in æs inciditur post reliquias S. Pauli. Nec Carolus Magnus, nec Henricus Imperatores, quantumuis institerint, impetrare potuerunt, vt cum vtroque orbe cantarent Symb. Nicænum Romani.

Anno CDL. Damnatis in Conc. Constantinopolitano Actis Ephesini pseudoconcilij, & *reliquijs S. Flauiani* Epis. in eo trucidati Ephesum translatis, simul restitutis per Marcianum Imp. Episcopis pro fide Romana proscriptis; pax Ecclesiæ reddita Orientis est: & ecce improuisò Attila cum Hunnis è solo cedit imperij, sponte, vi nulla.

Anno CDLI. *Attila* victus in Illyrico, redit in Orientem; sed & hinc expulsus (in gratiam restitutæ in eo religionis veræ) in Occidentem inuadens se *Flagellum Dei* nominat. Tunc exustis Metis, solum S. Stephani perstitit intactum Oratorium; viso S. Stephano apud S. Petrum & Paulum orare pro eo. Parisii quoque saluæ steterunt precibus S. Genouefæ.

Attila Trecas euersurus erat; at orante S. Lupo Episcopo, mediam pertransit vrbem cum exercitu excæcato cæcatus, nullo mortalium viso, læsoue.

Item diuinitus seruatur vrbs Vasatẽsis; vbi tunc sub Missa tres guttas delabi contigit, inque vnam coalescere crystallinam; scil. ad Fidem de SS. Trinitate confirmandam contra Arianos. Ea in crucifixum infixa cæteræ exilieregẽmæ, protinusque per eam multæ sunt factæ consanationes.

Aureliam obsidet Attila, imperium inde inuasurus; capitque eam; non tamen euastat, orante Deum Episcopo eum populo. Et ecce aduolans Aetius Dux fundit, fugatque Attilam cum Hunnis, non sine miraculo.

Chalcedone Concilium à 600. Episcopis frequens agitur in ædes *S. Euphemiæ: cuius S. reliquiæ* continuo sanguinem in subiectam spongiam stillabant inde ab eius martyrio; nisi quod non stillaret, si quando improbus isthic præsidebat Episcopus.

In eo sancitum; vnum Episcopum Episcopatus habere duos non posse; iuxta Nicænum, contra Pragmaticos Imp. Anatolius Patriarcha iubet Patres Confessionem Fidei Romano-catholicam, & hæreticos item suam, dare S. Euphemiæ, ad obstruenda hæreticorũ ora; Attilla Catholicam arripit dextrã, osculatur, reddit: hæreticam vero ad pedes abiicit.

Iamque prius confirmarat Papa Cõcilium.

cilium. Sancitum quoque *Papam dici Oecumenicum seu Vniuersalem Episcopum.*

An. CDLII. Valentinianus edicto adimit Episcopis iudicium Ecclesiasticum, exceptis causis Fidei. At ecce Flagellum Dei Attila adest, vastat Italiam, ipsam inuasurus vrbem, ni S. Leo minis ac precibus eum diuinitus fractum auertisset. Percunctanti dein cur vni pareret homini? respondit: *adstans ei Sacerdos mortem mihi intentabat.* Ethnicos Romæ idastris, fatoque tribuentes S. Leo refutat.

Anno CDLIV. Turbarum Orientis pertæsus concedit in Occidentem ad Noricos, quos barbaris auertendis orare, & ieiunare nolentes deserit; ac pereunt. Vrbem ergo iam occupatam ab ijs ingressus, ciues malo suo iam doctos ad supplicandum Deo inducit: & ecce die post tertia barbari timore panico perciti p fugā seipsos contrucidāt.

An. CDLV. Valentinianus adulter, Insontis Aetij trucidator, & Violator ecclesiasticiiuris, ab amicis Aetij occiditur manu Maximi. Qui iam Imperator ducit Eudociam, cui aperit se occidisse Valentinianū. Idcirco illa Wandalos euocat in imperium, & capta ipsa cum filiabus abducitur in Africam: Roma spoliatur, p̄ter ecclesias primarias; Deum sic exorante S. Leone Papa. Hac afflictio e cum filiabus Eudocia subacta, eiurat Eutychianismum, reditque ad Ecclesiam Romanam. Marcianus Imp. autem suaiura reddit ecclesiis, edictis contrarijs abrogatis.

An. CDLVI. Mauritaniæ ad Christum conuersio ita contigit.

Quando in persecutione Wandalica Rex Gensericus creari per Africam Episcopos prohibens, creatos emori sinebat; seruam suam Maximam iubebat Wandalus nubere seruo; quæ ob castitatis votum abhorrens, procum iuxta cum fratribus conuertit. Ambos igitur herus vngulis dilacerat. &c. Sed diuinitus sanantur; at hero proles ac pecora extinguuntur. Demum in Mauritaniam deportantur exules; quam denique conuertunt ad Christum; Romamque mittunt pro Sacerdote. Quo misso negat genti bigamos creari Episcopos aut Sacris inaugurari, licet ingens hominum esset inopia. Proclus Gensérici Præfectus è sacris paramentis vixdum parat sibi vestes; cum ecce furens sibi linguam commandens peribat.

An. CDLVII. Leo fit Imp. qui priuatus in cæcum incidit solum; misertus ducit per æstuosam eremum; quærensque aquam præ siti emoriturō vocem ex incerto accipit; *Leo Imperator*, sc. futurus, en aquam, luto perlitum illumina. Dictum factum. Post ibidem ponit ædem Deiparæ.

An. CDLIX. Marcianus Gennadij clericus aditurus templum nudo dat interulam, veste duntaxat Sacerdotali amictus. At in hac Diuinis operās videtur purpuratus. Discutitur; & miraculum cognoscitur.

An. CDLXI. Dum Græci de transmisso ipsis Brandeo dubitant; S. Leo PP. id fortice scindit, & cruore manauit. Peregrinantes ad S. Petrum & Paulum Romam, velum lance pensatum in Sepulcrum solent immittere; quod extractum ponderosius erat; ad indicium benedictionis. Itemq; claues aureæ per-

mutabantur; ijsque sanationes fiebant.

AN. CDLXII. Pingentis Christum Iouis specie, manus exaruit: cõfessi persanatur à Gennadio Constantinopolitano. Qui vrbem suam, *an.* 465. hæreticis scatentem vidit, sub vesperum, à cacodæmone, habitu vetulæ medicæ, succendi in foro cum lucernula obeunt: Fuit flamma vorax toto quatriduo, hausitq; vrbem pene totam. S. Marcianus S. Euangelio flammis obiecto has ab tẽplo nuper à sese constructo, auertit.

AN. CDLXXI. Episcopus Catholicus ab Ariano in disputationem Constantinopoli prouocatus, noluit; mox rogũ ingressus paratũ intactus se offert disputationi. Ibid. Archisynagogus, autor seditionis, captus, tortusq; flammis dum injcitur, clamabat; O DEVS S. Sergij iuua me seruatus eodem in loco construit templum S. Sergio.

AN. CDLXXV. Cum Occidentis Imperium in Augustulo finem accepisset, Erulis barbaris Italiæ imperantib. per Regem Odoacrẽ, *nouũ Dei Flagellum* ab S. Seuerino prædictũ; hic Aruernam diu nequicquã oppugnat; quod Episcopus eius S. Sidonius cũ populo, per *Rogationes triduano cum ieiunio*, Deum exorando hostem eneruaret. Cuius exẽplũ ab S. Mamerco Viennensi Episcopo se sumpsisse, literis ad ipsũ testatur. Lauriacenses fraudẽ in pendendis decimis facientes, in fame & siccitate moniti fraudis ab S. Seuerino Epis. pœnitentes spõdent emendationẽ; ac protinus est pluuia consecuta. Zeno Imp. fouens Euthychianos, proscriptosq; restituens ipse ejcitur Imperio *an.* 476.

AN. CDLXXVI. Odoacer misso in exilium Augustulo Rex, licet Arianus, tributũ ab Imp. impositũ remisit. Ecce orbi toti licet dominarẽtur Ariani; nõ tamẽ Ecclesiæ Catholicæ. Zeno in oriente, Odoacer in Italia, Gothi & Burgundi in Gallia, Gẽsericus in Africa, Frãci erãt ethnici. Zeno nil audiens Papã, à Basilisco genero exuitur imperio: qui edicto abrogat Concilium Chalcedonense; prætextu concordiæ, regniq; firmandi, quo tamẽ hoc excidit anno. Nã *Daniel Stylita Monachus*, rogatu Episcoporũ vt succurreret Ecclesię, deserit colũnã; Constantinopolim vt appulit, Basilisci specie deãbulationis fugit dicens: *Tibi vir Dei vrbẽ relinquo: tu me prece tua:* cui ille; *Disrumpet, impie, regnũ tuũ Deus:* simul inclamãtẽ verbo sanat leprosum; quẽ ex vmbone ostendit populo, ad cõfusionẽ Eutychianorũ. Pluribus claret miraculis. Acacius pseudoepiscopus arianus concitat Monachos in Basiliscũ, qui imperant reuocari edictum contra Chalced. Concilium; *nesc.* excideret imperio. Verum id eo fine, vt simul irritaretur S. Leonis Cõstitutio contra Primatũ Constantinopolitanum.

AN. CDLXXVII. Basiliscus ab aulicis ob auaritiam eius desertus, vincitur ab Zenone; protractus ab ara deportatur in exilium, vbi in amplexibus vxoris exspirat. Zeno monenti Papæ, hæreticos ejceret Episcopos, paret. At *anno* 482. rursus ejectis Catholicis restituit hæreticos autore Acatio. Simul exprta VVandalica persecutio plurimis celebrata miraculis, vnius veræ apud Catholicos testibus Ecclesiæ.

AN. CDLXXXII. S. Seuerinus canens, *Laudate Dominum omnes gentes*, obdormiti.

dormit; iussis prius fratribus, vt sua ossa secum transferrẽt in vẽtura barbarorũ incursione; ipsis, non sibi profutura. Et ecce, Satelles ab Rege Rugorum Fridericó Sancti aram despoliare, ipso in ausu ab dæmone obsidetur. Rex ipse totum spolians monasterium intra mensem à fratris filio necatus perit.

AN. CDLXXXIII. Inter barbaros Vrbis Italiæque Dominos plurimi Romæ nidificabant hæretici. Vrbis tamen Præfectus Basilius excommunicabat alienantes quidquam de bonis Ecclesiasticis. Sed eam excommunicationem omnes Episcopi exploserunt. Interim *Pet. Cnapheus Fullo* ex monacho Eutychiano pseudoepisc. Antioch. Theopaschita, ab Papa damnatus, auxit Trishagiũ isto: *Qui passus est pro nobis* DEVS.

AN. CDLXXXIV. Hunericus Arianus Rex VVandalorum disputationem indicit Carthagine; vbi Episcopus S. Eugenius cæcum illuminat, adire petitum ter diuinitus iussum. Disputaturi autem Ariani conuitiabantur, perque tumultum occiderunt Episcopum. Inde Rex orsus est persecutionem; legesq; contra hæreticos datas vertit in Catholicos. Populus tamen Carthaginensi Catholicis ob miracula adhęrente, etiã Cyrola arianus cõduxit hominem, qui se cæcum simularet sanandus ab eo. Atis dein vexe excæcatũ se deprehendens strophã aperit; atque à S. Eugenio reluminatur: quem cum alijs dire tortum enecat Martyrem tyrãnus. Typasenses misso ad eos peruertendos Cyrolæ constanter reclamant: et linguantur multi; & tamen rectius loquebantur. In quib. vnus natus mutus post exectã linguã primũ loqui cœptauit. Alius in fornicationẽ lapsus, vsu loquelæ excidit. Ad quendã ex ijs Episcopũ rusticus suum adferebat filiolũ mortuũ, pampinis obtectum quasi dono daret vuas: positâq; sportâ recedit. Episc. vuas gustaturus conspicatur mortuũ. Ergo protinus sese in preces conijcit puellũq; rediuiuũ genitori remittit. Tunc passim vulgabantur & miracula, & martyria desideratissima. Euentus is erat: Siccitas inaudita, sterilitas, fames, pestisque perdebãt Africam: Hunericus vermib. exesus cõputruit, cum intolerabili fœtore, vt frustulatim an. sept. regni suo esset sepeliendus. Euaricus Rex Gothorũ arianus in Gallia, simili plaga perit: Rexq; Francorũ Childericus; cui succedebat filius *Clodouæus*, S. Genouefę cultor, & S. Remigij; à quo & Christianus est baptizatus *an.* 499.

AN. CDLXXXV. Per. Fullo arianus Constantinop. conabatur Episc. Cypri Anthimiũ sibi subiicere. Quem idcirco citatũ ire nolẽtẽ, S. Barnabas Apostolus tertiũ apparens ire iussit Constantinopolim, ac dicere; *Et mea Sedes Apostolica est: nam Apostolũ habeo.* Hic n. dixerat ei, Meũ Corpus cũ Euangelio S. Matthæi; in lignis thyenis scripto, ante Salaminã, quinto stadio ab arbore siliqua, reperies. Zenoni donat Euangelium ita petenti, aureisque thecis includenti; ac supra sepulturã S. Barnabæ templũ collocanti.

AN. CDXCI. Zenõ Imp. & fautor hæreticorũ pœnas morte pepẽdit. Inebriari solebat sic, vt extensus iaceret, correptusq; morbo comitiali. Ariadna vxor Augusta sic iacenti irata, humari p mortuo iubet, appositâ tumulo custodiã. Biduũ ipsum clamanti, Aperite, respondebant custodiæ; Nõ licet, alius imperat.

Et ille; Esto, monasterium inibo. At surdis illa. Post refossus reperitur seipsum arrosisse. Anastasius succedit; quem Euphemius Constantinop. Episcopus noluit consecrare prius, quam Catholicè fuisset professus. Mores tamen peruertit, euasitque in sacrilegum Ecclesiarum expilatorem.

An. CDXCVI. Gelasius Papa reprehendit *communicantes sub vna specie*; quod esse Manichæi proderentur, abstinentes vini, velut à malo principio procreati. Ricardus Anglus Presbyter monitu S. Petri Romam *peregrinatur*; vbi à Gelasio in Episcopum Andriēsem creatur. Ad portam Andriæ cæcum restituit; paralyticam sanat; breuique vrbem totam baptizat.

An. CDXCVIII. Dum Symmachus Papa canonicè eligitur, Festus Comes Anastasii Laurentium curat à paucis eredi Antipapam; vt qui Enotico Zenonis esset subscripturus. Hinc *Schisma*. Delectus arbiter Rex Theodoricus pro Symmacho pronunciat.

Quod quia illegitimè factum, ideo Symmachus Concilio Rom. idem offert iudicandum, *an.* 499. Simul sancitur, quæ deinceps in electionibus PP. seruarentur. Inde literis monet Anastasium, rediret cum Oriente ad Ecclesiam: sed is tum prius se profitetur hæreticum. Catholicos communicare secum aut compellit, aut proscribit. Ideo ecce Deus Bulgaros in Thraciam immittit, à quibus victus pacem auro redimit. *Clodouæus Rex Franciæ* diu ab Crotilde vxore nequicquam tentatus induci ad Fidem in prælio suos Alamānis succumbere videns, promittit se fore Christianum, si vicerit. Vincit. Se permittit S. Vedasto Attrebat. Episcopo catechizādum; ac inter viam ad S. Remigium, cœcum cruce sanat. Ad fontem dum concionatur S. Remigius, mirificam in lace fit vox: *Pax vobis, Ego sum: nolite timere. Manete in dilectione mea.* Auolansque columba, captam affert cum chrismate. Rex offerens S. Remigio dona, prius Ecclesiasticis restituere ablata iubetur. Et factum est.

An. D. Anastasium exinde diræ clades punierunt hæreticum; nequedum tamen resipiscentem.

ERGO:

1. Dic age; Quæ sincera Fides hoc constitit Aevo V:
   At Sic Papistis Res stat Romana, Fidesqve:
   Non Sic Rem seruat Luthero-caluinista, Fidemqve.
2. Ivre Svo Proprio Papa, atque Ecclesia gaudent:
   Quis quid Ei Avgvstvs proprio de iure remisit?
3. Anti ne Christvs erat quisquam hoc Romanvs in Aeuo?

SAE-

SÆCVLVM SEXTVM ITALO-GOTHICVM.

SVMMORVM PONTIFICVM ROMANORVM CONTINVATA SVCCESSIO.

54 HORMISDA creatur *anno* 514. cui Rex Francię Clodouæus, Christianus primus, regni coronam misit. Multis legationibus laborauit pro &publ ca Ecclesiæ pace, & priuata Episcoporum, suasque vices delegat Episcopo Constantinop. in Episcopis lapsis recipiendis, *an.* 521. Moritur *an.* 523. cum sedisset an. 9. Dies 10.

55. IOANNES I. creatur *an.* 523. Iustino Impp. arianos exagitante, Theodoricus Rex cogit Papam obire legationem pro eis ad Iustinum; sin' totam Italiam gladio sese extincturum minabatur. In itinere, Corinthi nobilis ægro mansuetissimũ vxoris equum ei accõmodabat; qui remissus ferre porro fœminam noluit: maritus, quod erat, ratus equum Sancto viro dicatum esse, eidem dono transmisit, precatus vt acceptaret. Ad portam vrbis Constantinop. clamanti cœco manus imponẽs visum restituit. Ciuitas ei ad XII. lapidem ei cum cereis & crucibus, in honorem Apostolorum Petri & Pauli, processerunt obuiam.

Imperator dans honorem Deo, pronus in terram est eum veneratus. Peractis rite Diuinis paschalibus, tantum abest, vt in consilio causam egerit Arianorum; vt vehementer etiam omnes proscribi suaderet; ac eorum templa per nouam consecrationem verteret in Catholica: *an.* 524. Theodoricus reuersum *an.* 526. compegit in teterrimum

carcerem Rauennæ, vbi pædore & inedia confectus martyrij coronã est consecutus. Sedit annos 2. Men. 9.

56. FELIX IV. creatur *an.* 526. celebratur Conc. Arausicano contra Arausicanos *an.* 530, moritur. Sedit annos 4. Men. 2.

57. BONIFACIVS II. Romanus creatur *an.* 530. & contra eum Dioscorus antipapa excommunicatus interijt. *Anno* 531. in Conc. Romano sibi successorem ordinauit Vigilium; sed quia Sanctis Canonibus id aduersabatur, continuo suum ipse decretum coram Clero Populoque Rom. combussit; & obit; Sedit annum 1. Dies 2.

58. IOANNES II. creatur *an.* 531. Illud *Vnus ex Trinitate est passus*, verum esse definiuit Imperatori si addatur, aut subaudiatur, *in carne*, non in Deitate. Hoc, *Vnus ex Trinitate est incarnatus*, verum esse: Vnde Mater vere *Dei para est*. Moritur *an.* 534. Sedit annos 2. Men. 4.

59. S. AGAPETVS Romanus creatur *an.* 535. Ab Imp. Iustiniano Fidei accipit professionem; & priuilegium de bonorum ecclesiasticorũ præscriptione centum annorum. Theodatus Italiæ Rex, *an.* 536. cogit Papam obire legationem ad Imperatorem pro pace: Sin', dira minabatur; dans interim occultas ex metu ad eum quibus se sponte abdicans regno id Imperatori resignabat, tantum vt vitâ donaretur. At Agapetus ob pauperatem debuit S. Vasa ecclesiæ oppignorare in viaticũ. Initinere diuina celebraturo claudus ac mutus offertur sanandus. Missâ patratâ, claudo manum porrigit, inque pedes sistit. Sacram Hostiam in os deponit, & mutus loquebatur rectè. At pro Rege nil obtinuit.

Formellanum prope Romã Episcopum subditi accusarant, quod in vase sacro comederet. Papa citatum Romam carcere claudit; tertia post nocte monetur in sõno ab astãte. Hodie solũ capuũ volo sacrificare; non aliũ Vrbe tota. Ex accersito protinus quærit; quod esset opus eius: nec accipit aliud, nisi; *Peccator sum*. Celebranti Papa cum ministris astans proxime, fert ægre, eum Oblationis orationem quartum repetere, nec; tamen concludere. Causam percunctãti dicit celebrans: Ignosce, non vidi de more Sp. Sancti descensum. Sed Diaconũ abscedere iubeto. Abit; continuoq; Papa videt S. Sp. aduentũ, quasi per tres horas eos obumbrantis', per extensum aræ velum. Mortuus Constantinopoli Romam transfertur *an.* 536, Sedit anno non toto.

60. S. SYLVERIVS Campanus creatur *an.* 536. Fuit Hormisdę PP. filius ante ex legitimo natus ei matrimonio, quam ad statum Ecclesiasticum adisset. *Anno* 538. toto Gothis Vrbem obsidentibus, nec S. Petri & Pauli templa subvrbana, seu clericos lædentibus, Papam Belisarius, de proditione suspectum, deportat in exilium: sufficitque Vigilium. Moliebatur id impia Theodora Augusta, quę Papatum ei promisit, quando cum S. Agapeto Diaconus egerat Constantinopoli: sed si repromitteret Augustæ, se Eutychianos Episc. restituturũ. Poste rati sui pœnitens Belizarius Romæ tẽpli construxit. *An.* 539. Papa exul in carcere excommunicat Vigilium cum fautoribus; fameque erectus occumbit martyr *an.* 540. Sedit annos 3. Nec meius

dirę

diræ clades diuinitus vindicarunt.

61. VIGILIVS *an.* 538. à Belizario intrusus Antipapa fastuosus & simoniacus, promissis auri 200. libris Theodoræ dādis; sed deinde negatis: ab exule Papa & martyre excommunicatus; Primatum Romanum tamen scriptis defendit. In Diuis recepto S. Syluerio Vigilius sese, nequedum ab Clero Romano receptū, nec recipiendum, abdicat vltro Papatu; ea spe, fore se ope Belisarij restituendū canonicè. Qua motus humilitate, licet ficta, Clerus; perspecta ei pura fide Catholica, (excepta Simonia) metuque Schismatis; orantibus ita Belisario & Senatu; ipsum in Papā elegit. Hic ille mox ita mutatus in aliū, Simoniæ pec. suum detestatus male promissa Theodoræ negare omnia, anathematizare Eutychianos, cæterosque hæreticos; Iustinianus vero Imperator ei mittere fidei Confessionem ac offerre obsequium.

Anno 546. obsessæ ab Totila Vrbi frumentum ex Sicilia submisit; euocatusque Constantinopolim in causa trium Capitulorū, *an.* 547. veniēs cū fletu Imperatoris, publicaq; professione excipitur. At mox vt Iustinianus & Theodora sibi ante Papatum promissa instantius exigebant; aiebat: *Vt video ad Diocletianum & Eleutheriam veni. Facite vt vultis; digna. factis recipio.* Tria autem Capitula ea non erant; *An Christus sit vnus de Trinitate*; Et, *is Passus*; Et *eius Genetrix sit Deipara*; Non: sed de tribus viris contendebatur; de Theodorico Mopsuest. Iba Edesseno; & Theodoreto Cyro.

De horum damnatione calumniam deinde passus est, *anno* 540. conflatur contra eum Schisma: sed schismaticos excommunicantem. *An.* 553. Consentit celebrari Concilium V. Oecumenicum: ad quod & honorificentissimè inuitatus venire recusat; vetat tamen contra suum de Tribus Capitulis Constitutum sentiri à quoquam. Qua causa ab Iustiniano mulctabatur exilio.

Concil. Constantinopolitanū pro Oecumenico recipit, eiusque de Tribus capitulis decretum suo contrarium approbat; quatenus non de re Fidei, sed de viris agebatur; & nil esset Chalcedonensi Concilio contrarium. Ideoque *an.* 554. relaxatus ab exilio, moriebatur Syracusis *anno* 555. Sedit annis 15. Mensibus 6.

62. PELAGIVS, creatur *anno* 555.

Se publice purgat de calumnia procuratæ Vigilio mortis.

Anno 556. ab schismaticis Trium Capitul. insimulatur de fidei prauitate: ideoque Childerico Regi Franciæ sinistrè persuaso fidei professionem perscribere cogitur.

Moritur *anno* 559. Sedit annis 4. Men. 10.

63. IOANNES III. creatur *anno* 559. obit *anno* 572. Sedit annis 13. Diebus 14.

64. BENEDICTVS I. creatur *anno* 573. obijt *anno* 577. Sedit annis 4. Mense 1.

65. PELAGIVS II. creatur *anno* 577.

Arrogantiam Ioannis Constantinopolitani, se scribentis *Episcopū Vniuersalē*, contundit, docens solum Episcopum Ro-

Romanum esse Vniuersalem inde à Christo.

Moritur *an.* 590. Præfationes Missæ ante Consecrationem scripsit septenas diuersis anni temporibus ac festis recitandas. Sub eius Papatu quædam miranda contigerunt in monasterio S. Andreæ, præsente S. Gregorio Magno:

Vt Iustus monachus tres aureos abdiderat: S. Gregorius eum visitari vetat à fratribus; nunciat in sterquilinio sepeliendum fore nî pœniteret. Pœnitens obijt; sepelitur, sed non apud alios. Dies cedunt XXX. eiusque misertus S. Gregorius alios XXX. dies pro eo sacrificari iubet.

Interim apparens fratri suo sciscitanti, quî haberet, respondit; hactenus malè; at hodie Communionem accepi. *Dies Sacrificiorum computarunt, trigesimum repererunt, & quod per salutarem Hostiam supplicium euasisset agnouerunt.*

Defunctus frater, sepultusque remanentem apud sepulcrum solum Ioannē vocauit: decimoque post die moritur & ipse.

Ibidem puer Theodorus dissolutus, peste correptus facesiere iussit seu pia loquentes, aut comprecantes. Agonizans vociferatur ad orantes: Date locū draconi, me devoraturo, ne crucier diutius; quare per vos non morior? Iussus se cruce signare, nequit; *quia*, ait, *squamis draconis premor.*

Atij instare precibus ad Deum; iste lætus gratias agit Deo precibus liberatus, & seruatus ad monasticen, quam & accepit.

Stephanus illustris mortuus sistebatur Iudici, mox dicenti; Non hunc, sed Ferrarium adduci iussi. Redditur corpori; & vicinus eius Stephanus ferrarius eadem hora moritur. Eum redeuntem Romæ miles vidit ponte lapsum cruciari corpore toto, præterquam sinistra manu, qua eleemosynas porrexerat. &c. Sedit Pelagius annos 11. Men. 2.

66. S. Gregorius Magnus, ex Vrbis Præfecto Monachus; dein Cardinalis, eligitur *an.* 590. Papa. Dumque Clerus pro illius Confirmatione mittit ad Mauritium Imp. datâ certâ pecuniâ; (sic enim ab Gothorum Regibus Arianis captum insuerat, postque Iustinianus improbè sanciverat:) ipse per literas deprecabatur confirmationem: quas tamen germanus eius Præfectus Vrbis intercepit.

Interim sæuiente epidemia hortatur Romanos ad pœnitentiam; *septemplicem induit Litaniam*, Clericorum, Virorum, Monachorum, Fœminarum, Viduarum, Ancillarum, Pauperum & infantium; eam ipso ducendam sepiduo.

Vltima ibatur ad S. Petri, circumlata B. V. Mariæ imagine: & ecce ad Tiberim super mole Hadriani conspicitur Angelus exertum recondere gladium: ceu initio pestis visæ cælo cadere sagittæ.

Continuo indicit & octauam, *Miserem Litaniam*, pro gratiarum actione: pestisque remisit.

Interea dum affertur confirmatio, Gregorius ementito habitu mercatoribus remissus, fugit in siluas; abditum, quæsitumque diu ignea de cœlo columna prodit.

De fuga reprehensus ab Episcopo Rauen-

Rauennæ, pro apologia scribit librum de Cura pastorali. Mandat Italiâ totâ *baptizari infantes*, aut baptizatos reconciliari. Nam Antharit Longobardorũ Rex Arianus baptizari vetuerat catholicè in patchate: ideo Deus eum necauit, quod die S. Gregorium ad Papatum vocauit.

An. 591. Profitetur quatuor Oecumenica Concilia, Nicænum, Const. Ephes. & Chalcedonense: & quintũ contra Tria Capitula. *Clauum auream S. Petri* mittit dono Anastasio. Nam aureos claues ad referandos sepulcri S. Petri cancellos multi consuerunt mittere, recipere prius in ijs fixas, *quæ super ægros posita multis solent miraculis coruscare*, ait S. Greg. Eis aliquid limaturæ de catena S. Petri indebatur; *quæ*, ait, *colla vestra sanctificent*: Præstat hæc talia fides.

Votum monachis seruandum scribit. Matrimonium prohibet Subdiaconis, hosque spondere iubet Episcopis castitatem: iam vxoratos ordine altiore non inaugurari, nisi ab ducta se tecto lectoque separasset. In Conc. Romano statuit: Si quis presbyter *aut diaconus vxorem duxerit; anathema sit.*

Hoc eum pœnitentia ductum reuocasse mentiuntur Centuriatores, permotum S. Vdalrici epistolâ, (plane confictâ) quasi ad Nicolaum Papam scripsisset, Gregorium Clericis vxores permisisse, postquam sex millia capitũ infantilium piscatores in piscina reperissent. At Nicolaus I. obijt XX. annis ante natum S. Vdalricum; & Nicolaus II. octoginta annis post Vdalricum creatus in Papam fuit.

Leandro Epis. Hispalensi percunctanti respondet Gregor. *Trinam in Baptismo mersionem* esse bonam, & significare triduanam Christi sepulturam: At propter Arianos, significãtes eâ trinam Deitatis Essentiam, omitti iubet.

An. 592. Cognito S. Ioan. Euangelistæ tunicam ab Episcopo quodam asseruari, ipsum cum ea Romam euocat; inque Basilica S. Ioannis sub ara tunicam deponit; quæ producta fugauit tẽpestates, stitit inundationes, &c. Idem Homilias in Euangelia scribit.

An. 595. Ioannis Constantinopolitani coarguit arrogãtiam nominis *Pater*, & *Vniuersalis*: vt qui Papæ solius proprij ab origine sint tituli. Obijt *an.* 604. cum sedisset annis 13. Men. 6.

Ad aurem ei scribenti columba pingitur; quia, Petro Diacono teste iurato, omnia Spiritu S. dictitante conscripsit. Nam maleuolis eius exusturis libros ille se eo pacto obiecit: Si post iuramentum, quod omnia ex Sp. S. scripsit, moriar; scietis me verum iurasse; si supervixero, viuus cum libris comburar. Ergo in vmbone inter verba iuramenti Spiritum reddit Deo.

Traiani animam ab inferis oratione S. Gregorij liberatam fuisse, est fabula. Cætera repete ex Varijs infra.

V triusque Orbis

IMPERATORVM ORIENTIS ACTA IN SÆCVLO VI.

55. IVSTINVS *Senior ex præfecto Prætorij acclamatur: stat pro Conc. Chalced. & Catholicos restituit.* 518

Hæreticos extirpare conatur. Papam excipit honorificentissime. 524

56. IVSTINIANVS *ab auunculo Iustino salutatur Imper. Fidei professionem edit.*

Persas triumphat per Belizarium. 527

Disciplinam Eccl. reformat. 528

Codicem Iustinianaum promulgat. 529

Varias gentes ad Fidem recipit. 530

Africam à Vandalis vindicat, recuperat. 533

Romana priuilegia Edictis auget.

Papæ mittit fidei professionem; Ab Augusta in ruinam trahitur infamiæ: Siciliam per Belizarium recuperat. 535

Papam cum adoratione excipit; Seueri hær. scripta exurit, persequitur hæreticos. 536

Italiam à Gothis recipit. 537

Ingenti suo & Ecclesiæ damno miscet se rebus Eccl siasticis. 538. 545. 546. 549

Consules Romanos titulat Imperatores. 541

Anathematismos 14. scribit contra Tria Capitula; ideoque sugillatur. 546. 551

Vigilium Papam ad se euocat; Vincitur à Totila, Romam occupante 547

Crudelis est in Vigilium PP. 551. 552

Resipiscens dat supplices ad eum: ob res Ecclesiæ ab eo perturbatas Imperium affligitur ab hostibus. 552

Autoritate Vigilij cogit Conc. Gen. V. & præpostere in eo agit contra Tria Capitula.

Horum defensores cum Papa relegat. 553

Papam ab exilio reuocat: Electionem Papæ sibi vendicat impiè. 554

Per Reliquias sanatur à morbis. 560

Belizarium ex suspicione coniurationis cæcat. 561

Incidit in hæresin Aphtardocitarum, eamque confirmans Edicto persequitur Orthodoxos. 563. 564

Repentinâ tollitur: de salute eius sunt opiniones: basilicas munificentissime struxit. 565

57. Iv-

57. IVSTINVS *Iunior ex sorore Iustiniani, acclamatur Imp. Quicquã in fide immutari vetat.* 565

Edictum de vera Fide promulgat, auarissimus & luxuriosus est. 566

Coercet potentes pauperum oppressores. 568

Phrenesi corripitur. 575

Moritur, & Collegam hortatur ad pietatem. 582

58. TIBERIVS *Iustini fit Collega.* 578

Vincit Persam Cosroen 579

Mauritio declarato Imperatore obit 586

59. MAVRITIVS *fit Imperator.* 586

Miraculis S. Euphemiæ est incredulus, Theodosium filium creat sibi Collegam. 593

Incaptiuos & egenos expendit 30. libras auri; 599

Mors et reuelatur, & obit. 602

REGES ITALIÆ Ariani.

3. ATHALARICVS *octennis succedit auo Theodorico sub administratione matris* 526

Petit pacem à Iustiniano; rescribit pro Immunitate Ecclesiastica. 527

Simoniam edictis seuere coercet. 533

Moritur. 534

4. THEODATVS *ab Amalasuntha in regnum Gothiæ acciuus eam carcerat, necat ingratus.* 534

Papam ire legatum cogit ad Imperatorem à Belizario pressus. 536

Vitige in Regem euecto, ipse à militibus trucidatur. 537

5. VITIGES *Romam arcte obsidet.* 538

Se dedit Belizario. 540

6. THEODIBALDVS *regnat anno non toto.* 541

7. ALARICVS II. *regnat menses VII. necatur.*

8. TOTILAS *regnum arripit.* 542

Dire sæuit in Catholicos, Romam obsidet. 546

Romam perdens, vario marte certat cum Belizario; clemens in ciues. cogitans Vrbem funditus delere, à Belizario dissuadetur. 547

Cæditur in Thuscia. 553

9. THEIAS *regnat menses paucos.*

10. NARSES *Iustiniani Dux Gothos in Italia afflixit Romano-catholicus, pius Eunuchus* 552

Totilam, dein Theiam Reges Gothorum vincit, ac interficit: regitque Italiam annis 17. 553

Diuino auxilio vincit Alemannos; & infeliciter pugnat cum Persis. 555

Ab Iustiniani vxore irritatus inducit in Italiam LONGOBARDOS. 567

Miserum sortitur exitum. 570

11. ALBOINVS *Rex Longob. regnat* 570

Dolo coniugis Rosimundæ necatur. 571

12. CELPHIS *succedit, & moritur.* 572

13. DVCES *partiuntur inter se Italiam per decennale interregnum.* 582

14. AVTARIS *vel Antharit regnat VII. annis.* 590

15. AGILVLPHVS *succedit defuncto.* 590

Regnat 25. annis. demum à Theodolinda vxore conuersus baptizatur; moritur. 615

NOTA. Longobardi nunquam tota sunt potiti Italiâ; sed Imperatores tenuerunt Vrbem Romam per Exarchos.

Concilium Oecumenicum Sæculo VI. consonum Papis.

Fuit vnicum CONSTANTINOPOLITANVM V. contra Anthimium Theodorũ, Eutychianos, Origenem, &de Tribus Capitulis, *an.* 553.

PARTICVLARIA complura.

SS. Patrum, & Scriptorum Concordia sub Papis Sæculo VI.

S. GREGORIVS MAGNVS Papa; quo de supra, Doctor Ecclesiæ; prius VII. monasteriorum fundator, monachus in eorum vno & rector, studijs, oratione, inedia ob stomachi debilitatem extenuatur.

Papa demum scholas cantorum instituit: Stationes ordinauit, homiliasque ad populum perorauit.

Inter pauperes Christum excepit; Christo specie naufragi è mensa scutellam dono misit.

Pistrix ab eo communicata, vt audit, *Corpus Domini nostri IESV Christi custodiat animam tuam in vitam æternam,* subridens, interrogata causam, aiebat; *Quĕ panem ipsa feci, tu Corpus Domini perhibebas.* Iamque Gregorius retractam abore ridentis hostiam sacram in altare deposuerat, & eã in carnem vertit post totius populi orationem; ostensaque mulierem conuertit ad fidem, ad Dei laudem vniuersos: ac rursus oratione facta redijt ad speciem panis.

Mauritij Legem, Neu militiæ adscriptum liceret Monasticæ adscribere, abrogauit, informato rectius Imperatore. Huic tamen ipsius vitæ insidianti terrifica & prædicta sunt, & euenerunt; de quibus in *Varijs infra.*

S. Gregorius Turonensis adolescens febri æstuans, omni humana ope damnata, ardebat ad S. Illidij deportari sepulcrum: proque fide sua consanatus est simul ac votum edidit Clericatus. Inuitus creatur Episcopus. Miracula à se facta complura sanationum, reijcit in Sanctos, quorum S. Reliquias circumgerebat.

Visitantem ad Limina Apostolorũ S. Gregorius Papa cogitatione tacita mirabatur ab gratia, paruo datâ masculo: cui is ex oratione surgens ait: *S. Pater Dominus fecit nos; & non ipsinos; Idĕ in paruis; qui & in magnis.* Sensitque ex hoc S. Papa suas ei cogitationes patuisse.

Sepulturæ locum humillimum elegit: at iuxta S. Martinum est collocatus,

tus. Obijt *an.* 596. S. Fvlgentivs dirum sustinuit *an.* 490. fustuarium in Africa ob reconciliationem lapsorum, decaluatu, exutusque ejiciebatur. *An.* 500. *peregrinatur Romam* ad Limina Apostolorum. *An.* 504. creatus Episcopus Ruspensis à Trasamundo Rege deportatus in Sardiniam. Inde relaxatus *an.* 522. summa omnium cum lætitia. An. ipso ante mortem subtraxit se omnibus negotijs, abdiditque in insulam vbi miracum pœnitentia mortem est præstolatus. Morbo fessus orabat: *Domine da mihi patientiam; postea indulgentiam.* Precatusque veniam à fratribus abdormiuit *an.* 529. eloquentia scriptisque inclytus.

Ennodivs Ticinensis Episcopus, mutuo cum vxoris consensu castitatem vterque professi sunt; ipse sub S. Epiphanio Diaconatum suscepit: morbo correptus exitiali, ope S. Victoris sanatus, fit à Papa Episcopus Ticinensis. Egregiè factis scriptisque clarus obijt *an.* 516.

Petrvs Diaconus familiaris S. Fulgentij, vixit sub *an.* 503. Item & Ferrandvs Diaconus Carthagine: Et Evcippvs Abbas Africanus *an.* 510. Marcellinus Comes *an.* 520. &c.

S. Avitvs Alcimvs, eiusq; frater Apollinaris, ex Senatore Isicio primum nati, dein Episcopo Viennensi, & ipse Auitus post ibidem Episcopus sanctitate & eloquentia clarus, *anno* 494. contra Arianos, Nest. & Eutychianos acerrime stylo voceque depugnauit.

Anno 509. Sigismundum Burgundionum Regem conuertit ad fidem; Concilioque Epaunensi præsedit. *Anno* 516. obijt.

Boetivs Severinvs Consul multa de Trinitate ac philosophia scripsit; demum anno 521. à Theodorico Rege capite plexus est. Eius æquales erant *Victor Episcopus Africanus*, & *S. Victor Capuanus* Episcopus, scriptor Cycli paschalis: & *Dionysius Exiguus* Scytha: *an.* 520. *Procopius.* &c.

Avrel. Cassiodorvs senator primum, deinde monachus scripsit hist. Tripartitam. Claruit *anno* 530.

Anno 540. *Leontius Bizantinus* monachus scripsit contra Nest. & Eutych.

S. Ivstvs Orgelitanvs Episcopus in Cantica scripsit. Et Anastasius Synaita Episc. *an.* 540.

Arator Poeta & Cardinalis. Itemque *Primasius* Episcopus Afric. *an.* 546.

Ioan. Climacvs Monachus religiosissimus scripsit de Gradibus 30. vnde cognomen tulit.

S. Dacivs Episc. Mediolan. floruit *an.* 560. in Chron. l. 1. c. 10. tradit, *Te Deum laudamus* compositum esse ab S. Ambrosio & S. Augustino. Isichius Episc. Hierosol. *Andreas Hieros. Cretensis Episcopus.*

Venantivs Fortvnatvs Episc. Pictauiensis à poesi & sanctitate floruit anno 570.

Evagrivs Scholasticus hist. Ecclesiasticæ scriptor sub *annum* 595.

Michael Singellus. &c. GILDAS Sapiens.

* *
*

Dogmata Ecclesiæ Romano-Catholicę, Nouatoribus contraria, Sæculi VI. Exempli gratia.

I. *Sacrificium Missæ* asserit *Anastasius* Synaita lib. de Synaxi. *Greg.* lib. 3. Dial. *Greg. Turonen* c. 6. in vitis Pontificum.

II *Veritatem Corporis Christi in Eucharistia* Greg. hom. 14. 22. in Euang. & psal. pœnit. *Cassiodorus* in Psalm. 64. *Andreas* Hieros. &c.

III. *Primatum Romani Pontif.* asserit Greg. hom. 26. in Euang. *Orientales* Episcopi ad Symmachum Papam, *Concil.* Chalcedonense Oecum. *Gildas* in castigatione Ord. Eccles.

IV. *Liberi arbitrij & gratiæ concordiã* testatur *Olympiod.* in Eccl. 12. *Euodius* ep. ad Constantinum. *Greg.* l. 35. c. 21. in Iob. & l. 1. in Ezech. hom. 9.

V. *Opera necessaria ad iustificationem & salutem* docet *Cassiodorus* in Ps. 6. *Greg.* in Ezech. hom. 2. & in 1. Reg. c. 1. Et hom. 12. 22. 29. in Euang.

VI. *Inuocationem Sanctorum* docet *Fortunatus* de basilicis SS. Gregorij & Martini. *Greg.* l 12. Indict. 7. epist. 17. *Euodius* ad Faustum. *Greg.* Turo. in omnibus libris.

VII. *Imaginum cultum* asserit *Greg.* ep. 5109. lib. 7. ad Seuerum Massil. *Gregor. Turo.* l. 1. de glor. mart.

VIII. *Confessionem auricularem* docuit *Anastas.* Synaita l. de Synaxi. *Greg.* l. 6. in 1. Reg. c. 15 Et in Ezech. hom. 16. *Cassiodorus* in Psal. 4.

IX. *Suffragia pro mortuis & purgatorium* testatur *Boetius* lib. 4. Consol. prosa 9. *Greg.* l. 4. Dial. c 39. & in Ps. 3. pœnitent. Plura ex his paucis æstimare est.

Hæresiarchæ in Sæculo VI. dissoni Papis.

54. SEVERVS, ex ethnico monachus Eutychianus, adhæret Anastasio Imp. contra Concil. Chalcedonense *an.* 510. Enoticon seu Vnitiuum Zenonis suscipit; ideo ab Imper. intruditur in Sedem Antiochenam contra Flauianum, *anno* 513. Multis seductis, S. Iuliano Bostrensi Epis. venenum propinat; quod ille ei uinitus resciscens conuocatis vrbis proceribus ait: *In nomine Pat. & Fil. & Sp. S. bibo hunc calicem.*

Bibitque illæsus; se ad veniam prosternentibus Seueri subornatis. Porro hic turbas cædibus miscens miraculis refutatus est pluribus.

De his infra *in Varijs.*

Anno 518. In diuersis damnatur Synodis enormia patrans facinora.

Anno 519. Lingua ei execanda erat, sed fugâ præuertit: excommunicatus tamen *an.* 536. ab Agapeto Papa, & eius scripta iussit exuri Iustinianus.

Eius sectarij sunt dicti SEVERIANI, itemque ACÆPHALI, Ex his plures sectæ sunt proseminatę. Vt sequitur.

55. GAIANISTÆ, à Gaiano pseudoepiscopo Alexandriæ per Augustam intruso, *an* 535. contra Theodosium ité Seuerianum; à quo ijdem dicti sunt *Theodosiani*; item *Phantasiastæ, Corruptorulæ, Agnoitæ* audiebant vtriusque Sectarij.

Gaia-

Galanitæ, seu *Corrupticolæ*, seu *Phantasiastæ* fingebant.

1. *Corpus Christi non fuisse obnoxium corruptioni.*

2. *Neq; affectionibus ratur alios, quæ nullam incurrerent offensionem:*

3. *Dominum eodem modo ante, quo post Passionem comedisse:*

4. *Corpus eius nec in matrice, nec post resurrectionem vllam accepisse mutationem.*

56. AGNOITÆ seu Theodosiani, affingebant Christo ignorantiam diei extremi iudicij.

MONOPHISITÆ, vnam Christo naturam tribuebant:

MONOTHELITÆ vnam Christo voluntatem assignabant. Et ij omnes ex Ægyptijs enati tuebantur insuper Eutychetis ac Dioscori errores.

57. THEOPASCHITÆ, autore Petro Cnaphæo Fullone, *anno* 479. Trishagium addebant, *Qui passus est pro nobis*; &c. *Vnum ex Trinitate passum esse.*

Damnati sunt in Concilio Romano, & Constantinopolitano *an.* 482.

At *an.* 519. monachi Scythiæ Eutychiani eam hæresin innouarunt.

58. TRITHEITÆ, à Philopono suborti, *an.* 535. Tres Deos esse Trinitatem fingebant, naturis distinctos. Viguerunt in Ægypto, nec eam sunt egressi.

VARIA

Testimonia Fidei historica in Sæculo VI.

ANNO DI. Theodoricus Rex Gothorum defendit Symmachum in Vrbe contra Schismaticos; & Anastasius Imp. Eutychianus immissis Constantinopoli in plebem inermem Catholicã militibus supra 3000. trucidauit; quod cum Episcopo adhærerẽt Conc. Chalcedonensi contra Eutychianos.

Ob crebras ibi seditiones *Litaniæ* frequentabantur: atque vt securæ agerentur; iussit Imp. Anastasius vrbis Eparchum cum armatis eam subsequi. Isq; mos inde inualuit ad posteritatem.

ANNO DII. Schismatici falsò insimulabant Symmachum PP. adulterij: Fit Synodus Romæ: Patres pronunciant, *Summum in terris iudicem non habere iudicem; causam eius Deo permittendam.*

Eadem in Synodo Papa excommunicabat Anastasium Imp. Eutychianũ: Et Bulgari Thraciam euastabant; Imperium Persæ.

ANNO DIV. Theodoricus Rex, quod Ecclesiastica iudicia veneraretur, ac Papam contra schismaticos tueretur; Imperij victores Bulgaros vincere à Deo promeretur: eoque obedientius etiam obedit Papæ.

S. Equitius oblatum sibi Basilium vt ad monasticen susciperet, vt vidit, ait: *Non te monachum video, sed diabolum.* (Fugerat ex Vrbe magus magos Theodorico persequente.) Receptus tamen mox moniali amorem venereum incantauit; & eiiciebatur ab Equitio.

Hic accusatus apud Papam; cur prædicaret absque diaconatus ordine, missione ac licentia Ordinarij? Respondit: Noctu speciosus iuuenis mihi phlebotomum linguæ imponens dixit: *Posui verba mea in ore tuo: egredere ad prædicandũ.*

Ex-

Ex eo, vt velim, tacere tamen de Deo nequeo. Præmonitus per visionem fuerat Papa, neu quid durius ei loqueretur.

Anno DVI. Alaricus Rex Gothorum in Gallia, licet arianus, Concilio Agathensi offert Codicem Theodosianum Iuris iudicandum prius ac approbandum, quam euulgari cum interpretatione curaret.

Atque hucusque ab anno 484. felix eius in Gallia perstitit regnum, dum coleret Episcopos. Nunc vero persuasus *S. Cæsarium* moliri proditionem vrbis suę Arelatensis, faciendæ Burgundis, insontem proscribit. Reprimentem tamen *crucis signo* incendium restituit.

Anno DVII. Clodouæus Rex Frãciæ, zelo fidei Romanæ bellum indicit Alarico ariano: Seque ad id ita comparat: SS. Petro & Paulo Parisij Basilicam collocat; à S. Remigio benedictionem supplex petit, & *vinum benedictum*; quod quotidie promptum multiplicabatur tamen inexhaustum, dum bellum esset profligatum: Edicit in bello cunctis parci templis ac monasterijs. Nullum vnquam pertransire ædem sacram voluit, quin misisset in eam certos oratum. Forte horum quidam omen ei afferunt victoriæ, quod legi in Missa audierant, istud: *Præcinxisti me virtute ad bellum.*

Ad flumen facta oratione discit à cerua, tranante flumen, vbi sit vadabile: Vadat; Vincit.

Anno DIX. Anastasius Imp. Eutychianus Constantinopoli eiecit Episcopum Macedonium, intrusit pseudoepisc. Timotheum Eutych. exussit publicè Concil. Chalcedonense: tumultuante populo occidit 10000. catholicorum. Theodosius cænobiarcha frustra tentatus ab eo pecuniâ, latè confirmat Catholicos, perque vrbem clamat: *Qui S. Synodos quatuor non æstimat tanti, quanti 4 Euangelia anathema esto*, Populus clamabat: *Tempus martyrij est; State contra perfidum*, Anastasium Icil.

Anno DXII I. Stylitæ in Cilicia distabant 6000. passuum; alter Romanæ, Seuerianæ alter communicabat Ecclesiæ.

Hic Catholicum criminabatur: Ille vero diuinitus inspiratus petijt ab eo particulam suę Cõmunionis: impetrat à læso, feruentem in ollam injicit; quæ protinus resoluitur: Injicit & Catholicam suam; quæ ebullitionem momento frigefecit illæsa, & nevel madefacit.

Fœmina Seueriana templum intrans adoratum, ab obsistente B. V. Matre arcetur, *nisi* dicente, *communicatus nostri*. Eiurato igitur Seuerianismo communicat catholicè; intrare qi; finitur templum.

Dux Palæstinæ Seuerianus intrans rus ad sepulcrum Domini adorandum, a bariete incursatur occurrente; quem solus videbat.

Custos sepulcri eum confessionem monet: qua facta, ingredi valet; & conuertitur, damnata hæresi.

In Seleucia Seueriani ciuis seruus catholicus sumptam S. Communionem linteoloque inuolutam in armario reliquit abiens Constantinopolim. Herus eam reperit; reliquit.

Annus cedit, non redit seruus, herus reuisit S. Hostiam, reperit germinasse

in culmos. Accersit Episcopum; creditque rectè, hæresi eiurata.

Dubitans, vtra foret recta Communio, Catholica an Seueriana; conspicit per visionem, Acephalo Mystæ, seu Seueriano, atram intidere columbam sacrificanti Alamandurus Rex Saracenorum legatis Seuerianis, seu Acephalistis, ei suadere conantibus, vt se ab Acæphalis sineret baptizari; inquit: *Per literas accepi S. Michaelem Archangelum esse mortuum*; Subijcientibus, id impossibile esse, ait: *Quomodo ergo, si Christus non habeat naturas duas, DEVS crucem passus dicitur?* Sicque confusos dimisit.

An. DXIV. Clodouæus Rex Franciæ creato Papæ Hormisdæ misit auream, gemmisque vigentem coronam; significans, acceptum à Deo regnum, se dicare Deo, ac reddere. Hinc regni hactenus constantia perstat.

Anno DXV. *Anastasius Imp.* hæreticus dolosè petit à Papa Generale celebrari Concilium; sed negatur ei; quod fidei controuersiæ omnes essent à Concilijs decisæ, ac terminatæ.

Demum Papæ scribit: *Nos iubere volumus; non iuberi nobis.* Nimirum vox ea hæretici est: nec pœna abfuit.

An. DXIIX. Sæuiens gladio in aulicos Catholicos, per visum in quiete à Iustini & Iustiniani cæde abstinere iubetur.

Tumultuante in tyrannizantem populo, coronam deponit, darent, cui vellent: quieuitque tumultus. Per visionē deinde ex apparente Terribili viro, ac librum gestante audit: *Ecce XIV. annos de vita tibi deleo, ob perfidiam tuam.*

Ergo fulmine ictus perijt.

Macedonius Episcopus Constantinopolitanus, exul mortuus *an.* 515. sepeliendus elatâ dexterâ crucem efformat: deinde secundum quietem apparens Anastasio, citat eum ad iudicium Dei.

Eo igitur sublato S. Elias Episcop. Hierosolymitanus, & S. Flauianus Epis. Antiochenus Catholici exules, iubentur per visionem vterque coram Deo comparere accusatores Anastasij: sanctèque mortui decedunt.

An. DXIX. Iustinus ex porcario miles, Capitaneus, Præfectus denique Prætorianorum, acclamatur inuitus Imperator: suis Episcopos orthodoxos exules Sedibus restituit. Papæ suum per literas defert obsequium, precesq; humiliter petit.

Iustinianus petit ab Papa mitti aliqua Sanctuaria S. Petri ad Imperatorem.

An. DXX. Redeuntes ad Romanam Communionem Episcopi de Fide quæstiones offerebant Imperatori; qui omnes eas ad Rom. Pontificem remittit, earum petens definitionem. *S. Brigida* Scotiæ obit diem suum.

An. DXXII. Obedientiam ac submissionem Imperatoris sub Papa remuneratur Deus, auctario imperij. Nam Trasamundus Rex Wandalorum addixit iuramento filium Hildericum, neu per Africam ecclesias redaperiret Catholicis. At patre ex humanis ablato permisit ad sua quemque reuerti Episcopum.

Mox *Lazorum seu Colchorum Rex*, vt amicitiâ iunctus Iustino membrum insereretur imperio ipse cū Colchis suis

obtinuit; simul Christiani effecti Ecclesię sese submiserunt, miraculis permoti Danielis Stylitæ. *Iberi*, confines Colchis, dum à Persarum Rege vi & armis compellerentur ad sacra inteſtabilia ethnicorum; sese dedunt Iustino; qui & tuetur eosdem.

An. DXXIII. *Homeritarum ad fidem Christi miranda conuersio est.* Dunaāludęus Rex eorum vnam habens vrbem Christianam, Sacerdotibus, monachis, Virginibus combustis puluerem per eam disperges, diram passim tyrannidem exercuit, in admiranda Martyrum constantia, multis clara miraculis. Elesbaan Rex Æthyopum Christianus, auxiliaribus copiis fretus Imperatoris, martyres vindicare ardet. In procinctu templum obuiũ, positis regiis insignibus, priuatus ingreditur: reclusus isthic à quinquẽnio degebat, spiritu celebris prophetico: is Regi bene precato ait: *sit tecum Deus, qui tecum regnat.* Sacris Mysteriis toti potrectis exercitui, committit nauali prælio cum tyranno; mox ei velut coniurati veniunt in classica venti; vincit, ac tyrannum cum tota prosapia occidit. Ipse gratus Deo Monasticem profitetur.

Anno DXXV. Nidus hæreticorum Antiochia tota corruit terræmotu; quem Theodosius anachoreta die sexto prædixit monens: *Orandum fratres, video iram Dei motam in Orientem. Zozimus monachus* Phœnix, cum Archesilao deambulans patricio Cæsareæ, ingemuit subito profuse lacrymatus Deumq; precatus, eodem puncto, quo cecidit Antiochia.

Idem Archesilai vxori effossum radio oculum precibus restituit. *Eiusdem* Cæsaream tendentis onustum asinum leo deuorarat: subsecutus sanctus saturo leoni viso videns ait: *Amice, aut ego vertere viam debeo; aut tu sarcinam portare, ut procedam.* Mox posita feritate leo le oneri submittere, atque parere: demissus demum reuerti suam ad feritatem.

Anno DXXVI. *Rex Theodoricus Arianus* coactum Papam ad Imperatorẽ ire Legatum pro se & Arianis; at contra eos agentem vt proscriberentur, reuersumque, plectit capite, cum Boetio & aliis; *S. Boetius* delectum caput recipit; fert intra templum: percunctantibus quo cæsus, ait, ab impiis.

At Regi appositum caput piscis apparet esse Boetii: conterritusque luctu extinguitur, sua tamen defleta perus crudelitate. Simul visus est à dextro Symmachum inter ac Boetium ductum ossam Vulcani.

Athalaricus nepos Theodonci post succedit, quem proceres noluntimbui literis, ne effœminaretur; quod nec cum literam nouisset.

Rex Burgundiæ Sigismundus accusatum à nouerca filium necat: Mox pœnitentia init monasterium, nec puniri orat. Postinus bello victus à Clodomiro Francię Rege, cum vxore ac liberis enecatur. Ossa clarent miraculis. Eum continuo frater fuga lapsus vicisci tur.

Qua in deuastatione Burgundiæ quidam ex incendio templi innocuus eripuit *Reliquias Sancti Andreæ Apostoli* illæsas, quas tamen extra flammas ferre porro nequibat. Ergo impol-

luta

litæ datas puellæ hæc fert Nouiuicum.

S. Ephræm Episcopus Antiochenus, vt Acæphalo Scytitæ catholicam probet fidem, in pyram iniecit stolam sua, nihil læsam.

Anno DXXVII. Iustinianus Imp. dat edicto *ius appellandi* à iudicibus sæcularibus ad Episcopos, quos illorum esse iubet Censores.

Quadragesimam rigide ieiunat in olere, aqua paria, vigilia & oratione: sicque fere alias semper viuebat; inprimis cum bellum appararet. Vnde Belisario duce eius contra Persas præliante ventus coortus secundus in hostes sua tela retorsit. Auxiliares verò acceserant ei *Erули, noui Christiani*, quorum Rex Gethes fidei sese dedit Imperatoris; ipsum ex baptismo suscipientis patrini.

Ad ipsum ante bellum Dux alius Kèricus Ierosolymam tendit ad Sanctum Theodosium eremitam, ei preces oratum: cuius accepto cilicio indutus cernitur in prælio ab Theodosio duci in hostes, quos cædit, fundit, fugat, vincit.

Rex item Hunnorum exorata Iustiniani amicitia fit Christianus.

Sanctus Dionysius Exiguus, monachus Scytha Cyclum paschalem componit, cœpitque primus annos numerare à Christonato: Sicut Alexandrini cœperant numerare ab Martyribus passis sub Diocletiano.

Clotarius Rex Franciæ dum Tungros debellat, inter alia fortè agrum Viromandensis Episcopi deprædatur; prædaque grauis exercitus toto triduo figitur immobilis, donec omnia essent reddita. Rex captam Sanctam Radegundam ducit in vxorem.

Anno DXXIX. *Sanctus Benedictus Monasticem* in Oriente collapsam instaurat, in Cassino initio facto, fremente dæmone ac vociferante: *Maledicte, quid mecum habes?* Rex Franciæ *Sanctum Nicetium* cum Tonsura clericali natum, acerrimum reprehensorem suum, in grati animi signum, creari facit Episcopum Treuirensem.

Absagi, dedentes sese in amicitiam Iustiniani, fiunt Christiani: Itemque Zani latrocinijs ante viuentes.

Anno DXXXIII. Iustinianus Imperator suam fidei professionem offert Papæ, recipitque approbatam; rhithmis conscribit, traditque in templis ac vulgo canendam.

Mauris quoque, iam olim confœderatis cum Romanis, fidem Christianam persuadet.

Anno DXXXV. Imperator ad bellum Gothicum sese parat edictis pro ecclesijs, facta Papæ fidei professione, decreto dato, vt Episcopi sint inspectores ac iudices Prætectorum, &c.

Papa Agapetus aperit Romæ scholas Theologiæ, vt disputarentur, quæ hucusque ex apostolicis Traditionibus Romana docuit Ecclesia.

Hæretici namq; iactabant, quædam absque ratione definita esse.

ANNO DXLI. Iustinianus multis mactus victorijs contra barbaros, vt Deo gratum se probaret, edicto profitetur se Ecclesiasticarum legum magis, quam ciuilium, tore custodem, ac vindicem.

At zelo id elatiore; nam & decreuit, si ab Episcopis eas non obseruari notarent Præfecti, illos coercerent: quæ Ecclesiastici erat violatio Iuris, ordoque præposterus.

AN. DXLII. Clotarius & Childericº Franci Theudem Hispaniæ Regem bello petunt, Cæsaraugustã obsident. Obsessi Deo supplicationes ducunt in saccis & ieiunio; cum tunica S. Vincentij circumlata.

Illi reuersi soluunt obsidionem, ex Hispania magnam partem subacta, cũ amplissimis spolijs abscedunt. Parisiis tamen S. Vincentio è spolijs basilicam ponunt.

Hoc anno nouum *Flagellum imperij Totila Rex* vincit. Cuius tempore complura Deus edidit miracula; quæ pleraque exequitur S. Gregorius in Dialogis; singulaque Romano-catholicæ fidei luculenta sunt testimonia. Equidem ista prætereo.

AN. DXLIV. Iustinianus iam scepticus Iuris Ecclesiastici inuasor, vndique bellis premitur. Romam Totila obsidente, Belisarium è Persia euocatum mittit Romam; interim Cosroes tertiùm irruit in Imperium; & Sergiopotim obsidens, viso in muris cœlesti exercitu, capessit fugam, vrbi patrocinante S. Sergio.

Pestis cœpta in Ægypto corripuit orbem vniuersum, tenuitque ipsis 50. annis continua: Visi homines percuti à dæmone, fiebantque maniaci, Constantinopoli extincta desæuijt post institutũ *festum Purificationis B. V. M.* dictum Hypapanti.

AN. DXLV. Cosroes Persa quartũ inuadit Imperium; ad obtessam Edessam exaggerat montem, vrbi saxis obruendæ.

At ciues supplicationibus instant cũ imagine Christi ad Abagarum missam montem ex humo ligniſque aggestum aspergunt aquâ, lignaque mox vltro ignescunt ac deflagrant. Quas Persæ affundebant aquas, ab his ceu oleo gliscebant vndæ flammarunt, Abit Persa. Iustinianus, *sese Cyclo Paschali* componendo immiscens, erat octiduo toto in Paschate designando; populus tamen ea nes propositas non emit, contemptor Cycli sæcularis.

AN. DXLVII. Romam capit Totila, iam prope enectam fame: Italiamq; Victor euastat.

AN. DXLVIII. Sclauini Illyricum depopulantur: nequedum tamen ab phabethus Iustinianus à fastu remittit, aut ab defensione Trium Capitulorũ quod denique erumpit in Schisma, contra Papam stantibus Africanis.

At Vigilius schismaticos excommunicat *an.* 550.

Interea Iustiniano altiora sese affectante, & Ecclesiasticis arroganter intento, res imperij pessum ruere; Belisario Duci eius infeliciter omnia cedere; sex ipsis annis latissime victorem Totilam de loco in locum fugienti angustũ videri Occidentem orbem, Vrbe perdita Roma; Orientem vero Sclauini, barbari-

barique plures prædis flammisque haurire, & ad vsque Constantinopolim vniuersa depopulari. Nimirum in pœnã violentiæ S. Siluerio Papæ ab Belizario factæ; & inuasi ab Iustiniano, temeratique Iuris Sacri, sese tantum contra, quantum supra Papam impotenter efferente. Et vsque eò; vt in nolentem consentire sibi satellites immitteret *an.* 551. qui vinctum adducerent Vigiliũ Pont. Maximum perisset, nisi in ecclesiam S. Petri ille confuga ad sacram aram salutem reperisset in Deo: Vbi Theodorũ, Cæsarien sem Episcopum, Iustiniani incentorem, pronunciauit Abstentum.

An. DLII. Papa Chalcedonem ad tutiora receptus, per legatos Iustinianum constanter increpat, perterræfactumque frangit; vt securitatem sponderet insonti, ac edictum contra Capitula Tria rescinderet; reddita Ecclesiæ pace ac impensa pœnitenti Theodoro anathematis absolutione. Et ecce protinus ire secunda omnia imperio; Gothos ab Narsete mari victos totâ Siciliâ pelli: & anno insecuto, capitulante Deipara Maria, ac demonstrante qua, quando inferret signa, vniuersum Totilæ victorem exercitum vincit, & internecione delet, Rege fugâ lapso; receptisq; cum Italia Roma.

Peridem tempus mos obtinuit Ecclesiæ, vt peracta S. Synaxi scholares impuberes manducarent S. Eucharistiæ reliquias.

Inter hosce & puer hebræus, vitriarij filius Constantinopoli accessit communicatum; causamque moræ percunctanti patri respondentem, hic furens in ardentem clibanum conjcit, atque concludit. Facinoris ignara mater ipso triduo natum vrbe tota nequicquã quęritabat. Dum autem post instantem operi virum inter eiulatus nomen filij exclamaret, puer matri respondans occlamabat.

Ea fornacem effringit, in gliscente incendio natum conspicit; ardet cognoscere, ecquî illæsus viueret? Cui ille: Virgo mihi purpurata crebro frigidã aspersit, versis in rorem flammis, & carbonibus rosas adspirantibus; porrecto simul cibo famentem recreauit. Re explorata Imperator puerum cum matre ablui baptismo volentes; nolentem vitriarium in malam agi crucem, curauit.

An. DLIII. Concilium Generale Constantinopolitanum V. permittente Vigilio Papa, est ab Imperatore indictum, loco, modoque sibi commodioribus viso; ne plurium conuentus Episcoporum occidentalium, quam orientalium, foret; & numero illorum vinceret consensus de Tribus Capitulis; quæ Pontifex statuit principio non esse condemnanda. Deinde vero, quod Iustinianus omnes occidentales Episcopos, ab Papa stantes, exilijs dirè persequeretur, ipsumque Vigilium, suæ hic sententiæ reuocauit decretum: Neque tamen in Fide errasse censendus est: tum quòd damnatione Trium Capitulorum, in Conc. Chalcedonensi approbatorum, nihil ipsi Concilio derogaretur; quippe quòd de Personis tantum, nõ de articulo Fidei, quæstio agitaretur: tum quod diri Schismatis fomitem sopire præstaret. Hanc igitur sententiam Papæ, damnantem tria Capitula Pontifices posteri sunt secuti.

An. DLIV. Iustinianus relaxat tum exilio Vigiliũ Narsetis; is feruente Romano Ciero proponit, vel ipsum retineant Papam, aut Pelagium creent: Nouum exemplum & inauditum; Laicum sibi sumere ius in Pontificem. Præposterè! Vigilius tamen itineri ipsi ab exilio reductus immoritur.

An. DLV. Germani duo, Leuthares dux Alemannorum, Bucellinus Francorum cum septuaginta duobus millibus militum inuadunt Italiam, cædibus omnia miscent, Sacra profanant; templa polluunt, depilant, eruunt, euastant.

Nec impune: Leuthares in rabiem actus quis se dentibus discerpit; pestis morbique diri exercitum eius conficiunt, adeoque delent; vt velut aqua in terram delaberentur.

Buccellinum Narsetes adeo cum omni exercitu suo attriuit, vt non plures quinque cladis nuncij euaserint. Vindicati sacrilegij illustre exemplum.

Narses autem signa prius nunquam commisit, quam purgato ab sceleratis exercitu, quantum licebat. Aduersum Catholicos in Italia Gothi cum Francis conspirarant, improuisa cęde obruendos: sed vtrosque hos anteuertens Narses prælio simul ac bello deuicit.

An. DLX. Defluxio in genua Iustiniani delapsa medicorum vincebat artem; qua damnata fidem Imperator ad reperta fortè tunc *ossa SS. martyrum quatuor* militum vertebat: reliquias Sacerdos cum lance genibus vixdũ imposuerat, cum ecce, continuo tam copioso redundant oleo, vt abundantiam purpuram perfunderet; sederetque protinus omnis dolor Iustiniano.

Eundem alias desperatè decumbentẽ apparẽte *SS. Cosmas & Damianus* secundum quietem consanarunt.

Iudæus *imaginem crucifixi* è templo surreptam transfodit, fert domum comburendam: at vt cruore eam manare, seq; madere vidit, exhorruit, iconemque recondit.

Secuti vestigia Sanguinis Christiani repertam producunt, & impium saxis obruunt.

Theodemiri Ariani, Regis Galiciæ ac Sueuorum, vnicus filius ex morbo comploratus agebat animam: auditis ad S. Martini reliquias miraculis, dona offert regia, spondens, si restitueretur filius, Martini se fidẽ amplexurũ. Respirat filius peneq; reuixit; at non reualuit. Construitur votiuum S. Martino templum; mittitur pro Sancti reliquijs afferendis; quas legati attrectare veriti, seri cum pallium insternunt sepulcro, si aiebat, ponderosius illud receperimus; sat erit ad & fidem, & sanitatem. Id postridie repertum grauius dum propter carcerem ferretur, nexis vincula dissiliunt; portæ vltro se pandunt, læti processionem gratique sequũtur etiam à Iudice veniâ donati; Regis filius ad primum illius aspectum momento integer existebat; pater exclamans *Vnitatem & æternitatem Patris & Filii & Spiritus Sancti* confitebatur catholicè; & credere secũ Sueuos imperauit ac impetrauit.

Anno DLXI. Belisarius pœnas expendit peccati in S. Siluerium Papam admissi.

Nam

Nam coniurationis in Iustinianum creditus autor, fortunis honoribusque iuxtà exutus, effossis oculis cogitur obire mendicato, dum obscura morte exspiraret.

Anno DLXII. Childeberto Francorum Rege pijssimo fatis perfuncto, Clotharius vnicus Francorum monarchiam obtinens, S. Germanum Parisiensem Episcopum illius petentem affatus, fastuosè contemptum non admisit.

Morbo protinus incurabili percussus ante sanari nequit, quam ad sese rogatum vocasset; cuius aduenientis lambens vestigia continuo sanabatur.

Sub hoc tempus floruit Cassiodorus in monasterio Viuariensi scriptis insignibus celebris, cycli paschalis compostor, & lucernarum inuentor lucentium oleo inconsumptibili anachoretis, Itemque horologiorũ in aquis perinde vt in sole.

Anno DLXIII. Ecclesiasticis intentior quæstionibus analphabethus Iustinianus inuadit hæresin *Aphtardocitarum, seu Incorruptibilium*: de quibus superiore Sæculo in *Gaianitis*; factusque caput Acephalitarum est.

Sed obiecit ei sese Anastasius Episcopus Antiochenus, Monachique maiorus & minoris Scythiæ, hæresim execrati: approbauitque Deus incendio Constantinopolim hauriente.

Imperator nihilominus, ad instar Papæ, sua solius autoritate toti edicebat Ecclesiæ, vt credendum prædicaretur, Christi carnem semper incorruptibilem fuisse, & affectionibus immunẽ. Cõtradicẽtes exilijs mulctabat.

Interea in Occidente ad Romanocatholicam accessit Ecclesiam Theodomirus Sueuorum Princeps, eiurato Arianismo: qui protinus in Concilio Bracaricensi hæreses omnes curauit anathematizari.

Anno DLXIV. S. Euthycius Episc. Constantinop. in exilium ab Imperatore pulsus exul oleo ex & crucifixi, & B. Virginis Mariæ statuis exsudante perunxit par coniugum, quorum proles vixdum luci editi exspirabant, & viuos ad baptismum progenuerunt: Voluit autem primum nasciturum appellari Petrum; securos esse iussos masculum futurum.

Ex periurio exæcatum relumināuit. Pictori exulceratam à cacodæmone manum restituit. Cum n. Chrysapius domũ superiorem S. Michaeli, inferiorem Deiparæ dedicasset in sacella, pictor ille Veneris imaginẽ erasit, pisq; reposuit. Quare dęmon inuasit eius manum, sicque exulcerauit, vt resecanda videretur. S. Eutychius, facta ritè congregatione, oleo perũctam persanauit. Idem Cosrhoe Sebasten inuadente, incolisq; Amaseam confugientibus, omnes inibi dira fame laborantes precib. iuuit; vt monasterij farinula pauca non defeceritiquin & vacuæ arcę prius, tunc sunt plenæ repertæ.

An. DLXV. Iustinianus Antiochenum Episc. proscripturus noctu repentina extinguitur. Succedit Iustinus, sororis filius; ceu S. Eutychius ei triennio ante prædixerat. *Inguinaria pestis* exorta agros vrbesq; exhaustas extinctorum cadaueribus opplet Italiâ tota; vnde in Occidentem totum sese infundit.

Rhe-

Rhemenses ad S. Remigij sepulcrum supplices, ipsius patrocinio præstantur indemnes & intacti. *Treuiris* per noctem in ponte grandis fit fragor; quo excussi incolæ ex somno audiunt; *Quid hic agimus? Portam hanc Eucharius, illam Maximinus, medium Nicetius obseruat.*

Quare & ista vrbs manet à peste immunis. Suis Aruernas Episcopus S. Gallus irremissis seruat precibus; angelo has auditas ei nunciante. Quare vrbs grata solennem duxit supplicationem. Tunc visæ passim ædes signari ab Angelo signo T. tau.

Sub initium pestis Romæ puer armentarius ex eadem depositus rapitur in exstasin: redditusque sibi affirmat hero, se in cœlis fuisse, certosque de nomine designabat morituros: Donum simul linguarum acceperat, in signum se vera memorare. Triduo post dentib. dilanians sibi manus, brachia lacertosque vixit.

An. CLXVI. S. Gregorius Turonēsis post triduanas orationes ad S. Martini sepulcrum derepente se à pustulis febrique restitutum scribit. Quare tres cereos pro benedictione receptos tulit; quorum cera ad arborem suspensa in agro grandine percuti solito, eum porro reddit intactum.

S. Radegundis Regina, conquisitis Galliâ totâ *reliquiis*, etiam Ierosolymam misit: vbi S. Mammetis singula tentata mēbra hærebant immota; solus auricularis digitus cessit vellicanti. Hoc cum parte S. Crucis Dominicæ allato, ciues vrbe lignum sacrum excludunt, monachi monasterio, tāquam adulterinum. Ipsa Veneris Sancti nocte exposita coruscabat insolita luce. Ad eam lychnus ardēs copiosum ebullit oleum; quod S. Gregorius Turonensis ægrè credens adijt, vidit, credidit.

Missi ad Imperatorem Iustinum iuniorem, qui dono S. Crucis gratias agerent, in reditu ex tempestate deplorati S. Radegundam viuentem implorāt; & ecce columba ter nauim circumuolitat; ex qua tres ijs pennas extractas mari demergunt, idemque simul tranquillant.

An. DLXVII. *Longobardici regni* in Italia fit *initium*, barbaris ex Panonia aut euocatis, aut vltro sese effundentibus: ac visæ prius in cœlo acies concurrere.

Atque tametsi totam Italiam vastaret Alboinus Longob. Dux; Romam tamen nunquam potuit obtinere. Istud in pœnam Schismaticorum in causa Trium Capitul. sibi Aquileiensē Episc. in Antipapam creantium: hoc in gratiam Romano-catholicorum.

An. DLXX. In testimonium fidei Orthodoxæ quidam ab Alexandrino Episcopo Sacris initiatus mortuum ex serpentis ictu fratrem Zosimi restituit vitæ.

In Synodo II. Turonensi sancitur *Eucharistiam asseruari* oportere non loco imaginario, sc. in columba argentea, sed in ara sub basi crucis.

An. DLXXIII. In Longobardica Arianorum persecutione per Italiam plura Sanctorum miracula fidem Romanam contestata sunt:

1. Vt Episcopi Cerbonij, in exilio mortui, cum corpore tumbam sub continua pluuia per XII. milliaria Populonium

nkim trãsportatam nulla vnquam guttula tactam maduisse.

2. Episcopum Arianum Spaleti templum, ipsi negatum, effracturum, protinus cæcitate luisse; etsi valuæ ei sese vltro pandissent, cereique per templum exarsissent.

3. Sanctulum Episcopum, diruti templi instauratorem, operarijs fame defectis dedisse panem, quem habebat vnicum; & hunc non defeciisse donec ad colophonem opus esset perductum.

4. Monachos duos à Longobardis suspensos, ac mortuos, psallere auditos, &c.

An. DLXXIV. Cosrhoe Persarum Rege Syriam depopulante; pictam ab ipso Saluatore Iesv imaginem sui Apameanis abripiente; partẽque grandem S. Crucis secum asportante, Samaritę detestabilius bellum in S. Imagines exercent Syria tota.

Samaritæ erant Esseni, (de quibus supra initio) & ab Iudæis Schismatici sic orti. Dario Rege iubente templum in monte Garizim posuit Sanaballath; quod Samaritani Hierosolymitano præferebant, vnde Iudæi ab ijs abhorrebant, præsertim Iudaismo miscuissent Ethnicismum. Frater quoque Iaddi Summi Pontificis Manasses, ducta filia Sanaballath in vxorem se ipsũ dixit, gessitque Samariæ Summum Pontificem. Hinc schisma coram Alexandro Magno Rege disceptatum est, ac demonstrata Iudæorum Pontificum successione continuâ, secundum Iudæos est pronunciatum: persistentibus in schismate nihilominus Samaritis.

Donec *an.* 35. eos ad Christum conuertisset S. Philippus Diaconus, & S. Petrus cum S. Ioanne confirmasset.

Hæserunt tamen reliquiæ, quæ demum repullularunt, vt *an.* 530. in Samariam irruptione facta, Christianos contrucidarent ipso Pentecostes die; Episcopum quoque ad aram inter Missæ solennia oppressum minutim dissecarent, sacris Mysterijs proculcatis. Zeno Imperator eos è monte Garizim eiecit, templum Deiparæ sacrum constituit, cæteraque restituit omnia: at rursus ij conglobati sub Iuliano Rege dicto mõtem receperant; sacras reliquias aut altè defodiunt, aut exurebant, aut in sartagi nibus frigebant, inque Christianos late tæuiebant.

Sed ab Imperatorè compressi, hoc *anno* 574. in *iconomachiam* sub victore Cosrhoe eruperunt. Quos contra miraculis pugnauit Deus, Diuique. S. Gregorius puer, ex morbo depositus à medicis, hausto puluere, ad S. Martini Sepulcrum collecto consanatur. Itemque alius à cholica, eiusdem Sancti ope implorata.

Annis subsecutis talia complura cõmemorantur iusto volumine apud S. Greg. Turon. l. de gloria Martyrum ac Confessorum.

An. DLXXV. Cosrhoe rursus Imperium infestante, Iustinus imperator ex dolore in maniam lapsus, *anno* 577. Deiparæ templo constructo meretur lucida interualla, in quibus Tiberium Notarium, pium ac fortem virum, creat Cæsarem, esseque Collegam iubet, monitum suo malo discat abstinere vitijs & assentatoribus.

Qui & Cosrhoen crebris contudit victorijs adque mortem adegit.

Anno DLXXXI. Gregorius Romæ vrbanam gerens Præfecturam fastidit eandem, & constructis, dotatisque sex monasterijs per Siciliam, Leuita septimus in auxiliũ Papæ Pelagij, nõ Benedicti, est adscitus ex monacho. Cœnobia enim sua vt monachis ex S. Equitij disciplina complerat, ipse inter eosdem assumpto habitu, vixit.

Vnde falluntur, qui eum fuisse Benedictinum affirmant, suum sibi vendicantes.

Ioannes vero Diaconus cùm 300. annis post mortem S. Gregorij vitam eius conscripserit, in pluribus aberrauit incautus.

Quot, quantis autem Romana passim coruscarit Ecclesia, vel soli duo S. Gregorij satis testantur. Vnde

Anno DLXXXIII. Leuuigildus Hispaniarum Rex arianus, dirus Catholicorum persecutor, nec filio parcens suo fidem Romanam professo, eum bello persequitur, & enecat; At pluribus confusus miraculis, demum suo exprobrans Episcopo; *Sic & tu probato fidem*, aiebat. Qui dum de cæcis, surdis, ægris ab sese curatis iactitaret, Diacono XL. aureos dabat, vt se cæcũ simulans transituro exponeret, opemque flagitaret. Qua in simulatione veram sibi cæcitatem inuenit ad pœnam, pertulitque ad mortem.

Arianus Comes Agathensem agrũ deuastans; Episcopo nequicquam precante, à febri exarsit: petens Episcopi preces, vt reualuit, aiebat suis, *Quid iam Romani isti de febre mea dicent?* Quo audito Episcopus, diffractis cunctis lampadibus ecclesiæ inquit: Deus meus, has ante non accendam, quam fueris vltus in impium.

Redit febris; teratas petenti preces negat Episcopus: peritque febri sacrilegus.

Diaconus ab Rege Leuuigildo ad Arianismum donis solicitatus frustra, demum fustuario subiectus contra plagas stetit exsensus & incolumis.

Catholicus contra Arianum disceptans aureum annulum candentem tenuit illæsus ad Romanæ fidei comprobationem.

Diacono in altercatione de fide annulum è bulliente leuare timido: superueniens alius leuat illæsus.

Chilpericus Rex Franciæ contra arianam scribens inæqualitatem personarum incidit in Sabellianismum, asserens *S. Trinitatem Deum esse dicendam, sed non tres Personas*; Quod personam esse sit hominis; At à S. Saluio & S. Greg. Turonensi reductus est ad fidem.

An. DLXXXIV. Leuuigildus dedecorem sese patri filium catholicum, armis subactum, contra iuramentum capite plectit; adque Martyris corpus audiri concentus Angelorum sunt, visæque lampades accensæ.

Idem debellatos Sueuos ad Arianismum adegit Leuuigildus.

Maximianus à Pelagio PP. vltima ab Longobardis perpessio, missus ad Imp. Tiberium opem eius implorauit.

Dum reuertit Romam, in Adriatico quassa procellis nauis fatiscebat; iamque vndis repleta subsidebat; cum ecce

ecce omnes, data inuicem pace, Sacraque Synaxi sumpta communicant; (solebant enim ituri peregre S. Eucharistiam secum assumere in euentum) nauis igitur exundans vndas octo ipsos dies rectum tenuit cursum contra tempestatem, & die nono tabulis supremis ac transtris insistentes cum Maximino saluos in portu sistit.

Quibus egressis continuo à profundo hausta submergebatur, quasi munere perfuncta suo.

ANNO DLXXXV. Anthariti Longob. Regis Ariani Satelles in Italia Clauem auream Sancti Petri repertam; (pro maximo enim munere ea mitti Româ consuerat,) cultro præcisurus, sibi gulam abrumpit.

Rex attonitus lapsam humi clauim contingere veritus, Catholicum eam leuare iubet, similemque tum Papæ Romam transmittit.

ANNO DLXXXVI. S. Eutychius grandæuus in errorē Origenis lapsus, sc. *Homines in carne non palpabili resurrecturos*; ab Sancto Gregorio Turonensi ad saniora reductus, æger pelle prensata se visitantibus aiebat; *Confiteor, quia hac in carne omnes resurgemus.*

Eius successor Constantinopoli Ioannes monachus Ieiunator, sed hypocrita, arrogat sibi titulum *Episcopi Vniuersalis*, seu *Oecumenici*: ille, qui prius fugerat Episcopatum.

At

ANNO DLXXXVII. Pelagius PP. cum refutans docet, *solum Romanum Episcopum esse Vniuersalem.*

Antiochiæ terræmotu sexaginta millibus hominum obtritis, contigit inter pocula *Deiparam* conuicio proscindi; protinus conuiuæ, ab maligno obsessi pereunt.

At herus domus vidit in quiete sibi Deiparā, alloqui dedignantē, virgula pedes tangere: doloreque somnum discutiēte se truncum pedes ciulat; in publicum elatus spectaculo rem gestam est confessus.

Sacrilegia per Gallias plurima arianorum designata, in & templorum, & fundorum Ecclesiasticorum rerum sacrarum inuasione Deus horribilibus vindictis reddidit insignita.

ANNO DLXXXIX. Reccaredus Rex, Papa consentiente, omnes conuocat Episcopos Hispaniæ ad Concilium Toletanum; in quo, damnato Ario, extinctoque cuncti ad Romanæ Ecclesiæ gremium reducuntur.

Cuius conuersionis memoriam plàcuit annua festiuitate consignatam ad posteros commendare.

Idem & Sueuos restituit Ecclesiæ Romanæ, quos pater Leuuigildus ad Arianismum compulerat.

Orat idem Episcopos, sanciant, à communicaturis antè recitari *Symbolum Romanum* seu Apostolorum, quam Sancta percipiant: Moresque reformet; atque reformationis executionem sibi demandent.

Iubet magistratus omnes ac Iudices ab Episcopis dirigi, corrigique.

In Oriente *Philippicus* Dux Mauritij prælio vincit Persas, prælata exercitui imagine Christi, quōdā Abagaro missā;

qua labantem passim excitat, restituitque copias in prælium.

In exundatione Tiberina Athesis Veronæ licet fenestras templi S. Zenonis penè transcenderet, non tamen in illud sese infudit: qui intra S. ædem, ipso in ostio hauriebant aquam; nihil tamen introrsum influente.

Anno DXC. Inundationem pestis excepit inguinaria; in qua visa cœlo torqueri in homines tela; qui & extinguebantur. Vide inter Papas de S. Gregorio Magno supra.

Antharit Rex arianus Longobardorum probans in paschate infantes catholice baptizari, repentina extinctus fuit die, qua S. Gregorius creabatur Papa. Franci ducunt in Longobardos Italiâ expellendos; sed quia per Italiam hostilia exercebant, plerique morbis consumebantur. Vincti tamen Aruernis apud Longobardos diuinitus soluebantur: reuinctis curiosius catenæ ceu vitrũ dissiliunt; ideoque dimittuntur; Et eorum causâ Childebertus Rex hominibus sacris omnibus omne tributum remisit.

Anno DXCI. *Claues aureæ* ad cancellos sepulcri S. Petri mitti, figique solebant; & priores recipi fixæ, quibus morborum curationes fiebant. Eas quoque dono mittebat Papa, rari instar muneris exceptas.

Vrsinus Presbyter in Nursia persentiscens, presbyteram suam sibi iam agonizanti aurem applicare, num spiritum duceret exploraturam, aiebat; *Recede; adhuc igniculus viuit; paleam tolle.* Et mox *Bene veneritis Domini mei; itan' vos ad me? Ecce venio.* Dixit; & Vixit, relicto ecclesiasticæ exemplo castimoniæ.

Pelagius PP. vetuit in Sicilia Subdiaconos ducere vxores: Gregorius etiam iurare continentiam iussit.

Leandro Hispalensi Episcopo percunctanti respondet S. Gregorius, trinam in Baptismo mersionem, in recordationem triduanæ sepulturæ Christi, bonam esse; at propter Arianos, significantes eâ triplicem Deitatis essentiam, omittendam.

Reccaredus Rex Gothorum in Hispania ex ariano factus Catholicus, secundum à coniuratis liberatur; Duce Claudio cum 300, deuicit 60000. Francorum.

Theodolinda Antharit relicta nubens Agilulpho regnum ei dat Longobardorum; qui excluso arianismo toti traducit ad Ecclesiam Romanam. Sa & per Chrotildem Franci, per Ingundem Gothi in Hispania sunt conuerti.

Anno DXCII. *Tunica Saluatoris* post Ierosolymam inuenta est, indicio Simeonis Iudæi; & à tribus Patriarchis Ierosolymam translata, veneratione que exposita est.

De tunica S. Ioannis Euang. supra.

Concilium Cæsaraugustanum decernit, Reliquias in Arianorum templis repertas, igne probandas esse: si incombustæ permanserint, veras credi posse.

Cosrhoes patrem fuste occidens, inuidiam Persarum fugit, dubium quo, ad Turcas an Christianos, frena flexit equo; qui rectâ solum Romanum petit.

Er-

Ergo Mauritii orat clementiam, & exorat. Capti ab Persarum victore Narsete Turci inustam frontibus crucem gerebant: causam percunctanti Imperatori aiebant; Christianos in vulgata peste hoc remedium esse salutare ipsa experientia docuisse.

An. DXCIII. Edictum vulgat Mauritius; Ne quis miles Religionem ingrederetur, nisi expletis stipendiis. At S. Gregorius ingratitudinis in Deum arguit Imperatorem; persuasitq; vt missis ad Episcopos per prouincias literis corrigat edictum.

Anno DXCIV. Gregorius Epistola 33. Presbyteris in Sardinia dat ius Confirmandi, vbi defuerint Episcopi.

Idem Constantinæ Augustæ pro S. Pauli æde in palatio petenti S. Pauli caput; instinctu Ioannis Ieiunatoris: negat. Quia reparaturus quid propius ad sepulchrum fodit; & mortuus concidit. Sicut Pelagius PP. refecturus labē ad S. Laurentij sepulchrum, hoc contigit aperiri; intraque decem dies oppetunt omnes mortem, quotquot viderant reliquias.

Deinde ait: Brandeum duntaxat mittia solet: de quo dum Græci aliquando dubitarent, S. Leo id forfice incidit, cōtinuoque sanguine manabat. Demum Orientales olim Corpora Apostolorum auecturi, ad secundum ab vrbe lapidem tonitruis ac pōdere reliquiarum retardati fuerunt. De Sancti Pauli catenis leui motu limæ quibusdam aliquid abraditur; alijs nihil quicquam quantouis raserint conatu.

Anno DXCV. Ioannem Constant. arrogantem sibi titulum *Vniuersalis*, caritate magis quam autoritate sanare studet.

Insignis Constantinopolitanorum arrogantia est: Cum enim eorum ecclesia post Antiochenam secunda esset, huic illam furtiuo canone anteponi molitus est in Chalcedonensi Concilio Anatolius. At obstitit Sanctus Leo. Dein Acacius idem attentauit: At restitit Gelasius PP. Iam Ieiunator altiora audet.

Et ecce Deus eam nunc ecclesiam posuit in desolatam, vt non, nisi emptos à Turca, habeant Sacerdotes.

Anno DXCVII. Missus à Sancto Gregorio Sanctus Augustinus ad Anglos humiliter à Rege accipitur habente Catholicam è Francia Bertham: Rex baptizatur cum decem millibus Anglorum.

An. DXCVIII. Sanctus Theodorus Episcopus Anastasianopol. aqua benedicta cæcum lauari iussum illuminat: Leprosum Mauritii filium mundat: hortum à locustis expurgat.

An. DXCIX. Idem inter preces de Eucharistia Spiritum reddit Deo. Frater lætum & securum in agone monet vitæ negligentioris; cui ille: Angeli meorum in sæculo peccatorum chirographum ostendentes, num ea nossem, quæsierunt: Dixi; heu agnosco: Sed ex quo sum monachus, neminem iudicaui, omnis immemor iniuriæ. Quare Domini vocem hanc ad me

pertinere spero. Nolite iudicare, & non iudicabimini &c. mox Angeli chirographum discerpserunt. Hinc securitas. Dictoque hoc vixit.

ERGO:

1. Dic age; Quæ sincera FIDES hoc constitit AEVO VI?
   At SIC PAPISTIS RESstat ROMANA, FIDESQVE:
   Non SIC REM seruat Luthero-caluinista, FIDEMQVE.
2. IVRE SVO Proprio Papa, atque Ecclesia gaudent:
   Quis quid Ei AVGVSTVS proprio de iure remisit?
3. ANTI ne CHRISTVS erat quisquam hoc ROM. in Aeuo VI?

SÆCV-

SÆCVLVM SEPTIMVM MONOTHELITICVM ET LONGOBARDICVM.

PONTIFICVM ROMANORVM CONTINVATA SVCCESSIO.

67. SABINIANVS Tuscus creatur *an.* 605. Is cũ in dira fame derogaret prędecessoris liberalitati, Sanctus Gregorius tertium ei secundum quietem apparens, de culpa tenacitatis eum increpuit : tertia increpatione nil correctum percutit in capite; ex quo dolore obijt : cum sedisset menses 5. dies 19. Eiectus ex vibe inglorius demum in S. Petri est reportatus.

68. BONIFACIVS III. creatur *anno* 605. Romanum, non Constantinopolitanum Episcopum esse *Vniuersalem* vel ab ipso Christo statutum esse declarauit edicto. Non igitur à Phoca datum est id honoris Papæ, vt fingunt Sectarij hodie; sed à Christo collatum est soli. Sanciuit etiam in Concilio Romæ, Neu quisquam, viuente Papa, de successore loqueretur; nisi tertio post demortuum die, quo electioni vacandum. Obijt, cum sedisset Men. 8. Dies 23.

69. BONIFACIVS IV. creatur *anno* 607. Domum suam vertit in monasterium, redditibusque dotat. Obtinet à Phoca *Pantheon*, Iani vindicio sub Augusto positum; inque Deiparæ honorem, & Sanctorum Martyrum consecrauit, illatis init Reliquiis. Steterat annis 632. adhuc inexpiatum ab idolis. Diemque claudit anno 614. cum sedisset annis 6. Mens. 8. Dieb. 13.

70. S. DEVSDEDIT Romanus, primus ex Diaconatu creatur, *anno* 614. idque ob eximiam sanctitatem. In lacera terræmotibus vrbe dum obit visitans afflictos, vnum ex infirmis in persona Christi contemplatus quasi leprosum, osculo fixo persanauit. Sanciuit, Neu quisquam Commatrem duceret in vxorem; sin, esse ambos excommunicatos. Obijt *anno* 617. cum sedisset annos 2. Mens. 7. inter sanctos relatus est.

71. BONIFACIVS V. creatur *an.* 617. mittitque *Pallium* Episcopo Roffensi in Anglia: Sanciuit confugas ad Ecclesiam non extrahendos: Presbyteris, non Acoluthis licitum Martyrum leuare reliquias: & baptizare Diaconis, non Acoluthis. Obiit *an.* 625. cum sedisset annis 7. Men. 10. vir mitissimus, & misericordia nulli secundus.

72. HONORIVS I. creatur *anno* 626. Obijt *an.* 638. cum sedisset an. 12. Men. 7. Plures construxit, reparauit, ornauitque ecclesias. Ordinauit omni Sabbato litaniam exire ex Sancto Apollinari ad S. Petrum cum canticis, populo comitante.

73. S. SEVERINVS creatur *anno* 638. Sergio Constantinop. Episc. seducente Heraclium Imp. in hæresin hanc: *Vnam in vna Persona Christi voluntatem & Operationem esse*: Commentumque hoc *Ecthesin* appellante, velut quinque Generalibus conformem Concilijs; & eam sub nomine Imperatoris publicante: Seuerinus oblatam ab Exarcho reiecit; Deo Sergium extinguente. Obijt *anno* 639.

74. IOANNES IV. Dalmata creatur *anno* 639. Monothelitarum hæresim in Concilio damnat *anno* 640. Obijt *anno* 641. Sedit annum 1. Men. 9. In Lateranum multas ex Dalmatia reliquias trãstulit.

75. THEODORVS I. Græcus creatur *anno* 642. Obit *anno* 649. Sedit ann. 7. Men. 5.

76. S. MARTINVS Tudertinus creatur *anno* 649. In Concilio Lateranensi *Typum Constantis* Monothelitæ, missum vt subscriberet, damnauit, nitentesque verbis S. Dionysij Areopagitis: *Nouã Dei virilem Operationem*: Sed deprauatis, pro *Nouam*, posito *Vnam*; confudit. Imperator mittit Olympium Exarchum, qui *Typum* promulgaret, vtque Longobardi Ariani quaterent Italiam. Olympius Romæ reperit Concilium 105. Episcoporum. Typum affigere valuis nequit, ob vim renitentem; nec par vi, dolis molitur, scil. Spatharium suum subornat, vt Papam occideret porrigentem Exarcho sibi S. Synaxin. At satelles ipsum conatu cæcatus Papam non vidit: id quod iureiurando affirmauit Olympio. Hic igitur pœnitens abducit copias, seque obit in Sicilia.

At *ann.* 650. Imperator Papam, quod Typum, se, suosque excommunicasset, ira furens per missum Exarchum Theodorum armata manu capit ægrum in templo decumbentem: confecta calumnia, quod per surreptionem teneret Cathedram; quod cum Turca conspirasset; blasphemasset Deiparam. Captum igitur deportat Naxum in insulam; Itemque S. Maximum monachum constanter Constanti resistentem relegat; vt qui vrbes aliquas Turcis prodidisset:

disset: dixissetque; *Regis non est proponere dogmata, & Typum.*

Ann. 651. S. Martinus euocatus Constantinopolim dirius accusatur à subornatis falsis; carnificique datur, circunducitur pontificalibus exutus in publicum vrbi ludibrium: carcere diu maceratur: demum Paulus Constantinopol. Episc. cum miseratus orat, ne porro crucietur: ergo in Chersonesum relegatur. Paulus ante suum agonem profitetur pœnitens à se factam iniuriam Papæ. Interea Constantis exercitus quatuor diuersis in locis funduntur fuganturque à Turca.

Anno 652. Exulanti inter ethnicos vetat cibum præberi: iubet Romæ surrogari Eugenium; consentitque in eum, vt optimum, Clerus; sed ita, vt esset Vicarius tantum, ne infandiora tentaret Imperator.

Anno 654. Sanctus Martinus ærumnis extinctus martyrij aureolam promeretur; cæco prius in viuis oratione visum restituens.

A morte autem ad sepulcrum eius multæ consanationes factæ magnum procul confluentiũ ægrorum traxere concursum. Sedit annis 6. Mens. 3.

77. Evgenivs I. creatur *ann.* 654. ex Papa Vicario in Papam. Obit, cum sedisset menses 6. Dies 23.

78. S. Vitalianvs creatur *an.* 655. Ad hunc Imperator mittit Euangelia aurea gemmisque rigent, & fidei Romano-catholicæ emittit professionem; vt cum Papa communicans videatur Catholicus, vitetq; odia Occidentalium.

Mittit quoque legatos ad Sanctum Maximum exulem in Thracia, qui eum reddant monothelitam; sed eos ipse conuertit hæresin eiurantes. Quibus idem persuadere Imperatori frustra laborantibus, is alios mittit, vocatque Sanctum ad Synodum, à qua conuicta conspuitur, ac tantum non prope enecatur.

Demum *an.* 657. varijs accusatus calumniis, in cæteris; quod *neget Regem ipsi Sacerdotem.* Fustuario multatur, lingua truncatur, manuque, vti & Anastasius discipulus eius: per vrbem ducuntur ostentui, in exilium remissi finiunt martyrium.

Anno tamen 663. Imperator peregrinatur ad Limina Apostolorum, datisque donis se catholicum profitetur; Papa ad cætera eius flagitia dissimulante, contentus reditu eius ad Ecclesiam qualicunque, iudicantem de exterioribus.

Quod autem ficte egerit, eo docuit; quia *anno* 666. hæreticum promouit in Episcop. Constantinopolitanum.

Anno 669. Obit Papa vitæ sanctimonia inclytus; decernitur ei annua memoria Sancto. Sedit annis 14. Men. 5.

79. Adeodatvs Romanus creatur *an.* 669. moritur *anno* 676. Sedit annis 7. mens. 2.

80. Donvs creatur *anno* 676. Obit *anno* 678. Sedit annum 1. menses 5.

81. Agatho Siculus creatur *anno* 678. Scribentibus Imperatori, & Episcopo Constantinopol. vt ad reducen-

dam Ecclesiæ pacem adlaboraret, indicit Synodum Generalem Romæ 125. Episcoporum contra Monothelitas, *ann.* 680. Ex hac scribens Imperatori Papa doctorum deplorat inopiam, ac reddituum, quod prædicatores manu victum quærere cogerētur, ob vastationem Lōgobardicam. Quin & ipsum Concilium petit ab Pogonato doctos submitti cōtra hæreticos.

Ex huius Concilij Symbolo Græci erasērunt vocem, *Filioque*. Vide in varijs. Agatho moritur *anno* 682. Sedit an. 4. Vacauit Sedes mensibus 19.

82. LEO II. Siculus creatur ann. 682. Acta Synodi VI. reddita latine mittit in Hispaniam. Vetuit pro vsu Pallii quicquam ab vllo pendi Episcopo. Obijt *an.* 684. Sedit men. 10. dies 8.

83. S. BENEDICT. II. creatur *an.* 684. vir multis, magnisque virtutibus tantus, vt illius respectu Imperator Clero, Populo, Exercituique Romano in perpetuum indulserit, vt electus Papa continuo in Pontificē ordinaretur; Ipsum suis filiis Iustiniano & Heraclio patrem adsciuit; in cuius signum eorum cirros capillorum Papæ transmisit resectos. Obiit *an.* 685. sedit Men. 8. Dieb. 13.

84. IOANNES V. creatur *an.* 685. obit *an.* 686. sedit annum 1. dies 11.

85. CONON Thrax creatur *ann.* 686. obijt *an.* 687. sedit mens. 11.

86. SERGIVS creatur *an.* 687. in scissione populi Rom. duos inter alios postulantis, demum ad Sergium à Clero electum acquiescentis. Theodoro Epis. Constantinop. infandum Monotheli-tarum conciliabulum contrahente contra Oecumenicam Synodum VI. Imperator Iustinianus II. Sergiū PP. conatus inducere vt subscribat actis: deinde innolētem misit Protospatarium, qui aut cogeret, aut captum Constantinopolim adduceret. Sed hunc Papæ exercitus profugabat; & nusquam in fuga tutus, sub lecto Papæ seruatus est. Iustinianus post exutus imperio eam pœnam referebat in hanc culpam suam. Obiit *an.* 601. Constituit, vt *Agnus Dei, qui tollis, &c. cantaretur.* Item vt in festis Annunciationis, Natiuitatis Christi, Assumptionis B. Mariæ, & in Hypapante Litaniæ exeat à S. Hadriani ad S. Mariam. Sedit annis 13. Men. 8.

IMPE-

IMPERATORVM ORIENTIS ACTA INSÆCVLO VII.

	Anno Christi nati
60. PHOCAS *contra Mauritium excitatur iubetque eum occidi.*	
Carnificinam instituit Constantinopoli ob detectam coniurationem.	602
Infelix sub eo est Imperij status.	607
Capitur, vexatur, obtruncatur.	608
61. HERACLIVS *coronatur ab Episc. Const.*	610
Filium biennem declarat Cæsarem, parans bellum contra Persas.	610
Accipit aurum ecclesijs; & aliud ei diuinitus suppeditatur ad bellum Persicum.	612
Persas sæpius vincit ac debellat per annos sex.	620
S. Crucem restituit, exaltat.	627
Ab hæreticis decipitur	628
Ecthesin fidei promulgat	629
Negat eandem esse suam.	639
Moritur.	640
62. CONSTANS *hæreticus imperat.*	641
Catholici ab eo Monothelita vexati confugiunt vndique ad Papam.	641
Instinctu Pauli simulatoris euulgat TYPVM, *id est, Edictum vnius aut plurium Voluntatum: quatit Italiam.*	643
Excommunicatus à Papa furit, eum calumnijs onerans relegat, item S. Maximum.	649
Papam sacrilege cruciat, vexat.	650
Intrudit Eugenium Papam; sed Clerus eum accepta solum pro Vicario viui.	651
S. Maximum dirissime vexat, cruciat.	652
Fit tributarius Turcæ.	656
Occisus ab eo Diaconus sæpe apparens eum exagitat, fugiensq; nusquam quiesc it.	658
Peregrinatur ad limina Apost. digne à Papa excipitur quasi pœnitens.	659
At ficte catholicus hæreticum facit Patriarcham Constantinop.	663
In balneo necatur à coniuratis.	666
63. CONSTATINVS *Ptogonatus id est, imberbis, Imperat Catholicus; se Papæ submittit: silentium indicit Monothelitis.*	668
Cultor B. Virginis est tutantis Constantinopolim contra Turcas septenni obsidione.	668
Turcæ petita pace pēdūt ei tributū.	672.
Laborat pro concilianda Ecclesia.	676. 678.

	Anno Christi nati
Restituit Romanis liberam electionem Pontificum Roman. suosque filios dat Papæ Benedicto II. & moritur.	685
64. IVSTINIANVS II. *Iunior Imperat puer: Barbari p.ndere ei tributum petunt.*	685
Corruptus dolose agit cum Papa: luitque barbaris fœdera rumpentibus.	686
Quinti sextam Synodum Erraticam tuetur contra Papam, quem vt approbet iubet cogi, aut capi: sed excommunicatur.	692
Exosus est populo, alium Imp. optanti.	693
A Leontio *captus, naso truncatus relegatur.*	694
65. TIBERIVS *Abstinaris ab exercitu in Arabia acclamatur.*	696
Nititur euerte e electionem Papæ; sed potius inde roborati.	701
Capitur cum Leontio ab Iustiniano II. *seipsum voto facto, restituente; autorem Erraticæ synodi excæcatum mittente Romam.* 703. 704. *Occiditur à Philippico*	711

REGES ITALIÆ Longobardorum.

16. ADALWALDVS *regnauit decennio vsque ad annum*	625
17. ARIOVALDVS *Arianus vsq; ad*	637
18. Rotaris *vsq; ad*	653
19. Rodoaldus *vsq; ad*	658
20. Aripertus *vsq; ad*	660
21. *Gundipertus vsq; ad*	662
22. Grimbaldus *vsq; ad*	670
23. *Garibaldus vsq; ad*	674
24. *Pertaritus vsq; ad*	692
25. CVNIERTVS *Catholicus.*	704

Concilium Sæculi VII. Papis consonum.

Oecumenica Synodus VI. Constantinopolitana, ducentorum nonaginta Patrum, *anno* 680. celebrata contra Monothelitas, sub Agathone Papa, & Constantino Pogonato Imperatore. *Prouincialia* passim plura.

SS. Patrum, & Doctorum Concordia sub Papis Sæculi VII.

HESYCHIVS siue Isychius, Episcopus Hierosolymitanus, æqualis S. Gregorio ad quem dedit epistolam 40. li. 9. in Registro. Scripsit in Leuiticum ex Versione S. Hieronymi; vixit sub annum 601.

S. SOPHRONIVS Episcopus Ierosolymitanus, vixit sub Honorio PP. & Heraclio Imp. initio hæresis Monothelitarū contra quos pro fide orthodoxa fortiter stetit. Scripsit ad Sergium Papam in Synodo VI. Obiit *an.* 634.

IOAN. MOSCHVS, seu Eunatus, scripsit ad S. Sophroniū Pratum spirituale, citatum in Synodo V.

LEON-

LEONTIVS vixit sub *annum* 630. scripsitque vitam S. Ioan. Eleemosynarii, citatum in Synodo I I. Nicæn.

IONAS Anglus sub *annum* 630. scripsit vitam S. Columbani Apostoli Angliæ, Galliarum & Italiæ.

S. ANTIOCHVS Monachus sub *annum* 614. vsque ad 630. scripsit 129. homilias.

S. ISIDORVS Iunior Episcopus Hispalensis, Carthagine oriundus fuit. Futuræ indicium sapientiæ se dedit examen apum, in cunis circum infantis os obuolitans.

Puer tamen ob & ingenij tarditatem, & orbitionis metu è paterna domo profugiens, dum per agros erraret aspectu putealis funis vsu attriti, monitus naturam vsu vinci, reuertit domum; Leander eum conclusum studijs applicauit; sicque coactus necessitatem vertit in virtutem scientiæ, mirificeque profecit, sic, vt Leandro mortuo succederet. Sub eo celebratum est Conc. Hispalense I I. confudit, contuditque hæresim Acephalorum.

Idem præsedit Concilio Toletano IV. *anno* 633. vbi datum ei negotium, vt elucubraret Missalia & Breuiaria Hispanicæ Ecclesiæ. Gessit Episcopatum XL. annis inclytus miraculis. Deliberatum fuit à Bonifacio VIII. essetne inter Doctores Eccles. præferendus S. Ambrosio, an quintus ijs adiiciendus.

IOAN. CÆSARAVGVSTANVS Episcopus, integritate, eruditione, & in egenos beneficentia egregius scripsit de ratione Paschatis celebrandi: vixit *an.* 630.

S. ELIGIVS Episcopus Nouiomensis, scripsit hom. 16. obijt *an.* 665. Mater ei⁹ grauida visa sibi videre aquilã supra lectulum volitare, seque tertiũ inclamare; omen nobilis virtutis.

Sub precioſis vestibus gerit cilicium in aula Dagoberti Franciæ: monasterium Solenniacum exstruxit, aliudque Virginum Parisiis.

Claret miraculis. Antuerpienses & Flandros conuertit ad Christum.

S. MAXIMVS Abbas & Martyr, patria Constantinopolitanus, genere illustris, *anno* 640. inualescente Monothelitarum hæresi reliquit aulam, monachum professus fidei acerrimum præstitit defensorem, Honoriique Papæ & Pyrrhum Episc. Constantinop. publica disputatione confudit; ideoque eiurantem Romæ Monotheliſmum, *an.* 645. Constans Imp. *anno* 656. tentauit eum per legatos, quì suasionibus, minisque inducerent ad subscribendum Typo seu Ecthesi; verum is remittit eos ab hæresi conuersos.

Alijs iterum missis perinde effecit nihil, nisi vt conuicti confusique eum traderent satellitio in exilium asportandum. Inde Constantinopolim retractus *an.* 657. calumnijs pluribus appetitus insons dire discruciatur, finitq; martyrio tertiùm exul.

S. LIDEPHONSVS Episc. Toletanus olim discipulus S. Isidori, sub Eugenio Episcopo fit Diaconus, dein sæculo renuncians constructo monasterio Monasticen profitetur, fitque *an.* 657. ex Abbate successor S. Eugenij. Ipso cum Rege precante ad sepulcrum S. Leogadiæ Virginis tumulus ebullijt, sarcophagi operculum, vix 30. viris mobile,

vltrò se pandit, ac S. reliquias ostendit. Varijs claruit miraculis, eximius Deiparæ cultor.

Intranti templum ad Matutinas id diuina luce coruscauit: accedens, aram Parthenicam conspicit Deiparam in sella; quæ sic ad eum infit; porrecta ei sacerdotali veste: Accipe, quod è thesauro Filij tibi munusculum trado, quo in nostræ vtaris festiuitate.

Me decorans laudibus dignus honore tali est. Dixit, & sublimis abijt. Vestis miræ subtilitatis ac candoris in ecclesia Toleti asseruatur. Obijt *an.* 677.

S. Iulianvs Episc. Toletanus *anno* 680. scripsit contra Iudæos, & Prognosticon extremi iudicii: obijt *an.* 680.

Anastasivs Episcopus Nicænus sub *annum* 680.

Simon Metraphrastes. &c.

Adhelmvs. &c.

Dogmata Ecclesiæ Romano-Catholicę, Nouatoribus contraria, Sæculi VII. Exempli gratia.

I. *Missam esse Sacrificium* asserit hoc æuo *Seuerus Alexandrinus* in Missa Isidori, de diuinis officijs. Et Ioannes *Cæsaraugustanus* de Ecclesiasticis officijs.

II. *In Eucharistia verum esse Corpus Christi* asserit *Cæsarius* homilia 5. *Isidorus* de Officijs, vt citat *Augustinum* lib. 6. Originum cap. 18. *Seuerus Alexandrinus* in Liturgia.

III. *Iustificationem, & bona opera* docet *Cæsarius* homilia 2. 4. 12. 15. *Isidorus* lib. 2. de summo bono, c. 2. & 5. *Adhelmus* epist. ad Geruntium.

IV. *Baptismum paruulorum ac Ritus illius* docet Concilium Tolet. IV. c. 5. *Isidorus*: de summo bono c. 23. & lib. 6. Etymolog. c. 18.

V. *Confessionem & Absolutionem sacramentalem* docet *Isidorus* l. 6. Originum.

VI. *Confirmationē per Chrisma* docet *Seuerus* Alexander in Rituali. *Isidorus* l. 6. Etymol. c. 18.

VII. *Purgatorium, & Orationem pro defunctis* docet Isidorus l. de Offic. *Cæsarius* Arelatensis: Seuerus in Liturgia: *Metaphrastes* in historijs Sanctorum.

VIII. *Inuocationem Sanctorum* testatur *Seuerus* in Liturgia. *Ildefonsus* in Virgine. *Metaphrastes* in Vit. Sanct.

IX. *Imagines sanctorum* asserit Concilium Oecumenicum VI. Constantinop.

Hæresiarchæ in Sæculo VII. dissoni Papis.

Monothelitæ, sic dicti, quod *Vnam voluntatem & vnam Operationem Christo tribuerent*, ortum repetunt ex Ægypto inde ab *anno* 535. quando ab Seuero Pisidiano, sed Apocrisario Constantinopolitano, complures sunt hæreses progressæ; (de quo superiore sæculo.) Cumq; ijdem nati ab eodē sunt *Monophysitæ*, qui vnam naturam Christo assignabant:

Tetraditæ, *Theopaschitæ*, *Aphtartodocitæ*, qui à dogmatib. tunc confictis mōstro-

sis

sis monstrosa nomina sunt sortiti, vere impleto isto: Isa. 29. *Concurrere faciam Aegyptios aduersus Aegyptios. &c. & dirumpetur spiritus Aegypti in visceribus eius. &c.*

Anno 633. emersit in publicum latens hactenus hæresis Monothelitarum, autore CYRO Episc. Alexandrino, conante, seu fingente se cunctos Ægypti hæreticos Romanæ iuncturum Ecclesiæ.

Itaque coacto Alexandriæ Concilio decreuit, vt duæ in Christo naturæ agnoscerentur: duarum autem Voluntatum ac Operationum nomina silerentur, eorum loco *Vna tantum Virilis Dei Virilis Voluntas & Operatio* diceretur; Quò sic vnitarum in Christo naturarum differentia tolleretur, quam Apollinaristæ, Eutychiani & Nestoriani tollebant, vnam asserentes Voluntatem: Etsi diuersa ratione. *Apollinaristæ* quidem eo, quod Animam intellectualem in Christo non ponerent; sed *Verbum loco animæ*: vnde, cum Voluntas sit in ratione, humanam Voluntatem negabāt in Christo.

Eutychiani, quod vnam in Christo naturam cōpositam fingerent; Nestoriani eò, quod Vnionem DEI & Hominis factam duntaxat secundum Affectum & Voluntatem putarent; vnicam in Christo voluntatem consequenter statuebant.

Cyrus sibi Sergium Constantinopolitanum, ad noua pronum, iunxit: itemque Heraclium Imperatorem. &c. de quo *in Variis*.

At Honorius Papa hæresin anathematizauit.

Vide & in Sancto Seuerino PP. suprà.

MAHOMETES patre Iudæo natus apud Hometitas in Arabia felice, *anno* 630. camelariā exercuit seruus serui apud viduam copiosam: Sed ingenio vafer, diu pastor camelorum, post heram duxit vxorem Tadigam. Profectus in Palæstinam ab vtrisque, Christianis, & Iudæis, aliquid hausit & confudit, nūdinationemque exercens à dæmone obsessus comitiali sæpius morbo concidit: vnde se prophetam dictitabat, qui conspecto Gabriele Angelo familiari ista pateretur.

Ita & mœstam ex infelici pudendoque matrimonio vxorculam nobilem vnde seruitium solabatur, & plurib. imponebat. Tadiga tamen consulebat monachum Arianum, isthuc relegatū; qui confirmabat eum solere prophetis angelum fieri aspectabilem, patique talia. Sic persuasa persuasit multis; ipseq; vafer confinxit alia atque alia, quæ diuinitus accepisset.

Forte tunc reuertenti Heraclio, Persarum Victori occurrens laudes victoriales accinuit, edoctus eas à monacho dicto: simul petiuit terram ab Victore camelis pascendis; & obtinuit.

Quia vero circumcisionem obseruabat, Iudæi Messiam credebant, decem proceres mittebant ad eum sancte obseruandum; quæ tamen deseruerunt, quod immundâ camelinâ vesceretur: at non destiterunt eum contra Christianos extimulare.

Finxit is, *paradisum deliciis gulæ ventrisque affluentem, iisque potituros qui aut hostem*

hostem occidissent, aut ab hoste caderent. Polygamiam permisit.

Quo vniuersos traheret, ex omnibus sectis aliquid accersiuit; à Iudæis *Circumcisionem, & à Suilla abstinentiã*: à Christianis Christi cultum, sed cum opinione Ariana, Nestoriana, Manichæa:

1. *Vt Christum esse Dei Verbum & Filium; sed creatum & seruum, ex Maria sine semine natum:*

2. *Capti Vmbram Iudæos crucifixisse, non Ipsummet.*

3. *Interrogatum, in cœlos digressum, à Deo num se Filium Dei dixisset; negasse: sibi in extremo iudicio dandas paradisi claues.*

Fatum asseruit, destinans homines ad bonum, seu malum.

Ab Ethnicis sumpsit *cultum astri Cubar, seu Luciferi, & Lunæ.* Vetuit instituta sua disputari.

Fabellas 113. deridiculas affinxit.

Inaudita brutis animalibus prædicabat; homines arma in hostes sumere persuasit.

Occiso primum fratre Imperatoris Heraclij, domino terræ istius, apud Damascum Syriæ Sedẽ regni posuit, moxque totam sibi Arabiam concilians: Psalmos composuit vitulæ rubræ, Araneæ muscipulæ, vpupæ & ranæ: vxorem alterius appetens rapuit, viro resistere prophetæ non audente; exinde polygamiam prædicauit.

Prædixit se mortuum fore per Gabrielem resuscitandum die tertia. Ergo mortuum custodiunt; à tetrum fœtente diffugiunt; fingunt discipuli angelum fugisse præsẽtiam vigiliarum: deserti latus cum exedissent canes, sepeliunt residuum: Vnde quotannis canicidium obseruant. Homuros discipulus sepulcri custos, vt adoretur, multis persuasit; Inq; posito ei templo duos inter magnetes sublimis ferrea tumba pendens, velut, miraculo maledicta hodieque asseruat ossa; quò frequentissima ac difficillima feruet peregrinatio, publicis adiutari sumptibus consueta.

VARIA

Testimonia Fidei historica in Sæculo VII.

ANNO DCI. S. Gregorius edit *Constitutum* de Monachorum Exemptione & Immunitate, Cardinalium toto Collegio, libertati congaudente. Statum vero monasticum, vt annis præteritis sæpius, ita & hoc æuo plurimis illustrauit Deus; testibus S. Gregorij Dialogis. Vt Romæ in S. Andreæ cœnobio.

Frater iunior emptor, quid æris reseruans, clam obsidetur à cacodæmone; furit.

Dimissus ab hoc percunctanti, num quid proprij occuluerit, negat; arreptus denuo quatitur: sicque octies interrogatum, negantemque octonis interuallis contigit & diuexari, & à spiritu dimitti, donec demum fateretur; simul & omnino arceretur Satan.

Alius ibidem fugere è monasterio decreuerat; & ecce, apertis oculis cæcatus & exsensus tremit, vociferatur.

Ad aram S. Andreæ depositus à fratribus, pro eo deprecantibus, sibi redditur; culpâque dicta ait: Senex in me dilani-

laniandum immisit atrum canem: sed quidam monachi interuenientes senem pro me sunt deprecati.

Alius fugam meditans oratorium S. Andreæ prius init, & obsidetur: exit; & liberatur: idemque ex hoc euenit, quoties intrasset ædem, & exiuisset. Cum autem fratres collecti triduano cum ieiunio pro eo supplices orassent; exorarunt. Liberatus affirmabat, S. Andreã seuerè eũ increpasse. Duos alios fugâ lapsos, adque Salariam viam in cryptis abditos insequũtur vesperi fratres equites, quorum equi, vt ad cryptas vi nulla vel arte mobiles & fixi steterunt, illi descensione factâ cryptarum aditus, saxis obstructos, aperiunt latentes reperiunt, in miraculo & gratiam Dei, & culpsam suam agnoscentes.

S. Gregorius iubet S. Augustinum in Anglia idolorum fana mutare in ecclesia, per aquam lustralem expiata. In dedicationibus conuiuari sub tẽtorijs ex ramis circa tẽplũ; quod alias cõsuessent epulari de victimis boũ.

Anno DCII. *S. Sabinus Martyr* auertit plagas ac tela ab Ariulpho Rege Lõgobardorum ethnico, in prælio quo vicit Romanos & subegit Italiam.

Scire volenti quis tam fortiter se propugnasset, dicitur; Te fortius pugnauit nemo.

Ducens præter ædem S. Sabini, visa eius inibi statua ait: hic ipsus est propugnator mei.

Nimirum Patronus Christianorum vertitur ijs peccatoribus in inimicum. Ast & ipse Rex, quia ingratus, anno insecuto perijt.

An. DCIII. Dum in cæteris Mauritij Imp. amicis Georgius Cappodox ad Phocam duceretur plectendus, vinctus inuisit *S. Theodorum Siceotam*; qui & insontem animat, & S. Eucharistiam daturus cum solui iubet: nolentibus custodijs, dum ei *S. Hostiam* porrigit, vincula vltrò soluta cadunt.

Anno DCIV. S. Gregorius vixit. Cui ad aurem columba appingi assolet; quod, teste Petro Diacono omnia dictante S. Spiritu scripsisset. Malcuolis enim Scripta ipsius in focum abiecturis, Petrus sese obiecit isto cum pacto: *Si post iuramẽtum, quod omnia inspirante Deo scripserit, moriar; verum me iurasse scietis: Si superuixero, me cum libris eius comburite.*

Ergo in vmbone iurat, & obit.

Traiani animam ab inferis reuocatam precibus S. Gregorij, fabula est euidens.

In Anglia duo cogit S. Augustinus Concilia. Prius ob Britones obstinate Quartodecimanos; cætera Catholicos.

His præfracte corrixantibus ait S. Augustinus: Adducatur æger; ab vtra parte sanabitur, vera illius fuerit sententia.

Cæcus adest; quem ij sanare nequeunt; sanat S. Augustinus: cui assentiuntur cæteri: Simul orant quò plures adducant, alterum indici Concilium, quod soli gentis morem nequeant antiquare:

Ad illud dum tendunt passim, anachoretam prius consulunt, num Augustino assentiantur tuto?

Si, inquit, vobis Concilium initu-

t ris

ris assurrexerit, tunc vt miti ac humili assentite.

Eo non assurgente, omnes fremere, occlamare. Quibus ille hoc tantum: *Quia pacem à fratribus non vultis, bellum ab hostibus patiemini.* Fit. Rex Angliæ irruit in Britanniam, cædibusque flammisque misceet omnia. S. Augustinus diem obit. Similia ab Saxonibus contumaces Schismatici perpetiuntur Scoti.

An. DCVI. Phocas Imp. Cyriaco Episc. Constantinopolitano offensus, tum quòd noluerit, iuxta S. Gregorij monita, proque iure debito, abstinere titulo *Vniuersalis Episcopi*, fretus Mauritio: tum quod vxorem Mauritij, ad templum confugam, ad necem tradere sibi noluerit, nisi promissa ei in monasterio victuræ securitate; decretum edit; Solum Romanum Pontificem esse, dicique oportere Vniversalem. Hinc Nouatores hodierni calumniãtur, à tyranno datam primum stabilitamq; Ecclesiæ Rom. prærogatiuam: cum eam habuerit inde à Christo, Euangelij, orbisque totius consensu.

Anno DCVII. Bonifacius IV. PP. concedente Phoca, dedicat Pantheon in Ecclesiam Deiparæ.

Dum Sanctus Theodorus Siceota Phocam adiret, ægrum sanaturus, occurrentis supplicationis in via *cruces concuti sunt visæ*; quod omen quale foret percunctanti Episcopo Constantinopolitano respondit Sanctus Theodorus; Portendit hoc defectiones à fide, barbarorum incursiones, cædes, orbisque seditiones.

Episcopus rogans, oret pro se, vt antè moreretur, quam fata eueniant; is ait: simul nos in cœlis videbimus. Dictum factum: obit Episcopus.

Anno DCVIII. Successor Sergius item preces orat Sancti, vt præsit bene: At demum euadit in auctorem Monothelitarum.

Eulogio Episcopo Alexandrino per visum apparens Sanctus Leo PP. gratias agit, quòd epistolam eius *de Vnione hypostatica* scriptis defendisset.

Anno DCX. Ab Phoca sibi metuens gener eius Priscus, scribit Prætori Africæ, vt filium suum Heraclium cum exercitu mitteret in Phocã.

Heraclius in Africa salutatus Imperator, secum in tutelam assumit *Salomonis, & Deiparæ Beatæ Virg. imagines*: venit Constantinopolim; vincit nauali prælio Phocam; membris truncat; truncum exurit populus.

Idem Crispum, in Cappadocia rebus nouis studentem, clericũ effecerat *S. Ioan. Eleemosyn.* fit Episc. Alexandrin.

Sebertus Rex Angliæ Londini Sancto Petro templum potuit; deditque Mellitum Episcopum: qui Romam tendit scisciatum, an sit consecrandum: nã pridie, quã dedicare illud statuerat, noctu Sanctus Petrus, habitu peregrini, pacto naulo trans Tamesim transmissus à piscatore, ab innumeris Diuorum stipatus omnes ritus dedicationes obierat, sparsis cineribus, designatisque crucibus circum muros, ac solennibus cunctis obseruatis; Rursus flumen trans siens Apostolus ait piscatori; Quos iussu meo cepisti pisces, habe tibi pro naulo pacto; maximum in his affer Episcopo; & ecclesiam me dedicasse dicito; tantum ipse solennia

Mis-

Missæ patret. Tu autem in Dominicaneu piscceris; & nunqum tibi postenisque tuis copia piscium deficiet.

Ex hisce quidam in piscium decimis fraude facta, capere nullos vltra valuit, donec confiteretur fraudem.

Anno DCXIII. Mellito Christianos communicante, Eadualdus Rex Angliæ ethnicus, apostata, per iocum & sibi panem album dari iubet; negantem expellit. At mox ab Genuissis victus luit.

Anno DCXIV. Cosrhoes Persarum Rex captâ Ierosolymâ Christianos minimo diuendit Iudæis, eos trucidantibus plures, quam nongenta millia; Zachariam Patriarcham cum SANCTA CRVCE, abdicuit in Persiam, eâdemque cum reuerentia asseruauit, in quâ illam reperit Ierosolymis custoditam, ac cultam.

Anno DCXVII. Heraclio per legatos pacem petenti ea annuit conditione; Si per vniuersum Imperium *negetur Crucifixus*, *& Sol adoretur*.

Anno DCXX. Imperator ergo ad bellum se parat sacrum; quo ab ecclesiis pecunias contrahit, S. Vasis etiam diuenditis; post omnia redditurus.

Niceta Patricio thesaurum ecclesiæ Alexandrinæ rapiente inuito Sancto Ioanne Eleemosynario; huic *vasa mellis in purum putum vertuntur aurum*; quorum vnum transmittit Nicetæ; & obdormit.

In tumulum inferendo Episcopo-rum corpora duo cedunt loco, medium que recipiunt.

Anno DCXXI. Heraclius altera Paschatis attratus ac prostratus in templo se, filium, Vrbem, Imperium, *exercitumque DEO ac Deiparæ commendat*; *imaginem Seruatoris*, diuinitus pictam tenens, se iuramento facit parentem militum; quos & filios suos appellat: vincitque Persas.

Anno DXXII. Cosroen pro pace supplicem totâ profugat Persiâ vsque in Mediam, cæsis vltrà 40000. ad 50000. captiuorum dimittit. Irruens in Persiam exercitus, æstu fessus, fractusque miraculo *reficitur de cælo*, dum sol rore coacto perfusum quasi redanimabat, sæpius victorem.

Anno DCXXV. Vltima tentans Cosroes Duce Sarbara barbaros immittit in Constantinopolim: Heraclius fratrem submittit; dum signa committunt is cœlo vtitur sereno, Persas *grando subitus* obruit, obterit; reliquos Christianus cædit, delet.

Dux Sarbaras fugâ saluus, Hunnis, id est, Auaribus sumptis in auxilium, obsidet Constantinopolim terra marique: obsessis interim Deo Deiparæ supplicia continua ducentibus.

Ergo die decima ita soluitur obsidio: Persæ mane primo *Reginam*, ex vrbe prodire visam cum instructa acie, ducereque in hostem; at castris & acici proximam declinare; hîc Persæ inquam irruere, persequi; sed mutuis se se ictibus concidere, disparente cum copijs *Regina cæli*. Dux cum naualibus effugiens orta tempestate, plurimos vndis haustos desiderabat.

Anno DCXXVI. Heraclius intra Persiam cum Razetis Ducis gemino exercitu congressus, iunctis sibi Turcis, cædit vtrumque; nec pluribus suorum, quam quinquaginta desideratis. Nimirum, nunquam ille prælium inibat, nisi *De para Virgine solenniter inuocata*. Quare & huic aurea Razetis arma dat, dicat.

Eduinus Rex Angliæ dum tardat fidem Christi suscipere, ab immisso in eũ Regis Saxonum sicario ense ictus venenato, per medium sese obijcientis corpus serui, moræ pœnã expendit. A vulnere precib. S. Paulini persanatus bello, vincit Saxonem: Simul de vxoris facillimo partu lætus, se Christianũ fore promittit. Dum iterum moras struit, omnia conatus metiri intellectu, S. Paulinus Episcopus spiritu docetur de oraculo, quod olim Regi factum erat de sua conuersione; eratque tale.

Eduinus Rex Anglorum Borealium duxerat Edilberti Cantuariorum Regis filiam Catholicam ea conditione, vt fieret Christianus: S. Paulino eum catechizante; at lapidem: filiam ei precibus sanantem; at nequicquam. Eduinus sibi ab Edelfredo metuens sponte exulat apud Redualdum; emptum ab Edelfredo, vt obtruncaret illum. Sedenti igitur mœsto apparens ignotus regnũ ei spondet, si Christiana sacra susciperet: quo se velle respondente, is imposita manu capiti eius tantum ait; *Hoc tibi signum erit*: dixit, fugitque ex oculis.

Vxor Redualdo persuadet, ne Eduinum occideret; quin vi & armis defensaret.

Fit, regnoque restituit. Adhuc cunctãtur Christu ṁ profiteri; S. Paulinus, accepta reuelatione, ad eũ ingreditur; impositaque capiti manu ait: *Nostin' hoc signum?* Conterritus affirmat; ceditque Deo, cum Anglia tota.

In Italia Adalualdus Rex Longobardorum toxico dementatus ejcitur regno ab Arianis, suffecto Rioualdo Ariano. Hic obuio Blidulpho inquit: De Columbani monachis est ille; salutatus nos resalutare nolet. At salutanti aiebat; *Optarem salutem tuam, si desereres seductores S. Trinitatem in Vnitate negantes.* Progressus Rex, Pro, exclamat, adeo nullus mihi ex vobis, qui istum noctu mactet? Ergo satelles eodem vespero in platea excepto confringit caput, totumque contusum pro mortuo reliquit.

At à prætereuntibus dormire creditus excitatur; abitque illæsus.

Percussor à dæmone obsessus fatetur parricidium.

Anno DCXXVII. Cosroes, S. Anastasio cum 70. alijs martyrio coronatis, S. Crucis prædicatoribus, vt Cam profugus agitur: minorem coronaturus filium à maiore trucidatur, cadaueri quinque diebus expositio illuditur.

Zacharias Episcopus cum Ariacis captiuis & Sancta Cruce, per triumphum reducitur Constantinopolim, occurrente Clero cum populo gerentibus palmas, lãpades, cantumq; fletumque miscentibus; Syria & Palæstina Imperio adijciuntur.

An. DCXXIIX. Heraclius p̃ septẽnali bello profligato feliciter, acturus Deo gratias *S. Cruc.* reportat Ierosolym. Vbi ad Caluariam Crucis baiulus tendens intra portam sistitur immobilis:

Za-

Zacharia monente factum ponit, vtque plebeius humeros Cruci supponit, & recta procedit. Restituta S. Cruce festo *Exaltationis* instituendæ fecit initia. Per Orientem exinde peregrinans, Edessæ ademtas Nestorianis Ecclesias dat Catholicas.

Hactenus felix Heraclius Imperator. At infelix idem, dum se rebus miscens religionis, Imperium perdit. Videns enim Orientem dissidere Nestorianis, Eutychianis, & Apollinaristis, Sergio Episc. Constantinopolitano instigante, omnes in vnam ducere sententiam conatur, assertor *Vnius in Christo voluntatis & Operationis*. Vnde Monothelitæ dicti.

An. DCXXIX. Machometismus increuit: (vide in Hæresiarchis:) seq; armis confirmauit, dum Heraclius positis armis Theologiam perscrutans fit sus Monothelita. Intereaque simul Arabes irruunt in Imperium *anno* 631.

An. DCXXXII. S. Amandus Episcopus Traiectensis; at exul Tornaci frustra intercedens pro suspendiario, suspensum deponit, excitat mortuum.

An. DCXXXIII. Haumar, post Machometum tertius, vincit Heraclium, ferentem secum *S. Crucem*. Ea Ierosolymis asseruari fuerat; exponi septimanâ sanctâ, exosculari feria quinta ab Imperatore & viris: feria sexta ab Imperatrice & fœminis: sabbato ab Clero: Mirifice fragrare, exq; nodis oleum exsudare solebat.

Cyrus Episc. Alexandrinus Heraclii iussu cogit *Concilium Alexandriæ*: in quo excusum est *ouum Monotheliticum*, prætextu hæresiũ trium Nest. Euthy. & Apoll. reconciliandarum; additaque est iis quarta. Cui primus reclamauit S. Sophronius Episc. Ierosolymitanus, fraudem aperiens literis ad Concilium datis. Hasce Sergius mittit ad Papam suis, sententiæ catholicæ, vt suæ, explicatoriis; quas Papa, ceu Catholici viri, subscriptione dignatur. Sed fraudis edoctus ab Sophronio, silentium indici Nouatoribus rogante, indixit. Paruitq; Sergius hypocrita. Vnde quiddam visum male, cũ Sergio hæresios damnato dãnandũ & Honorium PP. fuisse. Male, inquam: Nam & S. Sophronius idem, quod Papa, sentiens, parem incurrisset damnationem. Deinde primum autor Monotheliſmi variauit instabilis.

S. Isidorvs igitur instat, ac impetrat indici *Synodum Toletanam IV. Generalem*: In quam Hispaniarum Rex ingressus primum supplex cum lacrymis petit pro se preçes Episcoporum: Deinde hortatur, vt in ordinanda *Officia Ecclesiastica* incumbant; doctrinam fidei contra Nouitatem definiant, & Ecclesiasticam ordinent disciplinam.

An. DCXXXIV. Heraclius Monothelita factus infeliciter gerit rem: cuius exercitus 80000. cæditur à Saracenis; qui Catholicus cum paucioribus Persiam subegerat, & Phœniciam Ægyptum Cyrus Alexandrinus redimit 200000. aureorum pactis annuorum: & tamen eam dein vi capiunt, ac inhabitant.

S. Osvvaldvs Rex Anglorum cum paucis immensas Britonum copias profligat; sed prius ad erectam sub dio

Crucem se, suosq; precibus commendarat. Victor omnem eliminat idololatriam: adque Crucem Deus morborum largitur petentibus consanationes.

Anno DCXXXV. Saraceni Ierosolymam obsident: in Syria Romanum exercitum delent totum: in pœnā theologizantis Imperatoris hær. At Guisi, (Saxones sunt Occidentales:) Christi fidem amplexantur, per Episcopū Pyrinum, à Papa missum.

Hic baptizato Rege, profecturus maridum ab festinantibus nautis vrgetur Sacrum Missæ absoluere, ex festinatione pallam obliuiscitur. Prouectus à terra longius memor, excensione facta, siccis per vndas pedibus reuertit, recipitq; pallam. solebat enim iter faciens, in ea S. Eucharistiam ferre secum assumtam.

Anno DCXXXVI. Haumar Dux Saracenorum capit Ierosolymam; quā tenuerunt Saraceni ad annum vsq; vndecentesimum supra millesimum. Cœpit autem eâ ab S. Sophronio accepta conditione, vt Christianis liceat secure sua Diuina patrare. Obit S. Isidorus, subit hæreticus; qui degradatus fit Saracenus.

Montanus Episc. Toletanus toto Missæ tempore prunas cādentes in sinu fouit, illæsa veste, ad castitatem calumnioſe accusatam, probandam.

An. DCXXXVII. Saraceni occupāt Antiochiam, Alexandriā, &c. obtinentque ad ann. vsq; 1098. Solum Reliquiæ sunt in Occidentem exportatæ: In quibus & S. Ignatii erant.

An. DCXXXVIII. *Concilium Toletanum VI: Oecumenicū* sanxit, Reges Hispaniæ in auguratione sua dicere iuramētū debere, se se Catholicā fidē defensuros: hinc cognomē acceperunt Catholici.

An. DCXXXIX. Heraclius, hæreti dementatus, suā edit *Ecthesin*, id est, Propositionem de Fide vnius voluntatis & Operationis in Christo. Simul mittit ad S. Seuerinum iam electum Episcopum, quam adprobet, si confirmari velit. At reprobat, damnat, obitq; ex dolore status in Imperio infelicis.

An. DCXL. Ioan. Papa IV. cum Cōcilio, totaque Africa damnat Ecthesin Heraclianam, & sectarios: docetq; Honorium PP. non pariter cū ipsis vel affinem esse damnationi. Quo territus Heraelius, negat edictum Ecthesios esse suum; sed demortui iam Sergii: idque edicto quod vtroque in orbe Orientali & Occidētali, promulgat: Nequedū tamē habendus est pro Catholico. Obit.

An. DCXLII. *S. Osvvaldus* Rex Anglorum, in prœlio contra Britones cadens ait: *Deus misereat animarum.* Fulius, vbi corruit, potus sanat morbos.

An. DCXLIII. *Haumor* Rex Saracenorum Mahometo ponit Basilicam: sed ea corruente sæpiusque instaurata, causam percunctanti respondērunt Iudæi; Crucem in templo olim arum illi oppositam stare: quare eam deturbet vt persuasere, instauratum opus vastum mole sua stat. Continuoque & omnes circum Cruces iussu barbari sunt excisæ.

An. DXLV. Pyrrus Epis. Constantinopolitanus Monothelita ab S. Maximo Abbate & Martyre in publica disceptatione conuictus, palam reuocat hæresim:

resim; pœnitentiæ, Confessionisque libellum offert Papæ, in Romanæ Ecclesiæ communionem recipitur solenniter; hæreticis nequicquam calumniatibus esse coactum, confictam quoque vulgantibus epistolam S. Maximi ad Pyrrum, *Tres voluntates in Christo* asserentem. Contra quam S. Maximus scribit apologiam.

Ann. DCXLVII. Dagobertus Rex Franciæ concedit fatis. Eum Ioannes eremita Syriæ, (velut ipse visitanti eum Præfecto Pictauiensi narrauit:) eadem, qua mortuus hora fuit, per reuelationem vidit ab dæmonibus per mare raptari; Sed *inuocantem Sanctos* Martinum, Dionysium, & Mauritium *ab ijsdem eripi*, inque cælum subuehi canentibus: *Beatus, quem elegisti, & assumsisti Domine; habitabit in atriis tuis.* Hos ille Tutelares semper coluerat; his ornatissima templa collocauit, dotauit.

Anno DCXLVIII. Constans Imperator, suasu Pauli Episcopi Constantinopol. se Catholicum simulantis, euulgat Typvm, id est, Edictum de fide vnius seu Plurium voluntatum Christi esse silendum: scilicet in gratiam Præfecti Africæ, qui admissis Turcis iam rebellabat Augusto.

At Papa Theodorus V. Typum cum sectarijs anathematizabat in Concil. Lateranensi. Interim Turca post raptam Africam, Imperiũ eripit & Cyprum.

Anno DCXLIX. Sanctus Martinus Papa celebrat *Concilium Lateranense*, 105. Episcoporum, *contra Typum & Monothelitas*. Tunc nullus toto Oriente Catholicus erat Patriarcha: missusque in Italiam Olympius Exarchus ab Imperatore fuit, qui Typum publicaret, perque Longobardos Arianos quateret Italiam, turbaret Concilium.

Prohibitus autem per vim Papæ, valuis affigere Typum, dolum molitur: subornat spatharium, qui percuteret Papam, ipsi Communionem porrigentem.

Sed cum spiculator in ictu cæcaretur pœnitens Olympius exercitu liberat Italiam.

Prodit Concilium Toletanum VII. *de inuentione Moralium S. Gregorij* istud: Hos non extare dolens Taio Cæsaraugustanus Episcopus mittitur à Rege Hispaniæ Romam eos inquisitum. Hos nusquam reperiente Papa, Taio petit ab Ostiario, orandi sibi nocte vna faceret copiam in Æde Sancti Petri.

Dum excubat in oratione, innumeros inter Sanctos conspicatur & *Sanctum Gregorium*, ostendentem sibi scrinium, libri condum. Amans idem Sancti Augustini, scisitatur, an & ipse adesset? ac audit: Et vero etiam supra Sanctum Gregorium eminet.

Anno DCL. LI. & LII. Quæ in Papam, inque Sanctum Maximum ausus Constans Imp. repere supra ex S. Martino inter Papas. *Turcæ* Armeniam capiunt.

Anno DCLX. Clodouæus frater, & successor Sancti Sigeberti Regis Franciæ, impius contrahit è templis aurea omnia & argẽtea, flagellante annona

nona cum fame sæua, prætextuque eleemosynæ, in egenos faciundæ. Idem à *S. Dionysij* corpore *brachium* diuulsit; ex quo pessum ire res Franciæ.

Quare ANNO DCLXII. sceleris pœnitens in Concilio monasterium Sancti Dionysii immunitate omnium donat.

AN. DCLXIII. Constans Imp. peregrinatur ad Limina Apostolorum, factoque rite Offertorio donorum ad aram protestatur, sese *Fidem Catholicam Occidentalium*, id est, *Romano-catholicam* sequi porro velle. Quocirca amplissime ab Papa Vitaliano excipitur crimina eius dissimulante; ad Ecclesiam redisse sat erat in præsens.

Grimoaldus Rex Longobardorum, bello appetitus ab Constante, quærit ex celebris sanctitatis eremita; Victorne foret? ac responsum tulit: *Iam vinces, quia S. Ioan. Baptista pro vobis orat.* (Plurima ei templa per Italiam posuerant Longobardi.) *cum autem is despicietur olim; tunc vincemini.* Rex igitur protinus eiurato Arianismo, se Romanocatholicum profitetur, & est.

AN. DCLXIV. In Anglia renascitur *quæstio de Paschali die* Quartodecimanorum: Cumque XV. luna celebrari Pascha Romæ inde vsque à S. Petro vsque probaretur; aiebat Rex: *Quia S. Petrus ostiarius est cœli, ei nolo contradici; neu me excluserit.*

Clerici & Monachi per Angliam vt Angeli colebantur; quòd essent minime proprietarii aut peioris exempli.

S. Ecbertus Rex Cantuar. sæuiente vulgo peste tactus, *Vouet* emendationem vitæ, quatridui ieiuniũ quot hebdomadis, & quotidie se Psalterium, seu Horas Canonicas oraturum; ecce liberatur peste vitamque obtinet longæuã: quam clausit anno Christi 720. Ex hoc igitur se tonderi in Clericum curat, suaque omnia donat ecclesiæ, & egenis. S. Eligius in Francia viuit: obitque S. Gertrudis filia Pipini. Cuius exempla vtriusque vitæ, totidem sunt Christianæ testimonia doctrinæ.

AN. DCLXV. Os vvi Rex Angliæ missis Romã legatis dona mittit ad S. Petrũ, profitẽs se humilẽ filiũ Ecclesiæ. *S. Eligius Episcop. Nouiomensis* obit. Huius aliquando ex templo, perfunctus precibus Rex Clotarius cum fratre Theodorico, egrediens monebatur vt quod donum faceret ecclesiæ; negligit, suum fratre munus offerẽte: at protinus sæua correptus febri luit. munera mittit, febrisq; remittit. *Regina Bathildis* translatura S. Eligij corpus vel mouere nequit. Regium ponere fastum iussa ab ipso S. Eligio, cuidam ex aulicis apparente, sed id iudicare metuenti: ictus febri visum refert, & resanatur. Regina Sãcti eximie coornato sepulchro, regnoque filijs permisso, monasticen profitetur, inclita viæ sanctitate ac miraculis vixit.

S. Wandregilus, Dagoberti gener, cum vxore virgine virgo vixit. Vixit & *S. Ildefonsus* Episcopus Toletanus *An. 667.*

ANNO DCLXIX. Turcæ capiunt Siciliam: *anno 671.* Lyciam, Ciliciamq; inuadunt.

AN. DCLXXII. Ad S. Audoenum Episc. Rothomagensem, peregrinaturum Romam, vndique vis ingens oblationum

tionem auri & argenti conferuntur, quas Fideles passim vouerant ad Limina Apostolorum transmittendas.

S. Sebbi Rex Orientalium Saxonum in Anglia, petitam iam diu licentiam demum obtinet Monasticen profitendi. In qua ita sancte vixit, vt Deus eum dignaretur, cui apparens Sanctus Petrus nunciaret, beatorum eum gloriam manere certam fatis perfunctum. Turcæ æstate tota, totoq; dein septennio Constantinopolim nequicquam oppugnant, Deiparâ Virgine eam propugnante.

An. DCLXXVIII. *Sudarium Christi* Christianissimus quidam Iudæus sublegerat, quo sancte obseruato copiosissime ditabatur. Moriturus filiis duobus dat optionem, vter diuitias suas, aut sudarium capiat ex asse. Hoc minor, istas natu maior delegit; sed opibus huic sensim rarescentibus, ille repente indies opulescebat; transijtq; ab hoc ad quintã vsq; generationem; acinde ad ethnicos: qui & ipsi ditabantur. Demum post longa litigia sibi illud vendicantium, Christianorum ex Iudæis quidẽ, quod Christi; Turcarum vero, quod patrũ ipsorum hæredes essent; appellatum est ad arbitrum Saracenorum Regem Mahuuiã. Hic illud accẽsam in piram, Christum rite precatus, injicit: vnde veloci raptu euolans in aere summo perdiu volucritabat, dum se in sinũ Christiani demitteret, summa populi cum veneratione, & applausu: Pedes lõgum erat octo.

An. DCLXXIX. Agatho Papa mittit in Angliam Theodorum Archiepiscopum, qui Cantum, Ritus Romanos Clerum edoceret. Idẽ duos Angliæ Reges, prælio sęuo expertos, reducit ad pacẽ. Eo in conflictu cecidit adolescẽs Imma, mortuo similis diem noctemq; vnã cæsos interiacuit: demum emergẽs obligatis à se vulneribus dum abitũ parat, capitur ab hoste, dissimulataq; nobilitate se rustic ũ profitetur. Fit nexus; at vincula identidem ei excidere. Frater eius Tũnam Sacerdos similem ipsi humarat, animamq; Deo, litatis rite pro ea sacrificijs Missarum, cõmẽdabat, atq; iisdem eum horis enecti vinculis contingebat: Comite, quid rei idesset, non capiente; nec signa magiæ comperiente, in captiuo diligenter examinato. Qui & ipse diu multumque miratus, demum ait: Est germanus mihi Sacerdos, qui me occisum rebitur, sacrificijsq; opitulari studebit. Iamq; familia mores vultumq; Immæ obseruarunt sic, vt altioris eum indolis esse, quam vulgaris, suspicarentur, Comes solum examinat: agnitum sibi agnatum esse, Londini vendit in seruũ Frisoni. Neque ab hoc vinciri valebat, præsertim horâ, qua Diuina pro ipso litabantur. Miraculum illud obtinuit ei redimẽdi sui licẽtiã. Datoq; lytro reuersus ad fratrẽ cõperit id, quod erat; horis Missæ sese euinculari contigisse.

An. DCLXXX. *Synodus Generalis Romæ*, 125. Episcoporum, celebratur *contra Monothelitas*: in deplorãda doctorum virorum ac concionatorum inopia. Ex huius Concilii Symbolo Græci dolo malo eraserunt illud, *Filioque*.

Dira pestis sæuit Romæ, Ticini, Italiaq; tota; vt vrbes mortalitate, fugaq; hominum in montes exhaurirentur, & herbis plateæ increscerentur. Pridie *bonus Angelus* semper videbatur, qui malum an-

gelum venabulo fores iubebat ferire toties, quot emori postridie eadem in domo voluisset.

Accidit, vt reuelatione diuina quidam disceret, non remissuram pestem, nisi ad vincula S. Petri *ara* ponatur *S. Sebastiano*. Nec vana cecidit reuelatio, adeo salutare esse patrocinium istud est compertum. Atque inde quoque cœptus est vulgatus mos pingendi ad ædes S. Sebastiani.

S. Wamba Rex Angliæ hausto per insidias toxico iacet diu memoria destitutus. Suasioni denique parens, *vouet ingressurum sese statum religiosum*, si Deus ei memoriam reddidisset. Qua reddita damnatus voto fit monachus.

Ann. DCLXXXI. in Sessione VI. Synodi sextæ Generalis, electis è Concilio damnatisq; Monothelitis, *atræ aranearum telæ* superne in populum delapsæ *symbolum hæreses* vanissimæ dederunt. Supra prodidimus *calumniam in Honorium Papam* confictam, quod Monothelitis assensus fuisset. Ecquis enim damnatis iam ijs, istum ab Concilio dilaudari contigisset tam magnifice? Deinde ipse S. Agatho PP. est ad Imperatorem literis protestatus, nullum vnquam errasse Papam.

In Synodi sessionem XV. introgressus Polychronius Monachus Monothelita, datam abs Deo sibi Confessionē fidei iactabat, vt coram toto Concilio eam mortuo imponat suscitādo. Verum hoc nihil minus, quā reuiuiscēte, sycophāta degradatur ritu solenni. Dānati Monothelitæ Romā appellunt; missi Romam cū literis Concilij ac Imp. in mucronem incurrunt; in monasteria inclusi.

Demum Imperator in sua *Sacra Epistola* ad Papam liberat Romanam Ecclesiam à pendenda pecunia, per Gothos nouo Papæ indicta; ac dein quoque post deuictos Gothos eandem à Papa pendi Imperatori consueta. *Ius* tamen *Confirmandi electum Papam*, ab Gothorum Rege tyrānice sibi vsurpari cœptum; reseruauit. Idque licet iniuste; in præsens ad hoc acquieuit Papa, quod Imperator iuuat, vt Oriens ad Fidē obedientiamq; Romanæ Ecclesiæ reuerteretur.

In Concilio Toletano XII. Erugius Rex Hispaniæ depopoſcit sibi *Nominationem Episcoporum*; deinde nihilominus Capitulo proponendorum, & examinādorum. Nimirum id Gothorū tyranni per Hispaniam cœptarāt: Verum insurrexit totum Concilium contra postulationem Regis, ac reclamauit: Itaq; ille destitit à proposito, *liberamq; electionem ecclesijs reliquit*.

In Anglia ex longa siccitate fames extitit tāta, vt 50. vel 60. homines nexis mutuo palmis sese ex rupibus agerēt præcipites. Vt primum vero sunt *Fidem Christianam amplexi*; pluente cœlo siccitas remisit.

In monasterio S. Vilfridi ibidem tactus peste puer, semper ergo S. Eucharistiam eximie pius, ab SS. Petro & Paulo apparentibus audit: *Non morieris ante Missam & Communionem: Dicq; Presbyteri Eappæ, auditas preces:* (Fratres namque triduanum ieiunium & supplicationē instituerant Numini placando:) Idq; S. Oswaldo Rege intercedente, hoc olim die defuncto. Quare Deo sacrificent grati, inque memoriam Regis Sancti.

Anno

An. DCLXXXIV. Sacer Cletus, Populusque Roman. supplices obtinent ab Imperatore Constante, *vt libera sibi daretur Electio Papæ*, pristino pro iure ac more; *non expectata ab Imperatoribus Confirmatione.*

Simul Imperator filios suos dat Papæ S. Benedicto II. in filios missa ad eum cæsarie eorundem: scilicet in signũ, vt scirent se Episcopo subesse oportere. Ita & Carolus Rex Franciæ filium Pipinum donauit S. Luitbrando, ritu hoc, quod capillos eius resectos ad eum mittebat.

An. DCLXXXV. Iustinianus Imp. totâ Armenia euocat Manichæos vnum in locum, atque coneremauit.

Qui dum Ecclesiæ studet, sponte supplices sibi barbaros videt pro confirmatione tributorum, quæ hactenus penderent Imperio. At post pauxillum corruptus, ecce

Anno DCLXXXVI. Petit à Papa synodi VI. Acta, quasi fideliter custodienda; sed animo corrumpendi, aut supprimendi; quo reualesceret Monotheliſmus.

Vindex igitur Deus excitat Bulgaros, qui rupto fœdere Syriam irruunt, & euastant.

S. Kilianus Monachus Hiberniæ, petit Romæ ab Papa, & impetrat *Prædicandi licentiam* pro ritu ordinario Missionis; simul ibidem Episcopatus inauguratus honore fit Apostolus Franconiæ.

An. DCLXXXVIII. In Concilio Toletano XV. Egicanes Rex Angliæ fidem iuraturus Ecclesiæ, prostratus humi supplex Sacerdotum pro se preces orat: inde iurat se iustitiam sincere obseruaturum.

An. DCLXXXIX. Ceadualla resignat regno Britãniæ, Romã peregrinatur, vt isthic baptizetur, ac moriatur. Factum vtrumq; est, obiitq; in Albis. Id imitatus est successor eius *an. 726.*

An. DCXC. S. Ecgbertus Hybernię monachus Zelo conuertendi Germanos ab Idololatria, nauigat Hamburgũ: Visione tamen per quietem oblata ad Pictos ire iussus, maluit Germaniam. Verum quia numine aduerso, aduersa reiectus tempestate, desistit à cœpto, Autor tamen fit S. VVilbrordo Germanis Euangelium prædicandi. Ergo vndenis ille cum sociis carpunt iter Romam, vnde petitam ab S. Sergio Papa licentiam auferunt euangelizandi, vt veri Germaniæ Apostoli.

Anno DCXCI. Alachis tyrannus ducit contra Cunibertum Regem Longobardorum Catholicum: *Dirus ofor Cleri* vouet; Si tulerit victoriam, se puteum testiculis Clericorum impleturum.

Prouocatus ab Cuniberto, vt secum duello decerneret, noluit; quod, ait, inter contos tuos *imaginem video S. Michaelis*. Ergo victus prælio, demum enecatur.

Ann. DCXCII. Theodorus Constantinopolitanus Patriarcha, ficte Catholicus, confingit Actis Synodi VI. quiddam deesse; Symmystas hæreticos conuocat; dicunt *Synodum Constantinopolitanam Quintisextam.* In ea *Anabaptismum* restituunt: omnes *Canones* priores, præter editos

ab sese, *abrogant*; *Cœlibatum Clericalem* tollunt; *Aras* vetant tangi ab laicis, præterquam ab Imperatore solo cum offert,&c.

At Papa è diuerso Canones ipsorum Synodi:(dictæ *Erratica*:)damnat omnes; quos ipsi obtulerant cõfirmandos. Hic vero Imperator Iustinianus Ducem cum exercitu immittit in Italiam, qui aut cogat Papam illos pseudocanones confirmare, aut vinctum adducere Cõstantinopolim.

Verum Itali fortiores, non viribus, sed causa iusta, propugnant Papam, propulsantque Cæsarios. S. Sergius mittit legatos ad Imperatorem, qui monerent erroris, sanaq; suaderent, & cœpto desisteret; quos ille deportat in exiliũ, & denique enecat. Ad hæc quid Deus? Qui prodidit Religionem Catholicam, is à suis proditur Turcæ, vt hic Armeniam inuadens caperet ostium Imperij.

Anno DCXCIII. Imperator Monothelita ob impietatem exosus populo, alium optanti, vicinam aulę ædem B. V. Mariæ remouet, inque locum eius phialam ædificat. Vindex secutus à tergo Deus.

Nam

An. DCXCIV. Constituerat Imperator certa nocte cunctos Constantinopolitanos contrucidare: Leontius Oriẽtis Præfectus, iã tres annos carcere clausus per calumniam, effracto carcere nexos soluit vniuersos, armat, inque publico clamat; Qui Christiani sunt, in S. Sophiæ præsto adsint.

Orta die in palatium irruunt, prensum Iustinianum, naso truncatum ejcit in exilium Leontius, continuo Imperator acclamatus. Id quod ei duo monachi fuerant vaticinati.

Iudæi conspirant aduersus Regem, regnumq; Hispaniæ, vt vna cum Christianis omnia euerterẽt: Sed proditi ab Concilio Toletano XVI. adiudicantur perpetuæ seruituti, bona fisco, septennes liberi baptismo, minoresque natu.

Irrepserat sacrilegus abusus petentium missas de defunctis legi pro viuis, quos inimicos sibi emori citius capiebant. Hunc execratum est Concilium dictato exilio & petentibus illud, & sacrificantibus.

Anno DCXCV. Radbodus Dux Frisiorum diro martyrio affecit S. Wigbertum, vnum ex XII. missis à Papa ad gentium conuersionem: reliquos XI. ex insula sua exclusit deportatos. Qui dispersi late fidem disseminarunt.

S. Cuibertus cum SS. VVerenfrido & Marcellino prope Traiectum ab Sacrificulis in carcerem compactus, nocte ab Angelo educuntur, custodiis obstupefactis; & idololatris plurimis conuersis: præsertim cum & cœcum S. Suibertus conuertisset.

Qui ex hoc ad S. VVilfridum Apostolicum legatum, in Angliam profectus, consecratur Episcopus vt potestatem prædicaret.

S. Ansbertus Episc. Rothomagensis ab exilio relaxatus, dum se parat ad Missam, obdormit.

S. Audomarus Taruinensium Apostolus claret miraculis, consecratq; B. Austrebertam in Virginem Deo.

Ann. DCXCVI. Pipinus, subacta sibi Frisiâ, *S. VVilbrordum* ablegat Romam vt

vt in Episcopum consecraretur. Papa secundum quietem monitus à Deo, susceptum perhonorifice consecrat, datâ ei plenitudine potestatis Apostolicæ ad euangelizandum.

S. Suibertus adolescentem in Rheno submersum suscitat à mortuis, id quod frustra Sacrificuli attentarant: Ipse citatus vero vnum verum Deum prædicat. Quo vniuersa Frisia & Brabantia, damnatis idolis, nomen Christo dedit.

At in Africa & Lybia repullulãt Manichæi & Donatistæ; Præsulesque, Clerusque scandalizat Fideles *publico concubinatu suo*. Ecce pœnam: Saraceni Africam inuadunt, occupant, tenent. Victoque ab Arabibus ceu Turcis Leontio, & capto, Romanus exercitus reliquus acclamat Tiberium Imperatorem. Hic Constantinopoli Leontium detruncato naso procul amandat exulem inque monasterium compingit.

An. DCXCVI. *S. Wilibrordus* in Frisiam reuersus, & S. Suibertus destinant S. Bonifacium in Germaniam, ad proferendum Euangelium: additis ei socijs in Concilio Traiectensi. Hi Danorum quoque pueros XXX. baptizatos ali curarunt & informari, qui olim in Apostolatus sui officium succederent. Felix *Alumnatus* toti Germaniæ!

An. DCXCVII. *S. Lambertus* Episc. Tungrensis, pellicatum Pipino dissuadens, instinctu pellicis trucidatus martyrio coronatur. Percussores vero seipsos contrucidant: pellex ad S. Martyris sepulcrum accedere quoties tentat, toties retroacta repellitur. Martyr statim ab parricidio apparens Thesaurario ait, *Romam iuimus, Româ redimus visi-*

taturi Odonem & complices parricidas. Inuitatus aliquando ab Pipino ad mensam rogante primum poculum ab eo benedici, porrigique sibi, & cæteris ex ordine proceribus delibandũ. Inter quos confertim manus porrigentes & suam pellex occultè ingerit; at à Sancto agnita, respuitur vt excommunicata. Odo igitur pellicis frater exoratus ab ea latro fecit sorori preces, sancto necem: at cui mox viscera computruerint, vt in Mosam esset eijciendus, ne aerem fœtore corrumperet. Inter osculantes ipsius reliquias, si quæ pellex accesserit, ceu turbine retroacta reijcitur. Pipinus vero Diris intus tacitis exedebatur, & subinde quasi furijs agitabatur adusque mortem.

An. DCXCIX. Papa in Locum S. Lamberti consecrat *S. Hubertum Episcopum Leodiensem*; qui in signum Fidei, ab S. Lamberto acceptæ, ipsius imaginem in vrbis esse sigillo iubet, cum hac epigrapha: *S. Legia Romanæ Ecclesiæ Filia.*

S. Althelmus ob eximiam doctrinam & verò sanctitatẽ inde ex Anglia Romam à Papa euocatur. Quo ipso tempore accidit S. Sergium infamari, vt qui inuentitij nouendialis infantis genitor esset. Hic igitur S. Althelmus infantem adiurat: *Ecfare*, ait, *in nomine IESV Christi, estne Papa Sergius genitor tuus?* Et infans: Non est ille meus pater; nullam is vnquam cognouit fœminam. Papa Sancto dat *altare portatile*, quod equo in Alpibus corruente contigit diffringi; sed crucis id signo S. Althelmus restituit.

Naitanus Rex Pictorum ex Vrbe ab Papa petit *de paschali tempore* determinatio-

nationem: item *Romanam Clericalis Tonsuræ formam*: item *ritum primi lapidis ponendi* ecclesiæ construendæ. Allatam Papæ super hisce epistolam in Senatorum consessu ipse nixis humi genibus auscultat recitari: demumque sic ait; *Gratiæ DEO immensæ, qui indignum me dignatus est, munus accipere tantum de terra Angelorum*, id est Romanorum.

Perfrequens *ad Ierosolymitana* feruet *loca sancta Peregrinatio* ex omnibus orbis oris, summa cum religione, & quod mirere, pari cum securitate vel per medios Turcas.

ERGO:

1. Dic age; Quæ sincera FIDES hoc constitit AEVO VII?
   At SIC PAPISTIS RES stat ROMANA, FIDESQVE:
   Non SIC REM seruat Luthero-caluinista, FIDEMQVE.
2. IVRE SVO Proprio Papa, atque Ecclesia gaudent:
   Quis quid Ei AVGVSTVS proprio de iure remisit?
3. ANTI ne CHRISTVS erat quisquam hoc ROM. in Aeuo VII?

SÆ-

SÆCVLVM OCTAVVM ICONOMACHVM.

PONTIFICVM ROMANORVM CONTINVATA SVCCESSIO.

87. IOANNES VI. Græcus creatur *anno* 701. obijt *anno* 705. Sedit annos 3. Men. 2.

88. IOANNES VII. Græcus creatur *an.* 705. Græci plures Romano sese Clero miscuerunt, qui vel darent, vel acciperent suffragium Papatus: quo Pontifices haberent sibi propensiores.

Verum creati, protinus sunt & induti virtute ex alto; vt starent pro Ecclesia Romana contra hæreticos & pseudopoliticos Græcos.

Oblatam ab Imperatore Synodum Trullanam, vt confirmaret, potius reiecit, & damnauit cum Concilio.

Diem obit *anno* 707. Sedit annis 2. M. 7.

89. SISINNIVS Syrus creatur *an.* 708. Sedit dies 20.

90. CONSTANTINVS Syrus creatur *anno* 709. Dum *anno* 709. vocatu Imperatoris, tendit Constantinopolim, nauigans in Siciliam obuium Theodorum Patricium, morbo labefactum, reddit momento sanum.

Iustinianus ei ad septimum lapidem occurrit, prostratus ei pedes osculatur, dein amplexatur.

Dominica proxima sub Missa è manibus Papæ sumpta S. Communione, omnia maiorum Priuilegia indulta Papis confirmat; habitumque honorificentissime dimittit.

Anno

Anno 714. obit mitissimus hominum & laudatissimus. Sedit an. 6. M. 1.

91. S. GREGORIVS II. Romanus creatur *an.* 714. obit *an* 731. Sedit annos 16. M. 7.

92. GREGORIVS III. Syrus creatur *an.* 731. obijt *anno* 742. Sedit annis 10. M. 9.

93. S. ZACHARIAS Græcus creatur *an.* 742. Obit *an.* 752. Sedit annis 10. M. 3. Hic ad interrogata S. Bonifacii, Germaniæ Apostoli respondit;

1. Quòd liceat Episcopo confirmare Ecclesias Episcopales, quas erexisset.

2. Licere ei sic petenti Synodum prouincialem congregare.

3. Non licere, vt sibi successorem cõstituat; sed Adiutorem.

4. Contra Canones Patrum prædecessorum Papa non dispensat. Plura *in Varijs* infra. Pipino Francorum Regi permisit Nominationem Episcoporum in regno.

94. STEPHANVS II. Sedit triduo.

95. STEPHANVS III. Romanus creatur anno 752. obit *anno* 757. Sedit *annis* 5. dieb. 28.

96. PAVLVS Romanus creatur *anno* 757. obit *an.* 766. Sedit an. 9. M. 1. Sedesque Romana vacat annum 1. Men. 1. dum Pseudopapa Constantinus, à Duce fratre suo intrusus, eiiceretur.

97. STEPHANVS IV. Siculus creatur *an.* 768. obit *an.* 772. Sedit annis 3. Men. 5.

98. HADRIANVS Romanus creatur *anno* 772. obijt *anno* 795. Sedit annis 23. Men. 10.

99. LEO III. Romanus creatur anno 295. obit anno 817. Sedit annis 21. De huius gestis infra *in Variis*, sicut & de cæterorum illustrioribus Actis.

IMPE-

IMPERATORVM ORIENTIS ACTA INSÆCVLO VIII.

	Anno Christi nati
66. PHILIPPICVS *necat Iustinianum, acclamatur ex exule Imperator: turat se abolituru Syn. sextam, excommunicatur vt Eutychianus.*	711
Monotheli tas tuetur oppressis Catholicis, sit cunctis perosus.	712
Capitur, cæcatur, relegatur.	713
67. ANASTASIVS *Romano-catholicus*	713
Captus cogitur esse monachus à Theodosio	714
68. THEODOSIVS IV. *metu Leonis fit Clericus*	716
69. LEO *Isauricus rapit Imperium.*	716
Natus ei Constantinus stercorat baptisterium	719
Coronat infantem Imp.	720
Cogit baptizari Iudæos renitentes.	722
ICONOCLASMVM *incipit; rebellatur et.*	726
Ementita Damasceni manu eum calumniatur	727
Longobardos incitat contra Papam.	729
Dealbari iubentem muros Papa excommunicat	730
Copronymo dat vxorem Irenen;	
Infeliciter pugnat contra Papam.	732
Quasi triumphat de imaginibus, obit.	740
70. CONSTANTINVS, *Copronymus Imp. Negat Christum esse Deum.*	741
Vincit Artabassum, cæcat inuasorem Imp.	743
Persequitur monachos, vt imagines.	754
Saraceni exhauriunt Imperium Orientale; at Imperator vendit vasa sacra, & monachis indicit tributum, quod pendat Turcæ.	757
Ab eius persecutione eremi & carceres complentur	761
Vetat fieri monachos: se prophetam simulat	762
Dire vexat S. Steph. & monachos.	765 766
Diris in cruciatibus exhalat animam.	775
71. LEO IV. *istius filius succedit, simulans pietatem.*	775
Prodit se iconoclastam multis enectis; perit ex carbunculis	780
72. CONSTANTINVS *cum* IRENE *matre succedit Orthodoxus,*	

coniuratos in sepelit, monachismum facit liberum. 780
Edicto dat licentiam disputandi de imaginib. 784
Humiles dat literas ad Papam. 788
Concilio Nicæno facit de imaginib. sanciri. 787
Repudiator filiæ Caroli Magni vincitur. 788
Insidiatur matri vt solus Imperet. 789
Solus acclamatur Imperator. 790
Patruos cæcat, vincitur à Bulgaris. 791
Repudians vxorem, excommunitur, monachos flagellat eum deuitantes. 795
Mater comprehensum excæcat, sola imperat. Eo mortuo genus Caprony mi extinctum est. 797
Capta ab Nicephoro exulat, obit: petitaque à Carolo in vxorem. 802

REGES ITALIÆ Longobardi.

26. Luisbertus *ab an.* 704. *ad* 712
27. Regimpertus 712
28. Aripertus *vsque ad* 723
29. Luitprandus *vsque ad* 753
30. Hildebrandus *vsque ad* 766
31. Rachis *vsque ad* 772
32. Aistulphus *vsque ad* 778
33. Desiderius *vltimus vsq; ad* 796
Inde Carolus Magnus *est imperator occidentis, ab anno* 800

Concilium Oecumenicum Sæculi VIII. Papis consonum.

Vnicum id fuit NICÆNVM II. contra Iconoclastas, sub Hadrino Papa *anno* 787. Estque illud septimum Generale.

Prouincialia passim complura fuerunt.

SS. Patrum, & Scriptorum Concordia sub Papis Sæculi VIII.

VEN. BEDA Anglus septennis puer in monasterio traditus disciplinis, ætatis anno 19. inauguratur Diaconatu; 30. Presbyterio. Eius famâ sanctitatis, eruditionis ac ingenij motus Sanctus Sergius Papa eum exciuit ad se.

Cumque à puero ad vsque senectam plus oratione, quam studio, licet assiduo, profeciſſet, cacostomachus demum rite perceptis Sacramentis Virit sub annum 726.

HAYMO & STRABVS V. Bedæ fratres germani fuerunt, scriptoresque celebres, ille sermonum; Strabus *Glossa ordinariæ* super Biblia vniuersa.

S. ALTHELMVS Anglus regij sanguinis, puer Melduni Monasticen profitetur: in qua sua eum virtus euexit in Abbatem, & celebrauit apud Papam Sergium; à quo & Romam euocatus, dum in Laterano patratâ rite Missâ, Casulam se ad clauum suspendere putat, ecce cuncti eam inerto per fenestrã radio solis pendere conspicantur.

Papam

Papam liberat diuinitus ab calumnia. Vide supra in *an.* 699. In Angliam reuersum, iterque propter mare habētem, nautæ ex alto cachinnis ac sannis, vt sordidum excipiunt.

At mox coorta tempestate sæua ita luunt; vt versi supplicarent Sancto, iratum ipsis numenque pontumque placaret.

Orat, & exorat. Demum in Westsaxonia seu Scotia Schirburgi Episcopus obit *an.* 709. Eius casula illa altareque portatile diu sunt in miraculi memoriam asseruata. Scripsit librum pro Virginitate, & Circulo Paschali.

ANSHELMVS Glossæ Interlinearis autor.

S. GREGORIVS Papa II. Iunior scripsit græcè ac latinè epistolas varias doctissimas obijt *an.* 731.

S. MARCELLINVS Presbyter, socius Sancti Suiberti Episcopi canonizati ad relationem vitæ à Sancto Marcellino perscriptæ; Claruit *sub annum* 720.

S. GERMANVS Patriarcha Constantinopolitanus multa fortia & egit, & pertulit in causa Iconoclastarum; demum nonagenarius in exilio obijt *an.* 730.

S. IOANNES DAMASCENVS patria, Cosmam Italum, à Saracenis captum, sortitus Magistrum eruditissimum monachum, pene admiratione maiorem fuit in virtute ac scientia profectum.

Magistri ad Monasticen dimissione facta ipse ab Saracenorum Principe adsciscitur secretum in consilium, quamuis inuitus.

Ex hoc ꝓpugnaculo densa in Iconoclastas tela iacit, inque primis ferit Leonem Isauricum Imperatorem.

Hic eius manum imitatus scribit proditorias, velut eas ad ipsum dedisset Ioannes contra Principem Damascenorum: Qui idcirco dexteram ei amputatam in foro suspendit. Redditamque Ioannes accipit vesperi; orat noctu Deiparæ ad imaginem; Virgo manum in somnis eius trunco annectit integram; Barbarus viso miraculo veniam orat. Manu missionem Sanctus impetrat, ac distributis suis in pauperes Monasticen profitetur, heroicis illustris virtutibus; præsertim librorum lucubratione; demum Presbyterio Venerabilis vitam sācte finiuit sub *annum* 730.

THEOPHYLACTVS Patriarcha Antiochenus in quatuor S. Euangelia.

S. BONIFACIVS Martyr Apostolus Germaniæ, Archiepiscopus Moguntinus, multis clarus miraculis sub *annum* 740. Vide infra in varijs anno 755.

S. HADRIANVS I. Papa, obiit *anno* 795. scripsit pro defensione Synodi VII. pluraque alia.

PAVLVS Diaconus Aquileiensis, Desiderij Longobardorum Regis Secretarius, cuius euerso regno, *an.* 774. factus monachus Cassinensis conscripsit gesta Longobardorum. &c.

S. PAVLINVS Aquileiensis Episcopus, clarus miraculis, & scriptis obiit *an.* 802.

EGINARDVS Cancellarius Caroli Magni, huius vitæ scriptor, ac historię

Francorum: demum Monachus factus obijt Abbas *sub an.* 780.

ALBINVS seu Alcuinus Anglus, V. Bedæ discipulus apud Carolum Magnum multis inclitus scriptis.

CAROLVS MAGNVS Imperator.

AMALARIVS; WALAFRIDVS Abbas: VSVARDVS Monachus.

Dogmata Ecclesiæ Romano-Catholicę, Nouatoribus contraria, Sæculi VIII. Exempli gratia.

I. *Missam esse Sacrificium* docuit *S. Germanus* Constantinopol. in Liturgis. *Carolus Magnus* in fragmentis. *Alcuinus* de Ecclesiasticis dogmatibus. *Walafridus* de diuinis officijs. *Maximus* Monachus de ecclesiastica Mystagogia.

II. *Confessionem, partesque Pœnitentiæ* asseruit *V. Beda* hom. 5. SS. Petri & Pauli, lib. 1. c. 2. *Damascenus* de fide Orthodoxa, & in Parallelis. *Carolus Magnus* lib. de ritibus Ecclesiæ, *Ansbertus* lib. 1. in Apoc. c. 1.

III. *Confirmationem* docuit *V. Beda* in Psalm. 26. & in cap. 8. Actorum.

IV. *Extremam Vnctionem* asseruit V. Beda in Marcum l. 2. c. 6.

V. *Septem esse Sacramenta* docuit *Alcuinus* lib. de ecclesiast. dogmatibus. Walafridus ex S. Augustino de diuinis officijs. Beda in illa Matthæi: quoniam Nazaræus vocabitur.

VI. *Veritatem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & Transubstantiationem panis ac vini* docuit *Carolus Magnus* de imagin. capit. 27. Et lib. 4. cap. 14. *Beda* in librum Boetij de Trinitate; Et in Marcum lib. 4. c. 14. *Damascenus* li. 4. Orthodox. fidei c. 14.

VII. *Liberum arbitrium* asseruit *Damascenus* libr. Orthodox. fidei capite 4. & in Parallelis contra Manichæos libr. de hæresibus in Genes. capite 2. & libr. 8. in Iob, capite 8. & in Psalm. 118.

VIII. *Iustificationem, & bona opera* asseruit *V. Beda* in 1. Ioann. capite 3. & libr. 3. in Iob. capite 1. Et libr. 8. in Cant. 8.

Alcuinus in capite 3. ecclesiast. dogmat. *Damascenus* in Parallelis. &c.

IX. *Primatum Ecclesiæ Romanæ* asseruit *V. Beda* in Natali Sancti Benedicti. *Carolus Magnus* lib. 1. de imaginibus c. 6. *Damascenus* in l. de Defunctis. Patres Synodi Nicænæ II.

X. *Inuocationem Sanctorum* docuit *V. Beda* in Luc. 4. Et l. 2 in Lucæ c. 7. *Ansbertus* l. 5. c. 12. in Apoc.

XI. *Imaginum cultum in Ecclesia* docuit *Damascen.* l. 3. & 4. c. 8. Patres Conc. Nicæni II.

XII. *Purgatorium, & Orationem pro defunctis* asseruit *Damascenus* l. peculiari. *S. Germanus* in Liturgia. *Beda* serm. ad populum tomo 7. *Alcuinus* in 1. & 3. Psalmum pœnit. *Carolus Magnus* in fragmentis de ritibus Veteris Ecclesiæ, & alubi.

Hæresiarchę in Sæculo VIII. dissoni Papis.

1. Ico-

1. ICONOCLASTÆ, siue Sacrarũ Imaginũ impugnatores semper *Hebræi* fuerunt, & Mahometani; inde ex quo Ezides Rex Arabum, à malefico persuasus Hebræo, toto regno suo exturbauit imagines. *Leo Isauricus* quoq; Imperator alio impulsore *Hebræo* edictum proposuit ad imagines è templis eliminandas. In eas sæuierunt *Constantinus Copronymus, Leo Copronymi, Patriarchæ* quidam Constantinopolitani, &c. Qui & diram exercuerunt *persecutionem* Imperio toto; sicut & Arabum Saracenorum Principes in Syria atq; Palæstina.

2. ALDEBERTVS Gallus *an.* 745. accusatur hæresios ab S. Bonifacio Romæ in Concilio. Iactabat se in vtero matris sanctificatum: Ab S. Michaele accepisse reliquias, per quas à Deo quiduis exorare posset: Seipsum creauit Episcopum sicut & complices indocti seipsos: suo nomini dedicabat ecclesias, non Apostolis; quod his maior esset: Voluit orari; *per mèrita Aldeberti inua nos*: suos vngues, crines, &c. diuidebat è collo gerendos pro reliquijs S. Petri; Adorari se sinit: Confessuris humi stratis ait; Non opus est narrare; ite, scio, arcana introspicio.

CLEMENS Scotus item ab eodem accusatur, quod spargeret, Christum damnatos quoque ex inferis eduxisse.

Concilium Rom. vtrumque anathematizauit cum epistola, quam finxerunt esse Iesu Christi, cœlo lapsam, & à S. Michaele sibi traditam: Multa angelorum i gnota nomina prædicabant; cum solum tria norit Ecclesia.

3. CONFESSIONISTARVM hæresis in Scotia extitit *an.* 779. Sed orta simul occidit nullo autore certo. Certus tamen Alcuinus eam refutauit, ac pressit.

VARIA

Testimonia Fidei historica in Sæculo VIII.

ANNO DCC. *S. Wulfranus*, Archiepiscopus Senonensis, in Frisiam infert Euangelium vt Apostolus; negligentibus eam prouinciam vicinis Galliæ Episcopis.

Is, dum ibat naui, sacrificabat; & elapsam forte Diacono patenam in mare euocauit ex alto, vt superne, ceu pluma nataret.

Idem apud Frisones rogauit sibi donari puerum, quem barbari de more ducebant Dijs suis ex voto suspendendum.

Qui Sancto: *si tuus Christus eum suspendio liberarit, tuus esto.* Orat: suspẽsus post duas horas descendit incolumis; fassus se zona Sancti fuisse sustentatum, suauiterque soporatum.

ANNO DCCI. Postquam S. Sergius Papa, facta ei diuina reuelatione, defossam *S. crucis partem* reperisset; diem suum obijt. Vt primum vero Tiberius Absimerus Imperator resciuit Ioannem VI. esse canonice surrogatum, misit in eum Exarchum cum exercitu. Verum Italiæ miles vrbsque venienti sese obijcientes pro Papa, Cæsarianos repulerunt.

Atque *ex hoc paulatim vires Exarchatus in Italia cœperant imminui*, pendique vili; *augeri autem Pontificis libertatem*, vexatam ab hæreticis Imperat. diu, ac pressam.

In Hispania Rex VVitiza, optimi Egicæ Regis filius, apostatat à fide, omnium flagitiorum aperit licentiam, plurium vxorum vsum vnicuique, Cleroque imperat coniugium aut cõcubinatum, cogit renunciare obedientiæ Papali. Hinc diræ cædes ortæ Episcoporum, & Cleri, ac euastationes ecclesiarũ. Causa fuerat: Quia Gothorum Reges primi *Hispaniam Sedi Apostolicæ Rom. fecere tributariam*; non quam possiderent, sed annuo tributo sibi Papæ deuotam haberent. Et illud VVitiza negat tributum.

Anno DCCII. *Sanctus Heimerammus* Episcopus Ratisbonensis, vt imprægnatam Bauariæ Principis filiam cum adolescente reo liberaret à morte; sibi stuprum passus est imputari. Violatæ frater Sanctum *Romam peregrinantem* in via singulis truncari membris curat. Qui sic relictus hausturn petit à Vitali presbytero: dicentique; *Vis refocillari, & non potius mori?* ait: Nulli præcipitanda mors, vt pœnitentiæ sit spatium: at tu bibiturus semper amens reddare, sed noceas nulli. Dictum factum.

Anno DCCIII. Iustinanus, anno 693. pulsus imperio, nunc restituitur, auxiliante Rege Bulgarorum. Dum Constantinopolim nauigans ex tempestate periclitatur, Dux eum vouere iubet, nullum ab sese hostium occisum iri.

Vouet; emergit; perque occultum aquæductum subintrat Constantinopolim: Captum Tib. Absimarum, Leontium, Satrapasque triumphat, eosq; calcanti in Circensibus acclamatur: *Super aspidem, & basiliscum ambulabis.*

Simul *Callinicum* Episcopum Constantinopolitan. autorem pseudosynodi Quintisextæ, anno 692. contra Papam habitæ, Romam mittit in exilium: vbi à Papa stipem rogat. *Cyrum* vero Monachum in eius locum substituit; quod ei reciperationem imperii prædixisset.

S. Benedictus Abbas, monachismi propugnator in Anglia obit.

Anno DCCIV. Dum Longobardorum Duces de Italiæ regno depugnant, Aripertus vincit precibus S. Boniti Aruernensis, Romam forte peregrinantis. Rex Marte factus donat Alpes Romanę Ecclesiæ. Quam Donationem ipsius filius iterato confirmat anno 712.

Rex Merciorum, cum 31. annis regno sancte præfuisset, professus fit Monachus, relicta Coenredo fratri corona.

Hic percharum sibi militem ægrum confessionis admonet; sed nihil, præter istud auferebat: *Cum reualuero, paucis qui mortis malum mihi exprobrent.* Reuixit ad eundem Rex; sed abscedere iubenti. *Actum est*, inquit, *vidi meam abominandam conscientiam.* Ecce, duo formosuli bene acta mea è scito recitauere libello: at atri innumeri his pulsis me protinus circumsilierunt, duo etiam in me ingressi, hic à vertice, ille à pedibus vbi conuenerint ad præcordia, perditam reddo animam. Inque voce peribat.

An.

An. DCCV. Græci iam diu nomen VNIVERSALIS nequicquam affectarunt; vt *Primatum Ecclesiæ* detractum Romæ, vendicarent sibi: Nunc demum, quo & Papam & Ecclesiam Romanam sibi redderent obnoxiam: sese plures in Clerum insinuarunt Romanum, vt arte facerent Papas creari Græcos.

Et factum est, verum vnus ille omnium Pontificum Romanorum Spiritus continuo inuasit eosdem, vt pro Rom. Ecclesia starent contra & ambitiosos, & factiosos, schismaticosque Græcos. Et quidem Ioannes PP. VII. Græcus, petente Imperatore Iustiniano Restituto, vt confirmaret Synodum Quintisextam; damnauit eandem in Concilio Rom.

In quos *VVilfridus*, Episcopatu Eboracensi per calumniam pulsus, quem XL. annis sancte gesserat, restituitur insons. Dumque Roma in Angliam reuertit, æger in via viuere desijt. Iacuit ipso quatriduo exsensus, exanimi similis: momento demum redditus sibi Accam Presbyterū poscit, remotis arbitris soli dicit: *Sanctus Michael* apparens me vitæ restituit, donauitque circumstantium precibus fratrum, *Deipara* intercedente.

In Saxonia obit S. Heddi Episcopus; in cuius obitus loco fusa, haustaq; aqua sanat.

A *Sancto Suiberto* conuertuntur Bructuarij Germani, viso per eum curari dæmoniacum; in quo Sacrificuli omnia nequicquem percentarant.

Anno DCCVIII. Sedes Rauennas iam diu subesse Romanæ Ecclesiæ recusauit: hoc anno sese submisit. Felix igitur electus Episcopus tendit Romam consecrandus: Rauennam reuersum pœnitet facti, innouatque *schisma* prius.

Iam eius fidei ac obedientiæ *Confessio* in Archiuio Romano deposita iacebat: forte, dum aliud quæritur, ecce tibi illa tota *fusca*, *& ceu flammis adusta* reperitur: indicio defectionis. Imperator vero vi capit Rauennam, ipsumque Felicem excœcatum procul deportat.

Anno DCCIX. *S. VVilfridus* Episc. Ebor. obit. & *S. Althelmus* Episcopus Schirebur gens. Rex Angliæ cum fratre peregrinantur Romam, vt ibidem gratiosius moriantur: & factum est ita.

An. DCCXI. S. Suibertus excurrēs sacrificatum, excussum equo, curruque obtritum suscitat à mortuis vectorem lapidum ad monasterium VVerda; quod in Rheni insula construebat; ex quo primum Saxonia fidem accepit Christianam.

Felix Episcop. Rauennæ exul, & oxoculatus resipiscit: redditur Sedi; viuit sancte sanctus, & clarus miraculis.

An. DCCXIII. Ex obsessa puella, quæ balneum initura forte calcauit fici folium, proiectum à proco, & inscriptū nomine diaboli; cacodæmō proclamat, *S. Petrus abdicauit Philippicum*, eum à me *promotum, creauitque Anastasium Imperatorem Catholicum.*

Philippus Dux, ab Constantino in Chersonenses missus rebelles, ad vsque infan-

infantes delectos, vt vrbis solum aratro quoque proscinderet; desciscit ab crudeli Imperatore; submissum necat Ducem, Imperatorque salutatus enecat & Imperatorem cum filio. Prius dum in exilium iret, monacho prædicenti, futurum Imperatorem, iurarat, se pseudosynodum Quintisextam abolituru; at iam Imperator suam fidei Confessionem submittit Papæ: qui hæreticam condemnat. Inde factus ipse caput hæreticorum est.

At hoc anno, pridie Pentecostes, post balneum meridionãs, à Secretario suo Artemio captus exoculatur, acclamatusque Imperator ille eum proscribit; simul suam Fidei Catholicæ professionem ad Papam perscribit: qui eã adprobat, innumerosque pene lapsos recipit in Ecclesiam.

Eadem ex obsessa dæmon idem proclamat, iam prope abesse, vt perficiat, quod diu meditatus erat, scilicet vt *Turci inuadant Hispaniam: in pœnam factæ à Papa defectionis* sub VVitiza rege impio. Ipsoque hoc anno factum est: & perfectum an. 716.

An. DCCXIV. Gregorius II. Papa deponit Patriarcham Constantinopolitanum ob hæresin, & Cyzico transfert isthuc *S. Germanum*: quem Pogonatus, è Sicilia redux, castrarat, quod interim parens eius cum aliis alium acclamasset Imperatorem.

Is in S. Sophiæ inductus grauidæ petenti: *Benedic Domine quod est in utero*, ait: *Benedicat hunc Dominus per protomartyris intercessionem*: natus inde dicebatur *Stephanus*, qui euasit *Sanctus*.

Theodosius inuadit imperium, Anastasium esse cogit monachum, *anno 715.*

At

An. DCCXVI. Leo Isauricus, Orientis Præfectus, arripit imperium: quo audito Theodosius cum filio sese tondent in Clericos: Ephesique mortuus hoc tantum tumulo inscriptum voluit: Sanitas.

S. Corbinianus dum è Germania Romam obit peregrinationem, vel inuitus creatur Apostolus Frisingæ.

S. Bonifacius in epistola perscribit vitâ perfuncti, sed & vitæ redditi miram visionem; in qua notanda venit & admiranda animæ à corpore separatæ perspicacitas. Is memorabat se à dæmonibus accusatum, ab Angelis defensum, vidisse paradisum, Purgatorium, Regemque damnatum. &c.

An. DCCXVII. Saraceni obsident Constantinopolim; peste, fame, pereunt per opem B. V. Mariæ, cuius imago per mœnia fuerat in processionem circumlata.

An. DCCXIIX. Saraceni soluentes obsidione Constantinopolim; partim naufragio pereunt, partim grandine gnea iuxta cum nauibus comburuntur quarum solum quinæ, nunciæ cladis, emergunt.

Eum diem Constantinopolitani festum agunt, agique sanciunt æternum. Dux Saracenus exorarat in vrbem intrandi licentiam: at sub ipsa porta equus figitur immobilis, vbi *imago B. Virginis* prostabat; quam ille blasphemarat.

Saracenis in Hispania Astures rebellant, in monte, inque speluncam abscon-

ros

tos Saracenus exercitus inclusurus viginti grandibus saxis obuolutis, ecce hæc retroacta, & abditi prosilientes multa eorum millia prosternunt. Inuocarant Christiani *Deiparam auxiliatricem.*

An. DCCXIX. *S. Bonifacius* abit Romam cum Episcopi Angliæ Commendatitijs: ibi à Papa initiatur Apostolatu Germaniæ. Iamque ex humanis excesserat Frisonum Rex, & Christianorum persecutor Radbodus; qui à S. VVulframo Saxonum Episcopo baptizandus retraxit pedem, audiens ex adiurato ab se Episcopo, Maiores, nobilesq; eius, vti infideles, luere in tartaro: addiditq; Malo esse cum tot ac tantis, quam paruo grege pauperum.

Posthæc accersierat S. VVilibrordũ, auditurus an cum Wulframo cõsentiat. Verum is Legato inquit; Quid miserũ conueniam? Ignea vidi catena ligatum. Interim dæmon fastuosissime ornatus apparens Radbodo, spondet ei amplissimam habitationem post fata.

At S. VVulframus aperit ei delusionẽ diaboli; simul cum legato suum mittit Diaconum, qui vani sit spectaculi testis. Euntibus occurrit monstraturus eam habitationem: vident aurea omnia, &c. Sed signo crucis facto ab Diacono cuncta disparent: ipsi sese in media palude constitutos conspicãtur, vnde vix triduo emersi, reuersique Regem offendunt animam exhalasse.

Leonis Isaurici filius Constantinus baptizatur, fontẽq; stercorat. Quod S. Germanus ad indicium grandis mali in Ecclesia perpetrandi interpretatur. Qui Anno DCCXX. regifica pompa coronatur.

Anno DCCXXI. Concilium Romę agitur contra presbyteras & Diaconas, virorum ordinatorum matrimonia repetentes. Syrus quidam, se Messiã simulans seduxit Iudæos.

Anno DCCXXII. Leo Imp. cogit Iudæos ad baptismum, itemque Manichæos: quorum multi se domui conclusos combusserunt: pleriq; in omnia Sacra Catholica iurarunt. Verum suo sensu.

Quorum vnum hoc studium; habere secreta omnia. Huc vtebantur Symbolo hoc: *Iura, periura, secretum prodere noli.*

Anno DCCXXIII. *Iudæus* quidam Regi Saracenorum vaticinatur, spondetque annos xxx. & vitæ, & regni Arabum; *si statuas, & picturas Christianorum demoliatur.* Quo dum totus incumbit, sesquennium vitæ non complet: Filius Iudæum adegit ad mortem.

Anno DCCXXVI. Leo sub initium Imperii sui persuasus vaticinio Hebræi, felix imperium fore, *si imagines è medio tolleret* Ecclesiæ; id huc vsque altum dissimulauit.

Vrgent Iudæi, vt de eo Senatusconsultũ promulget; quod tamen senatus nõ decreuerat; sed à Leone decretum audiuit sibi proponi.

Aggreditur iconomachiam; populo in tumultum ruente, ait *Nolo prorsus imagines aboleri, sed altius collocari; ne osculis adbasiatis taminentur.*

Tunc Sanctus Germanus monet eum, cœpto desistat; & addit; *Depositio-*

y nem

nem Sanctarum imaginum audiuimus futuram, sed tempore Canonis. Cui Imperator; At mihi ex baptismo Canon est nomen.

Et Sanctus Germanus; *Absit per tuum imperium id fiat, Antichristi præcursor is erit.* Sicque ipso triennio ducta contentio est.

Hæc *initia Iconomachiæ.*

Mare diu ignes ebulliens omnia late pumicoso cinere contexit, exussitque bibliothecam Constantinopolitanam vna cum inclusis doctissimis viris, constantem libris trecenties millenis & millibus tribus.

Missus à Leone, qui *Deiparæ statuam* vrbis portæ impositam deijceret, à fœminis euersa scala præcipitio enecatur; quæ ad templum confugæ cum aliis pluribus trucidantur.

Gregorius II. Papa primus insurgit contra literis; nox Concilio Romæ congregato; damnat Iconoclastas.

Italia, totusq; Occidens rebellat Leoni, Deo rebelli.

Luitbrandus Rex Longobardorum Cæsareanas in Italia vrbes inuadit, Papa nequicquam deprecante.

Leo è contra missos ad sese Papæ legatos exilio primum, dein & morte mulctat.

Sæpius in eum misit Duces, percussores eius, in vanum: nam primus est paralysi eneruatus; secundus ab Romanis cæsus; tertius ab Papæ hostibus Longobardis interemptus. Demum edicto per Occidentem contra Papam euulgato, omnes in vnum sese armant Leonem, ac ni obstitisset Papa, alium Itali Imperatorem acclamassent.

Hæc inter orat Carolvm Martellvm Papa, vt Ecclesiæ suscipiat protectionem. Quo absterretur Leo; præsertim è Saxonia nouis Principibus Christianis Romam frequentes obeuntibus peregrinationes.

Interea Sanctus Bonifacius pene plus laborat in corrigendo Clero venereo, quam in ethnicis conuertendis.

Anno DCCXXII. Constantinopoli Dux in *statuam Deiparæ* contorsit saxum: ei apparens inquiete Alma parens ait: scilicet fortis vires at in tuum id caput.

Nec diu, cum Saraceni vrbem obsidentes, coniecto in ipsius caput saxo, comminuunt idem.

Post Papam primus Sanctus Germanvs stylo insurgit contra iconoclastas; alter *Sanctus Ioannes Damascenus.*

Anno DCCXXVIII. Leo aucupatur epistolam Sancti Ioannis, effingi manum curat similem de vrbe Damascena sibi prodenda; quam ad Saracenum mittit. Is Ioanni dexteram præsectam suspendit.

Redditam ei Deiparam precanti & obdormiscēti Virgo applicat truncō, & con-

consanat. Saracenus Rex eũ hoc impẽ-
sius amat, redditque officio. At is prætu-
lit Monasticen, suis cunctis inter egenos
diuisis.

Anno DCCXXIX. Leo paciscitur cum Longobardorum Rege, vt vrbes Pontificias inuadat, suus autem Exarchus Romam, percussurus Papam.

Atqui hic occurrens Regi ad Vaticanam ita flectit eum, vt supplex veniam peteret, armaque cum corona ad valuas templi deponeret. Similiter & exarchum flectit.

Anno DCCXXX. Leo postquam in Occidente non succederet, in Oriente celebrat *Silentium* contra iconas. In vnum tamen Sanctum Germanum insurgit heroice resistentem, dum in exilium deportaretur, eique sufficeretur iconoclasta.

Tunc vero ciuibus edicit Leo, statuas omnes amoueant procul, dealbent parietes. E contra Pontifex Roman. excommunicat ipsum, negat tributa ei ab Italia pendi, iure imperii Occidentalis eum exuit, priuatumque declarat.

Anno DCCXXXI. Gregorius III. Papa peracres dat literas ad Leonem; quas tamen legatus, visa persecutione, non tradidit: Qua causa eum sanctissimus statuit exauctorare gradu.

Cogit Concilium Imperatori deponendo; sed Episcopis id deprecantibus; offerentem sese Legatum priorem ijsdem cum literis mittit ad Leonem: complures quoque Episcopi vndique concursant ad Leonem sanius informandum.

V. Beda septennis inijt monasterium; degit in eo annos ipsos vndesexaginta; diemque hoc anno obijt dicens; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Dicitur venerabilis antonomasticôs, non, vt fabellæ ferunt.

An. DCCXXXII. Leo iungit filio Copronymo Irenen, barbari Regis filiam, doctam tamen ac piam: Adimit Papæ tributa Siciliæ; mittit in eum classem; at quæ interit naufragio. Coacto rursus Concilio Romæ excommunicantur Iconoclastæ. Ex eo missum ad sese cum literis legatum in carcere detinet Leo per ipsum annum: diramq; in persecutionem efferascit; quæ plures tenuit annos.

An. DCCXXXIIX. *Hispani* ab Turcis oppressi, in montes confugę Regem sibi dicunt pijssimum Alfonsum.

Hic è multis Turcos vrbibus excutiens templa restituit, procurata eis rite reconciliatione.

Quia vero duxit originem ab Reccaredo Rege, per Gothos ob propagationem fidei acclamato Catholico; itemque ab Episcoporum Synodo; idcirco & ipse, vt Regni, sic Tituli quoque successor esse voluit, & Catholicvs cognominari.

Quo demum omisso ab successoribus Titulo, Rex Ferdinandus obtinuit ab Iulio II. *anno* 1510. sic eum confirmari, vt Regibus Hispaniæ hæreditarius existeret.

An. DCCXL. *Eadbertus* Rex Anglię

gliæ, hanc vniuersam Papæ reddit Tributariam sic, vt è singulis ædibus singuli ei denarij penderētur: qui *nummi Petrini* dicebantur.

Quod vectigal cum dependi cessauit, ecce hæresis Angliam absorpsit.

Leone sacras imagines triumphante, terræmotus quatit Orientem ipsos XII. menses, euertit vrbes, totamque pene Constantinopolim; relictas Imperatorum statuas perturbat: crebris demum obitis supplicationibus Virgini Matri, quieuit.

AN. DCCXLI. Leone mortuo *Copronymus sæuius furit* in imagines blasphemus in Deiparam. Institutos ab S. Bonifacio Episcopatus per Germaniam cōfirmat Papa *an.* 742.

At *anno* 743. siniſtre informatus Sanctus Bonifacius, quod pro collatis Pallijs in tres, pecuniam accepisset, arguit eum, sed sese demisse purgantem.

ANNO DCCXLV. Sanctus Bonifacius habito Concilio Mogūtinum Episcopum deponit, quod in bellum isset contra Saxones, in eo parentis sui, etiam Episcopi Moguntini, ducisq; belli occisorem trucidasset, quodque venationibus indulgeret. Proinde ipse creatur à Papa Episcopus Moguntiæ sitque Archiepiscopatus Germaniæ. *Adelbertum* hæreticum per literas accusat Romæ, vbi & à Concilio, vna cum Clemente Scoto condemnatur.

AN. DCCXLVII. *Carolomannus* Rex Franciæ donat Sancto Bonifacio tria milliaria circum Fuldam: peregrinatur Romam, abdicato regno vnit Cassini monachus ad miraculum humiliter.

ANNO DCCXLVIII. Rex Gilulphus omnia latè circa Cassinum donat monasterio, eximia Fratrū motus pietate. Horribiles terræmotus, pestes, & mōstra sese tulere; his annis; an ob monstrosum Iconoclastam Imperatorem?

E contrà Pipinus, victis Westphalis & Saxonibus ethnicis, sese ad omnem retrò posteritatem nobilitauit.

ANNO DCCL. *Rachis* Rex Longobardorum vrbes Pontificias, rupto fœdere, bello petit; Perusiumque obsidet. Papacum Clero virum conueniunt; efficiunt sic, vt Romam ad Limina Apostolorum peregrinaretur cum vxore ac liberis; cumque his, abdicato sæculo monasticen profiteretur: & regnum fratri traderet Aistulpho.

S. Richardus Rex Angliæ, ad disciplinam S. Bonifacij formatus, omisso regno, tendit Romam, habitumque assumit monasticum professus.

ANNO DCCLI. Pipinus exorat à *Burchardum* Episcopum Herbipolensem, ad Papam se conferat, consulatque regno Franciæ, sub Hildrico Rege fœdo periclitanti.

Et Papa ab hoc *transfert regnum in Pipinum.*

Idem ex Episcopatu Moguntino facit Archiepiscopatum, seu potius confirmat iam factum *an.* 745.

ANNO DCCLII. S. Bonifacius inungit Pipinum in Regem Franciæ, exauctoratum Hildericum detrudit in monasterium.

Za-

Zacharias PP. confert Regibus Franciæ Ius Nominationis.

Anno DCCLIII. Aistulphus Rex Longobardorum Romam obsidet, Papæ nullis legationibus flexibilis, potentiâque superior humanâ.

Ergo diuinam solicitat Papa, omni Sabbato ducit cum Christi & B. Virginis imaginibus, Clero, populoque comitante, frequentes supplicationes; quibus vim sustinet tyranni. Interim Pipini imploratauxilium; qui ipsum ad sese inuitat.

Venienti ad tertium lapidem pedes occurrit cum Regina & liberis: supplex, humique stratus eum excipit; Petentique Papæ, vt SS. Apostolorum ac Vrbis esse Patronus velit.

Etiam Pipinus ad illud obsequium sese cum iuramento solenni deuouet.

Anno DCCLIV. Cum Papæ Stephano III. Parisijs ad S. Dionysium Pipinus palatium dedisset; ex morbo Pontifex desperabatur.

Inuocato igitur in extremis S. Dionysio, integrè persanatur in momento. Protinus idcirco Regem cum Regina ac liberis inungit; *Cantum ecclesiasticum* à Gallis discit perfectiorem, restituitque per Italiam; *Canonizat*, sic petente Pipino, S. Suibertum multis inclitum miraculis; Transfert S. Germanum è sacello in basilicam summam; idque admonitu ipsius Sancti; nolentis, neque valentis etiam baiulari, nisi ab septennib. pueris.

Interea Pipinus apparat bellum contra Longobardum; ducit in Italiam; primoque conflictu cum paucis deuincit quam plurimos; frangit animos cæterorum; obsessum cogit tyrannum ad æquas conditiones accipiendas: Victorque in Galliam reuertit, & Romam Papa; vbi honori S. Dionysij gratus construit monasterium Græcorum Græco.

Copronymus hæreticum monachum creat Patriarcham Constantinopolitanum; quem cæteri execrantes Monachi, iubentur, vbi vbi degeret, lapidari. Cogit item Pseudosynodum, in qua iubet imagines damnari, idola dici; vetat Sanctos appellari sanctos; minus adorari.

Vocat Stephanum Antiochenum Episcopum quem Synodus coarguat; sed ipse conuincit omnes, confunditq; defensor cultus imaginum. Et tamen adulator populus iconoclastis acclamat vt victoribus. Verum Papa protinus condemnat pseudoconcilium totum.

Anno DCCLV. Aistulphus iterum cingit obsidione Romam: inuocatus sub comminatione excommunicationis aduolans Pipinus; obsessum in Papia tyrannum ad æquas adigit conditiones. Redditaque pace donat Pontificatui complures vrbes Longobardicas.

Sanctus Bonifacius Frisijs Christum prædicandi licentiam petit ab Papa; simulque Sanctum Lullum pro sese relinquit Archiepiscopum creandum Moguntiæ. Concessum vtrumque est. Verum dum vadit Confirmationis Sacramentum impensurus innumeris baptizatis; ecce ad Bortnam fluuium cæditur cum sociis.

Parricidæ rebantur thesauros sese reperturos; itaque paciscentes quemadmodum eos inuicem partirentur, ex dissensione veniunt ad conflictum, mutuisque sese mucronibus conficiunt omnes.

In cæde S. Bonifacij librum Euangeliorum manu præferentis, hunc dissecari medium contigit; neque tamen vel literulam oblædi, aut aboleri. Sepelitur Traiecti. Ipsius vox erat in Concilio Triburiensi: *Antiqui Sacerdotes aurei sacrificabant in calicibus ligneis; noui sunt lignei, & sacrificant in aureis.*

Anno DCCLVI. Aistulphus in venatione diuinitus ictu incerti autoris percussus perit.

Rachis vero iam diu monachus, deserto monasterio, repetit regnum: at Papa, vt apostasiam impediat, regnum tradit Duci Desiderio, auxilium Ecclesiæ pollicenti.

Anno DCCLVII. Papa diu labores perdente in Copronymo ad saniora traducendo, ecce pœnam; Saracenus Oriente toto Christianos exhaurit intolerandis exactionibus; templorum ornamenta diuendit Iudæis; ipsosque pauperes monachos esse iubet capite censos.

Econtra Pipinus pluribus victorijs contra Saxones felicitatur:

In Hispania Rex Friola, magnus Sacrorum Canonum obseruator, multas ab hostibus aufert victorias.

Anno DCCLX. Caput Sancti Ioannis Baptistæ translatum è monasterio in basilicam ipsi sacram mirifice fragrabat, & sanabat multos.

Pipinus iusto bello cogit Ducem Aquitaniæ ablata ecclesiis bona restituere.

Verum eo sæpius perfide, resiliente, & denique diuinitus cæcitate percusso, Aquitania traditur Pipino à Papa.

At quia Pipinus villam Episcopatus Laudunensis suo sub tributo retinebat, in ea pernoctans à S. Remigio apparente, increpitumque dirè flagellante, punitur.

Idcirco protinus cum febri, & vibicibus, à villa recedit,

An. DCCLXII. Copronymus edicto cauet, neu quisquam suscipere Monasticen ausit; simul sæue persequitur monachos; inprimis S. Stephanum nouâ strophâ trahit in calumniam, & exilium.

Subornarat Syeophantam, qui à Stephano in monachum attonderetur: de quo publicum luctum præseferebat, ad populum oratione conquestus; demum ad Deũ in preces versus orat pro reditu amici; & quasi à Deo instinctus vaticinatur, continuò rediturum ad sese amicum, (miserat iam qui raptum è monasterio adduceret.) Quo aduentante vates creditur, id quod nomen affectarat cultu illum monastico exuit palam, induitque militari, gaudens acclamatione populari; *tolle Stephanum, tolle monachos.*

An. DCCLXIV. Paulus Papa complura Sanctorum corpora in suburbanis, per Longobardos vastatis, eruta religiose transtulit in Vrbem: cum Pipino igitur petente quædam ex Vrbe translata sunt in Gallias regiâ pompâ.

Nimi-

Nimirum, quos Oriens Sanctos persequebatur, colit impensius Occidens.

An. DCCLXV. Imperator reuocat ab exilio S. Stephanum, quod miraculis Sacrarum cultum imaginum comprobaret.

Nam cæco preces, pro sui relumina tione ab eo petenti, ait; Si habes fidem Dei, eiusque imaginem colis, respice. Et respexit videns.

Idem prænobilem puerum, ab dæmone infestum, fusis ante Christi & B. Virginis imagines precibus solis, ab infestore genio liberauit.

Idem militem ex gibbo incuruum, imaginem exiussu veneratum restituit rectum.

Id quod dum prædicat commilitonibus vt idololatra accusatus traditur Copronymo.

A quo victus blandicijs execratur imagines.

In præmium Centurio factus additum sibi in equum conscensurus ab hoc deijcitur humi, pedibusq; furentis obteritur.

Quò efferatior Cæsar Sanctum Stephanum compingit in tetrum carcerem.

An, quærit, *& quo modo pingi S. Trinitas possit?*

At ille è vestigio mendicat obulum, exhibitoque ait: Cuius imago hæc?

Ferresne proculcari eam?

At tu Christi, ac Deiparæ conculcas imagines sacras; quid peccem ego tuam pessundans?

Simulque pessundabat. In carcerem abreptus ait: Hæc requies mea in sæculum. &c.

Tyrannus edicto iubet ab omnibus toto imperio excipi iuramentum de non colendis imaginibus; detrectantesque varijs tormentis enecari.

Anno DCCLXVI. Imperator cogit monachos singulos singulas monachas ad manum ducere per Hyppodromum; & ecce vindictam: Classis eius magna disperijt eodem temporis articulo per sæuam tempestatem. Idem circumferri Lipsana reliquiarum curat in ludibrium.

Chalcedone S. Euphemiæ reliquiæ flammis exuti à Persis nequierunt in arca lignea conditæ: tempore Heraclij Constantinopolim translatæ & dium spirarunt odorem, & emanabant vnguentum salutare.

Iam vero ab Copronymo in altum proiectæ procul ad nauigantium proras adnatans arca recipitur; continuò receptam lux circũstat, daturque Episcopo in Lemno insula: cui apparens S. Euphemia dissuadet isthic sese detineri, sed vrbi Bizantinæ deberi. Interim feruet persecutio iconoclastica, quæ illustri multos coronat martyrio, cum non raro miraculo.

Anno DCCLXVII. Sedes Rom. vacat mortuo Paulo: quòd Dux Nepesinus fratrem suum laicum Constantinum intrusisset, & Prænestinum Episcopum coegisset ad inaugurationem intrusi.

Cuius tamen dextera haud multò post exaruit, vt indigno imposita.

S. Stephano carcerem psalmorum con-

concentu in monasterium vertente, furens Copronymus eum capite plectit; lictor ipso in ictu à dæmone arreptus cum furia exhalat animam. &c.

ANNO DCCLIX. Antipapâ fugato Clerus eligit Stephanum III. simul decernit, ex solo Cardinalium Collegio Papam eligi oportere intrusionib. cauendis.

ANNO DCCLXX. In Concilio Wormatiensi præsentem Carolum Magnum exorarunt Patres, ne Clerus ad bellum ineundum, nec ad exactiones cogeretur; sed solis intentior Diuinis vacaret.

Recitat idem solennem formulam Offertorij istam: *Facit scripturam de ipsis rebus, quas DEO dat, & eam supra altare tenens dicit; Offero Deo, & dedico omnes res, quæ in hac chartula tenentur inserta, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum. &c. ad seruiendum ex his Deo in Sacrificiis, Missarumque solennijs, orationibus, luminarijs, pauperum ac Clericorum alimonijs, & cæteris diuinis cultibus, atque illius Ecclesiæ vtilitatibus.*

Si quis eas inde, (quod fieri nullatenus credo) abstulerit; sub pœna sacrilegij ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, strictissimas reddat rationes.

Copronymus omnes toto Oriente monachos monachasq; contrahit Constantinopolim edicit ipse: Qui nobis obedire volet, candidâ se amiciat; hac hora vxorē ducat; aut cœcatus exulet. Deficiuntque multi.

ANNO DCCLXXI. Continuò monasteria subhastat, libros monasticos, liplanaque sacra dat rogo.

Carolus Magnus anno 770. ducit Berbam Desiderij Longobardorū Regis filiam, repugnante Papa, ac anathema fulminante: at hoc eam anno repudiat, cum graui scandalo Imperij & orbis.

Ea verò fit monacha Corbeiæ, & vitâ miraculisque Sancta.

Reliquiæ S. Huberti, sexto decimo post obitum anno, eleuantur, corpore integro, absque vllo vitio; situue, ac mirificè fragrāte: ijs rite adoratis, ornatisq; flens Carolomannus diem obit.

AN. DCCLXXII. Desiderius omni vi petit Papam, vrbèsque Romanas rapit: Carolo interim Saxones præliis multis atterente.

Aliquando exercitus eius in longa siccitate laborabat siti; nec desistebat tamen ab idoli demolitione; & ecce de repentè torrens quæ ebullit tam diu, donec idolum cum fano euertissent ita refocillati.

AN. DCCLXXIII. Desiderius ad iteratam Vrbis obsidionem ducturus exercitum, spernit quidem & deterrantem, & deprecantem Papam: at telum excommunicationis intentantem fugit.

Mittit ad Carolum, mentiens se omnia restituisse Papæ: at inuocatus in auxilium Carolus adest; solo nominis terrore fugat Longobardos; vrbesq; pontificias reciperat.

AN. DCCLXXIV. Carolus, exercitu suo Papiam ac Desiderium obsidēte, Romam init Pascha celebraturus.

Venienti occurrit cum Clero Pontifex, scholasticellis ramos præferentib. cum cantu. &c.

Carolus pedes S. Petri gradus scandens,

dens, singulos exosculatur; & expleta oratione, licentiam petit Vrbis ineundæ: Veteres Donationes S. Petro factas confirmat; additque pares; quas & conscriptas offert in ara more maiorum. Interim coactum morbo Ticinum dedi facit DEVS Carolo; qui Desiderium abducit captiuum in Franciam.

Sigebertus, conditor Chronologiæ, finxit in gratiam Henrici Imperatoris schismatici; quod hic prætendebat; iam Papam in Synodo Romana Carolo contulisse IVS INVESTITVRÆ; idemque ex ipso descripsit Gratianus.

Verum, angusto tempore, quo Romæ Carolus egit, Vniuersale nequijt Concilium cogi.

2. Deinde; Eginhardus, Caroli Secretarius, in huius vita negat eum quintùm iuisse Romam.

3. Adhæc, Carolus omnes Inuestituras & Electiones fieri per Clerum mandauit, dist. 63. q. 34.

4. Denique id ætatis nec vel nomen *Inuestituræ* notum erat.

5. Legati Ludouici ne quidem admissi fuerunt ad electionem Adriani II. &c. Ergo fingitur.

ANNO DCCLXXV. Copronymus incurabili morbo anthracis in cruribus à Deo percussus febri ignota æstuabat eiulans: *Viuens igni sum inextinguibili traditus, iussique iam Sanct. Deiparam Virginem, Sanctosque coli.*

Sicque extinctus perijt; qui viuus dæmonibus sacrificauit; Caballinus cognominatus, quod se suosque oblini stercore equino delectatus fuerit.

Eius filia Anthusa, fit monacha, & Sancta: filius Leo IV. Imperator, & pietatis simulator donec tenere se omnia tuta putaret.

In Anglia Offa Rex Merciorum, Orientalium Saxonum, in partem satisfactionis pro peccatis suis facit deuouetque *Regnum* suum Ecclesiæ Romanæ *Tributarium* sic, vt è singulis ædibus quoquo anno nummus penderetur; Et Erfordianam Ecclesiam ditat.

ANNO DCCLXXVI. Rebellantes Papæ Longobardos in Italia ocyus aduolans Carolus cum copijs venit; vidit; vicit.

Interim Saxones castrum Sigisburgum oppugnaturi, flammeâ supra id apparente romphæa, fugitât diuinitus conterriti; seque ipsos mutuis ictibus ad internecionem concidentes delent.

Reliqui Carolo superuenienti spondent, se fore Christianos.

Inde reuersus in Franciam Synodo Wormatiensi adest; iuxta Concilij decretum iubens bis omni anno celebrari Kalendis Martij & Octobris, Rege Franciæ præsente; Non Præsidente.

ANNO DCCLXXVII. Carolo iurant Saxones omnes baptizati; (præter Witakindum, cum suis ex piis profugum;) idque Padebornæ in Synodo.

ANNO DCCLXXVIII. Saxones ijdem, ab Witakindo inducti, resilientes à fide data desciscunt; Carolo procul in Hispania belligerante; Et verò omnia ad Rhenum vsque deuastant; ipsamque VVendam.

Vbi *Ogellus Sancti Suiberti templo* sæ-

pius, at frustra, ignem subiecit: nam diuinitus identidem extinguebatur: incensor nihilominus de conatu suo dum gloriabunde se iactitat, in dicto, in plano corruens frangit ceruicem.

Sepelitur, idque sæpius; sed terrâ cadauer vsque respuente, & æquatam solo fossam replente.

Quia autem tam horrifico vultu deformatus iacebat, vt nec oculis ferri posset, fœtore abominabilis in Rhenum abijcitur.

Amici eius duo Paderbornæ cognito casu, diram in S. Suibertum vomunt blasphemiam: dictoque citius alter cæcus, mutus alter effectus ac surdus; tacitis vouent animis, sese S. Suiberto Ecclesiâ instauraturos, si vel à diris cruciatibus liberarentur; quos præter dictas plagas perpetiebantur.

Conceptum ecce votum vtrique restituit sanitatem.

Anno DCCLXXIX. Carolus ducit in rebellem Saxoniam; incruentoque bello fugientes, acceptis obsidibus, recipit in fidem; subactâ iam Saxoniâ & Westphaliâ.

Hosce per annos Carolus *legendi, psallendique disciplinam* emendauit. Eius monitu quidâ Archiepiscopi explanarunt *sacrorum vestimentorum significationes*: Vsuardus Monachus *Martyrologium*, post Sancti Hieronymi, Beda, Flori labores, disposuit: Hadrianus Papa *Antiphonarium & Responsorium* elaborauit:

Alcuinus *libros da Diuinis officijs* elucubrauit; & *Sancta Biblia* à mendis Scribentium emaculauit: Tanti Carolum fecit in scientia, vt interrogaret ex eo; *Cur Dominicæ dicerentur septuagesimæ, Sexagesimæ. &c.*

Orta hæresis in Scotia est, *Confessionem Deo tantum, non Sacerdoti faciendam.*

Eam refutauit Albinus perdoctè, ac solidè.

Ad Alcuina, iam tunt correcta *Biblia Clementina.*

Anno DCCLXXX. Leo suâ prodit hæresim, dum duas icunculas sub Augustæ puluinari conditas reperit.

Eas n. ritè colebat Irena: quâ is acerbe obiurgat, licet negantem scire se, quemadmodum isthuc veniisset. Ille ergo aulicos fidiculis examinat, torquet, alios etiam enecat.

Leo carbunculorum amantior, coronam carbunculinam, ex templo raptâ, gerens, febri & carbunculis in capite natis exæstuans perit.

Irene piissima cura decenni filio Cõstantino imperat; cõiuratos in eum capite minuit; Cæsares, germani Leonis, tonsos cogit esse Clericos & Sacerdotio inaugurari: Coronam carbunculinam restituit ecclesiæ: Professionem Monasticees, iam diu vetitam, esse cuique liberam iussit.

Carolus cum Hildegarde Regina tendit in Saxoniam, iam penitus subactam, certa ecclesiis erigendis loca designaturus: inde Romam peregrinatione m obiturus, agendis Deo gratijs pro subacta gente tanta sub dulce iugum Christi: pariter vt cum Pontifice pertractet de Episcopatibus per vtramque Saxoniam constituendis.

Anno DCCLXXXI. Init iter Romam peregrinus Carolus, affert, offertque Ecclesiis regiæ munificen-

tiæ

tiæ dona; quin ipsum filium Pipinum offert Papæ baptizandem.

Pontifex verò etiam & hunc, Longobardis, & Ludouicum Aquitanis in Reges inungit.

ANNO DCCLXXXII. Ioannicio Duci Copronymi iconoclastæ, per Olympum ducens exercitum, ex desertis occurrens eremita ait: Fili, si magnum tibi sit Christianum esse, cur Christi despicis imaginem?

Itan' in te virtus tanta erit, frustranea?

Attonitus ille, prostratusque petit veniam errati; virumque animumque induit alium, & duram pœnitentiam in omnem vitam.

Carolus è facientibus iam sæpe defectionem Saxonibus delecta dena factiosorum millia, præsertim Albim accolentium, educit, ac per Galliam, Germaniamque dispergit.

Atque ita munitam pace firma *Saxoniam vniuersam offert S. Petro Romæ vectigalem*; quod ipsius eam ope atque patrocinio se perdomuisse profiteretur.

Indicto igitur cuique domui vno nummo annuo, quotannis Romæ S. Petro mille ducentæ argenti libræ pendebantur.

Pari pacto & Galliam totam S. Petro subiecit tributariam.

ANNO DCCLXXXIII. Westphalis, arma infesta Carolo iuniori, Caroli filio, inferentibus, commilitare coactus præpotens quidam Dux Bruno Christianus, vouet se quotidie Orationem Dominicam & Angelicam Salutationem, semel minimum, in honorem S. Suiberti oraturum, morti suæ felicitandæ.

In conflictu lancea sternitur, pro mortuo relictus; equis insuper pessundatus ac obtritus, non moritur; opem interea tacitus Sancti Suiberti implorans.

Franci victores lucem cœlo isthuc descendere conspicati, rem propius explorant: ignotus & exanguis seruationis suæ votum memorat, Caroloque sistitur.

Donatus libertate ac vita, sanitatem recipit; VVerdæque in famulitio vitæ reliquum expleuit.

ANNO DCCLXXXIV. Paulus Patriarcha Constantinopolitanus, abdicato Episcopatu, init monasterium Flori, ad pœnitentiam, habitu monastico suscepto.

Ad ægram corpore visitantes Imperator cum matre, facti causam percunctantur:

Heu, inquit, *inuitus licet Episcopus ego creatus, Silui Veritatem Sacerdos, adque Iconomachiam dissimulaui.*

Dixit; & Vixit.

Territus Augustus, edicto licentiam dat protiuus disputandi de imaginum cultu.

Tarasium nominat Patriarcham, etsi laicum, at Catholicum: qui cunctatus diu consentit demum ea conditione; si indicto Generali Concilio super imaginum cultu statuatur; & pax reddatur Ecclesiæ.

Fit vtrumque. Constantinus testatur palam abolitæ iconomachiæ triumphum deberi Tarasio, sub Papa Hadriano.

Porro, inde luxum vestium in Clero corrigit Tarasius; in Paschate pauperibus ad mensam ministrat.

Saracenus, etsi diris simus Christianorum persecutur, Carolo Magno tamen, ad Domini sepulcrum peregrinãti, donat idipsum vltro nil rogatus.

Anno DCCLXXXV. Imperator demisse scribit ad Papam pro Tarasio confirmando; proque indicendo Concilio Tarasius; qui & suam fidei Confessionem submisit eidem.

Saxones reliqui se dedunt, subduntque colla Christo, Duce VVitikindo.

Qui in Paschate clam inter mendicabula assidens in templi vestibulo, quid ageret Imperator, dum explorat; sub Missa ad S. Hostiæ eleuationem miraculo speciosulum conspicatur in ea puellum; eundemque deinde in dispensatione Sacræ Synaxios his tristem, tantumque illis dari sumendum! Quo motus se prodit, traditque Carolo; datâ humanâ Carolo, acceptaque Christiana à Deo eiusque ministris, Fide, catechisanti obaudiens S. Herimberto.

Anno DCCLXXXVI. Synodvs VII. Generalis, in causa imaginum cœpta Constantinopoli, per Iconoclastarum irruptionem disturbata; suasu Imperatoris differtur in An. DCCLXXXVII. Quo Nicææ habetur ab cccl. Episcopis Orthodoxis; lapsique Episcopi in Ecclesiæ Romanæ Communionem recepti reconciliantur pœnitentes.

In Sessione sexta multis probatur cultus imaginum: in cæteris ex historia Sancti Athanasii ista: Beryti ædiculam conduxerat habitandam Christianus; ex qua in amplius emigrans domicilium, obliuione reliquit Crucifixum; successorique iudæo cedit domum: qui eam incolens nil aduertit Crucifixum prius, quam assessor conuiua ei demonstrasset.

Hic apud Recutitos accusat hospitem; aduolantes Rabbini fratrem excommunicant; Crucifixo, ceu maiores Christo, illudunt sputis, plagis, blasphemijs, ac demum crucifixione.

Adictum lanceæ iconis latus it sanguine & aqua: sacrilegi conterriti licet, tamen in probam ex eo perungunt paralyticum, iterumque cæcos pluresque affectos: & ecce persanabantur momento vniuersi.

Fit fama vrbe tota, morbidorumque concursus; & votis singuli damnantur consanati.

Iudæi ad Episcopum confugi Christum profitentur.

Contigit istud, quando hæretici primam solam Christi imaginem in Eucharistia sese venerari iactitabant; & cæterarum nullam.

Ecce *Sacramentarios*. Nam *Eucharistia est vere verum Corpus Christi, Dei & Hominis viui*; *Non imago* solum. Et verò istud in Concilio sic stabilitur:

Quia, *Qui ex Patre, Filioque procedit*, recte creditur. At Iconomachi ita dicendum pertendebant;

Qui ex Patre PER Filium procedit, vti imaginem Patris, non vt substantiam coæqualem.

Ibi-

Ibidem sancitur: *Non esse Principum sæcularium Eligere, nominareue, aut dare Episcopos, &c.* Denique in Menologium referunt Patres; *Annuam esse memoriam celebrandam damnatæ profligatæque iconomachiæ.*

Carolus, ad Beneuentanum Ducem Longobardorum, vnum reliquum, extirpandum ducit Romam copias. Vbi dum Pascha celebrat, Gallos inter & Romanos ortam contentionem sæuam, *vtri melius canerent*, sic definit: *Dicite, puriorne fons, an riuuli?* Gallis *Fontem* acclamantibus infert: Ergo *reuertamur Galli ad fontem Gregorianum.* Simul orat à Pontifice dari sibi gnaros Gregoriani cantus, qui eundem per Gallias docerent; vbi & scholas excitat Cantuales. Econtra Galli docent Romanos canere organis.

Hinc Adrianus Papa vel composuit, vel reformauit *Antiphonarium.* Diuersitas tamen Cantus Ecclesiastici inde nata videtur, quod S. Gregorius S. Augustino licentiam fecerit vtendi cãtu, quẽ quoquo in loco reperisset vsitatum ac bonum.

Anno DCCLXXXIIX Carolus deuictor Hunnorum octenni bello, orbis vtriusque potentum, Bremensem fundat Episcopatum, accepto Româ Episcopo S. Willehado, vita & miraculis inclyto.

An. DCCLXXXIX. Laicis in Gallia Episcopia & Monasteria in priuatos vsus distrahentibus, edicit: *Quia iuxta Patrum Traditionem nouimus Res ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & Patrimonia pauperum; cuiq; ea conseruare, sed & conferre optamus,* &c.

Ideo diuidi prohibet, &c. Conquerentibus de monasteriorum opulentia, cum interim omnia bellis exhaurirentur; negat se vllius facultates minuere, aut grauare posse, velle, aut debere.

An. DCCXCI. In Hispanijs Rex *Alfonsus Castus*, suo Gollæciæ regno restituitur; Sic dictus, quod cum Berta vxore, Caroli Magni sorore, viueret in Rato solum, non Consummato, matrimonio. Auri massam, gemmas coram se habens idem destinat ad Crucifixum fabrefaciẽdum, Redeũdi à Missæ officio se obuios forte ferunt, qui aurifabros se profitebantur: erant autem Angeli, euentu teste. Aurum eis, gemmasq; credit, domumque tribuit, in qua laborent. Prandenti venit in mentem, Itane credis ignotis? Mittit, qui, quid agant, explorent; ecce relucet domus. Rex hoc audito aduolat; ad lucem stupet, crucem videt absolutam, artifices nusquam. Accersitus clerus radiantem defert in Saluatoris templum. In stipite crucis incisum visebatur: *Hoc signo vincitur inimicus; hoc signo tuetur pius.*

Quo animosior.

Anno DCCXCIII. audito, quod Mauris tributi nomine Virginum pudicitia Hispanicarum prostituerentur; vindex arma rapit, cum paucis cædit, vincit, profugat Saracenorum septuaginta millia: Deoque gratus vindici templum Saluatoris collocat Oueti.

Carolus item Saracenis pyratis deuictis in tropæum ponit & S. Cruci basilicam, & S. Petro monasterium apud Arelatem: cui in valuis ita:

Si CHRISTVS est DEVS, *& Petrus quoq; Clauiger eius;*

Iam, nisi per Petrum nemo videbit eum.

ANNO DCCXCIV. Felix Vrgelitanus, & Elipandus Toletanus suscitant Nestorianismum, Duos esse Dei Filios; unum Deitatis, alterum Humanitatis: Huc inducere Carolum attentantes, ille Concilium Francofurti viget cogi: vbi suam ipse in libello conscripsit, obtulitque Synodo *Regulam Fidei esse Euangelia, Epistolas Apostolorum & Pontificum Roman. ac Sanctos Patres.*

Hadrianus Papa anathematizat Felicem & Elipandum: Synodus vero *Aliquid* duntaxat reijcit, *non totum* Concilium Nicænum VII. Legati tamen Romani aspernationis sententiæ reclamarunt. Et Papa repudiauit eandem: Et Episcopi congregati, ipseque Carolus relatione falsi fuerunt decepti à factiosis imaginum osoribus; quasi Nicææ statutum fuisset, *Vt par honor Imaginibus, ac Deo tribueretur*: Item, *Sanctum Gregorium reiecisse cultum imaginum.*

Quæ singula

AN. DCCXCV, refutat Hadrianus Papa vitamque finit, Carolo defletus acerbe. Constãtinus legitima repudiatâ, ductâq; aliâ excõmunicatur: qui deuitantes eum monachos diflagellari curat, alioq; deportari. Scandalo populus occlamauit.

ANNO DCCXCVI. Irene *anno* 780. viduata Leone, cum solo Constantino filio capessit imperium; coniuratos insectatur, Cæsares tondet in clericos, sibi firmat Imperium, rite colit imagines; *Anno* 788. Persuadet filio, desponsatam sibi filiam Caroli repudiare: qua causa Carolus exercitum Constantini iusto bello fundit, fugatque.

Anno 789. Irene comperto filium sibi soli meditari imperium, ipsa exclusa ac relegata; complices eius cædit hos, deportat istos. *An.* 791. Constantinus patruos exoculat cupidine regni, tutaque timet: conniuet Irene. At *anno* 796. insidias struit filio, quæ mox sortiuntur euentum.

AN. DCCXCVII. Vt imperaret sola, prehensum filium excæcat, eodem die, quo ante quinquennium suos ipse cæcarat amicos Eodẽ tempore cõtigit solem obtenebrari solito obscurius: simulque mortuo Copronymo stemma eius emori totum: exulesque monachos reuocari.

ANNO DCCXCIX. Hadriani nepotes Primicerius & sacellarius Clerici, quod ambiti Pontificatus spe cecidissent, odio Leonis, in Litania Maiore procedentis, improuisam in eum faciunt irruptionem, diffugiente populo inermi: insonti Papæ & oculos, & linguam euellunt, trahunt, versant, fustuarioque contusum ante aram in monasterio Sancti Ptosani relinquunt, prius ibidem carceri conclusum. Hinc dum noctu in secretiora abducèretur, populi metu eum erepturi; ecce diuinitus ac protinus & oculos recipit, & linguam: simul cum armatis superuenit eius Cubicularius Albinus, vi eripit vinctum corpore non oculis, non lingua; adeo clara laudes Deo grateque concinebat.

Ade-

Aderãt tum forte Romæ Legati Caroli: secum hi Papam abducunt Spoletum; indeque porro cum confluentibus ad eum vndique Episcopis contendit ad Carolum; qui procul ei cum hymnis, festaque pompa occurrit, & aliquandiu honorifice detinuit consecrantem Paderbornæ aram, cui reliquias S. Stephani, ex vrbe secum allatas, inclusit. Interea calumnijs eum apud Carolum petunt inuidi; quibus diluendis, Romã stipatus Episcoporum comitatu reuertitur: Hic quanto Cleri, populique cum plausu fuerit exceptus, dicere vix est: nẽmo non erat, qui in celebrantis Missa communicare nollet, cognita causa malefici in Franciam relegantur, Leone pro ijs deprecante.

Patriarcha Ierosolymitanus ab Saracenis oppressus misit S. Sepulchri claues in Franciam ad Carolum; qui per totum Occidentem indicit communem Collectam pro Ierosolymitanis oppressis.

An. DCCC. Carolus ducit Romam, pacis turbatoribus comprimendis. Hic in Synodo edicitur: Qui habuerit quicquam aduersus Papam, secure proferat in medium. Nullo se offerente accusatore, Leo Papa in S. Petri basilica, proferens manu S. Biblia, ex vmbone iuramẽto se purgat. Synodus enim solenniter fuerat protestata, se non posse, nec alium, iudicare Papam.

Inde in Natiuitate Christi Papa in S. Petri, nil tale præscientem *Carolum Magnum coronat Imperatorem*, acclamantibus Romanis AVGVSTVM inungit; itẽq; filium eius Ludouicum in Regem. At Carolus iuramentum concepit in hæc verba: *In nomine Christi Spondeo Imperator coram Deo & S. Petro me Protectorem ac Defensorem fore huius S. Ro. Ecclesiæ, prout sciero & potuero, diuino fultus adiutorio.*

Ecce, in Occidentem ex Oriente TRANSLATVM IMPERIVM.

Nimirum id ita & *Potuit, & debuit Papa*, Pater vnus orbis Christiani. *Potuit* iure, ex potestate illius per quem Reges regnant, & qui regnum de gente in gentem trãsfert. Neq; minore pollere Noui Testamenti sacerdotes summis potestate voluit Christus, quam Mystæ Aaronis. E quibus Samuel Saulem, hocque reprobato Dauidem inunxit: Elias & Elisæus ab Achab in Iehu, ac rursus in Ioiada regnum transtulerunt. &c. *Debuit*; Quia ingrata Græcia toties adeo peccauit in Ecclesiam, toties Italiam & Occidentem cruentauit: toties Imperium subiecit Auaris, Hunnis, Gothis, Ostrogothis, Mauris, Saracenis, Lõgobardis. At Carolus toties & tot hostes triumphauit, Ecclesiam, Imperium conseruauit, auxit, illustrauit; vt meruerit idem, si quisquam. Qua de Translatione consule Bellarminum.

ERGO.

ERGO:

1. Dic age; Quæ sincera FIDES hoc constitit AEVO VIII?
   At SIC PAPISTIS RESstat ROMANA, FIDESQVE:
   Non SIC REM seruat Luthero-caluinista, FIDEMQVE.
2. IVRE SVO Proprio Papa, atque Ecclesia gaudent:
   Quis quid Ei AVGVSTVS proprio de iure remisit?
3. ANTI ne CHRISTVS erat quisquam hoc ROM. in Aeuo VIII?

SÆ-

SÆCVLVM NONVM SEPTICO-GERMANICVM.

PONTIFICVM ROMANORVM CONTINVATA SVCCESSIO.

99. EOdo II. *anno* 804. Mantuæ de reperto ibi sanguine Christi, qui è Latere manarat, cognoscitur: tertque Carolo, & peragrat eum eo Germaniam, Canonizat S. Suibertum Anno 816. viuere desijt magnus ornator ecclesiarum. Sedit annis 20. Men. 5.

100. STEPHANVS V. Romanus creatur *an.* 816. coronat Ludouicum Pium Imp. occidentis. Moritur *an.* 817. Sedit mens. 7. dies 3.

101. PASCHALIS I. creatur *an.* 817. *an.* 818. per Legatos in Orientem damnat Iconoclastas. *Ann.* 821. inuenit reliquias S. Ceciliæ & plurium.

Anno 823. Lotharium coronat Imp. Occident. *anno* 824. se purgat de homicidio: & moritur. Sedit an. 7. Mens. ib 3.

102. EVGENIVS II. Romanus creatur *anno* 824. *anno* 825. conflatum contra eum Schisma sopit Lotharius. Consultus à Ludouico de cultu imaginum decernit. Moritur *anno* 826. Sedit annis 3. Men. 2.

103. VALENTINVS Romanus sedit dies 40. obit dysenteria.

104. GREGORIVS IV. Romanus creatur *anno* 827. inuictissimus. *Anno* 829. Sancti Gregorij Ma. reliquias recondit in Sancti Petri æde. *Anno* 833. Pacem inter Ludouicum & filios componere

35. Festum om- celebrari instituit. edit an. 6.

RGIVS II. Romanus creatur *an.* 844. Ludouicum coronat in Regem Longobardorum *ann.* 847. & moritur. Sedit an. 3. Men. 1.

106. LEO IV. Rom. creatur *an.* 847. & resistit Imperatori, arroganti sibi Cõfirmationem Papæ. Basiliscum suis precibus Romæ extinguit. Moritur *an.* 855. Sedit an. 8. Men. 3. Papissa Ioanna VIII. fingitur huic successisse.

107. BENEDICTVS III. Rom. creatur *an.* 855. inuitus. Moritur *anno* 858. Sedit an. 1. Men. 6.

108. S. NICOLAVS I. Ro. creatur *an.* 858. cui Ludouicus officium stratoris exhibet. Photiũ schismatis condẽnat. Aduersis & calumnijs pulsatus multis euasit innocuus. Gratianus eius decreta cõplura collegit. Obijt *an.* 868. Sedit an. 9. Mẽ. 6. visus est, in cœlũ receptus vna cũ S. Gregorio Mag. apparuisse.

109. HADR. II. Ro. creatur *an.* 868. Is adhuc Presbyter dabat Equestri suo 40. nũmos, è Præsentia accceptos, quos inter plurimos distribueret peregrinos; illo causante nec tertiæ parti sufficere; iubet, Tu vero etiam singulis nũmos da ternos: dat; nec deficiunt; quin & superant. Mandat regnũ Franciæ cõseruari Lothario, vt hæredi paterno. *Anno* 869. Photium & asseclas damnat: iubetq; cogi Concilium Generale VIII. in Oriẽte. *An.* 871. Excommunicationem comminatur Carolo Caluo ob vsurpationẽ regni Lotharij. Moritur *ann.* 872. Sedit an. 4 Men. 10.

110. IOAN. VIII. creatur. *an.* 872. *A.* 873. absoluit Ludou. ab iuramento per vim præstito. *A.* 875. Carolum Caluum creat Imp. & confirmat *an.* 876. *An.* 877. pacẽ à Saracenis redimit. *A.* 878. Roma à tyrãnis occupata secedit in Gallias. In Trecensi Cõcilio petit Principũ auxilia pro Ecclesia. Ludouicum III. coronat Imp. *An.* 879. Photium recipit in Cõmunionẽ Ecclesiæ, cum & huius damno, & suo probro. Et *an.* 880. eã restitutionem adprobat. At cognitis versutijs ei⁹ ipsũ ac pseudosynodũ ei⁹ anathemate ferit, ac sectatores. Tyrãnos pœnitẽtes absoluit. *An.* 881. Carolũ Crassum coronat Imp. Moritur *an.* 882. Sedit an. 10.

111. S. MARINVS creatur *an* 882. Legatus fuit Papæ ad cogẽdum Con. Generale, plurimaq; pertulit ob damnatũ Pnotium: Moritur Papa *an.* 884. Sedit an. 1. Dies 20.

112 HADRIANVS III. Roman. creatur *an.* 884. damnatq; Photium schismaticum: ideoq; oneratur calumnijs ab Basilio Imp. ac moritur *anno* 885. Sedit an. 1. Men. 3.

113. S. STEPH. VI. Rom. creatur *anno* 885. Literis ad Basiliũ Imp. defendit suorũ prædecessorũ acta cõtra Photiũ. *An.* 890. decernit contra maleficos, moritur *an.* 891. Sedit annos 6.

114. S. FORMOSVS Portuensis Episcopus *an.* 866. in Bulgariam ablegatus prædicat Christum barbaris. *Ann.* 883. vrbe eiectum à Ioanne Papa quod acrius resisteret Photio; à S. Marino restituitur. *An.* 891. creatur Papa; etsi criminibus ei, sed falso, affictis. *An.* 892. Inuidiam Principũ incurrit ob Widonem coronatum Imp. *An.* 893. Widonis tamẽ filium Lambertum vngit in Imperatorem;

rem: & laborat pro pace Franciæ. *Anno* 896. A Romanis dire exagitatus, Arnulphum vindicem suum coronat Imperatorem: & moritur. Eius corpus *ann.* 897. impie tractatur à pseudopapa. Sed eius innocentiam Deus testatur miraculis. Sedit annis 6.

115. STEPHANVS VII. Romanus creator *anno* 897. Sedit annis 4. confirmatus à Clero Rom. sed strangulatur in carcere *anno* 900. Vah monstrum pseudopapæ. De prædictis singulis plura *in Varys* meis.

IMPERATORVM OCCIDENTIS ACTA IN SÆCVLO IX.

	An. Ch. nati
1. CAROLVS MAGNVS *coronatur; iurat defensionem Ecclesiæ.*	800
Fert leges pro Ecclesia Rom. & veteres innouat.	801
Monitu Angeli inuenit reliquias: scholas vrbe restituit: Florentiã à Gothis euersam instaurat.	802
Promatrimonio & pace mittit ad Irenen.	803
Bellum cũ Saxonib. finit; & Saxoniam facit tributarium S. Petro.	804
Regnum testamento diuidit inter filios, & his Ecclesiæ Defensores facit: Imperium relinquit Papæ decernendum.	806
Profligat Saracenos.	807
Testatur de bonis mobilibus.	812
Ludouicum filium renunciat Imperatorem.	813
Moritur, & inter Sanctos refertur.	814
2. LVDOVICVS PIVS *coronatur Rex.*	806
Restituit disciplinam Eccl. per Gallias & struit multa monasteria.	807
Creatur Imperator collega Patris.	813
Solus Imperat.	814
Vindicat Hisp. & Gallos à Saracenis.	815
Vngitur & coronatur à Papa.	817
Exoculat coniuratorem in se Bernardum.	817
Comitia celebrat pro pace Principum: Cõfirmat donationes & Immunit. Ecclesiæ.	819
Iniuriam in fratres luit publica pœniten.	823
De cultu imaginum vult Papam decernere.	824
Parisiis in Concilio fere seductus est in cultu imaginum; reducitur à Papa.	825
Concilia diuersa instituit pro reformorum.	828
A Pipini & aliorum conspiratione liberatur.	830

	An. Christi
Consulit Papam de officio Ecclesiæ.	831
Exuitur Imperio à tribus filijs.	833
Restituitur.	834
Coercet Lotharium ab infestatione Italiæ.	836
Regnum filijs distribuit; & Ecclesiæ defensionem commendat.	838
Persequitur rebellantem Ludouicum: obit.	840
Petit à Ludouico liberari è purgatorio.	874
3. LOTHARIVS à patre dicitur Imperator.	823
Romam missus schisma componit: & Constituit de Electione Papali.	824
Insurgit in patrem cum fratribus.	833
Armis fratrum cogitur conciliari patri.	834
Pro monarchia bellans in fratres vincitur regnoq; exuitur.	841
Exuitur Imperio ab ijsdem.	842
Restituitur ab ijsdem.	843
Abdicato Imperio fit monachus, & moritur.	855
4. LVDOVICVS II. Iunior Romam cum exercitu veniens coronatur Rex Longobard.	844
Romam ducit in causa Francorum in Italia.	855
Officium stratoris præstat Nicolao Papæ.	858
Ecclesiam liberat à fratre Carolo, in quem parat bellum, sed componit pacem.	859
Debellat Saracenos.	866
Basilio Imp. or. offert filiam in vxorem.	869
Vngitur in Regem Franciæ: contendit cum Basilio pro titulo Imperatoris Orient.	871
Capitur à Duce per Basilicum subordinato.	872
Absolutus per Papã à iuramento vi extorto, ducit in Adelgisum tyrannum.	873
Moritur.	875
5. Carol. caluus Ludouici pij filius Rex Franciæ, Lotharium fratrẽ vincit, regnũq; cũ Ludouico fratre partitur.	842
Northmannos cogitur in regnum recipere.	850
Carolum & Pipinum seditiosos coercet.	852
Infestatur à fratre Ludouico: questus de eo apud Papam ei reconciliatur.	859
Vsurpat sibi regnum Lotharij	869
Impius in filium Carolomannum.	870
Accipitur à dæm. ob conspirationẽ in patrem.	873
Coronatur Imperator à Papa.	875
Confirmatur in Concilijs per Papã.	876
Inuadens Germaniam vincitur diuinitus à Ludouico: & detrectat subuenire Italiæ contra Sar.	876
Bene meretur de literis: veneno tollitur.	877
6. LVDOV. III. Balbus coronatur Imp. à Ioan. VIII. quẽ tuetur, & obit.	878
7. Carolus crassus coronatur a Ioanne.	881
Auro redimit Germaniã à Northmannis.	882
Repudiat coniugem, repudiatur à suis, rerum egestate interit.	888
8. Arnulphus Carolomanni filius Ger. & Gallias affligit vocatis in subsidium Hunnis.	889
A Papa inauguratur, qualiter?	892
Flagitiosus fœdũ sortitur exitum.	899
Vidonem alij ponũt pro Arnulpho.	

Imperatores Orientis.

73. NICEPHORVS *ex patricio fecit se acclamari: Irenem captam relegat in Lesbum.* 802

Redimit pacem à Saraceno ingenti tributo. 805

Ducens in Bulgaros indicit 8. annorum tributum etiam monachus; victor spolians vincitur, cæditur capite proposito, è cranio fit poculum. 811

74. MICHAEL Curopalata *pius, pacem reddit Monachis.* 811

Victus à Bulgaris acclamato Leone sponte cedit, fit monachus. 813

75. LEO ARMENVS *Imperat.* 813

Ex Orthodoxo fit per monachum Iconoclasta: iubet disputari de cultu imaginum: nolunt Catholici, ob definitionem persequitur dire illos. 814

Cauet in persecuttone sæua ne quis fiat martyr: promonetur necis: à Michaelo confoditur. 820

76. MICHAELVS BALBVS *à cæde eruentus hæreticus Iudaizans vngitur Imp.*

Exules tamen orthodoxos restituit, Permittit cultum imaginum. 820

Iconomachis fauet contra Catholicos. 823

Legat ad Papam de cultu imaginum. 824

Monialem ducit in vxorem hæresiarcha. 826

Impie moritur. 829

77. THEOPHILVS *Balbi filius impius.* 829

Dirus persecutor imaginum nec Augustæ parcit: necat plurimos. 832

S. Methudium vinum includit sepulcro. 835

Vincitur à Saracenis. 834

Vitiur satidica 841

In agone conuersus adorat imaginem: mortuè anima liberatur è purgatorio ab vxore. &c. Iusserat filium restituere imagines. 842

78. MICHAEL III. *restituit imagines Festumque annuum restitutionis instituit.* 842

Peruersus ridet mysteria Christi. 854

Matrem detrudit in monasterium. 855

Calumniose egit cum Papis, occiditur à coniuratis Basilij. 867

79. BASILIVS *Macedo ob occisum Bardam fit Imperator à Michaele. Restituit Ignatium electo Photio.* 867

Pœnitentiam agit de occiso Michaele; & Constantinum filium adsciscit in Imperium. 868

Eius humilitas in Conc. VIII. Generali 869

Petit à Papa Bulgariam addi Imperio. 871

Mittit munera ad Ludou. Regem Germ. 872

Remedium contra Photianos petit à Papa. 877

Seductus Photium restituit suo malo. 878

Luit diuinitus morte Constantini 878

Seducitur iterum contra Papam. 879

Sugillans Papam ab eo confutatur 883

Eximie doctus & liberalis fuit: filium Leonem è carcere vocat ad Imperium, moriturque dyssenteria. 886

79. LEO VI. *Succedit patri, Photium eijcit. Santabarenum magum exocculat.* 886

In Bulgaros ducit Turcas & Hunnos. 893

Excommunicantem se Patriarcham pellit. 901

Concilium Generale Sæculi IX. Papis consonum.

Vnicum id fuit *Constantinopolitanum VIII.* Oecumenicum, anno 869. contra Photium Schismaticum

Prouincialia plura.

SS. Patrum, & Scriptorum Concordia sub Papis Sæculi IX.

S. Nicolaus I. Papa sedit *an.* 862. scripsit plures epistolas Decretales; quas Gratianus digessit; inprimis de Romana Prærogatiua, nulli iudicabilis vnquam; & ne spiritalia attingant Imperatores; nec interfint Concilijs, nisi his defendendis, & ad decreta circa laicos accipienda in executionem. Sicque porro de singulis statibus constituit.

S. Nicephorus Episc. Constantinopol. scripsit *anno* 811. ad Leonem III. Papam; & Chronicon; & contra Iconomachos. Obijt in exilio *an.* 828.

Vsuardus Monachus Gallus, Alcuini discipulus, scripsit iussu Caroli Magni Martyrologium accuratè. Vixit sub *annum* 812.

S. Ludgerus Frisius puellus percunctanti, quid totum diem egisset, aiebat: *Legi, scripsi, compsui libros.*

Te quis docuit talia? DEVS, inquit. 901

In procinctu contra Saracenos obit. 911

Dein profecit sub S. Gregorio S. Bonifacij successore; & toto quadriennio sub Alcuino. Dauentriæ parochus eruit trina ethnica; quærenti, nec inuenienti, corpus S. Lebuini, hic apparens eum reddit Zelosiorem. Witakindo Frisiâ depopulante, Romam is confugit; vbi Frisiæ præficitur, donante ei Carolo pagos quinque & insulam. Conuertit Frisios cum Duce: Nortuegos tentauit frustra. Monasterij Episc. pro cæco precari rogatus, annuit, si pecc. prius expiare Confessione velit: confessum; reluminat. Alium item, dicens: Videas per amorem Dei. Idem furem equorum VVindikindi membratim discerptum colligi curauit; orauit; resuscitauit; sanauit. Idem suspendiarium, sibi petenti negatum, liberauit suspensum. Prædo multas euertit arbores, vt esset locus monasterio construendo. Innumeris inclytus miraculis VVerdæ requieuit. Accersitus aliquando sæpius ad Carolum Magnum, dum preces persolueret Deo, venire differens; ait Carolo: *cum maiore Domino mihi sermo erat, quam sit Carolus.*

Aponius, Commentator in Cantica, tempore eodem floruit.

Paschasius Ralbertus Abbas Corbeiensis, de Eucharistiæ Veritate, inque Threnos scripsit, contra Bertramum Sacramentarium primum. Floruit sub *annum* 820.

Claudius Scotus, sub idem tempus fuit magnus in S. Biblia Commentator.

Ionas Episc. Aurelianen. pro Imaginibus, S. Cruce, & Peregrinatione egregie disseruit, *sub annum* 830.

S. Theo-

S. Theodorus Studites, mirificus imaginum propugnator contra Imperatorem Leonem, Michaelem, &c. Scripsit supra 200. epistolas; exilia, carceres, & vltima perpessus ab *an.* 814. vsque ad 820. claret miraculis. Moritur *anno* 826.

Amalarius Episcopus Treuirensis suos de officijs diuinis libros dedicauit Ludouico Pio Imp. *an.* 830.

Nuhardus Caroli Magni filius historiæ conditor de dissidio filiorum Ludouici *sub an.* 830.

Freculpus monachus S. Benedicti, dein Episcopus Lexouiensis, conditor historiæ ab Orbe Condito vsque ad annum 600. sub *an.* 830.

Hilduinus Abbas S. Dionysii petenti Ludouico scripsit Areopagitica sub *an.* 840.

S. Eulogius Episc. Toletanus, multa præclara & pro, & de Martyribus scripsit in persecutione Saracenorum per Hispaniam, annis 850. 851. Demum & ipse martyrio consummauit.

Theodulphus Abbas Floriacensis, dein Episc. Aurelianen. autor hymni Palmarij *Gloria, laus & honor tibi sit Rex Christe. &c.* Floruit *sub an* 835.

Rabanus Maurus Germanus Abbas Fulden. Episcopus Moguntinus creatur *an.* 847. complura Moguntiæ Concilia celebrauit reformandæ clericalis disciplinæ. Moritur *an.* 856.

Vniuersam S. Scripturam Commentarijs illustrauit.

Strabo Fuldensis Rabani discipulus, autor Glossæ Ordinariæ ex Rabani Commentarijs; quam posteri auctiorem illustrarunt.

Moritur *sub annum* 870.

Haymo Episcopus Halberstadianus, Alcuini discipulus; in omnem pene S. Scripturam commentatus est. Obijt *an.* 853.

Angelomus Monachus Gallus, scripsit in quatuor Regum, & Cantica; Laudat Lotharium, quod dimisso Imperio monasticen sit professus. Obijt *sub an.* 860.

Christianus Druthmarus Monachus Gallus, Commentator in Matthæum. Floruit *an.* 860.

Walafridus Strabo Abbas Augiæ. Sub *an.* 850.

Simon Metaphrastes Vitas Sanctorum conscripsit oratorie, digessitque per menses: floruit in Græcia sub *annum* 850.

Anastasius Bibliothecarius & Abbas Romanus scripsit vitas Pontificum à S. Petro vsque ad S. Nicolaum I. aliaq; plura, sub *an.* 858.

Hincmarus Episc. Remensis, nonnullorum vitas Sanctorum conscripsit. Obijt *an.* 882.

Ioannes Diaconus Romanus scripsit *anno* 873. vitam Sancti Gregorii Magni.

Aimoinus Monachus Gallus contexuit historiam Franciæ, vsq; ad Ludouicum Pium, *an.* 840.

Ado Viennensis Episc. scripsit Chronicum de sex ætatibus mundi, ab O. C. ad *an.* 879.

Remigius Antisiodorensis Monachus multa in Scripturis illustrauit.

Similiter & *Ambrosius Ansbertus* Monachus.

FOR-

FORTVNATVS Grandensis Patriarcha *sub annum* 812. item EGINHARDVS similiter, qui corpora S. Marcellini & Petri transtulit Coloniam *anno* 826.

Dogmata Ecclesiæ Romano-Catholicę, Nouatoribus contraria, in Sęculo IX. Exempli gratia.

I. *Missam & Ceremonias eius, iuxta Ritum Romanum conseruatas*, constituit *Amalarius* li. de Diuinis Officijs. *Angelomus*. *Rabanus* de Instit. Cleric. *Hincmarus* in Capitulis. *Strabo* Fortunatus.

II. *Veritatem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & Transubstantiationem* asserit *Rabanus* lib. de Sacramento Eucharistiæ. *Haimo* in 1. Tim. 2.

III. *Baptismum, & eius Ceremonias* docet *Hincmarus* ad Hincmarum Laudunensem. *Haimo* super Ascensionem Domini. *Rabanus* epistola ad Reghinaldum.

IV. *Confirmationem, Chrisma, & alia Sacramenta* docet *Rabanus* de Institut. Clericorum. *Haimo* super Ps. 26. *S. Nicolaus* 1. Papa in epistola.

V. *Sanctorum inuocationem, Reliquias, Imagines, Festiuitates* docet *Haimo* homil. de Virginibus. *Rabanus* lib. 4. cap. 10. de sermonum proprietate. *Strabus* passim ac sæpe.

VI. *Iustificationem, Liberum arbitrium, & Opera bona* docet *Haimo* in c. 1 Malac. Et l. 1. in Isaiam. In Hebr. 4. in Ps. 26. & 135. *Rabanus* in epist. ad Humbertum. *Angelomus* in 3. Reg. 3. Strabus sæpe in Glossa Ord.

VII. *Pœnitentiam & Confessionem Sacramentalem* docet *Rabanus* in Eccleiast. lib. 8. Et in Institut. Cleric. ca. 14. 16. 30. Et lib. de modo Pœnitentiæ.

VIII. *Primatum Petri, & Rom. Pontificis* docet *Hincmarus* ad Hincmarum Laudunensem. *Photius* Græcus schismaticus in Noniocanone.

IX. *Suffragia pro defunctis & Purgatorio* docet *Haimo* in 1. Cor. 3. 4. 5. *Rabanus* lib. 8. in Eccleiast. 14. *Photius* in Bibliotheca.

Hæresiarchę in Sæculo IX. dissoni Papis.

GLAVDIVS Taurinensis Episcopus Felicis hæretici, in Conc. Francofordiano damnati, discipulus, *negabat esse venerandam Crucem Domini, sepulcra, reliquias Sanctorum; vtilem esse peregrinationem ad limina Apostolorum.*

Ita *anno* 825. Refutatur à Iona Aurelian. episc. Damnatur ab Eugenio II.

MICHAEL BALBVS Imperator *anno* 820. factus, permisit restitui imagines; & tamen fauit Iconomachis contra Orthodoxos.

An. 826. Sanctimonialem Virginem ducit vxorem.

Impius *negabat Resurrectionem mortuorum, Sabbatissabat, Prophetas irridebat, Negabat esse dæmones, Scortationem esse peccatum, Iudã proditorẽ inter beatos numerauit. Pascha celebrari alieno tempore iubet. Beatos scribi, dicitur* SANCTOS *vetabat etiam litteraturam ac scholas prohibuit.*

In-

Iurari per se, non per Deum, iussit.
De SERGIOTIS vide *anno* 810.
De MOECHIANIS *an.* 808.
De GODESCALCO *an.* 848.

VARIA

Testimonia Fidei historica in Sæculo IX.

ANNO DCCCI. Leonis III. 6. CAROLI MAGNI Imperatoris 1. Papa Symbolum Apostolorum in scuto argenteo incisum proposuit in Æde Sancti Pauli.

Carolus autem ita edicit: *In memoriâ B. Petri Apostoli honoremus S. Ro. Apostolicam Sedem; vt, quæ nobis Sacerdotalis Mater est Dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ Magistra rationis.*

Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt, licet vix ferendum ab Illa S. Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.

Porro negat dari appellationem ab ea aliò vsquam.

Eius iussu facta est COLLECTIO LEGVM Ecclesiasticarum.

Vnde vix paucas sanciuit; sed olim sancitas voluit obseruari.

S. SALVIVS cum socio venit ex Aquitania in Galliam, causa Christi prædicandi: at trucidati in stabulo defodiuntur.

Locum vero mundum conseruat taurus, alia inde abarcens bruta: tædisque cum cœlestibus illustrat Deus.

Carolus demum, ter diuinitus monitus, ambos transfert in ecclesiam, multos inclitos miraculis.

ANNO DCCCII. Doctissimus hac ætate vulgò credebatur, qui grammaticam nosset; quam & Episcopi profitebantur.

Carolus autem vbique bonas literas restituebat, Professoribus earum amplissimè donatis, ac Honoribus mactis.

At eo mortuo rursus sunt collapsæ.

S. Donatus Episc. Fesulanus, claret miraculis.

ANNO DCCCIV. Leonis III. 7. Pontifex inuisit Carolum in Germania; quam obiens passim multas *consecrat ecclesias*, instituitque Episcopatus; *Indulgentias* largas donat: *Canonizat* VVerdæ Sanctum Suibertum, suauè fragrantem, plurimis isthuc confluentibus causa & deuotionis, & sanationis.

In his nobilis matronæ filius, in appulsu nauis forte excussus in undas mergitur; mater eum deuouet S. Suiberti seruitio.

Postridie repertus ad Sancti sepulcrum deponitur mortuus: oratur: reuiuiscit: rediuiuus proponitur vniuersis.

Erat Archiepiscopi Colonienſis nepos ex sorore. Parens exutum torque tradit Archiepiscopo tonsurandum in monachum; ideoque nomen ei datur Suiberti.

Carolus è Saxònia deducit colonias in Galliam ac Germaniam, causa pacis stabiliendæ; & è tota Gallia & Saxonia penditur tributum Papæ de singulis ædibus. *Obit Alcuinus.*

ANNO DCCCV. Carolus ad monasterium S. Gudulæ diu in venatione vrserat vrsum qui tandem in apertum inuadens templum ad S. Lipsana sese deponit, pedesque monialium lambit.

Quare à Carolo relictus seruit ibidem Virginibus ad omnem nutum circur & obsequiosus.

ANNO DCCCVI. Carolus parta regna diuidit inter filios, testamento, in Theonis Villa condito, oblatoque Papæ, qui confirmaret. Imperium tamen reliquit Papæ disponendum, dandumque cui vellet: Galliam dedit Ludouico; Italiam Pipino; Carolo Saxoniam, Frisiam, Baioariam, Austriam, Thuringiam, Neustriam: postque multa præcepta sic statuit: *Super omnia iubemus, vt ipsi tres fratres curam & defensionem S. Papæ simul suscipiant.*

De Imperio nil cuiquam legauit; quod esset electiuum sub Papa, non hereditarium.

S. Cypriani reliquiæ sunt Carthagine Lugdunum translatæ.

ANNO DCCCVII. Aaron Saracenus Rhodum cum Myræa pessum dante, Lipsana S. Nicolai euertere attentabat: at luit classe eius pene tota hausta à ponto.

Idem à Carolo victus pœnam esse fatetur, quod captos anno superiore monachos diuendidisset: quos Carolus redemit. Qui ét per Paulum Diaconum curauit *Horas canonicas* ordine disponi.

ANNO DCCCVIII. Cum *Mæchianis hæreticis* communicare fugiunt Sancti Episcopi. Erant ij, qui studebant Cõstantino, abiecta anno 795. vxore, cum pellice viuente, ac si liceret.

AN. DCCCIX. Aquisgrani Concilium super Symbolo Nicæno habetur. Huius in Missa cantandi licentiam acceperant Galli à S. Leone Magno; iam autem quæritur, An additiuncula *Filioque* etiam cantari debeat, an solum recitari. Papa negabat addi necesse; forsan quod hæresios periculum abesset. Simul in duabus id tabulis argenteis descriptum absque *Filioque* iussit in S. Petri græce, latine que affigi. Posterioribus tamen additum est Symbolo ibidem.

AN. DCCCX. *Sergius* sese paraclytum mentitur, ac lucidam stellam; seductus à Saracena credit, Euangelium legere esse cuique licitum; Sacerdotes autem id prohibere; ne ex eo cæteri discant, quæ Sacerdotes sciri nolunt. Se Tychicum, Pauli discipulum esse iactat, dicique affectat: matrimonia dissoluebat; vxores discipulis prostituebat, Cœlibatum execrabatur.

Sectatores eius *Sergiotæ* dicti, autore mortuo sunt extincti, gladio eos persequente Michaele Curopalata Imp. *anno* 812. Quià Bulgaris victus, Leone Armeno Imperatore acclamato, cedit imperio factus monachus, *an.* 813.

ANNO DCCCXIII. Carolus Aquisgrani in Comitijs Episcoporum ac Principum, eorum ex consensu renunciat Imperatorem Ludouicum filium, cæteris iam vita perfunctis.

Eum iubet honorare Sacerdotes, vt Patres; populum amare, vt filios; esse consolatorem cœnobiorum ac pauperum: ipse inde tantum vacaret orationi, lectioni, correctioni Euangelij ac clericalis disciplinæ per quatuor Concilia in Gallia.

S. Ha-

S. Herbertus primum Ostrogothis, Sueonibusque prædicauit Euangelium; Regibus Caroli amicitiam ambientibus.

An. DCCCXIV. Leone Armeno Imp. per Iconoclastas monachos seducto, poscenteq; suos cum Orthodoxis disputare, hi noluerunt; quod post definitum Cultum imaginum in Concilijs disputare nefas ducerent; quodque Imperatoris esset ciuilia tractare, non Sacra. At is damnat monachos, orthodoxis imperat silentium; nolentes exulare iubet, aliosque eis surrogat Episcopos.

Carolus Magnus diem obit anno ætatis 72. communicatus prius ac inunctus, canensq; *In manus tuas. &c.* Aquisgrani in B. V. Mariæ sepelitur.

Anno post mortem 166. canonizatur à Paschali Papa Schismatico; ideo abolitus est canonismus. Colitur tamen inter Sanctos Aquisgrani & paucis Galliæ Ecclesiis.

An. DCCCXVI. Dum Leo Armenus dire monachos persequitur ob imaginum cultum, & S. Theodorum Studitam cum suis fratribus carcere & fame macerabat; hic se suosque particulis S. Eucharistiæ secum assumptis diu sustentat: Cõtra tyrannum docet, Imaginem referri ad imaginatum: Et non esse Imaginariam passionem suam, vt Iconoclastæ iactabant; sed veram Martyrum.

Inuentio Sancti Iacobi sic accidit. Dum capite plexus Ierosolymis iaceret canibus expositus, clam surripitur, transuehiturque Compostellam.

At per tempora persecutionum venit in obliuionem, donec sub Alfonso Casto locus sæpe de cœlo collucere videretur, fodiensque Episcopus Iriensis totum reperiret.

Stephanus IV. Papa Ludouicum adit in Galliam; qui ei ad milliare occurrens, ipsum ter humi prostratus adorat ante quam conueniret, dicens; *Benedictus qui venit in. &c.*

Deinde per manum ducens eum canit, *Te Deum laudamus. &c.*

Quem Papa cum Augusta coronat, & vngit; Romamque reuertit.

Anno DCCCXVII. Ludouicus in Conuentu Aquisgrani composuit *Librum Canonicæ vitæ* capitum 86. eumque per singulas vrbes Imperij missum describi iussit.

In eo factas olim *Romanæ Sedi Apostolicæ Donationes* Regnorum, vrbium. &c. *confirmat:* Item; *Electionem Papæ* soli Romano Clero facit liberam ac propriam; tantum vt eâ factâ legati ad Imperatorem mittantur, qui sancitam olim innouent amicitiam.

Iisdem in Comitiis effecit filium suum Lotharium creari Imperatorem. Qua causa Bernhardus Rex Italiæ cum filijs Ludouici conspirant contra Ludouicum:

At hic proditos comprimit per exercitum; prehensos autores excæcat: tondet in monachos aut Clericos: Episcopos vero complices per Concilium conuocatum exauctorari curat, alijs in Sedes eorum subrogatis.

Anno DCCCXIIX. *S. Methodius*, Apocrysarius Patriarchæ Constatinop. Nicephori, missus ad obiecta Nice-

phoro crimina diluenda apud Papam; dum Romæ degit, acres libidinis ignes patiens, diu ardenterque supplicabat S. Petro, cuius patrocinio liberaretur. Noctu tandem apparens ei Apostolus dexterâ tangi verenda; quibus tactu vstulatis ait: Ex hoc ne timueris libidinem. Dolor vt excussit somnum, is sibi virilia emarcuisse comperit.

Idem breui post creatus in Patriarcham Constantinopol. accusatus stupri, suâ se purgat impotentiâ; casumque refert, quem & ocularis inspectio probauit.

Anno DCCCXIX. Imperator quotannis Edictum de rebus Ecclesiasticis obseruandis edebat, non vt qui sibi quicquam iuris ecclesiastici arrogaret; Nec qui noua conderet: sed qui condita olim ac sancita seruari vrgeret, velut Executor Iuris ecclesiastici, & Canonum custos: Idque vsitabat autoritate, ac suasu Papæ.

In rebus tamen grauioribus, ac dubijs Papam consulebat, Et sua eidem Decreta prius offerebat confirmanda, quam vulgaret.

Ita consueuerunt & antecessores, & successores Ludouici; exceptis hæreticis Imperatoribus.

S. Theodorus Studita tertium iam captus annum cum centum fratribus, Armeni iussu diflagellabatur; cùm in Bithynia ex obsessa dæmonium clamitat: *Leo meus rursus misit verbera ad Theodorum: at propius adire cauete; flammas ore gerit.* Silet: moxque exclamat: *Heu! nil actum est; nil flectitur: Virtutem habet insidentem.*

An. DCCCXX. Vrgente persecutionem Leone, (cauente tamen ne cui Martyrij nomen cederet) lapsi prius Constantinopolitani, iam vltro confitentur Imaginum cultum. Barda, cognatus Imperatoris, persecutor sæuus ex morbo habitus pro deposito, nequicquam tentatis omnibus; demum audit seruum suum catholicum suggerentem: *Domine, si petieris, Theodorus Abbas te sanabit.* Petit; sed Abbas ei prius persuadet pœnitentiam: deinde ex carcere mittit ad eum Deiparæ icunculâ, quam, vt, Patronam, sanctè coleret. Paret ex animo: Sanatur continuo. At vero, nec diu post, in hæresim relapsus, recidit in morbum; ac morte perit infelix.

Leo Armenus ipsa nocte Natalis Domini, ex insidiis, in templo, à coniuratis, autore Michaelo Maiestatis reo, & captiuo, trucidatur; vxor, liberique tondentur: Michaelus Balbus, exceptâ circumcisione, Iudæus fit Imperator.

Translatio Sancti Marci fuit talis.

Iustinianus Dux Venetus inhibuerat quemquam appellere ad Ægyptum: Tempestate tamen Venetî Mercatores Alexandriam delati, cernunt Saraceni iussu, Babylone palatium construentis, ex omnibus basilicis Christianis marmora conquiri: Notantes custodes basilicæ S. Marci annos mœrere; nam quotidie Sacram Ædem frequentabant; ipsos aliquando sibi conciliant, vt Christianos Christianis; monachus erat, & alter Clericus: Spondent eis à Turca liberationem, & apud Venetos honorem: cum tradito ipsis Sancti Marci Corpore secum velificare Venetias voluerint.

Diu

Diu tergiuersati demum cedunt his rationibus:

1. Quod Sanctus Marcus ante prædicasset Aquileiæ & Venetijs, quam à S. Petro missus Alexandriam appulisset.

2. Deinde, quod Venetiani translatã sub Heraclio Imp. Cathedram S. Marci tenerent.

3. Adhæc, quod iam eorum socius tertius à Turca diris flagris esset coneiſus, &c.

His inducti timide consentiunt. Ergo clam S. Claudiæ corpus in locum S. Marci extracti, inque nauim deportati, reponunt. Proximo propius eos prodidisset dia fragrantia, vrbem complente totam sic, vt ciues in motum surgerent: Et erat de Sancto Marco suspicio: verum corpore viso decepti conquieuere.

Veneti portu soluunt; fragrantiã secuti Turcæ præuertunt nauigantes, percunctantibus quid portarent, Veneti suillam obtendunt ac ostendunt per iocum; at serium: nam eam execrantur Turcæ & fugitant.

Nauarchus vnius nauis in classe noluit credere, esse verum S. Marci corpus; & luit. Nam eius nauis forte in eam impacta, qua S. Corpus vehebatur, dilacerabatur.

Suborta tempestate S. Marcus apparens monet, vt ad terram appellerent. Continuo aduolant incolæ; fieri sibi poscunt S. Marci reliquias adorandi: ab ipsis enim id aduectari constare sibi ex reuelatione manifesta. Incolarũ tamen vnus negans esse S. Marci corpus, à cacodæmone protinus obsessus, esse ipsissimum proclamat; & ab insessore derelinquitur.

Delatis Venetias cum processione sese ferunt obuii Episcopus cum Clero, Dux cum populo: S. Marco ponunt basilicam simillimã Alexandrinæ: in qua sic eum abdũt, vt locus constaret nemini, nisi paucis; ne scilicet donari Francis contingeret, tunc omnium potentissimis.

Ann. DCCCXXI. Papę inter preces in S. Petri sopito S. Cæcilia apparet; (quam Longobardos abstulisse fama erat:) ipsa se, locumque suæ quietis indicat: reperta in Æde ipsius honori sacra deponitur. Voluentibus annis iterum in obliuionem deponit: at anno 1601. ab Cardinali Sfondrato, locum alijs parante reliquijs, reperta est.

Anno DCCCXXII. Ludouicus in Comitijs Episcoporum, Abbatum, ac Principum, sibi dictat ipse pœnitentiam, ob patratam à se anno 817. cædem cognatorum: Stans igitur ad valuas tẽpli singulos orabat vt Deum pro se deprecarentur.

Huc eum extimulabat S. Adelhardus Abbas Corbeiẽsis, ab eo ante in exilium missus insons; at nunc cognitis calumnijs reuocatus; cui & Corbeiam ædificauit in Saxonia.

Anno DCCCXXIII. Missus in Italiam rerum causa gerẽdarum Lotharius, à Papa, sic fieri rogante, vngitur in Imperatorem, ac renunciatur d e Paschali. Contigit deinde duos Cardinales excæcari, & in Laterano capite minui: de quo inuidi Papam accusant apud Imperatorem. At hic in Conuentu Episcoporum se purgat & iuramento, &

Synaxi: confirmatq; miraculo Deus: nam exortum forte incẽdium in vrbe comprimit, vno stans in loco tota nocte, quem flamma trãsgredi nequiunt; quin in seipsam recideret extincta.

Eodem anno in Comensi territorio picta S. Mariæ cum puero, sed vetustate obscura, toto biduo coruscauit; manentibus in obscuritate imaginib. trium Magorum dona offerentium. Pluit lapides: puella anno solido nil cibi sumsit, & vixit. Quibus monstris territus Ludou. Imp. fecit, fieriq; indixit eleemosynas, & à singulis toto imperio Sacerdotibus tres Missas, Numini placando.

Basil. Leonis filius, à Michaelo Balbo castratus redditur mutus: orans ante S. Gregorij Naz. imaginem recipit vocem, eiusq; mater cum eo relegata conuertitur ad Rom. catholicã fidem.

An. DCCGXXIV. Eugenii I. In cuius electione fit schisma populi: cui cõponẽdo Lotharium mittit Imperator, vt turbas cohibeat, non vt sese in electionem immisceat.

Michaelus se catholicum simulans, petit per legatos pacem à Ludouico sibi confirmari: In cæteris donis erant Opera S. Dionysij; quæ Ludouicus mittit Hilduino Abbati S. Dionysij Parisios, qua ea latine reddit: Petijtque simul Imperator à Papa licentiam habendę super imaginum cultu disputationis. Quã petitionẽ primo reprehẽdit Papa, vt de re iam definita: annuit tamen, etsi instigante Michaelo petitum esset.

An. DCCCXXV. Concessa habetur Parisijs *Disputatio*. Sed Græci prius quosdam Episcopos Gallos corrupẽrãt indoctos, aut improbos; qui prope seduxissent Ludouicum, vt sentiret, *imagines haberi tantum vt significent, non, vt honorẽtur*. Qua causa petijt a Papa, quatenus se cum Michaelo & Oriente reconciliaret. Verum corrigẽti eum Papæ protinus acquieuit; Et damnatis. ductorem sui Claudium Taurinens. Episcopum. Neque etiam Orientales Catholici recipiebant missam ad sese Gallicam Transactionem, vt temeriam in eo disputando, quod iam definitum fuisset.

S. Ioannicius Eremita captos in Bulgaria sub Turco Catholicos ita liberat. Ibat per custodes nulli visus; signo crucis facto carceres reserat, educit omnes silentio noctis, nullo id hostium persentiscente.

Nobilissa inextinguibili incendio demũ injecit missam alias sibi epistolã S. Theodori Studitæ, clamans, *S. Theodore adiuua*: & mox victrix flamma victa resedit.

An. DCCCXXVI. *S. Ansgarius* Danos conuertit: eorum Rex Moguntiæ, in S. Albani baptizatus, Imp. patrocinio tutus agit in Frisia. *S. Theodorus* Studita pijssime obit. Michaelus monialẽ ducit in vxorem; quo mox humanis erepto ipsã eiusdẽ filius retrudit in monasterium: item eius exercitum in Creta totum internecione delent Saraceni, vt nec nuncius euaserit.

An. DCCCXXVIII. Ad translatas Aquisgranum reliquias S. Marcellini & Petri miracula eduntur ingentia: quibus illustrata Gallia est, præsertim obsessa liberata puella; è qua dæmon cla-

clades Galliæ ob scelera permitti proclamauit: ideo varia passim indicta sunt Concilia ad Morum disciplinam reformandam; sic iubente Ludouico, sibique metuente, ac se plurimum humiliante in vestitu. &c. sic vt sacros profanosque traheret in exemplum. Infanda tamen passus à filijs redditur imperio.

An. DCCCXXX Ludou. Imp. offerentem sibi Amalarium libros de Ecclesiasticis Officijs mittit ad Papam, vt, quæ deessent, disceat, ea vel suppleturus, vel sequiora correcturus.

An. *DCCCXXXV.* Papæ Gregorii monitu Ludou. curat tota Gallia & Germania institui *festum omnium SS.* seu potius institutum olim à Bonifacio Papa, tempore Phocæ, vbique introduci.

An. *DCCCXXXVI.* Aquisgrani frequens fit Concilium auertendis aduersis, quæ eueniebant eo, quod sæculares & laici bona & iura sibi Ecclesiastica vsurparent, & Ecclesiastici sæcularia gererent officia.

An. *DCCCXLII.* Ludouicus & Carolus fratrem Lotharium fugant prælio, exuunt Galliæ regno: factis tamen ante iudicibus Episcopis; qui auctoritate sua regnum Lothario adimunt, transferuntque in fratres.

Theophilus Imperat. Iconomachus in agone conuersus adorat imaginem, iubetque adorari: hæresin ac tyrānidem confessus dolet. Pro defuncto regina assiduas & ipsa preces fudit, & Missas patrari curauit.

Vidit aliquando ipsum rapi ad supplicia; at donari suis eum precibus, angelo sic ei reuelante.

Tum vero Imperatrix cum filio Michaele III. Imp in *Imaginum restitutionem* tota incumbit. Resistens Manuel, pædagogus & tutor Michaelis, morbo deijcitur ad vsque mortem. Visitantes eum monachi restituere eum imagines iubent, easque colere; fore sanandum. Assentit consiliis sanis, & protinus consanatur.

Hic tum plurimorum fiebat conuersio; pertinaces exilio multantur; exauctorato Ioanne hæretico Patriarcha, *S. Methodius* surrogatur, qui continuo indicit Concilium pro imaginum restitutione.

Sed schisma simul oritur de hoc: *An ordinati ab Iconoclastis debeant in officijs tolerari?* Ergo lapsis, ac resipiscētibus S. Methodius præscribit pœnitētias, ieiunia, preces, certisque diebus sæpius proclamare *Kyrieeleison.*

Confessores in Iconomachia constantes conuocat ad conuiuium Imperatrix, vnanimique consensu instituitur *festum restitutionis imaginum*; & annum agitari iubetur Dominica prima Quadragesimæ: In quod hymnos componunt S. Theophanes & Theodorus.

S. Methodius assiduis instans orationib. pro Theophilo Imperatore defuncto, ab apparente sibi Angelo audire meretur: *Veniam obtinuit.*

Ann. *DCCCXLIV.* Lotharius mittit cum exercitu filiū Ludouicum Romā, hostiliter inuadendam; at ijs in ipso Italiæ ingressu vastantibus omnia, cœlo sereno cooritur sæua tempestas, quæ fulmine crebro duces ferit primipilos, & enecat.

Simul

Simul Pontifex obuiam mittit cum crucibus processionem, animo Ludouici mitigando. Qui & cessit Deo; Romamq; init: ei tamen fores templi occludit Papa, donec profiteretur se Amicum adesse: impetrat pariter in Longobardorum Regem coronari.

Eo tyrannidis per Hispaniam euaserat Saracenus, vt quotannis sibi 50. nobilissimas puellas dari in tributum poscceret.

Ergo *Ramirus Rex*, tametsi cinctus copijs Saraceni, se pro nomine & sanguine Christiano deuouet, ciet in arma quoscumque potest. Intentis vero supplicationi cunctis, *S. Iacobus* apparens Ramiro, se affore *Patronum Hispaniæ* spondet in prælio, candido cum vexillo. Itaque victor Saracenorum, vouet se è terra Saracenis ademta Clericis S. Iacobi decimas perpetuum daturum.

An. DCCCXLV. *Rex Bulgarorum* Monacho pictori iussit sibi pingeret domi, quod posset terribilissimum. *Pingit extremum iudicium*, pœnas impiorum, iustorum gloriam. Quo viso, altiusque in animum dimisso noman dat Christo, se prius captiuo submittens catechizandum.

Satrapæ mox in caput eius coniurant; inque apertum bellum erumpunt: At Rex, *prælata sibi cruce*, cum paucis vincit numero longe superiores.

Northmanni Duce Horich Galliam inuadunt, quæ est Caroli: iactante victore; *mortuorum, quam viuorum, maiorem* esse in Gallia virtutem; nec enim sibi restitisse quenquam præter senem *Germanum mortuum*.

Carolus ducturus in hostem, prius adit S. Dionysij ædem supplex, Dei, Sanctique tutelaris implorans opem.

Et feliciter! Nam solo aduentus sui nomine terrorem incussit hosti, vt fugam inuaderet.

In fuga templum S. Germani nullo modo valebat incendi: In eo trabem incidens obriguit: Alij excæcatia abduntur: Exercitus dysenteria diffluès peribat: Dux Ragenarius apud Horich iactans, quæ apud Parisios patrasset: continuo percussus à S. Germano crepabat medius, facto nequicquam voto statuæ aureæ Sancto ponendæ. Ceteris sacrilegis viscerum inflatione capias reliquas inficientibus, Horich quos reos compererat, omnes capite plectit, in satisfactionem Deo; & quos captiuos trahebat Gallos, manumittit.

Turonenses ab ijsdem obsessi, acte sistere desperati, damnatis vi & armis vnum S. Martinum in tumba obiurant hosti.

Qui terrore exanimatus dum fugam arripit, ab insequentibus cæditur partim, partim retrahitur captiuus.

Inter hæc mala tot ac tanta Episcopi conueniunt in Concilium Meldense; statuuntq; principem eorum causam esse Caroli culpam, *quod Ecclesiastica bona dedisset laicis possidenda; iuemq; Italia per viam Romanæ peregrinationis* plurima; quæ Angli peregrini passim condiderant ac dotarant.

De

De quibus restituendis vniuersis decreta Cœcilii aspernatur Carolus. Haidulphus inter epulas iactabat, S. Mauri monasterium sete æquaturum solo, ne vnquam monachis vel spes eius repetẽdi foret. Et ecce ad mensam, ab apparente S. Mauro virga percussus furit, perit.

Anno DCCCXLVI. Carolus Comites, quam Concilii Patres, audit potius, Ecclesiastica bona retentat, negat restitutionem. Ecce redeunt Nortmanni, vastant omnia, ipsumque exagitant. Ac rursus ei denunciatur, nil ei prospere successurum, ni Ecclesiastica restituat.

Anno DCCCXLVII. S. Leonis IV. Papæ electi pedes basiãtur pro more vetusto. Depilatas ab Saracenis ecclesias Apostolorum rursus coornat: inde mores Cleri, populique reformat. Basiliscum immanem, natum in sepulta Roma, multosque halitu enecantem, ipso B. V. Assumtæ instituta supplicatione fugat, dein & oratione sua enecat illæsus.

Idem late dominans in vrbe incendium ac insuperabile obiecto S. crucis signo comprimit.

Rex Anglorum Edelvvolfus, à Danis liberatus ex voto peregrinatur Romam; vbi reliquam Angliæ partem Papæ reddit tributariam, nummo recognitionis annuo, die S. Petri ac Pauli, pendendo.

An. DCCCXLVIII. Papa Leo IV. diuino admonitu nouam condit vrbem clauditq; muris, Vaticanæ ab incursibus defendendæ.

Sumptus præstat Lotharius cum fratribus.

Concilium Moguntinum damnat *Godescalcum hæreticum*, præside Rabano Archiepiscopo. Fuit is Monachus Rhemensis; aucupandi nominis causa ex peruagatis olim hæresibus centonem consarcinatum vulgauit; præsensque Concilio libellum dogmatum suorum obtulit Rabano; damnatusq; remittitur Hincmaro perpetuo concludendus carcere.

Hæreses eius erant hæ: *Deum æque iustos ac iniustos prædestinasse*; Tales Prædestinatianos, olim à S. Prospero conuictos, damnarat S. Cælestinus Papa. 2. *Christum non esse crucifixum pro salute mũdi totius; sed horum duntaxat, qui saluantur.* 3. *Neminem prædestinatorum posse peccare.* 4. *Deitatem S. Trinitatis esse triplicem.* Eum in carcere pertinacem suus Abbas Hincmarus confutat: sed laterem lauat; ipse post nihilo melior.

An. DCCCXLIX. Papa è cœmiteriis suburbanis transfert sanctos intra Vrbem, vt custodes eiusdem.

Redeuntes Saraceni ad prædas faciendas classe vincuntur, cui prius Papa ritu solenni benedixerat: Capti innumeri barbari damnantur ad vrbis nouæ fabricam.

In minore Britannia Nomenoius inuadit tyrannidem contra Carolum; dire sæuiens in Christianos à Papa, & Concilio Turonensi monetur. Contumax ab Angelo occiditur.

Anno DCCCL. Rursus in pœnam oppressarum ecclesiarum infestatur Carolus à Nortmannis; vt regni partem inhabitandam eis permittere cogeretur.

Ludouicus quoque à Boemis vinci-

tur; quorum Ducem seipsum fuisse proclamat ex obsesso Dæmon: Et Germania, præsertim circa Moguntiam, dira fame emarcuit.

An. DCCCLII. Absoluta vrbs noua dedicatur à Leone IV. cum supplicatione circum eam ducta; in qua ipse, Cardinales, Clerusque nudis ibant pedibus & capitibus, cinere conspersi, & induti saccis, cum hymnis, Litanijs, aqua lustrali, ac solenni Missæ officio subiuncto.

Saraceni diram exercent persecutionem Cordubæ perque Hispaniam: quorum Rex Martyrum corpora in rogum abijci iussit; sed ante percussus ab Angelo, perdit vsum linguæ; mox & vitam.

An. DCCCLIII. Nortmannis rursum Caroli regnum & Turonē vastantibus, hinc S. Martinus transfertur Antisiodorum, ac propter S. Germanum deponitur. Cum vero exinde fieret controuersum, vtrius Clericis Oblata maxima cederent; quia ab vtroque edi miracula promiscue visebantur: iudicium petitur ab Sanctis hoc modo: leprosum collocant medium inter vtrumque: vt, quod latus obuersum Sancto persanari contigisset, ei miracula tribuerentur. Et sanatur latus versus S. Martinum. Rursus eundem altero cum latere obuertunt; sanatur & istud à S. Martino. Itaq; S. Germanus honorem cessit hospiti Sancto.

Io annem Papissam successisse hoc anno S. Leoni IV. primus autor fabulæ fit Marianus Scotus, qui vixit an. 1060. Fuldæ monachus, Chronicorum cōpilator. 2. Error fors inde manauit, quod Michael Imper. cinædum suum Photium laicum, hæreticus hæreticum fecerit Patriarcham Constantinopolitanū: vnde fama, Fœminam esse Pontificem.

Leo IV. namq; ea de fama ipse scripsit ad Michaelum.

3. Si Romæ probrum tale sedisset, sane Romani hostes Michael & Photius id minime siluissent; præsertim tanto in Schismate, in quo Photium Papa deposuit exauctoratum, & Ignatium approbauit. 4. Deinde; nullus huius æui scriptor istius meminit vsquā. 5. Posteriorum Sæculorum scriptores dissentiunt in tempore, nomine, patria, facto &c. 6. Leoni IV. denique *anno* 855. vita perfuncto, immediate successit Benedictus III. vt nusquam Papissæ locus inueniatur.

An. DCCCLVI. Lotharius se abdicat imperio; regnum fratribus partitur, comâ positâ, attonderi se in monachum Pruniaci facit: & obit mortem.

Michael Imperator matrem Theodoram pijssimam, consortem imperij; quod ei molesta esset monitrix, inuitam tonderi curat, detruditque in monasterium.

Ludouicus creatur Imperator.

An. DCCCLVIII. Nicolaus I. creatus se confert ad Imperatorem Ludouicū: hic ei viso pēdes occurrit, equū Pontificis prehenso freno ad teli iactum manuducit; & post colloquia ac mēsam regredientem parj officio submisse est prosecutus.

S. Ansgarius Bremensis & Hamburg. Episc. monitos Fresios, ne Dominica laborarent; at peruicacius resistentes igne de cœlis deuocato mulctat.

Cari-

Carolus Martellus ob ecclesiasticorum bonorum inuasionem ostenditur S. Eucherio damnatus. Et vero aperto sepulcro exibat draco; fossa autem visebatur exustione denigrata.

Vnde Episcopi admonent Ludouicũ pietatis, vt palatium habere malit sacrum, & non sacrilegum.

In Oriente cœpit Schisma Constantinopolitanum, Sancto Ignatio Patriarcha per calumnias relegato, & suffecto per Michaelem laico suo secretario Photio. Incæstus causa tragœdiæ fuit. &c.

An. *DCCCLIX.* Tulli in Synodo rursus est damnatus Godescalcus hæresio Prædestinatianæ.

Anno *DCCCLX.* Carolo seniore à pactis, in Conuentu Episcoporum Confluentiæ sancitis, resiliente, Reges cæteri ad Papam supplices per literas, vt ad Patrem, confugerunt, se submiserunt, orarunt Iudicem in causa tot regnorum, quot quinq; Principes gubernabant.

De cætero pluribus annis tenuit Papam Nicolaum Schisma Photianum, incœstus Lutharii; Legatorum manca fides; & Conciliorum adulatoria Regi collusio: quæ tamen Papam circumuenire nequiuerunt.

Anno *DCCCLXV.* Græcis primum campanæ esse vsui cœperunt, à Duce Veneto missæ Michaeli Imperatori, in S. Nicolaum Papam iniquissimo.

Qui dum se cum Photio scindit ab Romana Ecclesia; ecce Bulgari ad Christum cõuersi in gremium sese condunt Ecclesiæ.

Anno DCCCLXVII. Bardas re imperat, nomine Michael, arguitur de incœstu ab S. Ignatio, Episc. Constantinopolitano: quẽ ideo facit deponi, intrudiq; Photium. &c. Demum post multa flagitia visus sibi videre *S. Petrum, qui iussit eum in frusta secari.*

Id quod pauxillo post euenit à Michaele. Qui in eius locum creauit Cæsarem Basilium: à quo tamen Michael trucidatur, vt vitæ ipsius insidiator. Cõtinuo Basilius acclamatus Imperator Photium detrudit in monasterium, restituit S. Ignatium: Papæ se submittit, orans ab eo ferri auxilium ecclesiæ Cõstantinopolitanæ. Sed obit S. Nicolaus Papa; succedit S. Hadrianus II. miraculis vterq; celebris.

An. DCCCLXVIII. Lothar. Rex Galliæ, citatus à Papa, Romam venit, se de adulterio purgaturus: repudiata enim vxore, aliam deperiens duxerat. Conuicto, pœnitenti, spondẽtique abdicata adultera recepturum sese legitimam priorem, Papa Sanctam Eucharistiam porrigens ait: *Si nil fingis, Communio tibi proueniat ad salutem: Sin', noli accedere.*

Similiter & ad sequaces eius: *Si non communicasti cum excommunicatis, sume salutem.*

Et ecce: Omnes anno moriuntur eodem: Lotharius etiam ante, quam ex Italia excessisset. Teudgaud° quoq; Treuiren. Episcopus, fautor Lotharii; hospitans in monasterio S. Gregorij, quod hic S. Andreæ honori construxerat, ab vtroque sibi apparente protinus exire hospitio, vt indignus, iubetur.

Ea nocte excedit: at cum omnibus suis eodem anno etiam è viuis.

An. DCCCLXIX. Hadrianus II. permittit *Generalem* indici *Synodum Constantinopolitanam VIII.* In qua Basilius Imp. mirificam Episcopis Reuerentiam suiq; subiectionē demonstrauit, haberiq; iussit, adeo vt vel oculos suos etiam calcari ab eis voluisset: zelose laborat vt Photianos Episcopos ab schismate ad Romanæ Ecclesiæ vnionem reduceret.

Imperator noluit primus subscribere Decretis Concilij; sed post Legatos Apostolicos. Liber Photij dum in rogū iniiceretur, ab ingenti imbre flamma, non secus ac ab oleo, gliscebat.

Anno DCCCLXX. Carolus Caluus regnum Lotharij inuadens arguitur à Papa id inhibente. Hincmarus ergo Rhemensis, autor Carolo facti, nunc & defensorem agens docere nititur, *Papæ nil esse iuris in regna; vt quæ bello quærantur; non dentur, nec confirmentur à Papis.* At secus docent superiorum Facta sæculorum: ideo *Hincmarus politicorum Doctor* fingebat se, quæ scribebat, ab alio audiuisse; fugitans tanti Falsi autor haberi.

Danis Angliam populantibus, Ebba Abbatissa metuens sanctimonialibus, suo mouet exemplo Sorores, vt truncatis labris ac nasis se ipsas deformarent, ne ab hoste ipsis illuderetur. Vitæ fugiūtur; sed & cum cœnobio combustæ, martyrio coronantur.

Prope Damascum turi, in cœnobii templo Deiparæ sacro, pictā in lignea tabella *imaginem B. V. Mariæ accidit mutari in carnem*; sudareque oleum mirificæ fragrantiæ: quod nil imminuitur, quantumcumque tollatur; varios sanat morbos, etiam in Saracenis; qui proinde frequentissimi, inter innumeros ad eam peregrinantes Fideles, eodem confluunt causa religionis; præsertim in festis Natiuitatis, & Assumptionis B. V. Mariæ.

An. DCCCLXXI. Ludouic. II. inungitur Imperator à Papa. Doluit id Basilio, inuiditque ei nomen Imperij: cui rescribens Ludouicus docet, *à Papis accipi regna & imperia, more maiorum*; & ita se Imperare; non ipsum.

Æthelredus Rex Angliæ signa cum Danis commissurus, ante Missam audito sæpius auocatus, ob occasionem rei bene gerendæ, vrgente hoste, cedere à Sacro noluit, nisi absoluto. Moramque hanc Deus illustri compensauit victoria.

An. DCCCLXXXII. Basilii instinctu Dux Beneuentanus capit Ludouicum II. incenso eius palatio, coactum pactis auitis stare scilicet in pœnam illius: quod excommunicatum Teutgudum Treuirensem Episcopum tutus esset: occurrenteque ei cum Clero & crucibus Papa, Clerum cecidisset, cruces proculcasset, ac Romā dedisset in prædam. &c.

An. DCCCLXXIII. Ludou. II. Romæ se submittens Papæ impetrat absolutionē iuramēti sui, quod Adelgiso captus & coactus fecerat: simul in eum decens profugat eundem.

Ludouicus Rex Germaniæ dum Francofurti init Comitia, filium Carolum arripi à dæmone coram omnibus cernit: furentem monet coniurationis contra se patrem factæ; iubet pœ-

pœnitere: ignoſcit ipſi, Deumque pro eo deprecatur.

Reſtitutus fatetur, quotieſcunque attentaſſet coniurationem, toties arreptum fuiſſe.

ANNO DCCCLXXIV. Ludouico Regi Germaniæ, in Quadrageſima, precibus inſiſtenti, annis inde triginta mortuus pater Ludouicus Imperator adſtans ait: *Adiuro te per Ieſum, vt me è flammis eripias vt vita perfruar beata.*

Continuo fieri curat toto regno per omnia monaſteria preces & ſacra: breuique poſt & ipſe moritur.

Dux Saracenus violator templi monialem in eo oppreſſurus trabe, aliunde aduolante, opprimitur, & Salernum, quod obſidebat, liberatur diuinitus.

ANNO DCCCLXXV. Prodefuncto Ludouico II. patratis plurimis Sacrificijs; Auguſtâ ſic orante Papam; quæ ſeſe recluſit in cœnobium. Papa *Carolum Clauum*, Romam accitum coronat & vngit Imperatorem.

Ex Corbeia factæ miſſiones in Sclauiam, hanc totam adduxerunt ad fidē Chriſti; & Saluatori ac B. Vito baſilicam poſuerunt.

Huius *S. Viti honor* tàndem à fide excidit, gente Sclauorum ipſum pro Deo & colente, & coli ab aduenis compellente, vt nil vendi mercatoribus liceret prius, quam S. Vito quid libaſſent.

AN. DCCCLXXVI. Ludouico Rege Germaniæ vita functo, Carolus Caluus primum infeſtè perſequitur Clerum, Eccleſiam, & eccleſiaſtica iura; dein regnum Germaniæ inuadit, excluſis filijs Ludouici: Horum vnus Ludouicus Iunior, parato vtrinque exercitu, ſtatuit coram eo denos, qui innocuo tactu *ferri candentis probam* darent, ab vtra parte ſtaret iuſtitia: tangunt omnes illæſi: ſed nil Carolus motus parat arma; Papa nequicquam eum reuocante. Ante cōflictū Carolini ita trepidant, vt iam tunc ſe victos putarent. In confli ctu *ſtant equi immobiles*; niſi cum in fugam vertebantur; in qua Auguſta abortiuit.

Iuſta vindicta in iniuſtum. In fuga etiam mutuis ſe gladijs verberabant; at nemine læſo.

AN. DCCCLXXVII. Carolus Imp. veneno potatus tollitur à Iudæo, prius tamen Papæ ſuccurrerat contra Sanacenos. Recēpit pro munere *benedictas* à Papa *palmas*.

AN. DCCCLXXVIII. Vrbe Rom. ab Spoletano Duce occupatâ, Pontifex Ioannes VIII. carcere clauditur, Clerusque vapulat.

Elapſus tamen confugit ad Ludouicum: qui eum reducens in Vrbem quærit; *Quid de eorum ſalute ſperandum, qui pro defenſione Eccleſiæ cecidiſſent.* Cui Papa; *Poſſe certos eſſe ſalutis.* Ideoque *plenariam* impertit *Indulgentiam* pugnantibus contra Paganos: & Caroli Calui filium Ludouicum coronat in Imperatorem.

AN. DCCCLXXIX. S. Ignatio ex humanis exempto, miraculis inclito, Photius impius redit Conſtantinopolim, operâ Ioannis VIII. Papæ, perſuaſi à Baſilio: Idque cum ingenti & ſcandalo, & damno Eccleſiæ: Vnde non Papa, ſed Papiſſa vocari cœpit velut effœminati pectoris, qui nec eunucho Photio, nec Semiuiro Baſilio reſtitiſſet; contra prædeceſſores, & Concilia. Sed cauſa

agebatur *non hæresios*; verum *schismatis* solius: vnde lapsus Papæ fuit moralis & factiinon Fidei.

AN. DCCCLXXX. Papa idē, cognita fraude Photiana, in Conc. Romano Photium & sectarios anathematizauit. Idem concessit Morauis *Diuina celebrari linguâ patritâ* Sclauonica: Ducemq; Spoletanū pœnitentē absoluit.

AN. DCCCLXXXV. Romanum agrum *nubes locustarum* oppleuit: Stephanus PP. VI. *aquam lustralem benedixit*, qua campos aspergi præcepit: asperſaq; loca liberabantur à plaga.

AN. DCCCLXXXVI. Basilius Imp. miserat Archiepiscopum in Russiam, qui prædicans diu Christum, tandem à Principe accersitus, ex libro Euangeliorum aliqua recitat ei miracula. Cui Dux: Tu si quid simile nobis ostenderis, credemus: simul poscit librum eum in rogum inijci; si non exuratur, tunc credituros Ruthenos. *Manet illæsus liber in fornace* multis horis, dum prunæ extinguerentur.

AN. DCCCLXXXVIII. Carolo Crasso in egestate mortuo *vacat Imperium Occid.* in multas sciſſum partes, ac Reges. Aurelijs in templo *Crucifixi statua rivos lacrymarum fudit* per aliquot dies cōtinuos: omen putabatur vrbis perdendæ. Et ecce ortus ignis vrbem hausit vniuersam.

AN. DCCCXC. Northmanis sese in Britanniam infundentibus; Alanus Dux Brito cum Britonibus *vouent decimam partem omnium fortunarum, S. Petro* Romæ se oblaturos, si vicerint. Vincunt; vt vix 400. ex 15000. euaserint Nortmanni.

Sequuntur tumultuosissima tempora schismatum, Sedisque Romanæ fœdus status.

AN. DCCCXCI. S. Formosus creatur Papa; Schisma contra eum creat Sergium: cuius facinora hodie quidam affingunt S. Formoso. Magnam tamen inuidiam Principum creauit sibi, Widonem Ducem Spoletinum, imperij inuasorem, vngendo in Imperatorem *an.* 891. Et *an.* 893. eiusdem filium Lambertum item in Collegam Imperat. Et *an.* 896. sibi ab Romanis exagito Regem Arnulphum in auxilium venientem, renunciando Imperatorem.

AN. DCCCXCVI. Mortuo Formoso, damnatus ob facinora Bonifacius inuadit Papatum: At AN. DCCCXCVII. March. Tusciæ electo illo nequiorem intrusit Stephanum VII. cui Clerus qualitercunque adquieuit. Hic S. Formosum Sepulcro refossum, papalibusque indutum in Sede exposuit despicatui: exuto tres digitos præsecuit; damnatumque in Tiberim abiecit: ordinatos ab eo exauctorauit. Piscatores repertum sepeliunt in S. Petri basilicam. Lateranum cacodæmone impulsore corruit vt solo adæquaretur. Solum remansit integrū *Sanctuarium, in quo Sedes Apostolica emmebat*; indicio, portas inferi non prævalituras ei; quia *Thronus eius sicut sol, & sicut luna perfecta in æternum.*

AN. DCCCXCIIX. Quod Carolus Simplex Franciæ Rex quæreret amicitiam Nortmannorum, Fulco Rhemensis per epi-

epistolam disſuadet; *dignam quæ Politicis objciatur.*

ANNO CM. Arnulpho & Widone Impp. mortuis, Ludouicus Bosonis filius Berengarium Foroiulij ducem prælio vincit, & Romæ omnium consensu susceipit à Papa Imperium. Marchio Tuscię Stephanum PP. carcere & neruo strangulat.

ERGO:

1. Dic age; Quæ sincera FIDES hoc constitit AEVO IX?
   At SIC PAPISTIS RESstat ROMANA, FIDESQVE:
   Non SIC REM seruat Luthero-caluiniſta, FIDEMQVE.
2. IVRE SVO Proprio Papa, atque Eccleſia gaudent:
   Quis quid Ei AVGVSTVS proprio de iure remiſit?
3. ANTI ne CHRISTVS erat quiſquam hoc ROM. in Aeuo IX?

SÆ-

SÆCVLVM DECIMVM ANTIPAPISTICVM, *seu* ROMANO-SCHISMATICVM.

PONTIFICVM ROMANORVM CONTINVATA SVCCESSIO.

THEODORVS II. succedit anno 901. Sed die 24. moritur: ideo

116. IOANNES IX. ex monacho creatur Papa *an.* 901. depositoque Berengario restituit imperium Lamberto in Conc. Romano, *an.* 904. Moritur *an.* 905. Sedit annis 4. dies 15.

117. BENEDICTVS IV. creatur *an.* 905. magnus benefactor pauperum: obijt *an.* 907. Sedit annis 3.

118. LEO V. creatur *an.* 907. Sedit dies 40. Ab Christophoro Sedis invasore detrusus obijt.

119. CHRISTOPHORVS sedit menses 7. Nam à Sergio pulsus, vinctus, carceratus, in monasterio clausus vitam finiuit.

120. SERGIVS III. invasor Sedis, intrudente eum Marchione Tusciæ: obiit *an.* 910. Sedit annos 2.

121. ANASTASIVS Romanus ritè creatur *an.* 910. obit *an.* 912. Sedit annos 1. Men. 2.

122. LANDO operâ Theodoræ meretricis intrusus vixit menses paucos.

123. IOANNES X. *anno* 912. ab eadem intruditur.

Anno 928. ab Marchione Tusciæ Widone captus, suasu Marchiæ scorti per pulvinar impositum ori suffocatur. Sedit annnos 16. Parum peregit.

123. LEO VI. Surrogatur *anno* 928. Sedit menses 6. dies 15. Finijt in carcere vitam.

124. STEPHANVS VIII. succedit *anno* 928. Obit *an.* 931. Sedit annis 2.

125. IOANNES XI. intruditur à Scorto Marchia Tusciæ *anno* 931. ab eius Marchione Widone *anno* 933. coniectus in carcerem obit *anno* 936. Sedit annis 5.

126. LEO VII. Surrogatur *anno* 936. Moritur *anno* 939. Sedit annis 4.

127. STEPHANVS IX. Germanus succedit *anno* 949. Pugnis sæpius contusum ab Alberico Duce, Otto Rex Germaniæ suum patriotam miseratus, sese miscere electioni schismaticæ statuit ac subuenire Germano. Obijt *anno* 943. Sedit anno 3. Men. 4.

128. MARINVS II. Succedit *anno* 943. Spiritu prophetiæ clarus, vita optimus: multum laborauit in Cleri & Monachorum reformatione. Obijt *anno* 946. Sedit an. 3. men. 3. dies 13.

129. S. AGAPITVS II. Subit *anno* 946. Cogit *anno* 949. Concilium Romæ confirmans Concilium Ingelheimense contra Hugones. Obijt *an.* 951. Sedit annis 10. Men. 3. Di. 10.

130. IOANNES XII. Alberici patricij filius duodeuicennis seipsum intrusit *an.* 951.

Cleri cum consensu, schisma metuentis.

Anno 960. contra Romanos tyrannos opem Ottonis implorat, eumque coronat Imperatorem *anno* 962.

At *anno* 963. deficientem ab Ottone ad impium Ducem Adelbertum, Otto victor in Conciliabulo deponit, sufficitque Leonem Pseudopapã: Quem Ioannes in Concilio, *anno* 964. cum eius Electoribus excommunicat, & obit seu ex mœrore, seu, vt Luitbrandus prodit, à dæmone tempora percussus, dum pellici accumberet, vt intra paucos dies exhalaret: Sedit an. 9.

131 BENEDICTVS V. à Synodo collecta continuo subrogatur *anno* 964. Sed Otthonis impulsu Leo Antipapa coacto cætu abrogauit Papatum Benedicto legitimo Papæ: quem Otto secum traxit in exilium Hamburgum: vbi captus exul sanctè viuens obijt *anno* 965. Translatusque Romam inter martyres numeratur.

Annoque eodem obijt pseudopapa Leo. Ille sedit annum 1.

133. IOANNES XIII. canonice creatur *anno* 965. Sed à factiosis in carcerem detrusus *an.* 966. ab Ottone Imp. liberatur in factiosos vindicante.

Synodis duabus ritè celebratis, moritur *an.* 972. Sedit annos 6. Men. 11. dies 5.

134. DONVS Romanus creatur *an.* 972. Obit post tres menses.

135. BENEDICTVS VI. canonicè creatur *an.* 972.

Sed *an.* 974. à Bonifacio Romano Cardinali scelestissimo, Papatus inuasore, capitur, carceratur, strangula-

dd tur.

tur. Sedit annis 2. Contra quem sese armans Benedictus Episcopus Suttrinus impium Vrbe ac Sede relicta fugere compulit: sed prius Vaticana despoliata nauigauit Constantinopolim. Continuoque

136. BENEDICTVS VII. idem ille ab Clero eligitur in Papam. Obit *anno* 984. Sedit anns 9. dies 10.

136. IOAN. XIV. creatur *an.* 984. ex Episcopo Papiensi, & Archicancellario Ottonis.

Bonifacius audita morte Ottonis, Ioannem tutantis, rediens Romam factione contracta Ioannem capit, in carcere trimestri inedia enecat: enectumque proijcit in publicum; & se ostentat Papam.

At vero protinus suismet, Deoque execrabilis factus, repentinâ corruit.

Hic sui cadauer raptare, cædere, lanceis confodere, laceratum relinquere *an.* 985.

137. IOAN. XV. Romanus vnanimiter creatus *anno* 985. secedit in Tusciam metuens factionum.

At Romani, Ottonum memores, eum reditet exorarunt, ac permagnifice exceptum rite coluerunt.

Sicque ex hoe respirare Sedes Apostolica cœpit. Reges Angliæ conciliat: anno 995.

S. Vdalricum alioque canonizat: & obit *an.* 996. Sedit annos 10.

138. GREGORIVS V. Germanus, Ducis Ottonis filius, creatur *anno* 996. Iectus à Crescentio Duce Romano restituitur contra Ioannem XVI. pseudopapam Crescentianum.

Restitutus vero *solis Germanis, in Concilio Romano, concedit Ius eligendi Imperatorem*, simul coronat Ottonem III. Obijt *anno* 999. Sedit annos 3. Men. 8.

Tot tanta inter propudia schismatica stetisse quis non mirerur Ecclesiam Romanam? Stetit autem: stabitque.

IMPE.

IMPERATORVM OCCIDENTIS ACTA INSÆCVLO X.

	An. Ch. nati
9. LVDOVICVS IV. *coronatur à Papa.*	900
Oculis, imperio, vita priuatur à Bereng. deficitque in eo Imperium Carolinum, transiens ad Saxonem Conradum.	904
10. LAMBERTVS *Nidonis Imperat. filius coronatur à Papa, eodemque anno & Arnulphus coronatus est.*	892
CONRADVM *ad Ducem Saxoniæ est translatum Regnum Sax. occiso Ludouico Italis interim vsurpantibus sibi Imperium.*	
Berengario Ludouicum necante, & imperante per vim, Romanum Concilium eum abdicat, & restituit Lambertum, Ecclesiæ priuilegia restituentem.	904
Occiditur in venatione, laudatus.	910
11. BERENGARIVS *Dux Foroiulij certat cum Ludouico pro Imperio.*	900
Inuadens Imperium coronatur, vngitur à Papa; sed à Conc. Rom. abdicatur.	904
Redimit pacem Italiæ ab Hunnis.	902
Occiso Lamberto solus imperat.	910
Coronatur a Ioanne X.	915
Occiditur.	924
10. HENRICVS *Ottonis filius, mortuo Conrado fit Rex Germ. iam ante Rex Franciæ.*	919
Vngi se indignum ducens per visum inducitur vt se vngi sineret: De vidua velata in vxorem ducta pœnitens peregrinatur Romam.	919
Reliquias S. Dionysii reuerenter recipit.	920
Lanceam Domini extorquet à Rudulpho rege Ital.	929
Victis Danis reformat pietatem.	930
Hungaros mirificè vincit.	933
Obit pijssime, nunquam Imperator creatus.	936
11. OTTO *Henrici filius succedit in regno Germ.*	936
Rebelles vincit pietate	938
Deuictis hostibus propagat religionem Cath.	949
Vincit Berengarium tyrannum rogatu Papæ.	951
Eundem restituit regno Italiæ	952
Filius in eum conspirat reconciliatur que	953
Hungaros miraculose vincit.	955
Liberatur à Papa per S. Vitum.	956
Berengario tyranno eripit regnum Italiæ.	961

	Anno Christi nati
Coronatur Imperator Occidentis, conformatque Iura Ecclesiæ.	
Intrudit pseudopapam, vero deposito.	962
Romani insurgunt contra ipsum, at is electo Benedicto PP. restituit pseudop. Leonem ideoque vindicat in eum Deus.	963
It Romam pro restitutione Ioan. XIII. carcerat.	964
In Conc. Rauen. confirmat Iura Ecclesiæ Ottonemque filium coronari Imp. curat.	966
Magdeburgum condit & Metropolim facit.	967
Moritur.	971
12. OTTO II. *Imp. occ. ducit filiã Niceph. Imp.*	973
A Francis fugatur, vadatque flumen ope S. VVolfg. Peccans in S. Laurentium extinguendo Episcopatum Marspurgi à Græcis & Sarac. vincitur, & pie moritur.	969
13. OTTO III. *Imp. succedit patri.*	983
Restituit Marspurgensem Episcop.	983
Crescentium tyrannum occidit, & pseudopapam: ideo pœnitens peregrinatur in montem Garganum: Coronatur Imp. à Papa.	984
Pie se exercet apud S. Romualdum anachor.	996
Vxorem igne illæsam probat.	997
Pœnitens peregrinatur ad S. Adelbertum	998
Reliquias Româ affert in Germ.	999
Differt renunciare sæculo ad monitum S. Rom.	1000
Pie moritur.	1001 1002

IMPERATORES Orientis.

80. CONSTANTINVS VIII. *Leonis filius Imperat.*	912
Romanum *assumit collegam in rebellione ciuium.*	919
Roman. creat duos filios suos Impp.	928
Constantinus obsessa Edessa extorquet sibi dari epistolam Domini ad Abagarum, & imaginem non manu pictam; quæ clarent miraculis.	944
Ab filio veneno tollitur, vt is Imperaret.	960
81. ROMANVS *filius imperat triennio: obit*	963
82. NICEPHORVS *Phocas acclamatur Imp.*	963
Atterit Saracenos cladibus: milites haberi vult martyres; excommunicatur à Patriarch.	964
Specie nuptiarum cædit exercitum Ottonis, & cæditur à suis, Deo vindice.	969
83. IOA. ZEMISCES *trucidat Nicephorum & Imperat. ideoque à Patriarcha excommunicatur*	969
Bulgariam fere delet totam ope S. Theodori: triumphum defert B. Virgini: & monetam insignit imagine Christi primus.	971
Veneno tollitur ducens cõtra Syros.	979
84. BASILIVS & Constantinus *fratres Imperat.*	979
Basilius moritur.	1025

CONCILIVM

Generale hoc sæculo X. nullum: At *Synodi Provinciales* complures celebratæ, præsertim ad reformationem disciplinæ sacræ. Hæ-

sismata prope continua.

Hæresiarchæ Dissoni Papis.

Hoc sæculo X. nulli : adeo Orco toto in Schismatis conflandis effuso, ac distento. Vide tamen aliquid in variis *anno* 990. *& anno* 1000.

SS. Patrum, & Doctorum Concordia sub Papis legitimis hoc Sæculo X. obscuro.

LEO VI. SAPIENS Basilii Imp. filius & successor in Imperio Orientis *an.* 888. Photium eiecit, suffecit Stephanum Epis. Constantinop. & pro eo confirmando Romam scripsit *an.* 887. Santaberenum vero magum oculis priuat. *An.* 893. auxilia præbens Turcis & Hunnis contra Bulgaros excommunicatur ab Episcopo Constantinop. ab Euthymio tamen subrogatur absolutus moritur *anno* 911. Parens *an.* 902. bellum contra Saracenum scripsit: insignem epistolam ei *de Christianæ fidei veritate, & Saracenorum impietate* asseritq; Spiritum S. à Patre Filioque procedere. Plures item orationes dixit, scripsit, & euulgauit.

IDIOTA quidam nomine suppresso scripsit *de Contemplatione & humilitate* sub annum 902.

MARCVS EREMITA varia scripsit *opuscula Theologica*, plena errorum, legendaque caute: suspicio, ab hæreticis esse deprauata : Nam vir pius Leonem VI. Imp. curauit saucium, & ei decennium vitæ prædixit. *sub an.* 906.

RHEGINO Abbas Brumiensis scripsit Chronicon à Christo nato ad *ann.* 908. quod alius dein continuauit ad annum 967.

RADVLPHVS Flauiacensis Monachus floruit *sub a.* 910. Scripsit libros 20. in Leuiticum: libros 14. in Epistolas 14. Pauli.

LVITBRANDVS Ticinensis Diaconus, & Episc. Cremonensis, Legatus Berengarij Imp. *an.* 946. scripsit libros sex de rebus gestis in Europa sua memoria. At à capit. 6. libri 6. sunt ab alio supposita.

WITICHINDVS Monachus Corbeiensis, sub *an.* 946. scripsit res Saxonicas & Ottonum.

STEPHANVS Eduensis Episc. *sub an.* 950. scripsit de Sacramento altaris, & pertinentibus ad idem.

MOSES Barcepha Episcopus Syrus de paradiso scripsit.

Dogmata Ecclesiæ Romano-Catholicę, Nouatoribus contraria hodiernis.

Eadem, quæ Sæculo superiore, sunt constanter asserta ; hæreticis altùm silentibus cunctis.

VARIA

Testimonia Fidei historica in Sæculo X.

Sanctorum & Miraculorum feracissimo.

AN. CMI. Leo VI. Sapiens Imperator *Sanctam Theophaniam*, miraculis celebrem, habuit vxorem. Processurum insanus vecte percussit in caput; Saucium *Marcus Abbas* sanauit de vita periclitantem, vitæq; decennium ei reliquũ est vaticinatus.

Eduardus Rex Angliæ cognatum suum bello persecutus vicit; *quod monialem è monasterio raptam duxisset vxorem.* Victor raptam retrusit in cœnobium.

AN. CMII. Theoctiste in insulam Paros, quando Duce Nysiride Arabes Lesbum euastarũt, abducta cũ captiuis monacha, fugit in abdita, ioique sup. 35. annos sola ac nuda seruiuit Deo. Leonis Dux, in Saracenos Cretam populantes missus, nauigat in Parum venaturus, digressus in tẽpellũ B. Mariæ acclamatur: Siste: fœmina nuda conspici erubesco. Præbe tunicam, Præbuit; vidit pari & canicie & macie aridam magis laruam hominis, quam hominem. Referens ei vitam petit, vbi post annum reuerterit, *S. Eucharistiam in panno mundo* sibi afferri. Fit: Vt S. Synaxim obijt, è vita in beatiorem abijt communicata sub vna specie.

AMNO CMIII. Opera Sancti Cyrilli & S. Methodii, conuerso Duce Boriuoio, contigit & gentis Boemiæ conuersio.

AN. CMIV. Berengarius Dux Fori Iulij captum *Ludouicum Imperatorem* oculis priuat & imperio; & Romæ ab Ioan. IX. coronari vi extorquet, abrogato Imperio Lamperto. Dolens facti Papa Concilio LXXIV. Episcoporũ abrogat imperium tyranno, & cõfirmat Lambertũ: Acta Stephani PP. contra Formosum damnat foco, sanciens: *Nullum mortuum esse iudicandum vt qui comparere non posset.* Iterum alio in Con. Rauen. præsentem Lambertum confirmat. Qui *omnia ab Imperatoribus Ecclesiæ Rom. concessa Priuilegia in perpetuum confirmat.*

At

In Ludouico Germaniæ Rege defecit Carolinum Imperium: Regnumque Germaniæ transfertur ad CONRADVM Ducem Saxoniæ.

AN. CMV. Herueus Rhemensis Archie. *Nortmannos* conuertit hos ad Fidẽ, illos, in idololatriam relapsos, ad pœnitentiam.

ANNO CMVI. *Poloni* per & negotiatores, & comitatũ Lesci principia Fidei agnoscere cœperunt.

AN. CMIX. Herueus crebra frequentat Concilia per Galliam, disciplina morum reformandæ.

AN. CMX. Comes Mediolan. Lambertum Imp. in venatione trucidant: Berengarius summam rerum inuadit & Marchio Tusciæ Principatum amissum reciperat.

ANNO CMXI. Leone VI. mortuo, filij

filij Alexander & Constantinus capessunt Imperium Orientis. Sed cum Alexander idola colens ait: *Heu, dum ista conterent Romani, erant inuicti.* Nocte insecuta senex eum Lucidus virga percutiens ait: *Ego sum Petrus Romanorum Princeps.* Protinus vomit sanguinem, ac animam: fœteq; intolerabiliter. Et ex hoc puer CONSTANTINVS imperat solus An. 912. Morituruque *Berno Fundator Ordinis Cluniacensis.*

AN. CMXIV. Lesci IV. Poloni filius nascitur cæcus; dum septennis affunderetur; nomenque acciperet *Meicislai*, inter lætos proceros ex vnigenito, mœstos ex cœco, ecce continuo recipit visum.

Consulti arioli respondent, fore Poloniam ab eo illustrandam; putabant armis: at Deus voluit Fidem per eum inferendam portendere: euentu teste.

AN. CMXV. Berengarius Saracenos sæpius profligauit, & Italia eiecit: *Visi in conflictu Sanctus Petrus & Paulus*: idcirco Ioannes X. & Clerus Populusque Rom. ei detulerunt Imperium; & vnctus est.

AN. CMXIX. Conradus, Rex Saxonum & Francorum moriens, *regnũ transtulit in Henricum* Ottonis filium. Quo vngi nolẽte, quod indignum se diceret; S. Vlrico Epis. Augustano S. Petrus per visum ostendit enses duos, capulatum, & non capulatum, dicẽs: Dic Henrico, *ensem capulatum esse Regem vnctum.*

Et vngitur.

AN. CMXX. Carolus simplex misit Henrico Regi Saxoniæ *Brachium S. Dionysij*: cui prostratus humi oscula fixit.

Certum indicium, diuinitus Imperium è Francia in Saxoniam esse iam translatum.

ANNO CMXXI. Vnio ecclesiarum Orientalium decreuit; ne quarta vxor, defunctis tribus, duceretur: In Occidente libertas nubendi fuit. S. Hieronymus ait nouisse, quæ sepelissent 22. viros; & qui superuixissent 21. vxoribus.

AN. CMXXII. *Reliquiæ de barba S. Petri* in pagum Gesedis delatæ dæmoniacos, morbosque plurimorum curarunt. Vide, infra anno 969.

AN. CMXXIV. *Angliam* Rex Adelstanus *dedicat S. Petro*: sed coniurans contra eum Elfredus, suam esse Angliam, inter verba iuramenti corruit mortuus.

AN. CMXXIX. Rex Henricus minis, precibus & pretio expressit à Rodulpho Burgundo *lanceam clauis Christi Crucifixi sanctificatam.*

Item Rex Galliarum Hugo misit ei *ensem Caroli Magni* cum clauo Dominico; *eiusdemque lanceam*: item *vexillum Sancti Mauritij* Thebæi. Hisce post Deum fretus victor vbiq; euasit, hostiumq; terror.

AN. CMXXXIII. Hungaros in Germaniam infusos Rex Henricus, præuia oratione, lancea, &c. & voto de Simonia per regnũ exterminãda fundit, fugatq;.

Obit *an.* 936. regnum relinquens Ottoni filio, quià Mog. & Colon. Archiep. vngitur ritu solenni.

Anni hi diuinitus partis illustrantur victorijs multis contra infideles.

AN. CMXXXIIX. *S. Oddo Abbas* Cluniacẽ. euocatur Romã, Monasticæ refor-

reformandæ. Rogatus illustrat notis vitam S. Martini ; pulsuque ad vesperas dato aduolat relicto libro : pluit effuse noctem totam, nec libri sub dio, subque canali vel litera immaduisset.

Idem oratione *duos iunxit montes* sic, vt riuulum interfluum exciperent, & vastum efficerent lacum ; qui dies piscium aleret adiacens monasterium, iam liberatum molestia procul aduectandi pisces.

An. CMXL. Huc vsque licitum liberumque fuit Sacerdoti *plures eodem die Missas dicere*, sed Concilium Salgenstadianum statuit, ne plures tribus celebrẽtur. Alexander Papa sub an. 1073. ad vnicam solam restrinxit.

An. CMXLIV. Constantinus Edessam Syriæ Saracenicam obsidens, ad eas descendit conditiones soluendæ obsidionis, vt traderent sibi *Epistolam Christi ad Abagarum, & Imaginem Christi nõ manu pictam.* Nauis, eas vehens, sine remige, contra ventum ac tempestatem, recta fertur Constantinopolim : plurima ad earum cultum patrantur miracula : vni abscecta manus recreuit. Imago Christi sese imprimit ipsam in applicatum ei linteum sic, vt clara luce radiaret.

Monstrosi *globi ignei* passim volantes, & restinguuntur, & pelluntur aqua benedicta, & crucibus ruri collocatis.

Romanus Imperator Orient. à filio attonsus retruditur in monasterium.

An. CMXLV. In Italia Hugo Rex filio dat regnum, & init monasterium Monachus. *Igne inuisibili* multi corripiuntur : & quotquot Parisios in ædem B. V. Mariæ confugiunt oratum ; consanantur.

An. CMXLVI. In Gallia inuentum est corpus S. Hunegundis Virginis integrum, fragrans, lucidum, miraculis inclytum.

An. CMXLIX. Danorum ab Ottone debellatorum Rex Christum multis Diuis inferiorem fore dicebat ; quod si maiora ipso miracla patrassent : assidens mensæ Poppo Sacerdos negat ; Christumque Deum ter Opt. Max. esse asserit. Huius probam expetit Rex, si Poppo ferri massam candentis tulerit illæsus. Fert : Rexque, Regnumque dant nomen Christo.

Et Sclaui fiunt Christiani : Illis multæ passim apparebant animæ defunctorum ; quod animarum non crederent immortalitatem.

An. CMLIII. Otto Rex Abbatiam donauit vxori ; & ecce Deus filios amat in ipsum, regno ejciendum ; nisi vnicus exercitus diremisset S. Vdalricus pacificator.

Quod indictum *S. Hunegundis* [illegible] quædam violasset spicas legendo, [illegible] ti spicæ cruentæ apparuerunt.

An. CMLIV. *S. Matthæi Euangelistæ corpus*, ipso reuelante repertum in Bythinia, (quo fuerat olim ex Æthiopia vbi martyrium subierat, translatum) hinc porro transfertur Salernum in Hispaniam.

An. CMLV. Hungaros innumeros se in Germaniam, vsque Augustam, infundentes S. Vdalricus precibus & sacrificijs, Otto Rex pietate, & voto se Meiburgensem Episcopatum Sancto Laurentio dedicaturum, vicerunt. Idem o-

mni-

mnibus suis pridie *Sancti Laurentij ieiunium* indixit: communicauit; lanceamque Domini præferens adeo internecione deleuit hostem, vt vix VII. euaserint.

Hispani Duce Consaluo, *viso in acie S. Iacobo*, & prece S. Pelagij eremitæ, illustri victoria sese vindicarunt è seruitute Maurorum in libertatem Christianam. Grati ex manubijs posuerunt monasterium, honori Sancti Petri sacrum.

An. CMLVI. *Manus S. Ioan. Baptistæ* trãsfertur ex Antiochia Constantinopolim, pio furto surrepta. Ei excipiendæ Imp. Constantinus VIII. Chalcedonem misit obuiam triremẽ regiam, ac Senatores, ipseq; cum Patriarcha in processione cleri populique occurrerunt.

Cun anno 954. pluisset crucibus, hoc insecuta pestis hausit, quotquot eas cruculas vestibus inhærentes retulerant: earum reuerentibus fuere saluti tota Germania. Otto Rex peste correptus, edito voto S. Viti honori seruatur.

Festum S. Catharinæ solenniore cultu obseruantes, ab continuis imbribus omnia mergentibus, ne quidem attingebantur.

An. CMLVII. Saraceni in Romanos ducti late prædantur. In Herculis vico irruunt in templum, dum ad aram operaretur Sacerdos: hic arrepta S. Hostia inuadit sacrilegos; conterritos pulsat, cædit, occidit, fugat solus multos.

An. CMLIX. S. Dunstanus Eduinũ admonens Angliæ Regem, abstineret matris ac filiæ nefastis amoribus; ex aula facessere & exulare iubebatur. Orationi intentus videt æthiopum turbam raptare animam Eduini: orat impensius pro eadem; & reuersi Mauri eiulantes ab ipso ereptam sibi prædam quiritabantur sancto hoc amplio res gratias agente Deo.

Simul

An. CMLX. Romam ijt petitum *prædicandi poceſtatem* & benedictionem à Papa Ioanne XII. quantumuis improbo.

Papa idem cõtra Berengarij tyrannidem inuocat opem Ottonis; Regis Germaniæ; ea tamen conditione mutua; vt iuret Otto, se fore Patrimonij S. Petri, & Iuris Ecclesiastici, ac Priuilegiorum conseruatorem: & iuret Papa, se titulum ei daturum Imperii. Et factum vtrumque est.

Itaque

An. CMLXI. Otto, filio Ottone in Regem creato, ducit in Italiam cõtra Berengarium cum 60000. occurrente: Sed deficientibus ab eo Principibus Italiæ, regnum cessit Ottoni sine prælio, effugato procul Berengario.

Anno CMLXII. Otto Imperator omnia Sancto Petro restituit, cæterisque sua Ecclesijs: pacta conuenta sancit diplomate dato: & Papa iurat ab eo se nunquam defecturum.

At

Anno CMLXIII. Ioannes Papa, quo impune flagitijs indulgeret, spreto Ottone ac iuramento, deficit ad impium Adelbertum Co-

mitem. Otto Romam aduolat; victor init; fugit Papa. Fit Synodus: hæc prolatis criminibus Ioannis eum peragit reum, Pontificatu exuit; Leonem surrogat: Omnia contra ius fas, & Canones.

Quocirca Ioannes eos omnes excõmunicauit attentantes iudicare Papam, & damnare. Otto se nil miscebat pseudosynodo.

An. CMLXIV. Dum Otto, Romæ præsidio relicto, Albertum Spoleti obsidet, ac vincit; Ioannes init vrbem, concitat Romanos, pro se contra Ottonianos depugnent; coacta Synodo Leonem deponit: noctuque accubans seorto ad caput à dæmone ictus exhalat.

Romani creant Benedictum V. Otto autem iterato Romam obsidet, expugnat; deditum à Romanis Benedictum accipit; coactæ Synodo & Sedi restituit Leonem, quem Clerus populusque acceptat, licet Pseudopapam.

Hinc error Gratiani, & ex eo cæterorum. Is enim credit Leonem fuisse Pontificem legitimum; vnde eius falsa ordinatione Codicem suum taminauit, *de facta ab Leone Imperatori Concessione super ordinatione Papæ: de Inuestituris ei datis; de Donationibus ante Sancto Petro factis, iam redonatis Imperatori.*

Nicephorus Imp. Orientis felicissime pugnans contra Turcas, contendit; at frustra; vt milites cæsi in Martyrum album referantur, & colantur.

An. CMLXV. Otto secum abducit Benedictum Hamburgum; vbi & mortuus est: simulque mortuus & Leo est.

Continuo Romani surrogant canonice Ioannem XIII. Ottone nil obstante.

Sarmatis creditur olim Christum prædicasse S. Andreas: (qui iam à Lesco Poloni audire cœperunt:) Eorum Rex Meiceslaus, etsi septem uxoribus vteretur, ex nulla tamen fieri pater valuit. Persuasus ducere Christianam duxit prius ipse baptizatus: gignitque Boleslaum. Illi igitur submissi à Ioanne XIII. Sacerdotes *conuertunt Poloniam.*

An. CMLXVI. Tumultuantes Romani Ioan. XIII. male mulctatum cæcerant. Otto è Germania aduolans eum restituit, mulctatis morte, & exilio, autoribus.

Primitiæ religionis in Polonia multos pariunt *eremitas sanctos.*

Anno CMLXVII. Otto filium Ottonem Regem, iam etiam creari facit Imperatorem Germanorum

An. CMLXVIII. Papa *benedicit campanæ*, in honorem Sancti Baptistæ suspendendæ. tum adhuc recens erat campanarum vsus; recentior benedicendarum.

Anno CMLXIX. Ottonis Comes à cacodæmone obsessus furit: Sistitur ab Ottone Romæ tangendus *anna S. Petri.*

Clerici dolo obligant eum alia cuna secundùm: deniq; Petrina; & mox ad huius contactum excussus euolat insessor.

In

In eam iniecta manu Episcopus Metensis ait: aut mihi relinquatur, aut manus præscindatur. Otto flectit eum, vt accepto annulo acquiescat. Idem Episcopus triennali bello per Italiam plures *collectas reliquias* secum asportauit in Galliam, de pilis Sancti Petri, Cruore Sancti Stephani, Sancti Laur. &c.

An. CMLXX. In Anglia S. Dunstanus cum Concilio decernit: Clerici aut caste viuant, aut præbendas perdant. Procrastinantibus Clericis, cum canerent: *Seruite Domino in timore*: &c. Ethelvvaldus init chorum proiectaque Pluuiali clamat: *Apprehendite disciplinam, ne pereatis.* Consentiunt, fiuntque è Clericis Monachi regulares.

Sed quia oscitabunde viuebant, Fulbertus Abbas mortuus dum biduo post effertur, è tumba se erigens rediuiuus clamat: Meritis Sancti Oivvaldi seruatus redii, vt facta peccatorum exhomologesi, sumtoque Viatico sacro, redormiam. Dictum factum ex ordine continuo.

Sanctus Dunstanus Comitem incœstuosum irrito euentu primum monuit: at postea idem in sacco, cinere, vndipesq; init Concilium, oratque pœnitentiam. Dignus quem à S. Dunstano excommunicatum absolueret collacrymans idem.

Anno CMLXXI. S. Vdalricus quod assenserit Imperatrici petenti, quatenus suus ei filius succederet in Episcopatu; idcirco ante mortem luit, vocatus ad iudicium Concilii Ingelhemensis.

Ioannes Imp. Ori. patrocinio & ope Deiparæ, ac Sancti Theodori Martyris, in acie prima etiam præliare visi, deuincit Bulgaros. Gratus, horum spolia ducens in triumphum, ipsis superimponit *statuam Deiparæ triumphantem*: Saluatori basilicam statuit nulli secundam: aureos cudit nummos hac cum epigrapha: *Christus Rex Regum*: ex altera stabat imago Christi. Ex hoc cœptus manauit *vsus monetas insigniendi sacris imaginibus.*

Anno CMLXXIII. Otto Imperator mane consurgit ad Missam: iubet erogarii eleemosynas: cum *Missa finita* finit & vitam in templo sedens.

Iam obierat anno eodem S. Vdalricus.

Anno CMLXXIV. V. VI. VII. &c. Hi anni, vt plerique superiores, & sequentes annales, pene mera Sanctorum, & Monachorum produnt miracula, vt Romualdi, Niconis, Nili, &c.

An. CMLXXVIII. Otto II. Imp. ducit in Franciam; redux dum ad tumefactum retardatur flumen, instantibus à tergo Francis. *Sanctus VVolfgangus Episc.* Ratisbonensis orat Deum; init flumen primus, sequentibus cunctis; perit nec vnus. Franci idem ibidem vadaturi merguntur, quotquot inuaserant vndas.

S. Eduar. Rex Angliæ, insidijs nouercæ cæsus, claret miraculis.

Anno CMLXXIX. Monachi sedes Clericorum occuparant: Catnæ in Concilio dum litigant. subita tempestate curia corruit; opprimit omnes partim occisos, partim sic attri-

tos, vt expirarint: Solus S. Dunstanus cum monachis trabi insistentes sunt illæsi.

Anno CMLXXXIII. *Vindictæ diuinæ* in varios hic, vt passim hoc Sæculo toto, referuntur. Nec Otto I. immunis fuit, aut impunis, quin & clade sui exercitus contra Græcos, & sua morte secuta lueret; Deo Sanctum de ea præmonente per visum.

Obijt tamen rite confessus, & communicatus.

S. Adalbertus Epis. Pragensis, ob Boemorum improbitatem se abdicans Episcopatu, fit Monachus, ministerq; culinarius toto quinquēnio: sic meritus fieri Apostolus Gentium.

Stephanus Vngariæ Princeps, & Meicislaus Poloniæ, *petunt à Papa titulum Regis* sibi concedi: annuitur illi; huic negatur, ob gentis cruditatem barbariusculam.

An. CMLXXXIV. Romæ Sacerdotes ineunt *Sodalitium* hoc pacto, vt singuli consodalium defuncti viuorum suffragijs per Sacrificia, preces, & eleemosynas adiuuentur; præsertim vt pro vnoquoque X L. Missæ cantentur.

An. CMLXXXVII. Ioānis XV. tertio, Ottonis Imper. Occ. quarto Ludouicus Rex Carolinæ stirpis non quidem vltimus; sed illiberis tamen moriens, regnum non reliquit Carolo fratri, sed tradi fecit Hugoni Duci Parisiensi; cuius pater in Nortmannica irruptione, diuinitus monitus, transtulit reliquias Sanctorum Martyrum in suam ecclesiam. Eique apparens S. Valericus spondet, ideirco posteros eius, vsque in septimam generationem in Francia regnaturos.

Constantinopoli ludentes in sphæristerio *Cantum Vesperarum* interturbabant: Sanctus Nicon eos increpans abigitur à Præfecto, protinus paralysi punito. Pœnitentem, precesque pro se à Nicone rogantem Sanctus consanat.

Anno CMLXXXVIII. In Hispania Christiani pauci vincunt prœlio Saracenos plurimos Duce Antolino pijssimo. Hic *noluit inuadere conflictum prius, quam Missa tota patrata*: interea tamen ipse inter primos visus est fortissime pugnare, versareque hostem: certum cunctis, *fuisse Angelum*: eius tamen equus vera vulnera saucius acceperat, & cæsorum sanguine cruentus rubebat.

Sic & anno 999.

An. CMLXXXIX. *Boemis suum Pastorem Adelbertum* requirentibus, Archiepis. Moguntinus impetrauit à Papa, vt è monasterio extractus, eis redderetur. Sed dum reperit eos æque, vt prius crudos; ecce Geisæ Regi de regni conuersione cogitanti noctu, apparens iuuenis speciosus ait: *Manus habes sanguine plenas, ideo non tu, sed filius tibi nascturus cogitata perficiet.* Reginæ apparens S. Stephanus ait: *Paries, cui meum nomen impones Stephani. Excipe benigne qui venit, Dei famulum.* Ecce propediē aduenit S. Adelbertus, vtriq; spondet pro firmitate promissi.

Anno CMXC. Et Reges, & Comites Franciæ iam diu assuefacti inuadere bona & iura tum Ecclesiastica, tum Monastica, multis à

Deo

Deo plagis vindice puniti exempla reliquerunt: è quibus plurimis vix pauca Demonstrationi nostræ adspersimus.

Hoc anno velut colophonem vindiciarum diuinarum in Francicam Sacram famem hic apponamus.

Rhemense Concilium *diras imprecatur Raptoribus ecclesiasticorum bonorum*; Secutaque diuina vindicta est, dum Hugo Dux capit Carolum Regem, simulque cum vnico Caroli Stemmatis ramo hoc Regnum Francorum excidit.

Ita vindicauit Deus HÆRESIN POLITICORVM hoc ortam æuo iactantium; *Carolo Regi omnia, etiam in Ecclesiis, licere.*

Anno CMXCI. Rhemis cum Carolo captis Hugo voluit in locum Arnulphi Episcopi proditoris Gerbertum surrogari monachum Curialem; Sed Papa eum reijciente, hic Gerbertus plaustra conuitiorum euomit in Papam, vti magum. &c.

Quo libro hodie exultant hæretici & Politici; Vane!

Anno CMXCII. Hugo renitente Concilio Rhemensi abdicat Arnulphum (Carolinum extinguere stemma studens) intruditque Gebertum, eo in Papam insolentius scribentem.

Anno CMXCIII. Vesuuio monte insolitas flammarum vndas procul euomente, etiam Roma vrebatur.

Iamque *correptâ S. Petri Basilicâ*, vrbs in eam concurrit tota supplex, Ædi Principi parceret: Deus, ne Fides Petri veniat in opprobrium improborum; Ecce, momento flamma resilit ab ardentibus abiegnis trabibus, auolatque per auras.

An. CMXCV. Papa per Legatos cognoscit causam Arnulphi & Gerberti coram Concilio Rhemis; hunc que reum & intrusum abdicat; restituit Arnulphum non proditorem.

Ericus Rex Sueoniæ ethnicus bello vicit Regem Daniæ, in quo S. Poppo prædicabat Christum. Cui Rex: age, factis dicta doce: indue ferream chirothecam hãc candentem (erat ponderosissima) induit, fertq; illæsus quo volebant. Iterum cerâ tinctam rigentemq; vestem eum induit: quæ accensa deflagrat in cinerem, illæso S. Poppone.

Rex, Daniaque tota, damnatis idolis, Christum confitentur, ac baptizantur. Sunt, qui Ericum resilijsse dicunt.

Anno CMXCVI. Defuncto Ioanne XV. Otto Rex cognatum suum Germanum curat surrogari dictum Gregorium V. Crescentius Dux, persentiscens Pontificatum deriuari in Germanum ideo, vt Ottoni traderetur Imperiũ; ergo extruso Gregorio intrudit Ioannem XVI. Aduolans Otto restituit Gregorium, obsessum capit Crescentium, & contra promissum impunitatis capite minuit; vxoremque eius Romanarum speciosissimam assumit in concubinam: Ioannem XVI. truncum auribus, naso, oculis, asinoque auersum imponit, data in manus caudâ, præcone clamante: *Sic patitur, qui Papam Sede pellere nititur.*

S. Nilus sibi donari Ioannem XVI. petit, & obtinet.

Sed eo iam reperto mortuo in carcere, Otto indoluit: *in pœnitentiam pedes*

peregrinatur in monte Garganum S. Michaeli seque Monachum fore promittit.

Redux à Papa capessit Imperium, & inungitur coronatus.

Papa simul Ius eligendi Imperatoris permisit solis Germaniæ Principibus: Quod postea Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi ad SEPTEMVIROS ELECTORES nominatos reduxit. Otto illiberis ita suasit;

1. Ne cognati de Imperio decertarent;

2. Ne Franciam reflorescentes, aliâ linea, & non Carolinâ, repeterent Imperium.

S. Adelbertus Romæ coram Papa Sacrum Missæ peregerat vsque ad *Memento defunctorum:* hic obdormit raptu. Miratus somnum Papa eum excitari curat.

Sanctus requirit chirothecam alteram, quâ nusquam repertâ, dataque alia, prosequitur Diuina.

His rite factis Papa ita sciscitanti causam somni, amissæque chirothecæ edicit; se quinque Fratres suos, in Boenia cæsos pro fide, sepulturæ dedisse; ibique chirothecam reliquisse auocatum.

Missi protinus repertam, cæteraque vera referunt.

Otto Imp. Papa annuente, statuit in S. Pauli monasterio monachos vitæ pioris mouere, alterius instituti religiosos substituere.

S. Paulus autem in somnis apparens id prohibet; quod emendare, non extirpare, oporteat. Et factum est ita.

Idem Aquisgranum reuersus *Caroli Magni sepulcrum* diu requisiuit; demum reperit eum in solio assidentem, cruce aurea è collo pendente, vestibusque nihildum quicquam læsis.

Crucem cum parte vestis venerabundus sustulit; cætera reliquit.

Fulco Comes Andegauensis raptor bonorum ecclesiasticorum, Deo posuerat templum; Rogatus Archiep. Turonensis id vt dedicaret, noluit, nisi prius restituisset aliena.

Nolens impetrat à Papa Cardinalem mitti, qui consecraret.

Peracta dedicatione ingens momento coortus turbo templum euertit. Nimirum *in pœnam Sacrilegij*; ex quo data Deo displicent: Non in pœnam alienæ iurisdictionis à Papa inuasæ: vt mentitur Glaber.

AN. CMXCVII. S. Adelberto martyrio coronato, S. Bonifacius, Ottonis cognatus, monachus Russiæ factus Apostolus, missu Papæ, conuertit plurimos.

Barbari ab eius cæde diu abstinentes, quod martyrio & miraculis clariorem in Brussia viderent; demum tamen & ipsum trucidarunt.

Stephanus Rex Hungariæ iuuenis coniuratos in sese vincit bello sub signis S. Martini, & S. Georgij. Victor construit monasterium S. Martini, vbi hic orasse fertur: dotatque idem.

AN. CMXCVIII. Antolinus iterum vincit Saracenos, vt supra anno 989.

Malacenus Constantinopoli coniurationis suspectus, dum adit aulam citatus, petit S. Niconis preces; qui gloriosiorem fore prædixit, seque rursus visurum.

rum. Abit is ad aulam, hic è vita. Is demum completis quæ prædicta erant, cum defunctum interea videre non posset, pictori verbis vultum cultumque viri describit, vt potest.

Sed cum is ad viuum sic exprimere non posset, mœsto apparens S. Nicon ait: Me aspice: sic pinge. Dum ad tabulam cœptæ picturæ respiceret, Sanctus disparuit, videtq ipsam viuam in tabula picturam spirare ab ipso Sancto impressam. Sicque rursus eum vidit Malacenus.

An. CMXCIX. Otto, mortuo Gregorio V. ne Pontificatus rediret ad Romanos, Gerbertum, (quem Rauennensem Episcopum dederat;) iam Papam creari efficit, dictum Syluestrũ II. Inde, in peccatorum pœnitentiam, init peregrinationem ad S. Adelberti sepulcrum Gnesnæ.

An. M. Otto è Polonia secum retulit Romam brachium Sancti Adelberti, cui & ecclesiam ad Tiberim construxit; in quam & Corpora S. Bartholomæi, & Sancti Paulini Nolani, Beneuento translata deposuit;

Vnde etiam continuo dici cœpit Ædes S. Bartholomæi.

Otto rursus peregrinatur ad Sanctum Nilum, visisque cellulis fratrum circa templum dixit: *Ecce tabernacula Israel in deserto.*

Dotare voluit monasterium; at noluit S. Nilus.

Hunc rogauit, à se quid peteret; qui tacto eius pectore ait: *Peto salutem animæ tuæ. Dole de peccatis: homo es, morieris & iudicabere.*

Otto illacrymatus posità coronâ petijt, & obtinuit benedictionem.

S. Stephanus Dux Hungariæ impetrauit *à Papa dari sibi diadema Regium.*

Addiditque vltro ei crucem præferri, velut Apostolatus, quod plurium gentium conuersionem promouisset: quodque Hungariam post illustres victorias de barbaris, Romanæ Ecclesiæ donasset.

In pago Catalonico *rusticus*, ruri obdormiens, videtur sibi examen apum sentire surrepens per podicem, & per os egrediens.

Ex eo stimulatur ad prædicandum; ergo repudiat vxorẽ; in templo crucẽ & imaginem Christi proculcat, iactans se iussum à Deo; Decimas non dandas è Scripturis docet; seducit multos.

A S. Lebuino Bremensi examinatus, conuictusque se noctu in puteum præcipitat: seductos reducit Sanctus Lebuinus.

Vilgardus Rauennæ Grammaticus, prædicat beatos Virgilium, Horatium, Iuuenalem. &c.

Damnatur à Petro Rauennatensi.

ERGO

ERGO:

1. Dic age; Quæ sincera FIDES hoc constitit AEVO X?
   At SIC PAPISTIS RESstat ROMANA, FIDESQVE:
   Non SIC REM seruat Luthero-caluinista, FIDEMQVE.
2. IVRE SVO Proprio Papa, atque Ecclesia gaudent:
   Quis quid Ei AVGVSTVS proprio de iure remisit?
3. ANTI ne CHRISTVS erat quisquam hoc ROM. in Aeuo X?

SÆ.

SÆCVLVM VNDECIMVM,

Hoc placuit aliquibus appellare

FERREVM,

seu

POLITICO-SCHISMATICVM.

PONTIFICVM ROMANORVM CONTINVATA SVCCESSIO.

140. SILVESTER II. creatur *anno* 999. Vide ibidem.

Qui Papæ fecerat calumnias, iam Papa patitur grauiores. Nam à Bennone pseudocardinali schismatico fingitur arte magica Papatum quæsiuisse, & animam Satanæ deuouisse, promittenti ei Pontificatum tam diu, donec templum Ierosolymorum non attingeret; iniisse vero templum S. Crucis in Ierusalem Romæ, ac statim obijsse.

Fabula hæc. Causata tamen eius studio astronomiæ nimio, vnde suspectus fuit de vatidica astrologia.

Zelosus fuit cultor monasticæs, & Sanctorum virorum. Obijt *an.* 1003. Sedit an. 4. Men. 6. di. 12.

141. IOANNES Siccus XVI. creatur quem alij volunt esse XVIII. scil. connumerantes pseudopapas Ioannes. Ob-

iit cum sedisset menses quinque, dies 26.

142. Ioan. XVII. Fasanus rite creatur *an* 1003 Græcos schismaticos disputatione convicit, & aduniuit Ecclesiæ. Obijt *an.* 1009. Sedit annos 5. Men. 7. Dies 3.

143. Sergivs IV. creatur *an.* 1009. canonicè. Obit *anno* 1012. Sedit An. 2. Men. 9. Dies 12.

144. Benedictvs VIII. legitimè creatur *an.* 1012.

Contra ipsum quidam Romani intrudunt Gregorium potentem: à quo pulsus Benedictus confugi Mersburgum ad Henricum regem. Eum anno 1013. Henricus restituit præmissum sibi cum exercitu subsequenti, & sic Romanis scribenti: *Nemo Imperator dici aut esse valeat, nisi quem Papa Rom. morum probitate delegerit aptum, eique commiserit insigne Imperiale.*

Anno 1014. Henricum à Romanis regie exceptum, ac interrogatum in æde S. Petri, *An velit esse fidelis Patronus Ecclesiæ Romanæ?* respondentemque Velle, coronat Papa & inungit cum Kunegunde.

Anno 1016. feliciter pugnat mari contra Saracenos litora Italiæ infestantes, & horum capit Regnum.

Anno 1017. In Iudæos crucifixi illusores vindicat.

Anno 1024. moritur Episcopus Capuanus in itinere Bubium nigrum compellat: cui ait se detineri in pœna certum salutis; tantum Papæ diceret, pecuniam in tali capsa pro anima sua inter pauperes erogaret.

Mox Capuanus ille fit monachus. Idem apparens Portuensi Episcopo ait, se S. Odilonis Abbatis suffragijs reseruari: proinde iubeat eum illa frequentare. Fit, S. Odilo fratribus indicit suffragia, dispensatque eleemosynas. Benedictus sedenti in Capitulo apparens actis gratijs candidus disparet. Sedit An. 11. Men. 10. Di. 12.

145. Ioan. XIX. Germanus frater Benedicti creatur *an.* 1024.

Anno 1033. quidam cupientes Papam occidere cum non valerent, eum vrbe expulerunt: sed Conradus Imp. continuo eum restituit, mox morientem. Sedit an. 8. Men. 7. dies 9.

146. Benedictvs IX. Alberici Comitis Tusculani filius duodennis à patre intruditur, & Papa agnoscitur *an.* 1033. Dicit eum Petrus Damiani tota vita luxurijs fuisse taminatum ac damnatum ad inferos.

An. 1041. dispensat cum Casimiro Polono certis conditionibus, vt ex monacho in Regem institueretur.

An. 1044. Ob benedicti turpitudinem duo alij Antipapæ sese intruserunt in Vrbe sedentes.

Tunc Gratianus Presbyter persuasit duobus intrusis, vt certis redditibus victitantes abstinerent à Papatu. Bartholomæus Abbas fidenter sic affatus Benedictum: *Non licet tibi Sacra facere, sed potius abstinere; Deum placare, quem peccando irritasti.* Territus sese protinus abdicat Papatu. Succedit electione Gratianus, dictus.

147. Gregorivs VI. ille Gratianus continuo surrogatur omnium consensu an. 1044. reformat Ecclesiam vita, doctrinaque.

Anno

Anno 1045. vindicat distractũ & alienatum Patrimonium Petri. Debellat Saracenos; componit schismaticos.

At *an.* 1046. Henrico Imperatore intrudente CLEMENTEM II. cedens vltro Gregorius VI. se abdicat Pontificatu, schismati cauendo. Coronatus ab illo Imperator statuit, *Papas ab Imperatore Pom. non ab Romanis esse creandos.*

Vnde Hæresis Henriciana, de qua in Varijs. Gregorius sedit an. 3.

148. CLEMENS II. intrusus *anno* 1046. moritur *anno* 1047. cum sedisset menses 9.

149. DAMASVS II. creatur & moritur *an.* 1048. sedit dies 23. Vacatque Sedes pene annum 1.

150. S. LEO IX. creatur *an.* 1049. nouo exemplo, & iniquo. Clerus, Populusque Rom. miserunt in Germaniam ad Henr. II. Imp. vt mitterent, quem eligi Romæ Papam vellet. Misit Benonem Episc. Tullensem. Qui se per Gallias in purpura pro Papa designato gerens, Cluniaci à Priore Hildebrando monetur, desisteret: Infandum esse ab laico dari Papam: Sequeaudiret; effecturum, vt Maiestas Imperialis non offenderetur; & Libertas Ecclesiæ non temeraretur. Pareret; posita que purpura in cultu, peregrini Romam venit, & agente Hildebrando eligitur Papa, retento Tullensi Episcopatu.

Futuri honoris indicia præcessere: Visus sibi fuit à sene via aspera ductum in solio collocari, dicique; Post quinquennium tibi sedes dabitur, vt sis Domino *fidelis seruus & prudens, quem. &c.*

Iamq; Romam iturus audijt cantantes Angelos; *Dicit Dominus: ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.*

Adeo sanctam duxit vitam, miraculis illustris.

Continuo plura per Germaniam frequentat Concilia labi & Simoniacæ & Luxuriæ Clericalis corrigendæ.

Anno 1053. Patauij tres Sanctos inuentos cum tribus Innocentibus solenniter Canonizat.

Anno 1054. Laborat in tollendo schismate Constantinopolitano.

In Concilio Romano & Vercellensi damnat Berengarium Sacramentarium.

Commutat quasdam terras cum Henr. Imp. Ducensque contra Northmannos, bonorum Ecclesiæ inuasores, victus tenetur honorificè captiuus.

Anno 1054. moritur. Iussit leprosum in suum ferri lectum, & curari; at eo disparente putatur fuisse Christus.

Episcopus quidam forte reliquerat puerum mutum Româ abiens; puer ad sepulcrum S. Leonis excubat, orat; ei crescit lingua, loquitur rectè. Alius loquentib. de eius Sanctitate, ait; Si is sanctus est, contrahat hunc mihi digitum. Ecce continuò irruenti cani suo in porcum dum manus iniicit, porcus eũ mordicus prehensum digitum eneruat, vt contractus fieret. Sedit an. 5. M. 2. dies 8. Canonizatur.

151. VICTOR II. ex Episcopo Eistebensi designatur ab Imperatore Papa, Romam missus à Clero eligitur *an.* 1055.

Concilijs habitis incubit ad reformationem disciplinæ Ecclesiasticæ, & ne bona Ecclesiastica alienentur.

Diaconus ei calicem miscuerat veneno: consecratum eleuaturus non valuit: prostratus in preces cum admonito populo dum orat, Satan obsidet Diaconum; territus omnes ad instantiam orationis monet fugando diabolo.

Liberatus obsessus culpam fatetur.

Calix sacratus aræ inclusus asseruatur: Papa miraculose seruato.

Anno 1056. Henrico quinqueni stabilit Regnum Germaniæ: obit *an.* 1057. Sedit annos 2. Men. 3. dies 16.

151. S. STEPHANVS X. Gallus liberè & canonicè creatur *an.* 1057. Concilijs habitis reformat disciplinam ecclesiasticam, territus exemplo hoc: Romæ Presbyter concubinarius negabat Conciliorum Statuta conscientias obligare.

Robustus valensque incumbit, moritur repentinâ. Petrus Damiani Iudex criminosorum iubet sepeliri in cœmiterio, ceu Sacerdotem; & sine cruce, processione cæterisque ritibus; sed sepultura asini.

Anno 1058. Florentiæ æger à S. Hugone Abbate Cluniacensi visitur; quo præsente dæmon astans aufugit; abeunte reuertit: ergo Papa reuocatum orat, secum permaneat dæmoni fugando: moritur: corpus eius claret miraculis consanationum.

Sedit Menses 7. dies 26.

152. NICOLAVS II. Burgundio canonicè creatur *anno* 1058. Corrupti pecunijs Romani intrudunt Mincium Benedictum; sed à Cardinalibus degradatum, inque carcere mortuum auarissimum.

An. 1059. celebrat Conc. Rom. contra Berengarium, hæresim abiurantem. Ibidem decreuit, vt Papæ eligendi & electi merita prius indicarentur Imperatori; cui sit ius non eligendi, sed proponendi quendam, ac deinde & defendendi.

Sed cum demum Imperatores hanc indulgentiam verterent in abusum eligendi; merito est eis adempta.

Nortmannis dat in feudum Calabriam, Siciliam, Apuliam; vindicatque Ecclesiam à tyrannis. Moritur *an.* 1061. Sedit annos 2. Men. 6. di. 1.

153. ALEXANDER II. canonicè creatur à Cardinalibus *anno* 1061. Factiosi per Imperatorem, curant intrudi Cadoloum, quem dicunt Honorium.

Anno 1064. celebrat Mantuæ Concilium pro sui confirmatione, & Cleri reformatione contra Simoniacos & Concubinarios; & eos *an.* 1065. excommunicat, frustra eum arguente Petro Damiani.

Anno 1069. Henricum Regem cohibet à diuortio per minas excommunicationis.

Anno 1070. Episcopum Moguntinum Babergensem citat Romam ob Simoniam.

Æger sumpta digitorum ablutione monachi sanatur, & dedicat ecclesiam Cassinensem.

Anno 1073. Accusatum ab Episcopis Germ. Henricum Imperator. citat Romam ad dicendam causam: Moritur cum sedisset annos 11. Men. 6. Dies 22.

154. GREGORIVS VII. antea Hildebrandus Monachus Card. creatur canonicè *an.* 1073. approbante electione Hen-

Henrico Imp. Galliæ Episcopis nequicquam obsistentibus. Exigit in Hispania censum S. Petro debitum. *Anno* 1074. compescit Saxones contra Henr. Imp. insurgentes. Plura frequentat Concilia contra Simoniacos & Concubinarios Clericos. Principes rebelles excõmunicat, mittitque in eos exercitum.

Anno 1075. Missam celebrans ab ara abreptus à Quintio Romano carceratur; sed liberatus Henricum citat Romam causæ dicundæ; verum ab hoc in Conc. Wormatiensi abdicatur Pontificatu. At Papa Henricum & complices excommunicat, regno exuit, subditos à iuramento ei facto absoluit *anno* 1076. per Encyclicam: At à schismaticis retorquetur in eum excommunicatio. *Anno* 1077. Henricum pœnitentem sub conditione absoluit ab excommunicatione; seq; purgat ab obiectis, Excommunicat accipientes *Inuestituram* à laicis Principibus. *Anno* 1078. In Conc. Romano excommunicat schismaticos Episcopos. Itemq; & Nicephorum Imp. Orientis excommunicat. *Anno* 1079. Berengarium rursus in Con. excommunicat. Regem Poloniæ abdicat à regno.

Anno 1080. Henricum Regem iterum excommunicat, regno exuit; & Rudolphum Regem Germ. confirmat. At Rex Henricus in pseudosynodo Brixiensi ipsi abrogat Pontificatum; surrogat contra eum Guibertum Antipapam. *Anno* 1081. Refutat hæresin Metensis Episcopi, *negantis posse Reges excommunicari à Papa. Anno* 1082. Pressus obsidione ab Henrico, Concilia contra eum celebrat; soluiturque obsidio per Robertum implo ratum. *A.* 1085. Gesta eius contra Henricum diuinis Visionibus comprobantur, & moritur. Sedit annis 12. Men. 1. dieb. 3.

155. VICTOR III. Beneuentanus creatur *anno* 1085. canonice, licet inuitus ex Abbate Cassinensi, disciplinæ monasticæs eximio reformatore, & Regi Henrico sana suadenti multis, etsi irrito euentu. *An.* 1086. Cassinum reuersus Papatus insignia deponit: at anno 1087. resumere persuasus confirmatur: & mittens in Africam copias ingenti prælio vincit Saracenos: & Concilio Beneuentano contra schismaticos celebrato, *an.* 1088 mortis præscius obit. Sedit ann. 1. Men. 3.

156. VRBANVS II. Gallus creatur *an.* 1088. Canonice. Ægrotus Cassini sanatur à S. Benedicto monacho. Cõfirmat excommunicationes in Henricũ, Guibertum, & Schismaticos. *An.* 1095. Post plurima celebrata Concilia Conrado Regi fidelitatem iuranti Rom. Ecclesiæ promittit Imperij coronam. Decernit *expeditionem in terram Sanctam*, ideoq; in Conc. Claramontano indicit *Officium B. V. Mariæ* Clericis. *An.* 1096. excommunicat Regem Franciæ; iterumque absoluit. *An.* 1098. comminatorias scribit Regi Hispaniæ in causa depositi Episc. Compostellani. Moritur *an.* 1099. Sedit an. 11. men. 4 di. 18. De prædictis explicatiora *in Variis*.

IMPERATORES OCCIDENTIS IN SÆCVLO XI.

14. HENRICVS II. *Rex Germ. ex Duce Bauariæ coronatur Imperator I.* — Anno Christi nati 1002

Item Rex Italiæ procurat reformationem morum. — 1005

Humilitas eius mira in Conc. Francofurd. — 1006

Audit, post sex: omen Imperij. — 1007

Romam it pro corona Imperij. — 1013

Coronatur cum certis ceremoniis: confirmatque donationes, & iura Ecclesiæ. — 1014

Bambergam facit vectigalem S. Petro. — 1019

S. Heriberto Epis. Col. iratus discit eius innocentiam diuinitus. — 1020

In Græcos ducit profligatq; eos ex Italia. — 1022

Moritur vxoratus in Virginitate Sanctus. — 1024

15. CONRADVS II. *Rex Germ. retardatur ab electione ob incæstuosum coniugium.* — 1024

Inuat Italiam & coronatur Imperator. — 1027

Ducens in Hungariam diuinitus impeditur. — 1030

Papam verum, expulsum à Romanis restituit. — 1033

Capit Lugdun. Epis. ob vitia. — 1034

Ob Episcopos relegatos diuinitus punitur. — 1038

Ducem Capuanum redigit in ordinem: moritur. — 1039

16. HENRICVS III. *Imp. II. iura sibi arrogãs ecclesiastica parit* hæresin Henricianam seu Politicam. — 1046

Papam inique deponit, intrudit Clementen II. & ab hoc coronatur Imp. — 1046

Concilia frequentat in Ger. contra Simoniacos. Vexatus à dæm. ob Episcopatum simoniace datum liberatur à S. Laurentio. — 1047

Manichæos patibulo damnat. — 1052

Dat Victorem in Papã eligendum. — 1054

Moritur, & dæmones ab eo per S. Laur. fugantur. — 1056

Disciplinis spontaneis se ipsum flagellauit. — 1056

17. HENRICVS IV. *Imp. III. infelici vaticinio nascitur.* — 1051

A patre fit rex Germaniæ, Papãq; confirmat. — 1056

Ius dedit ei Papa in Electione Papali, vt defendat à factiosis. — 1059

Est in tutela S. Annonis Epis. Colo. — 1062

S. Annoni offensus eum spernit. — 1066

Cogitur non repudiare vxorem excommunicandus. — 1069

Cita-

Citatur Romam ad se purgandum obscelera. An. Ch. nati 1073

Insurgunt in eũ Saxones: de vẽditis Episcopat. absoluitur ab Legatis Apost. 1074

Metu excommunicationis & belli Saxonici simulat subiectionem. 1075

VVormatiæ in pseudoconcilio deponit Papam: sed excõmunicatur cum eo Romæ: & accedit diuina vindicta: Principes in eum insurgũt, eorum conditiones acceptat. 1076

Absoluitur ab Excomm. à Papa conditionaliter: Foedifragus excõmunicatur: Imperio abdicatur, substituto Rudolpho. 1077

Dubio marte cum Rudolpho decertat. 1078

A Papa excõmunicatur, deponitur. 1080

In pseudoconc. Brixtensi Papam abrogat, & surrogat ei Guibertum: Rodolphum prælio occidit. 1081

Romam obsidet, Italiam vastat, à Guiberto coronatur. 1082

Romam occupat, Consecrari facit Guibertum Papam. 1083

Petit à Gregorio PP. fieri Synodum & impedit. Ab Antipapa coronatur: fugatur ex Italia. 1084

Ingenti prælio vincitur in Germ. 1086

Ab Vrbano II. Papa excõmunicatur 1089

Ingentibus fligitijs se obstringit. 1090

Mathildis terras infestat: Ingens scelus admittens in vxorem suam excommunicatur: filiusq; ei rebellat. 1092

Eius hæresis in Conc. Rom. excommunicatur. 1102

Cogitur in Conc. Mog. deponere imperiũ, seq; subijcere Papæ, rebellante et filio Henrico. 1105

Fuga elapsus declamat in filiũ, cõtra eum appellat Romam, prælium declinat. Demum Moritur: sepultus iubetur à Papa effodi. 1106

Permittit eum Papa sepeliri. 1111

IMPERATORES Orientis.

85. CONSTANTINVS *Porphyrogenitus solitus* 1025

Moritur. 1028

86. ROMANVS *succedit Imp.* 1028

Ecclesiæ redditus auget 80. libris auri. 1030

Sanctus vir veneno tollitur ab Zoe vxore. 1034

87. MICHAEL IV. *Paphlagon adulter Zoes speciosissimus occiso Imp. succedit.* 1034

Imperij sedem transfert Thessalonicam. 1038

Arreptus à dæmone torquetur & nequit liberari 1034. 1039

Moritur pœnitens. 1041

88. MICHAEL V. *Calaphates in Zoen ingratus imperat vix annum, ejicitur, cæcatur.* 1041

89. CONSTAN. *Monachus restituitur in imperium.* 1042

Ob pellicem deuenit in capitis discrimen. 1044

Moritur stante Schismate Lat. & Græcor. 1054

90. THEODORA *imperat vidua 21. mens.* 1055

91. MICHAEL VI. *Stratonicus succedit.* 1058

Cedit sponte Isacio Comneno. 1057

92. ISACIVS *Comnenus Imp. vsurpat sibi bona ecclesiastica.* 1057

Fulmi-

	Anno Christi nati
Fulmine ictus in pœnam se abdicans profitetur Monasticen.	
93. CONSTANTINVS *Ducas imperat.*	1059
Moritur relicta Eudoxia Aug.	1059, 1067
94. ROMANVS *Diogenes assumitur ab Eudox.*	1067
A Turcis captus perpetuam pacem cum eis componit electoq; contra eum Michaele Duca mori cogitur.	1071
95. MICHAEL VII. *Ducas Imperat. æger sanatur ab Apocrysario Romano.*	1072
A Nicephoro Imperij inuasore detruditur in monasterium cum vxore & filio.	1078
Pro restitutione implorat Papam.	1080
96. NICEPHORVS *Botoniates excommunicatur à Papa ob inuasum imperium.*	1078
Carceratur ab Alexio.	1080
97. ALEXIVS *Comnenus Imp. vincitur à Northmannis in Thracia.*	1081
Pœnitens de rapina Eccl. bonorum promulgat Bullam auream contraraptores talium.	1082
Pecuniam dat Henrico Regi contra Robertum.	1084
Petit absolutionem à Papa.	1089
Mittit ad Concilium Placentinum pro paranda expeditione in Terram Sanctam.	1085
Fit perfidus in Orthodoxos.	1695
Petit à Papa coronam Imper. Occident. contra Henricum hæreticum.	1112
Moritur laudabilis in colligendis Decretis, fouendisque viris doctis.	1181

CONCILIA,

Sed PROVINCIALIA, vix vnquam frequentiora contigit celebrari, atque hoc Æuo XI. ea potiora *ad Varia* reseruo.

GENERALE ROMANVM in causa Berengarii relapsi Sacramentarij: & Electionis Papalis obseruandæ celebratur *an.* 1059. Iterumque alterum GENERALE ROMÆ *an.* 1075. contra Clericalem Luxuriam & Simoniam, prauosq; populi mores. &c.

SS. Patrum, & Doctorum Concordia sub Papis in Sæculo XI.

S. FVLBERTVS ex monacho Carnuti doctissimo, *ann.* 1007. creatur Episcopus Carnutensis, fortiter stat contra raptores Ecclesiasticorum bonorum, vitium quasi innatum Gallis. Vnde scriptis permouit hunc vt in pœnitentiam peregrinaretur Ierosolymam, illum, vt Româ absolutionem peteret.

An. 1028. obijt Deipara prius ei pervisum vbera præbente, cui & librum scripsit laudum, & basilicam posuit, & eximie deuotus extitit. Spiritu prophetiæ claruit. Nam Berengarium, inter cæteros Clericos, assistentem ægri lecto, iussit expelli, vt cui insidere cacodæmonem cerneret: dirum ostentum sacramentariæ hæresios. Cui & occupauit epistola ad Deodatum, & alia ad Finardum *de veritate Eucharistica.*

Scri-

Scripsit etiam librum *de officiorum Ecclesiasticorum varietate.*

S. BVRCHARDVS Episc. Wormatiensis scripsit *viginti libros Decretorum* ex Concilijs, Pontificibus, & Sanctis Patribus. Claruit sanctitate. Vixit *anno* 1026.

BERNO Abbas Augiensis vixit sub annum 1030. Scripsit *de rebus ad Missam pertinentibus*, & vitam Sancti Vdalrici.

GLABER Rodulphus Monachus, scripsit historiam sui temporis, *sub ann.* 1040.

HERMANNVS CONTRACTVS Monachus Augiensis, & Comes scripsit *chronicon de sex ætatibus mundi: Salue Regina; Veni S. Spiritus, & emitte. &c.* Claruit sub *an.* 1050.

LEO IX. Papa sub *an.* 1050. scripsit *de erroribus Græcorum & Homilias. &c.* Vide supra.

HVMBERTVS Cardinalis, & Legatus Sancti Leonis in causa schismatis Græcorum componedi. Scripsit de Azimo, Ieiunio Sabbati. Claruit sub *ann.* 1050.

PETRVS DAMIANI Rauennas monachus, dein Episcopus Ostiensis & Cardinalis, austeræ vitæ sectator. *Anno* 1033. inuehitur in Simoniam intrusi Penedicti IX. *Anno* 1049. Scribit contra fornicarios Clericos. *Anno* 1052. Confutat hæresin de reordinandis per Simoniacos ordinatis. *Anno* 1057. inuitus creatur Cardinalis, ac *anno* 1059. missionem petit incassum: *anno* 1061. tamen abdicato Cardinalatu eremum repetit: vbi multis rebus præclare gestis, fit clarior miraculis & sanctitate, & moritur *anno* 1072. Quæ scribit in epist. 5. de animabus defunctorum visi de lacu inferni exire specie auicularum, & die Dominico mitius pati; sunt fabulis similiora.

Epistola ad Firminum arguit Sanctum Leonem quod bellum gerat in Nortmannos, quasi Papæ ἄπρεπον, Sed errat: nam bellabat vt habens dominium temporale. Epistola ad Henricum scribit, Christum 30. anno ætatis factum Sacerdotem; & Liberium Papam esse hæreticum: At errat vtroque: nam Christus à puncto conceptionis habuit omnem gratiam; De Liborio *Bel. l. 4. de Pont. c. 9.*

S. GREGORIVS VII. Papa Volumen epistolarum conscripsit. Vide supra inter Papas.

LANFRANCVS Archiep. Cantuar. fit inuitus anno 1070. & Legatus Apostolicus in Anglia *anno* 1071. Suspectus *anno* 1050. hæresios Berengarianæ se purgat in Concil. Romano disputatione contra Berengarium: Quem & scriptis confutat *an.* 1059. Moritur *an.* 1089. Conuictum Berengarium ita mouit, vt suum librum hæresios in ignem iniiceret.

GVITMANNVS Episc. Auersanus *sub an.* 1070. scripsit libros tres de veritate Eucharistiæ; Item SS. Trinitate, & Christi Humanitate. Scrupulose negauit, Species sacramentales posse corrúpi: Vt vere possunt, citra iniuriam Corporis Dominici.

GEORGIVS CEDRENVS historicus ab *O. C. ad an.* 1057.

IOAN. CVROSALATA historicus ab an. Christi 811. ad 1081.

Theophylactus Archiepiſ. Bulgarorum *ſub an.* 1071. Commentator Biblicus: ſed ſchiſmaticus, non credens S. Sanctum à Patre, Filioque procedere.

S. Anſelmus Mantuanus, Epiſcopus Lucenſis. *Anno* 1073. renuit ab Henrico Rege accipere inueſtituram. S. Mathildem Comitiſſam informat. Dira patitur reformationi Clericorum intentus. Guibertum Antipapam perſtringit, *anno* 1080. Mitra S. Gregorij ſanat Epiſcopum Mantuanum *anno* 1085. Moritur miraculis inclytus *a.* 1086. & ſcriptis.

S. Anſelmus Cantuarien. Archiepiſcopus factus *anno* 1093. agit contra Inueſtituras laicales: ideo ab Rege & Epiſ. agitur in exilium *an.* 1095. inde reuocatur *anno* 1100. Iterumque anno 1103. omnibus bonis & Epiſcopatu ſpoliatur à Rege ob inueſtituras eas confutatas. Obit *an.* 1109.

Anſelmus Laudunenſis Scholaſticus *ſub an.* 1077. autor *Gloſſæ interl. nearis. &c.*

Bertold. Cõſtanti. hiſtor. obijt *a.* 1100.

Micrologus de obſeruationibus Eccleſiaſticis, *ſub an.* 1080.

Oecumenius & *Olimpiodorus* Græci ſcripſerunt catenas è S. Patribus; ille in Acta Apoſt. & Epiſtolas Pauli: iſte in Iob.

Lambertus Schafnaburgenſis hiſtoricus ab O. C. ad an. 1077.

Ingulphus Abbas in Anglia *ſub a.* 1050. de Monaſterijs Angliæ.

Marianus Scotus Monachus Fuldenſis hiſtoricus Chronic. ab O. C. ad an. 1083.

B. Bruno Carthuſianorum autor Colonienſis anno 1086. Commentator in Pſalmos & Paulum, obijt *ann.* 1101. Rogerium Comitem per viſionem liberat ab inſidijs *an.* 1096.

Iuo Epiſcopus Carnotẽſis, acerrimus impugnator laicalis Inueſtituræ per Angliam & Franciam: Scripſit *volumen Decretorũ*: De diuinis & eccleſiaſticis ſcriptorib°: Sermones; librũ de Corpore Domini: Epiſtolas *ab a.* 1092. vſq; ad *a.* 1112.

Euthymius, Algerus, Decentius, Hermenopolus.

Dogmata Eccleſiæ Romano-Catholicę, Nouatoribus contraria: Exempli gratia.

Miſſæ ritus docuit *Berno* Augenſis li. de Officio Miſſæ. *Hildebertus* Cænomannenſis. *S. Anſelmus* Cantuar. *Iuo* Carnotẽſis in ſermonibus de rebus eccleſ. *Micrologus* de Diuin. Officijs. *Conſtantinenſis* in Ordine Romano, *Burchardus Guitmondus. Lanfrancus:* & cæteri, qui Berengarium expugnauerunt.

II. *Gratiam Dei, Fidem, Iuſtificationẽ Romano-catholicæ aſſerunt:* Anſelmus l. 1. Cur Deus homo, c. 9. & li. 10. de Concordia præſci. & prædeſt. Et li. de Concor. gratiæ & liberi arb. Et li. de medit. redemt. humanæ c. 7. & in Rom. 3. & 7. Et in 1. Cor. 3. *Algerus* lib de Euch. c. 2. *Berno* ſermone de Nat. Dom.

III. *Euchariſtiæ veritatẽ, Sacrificiũ, Trãſubſtãtiationẽ, Adorationẽ, Miſſã* docet *Alger.* li. 6. de Euch. *Berno* ſer. de Paſchate. Et l. de Concor. offi. *Pe. Dam.* ep. ad Blancã. *Adelmã.* ep. ad Berengarium. *Lanfrancus* li. aduerſus Bereng. *Anſelmus* c. 10. & 11. in 1. Cor. 7. & in Heb 10. *Albericus* de Sacramẽto. *Guitmõdus* de Sacram. *Hãbertus* in reſpõ. ad Nicetæ librũ *Iuo* de cõuenientia Vet. & Noui Sacerdotij. Et tractatu de ſignificatione indum. Sacerdota. *Euthym.* in Panoplia part. 2. tit. 21.

IV. *Pœ-*

IV. *Pœnitentiã & eius Partes* docuerũt: *Anſelm.* li. ſimil. c. 99. & ſeqq. & c. 144. *Iuo* ep. 34. *Minardus* ad Guntherum de fide. *Euthymius* in Panoplia.

V. *Claues Eccleſiæ, & Abſolutionem* docuit *Anſelmus* in Mat. 16. *Iuo* & *Damianus* in epiſtolis. *Euthymius* in Panoplia.

VI. *Cõfirmationẽ, & reliqua Sacramenta, eorũq; vsũ* docuit Algerus li. 3. de Euch. c. 4. *Minardus* ep. ad Gnath. *Anſelmus* multis libris totis. *Berno* ſerm. de Pentecoſt. *Iuo* pluribus in locis ex profeſſo. *Microl.* &c.

VII. *Baptiſmi effectus, Neceſſitatẽ, alienã fidẽ in eo, Ceremonias* docuit Anſelmus in Mat. 3. & 15. & in 1. Cor. 4. *Algerus* li. 3. de Euch. c. 4. 6. 7. *Iuo* de Sacr. Neophitorũ: Et de Sacramẽtorũ dedicatione *Leõtius & Hermenop.* de ſectis. *Euthy.* in Panoplia.

VIII. *Primatum ſedis Apoſtolicæ* docuit *Berno* ep. ad Reg. Hungariæ. *Lanfrancus* de Euchariſtia. *Anſelm.* in Mat. 16. *Humbertus* contra Nicetam.

IX. *SS. preces ſuffragia, Inuocationẽ, Reliquias, Imagines, Feſta* docuit *Berno* l. de diuin. dæmonũ contemnenda: Ser. 1. & 2. de S. Marco, & alubi. *Anſelm.* li. de excellentia B. V. *Iuo* ſer. de Sacr. dedicatione: Et li. de conuenientia Sacerdotij. *Pe. Damian.* inuectiua in Cadaloũ. *Euthym.* in Panoplia *Leontius, & Hermenop.* in Sectis.

X. *Liberum Arbitr. & Bona opera neceſſaria* docuit *Anſelm.* dialogo de lib. arb. Et de ſimil. c. 182. Et li. de concordia Grat. & lib. arb. Et li. de lapſu hominis 2. & alubi. *Berno* ſermone de Reſur. Dom.

XI. *Purgatorium, & preces pro defunctis* aſſeruit Anſelmus in Mat. 5. & 12. Et in 1. Cor. 3. *Algerus*, & *Berno* in Epiſt. *Euthym.* in Panoplia; Et Græci omnes in Euangeliſtas. &c.

Hæreſiarchæ Diſſoni Papis in Sæculo XI.

Græci Schiſmatici tametſi cœperint in Sæc. IX. an. 878. occaſione Photij cõtra S. Igna. Cõſtantinop. intruſi; tamẽ hoc Sæc. XI. in apertũ Schiſma eruperãt ſeſe ab Rom. Eccleſia diuidẽtes: *Hæreſesq;* has priſcas profeſſi ſunt: *Spiritum S. à ſolo Patre procedere. 2. Miſſam non in Azymo celebrandam. 3. Primatum ſummi Pontificis nõ eſſe Romæ.* &c. Vide S. Antoninũ in ſumma hiſt. par. 3. tit. 22.

Berengarius Andegau. Archidiaconus publicauit, quẽ errorẽ prius inſinuauit in Gallia Leutharic. Benonen. Archiep. Quẽ primus Robertus Rex Franciæ refutauit, & metu Epiſcopat° adimẽdi cõpreſſit. Berengariũ vero *a.* 1004. primus increpuit Adelman. Epiſ. Brixien. At S. Fulbertus Epiſc. Carnot. *an.* 1028. moriturus ſuũ illũ degenerẽ diſcipulum, vt à dæmone inſeſſum, conclaui expellit.

An. 1035. autem erupit cum pluribus corruptis fingens: 1. *Non eſſe verũ Corpus & Sanguinẽ Chriſti in Euchar. ſed Figuram merã. An.* 1050. dãnantur in Conc. Ro. & Vercell. anathematizat errorem ſuum in Conc. Rom. & Turon.

At *ann.* 1055. repetiit errorem ſic mutatum, vt doceret, *Cum corpore Chriſti eſſe etiam ſubſtantiam panis.* Mox plurimorum ſcriptis, ac miraculis quoq; Sanctorum refutatus, a. 1079. canit palinodiam in Conc. Romano. Vtrum pœnitens obierit *an.* 1088. ſub iudice lis eſt.

Demum addidit iſtis; *Paruulos non eſſe baptizandos, ſed adultos.* Ecce Patri-

archam Antibaptistarũ in hoc: Lutheranorum in Impanatione: Zvvingliano rum & Caluinistarum in veritatis Eucharisticæ negatione.

HENRICVS Rex Germaniæ, vt Occidentale sibi arrogaret Imperium, impia præsumptione *in res & personas ecclesiasticas sibi vsurpauit Iudicium*; eoque autorem *anno* 1046. se fecit hæresios HENRICIANORVM; similis Herodianis: Quam hodie POLITICI mordicus amplectuntur. Sed eam denique *anno* 1047. traditus Satanæ, ac vstulatus Henricus vsque ad mortem, est & detestatus, & persecutus cum Papis eam damnãtibus sub nomine Hæresis SIMONIACÆ.

Huic cõtraria ANTISIMONIACA extitit eorum *an.* 1052. qui asserebant, *Simoniacos nullum S. Ordinis Actum efficaciter exercere:* ac proinde Non vere Ordinare, Transubstantiare, Absoluere, ideoque talia iteranda esse. Contra hos scripsit librum S. Pet. Damiani.

CADALOVS per vim intrusus pseudopapæ *a.* 1061. increpitus & cõfutatus à S. Damia. vt Clerũ deteriorẽ sibi cõciliaret, *liberã fecit luxuriã* clero, vt ea hæresis iam diceretur CADALOIT. non amplius Nicolaitarum. Extincti *an.* 1065. crescere cœperunt de nomine: at in re manserunt *Concubinarij*.

De Incæstuosorũ hæresi orta, diuinitusq; vindicata vide *an.* 1065.

Schismatici, præsertim tempore Henrici III. Imp. turbulentissimi, dicebãtur, qui ob defensionẽ hæresios & Simoniacæ, & Concubinariæ sese ab Eccl. Rom. separantes eandem infestabant per Galliam, Italiam & Germaniam: cætera omnia Romano cath. & credebant, & obseruabant. A quibus, quotquot floruerunt Sancti vita & miraculis, fuerunt tã alieni, quã Eccl. Rom. consentientes.

VARIA
Testimonia Fidei historica in Sæculo XI.

AN. MI. Orta Parisijs opinatio famã inuasit; & vero prædicari cœpit Gallia tota; crediq; per orbem: sed & cordate à doctis ac sanioribus refutari persuasio, hoc sęculo millesimo apparituru Antichristum, extremo Iudicio, mundiq; fine subsecuturo. Ex hoc id contigit indicio: quo anno Annunciatio Dominica inciderit in Dominicam, cum orbi vltimum fore: sicq; hoc cecidit an. Accedebant prodigia insolentis Cometæ, chasmatisq; in cœlo ignei, & Ordinum statuũq; pene omniũ obscœna deprauatio: persuadebant id quoq; clades, quæ plures præierant, morum corruptio, Romanaque schismata.

S. Abbo Floriacẽsis errorem scriptis primus confutauit, atq; confodit.

Ex eo terrore plurima Romæ cõstructa sunt monasteria & templa: quadraginta monialibus, totidem monachis, sexaginta Canonicis, solũ intra vrbẽ: extra, plura. Tanto felicior surrexit è ruderibus Roma sepulta, *S. Romuald.* Rauennæ monuit Ottonẽ pœnitentiæ iniũctæ ob cæsũ Crescentium, eiusq; raptã vxorem: promiserat se monasterium cõstructurum. Volenti prius ire Romam illi componendæ, ait Romualdus: Si Romanieris, Rauennã non videbis, Dictũ factum. Nã ibi intoxicatas chirothecas induens obijt. Has pro munere dedit ei Cre-

Crescentiana, dolens quod eam non duceret vxorem, nec crearet Imperatricem, vt ei addixerat.

An. MII. Otto III. Imp. obijt, cumque eo stemma Ottonicum interijt: Nimius fuit Paparum Dominus & intrusor schismaticorum.

Henricus à S. VVolffgango educatus, Moguntiæ à S. VViligiso vngitur Rex Germ.

S. Stephanus Rex Hungariam implet Ecclesiis, monasterijs: B. V. Mariam delegit Patronam regni: vnde incolæ eam tantum DOMINAM appellant. Id nomen locale iam factum est vniuersale.

Idem Hungariæ Apostolus traduxit ad Christum Transiluaniam de Guila Principe triumphans.

Northmanni XL. ex Ierosolymitana peregrinatione reduces viso Salernũ à Saracenis obsideri, poposcerunt equos, & ingentem Saracenorum exercitum fuderunt: oblata & spolia & dona renuerunt, professi, amore Christi & fidei sese pugnasse.

Missis tamen ex Italia donis alij è Nortmannia in hanc pelliciebantur.

An. MIII. Certatim orbe toto fit templorum innouatio, vt nationes ac vrbes contenderent de ornatu: Putatur, eo, quod metum cernerent vanum fuisse de mundi interitu peruulgato.

An. MIV. *Robertus Rex* Galliæ interest Concilijs, sed vt Episcoporum seruus. Visis Episcopi pedibus pendulis altiores in subsellio, dispexit de suppedaneo: attulit; suppositit.

Leutharicus Archiep. Senonensis communionem præbens, dicebat; *Si dignus es, accipe.* Eum Rex arguit, vt nouatorem; quasi indigni non acciperent Corpus Christi verum, & ipsum. Compressitque eum minis adimendi Archiepiscopatus præludentem Berengario, & Sacramentarijs. Istum primus increpuit per epistolam Adelmãnus Episc. Brixiensis.

Romæ *catharris* subito multi suffocabantur: Quidam oppressus *deuouet se S. Alexij* seruitio; edit vota monastica; liberaturque à suffocatione; & seruatur à dæmonibus, eo frustratis, ac visis specie equestris turmæ intra portam monasterij, vt raperent eum.

An. MV. *Henricus Rex* Ecclesiasticæ amans disciplinæ ac reuerentiæ in Conc. Tremonienſi orat Episcopos, vt Cleri, populique mores corrigant. Felix in cœptis vincit in Italia Longobardos, obtinetque regnum, gradumque facit ad Imperium.

An. MVI. *Henricus Rex Germ.* in Conc. Frãcofurdano allocuturus Episcopos, stratus humi iacet, dum ab VVillegiso Moguntino Archiep. leuaretur; petit dein Bambergæ Episcopatum institui.

An. MVII. S. VVolfgangus ei apparens ostendit ad murum S. Emeramni. *Post sex:* idque interpretatur ad mortem post sex dies, menses, annos; sed portendebatur Imperium, quod ei sexto post anno Papa contulit. Ipse suis humeris vita functũ S. Romualdũ baiulat ad sepulcrum Ratisbonæ.

S. Fulbertus Episc. Carnotensis est mirificus impugnator laicalis inuesturæ.

An. MVIII. Senonis sanctorum reliquiæ sunt eleuatæ; in his particula virgæ Mosaicæ.

S. Bruno cum 18. socijs, à Papa missus Apostolus Prussorum, est in prædicatione Euangelij affectus martyrio.

S. Bonifactus Russorum Apostolus à Papa missus, pauper & nudipes pdicabat. Princeps accersitū tentat oblatis ei donis amplissimis, vt auri cupido; qui in tam vilibus incederet; at spretis muneribus reuertenti pontificalibus induto ait; Nunc scimus, quia te ad vanam doctrinam impulit veritatis ignorantia, non paupertatis inopia. Si tamen pyram illæsus transieris, credemus. Extruuntur duæ luculentissimæ, quas aqua lustrali conspergit & thurificat, transitque innoxius; & Rex cum Russis Sacra Christiana amplexati venerantur. At Regis frater S. Bonifacium contrucidat.

An. MIX. *Iudæi*, per fugitiuum seruum, specie peregrini, dant literas, eius baculo inclusas, ad Principem Babylonis; ni *Ierosolymitanum euerteret templum*, Christianos regnum eius occupaturos; (adeo frequens isthuc erat *peregrinatio*) Cum igitur æquaretur solo, *Sepulcrum Domini erui nequiuit*. Cognita Iudæorum technâ, protinus vbique actantur, fugantur; cum vllo quicquā agere vetantur Christiani; multi sese necabant ipsos desperati. Regis tamē genetrix templum instaurat; & Fideles orbe toto missis ad eam munerib. opitulantur.

An. MXI. Miles germanus *rapuit bona S. Clementis*, vt tectum inde pararet. At vel in cubili inuaditur à muribus; in turri è laqueari aream suspendit, vt in ea se tueretur; at obrutus & ibi *corroditur à muribus*.

Dani vastant Angliam, Cantuariam obsidentes cholicis passionibus puniuntur diuinitus. S. Elphegus Episcopus supplices sibi dato *pane benedicto* sanat, seruat.

An. MXII. Ingrati Dani ab S. Elphego Cantuarienſi poscunt litrum; negantemque trucidant. Ecce vindictam: Duces duo sese enecant, alius à dæmone obsessus furit; alijs aliter pereuntibus Dani repetunt Classem terrore fugituri; at tempestate pereunt naues 160. alijs 65. ad barbaras oras dissiectis, vbi ab incolis mactantur omnes vt insidiatores: cæteri cum Anglis pacisscentes quidem vno tamen omnes die occiduntur.

An. MXIII. Benedictus VIII. PP. intruso contra eum Gregorio, confugit ad S. Henricū Regem in Saxoniam: à quo ductis Romam copijs restitutus offert ei dono POMVM IMPERIALE aureum eum eminente cruce; quo primus vteretur Insigni. Rebusq; compositis Romæ, Imperium confert eidem rite vncto & coronato cum Chunegundè.

An. MXIV. Percunctanti S. Henrico; *cur Romæ cantato S. Euangelio non cantaretur & Credo*? Papa respondit: *Quia Roma nulla vnquam hæresi fuit infecta*. Ab Imperatore tamen persuasus Pontifex cantari *Credo* instituit; Cui & Patrimonium S. Petri S. Henricus confirmauit, suam vero Coronam donauit S. Odiloni Abbati; qui eam, sæuiente fame, diuisit inter egenos.

Suanus Rex Danorum euastans An-

Angliam dum ingens ei litrum imponit, in medio exercitu à S. Eadmundo inuisibiliter confoditur.

An. MXV. *Ernestus* Alemaniæ Dux in venatione fortuito ictus telo, quod Sacerdote careret, omnes suos conuocat, palam peccata sua confessus obit pœnitens.

An. MXVI. Illustris fidei testis *Simeon Armenus* fuit monachus ex eremo Romam veniens, obcultum incultum creditus Manichæus à quodam reus peragitur; At cum in Concilio se purgasset examinatus, accusator à dęmone arripitur; Simeon eum manus impositione curat: ꝙ multis ibi fieret inclytus miraculis, clã abscedenti Pisis ꝯ huius, vt homo, dæmon percunctatur; *quo pergis monache?* eo reddente, *quo Deus voluerit*, Satan disparuit. Iudæus disputaculus negans ei, Christum ex Virgine natum; momento corruit mortuus. &c.

An. MXVII. Robertus Rex Galliæ per Conc. Aurel. adiudicat igni Manichæos.

Læti eunt: illæsi diu in flammis; demũ clamore in medio tali: *Ah decepti sumus!* extrahendi ab Orthodoxis in puncto corruunt in cinerẽ, vt nec os supereſſet.

Romã ipso Veneris sancto immanibus quassã ventis; multis ea mortem attulit vis: fuitque compertum ex Iudæo prodente, Iudæos tunc cum *Imagine Christi* egisse eadem, quæ olim cum Christo. Cunctis capite plexis illicò venti remisere.

An. MXIIX. Kiouia metropolis Russiæ sola 400. *templa* numerabat; adeo vigebat religio, vt qui *ieiuniũ Quadragesimale* violasset, ei dentes excuterẽtur.

An. MXIX. Papæ Bambergensem ecclesiam dedicante, & Episcopatum confirmante, S. Henricus Imp & Petro facit eã vectigalem, vt annuè penderet Papæ album equum ornatum, & centum marchas.

Has dein Pontifex Conrado remisit accepta Beneuento.

An. MXX. *S. Henricus* maleuolis credens contra *S. Heribertum* Episc. Colon. Citans eum febri decumbentem adit ipse iratus: at per quietem monitus, nil aspere diceret, faceretue, illi se submittit; aperitque factam sibi monitionem. Altera nocte media Rex init cubiculum Sancti; sed in Oratorio eum reperit de more precibus inuigilãtem. Vbi supplex rite confessus absoluitur à Sancto; subijciente: Nunquam hic nos videbimus.

An. MXXI. Mortuo S. Heriberto Imp. pro eo passim Missas ac eleemosynas fieri curat.

An. MXXII. Rogatu Papæ Imp. Henricus ducit in Italiam contra Græcos, eam infestantes; Obsidet Troiam; iubet dedi, aut æquandam solo cunctis mactandis: Ciues emittunt pueros clamantes *Kyrieeleison*: Miseretur eorum. Mox à calculo sanatur per apparentẽ S. Bened. cui° cœnobio regia dat munera.

An. MXXIV. Benedictus VIII. PP. moritur. Visus atro in equo, Capuanum Episcopum iubet, vt suus germanus iam Papa relictas à se pecunias eroget pro anima sua pauperibus.

Idem apparens Portuensi Episcopo dicit ab S. Odilone se *pœnis Purgatorij* liberandum fore, quo audito S. Odilo suffragia Missasque à suis fieri præcipit, &c.

& eleemosynas, donec liberatus ei in capitulo apparens gratias ageret.

Græci Constantinopolitani vendicant sibi nomen *Episcopi VNIVERSALIS*, missa Romam legatione.

Atque ex hoc in publicum schisma eruperunt, cœptum à Photio *anno* 878.

Henricus Imp. obiturus circumstantibus ait proceribus: *Recipite, quam mihi tradidistis, Virginem vestram.* Passa tamen calumniam se purgauit, viuos carbones illæsis manibus nudis gestans. Successit in Imperio Conradus Henrici Ducis Wormatiæ filius, nominatus ab S. Henrico.

An. MXXV. *Anniuersario* S. Henrici rite patrato, S. Chunegunda se exuta purpurâ induit griseâ, *acceptoque S. velo monialis* profitetur.

Aquitaniæ Dux Wilhelmus inuenit *Caput S. Ioannis Baptistæ*: ad quod Rex Franciæ, populique innumeri religionis causa *peregrinantur cum Processionibus.*

An. MXXVI. *S. Burghardus* Episc. Herbip. paralyticus, aduentante Conrado Rege orat sanari, quoad abisset Romam ducens: dein se lauat, induit albis, communicat. &c. cæteraque sibi funeralia parans, suos exhortatur, & obdormit.

Solum tres reliquit denarios, cilicium, ferreamque catenam.

An. MXXVII. Conradus Rex Italiam rebellem edomat: Romæ Imperator coronatur; datque filiam Canuto Regi Angliæ, tunc ibi peregrino. Hic reuertens in Angliam Papiæ magno *emit brachium S. Augustini:* Vnde Ariano Longobardo sumpta occasio *nundinandi pseudoreliquijs*, fingens se quot noctibus ab angelo rapi, docerique de reliquijs occultis.

Miranda Dei permissio! Fertur aliquos talibus pseudoreliquijs sanitatem consecutos: haud dubie vel operâ diaboli impostoris; aut vana hominum persuasione.

Emptas alicuius Iusti, ficto nomine; sed malefici capitis olim damnati, reliquias Manfridus Italiæ Marchio deposuit in templo. Vbi monachi noctu vident æthiopes ex capsa prodire, exireq; templo.

Publicatur fraus; dementata tamen plebs ægrè credebat.

Multis tunc ariana Lombardia Satanicis illusionibus fascinabatur.

S. Romualdus canonizatur, ritu hoc tunc vsitato; scil. vt petentibus Papa concederet aram supra corpus Sancti collocare.

An. MXXVIII. *S. Fulbertus* ante obitum prodit Berengarium hæreticum, vt ab Satana infestum.

Nortuuegi *in S. Olaum* Regem suum insurgunt, quod augures, magosque toto regno plecteret morte; ideoque à Dynastis clam noctu contrucidatur.

An. MXXIX. Robertus Rex Galliæ, ab moriente patre, viuique exemplo edoctus, in præcipuo honore habuit *Sanctos certos regni tutelares.*

Lemouicense Conc. pluraque alia disputant, An S. Martialis à S. Petro missus, sit Apostoli nomine honorandus.

Huc demum Pontificis Rom. opus decisione fuit data anno 1031.

An. MXXX. Conradus Imp. ducit in Hungariam contra Stephanum.

Hoc

Hoc Deiparæ commendante regnum, ecce postridie, stante vtrinque acie, ad singulos Duces Germanos aduolat nuncius cum literis Imperatoris, eos reuocantis.

At ignarus rei, factum miratur, ratus esse defectionem suorum, causam quærit: negat à se quemquam missum: agnoscit diuinitus id accidisse.

Statuit igitur nunquam attentare Pannoniam.

S. Sigfridus, rogatu Olai Regis, venit cum pluribus in Gothiam, Christum genti prædicaturus. Ibi Vexionij primum Sacrum Missæ celebrans sub papilionibus, cernitur à Præfecto regio eleuare Puellum: Rex cum gente subdunt colla iugo Christi.

An. MXXXI. S. Dominicus Soranus multis illustrat miraculis Ecclesiam viuus, ac mortuus.

An. MXXXII. Rex Nauarræ Sancius feram telo confixurus, ad S. Antonini Martyris sepulcrum consistentem, brachium sibi obtorpuisse sentit. Cognito loco sacro & culpam agnoscens recipit vires.

Gratus instaurat templum, addit monasterium; vrbemque ibi olim Palentinam resuscitat.

An. MXXXIII. Ecclesia Romana patitur, non facit mala in schismatis. Vnde intrusus ab Alberico, Comite Tusculano, duodennis filius suus in Sedem Apostolicam, tolerabatur.

Frequens hoc præteritoque sæculo malum! Ferendum, quod mutari nequibat, in tali & comitum, & Imperatorum potentia, & æui factiosi inconstantia.

Robertus Rex Franciæ obit Sanctus, miraculis clarus, in egenos mirè benignus.

In præcipuis 8. ciuitatibus regni singulis pascebat mille pauperes; in quadragesima ipse manibus porrigebat cibum quotidie ducentis, ministrabat flexo poplite: in cœna Domini 180. pauperculis lauabat pedes cilicio indutus. Noctes Christi natales, Paschæ, Pentecostes ducebat insomnes, frequens in Synaxi, quotidianus in Missa. &c. Communicaturus pridianam noctem in precibus ducebat: aqua benedicta semper vsus. &c.

An. MXXXIV. In Conc. Læmouicensi, act. 2. refert Episc. Caturcensis, militem prædonem à se excommunicatum obijsse; sepultum à suis in cœmiterio quinquies procul eiectum humo fuisse repertum.

Romani Imp. Orient. vxor Zoe deperijt aurifabrum Michaelem speciosissimum; venenat Romanum ipsa, demum Michael suffocat in Cœna Domini.

Obsessus mox à Dæmone fit deformis.

Meiceslao Poloniæ Rege mortuo, Reginâque cum liberis ob superbiam pulsâ, Cazimirus filius fit monachus Cluniaci, duranteque policratia tenuit septennè interregnum.

An. MXXXV. Berengarius Archidiaconus Andegau. fauente Brunone Episc. Andeg. vulgant hæresim; negantes Veritatem Eucharistiæ, baptismum paruulorum, & Matrimonium.

Episcopus Leodiensis suadet Henrico Regi ad Papam deferret; quod huius

ius solius esset Episcopum condemnare, non Concilij prouincialis.

An. MXXXVII. Dum *Cunradus* à Papa sub Missa coronatur Imperator, tanta sunt elisa fulmina, vt hi mente, illi vita excederent: visusque est *S. Ambrosius* minitari Imperatori.

Tunc simul Poppo Treuir. Archiep. impetrauit *canonizari S. Simeonem* anachoretam.

An. MXXXVIII. Pandulphus Dux Capuanus monachis Caisini seruum præfecit; misitque alium, qui raperet inde thesaurum; at hunc subita prostrauit epilepsia.

Imperator illum exuit Ducatu ab monachis accusatum. Demum à venatore in silua ab obuijs monachis sese sequi iussus, ducitur *ad lacum obscœnum*; cernitque in eo Ducem iam vita perfunctum dire torqueri, clamantem: etsi ob innumera scelera patiar; hic tamen ob raptum monachis calicem discrucior: eum iube reddi ab vxore mea, & pœnis subleuabor. Paret ille; & obit.

S. Stephanus Rex Hungariæ ipso Assumptionis Mariæ sanctè emigrat in cœlum; mirificus cultor Deiparæ & gentium barbararum Apostolus.

S. Luciæ corpus captis Syracusis transfertur Constantinopolim.

An. MXXXIX. Conrado Imp. repentinâ mortuo, eius filius *Henricus II.* succedit in regno Germ.

An. MXL. Ex hoc vacat Imperium Occidentale per sexennium.

Obit *S. Chunegundis* virgo, se iussam sepeliri *pauperculam* ad latus sui fratris mariti S. Henrici I. Imp.

Saraceni occupatâ Siciliâ Messanam obsidentes, à paucis, antè *sub Missæ Sacrificio communicatis*, plurimi cæduntur, fugantur.

Conimbricam à Mauris obsessam Rex *ope S. Iacobi*, in acie visi præliari, vindicauit. Græcus Compostellam peregrinans risit dicens; Piscatoris fuit, non bellatoris; nocte proxima grauiter ab eo increpatur.

An. MXLI. Poloni proceres, cladibus fessi, & interregno, per Legatos ab S. Odilone ex Cluniaco repetunt Cazimirum ad regnum: qui sui se iuris esse negauit, vti iam professum & subdiaconum. Papam adeunt, impetrant ab vtroque absolui, in spem prolis regiæ; Sed ita vt Poloni rasi coronam; fasciamque ex collo instar stolæ gerant ad dextrum humerum pendulam; & scapulare album in festis B. V. Mariæ; S. Petro ad lucernam perpetem pendant de singulis capitibus nummum, præter nobiles & clerum & religiosos. Cazimirus ductæ Mariæ Imp. Orient. nomē mutauit in hororem B. V. Mariæ; & schisma Græcorum simul composuit.

An. MXLII. S. Gerardus Episc. stola indutus dixit Ouoni tyrāno Hūgarię:

S. Quadragesimæ obseruatio est peccatoribus prouenia, iustis præmio; tu veniam nullam mereris tyranne; gladio regnum rapuisti, anno tertio gladio peribis. Dictumque factum.

An. MXLIII. *S. Euardus* Rex Angliæ cum coniuge vixit in perpetua Virginitate.

An. MXLIV. Benedictus Romæ residebat in Laterano, Sylvester III. in Sancta Maria maiore:

Gratianus Presbyter vtrique persuasit

vt

vt seruata reddituum parte se abdicarent Pontificatu, & ecce ipse ab omnibus eligitur Papa dictus Gregorius VI. Reformator Ecclesiæ mirificus.

An. MXLV. Cazimirus Rex Poloniæ paucis vicit plurimos Russos, vilo pugnare cum eo viro candido.

Gratus Deo misit Romam denarium S. Petri, eamque Capitationem in Comitiis consensu procerum fecit esse perennem.

Nortmanni diripuerunt fundos Cassinenses; monachi in eos arma sumentes, fuderunt pauci cunctos, ablataque recuperarunt.

Sed visus est S. Benedictus in conflictu præliari: vnde tela, saxa, armaque hostium in ipsos retorta vertebantur.

An. MXLVI. Henricus Rex fit *autor hæresis Henricianæ*, seu *Politicorum*.

Nam Romam aduolans ecclesiastica iudicia sibi vsurpauit; Episcopum Rauennatem coacto Concilio exauctorauit; Gregorium VI. PP. iudicauit iuxta delationes factiosorum, & Episcopum Bambergensem intrusit in Papam dictum Clementem II. Gregorio VI. tunc pacis causa seipsum abdicante.

Clemens eum cum Agnete coronat & vngit in Augustos.

Coronatus statuit edicto, *Papam ab Imperatore, non ab Romanis, creandum esse.*

Sancti Guidonis obitus, vt vita multis illustrauit miraculis Ecclesiam.

An. MXLVII. Clemens II. PP. in Conc. Romano sancit, *Simoniace ordinatos, suscepisse S. Ordines vere ac rate; sed non bene; ideoque* 40. *diebus ab officio suspensos pœnitere debere.*

Eiusdem decreti Imperator executionem vrget per Imperium; etsi luxuriæ deditus; at eximius cultor iustitiæ.

En; Equum dono ab Abbate acceperat, quem miles raptum Abbas emeratignarus furti.

Equitanti Imperatori herus equi prisCus ait: Meus est: Cui Imp. Si tuus, abduc eum cum sessore.

Accersitoque Abbati pedum aufert, traditque statuæ Saluatoris: *Iam*, ait, *ab hoc Pedum recipe; ne largitione accepisse credaris.*

Puer à Clerico *fistulam argenteam*, quâ aqua eiaculatur, accepit eo pacto, & Imperator factus, ei donaret Episcopatum.

Coronatus donauit. Morbo repente deijcitur, mortuo similis ipso triduo; Fiunt pro depositio preces, Missæ, eleemosynæ: respirans fatetur, è fistula dæmones in sese ignes esse eiaculatos, vstulatumque totum: at S. Laurentium denique per calicem aqua affusâ fecisse medelam.

Illico conuocato Concilio deponi curat Episcopum. Calicem Henricus obtulerat in æde S. Laurentij, & hanc ruinosam repararat.

Simul detestatus est eum, cuius suasione fuerat in hæresim Simoniacam inductus: quò eam acrius cum Papa persequebatur.

Godefridus Lotharingiæ Dux ob ademtum sibi ab Imperatore Ducatum incendit Virdunum, simulque deflagrauit templum Deiparæ: *pœnitens fit monachus.* Obit PP.

An. MXLVIII. Damasus II. datus ab Imperatore Papa, acceptus à Romanis, simul moritur.

S. Odilo Abbas Cluniacensis moriturus adstantem Satanam increpat, fugat.

Primus in suis monasterijs indixit *Festum animarum*, post Omnium Sanctorum; ob varias ei factas de purgatorio reuelationes. Falsus Benno schismaticus, qui Sanctum infamauit.

An. MXLIX. Tullensis Episcopus Bruno submissus, ita rogantibus Romanis, canonicè fit Papa creatus, Simoniacam hæresin persequitur; reformat Ecclesiam, vt lucem viderit post tenebras.

Dictus S. Leo IX. claruit miraculis. In Gallijs donatum sibi poculum ligneum fregit forte famulus, Papæ gratum ob memoriam S. Remigij eo vsi. Orat Leo, & protinus redintegratur poculum.

Gibertus cuidam promisit, Romæ se impetraturum ei dispensationem absente Papa. Impetrauit ære & falsa relatione: Reuerso in Galliam S. Leo, proiecta inipsum pecunia, ait; sit tecum in perditionem: Ex ea hora Gibertus fit amens & vagus; Papa spiritu prophetico illustrior.

An. ML. *Berengarium* in Conc. Romæ damnat S. Leo, suspectusque Lanfrancus se purgat.

An. MLI. *S. Gualbertus* monachus rogatus propter Crucifixum, ignoscit suo fratricidę; cui dein ante Saluatoris imaginem precanti ea caput inclinauit.

Quo motus ille fit monachus Possini. Sed quia Abbatẽ ibi cognouit Simoniacum esse, deserens eundem, secedit in eremum, fitque *autor Ordinis Fratrum Vallis vmbrosæ.*

Henricum auxit filio Henrico Agnes, quæ grauida visa sibi fuit draconẽ virulentum gestare. Euentus approbauit natum maximo damno Ecclesiæ. Naucleus gener. 35. ait occidendum; iãque expositum esse à Decano Spirensi seruatum; adoptatum ab Hermanno Sueuiæ Duce.

An. MLII. S. Pet. Damiani edit librum contra nouam hæresin, asserentium: *Simoniacos nullum Actum S. Ordinis efficaciter exercere*: V.g. Non vere Ordinare, Consecrare, Baptizare, Absoluere. &c.

An. MLIII. Nortmanni in Gallia & Anglia Victores Italiam attentant; Papa acceptos ab Imperatore Germanos ducens in eos vincitur, capitur; at summo in honore habitus: demum puduit Nortmannos, *habere captiuum Papam*, eum dimiserunt.

Acerbior, quin & iniquior est in eum Pet. Damianus, scribens, *Non licere Pontifici belligerare.* Verum reor, in Persona propria: at per alios *licet; quia accepit vtrumque gladium*, & Dominia temporalia.

An. MLIV. *S. Leo PP.* IX. obit, miraculis inclitus. *Benedictus IX. PP.* improbus mortuus apparens instar asini damnatum sese quiritatur. Vide supra.

An. MLV. Victor II. PP. ab Imperatore submissus, rogante sic Clero Rom. ac dein creante; restringit S. Canonum seueritatem in Pœnitentijs, ac vsum omissum reducit, suggerente S. Pet. Damiano; licitumq. fecit, vt quib. annorũ pœnitentialium numerus excreuit, ij redimerentur eleemosynis, ieiunijs, *disciplinis scopatis*, & orationibus.

In

In decantatis psalmis 10. redimebantur scopæ mille 5. anni in psalmis 150. Tunc cœpit *vsus ferularum* super scapulas, aut palmas.

Comes Germanus possidens à decima retro generatione fundum ecclesiasticum Metensem, videtur mortuus à religioso rapto, in pœnis inferni insistere scalæ, & ordine post eum gradatim singulos maiores eius, quorum pœnæ crescerent iuxta numerum posterorum accedentium.

Hildebrandus Monachus Clun. & Legatus Apostolicus Lugduni in Concilio contra Simoniacos, accusatum Archiepiscopum, (sequente nocte accusatores pecunia corrumpentem, ideoque dein silentes in iudicio) interrogat: *Credisne S. Sanctum à Patre Filioque procedere; eiusdem esse substantiæ?* dicentem, *Credo*: iubet dicere, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Dicit, *Gloria Patri, & Filio*, expedite: at nequit eloqui istud, *Et Spiritui S.* quantumcumque niteretur. Confusus supplex fatetur culpam, petit veniam: qua facta depositus, clare canit, *Et Spiritui S.* Continuo 27. Prælati, 45. Episcopi supplices ob parem culpam, se abdicant ipsos officijs.

Heduæ in Concilio S. Hugo Abbas ab Hildebrando iussus aliquid dicere de pace: (adeo late rex Discordia vulgabatur:) dixit: *Qui filius pacis, maneat: qui non, exeat.* Ecce procerus gigas surgit, exitq; multis eum comitatibus; simulq; disparentibus. Illico cuncti in fraternos ruunt amplexus.

Subdiaconus calicem Papæ venenarat, eleuaturus consecratum nequibat; sed arreptus à dæmone fatetur facinus: sed orante Papa cum populo liberatur: calix sub altari asseruatur.

An. MLVI. Guntherus Cancellarius Imperatoris in visione cernebat Christum in solio, surgentem stricto, inque ictum vibrato gladio dicere: *Reddam vltionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam.* Dein residentem subiicere: *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima.* Mortes inde Principum secutæ, vulgo fames, malaque multa.

Henricus indoluit acerbe, præsertim de peccatis suis; confessus tamen & cõmunicatus obijt; Consecrato prius tamen coram se Henrico filio in Imperatorem, idque à Papa præsente, proceribusque Imperii. Vidit in agone sese accusari à dæmonibus *de vsurpato iudicio ecclesiastico, & designatione Papæ.* Defendi vero ab S. Laurentio Patrono, atque liberari.

Gamugenses monachi cœptum ab hinc triennio dicere Officium B. V. Mariæ omittunt, suasu confratris, quod inuentum esset nouum, non Sancti Benedicti institutum. Ecce, affliguntur à prædonibus, multisque cladibus: imploratum Imperatoris auxilium submissum nil proficit: Consultus S. Damianus suadet eiectam Deiparam eiusque cultum resumant. Parent etiam voto se obligantes. Protinus prosperantur palbabiliter. Idem S. Damianus videtur autor esse vulgati etiam inter *laicos officij Mariani.*

Hoc æuo adeo vulgatæ erant *Scopatæ* seu *Disciplinæ*, vt imi, summi, mediastimi eas palam frequentarent: ipsque Imperator non induceret Regalia, quin con-

fessus prius, & à Sacerdote scopatus. Quem pietatis vsum arridens quidam monachus refutatur à S. Damiano.

Toto Occidente mos inoleuit, à monachis ductus, vt *feria II. destinaretur Sacris pro defunctis, Sabbatũ pro Deiparæ cultu.*

In Cõcilio Cõpostellano sancitur; *Vt singuli Sacerdotes quotidie sacrificent: Clerici diebus ieiuniorum & Litaniarum cilicijs sese induant.*

Sueonum conuersio sic habet: eorũ sacrificulus nouennale sacrificium patraturus in actu cæcatur. Ploranti apparens noctu Virgo cũ puello credere in Christum iubet, moxq; reluminandum fore. Assentienti dicit: per Christum filium meum respice. Vidit: Credit: Christum prædicat, Dictumq; factumq; gentil. facile persuadẽt. S. Adalbertus Arch. Brem. submittit Sacerdotes, qui catechizent: vna in Missa offeruntur 700. marcæ argenti. Nã ducebatur nefas audisse Missam, & nil ad Offertorium cõtulisse.

Henricus septennis puer traditur Ecclesiæ Rom. educandus: Sed, eheu, peruertebatur.

Anno MLVII. Papa frequentat Concilia contra Clericos concubinarios, & Monachos vagos: quos impœnitentes sancitur sepeliri sepultura asini.

Michael, suadente & promittente patriarcha cœleste proterrestri regno, resignat Isaacio: qui mox omnia bona monastica addicit fisco. Deniq; autem coactus abire imperio, ictus fulmine, orat, & exorat ipse fieri monachus. Cazimirus obit pie an. 1058.

An. MLX. S. Damianus an. 1057. ex eremo ad Cardinalatum extractus, iam dat libellum de se abdicando ab onere honorario, sed nil auditur.

Berengarius in Generali Concilio Romæ eiurat suas hæreses, libros in rogum abijcit iam secundo. Sed contra re lapsum protinus, & *Impanationis* cõmentum inuenientem refutat Lanfrancus, plureſq; Patres ac Scriptores. Sed & miraculis Deus.

Zelotypa, suasu vetulæ, SS. Hostiam acceptam reseruat dandam suspecto marito cum certis carminibus. Sed ecce, reperit eam dimidiatam versam in carnem, altera parte remanente sub specie panis.

Petrus Episcopus Amalphitanus iuratus affirmat Papæ; sibi ad aram dubitanti de Veritate præsentiæ, in ipsa confractione Sanctæ Hostiæ manantem Sanguinem ex ea digitos cruentasse.

Sancitum quoq; in Conc. Generali; *Vt Clerus Romanus Pontificem eligeret; Imperator faueret Electo. Si Clerus in libera electione impediretur, hic ius suum daret Imperatori; qui eligeret vnum; sed nomine Cleri.* Verum Imperatores deinde interuerterunt ordinem, autore Guiberto gallo intruso Papa, qui adulatus Imperatori desuper edidit Decretum scilicet: Vt Clerus electum præsentaret Imperatori; qui si minus placuisset, alium daret: Si placuisset, confirmaret.

Normanni in Apulia & Calabria rerum Domini præstant Papæ iuramentum fidelitatis, vt vasalli: tributique annui Sancto Petro pendendi. Per eos deinde castella Comitum Romanorum euertit eorum; qui intrudere vi Pseudopapas consuerant; sicque

que minutos viribus redegit in ordinem.

Anno MLX. Sanctus Eduardus Rex Angliæ Vectigal annuum S. Petro mittens atque confirmans petijt absolui à voto peregrinationis suæ ad Limina Apostolorum, sibique iniungi, vt S. Petro monasterium extruat. Rex Stenchillus, Gothorum ac Sueonum quasi Apostolus, sancte obit.

Ann. MLXI. *Cadalous intrusus* pseudopapa innouat *hæresim Nicolaitarum*, in gratiam Cleri. Sanctus Damianus eum confutat, relictoque Cardinalatu & Episcopatu redit in eremum: & eo liberius inuehitur in vitia Cleri.

Hildebrandus Cardinalis & Cancellarius Papæ pompose cum comitatu incedens, tacita cogitatione Sancti Hugonis Abbatis Cluniacen. iudicatur. Ad quem is equum & vocem vertens ait: *Male cogitasti: Non mihi, sed SS. Apostolis honores hos imputo.* Et Hugo: *Heu Domine, vnde cogitatio tibi cognita est?* Cui ille: *Ab ore tuo, ceu tubo vox mentis tuæ ad aures meas delata venit.* Ita sæpius patuit eum pollere spiritu prophetico. Sanctus Dominicus Loricatus obit.

Anno MLXII. Sanctus Damianus legationem obiens audijt ex Bremensi Abbate ista: Iter habenti monacho fratrimeo alius obuius ait: *Complectorium in lecto nec salus est, nec profectus:* qui respiciens comparuit nemo. Is è via lassus prie se in lecto illud orasse recordabatur.

Clericus Colonienſis dum flumen transit, in medio *Pelegrinus Episcopus Colonienſis* nuper mortuus equum prenso capistro tenet; percunctantis, ecquid tam pij viri anima isthic moraretur, manum prehensam exurit, vt solis ossibus nudis hæreret: causamq; subiecit, Eò solum puniri sese, quod *mane omnes Horas Canonicas* simul persoluerit, quo regijs vacare negotijs posset.

Poscit igitur suffragia pro se fratrum in Missis & eleemosy. Porro S. Damianus arguit Clericos ac Monachos, quod sedentes decantarent Horas in templis.

Imperatrix Agnes peregrinatur ad Limina Apostolorum; Damianus per epistolam varios ei recitat hominum casus, suadetq; tutiora in religione. Se igitur abdicat & regno, & sæculo, *facta monialis.*

Prius tamen Sanctus Anno Episcop. Colon. abstraxit ab ea Henricum educandum.

Dani moniti S. Petro vectigalem pecuniam submittunt.

Alexandri Papæ sigilli inscriptio hæc erat: *Exaltauit me Deus in virtute brachij sui.*

Anno MLXIII. In Concil. Lateran. sancit Papa Alexand. ne Sacerdos plures vna per diem Missas legerent.

Monachi Florentinum Episcopum peragunt reum de Simonia. Aldobrandinus Vallumbrosæ monachus, pastor ouium & vaccarum se offert ad probam per ignem contra ipsum. Fiunt publicæ preces ac Sacra: duas transit pyras per medias prunas, prius aqua benedicta ac thure lustratas, illæsus, appel-

appellatur inde *Igneus* : fit Episcopus & Cardinalis. Displicuit tamen Papæ, Monachos se populi miscere turbis: pro inde iubet omnes Claustris contineri.

Ann. MLXIV. Episcopi Moguntinus, Traiect. Bamberg. & Ratisbon. *cum 7000. peregrinorum Ierosolymam peregrinantur.* Verum nimius eorum cultus illexit Saracenos ad prædam. Itaque inuasi vix 2000. reuerterunt, cæteris cæsis.

An. MLXV. *Nicolaitæ* Clerici tandem coercentur opera Papæ & S. Damiani. Hic idem confutauit, & iugulauit simul *hæresim Incæstuosorum*, ortam per Iuristam Florentinum, autoritate Iustiniani docentem, *Gradus Consanguinitatis ea ratione esse numerandas, qua in Successionibus:* scilicet fratres esse in secũdo gradu, fratrum proles in quarto, nepres in sexto. &c. Ideo neptem ducens, spretis duorum Conciliorum decretis, nocturno ictus fulmine perit, prima nocte concubii: nec canes volunt nuptiarum eius panes vel degustare.

Hamburgensis Ecclesia deuastatur ab hoste; in pœnam peccatorum populi, præsertim *stata ieiunia* temerantis, vt ipsi interpretati sunt.

An. MLXVI. S. Eduardo ex humanis exempto, relicta Editha vxore Virgine, Papa *consecratum dat vexillum* Normannorum Duci Guilielmo, vt Heroldum tyrannum ex Anglia propellat, facta spe regni capessendi. Is igitur suis copijs, numero longe inferioribus, sed ante conflictum *Confessione expiatis, & S. Communione munitis*, facile vincit: Atque Rex salutatus, à Papa confirmatur, vnctus à S. Aldredo Episc. Eborac. Huic Rex aliquando iusta petenti negabat: mox auerso, malaq; minitanti supplex accidit orata venia. Proceres monent, vt iacentem leuaret: quibus ille: *Sinite eum iacere ad pedes Petri.*

Episcopus Misnensis ab auaritia infamis, surgens à mensa inijt cerarium, quieturus. Verum effractis demum foribus reperitur strangulatus, thesauro incubans, carbone atrior. *S. Arialdus* prædicans contra Episc. Mediolanensem, notorium Simoniacum & Nicolaitam, dire ab eo martyrizatur. Sed clam abiectum eius corpus coruscis è cælo facibus reuelatur.

An. MLXVIII. Consultus ab Hispanis Papa; *Num Iudæos perinde ac Saracenos liceat bello persequi, & extirpare?* Negauit. Quia Iudæi seruire parati sunt; non hi.

Duces Burgundiæ, & Boemiæ *coniurant in defensionem Sedis Rom.* S. Petri: alijque Franci, idque prostrati ante S. Reliquias Apostolorum.

Sub hoc tempus Lex Toletana recepit tota Hispaniâ legem Romanam de *Cælibatu Sacerdotum.*

An. MLXIX. Henricus Imp. Bertæ vxoris pertæsus, poscit in Comitijs *eam repudiare* sic, vt vtrique nubere liceret. Reclamat Concilium, (præter Mogun. Archiep.) Papaque dissuadet per Legatum S. Damianum: ægre eam, turbarum metu, recipit in regni consortium: sed non thori.

An. MLXX. Archiepiscopi Colon. & Moguntinus Romam citati ob simoniam, se purgant. Donati *brachio S. Cæsa-*

*rijs*id in æde S. Georgij Coloniæ deponunt.

Romæ quidam Epulo diues obijt mortē: *resurgit è tumba* pridie sepulturæ: consternatis visas narrat pœnas, suamque damnationem: sed & liberationem *per Deiparæ & S. Cæsarij intercessionem* apud Iudicem: quod suesset sæpius eum patronum suum venerari. Dixit, ritequ; pœnitens remoritur.

Talium aut mortes sunt meri raptus ecstatici, & visa imaginaria, sic volente Deo: Aut si veræ sint mortes, sententia damnationis tamen est respectiua, & prorogatoria, ad redanimationem; non absolute definitiua. nam ex inferno nulla redemtio. Damnatio igitur facta, est similis sententiæ latæ, & cōditionata, scil. nisi reditus in vitam concederetur, iam tunc infelix promeruisset damnationem. Et sic tales sunt facti, non ficti relationes.

An. MLXXII. Archiepisc. accusant Romæ Henricum de iniuste deposito Bauariæ Duce; de nundinatione Episcopatuū, Abbatiarum, &c. in eiusdem aula S. Damianus obit.

Ann. MLXXIII. *Alexander* II. PP. obit, ante tamen per suum solum iubentis imperium dæmoniaco liberato, & clauda sanata per aquam datam in haustum, qua sacrificans manus abluerat. Sancti Petri Damiani annua memoria festiue celebratur Fauentiæ solenni cum Litania.

Succedit *Hildebrandus* in Papatu; occupatumque in exequijs S. Alexandri Clerus, Populusque acclamant Papam. Is vero protinus per Legatum orat Henricum Imp. vt ne ratam habeat electionem: sed votum caruit euentu: dicitur Gregorius VII. Hēricum culparū dein suarum ab eo admonitum, humiliter spondet emendationem.

Boemia soluit Canonem S. Petro.

Saxones fremunt in Regem Henricum, bellum mouēt, Regē aliū creaturi: Papa illud sedat; hoc dissuadet. *Sanctus Gualbertus* obit autor Ordinis Vallumbrosi.

An MLXXIV. Legati Apostolici accusatū Henricū laborant absolui ab excōmunicatione lata ob Simoniā: sed renituntur Episcopi Gallię. Itaq; Romam citatur ad dicendam causam Episcopus Bremensis, peruersor Henrici.

Afflictā Ecclesiā Deus tuetur per tres Reginas: per Agnetē matrē Hērici, Beatricem, amitam, & S. Mathildem filiam, quæ nupta fuit, sed Virgo permāsit; nūc vidua Italiam regit. Eam in multis opitulatricem Papæ, vocarunt improbi in suspicionem, vt quæ cum ipso volutaretur.

Vrget Papa Canonem *contra & Simoniacam, & Cōcubinariam hæresin Clericorum:* surgitque in tumultum Germaniæ Clerus fere vniuersus.

At vetantur edicto laici eorum Sacris interesse, postquam suspensionem ab Ordine contemnerent.

S. Ianuarius visitur Neapolim tueri contra obsidentem eam Robertū Nortmannum.

Papa adornat *Expeditionem Ierosolymitanam I.* contra Saracenos & Northmannos, inuitatque ad eam literis Principes Imperij; vt in *Sacrum Bellum.*

Salomonem Hungariæ Regem coarguit Papa, quod regnum illud ab Hērico Imp. accepisset feudatorium; cum esset Rom. Ecclesiæ feudum.

Anno MLXXV. *Generale Concilium Romæ* agitur aduersus vulgatissimam Luxuriam & Simoniam Clericalem, & corruptos populi mores. Orat idem passim Reges ac Principes, ne vsquam Simoniacos recipiant; sed procul arceant & excludant. Simul complures Episcopi exauctorantur.

Henricus Spir. Episc. decoctor Episcopatus, fit suspēsus. Clericus, eius successor, videt in choro senem cum duobus iuuioribus, iubentem hosce exequi sententiam Dei: Ergo decollant eum, truncumque suspēdunt in cruce chori media. Is visum refert ridenti, valentique: at septimo post die consistens in chori subsellijs, sibi ad collum subnasci pustulam sentit; ex qua intra horas paucas exhalat animam.

Henricus Rex Germ. verbis se sub Pontifice Roman. profitetur subiectum; donec alteram contra Saxones victoriam abstulisset: exinde spernit Papam; Simoniacosque in Concilio depositos restituit. At è contra, Rex Russorum, misso filio Romam, offert regnum S. Petro. Mergitur hinc, astindè surgit Ecclesia.

Anno MLXXVI. Henricus, parta de Saxonibus victoria, tumidos in Ecclesiam Romanam Spiritus resumsit contemptor Papæ. Gregorius VII. tamen eum peremtorie citat Romam ad dicendam causam, contra Saxonum accusationes in Synodo depositas; sin' dicto die fore ab Ecclesia abscindendum. Capita accusationum erant; quod vsurparet bona Sancti Petri; quod sperneret Acta Synodi, fautor, tutorque Concubinariorum ac simoniacorum, auctorque schismatis.

At Rex cogit *Conciliabulum VVormatiæ* Schismaticorum Episcoporum, qui Papæ abrogant Pontificatum: quibus tamen Saxonici Episcopi reclamāt. Itaque scribunt Papæ, vt seipsum deponat officio.

Romæ vero Papa cum Concilio excommunicat Regem, & Complices, editurque Encyclica ad omnes Fideles, ab Regis obedientia fideq; absolutos.

Episcopus Traiectensis, caput schismaticorum VVormatiæ correptus morbo denunciat Regi: *Ego, ipse, omnesque complices sumus æternum damnati.* Interque cruciatus desperans clamat *Ecce, dæmones lectum circumstant, vt egressam animam rapiant. Itaque rogo vniuersos ne se fatigent in supplicationibus pro me mortuo faciendis.* Inque hac voce expirat: *Iusto Dei iudicio hanc, & æternam vitam perdo, quod sciens contra Papam calumniatus Regi fui.*

Singuli complices eodem anno aut præcipitio, aut gladio, alijsue fœdis casibus interierunt. Territi non pauci resipuere, se Romæ ad pœnitentiam sistentes.

Porro Gregorius VII. ad plures scribit Principes Germaniæ, suadeant Regi vt resipiscat, regno iam & Cōmunione priuatus. Sin', alium sibi Regem eligant.

Itaque Triburiæ frequentant Comi-

mitiæ aduersus Henricum. Hic Oppenhemij cum exercitu sedens per legatos spondet se Papæ satisfacturum: Sed legati reijciuntur cum ea denunciatione: Rex in Augustanis Comitijs se defendat, aut seipsum abdicet accusatum: Sin; regno exuendum. Interim dimisso exercitu Spiræ, vt priuatus resideat, nouet nihil; à se dimittat omnes excommunicatos à Papa; sese intrà annum excommunicatione enodari, Romæ sese humilians curet.

Desperatus accipit conditiones: asperrima hyeme priuatus, cum paucis vilioribus, contendit per diuerticula Romam; quod Sueui, Bauariq; vias omnes intercepissent; alicubi etiam transitum emit.

Interim Papa Ducem Croatiæ & Dalmatiæ ornat titulo regio; qui se, regnumque suum S. Petro efficit vectigale.

Rex etiam Arabiæ sese submittit Papæ; petit ab eo Sacerdotem Christianæ religionis Doctorem, omnesq; Romanos captiuos dimittit.

Rogerius quoq; Siciliæ Comes excõmunicatus sese reconciliari Ecclesiæ rogat, & impetrat.

An. MLXXVII. Henricus ex rex difficillimis vijs init Italiam; ei Longobardi, diu excommunicati, fauẽt. Papa iturus Augustam subsistit Canusij, vbi excommunicatos Episcopos, humiliter supplices ac pœnitentes, absoluit.

Henricus eum per legatos sibi mitiorem propitiari studet; sed incassum ob expertam inconstantiam.

Itaque ipsus aduolat Canusium triplici septum muro; iussus relinquit foris comitatum, intrat solus intra secundum murum, traditisque ibi regni Insignibus subsistit totum triduum nudus pedibus, à primo mane ad vsq; serum vesperum; die quarto ad pedes Gregorij admittitur: humillime supplex spondet sui & purgationem, & emendationem, nihilque non agit, tantum vt anathematis auferat absolutionem. Quam & impendit ei Papa; iubetque se Principum sistat Comitijs causæ dicundæ, aut regno abeat. Acquiescit: simul spondent pro eo Episcopi complures; Papa tamen tacite diffidente.

Sub Missa igitur ad populum & Henricum versus cum parte S. Hostiæ dimidiatæ ait: *Ecce, in fidem meæ de obiectis criminationibus innocentiæ, si reus sim, me subitanea morte mactet Deus in hac Sumtione SS. Sacramenti.* Sumitque innoxius. Fiunt acclamationes, laudesque, gratesque Deo. Partem S. Hostiæ alteram offert Henrico, diu renitenti; demum tamen acceptanti in probam.

Dimissum excipiunt Longobardi Episcopi ob Luxuriã & Simoniam schismatici: hi autore Rauennatensi Episcopo, persuadent ei, Papam esse simoniacum: ijs se iungit Henricus, desciscit à Papa, pactisq; promissis, ac iuramẽto. Interim à plurium Episcoporũ frequentia cõuenitur, vt restitutus regno & Ecclesiæ, apud hos multa de Põtifice queritur licentius eorum fretus fauore, quos simonia & luxuria obnoxios habebat per Italiam & Germaniam.

Principes cæteri cõperto deceptum

esse Gregorium, Comitia indicunt Forchemij; rogãt eodem & Papã adesse contra toties perfidum Henricum. Huc eum citat Papa; sed per recepti regni negotia sese excusantem: ac vias interim omnes insidentem, ad intercipiendum Papam. Qui cum nusquã tutum cerneret transitum in Germaniam, reuersus Romam præsidio Mathildis, excommunicat Henricum, omnesque sectarios: monet Principes, Forchemij fortiter agant.

Vbi *Henrico regnum abrogant; surrogant Rodulphum Sueuiæ Ducem.* Facto succenset Papa, *quod maiora Ecclesiæ negotia spectarent ad Sedem Romanam imo ad Politica solum Comitia.*

Interim Deus vindicias exercet contra Henrici cõplices, sacros, politicosq; Principes Schismaticos; vt eorum hi repentinâ caderent; illi morbis nulli curandis iacerent, alij aliter male perirent.

Suenno Rex Daniæ audiens Dynastas de sese simstre mussitare, percitus ira, intra templum orantes iubet confodi vniuersos. Inituro dein ecclesiam Episcopus, Pontificalibus indutus, occurrit, & arcet exclusum, ac abstẽtum. Rex perculsus reuertit domum, posito cultu regio sordidum assumit, nudus pedibus & capite lugens reuisit ad valuas ecclesiæ, vultuq; in humum abiectus veniam petit, acceptat pœnitentiam, impetrat absolutionem.

Mathildis donat S. Petro Liguriã & Tusciam prouincias, in augmentum perpetuum patrimonij sacri.

Anno MLXXVIII. Papa in *Conc. Romano* multos excommunicat, ac deponit Schismaticos Principes, Episcopos, Archie. Cardinales, Northmãnos; *irritamque declarat Ordinationem ab excommunicatis factam.*

Henricus valido cum exercitu ex Italia inuadit Germaniã, perque Sueuiam ac Bauariam vario marte confligit cum Rodulpho, capta Herbipoli: verum ab eo demum in Saxonia victus est, & profligatus.

Papa suadet nobilibus Danis & Northvvegis, vt *filios Romam mittant*, in aula Põtificis gratis erudiendos: Innouatq; Decretum de *Inuestituris*, ne eas laici vsurpent.

An. MLXXIX. In Conc. Romano confutatur, damnaturque hæresis sacramentaria, asserens, *meram Christi in Sacramento Figuram esse.* Berengarius quoque iam octuagenarius rursus conuictus, constrictus eiurat hæresim, toties relapsus.

Legati Henrici & Rodulphi iurant in Synodo Romana eos Papæ parituros: sed Henricus victo ad Fladesheim Rodulpho Papam aspernatur. Hocq; impensius student adhærentque Pontifici, quicquid est vsquam Sanctorum virorum.

Rex Anglię edicto *vetat*, neu quisquã iniret *peregrinationem* ad Limina Apostolorum. At monitus à Papa pœnitens errati reuocat edictum.

Kanutus, Rex Daniæ creatus, petit à Papa se, vt filium subiectum, recipi, erudiri, ac dirigi.

S. Stanislaus, arguens de incœstu Boleslaum Poloniæ Regem, martyrio coronatur. Regem Papa exuit regno; vetat

vetat ne vnquam Episcopi Regem creent & vngant, iniussu Papæ; & ne parricidę posteri vsque ad quartam prosapiam vllis ecclesiasticis seu Honoribus, seu Beneficijs gaudere possint. Rex vero exul & vagus, vt Cain, demum in monasterio sese culinarijs obsequijs addixit, ignotûsque duram egit pœnitentiam. Mortuus à canibus deuoratur: Et tum primum ex annulo regio apud eũ reperto cœpit agnosci fuisse Boleslaũ.

An. MLXXX. Gregorius VII. negat Vratislao Boemiæ Duci officia diuina celebrari linguâ Sclauonicâ. Idemque Legatos suos, quod in Comitijs minus fortiter cum Henrico egissent, increpat; ipsum excommunicat, singulisque Germaniæ proceribus sese purgat ab suspicione exinde suborta, quod Henrico faueret. Quare iterum confirmat in Regem Rodulphum; cui & Coronam donat sic inscriptam; *PETRA dedit Petro; Petrus Diadema Rodulpho.*

Henricus cogit Concilium XIX. Episcoporum schismaticorum Moguntiæ, dein & Brixini; in eo *abrogatur Pontificatus Gregorio VII.* confertur Guiberto Rauenn. nefario; Hic Henricum coronat Imperatorem; Henricus eum adorat.

Sed neutrum recipiunt Principes Germaniæ, exterique Duces aut Reges, Gregorium omnes venerantur.

Quin *Robertus* Nortmannorum Dux, (quos hoc anno Papa excommunicarat, vt inuasores Patrimonij S. Petri) nunc supplicem sese Ecclesiæ Romanæ submittit, ac *deuouet censualem.*

Salerni *inuenitur Corpus S. Matthæi* Euangelistæ, translatum isthuc annis abhinc centum & XXV. sed inter bella Saracenica neglectum adusque obliuionem.

An. MLXXXI. Robertus dux cum 1700. armatis, transito mari, vincit Alexium Imp. Orientis, Thraciamque debellat: Henrico autem interea Romam obsidente, aduolat in auxilium Papæ; iunctus Mathildis copijs eum profugat.

Galli & Franci offerunt *censualem nummum* S. Petro, aliaque plura vltro in neruum belli subsidia.

VVisigothi conuertuntur ad Christum, seque Papæ Rom. subijciunt.

Comes Prouinciæ iurat fidelitatem Papæ; plusque aliunde efflorescit Ecclesia Romana; quanto sæuius eam schismatici affligunt.

Saxones Lotharingiæ Ducem surrogant Regem in locum Rudolphi anno superiore cruento in prælio occisi ab Victore Henrico.

An. MLXXXII. Alexius Comnenus edicto vetat quicquam è locis sacris tolli aut alienari: Idcirco enim se raptorem luisse, vt à paucis Northmannis deuinceretur.

Henricus Romam obsidens ignem iniecit in ædem S. Petri, quo facilius inuaderet vrbem: at Papa signo S. crucis incendium oppressit; ciuibus interim Henricum depellentibus.

An. MLXXXIII. Henricus denuo attentat Romam introducturus Antipapam Clementem Guibertum: sed depulsus petit à Gregorio indici Synodũ, huius se se acquieturum sententiæ.

At perfidus conuenientes passim intercipit in vijs, ac tyrannice tractat.

Ecce datos ad custodiam Antipapæ quadringentos *mors repentina* depascit, vt vix XXX. euaserint. Synodus tamen Romana perpulit precib. Gregorium, ne rursus excommunicaret Henricum vt victorijs iam nimis potentem.

Attamen Desiderius Abbas Cassinensis Henricum adit, docet, & conuincit Henricianos; *Nunquam posse Concilium valide & iuste sancire, an Electio Papæ dependeat à placito Imperatoris.*

An. MLXXXIV. Alexius Imp. Ori. vt Robertum domestico bello implicaret, ingenti vi pecuniæ Henricum emit, vt eius Comitatum inuaderet.

Hic vero eam largitus Romanis emit vrbem, intrat; Auentinum muniens à suo Antipapa coronatur Imperator: Papa cum nobilibus sese interim in castello S. Angeli ægre defendentibus: Deus tamen exercitum Henrici immissa lue consumebat.

Superuenit ex Oriente Robertus accersitus, profugat Henricum, Vrbem incendit in pœnam defectionis; Gregorium collocat in tuto.

Cuius Acta adprobauit Sp. Sanctus, in specie columbæ visus palam, supra caput Sacrum Missæ celebrantis: digladiantibus interea Romano-catholicis contra schismaticos; passim Victoribus.

Elapsus ex Italia Henricus obsidet Augustam, inuadit, tyrannizat ex odio in sequaces Papæ.

An. MLXXXV. Concilium in Germania disputat, *Possitne Rex validè excommunicari, regnoque priuari à Papa?* Schismatici pernegant autore Vicelone Archiep. Moguntino: Saxones, cæterique affirmant, docent, euincunt, & anathematizãt Schismaticos, Henricũ, & Antipapã. Contra illos vero nouũ cogit Conciliabulum Vicilo Moguntiæ.

S. Gregorius VII. obit, dicens: *Dilexi iustitiam, & odi iniquitatem; Propterea morior in exilio.* Eius vestimenta solo contactu sanant ægros. Surrogatur ei Desiderius dictus Victor III.

An. MLXXXVI. Victor renunciãs electioni cogitur subire Papatum.

Saxones ducunt in Henricum, facta expeditione Cruciata; nam præcelsam Crucem carrocio imposuerant addito vexillo prætoriano; ante conflictum prostrati humi orant omnes Deum, numero longe inferiores: vincunt Henricianos immani clade; è suis solũ quindenis desideratis.

S. Anselmus Lucensis, scriptis, miraculisque inclytus, maxime pro sede Romana obit.

Carthusianum Ordinem auspicantur S. Hugo Gratianopolitanus Episc. & S. Bruno.

Polonicus exercitus contra Pomeranum consistens ad Naclum, nocturnis spectris ad castra assilientibus, in speciem exercitus hostilis, sæpius infestantur. Demum egressi dum pugnant cum Vmbris, Pomeriani deserta castra incendunt. Pœna ea fuit ieiunij quadragesimalis non obseruati à Polonis; vt plerique censebant.

An. MLXXXVII. Expugnato precib. multis Victore ad capessendum Põtificatum; pulsoque Româ Antipapa, Mathildis schismaticos profligauit. Papa continuo Sacram expeditionem indicit, & simul induci curat in fines Sarace-

racenorum Italiam infestantium: Vicit autem dato copijs vexillo S. Petri, & indulgentiâ concessâ: cæsa hostium sunt vltra centum millia. Obitque Victor. Rex Hungarię promisit ei, se cũ 20000. equitum venturum auxilio contra schismaticos.

S. Arnulphus Episc. Suession. æger terna inquallatione cubiculi ait; Signa hæc Maiestatis sunt; In prima ex S. Petro audiui, dimissa peccata mihi: in altera cognoui ex S. Michaele, se mihi ducem adfore; in tertia Deipara spopondit inter ipsius gaudia Assumptionis esse in cœlos assumendum. Iubet igitur funeralia, sepulcrumque parari; & obit.

Guilielmus Rex Angliæ, quod Franciã inuadens nec *templis pepercisset*, in pœnã deijcitur in lectum; peccata ritè *Sacerdoti confessus* licet expiallet, eadem tamen totius vitæ palam enunciat; cum clausula tali; *B. V. Mariæ me commendo, vt me reconciliet Filio suo IESV Christo*: dixit, & obit.

An. MLXXXVIII. Vrbanus II. Cassini diuertens æger ex latere decũbit. Dubitanti de veritate S. Benedicti ibi tumulati, ipse apparuit; increpitoq; ait, surgentibus ad matutinas tu surges dolore lateris liberatus, in signum, me adesse ipsum.

Schismatici passim resipiscentes sese Romanæ Ecclesiæ reconciliarunt.

In Hispania orto dissidio, *Vetusne ritus precum Gothicus esset retinendus*; *an Romanus inuehendus*; duo milites duello decernunt: Vicit, qui pro ritu prisco stabat. Sed litigio nondum posito, experiuntur coniectis in pyram libris duobus Ritus vtriusque: Romanus è rogo exiliit protinus; Hispanicus permansit illæsus. Ergo Rex statuit, in maioribus Ecclesijs retinendum priscum; at in Toletano Archiepiscopatu toto Romanum esse introducendum.

An. MLXXXIX. *Mathildis*, suasu Papæ, *consentit nubere* Welfoni Bauaro, *vt tamen saluam Virginitatem conseruaret*: sicque fortius resisteret Henrico, pro Ecclesia.

Sacro igne pergrassante contigerunt mortes, aut mutilationes multorum; Auxilio tamen *S. Antonij*, in Viennensi ditione quiescentis, liberati sunt multi. Alubi accidit persæpe, qui in S. Antonium peccassent periurio, blasphemia, &c. eos lue eadem puniri. Vnde dictus est *ignis S. Antonij*; obijtque in vulgarem imprecationem.

An. MXC. Henricus varios solicitauit in partes suas; huc vsus Valtranio *Politicorum doctore*: Cuius scripta validè refutauit Stephanus Episc. Halberstadianus.

An. MXCI. Guibertus dolo Romanorum denuo recipitur intra Vrbem, vrbesque capit plures in Italia.

At in Germania laici viri, fœminæque plurimi monasteria inibant, *Vitam communem sub Obedientia* viuentes.

Pro qua *Vita Communi* Bullam edidit Papa, & adprobauit eandem.

An. MXCIII. Henricus vxorem Adelheidam, diu dilectam, cæpit auersari; carceri tradit, & omnium libidini exponit: Conradum quoque filium cogit, cum matre coeat; renitentem carcerat.

Ambo elapsi confugiunt ad Papam; qui Henricum denuo excommunicat, Me-

Mediolanensis Episcopus *coronat Cunradum*, vt contra Patrem regnet, ac militet cum Welfone. Agit fortiter.

An. MXCIV. Ad Marciacense cœnobium monialium orto incendio, Archiepiscopus mandat Virginib. vt claustro exeant, seque seruẽt. Cui Gisla; *Præcipis, quod non licet: Quin iube magis, vt flammæ cedant.* Exit, imperat flammis in fide Gislæ. Eæ cedunt, residentque extinctæ.

An. MXCV. *Conradus* Rex obuius Papæ Vrbano ad Cremonam, *stratoris ei præstat obsequia*; cui & Imperium promittit Papa.

In Conc. Claromontano Papa excõmunicauit Philippum regem Franciæ ob reputiadam vxorem. Suadet & indicit *Sacrum bellum*, seu *Expeditionem cruciatam* ad recuperandam Terram Sanctam; iam diu sic orante Alexio Imper. Orient. Prædicatur Crux, signanturq; eâ passim tot nomina dantes, vt plurimi essent reijciendi.

Indicit quoque orationes Papa; inprimis imponit Clericis *Officium Diuæ Virginis* quotidie cum Horis Canoniçis persoluendum.

Gotfridus Bullionius Regis frater, Dux belli creatur.

Cunctis impendit Papa *plenariam indulgentiam.*

Pugnatur victoriosè, gloriosè: Bullionius Rex Ieroſolymitanus creatur primus.

Gastonus Francus Viennensis cum octo socijs auspicatur *Ordinem Sancti Antonij*, ministrantiũ infirmis ex *Igne Sacro.*

An. MXCVI. Reduces Crucesigna ti totâ Germaniâ Galliâque exarserunt in *Iudæos*, vt crucis Christi inimicos, ac multa millia contrucidarint.

An. MXCVII. *Rogerius* Siciliæ Comes à S. Brunone apparente monetur de insidijs Capuanorum; ideo Carthusianos multis bonis auget ac priuilegiis. Eidem Papa concedit Siciliam & Calabriam hæreditario; saluo iure Sedis Apostolicæ; contra quam fingunt quidã, ob Papam factum eum absolutum Monarcham.

An. MXCVIII. *S. Robertus* Abbas Molismensis, cum XXII. fratribus fecedens Cistertium, auspicatur *Ordinem Cistertiensem.*

An. MXCIX. Stephanus Lucanus attulit ex Terra sancta Christi imaginem cultu regio pingi curatam ab Nicodemo, testis insaniæ Iconoclastarum.

Antiochiæ obsessi Christiani, à fame ac morbis deplorati, *inuenta cum Lancea Christi* erumpunt, vincunt. B. Andreas apparens Clerico monet requiri Lanceam Domini in Æde S. Petri; reperta gloriosè eleuatur.

Cum ea, præeunte Clero, plebs procedit: & ecce, *ros cadens* improuiso ita Fideles, eorumque recreat equos, vt nec sentirent laborem conflictus. Cædunt pauci ad centum millia Saracenorum.

An. MC. Henricus Imp. fouet schisma; Guibertus Antipapa moritur.

Philippus Franciæ Rex iam iterum excommunicatur, reuersus ad adulteram; Guilielmus Rex Angliæ Concilium Pictauiense impediturus, ne idexcommunicaret eum, increpatur ab apparente illi S. Hilario.

Godefridus Bullionius Rex Ierol. obit; suc-

Succedit *Balduinus* frater; qui, quod iura Ecclesiæ conuelleret; infeliciter regnat.

Presbyter ad Cluniacum frequens in celebrandis Sacris, at concubinarius, morbo deijcitur, visitur à Priore Cluniacēsi: clamorem excuti horrificum, adesse duos eum deuoraturos: qui oran te Priore Deum, cedunt.

Repetit clamorem, decidere flammas eum exusturas: quæ verso ad preces Priore euanescunt. Æger mox raptus obmutuit; redditus sibi, se damnatum affirmat in sartagine frigendum; è qua gutta exiliens in momento ægri manum exussit ad ossa; exhalatque animam infelix.

ERGO:

1. Dicage; Quæ sincera FIDES hoc constitit AEVO XI?
   At SIC PAPISTIS RESstat ROMANA, FIDESQVE:
   Non SIC REM seruat Luthero-caluinista, FIDEMQVE.
2. IVRE SVO Proprio Papa, atque Ecclesia gaudent:
   Quis quid Ei AVGVSTVS proprio de iure remisit?
3. ANTI ne CHRISTVS erat quisquam hoc ROM. in Aeuo XI?

SÆCVLVM DVODECIMVM, MONASTICVM.

PONTIFICVM ROMANORVM CONTINVATA SVCCESSIO.

158. PASCHALIS II. ex monacho eligitur miraculoſe animatque expeditionem Cruce ſignatorum. An. C nati

Conſultus ab Anſelmo Cantuarienſi de Inueſtituris Laicorum, eas prorſus reprobat. 1100

Henricum Imp. eiuſq; hæreſin damnat in Conc. Rom. Archiepiſcopo Poloniæ ſcribit pro præſtãda obediẽtia Sedi Apoſtolicæ: Hẽrico Regi Angliæ diſpenſat cum Boleslao Poloniæ in cauſa matrimonij. 1101

Belouacenſem Epiſc. mittit Legatum ad reformandam Poloniam, Albanenſem quoque in Galliam. 1102

Celebrat Conc. VVaſtalenſe: Parmenſes pœnitentes abſoluit ab excommunicatione: 1104

Certis conditionibus offert coronam Imperij Henrico: cui & negat ſepelire parentem. 1106

Venienti Romam renuit dare coronam, ob vſurpatas ab eo inueſtituras. Ideoque captiuus abductus annuit ei priuilegia Inueſtituræ, confertque coronam Imperij: at protinus factum ſuum ac inueſtituras laicas damnat. 1110

Iterumq; in Conc. Rom. condẽnat: in quo & abdicaturus ſeſe prohibetur. 1111

Celebrat Conc. Beneuentanum. 1112

In Concil. Lateranenſi hæreſios inſimulatur malè 1113

Henricum aduolantẽ Romam fugit, negatque abſolutionem. 1116

Pia 1117

Pie moritur a. 1118. Sed. a. 18. m. 5. d. 7. An. C. nati.

159. Gelasius II. ex monacho creatur; mox pugnis dire exceptus carceri includitur; at liberatur ab Orthodoxis: Fugit Henricum; reuersus iterum fugit euecto contra eum Burdino Bracharensi concedit indulgentias. 1118

Moritur Cluniaci, a. 1119. Sed. a. 1. d. 5.

160. Callistus II. Canonice electus, excommunicat Henricum Inuestituras vsurpantem: reconciliat Regē Angliæ, & Archiepisc. Eboracensem. 1119

Vienn. Ecclesiā donat titulo Primat°. 1120

Exercitum parat contra Burdinum; captumque Northmanorum auxilio, perpetuo carcere claudit. 1121

Henricum Inuestituris renunciatu rum per legatos absoluit. 1121

Moritur a. 1124. Sed. a. 5. M. 10. d. 13.

161. Honorius II. illegitime electus pœnitet, se abdicaturus canonicè confirmatur. 1124

Rogerium Siciliæ Comitem rebellem vtroque gladio coercet. 1127

Mittit Legatum ad reformandā Daniam, Sueciam, Boemiam. 1129

Moritur an. 1130. Sed. a. 5. M. 2. d. 3.

162. Innocen. II. creatur legitime, fugit in Gallias ab Antipapa; à Regib. Frāciæ & Angliæ honorifice excipitur. 1130

Conc. Rhemis celebrat; vbi stratoris officium exhibet ei Lotharius rex Germ. Visitat Clarauallen. 1131

Redit in Italiam, pacemq; inter Lotharium & vrbes Italiæ firmat. 1132

Lotharium coronat Imp. datq; ei in feudum Mathildis allodium. 1133

In Conc. Pisano excommunicat Petrum Leonis. 1134

Eius & Antipapæ causſa cognoscitur coram Rogerio. 1137

In Conc. Generali Rom. excommunicat Rogerium: Itemq; hæreticos duos: Ducens in Rogerium captus ab hoc benigne habetur; & titulo Regis ornat eū. 1139

Dissentit iterum ab Rogerio a. 1140. Itemque ab Ludouico rege Franciæ; & Romanos pacat. 1141

Moritur a. 1143. Sedit a. 13. M. 7. d. 8.

163. Cœlestin. II. eligitur canō ce- 1143

Moritur an. 1144 Sedit M. 5. d. 13.

164. Lucius II. legitime eligitur cō. ponit pacē cum Rogerio Rege: patitur à Roma. perduellib. insidias & calūnias. 1144

Moritur an. 1145. Sedit M. 11. d. 4.

165. Eugenius III. creatur canonice, ex Abbate Papa, ob metū factiosorum creatur in monasterio, accipitque monitorias ab S. Bernardo. 1145

Armeni reddūt ei subiectionē; excitatq; Ludouicū Regem ad nouam expeditionē in terram S. Exagitatus Romæ ab Arnaldistis fugit in Galliam, & Carnuti celebrat Concilium. 1146

Itemque Rhemis; & probāt studium ac vitam S. Hildegardis; & excusat S. Bernardum. 1148

Cognoscit causā Archie. Mog. & Col. 1151

Moritur sanctē a. 1154. Sedit an. 8. m. 4. d. 10.

166. Anastasius III. creatus ex Canonico regulari moritur, cum sedisset an. 1. m. 4. d. 23. 1154

167. Hadrian. III. ex Episc. creatur. 1154

Arnaldistas turbatores subiicit interdicto: Gutlielmū Regem Siciliæ excōmunicat, Fridericū Regem reycit ab osculo pacis ob non præstitū sibi officium stratoris: eundemque coronat Imper. Romam interdicto subijcit. 1155

Beneuenti à Guielmis obsessus cogitur homagium suscipere Ecclesiæ Rom. contrarium: An. Cnati

Sedidem irritatur ab Innocentio. 1156

Mittit legatos ad Fridericum Imp. pro liberatione Episc. Londonen. 1157

Simultates inter ipsum & Fridericum. 1158

Moritur angina, Sedit an. 4. M. 9. 1159

16. ALEXANDER III. creatus ab Antipapa Octauiano carceratur; at liberatus & consecratus illum excommunicat: Fridericum Imp. arguit arrogantiæ, indicere præsumentem Concilium absque consensu Papæ: 1159

Agnoscitur legitimus Papa contra Octauianum etsi damnetur in Conciliabulo Papiæ ab antipapistis, quos vti & Fridericum imperatorem excommunicat. 1160

Fridericus in conciliabulo Laudensi retorquet in eum excommunicationem. At Papa mittit per Germ. & Ital. legatos ad unicendos Episc. 1161

Abit in Galliam ob turbas Schismaticorum: cum Ludouico Rege Franciæ in angustiis positus liberatur à Rege Angliæ diuinitus. 1162

In Conc. Turonensi excommunicat schismaticos. 1163

Thomam Cantuar. restituit contra Regem; Mortuo Antipapa rogatus redit Romam, euecto contra eũ Guidone. 1164

Alexander tamen honorifice excipitur à Romanis. 1165

At Guido ab Friderico stabilitur cũ iuramento. Hic Imperator orientalis Manuel per legatos repetit ab eo Imperium occidentis. 1166

Obsessus à Friderico Romæ elabitur, 1167

Henricum Angliæ & Thomã Cant. reconciliare laborat: Fridericum excommunicat, exuitque Imperio. 1168

Henricum minis excommunicationis terret, vt Thomæ pacem reddat. 1170

Reos necis S. Thomæ excõmunicat. 1171

Per Legatos iniungit Regi pœnitentiam. 1172

S. Thomam inter Martyres refert. 1173

Pacem ei fraudulenter offert Fridericus: Militum S. Iacobi Regulam confirmat, & Primatum Toletanum. 1175

Serio rogatur de pace à Friderico: Episc. Anglicanos auocat à Consiliis Henrici. 1176

Cum Friderico pacem init & firmat Venetiis Donatus Comitatu Bertinotensi nouam dat ansam discordiæ Friderico. 1177

Reuersus Romam suscipit benigne Antipapam. 1178

Conc. Gener. Lateranense celebrat. 1179

Confirmat S. Cazimiri constitutionem contra barbaros Polonorũ mores. 1180

Probat spiritum cuiusdam prophetissæ; suscitat Expeditionem Cruciatã: Regem Scotiæ excommunicat, & Scotiam Interdicto supponit. 1180

Decretum edit de Reliquiis & Veneratione SS. 1181

Moritur, fitq; visio de eius salutione: Sedit, an. 21. M. 11. Di. 23.

169. LVCIVS III. canonice creatur. 1181

Exagitatur à factiosis Romæ. 1183

Solicitatus à Cruce signatis Expeditionem promouet. 1184

Veronæ cum Frid. contendit de quibusdã turrib. & transigit; ac moritur. Sedit an. 4. M. 2. D. 28. 1185

170. VR-

170. VRBANVS III. *creatur.* An Ch. nati

Veronæ arguens Fridericum de criminibus infensum experitur : cui & excommunicationem comminatur. 1185 1186

Mittit Legatos ad inaugurandum regem Hiberniæ. Moritur: Sedit an. 1. men. 10. Dies 15. 1187

171. GREGORIVS VIII. *creatur: satagit pro Expeditione Cruciata, plenariam indulgentiam impertit in eam; indicitq́; ieiunium: Moritur : Sedit men. 1. dies 27.* 1187

172. CLEMENS III. *creatur: promouet Expeditionem Cruce signatorum.* 1187

Canonizat S. Ottonem Episc. Bambergensem; & inaugurat Regem Siciliæ Tancredum moritur : sedit ann. 3. men. 2. dies 15. 1189

173. CÆLESTINVS III. *creatur ex Cardinali vitæ sanctæ, post obitas Legationes, & prænunciato ei Pōtificatu: seditiosas Anglos excommunicat.* 1191

Leopoldum Austriæ excommunicat: Idemque comminatur Regi Angliæ. 1193

In Gaufredi Archiep. Eborac. vitam flagitiosam inquiri curat, S. Bernardum Episcop. Hildesheimen. canonizat. 1194

Gaufredum ab Officio suspendit, & Henricum Imperatorem excommunicat. 1195

Nouam Expeditionem Cruciatam promouet, & Henrico Henrici filio concedit sub tributo regnum Siciliæ. 1197

Legatum destinat in Poloniam disciplinæ ecclesiasticæ reformandæ. Moriturque. Sedit Ann. 6. Men. 9. dies 11. 1198

IMPERATORVM Occidentis Acta Sæculo XII.

18. HENRICVS V. *Rex, Imperator IV. euehitur in Regnum à Legatis Apostolicis & Principibus contra patrem rebellem Henricum.* 1105

A patre contra eum conclamatur, cum quo per legatos agit : Coloniam obsidet : sese Papæ per legatos submittit. 1106

Resistit Papæ pro Inuestituris Laicis. 1107

A Burdino excitatus tyrannidem assumit: at certis pactis offert ei coronā Imperij Papa negans ei patrem sepelire. 1110

Dolose iurat pro capessenda corona Imperij. Pompose init Romam; capit Papam ; extorquet coronam turbatis Romanis, 1111

Excommunicant eum plura Concilia, & orthodoxi insurgunt in eum cum Alberto Archiepiscopo Moguntinensi. 1115

Romam aduolans coronatur à Burdino Episc. Bracharacensi, resistentibus Romanis. 1117

Ideoque Burdinum creari facit Antipapam. 1118

A Callisto Papa bello appetitus in Comitijs Herbipolitanis pollicetur pacem. 1121

An. Ch. nati

Renunciat inuestituris, absolutusq; ab excommunicatione pacem reddit Ecclesiæ. 1122

Remensibus intentans vindictam reprimitur à Ludouico Franciæ. Moritur, & in eo deficiens à Germanis Imperium transit ad Saxones. 1125

19. LOTHARIVS II. *Dux Sax. Rex Germaniæ consecratur ab Archie. Coloniensi.* 1125

Papæ adhæret contra Antipapam Petrum Leonis. 1130

Innocentio II. præstat officium stratoris. 1131

Extorquere nitens inuestituras cõpescitur à S. Bernardo. 1132

A Papa coronatur Imperator Romæ, accipitq; allodium S. Mathildis in feudum. 1133

A Conrado Rege Rom. bello appetitur. 1134

Rogerium Siciliæ tyrannum, rebellem Papæ, coercet. 1137

Moritur. 1138

20. CONRADVS II. *appetit regnum Germaniæ.* 1125

Infestat Italiam & Lotharium Imperatorem. 1134

In Comitijs Confluentinis creatur Rex Roman. 1139

Cruce signatus ducit in Terram S. 1147

Vnde redit inglorius. 1149

Moritur relicto successore Friderico Duce Sueu. 1151

21. FRIDERICVS *Dux Sueuiæ creatur Rex Rom.* 1151

It Romam, à Papa honorifice exceptus repellitur ab osculo pacis, quod non præstitisset officium stratoris: Rebellẽ Comitem Spoletanum redigit in ordinem. 1155

Repudiata ob consanguinitatem priore ducit aliam. 1156

Legatos Papæ cum literis repellit. 1157

Reconciliatus Papæ expetit ab eo Regalia Imperij. 1158

Iterum discordat cum Papa, fauens Antipapæ. 1159

Arguitur à Papa, quod sine suo consensu indicat Concilium: ideo in Conciliabulo Papiensi abrogat Alexandro III. Pontificatum. 1160

Eundem in Conciliabulo Laudunẽsi excommunicat. 1161

Dolis Principes in suum schisma pertrahere frustra conatur. 1162

Confirmat intrusionem Antipapæ Guidonis ideo q; varijs aduersitatibus castigatur à Deo. 1164

Alexandro III. Romam redeunti insidiatur. 1165

In Conciliabulo Herbipolen. iurat, iurareque adigit alios ad Antipapæ defensionem: ideo ducit in Italiam, repellitur à Longobardis. 1166

Romam dolo capit: sed immissa peste in exercitum diuinitus cogitur recedere. 1167

Excommunicatur, Imperio deponitur à Papa; à Mediolanis grandi clade affligitur; consulit cum Episcopis de rebus suis afflictis. 1168

Hildebrando Comiti Palatino confirmat rerum suarum possessionem. 1170

Ale-

Anno Christi nati

Alexandriam Longobardiæ obsidens ope Sancti Patri profligatur.

1174 *Pacem ideo dolosè simulat ex metu.*

1175 *Angliæ Regem per nuptias filiæ à Papa titur alienare: rursus autem à Mediolanis oppressus pacem serio precatur à Papa.*

1176 *Pax certis pactis composita est: at an Papa collum eius calcarit, incertum sit. Mox novas excitat discordias.*

1177 *Auxiliares copias mittit Lucio PP. contra Romanos factiosos.*

1183 *Cum Papa Veronæ altercatur de quibusdam iuribus, coronatq; Henricum filium Regem Rom. inuito Papa.*

1184 *Roberto confirmat erepta bona Ecclesiæ.*

1185 *Redargutus de criminibus à Papa rursum infestat Sedem Apostolicam.*

Cruce signatur contra Saracenos in Terram S.

1188 *In Orientem perueniens interit.*

1190 22. HENRICVS VI. *Rex Rom. at Imperator V. coronatur à Cæles. III.*

1191 *Dire grassatur in Siculos ob iniuriam in vxorem detentumq; Regem Angliæ diu captiuum cogitur à Papa dimittere liberum.*

1193 *Siculos spoliat, reditq; in Germaniam.*

1194 *Excommunicatur à Papa; resipiscens parat Expeditionem in Terram S.*

1195 *Affligit Italiam horrendè, & Siciliam.*

1196 *Ob tyrannidem exosus etiam vxori moritur impœnitens, in testamento tamen rapta bona Ecclesiæ restituit: sed spolia eius aspernantur Cistercienses.*

1197

IMPERATORVM Orientis Acta contracta.

98. IOANNES CONNENVS *succedit Alexio.*

1119 *Ope Deiparæ vincit Scythas glorioſe.*

1123 *Moritur.*

1143 99. MANVEL *succedens patri ducit sororiam Conradi.*

1143 *Molitur mala in exercitum Romanum.*

1147 *Iura Ecclesiæ derogata restituit Bullâ aureâ.*

1148 *Petit à Papa Imperium Occidentale contra Fridericum.*

1166 *Fastus eius contra Fridericum.*

1179 *Moritur pœnitens in habitu monastico.*

1180 100. ALEXIVS II. *Connenus succedit patri.*

1182 *Strangulatur ab Andronico tyranno.*

1183 101. ANDRONICVS *Connenus sæuit in Latinos, vindicat sæuitiam Deus; pœnitens interit.*

1185 102. ISA-

102. ISACIVS *Angelus arripit imperium.*

Armis spiritalibus rem aggressus triumphat hostes.

Compingitur in carcerem ab Alexio Angelo.

103. ALEXIVS III. *Angelus imperat quinquennio.*

A Papa inuitatus ad Sacrum bellum subterfugit.

Veneti faciunt Balduinum Imp. Latinorum.

Et recuperant Constantinopolim, restituuntq; Alexium iam Latinis iunctum, & Ecclesiæ.

Iugulatur à tyranno.

Concilia Papis Consona.

Prouincialia *hoc Sæculo XII. fuere plurima.* GENERALE *Romæ anno* 1112. *in quo excommunicata hæresis Henriciana & Henricus III. sæpius resitiens à promissis. Item eadem, aut pari in causa, ann.* 1116. 1119. 1122. 1134 1139. 1175.

SS. Patrum & Doctorum Concordia sub Papis hoc Sæculo.

Leo *Ostiensis Episcopus Chronographus.*

Zacharias *Episcopus Chrysopolitanus scribit in Euangelistas quatuor.*

Sigebertus *Gemblacensis Monachus historicus, iniquior fuit Gregorio VII. obstudium suum in Imperatorem. Eum refutauit S. Anselmus epist. octaua.* 1110

Euthymius *Zigabenus Monachus græcus.* 1118

Ioannes Zonaras *Monachus græcus.* 1118

Rupertus *Tutiensis Abbas apud Coloniam.* 1119

Algerus *scholasticus Leodien. dein monachus Cluniacensis.* 1130

Hildebertus *Turon. Archiep.* 1130

S. Bernardus *Abbas Clarauall.* 1130

Petrus Cluniacensis *Abbas.* 1130

Hugo de S. Victore *Saxo Monachus.* 1130

Richardus de S. Victore *Scotus Monachus.* 1140

Wilhelmus Malmesberiensis *Monachus Anglus.* 1140

Gratianus *Clusinus Monachus S. Benedicti.* 1150

Petrus Lombardus *Episcopus Parisiensis.* 1150

Otto Frisingensis *Episc. ex Monacho Cistert.* 1150

Petrus Comestor *Magister historiæ Eccles.* 1150

Petrus Blesensis *Archidiaconus.* 1177

Guilielmus Tyrius *Archiepisc.* 1180

Godefridus Viterbiensis *Notarius Conradi III.* 1186

Guilelmus Neubrigensis *historicus Anglus.* 1190

Ioachimus Abbas *Florensis vates de Papis XV. futuris.* 1195

Theodorus Balsamon *Patriarcha Antioch.* 1190

Rogerius historicus. 1190

Hono-

Anno Christi nati
1186
1187
1195
1198
1199
1203
1204
1101
1101

Honorius *Augustodunẽsis*, Odo Cameracensis: Leo Tuscus, *Ioan.* Baletius, Osmundus *Salisberien.* Ioann. Salisberien. Guiliel. Signiacen. Zonaras Nicetas Choniates. Ioan. Baudinus. Balsamon, Petrus Cantor, Theodorus, Potho. Sigebertus.

Dogmata Ecclesiæ Romano-Catholicę, Nouatoribus contraria.

I. *Missam, Rituſq; eiusdem* asserunt Honorius Augustodunensis, & Odo Cameracensis in Canonẽ Missæ: *Hugo* Victorinus, *Rupertus* Tuitien. *Leo Tuscus* in Liturgia Chrys. *Ioan. Baletius Osmundus* Salisberien. lib. de Eccl. Officijs.

II. *Gratiam Dei, Fidem, Iustificationem* asserunt *Honorius* de prædest. & lib. arb. Et in Ps. 17. *Richardus* l. de statu hominis c. 12. 16. Et in ep. Pauli passim. *Bernar.* se. de Aduentu Dom. Et in Cant. serm. 67. *Petrus Cluni.* li. 2. contra Iudæos c. 4. *Rupertus* lib. de victoria verbi. *Magister sent.* li. 3. dist. 19.

III. *Eucharistiæ veritatem, Transubstantiationem, Adorationem, Sacrificium* asserũt *Bernardus* serm. de Cœna Dom. *Petrus Clun.* contra Petrobrusian. Et libr. 1. ep. 2. *Magister sent.* 4. dist. 8. *Bandinus* lib. 4. c. 9. *Rupertus* libr. 16. in Ioann: Et libr. 2. de diuin. offic. c. 2. 22. 23. & lib. 1. cap. 28. & alubi. *Richardus* li. de Sacerdotio Melchisedech. *Guilhelmus Signiacen.* li. de sac. altaris. *Leo Tuscus* li. de Liturg. Chrys. *Balsamon, Zonaras, Nicetas Chon.*

IV. *Baptismi Effectum, Necessitatem, Alienam fidem, Ceremonias* docent *Magister* sent. 4. dist. 3. *Bandinus* li. 4. c. 3. & passim alubi. *Bernardus* serm. de Cœna Dom. *Rupertus* li. 10. de diuin. offic. c. 5. *Pet. Cluniacen.* lib. 2. contra Petrobrus. *Balsamon* in Canones Apostolorum & Synodor. *Honorius* in speculo Eccles. *Nicetas* Choni. *Zonaras &c.*

V. *Pœnitentiam, eiusque partes* docent *Magister* sent. 4. dist. 14. *Bandinus* l. 4. c. 13. *Hugo* lib. de Conscientijs. *Petrus Cantor.* cap. 106. *Balsamon* in Canon. &c. *Theodorus.* &c.

VI. *Claues Ecclesiæ, & Absolutionem* docent *Petrus Cantor* cap. 21, *Magister* sent. 4. dist. 13. *Bandinus* ibidem. *Richardus* lib. de potestate lig. & sol. *Theodorus Balsam.* &c.

VII. *Confirmationem, Sacramenta cætera, eorumq; vsum docent* Magister sent. 4. *Bandinus* li. 4. *Hugo* in li. de Sacramentis. *Rupertus* l. 5. de diuin. offic. c. 15. & seqq. *Honorius* in speculo Ecclesiæ.

VIII. *Primatum Sedis Apostolicæ* docent *Bernardus* serm. de Ioan. Bapt. Et lib. de Consideratione: Et Epist. 133. 237. 285. *Richardus* lib. de autoritate Petri. *Potho* lib. 1. & 3. de statu domus Dei. *Sarisberiensis* lib. 8. ca. 17. *Petrus Cluniac.* libro 6. Epist. 44. Zonaras, Cedrenus in vita Leonis.

IX. *Liberum arbitrium, & Bona opera* docent *Bernardus* lib. de libero arb. Et in Cant. serm. 81. 82. & alubi. *Magister* sent. 2 dist. 24. *Bandinus* ibid. *Honorius* lib. de prædest. & lib. arb. *Richardus* de statu hominis inter cap. 2. 3. *Hugo* libr. de Conscientijs. *Petrus Clun.* libr. 1. de

Miraculis cap. 6, *Salisberiensis* libr. 5. capit. 4.

X. Sanctorũ Preces, Inuocationem, suffragia, Imagines, Reliquias docent *Bernardus* multis serm. & in Cant. *Honorius* in speculo eccles. Magister sent. *Rupertus* li. 4. in Zach. 10. & lib. 7. in Cant. *Richardus* super Cantica *Petrus Clun.* li. contra Petrobrus. *Zonaras, Nicetas, &c.*

XI. Preces pro defunctis, Purgatorii docẽt *Etherianus* libro de regressu animarum ab inferis. *Petrus Cluniac.* l. 1. de Mirac. & lib. 1. contra Petrobrus. cap. 1. 2. *Honorius* in speculo Eccl. Et serm. de Nat. Dom. *Magister* sent. 4. dist 20. 21. 25. *Rupertus* li. 2. in Leuit. 42. Et in Gen. 32. *Bernard.* ser. 66. in Cant. *Guil. Tyrius* lib. 18. c. 32. *Sigebertus* passim.

Hæresiarchæ Dissoni Papis in Sæculo XII.

Bongomili in Oriente orti ab Basilio apostata monacho & Medico, qui cum diu sparsisset venenum alubi, demum Constantinopolim irrepsit: Non fefellit Alexium Comnenum Imp. doctissimum & doctorum iuxta amantissimum: hic se eius dogmata amplexari simulans ea dilaudabat, donec atheus Basilius se totum aperuisset: demum eum in publico combussit *an.* 1118.

Eius ista fuere Commenta: 1. *Trinitatem in Deo negauit*: 2. *Reiecit libros Moysi, solum septem S. Scripturæ libros agnouit*: 3. *Deum esse in forma humana*: 4. *Mundũ à malis Angelis creatum*: 5. *Imagines execrandas, Crucem ridendam; quam dæmones fictè timeant*: 6. *Baptismum Ecclesiæ esse Ioannis; sum esse Christi*. 7. *Sacrificium incruentũ esse contemnendum*: 8. *Eucharistiam esse Orationẽ Dominicã*. 9. *Præter hanc orationes cæteras esse vaniloquia*: 10. *Suos cœpere & parere Verbum Dei, sicut B. V. Maria*: 11. *Nullam esse resurrectionem nisi pœnitentiam & vitam Euangelicam*.

Tanchelinvs irrepsit in Antuerpiam, *ann.* 1126. incessit demum cum tribus millibus armatorum, ipse in aureis vestibus crinitus, sed intextis auro crinibus. Dogmatizabat, 1. *Episcopale & Sacerdotale ministerium nil esse nisi commentum*. 2. *Eucharistiam nil conferre ad salutem*: 3. *Lotiones eius bibebant sectatores*; reliquias eius colebant; beatas se credebant, quæ misceri cum eo valebãt; idq; & parentes & mariti gaudebant.

Sanctus Norbertus contra eum missus multum sudauit dum eum profligaret.

Petrobrvsiani *anno* 1126. orti in Arelatensi terra ab Petro de Bruis. Hic fingebat. 1. *Infantes non saluari posse, nisi sub annos intelligentiæ; nec fidem eis prodesse alienam*. 2. *Templa esse subruenda, orationi seruire loca omnia, sacra non requiri*. 3. *Cruces non tolerandas, vt indicia necis infandæ*. 4. *Sacrificium nil esse, nec offerendum, sed extirpandum cum Eucharistia*. 5. *Suffragia pro defunctis, eleemosynas, &c. nil prodesse, esse nugas meras*: 6. *Pyra è crucibus extruxit, carnes coxit in Dominica Passionis, vel ait, distribuitq; suis in Communionem*. At zelus fidelium eum combussit.

Innouauit eosdem errores in partibus Tolosanis Henricvs apostata mo-

monachus ; addens, DEVM *Canticis ecclesiasticis irritari.*

Eum S. Bernardus & scriptis & miraculis refutat. De quibus vide *Varia anno* 1147.

APOSTOLICI sunt à S. Bernardo, in Gallijs Crucem prædicante, deprehensi, sicque descripti: Nullo autore orti sciuntur, vt cæteri: in multis manichæizabant. Se solos esse Christi corpus gloriabantur: Ideo se potestatem habere, consecrandi omnes cibos in corpus & sanguinem Christi in mensa quotidie, ad nutriendum se in Corpus Christi, Rusticani & idiotæ se iactant Apostolicos; sed absq; signo. Hoc eis symbolum Manichæorum: *Iura, pertura, secretum prodere noli.*

Catholicos dicunt canes, porcos: Coniugium abhorrent libidinosissimi. Carnibus abstinent: Apud Catholicos omnia catholice agũt, simulant. Cõuẽtus secretos & promiscuæ Veneris agũt: Rident infantes baptizari, orari pro mortuis; Inuocari Sanctos: credi Purgatoriũ. Negant sacramentis administrãdis idoneos catholicos; vtpote Peccatores. Demum orti seipsis, seipsis extincti sunt. Hodie reuixerunt.

GILIBERTVS Pictauien. Episcopus *a.* 1147. voluit omnia fidei ad categorias Aristotelis referre. Finxit 1. *Diuinam Essentiam non esse Deum.* 2. *Proprietates Personarum nõ esse personas ipsas.* 3. *Diuinã naturã non esse incarnatam.* 4. *Nullum mereri præter Christum.* 5. *Nullum vere baptizari præter saluandum.* S. Bernardus in prædicatione crucis eum deprehẽdit: suasit Eugenio, vt coacto Concilio Rhemensi de eo decerneretur, *an.* 1148. Ibi eiurauit errores suos, simul restituitur Episcõpatui suo, opera S. Bernardi.

EVDO Britto idiota; ex isto: *Per* EVM, *qui venturus est iudicare*: se vocauit EON, essequedixit Iudicem EVM. Magus arte magica contraxit admirãdam hominum turbam, ac dementauit: dirus monasteriorum infestator ac depilator, turba fretus. Demum captus traditur Episcopo Rhemensi *an* 1148. ibiq; damnatus in Concilio ab Eugenio Papa, immoritur carceribus.

ALBIGENSES ad Tolosam orti ann. 1176. Manichæis similes & Arianis fingebant 1. *Vetus Testam. reyciendum totum: amplectenda in Nouo solum Euangelia* 4. *Epistolas Pauli, Canonicas septem, Actus Apost. & Apocalypsin.* 2. *Neminem teneri ad Confessionem fidei.* 3. *Saluari solos, qui peccato originali peccata non addidissent actualia.* 4. *Sacramenta mali Sacerdotes nec conficiunt, nec vere administrant:* 5. *Coniuges non saluari, si commisceantur.* 6. *Milites vulneratos saluari si non confiteantur:* 6. *Iurantes etiam iuste, damnari.*

Eos in Concilio conuicit, & damnauit Episcopus Albigensis. Iterum a Legatis Papæ *an.* 1178. conuicti excõmunicantur: at *an.* 1179. in Conc. Gen. Lateranensi condemnantur.

PETRVS ABAILARDVS, è Francia Gallus, innotescere cœpit anno 1140. *Is cum de Trinitate loquitur, sapit Arium, cum de gratia, sapit Pelagium; cum de Persona Christi, sapit Nestorium,* ait S. Bernardus, qui eum in disputatione publica cõfutauit, & conuicit: at Petrus Cluniacensis ei persuasit, vt palinodiã caneret. Exinde monachũ induit Cluniaci: vbi & feliciter pœnitens obijt. Prouocarat ad Papam;

sed non iuit; nam conuersus substitit a. 1140.

Arnaldvs Brixiensis Clericus in Italia, discipulus Abailardi, à studio è Gallia in Italiã reuers⁹ induit monachũ, quo amplius deciperet; Clericorũ & Epis. derogator, monachorũ persecutor, Laicorũ adulator, dogmatizauit: *Nec Clericos, proprietatem; nec Episcopos Regalia; nec monachos, poßessionem habentes, saluari posse: cunctaq; hæc Principis esse, Concedi ijs in vsum.* In Concilio Rom. dãnatus fugit in Germaniã: excommunicatur ab Innocentio III. Cum eo perijt & hæresis *sub an.* 1145. Reliquit Arnaldistas, qui sępius electiones Pontificum turbarunt a. 1141. 1143. 1145. 1148.

Catari siue Patareni orti sub annum 1153. fingebant, *Mundum à dæmonibus factum: Sacramenta nil valere: &c.* Quo orti, periere sæculo.

Valdenses in Gallijs orti à Valdone ciue Lugdunensi prædiuite, & idiota. Curauit is sibi quasdam sententias à doctis in libellum inscribi, quas de in, abdicatis bonis omnibus, prędicauit, Magistratuum dirus insectator, & sacramentorum contemtor. Post admonitionem pertinax excommunicatur, & exul proscribitur, sub annum 1186. Dicti quoque sunt sectatores eius Pavperes De Lvgdvno: fingebant; *Non obediendum Papæ: Potestatem absoluendi à peccatis, & conficiendi Eucharistiam Laicis quoque datam: Indulgentias nil valere: Non esse Purgatorium: Sanctos non inuocandos, nec audire preces: Festa & ieiunia non seruanda. &.*

Petrvs Ioannis finxit *sub an.* 1191. *Christo latus perforatum adhuc viuẽti: Animam rationalẽ non esse formam corporis: Ecclesiam Vniuersalẽ esse Babylonem Apocalypticam: Papã esse mysticum Antichristũ* Dixit, & vixit, seq; ipso perijt. Damnati Romæ ossa refossa publice exuruntur anno 1199.

Almaricvs Doctor Parisiensis finxit, *Legem Dei durasse vsq; ad Christi Aduentum: Legem Christi vsq; ad Almaricum: Legem Spiritus S. vsq; ad finem mundi.* Sub *an.* 1200. extitit, & interijt.

Radvlphvs, *anno* 1146. prædicante Crucem per Gallias S. Bernardo, prædicans eandem per Germaniam, nouæ hæresis autor euasit docens: *Impune, absq; piaculo necari Iudæos, vt hostes nominis Christiani: vt Vsurarios, vt Infanticidas.* S. Bernardus eum scriptis refutat.

VARIA

Orthodoxæ Fidei Testimonia historica in Sæculo XII.

Anno MC. Papæ Paschalis electio, post mortem Vrbani, reuelatione prædictam, fuit reuelata religioso; percunctanti, quã diu victurus esset, dicitur vide suppedaneum, vbi scheda habebat: *Terni, terquaterni, ternig;.* i. 18. an. Eratque scheda partim pilosa, partim pura, quod eius Põtificat⁹ esset futurus partim quietus, partim turbulentus. Omnium votis electus est ex Abbate & Cardinali, & acclamatus; sed renitens. Neq; Guibertus Antipapa ei contradixisset.

Go-

Godefr. Bullionius, post difficilem obsidionem ad Antiochiam, capit eam tandem Deo tensim opitulante; vel hoste teste.

Tunc inuentam putant aliqui Lanceam Domini; Sed vetustior obtinet inuentio attestata miraculosis victorijs Henricianis.

Balduinus fratri Godefrido succedēs in regno Ierosolymitano infeliciter regnat; quod Iura Ecclesiæ temeraret.

An. MCI. *S. Bruno* Colonienſis incolit Carthusiam *an.* 1086. euocatur Romam ab Vrbano *an.* 1092. Rogerium, Comitem Siciliæ, à Græcorum insidijs liberat; moritur *an.* 1101.

S. Bertholdus monachus multis & magnis claret miraculis, & obit.

Instituta altera Expeditio Cruciata frequentat victorias; sed aperta S. Crucis virtute; quantumuis Alexij Imp. Orient. perfidia alias ex alijs insidias aperiret.

Rex Franciæ Philippus anno superiore ob superinductam adulteram excommunicatus, pro missa emendatione, à Papa petit, & impetrat absolutionem excommunicationis.

An. MCV. Henricum III. toties excommunicatum, ac relapsum, suus filius Henricus IV. hæresim eiurans, ita persequitur, licet dolens; vt is demum amicitiam Papæ per Legatos oraret: seque in Comitijs Ingelhemensibus abdicaret Imperio, & conderet in vrbe à filio Imp. assignata.

Eo simul *schisma resedit*: mox Guiberti abhinc quinquennio mortui ex desperatione Antipapæ & sequacium plurimorū ossa sunt exhumata, & abolita.

An. MCVI Henricus III. longa elapsus datis encyclicis multos ad partes suas pertraxit, inque arma ciuit; cui, vt toties perfido, nil cedit filius; demum vltrice subita moritur, cum orbis gaudio, & bono. Spiræ toto quinquennio stetit inhumatus, vt excommunicatus.

An. MCVII. Rex Angliæ demum *remittit inuestituram* S. Anselmo Cantuarienſi; sicque facta patriæ pace, feliciter debellat Northmannos; quorum Comes Robertus erat ecclesiasticæ Immunitatis contemtor.

At victoria elatus Henricus redit ad ingenium, & libertatis ecclesiasticæ defensorem S. Heribertum Episc. Cenoman. detrudit in carcerem.

Anno sequenti tamen remisit Rex Papæ Inuestituras, opera S. Anselmi.

An. MCVIII. Aragonum Rege tertio cum Mauris præliante, visus est repente eques candidus cum flammea cruce pectorali depugnare, fugareque Mauros; erat is S. Georgius. Inde Aragoniæ insignia est crux flammea in clypeo albo.

An. MCIX. Iudicium Papæ de eius seruitio adprobauit. Alphonsus Rex Aragoniæ Vracam in tertio sibi gradu iunctam duxerat, & deperit, vt excommunicatus à Papa etiam non dimitteret eam. Ergo is interit in bello Saracenico; ipsa crepat media eodem anno, excommunicati ambo.

An. MCX. Henricus III. Rex Rom. intrat armatus Italiam, agitque cum Papa de Coronatione sui pactis conuentis, & vtrinque iuratis istis;

1. Imperator Ius ecclesiasticum, ma-

le sibi vsurpatum, reddat palam Papæ:

2. Possessiones eccl. abreptas reddat.

3. Reddat patrimonium S. Petro, datum à Carolo, Ludouico, Henrico. &c.

4. Nil aduersus Papam agat:

5. Legati vtrinque agerent securi;

6. Super hæc, datis obsidibus, iurarent. &c. Sicque iuratum est solenniter. At vero

An. MCXI. Henricus init Vrbem regifice exceptus pedes osculatur Papæ, mutuis amplexibus factis ternis. Confidetur, pacta præstari iubentur; Rex cum suis secedens in partem, specie deliberationis, trahit moram; demum eius Dynastæ mussitant; Pacta firmari non debere, quibus aduersetur S. Scriptura docens; *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris*, Et, *Nemo militans DEO implicat se negotijs sæcularibus*: Cum iuxta Ambrosium, *armorum vsus ab Episcopali officio alienus sit.*

Simul Henricus tradit Papam cum omnibus suis custodiæ; factoque tumultu Teutones multi cæduntur à Romanis.

Quibus pro Papa coniuratis Rex fugiens captiuos cum Papa trahit secum in arcem, vltimam vastat Italiam. Papa vitam despondente pro Iuribus Ecclesiæ, neces metuendæ, ac preces suorum eum perpulerunt, *vt Cæsari dimitteret Inuestituras, raptaque Ecclesiæ bona.* At dimissus cum suis liber quod coactus permisit, id reuocat totum: ipseque suus Iudex suũ illud factũ damnat: datis desuper encyclicis per orbẽ vniuersum.

Nota; Concedere Inuestiturã Laicalem, non est hæresis, sed concessionẽ defendere, esse iuris; hoc hæreticum est. Illud, non hoc, Papa fecit; Ita S. Iuo.

Berengero Abbati in matutinis paschalibus cingulum, quo fortiter innodatus erat, improuiso iacuit ad pedes. Credens solutum excidisse leuat, solideque constrictum reperit; simul vox eiac cidit ista:

Sic potuit clauso Christus prodire sepulcro;

Nam de hoc sæpius ei venit in mentem dubitare. Protinusque recordatur simile accidisse matronæ apud Augustinum dicentem; *Non credant hoc, qui etiam Dominum per integra Virginalia matris enixum, & clausis ianuis ad discipulos ingressum non credunt.*

An. MCXII. *Concilium Lateranense VI. Generale* caslat, ac damnat datum à Papa priuilegium de Inuestituris; nolente Papa sententiam ferre in reuerentiam iuramenti.

Item Conc. Viennense excommunicat Henricum, fidem ei ac amicitiã seruante Paschali II. Ex eo Cancellarius Cæsaris, quique ei perfidiæ autores fuere, fiunt eiusdem hostes.

Romæ nominatorum Sanctorum *Martyrum reliquiæ* inueniuntur, & obseruantur.

An. MCXIII. Boleslaus Poloniæ ducit in Pomeranos barbaros; perplexis vti hostes inuaderent, eccein culmine templi clara die candidus iuuenis conspicuus cũctis stat. desilit, eis præiti sequuntur; prosternunt hostiũ 27. millia, duo millia capiunt; fugant cæteros.

An. MCXVI. *In Conc. Lateran. Generali,*

rali, in pluribus prouincialibus damnatum, Cæsari datũ priuilegium damnat & anathematizat; non vt hæreticum, sed vt iniustum: & confirmat prius Gener. Conc. VI. damnans Henricum. Mathildis annorum 69. obit.

An. MCXVII. Henricus redit Romam quasi pœnitens perfidiæ; data ibi filia Consuli in vxorem sibi eum conciliat; poscenti iterum coronari obsistunt ciuesne in S. Petri fiat; petenti absolutionem excõmunicationis negat Papa. Instat solicitius territus miraculo S. Bẽnonis, qui iniuriosum sibi comitem citarat ad iudicium, cui & apparet decennio post mortem suam; isque moritur.

An. MCXVIII. Gelasius II. rite creatus infande vapulat ab Henricianis, quibus Antipapam dat Burdinum Henricus, inaugurantem sese sanguine, quo inundabat Roma. Sed elapsus Papa confugit in Franciam. Robertus auspicatur *Ordinem nouum*; dein dictum Cistercienſem.

An. MCXIX. *Ordo Templariorum cœptus* per nouem nobiles ad tuendas vias Ierosolymitanas ab latronibus.

Concilium Rhemense Generale iterum damnat Henricum, ob intrusum Burdinum Antipapam; & vtrumque excõmunicat Calliſtus PP. At Henricus audito, Comitiis per Germaniam indictis Imperatori nouo creando, relictâ Italiâ euolat.

An. MCXX. *S. Norbbertus* auspicatur *nouum Ordinem* in loco *Præmonſtrenſi*, iuxta regulam S. Auguſtini. Plures Sancti, miraculis clari, canonizantur.

An. MCXXI. Burdinus Antipapa captus Romæ, post diras Italiæ clades datas, in camelo auersus caudam tenens sit vrbi toti ludibrium; promittitque se complices schismaticos literis reconciliaturum Ecclesiæ. Interim Archiep. Moguntino contra Henricum ducente copias, dati vtrinque viri XII. arbitri Herbipoli, pronunciant contra Henricum: qui promittit pacem.

An. MCXXII. *Concilium Vormatiæ Generale* fit in causa Henrici; isthic renunciantis Iuribus Ecclesiæ malè vsurpatis.

Et sic tandem schisma resedit extinctum.

An. MCXXIII. Ioan. Comnenus Imp. Orient. contra Schytas, Thraciam euastantes, iam congressurus, prehensa *B. V. Mariæ statua* illacrymans orauit; Pugnam inuadit, & vincit victores: ergo *Statuam eam in triumphali curru Bizantium inuehit*, ipseque pedes crucem præfert; & diem festum annuum iubet celebrari.

An. MCXXIV. Saracenorum quadraginta millia cingunt tria millia Christianorũ in Terra S. capto Balduino. At hi *indicto ieiunio, prælara cruce, Lãcea Domini, & lacte Deipara*; stantes in acie vident lucem claram rupto velut cœlo labi; continuo hostes semianimes fugam capere, at Christiani cædere 7000. demergere 5000. cæteros profugare, nullo è Christianis desiderato.

S. Malachias in Hibernia reformat omnia ad formam normamque Romanæ Ecclesiæ.

An. MCXXV. Archiepisc. Mogũ. *transfert imperium à Germanis ad Saxonum*

Ducem

Ducem Lotharium; quem Colonienſis coronat Aquiſgrani: ideo Papa vtrumque excommunicat; quod ſolius Papæ eſſet regna transferre. Henricus ducit in Rhemos delendos, quod ibi fuiſſet excommunicatus: exponunt reliquias in aram, ſupplicant, Henricus moritur illiberis.

An. MCXXVI. Affinem ſuum, Ciſtertio ad Cluniacenſes transgreſſum reuocat S. Bernardus, dum, ſub dio ſcribitur, imber effunditur; fugitanti ſcribæ is ait: Mane *Opus Dei eſt, curat ipſe ſua*; Ecce, nec gutta aſperſiſſet epiſtolam. Abbas Cluniac. non ſolum reſtituit ei Robertum; ſed & alios ſubmiſit fratres.

Tanchelinum hæreſiarcham Antuerpiæ reprimit S. Northbertus. *Petrum Bruis* hæreſiarcham comburunt Arelatenſes ad S. Ægidium.

6. Stephanus Aruernenſis; *autor Ordinis Grandimontenſis, moritur.*

An. MCXXVII. *Ordo Ciſtert.* confirmatur in Concilio Trecenſi; cui regulam ſcribere iubetur S. Bernardus. Honorius II. per Legatos ſuos varia & magna peregit in Patriarchalibus, & Archiepp.

An. MCXXVIII. In Rogerium rebellem Siciliæ Comitem ducit; fieri ſupplicem cogit; dat ei Ducatum Apuliæ in feudum; Sed, quod ſibi ipſi ſumpſiſſet titulum Ducis, inconſulto Papa, mox excommunicatur.

An. MCXXX. Contra Innocentium II. ſchiſmatici creant Antipapam Petrum Leonis, mox eccleſias ſpoliantem Romæ; Papa in Gallias fugiente: dantem quoque Rogerio titulum Monarchæ.

Papæ occurrentes Reges Franciæ & Angliæ proſtrati *pedes ei deoſculantur*; pluribus vero Concilijs Papam excommunicat Anacletum antipapam.

Et Deus miraculis punit eius ſectatores.

Nam S. Bernardus miſſus ad Pictauos reconciliandos, miſſam patrabat ante, quam infecto negotio abiret. Quo digreſſo Decanus aram demolitur in odium, orditurque perſecutionem.

At breui poſt percuſſus à Deo, domũ plenam dęmonibus videns, poſtulat cultrumquo ſibi gulam abrumpat ingreſſo dæmoni extrahendo; qua in vociferatione animam exhalat.

Petrus Epiſc. Pictauorum, dum verba excommunicationis pronunciat in Guilielmum Pictau. Ducem, hoc ineum ſtricto enſe inuolante ac minante mortem, nĩ protinus eum abſolueret; ſed pergit in excommunicatione: qua abſoluta, collum præbens ait: nunc ferito; cui ille; *tantum te odi, vt te non digner odio meo.*

Nunquam cœlos inibis meæ manus miniſterio.

Pauxillo poſt eundem incœſtus diſſuaſorem ſuaſu meretriculæ relegauit, vbi & obijt miraculis clarus.

An. MCXXXI. Papæ Leodium intranti Lotharius rex occurrens *officium præſtitit ſtratoris*, adque manu duxit equum eius, altera per virgulam viam fecit; dein deſcendentem tota via ſubbrachiauit.

Mox mutatus inueſtituras appetijt: Sed Sanctus Bernardus eum rectius informat.

Tem-

Templariorum ordo mirifice augescit, & ditescit; vt in Polonia vnus Dominus eques eis construxerit LXX. templa, monasteria duo.

An. MCXXXIV. *Pisis Conc. Generale* cogit Papa; schismaticos Anacleti excommunicat; canonizat S. Hugonem Episc. Gratianop. In eo S. Bernardus fuit oraculum, innumeris inclitus miraculis. Mediolanum rebellem sola præsentiæ reuerentia compescuit, & Papæ Lotharioque reconciliauit. Cæsaraugusta, à Mauris obsessa, seruatur à B. V. Maria, à muris iam dirutis eos cum cætu Angelico depellente.

An. MCXXXV. S. Bernardus cum Gaufredo Carnot. Episc. missus in Aquitaniam, *Gulielmum Ducem* ferum diu nequiens inducere ad agnoscendum Papam verum, restituendosque exules Episcopos; demum intraturo templũ *occurrit cum S. Hostia*, increptum prosternit epileptico similem, vt sibi redditus vltro faceret postulata omnia.

An. MCXXXVI. Rogerio Siciliæ Cancellario, frustra contendente, vt Cassinenses Regi se traderent schismatico, (qualis erat & Abbas eorum) fratres mœsti supplicãt ad S. Stephanum, vbi valuæ se eis vltro pandunt. Ille eis deuastationem parans mittit Notarium suum cum satellitio: at hic repentina extinguitur: Cancellarius quoque die 17. post æger clamat; Benedicte, & Maure cur me occiditis? Moritur: à duob. videtur in orco dirè cruciari. Post triduum & Abbas exhalat.

Festum Conceptionis inchoari ab Lugdunensibus absque licentia Papæ, arguit S. Bernardus.

Ludouicus Crassus Rex Franciæ abdicato regno, S. Benedicti profitetur monasticen. Et *Vilhelmus* Dux Aquitaniæ vitam claudit in peregrinatione ad S. Iacobum Compost. Eremicam egit nunquam.

An. MCXXXVII. Lotharius armis reddit Apuliam & Beneuentum Papæ; Cassini ternas quotidie Missas auscultat; egenis seruit, pedesque lauat.

Rogerius Schismaticus infestans Italiam à Duce Rainulpho vincitur; sed orationibus S. Bernardi: Qui & nobilem, à medicis depositum, sanat data *Calicis ablutione* bibenda; Sed visione monitum, vt illam ab eo expeteret.

An. MCXXXVIII. S. Bern. ex vrbe secum multas *S. Reliquias* transfert.

An. MCXXXIX. *Concil. Generale* fit Romæ in causa Rogerij contra Papam schismatici: vbi & Acta Petri Leonis rescissa sunt, aduersantia Iuribus Ecclesiæ.

An. MCXLII. *S. Guilielmus Vercellensis* mira emicuit sanctitate & miraculis.

An. MCXLIV. Alfonsus Rex Portugaliæ constituit *regnum suum Sedi Apostolicæ vectigale.*

Expeditio III. Cruciata instituitur autore Papa & Ludouico Rege Franciæ.

An. MCXLV. Dum Romani pristinum restituere Senatum nituntur; hocque amplius, quod Arnaldus hæresiarcha persuaderet, solum Eccles. regimen esse Papæ, non politicum; nil ei iuris in Vrbem; dum Arnaldistæ furunt, & templa profanant; ecce Armeni sese submittunt vltro Papæ. Hi sub Missa cer-

nebant in radio cœlitus lapso *supra caput Papæ duas sus deque meare columbas*.

Eugenius laborat pro *Expeditione Cruciata* promouenda; & Deus ei reconciliat schismaticorum Ducem factum supplicem pro venia.

Petrus Cluniac. narrat sibi hospiti Romæ Priorem apparuisse, veneno extinctum; eumque interrogasse, Quî naberet? an Deum videret? an vera nostra fides; an ex veneno obisset? ipsum affirmasse omnia vti beatum.

An. MCXLVI. S. Bernardus Dux Expeditionis III. crucem prædicans per Gallias, pene exhaurit à viris vrbes & agros: Refutat hæresiarcham *Radulphum*, crucis prædicatorem per tractum Rheni; docentem, *Iudæos Christianorum hostes esse cuecãdos*: Vnde mox cædes eorũ innumeræ secutæ sunt. Plus laboris erat S. Bernardo in coercendis à cæde, quam vocandis ad crucem viri.; Sed & Petrus Cluniac. eos vt Vsurarios proclamans effecit, vt alere milites deberent; Accessit, quod in Anglia puellũ Christianum crucifixissent; quem lucis radius è cœlo prodiderat humatum.

An. MCXLVIII. S. Bernardus miraculis omnia complet. *Gilberti* hæreses suadet in Conc. condemnari. De eo supra inter Hæresiarchas.

Henricus circa Tolosam apostata refodit sopitos Petrobrusianos errores; eum literis persequitur S. Bernardus; dein & persona; nam isthuc adueniens seductos reduxit verbis & miraculis; præsertim ex *panibus benedictis*, promittens, Quisquis eos gustasset, sanandum fore: Dictum factum.

Henricus ab eo fugit; demum captus traditur Episcopo eum perpetuis carceribus addicenti.

Et in *Apostolicos* incidit hæreticos, quos contra laborauit stylo & voce. Vide supra.

An. MCXLVIII. Eon è Britannia sese in Gallia iactat *EV M qui venturus est iudicare*, meras ac miras exercet præstigias dæmonibus familiaris, quibus innumeram trahit turbam. Damnatus in Concil. Rhemensi traditur carceri, & moritur.

Gilbertus eiuratis erroribus restituitur Episcopatui.

Eugenius Papa in Concilio surdum opilionem solo tactu restituit auditui.

Manuel Imp. Orient. abrogata per se *priuilegia Ecclesiastica* restituit euulgatâ *Bulla aurea*.

Anno MCXLIX. Crucesignati infeliciter rem gerunt, cæduntur, moriuntur.

Vnde Sancto Bernardo fit opprobrium.

Læti obisse dicuntur, quod pro Christo, in terra sancta decederent; & nõ ad recidiuas in Patriam rediret. Apparentes S. Baptista & Paulus reuelarunt, ex iis vacuas lapsorum cacangelorum sedes esse reparatas.

Henricus frater Ludouici Regis inuisens Cistertium petit fratrum pro se preces: cui S. Bernardus; Vade; sentiet. Eodem die petit habitum: Nec diu est monachus; nam paulopost trahitur ad Episcopatum Belouac. & frater ei adsuersatur.

An. MCL. Petrus Cluniac. queritur apud Papam de Hugone ædificante

in damnum Fratrum; Eugenius excommunicat contumacem; temtorem punit Deus; nam Castrum eius dehiscit, fitque acus.

An. MCLI. *S. Ericus* Rex Sueciæ & Gothiæ infert arma Findlandis ethnicis; vincit, *S. Henricus* Vplalen. Epis. ibi gentis agit Apostolum. Increpans homicidam ab eo trucidatur. Latro eius pileum sibi imponit gloriabundus facti; at pileus capiti coaluit immobilis. Sanantur eo inuocato plurimi.

Gratianus Benedictinus componit, & disponit *librum Decretorum*.

An. MCLII. S. Bernardus & Eugenius obeunt diem suum; reconciliatis ante Romanis & Arnoldistis cum Eugenio. Moriensque Conradus Rex Rom. substituit sibi illiberi Fridericum Suenum.

An. MCLV. Arnaldus Romam reuersus denuo conciuit ciues in tumultum; Fridericus interuenit, exceptus à Papa honorifice; qui tamen post osculum pedum reiecit eum ab amplexu, eo, quod non præstitisset ei Stratoris officium. Cæsarianire in consultationem sumpta decernunt, *Ex more maiorum deberi ab Regibus Rom. officium Stratoris Pontifici.* Id igitur postridie Rex præstat; & coronatur ac vngitur à Papa.

An. MCLVI. Hadrianus Beneuenti obsessus, metu maioris mali, suscipit ab Wilhelmo Siculo pacta *Ligij homagij*, confirmatque diplomate; idque contra Iura & Immunit. Eccl. idcirco liberatus diploma cassat, vt vi extortum; restituitque Iura Ecclesiæ per Siciliam, Calabriam, Apuliam, &c.

Percunctanti Papæ ex gentili suo Ioanne Sareberiensi; quid sentiret & audiret de Papali Curia; libere respondit; Videri *ex matre Ecclesiarum factam nouercam* hęreditatem &c. Papa excusat parabola membrorum & stomachi de hoc conquerentium.

An. MCLVII. Peregre tulit Fridericus à Papa sibi scribi, quod ab eo Imperium precario accepisset.

Ideo edicto prohibet quemquam peregrinationem obire Romam. Papa datis Encyclicis de hoc queritur.

An. MCLVIII. Hibernia nũc Christiana decreto Regis S. Erici, pendit annuum denarium S. Petro de singulis ædibus. Fridericus Imp. studet Antipapę Octauiano; ipseque inuestit eũ *an.* 1160. Sed Alexander agnoscitur ab omnibus pro legitimo, excommunicans Fridericum & schismaticos.

An. MCLX. *S. Ericus* Rex Sueciæ acta sancte vita demum martyrio corona tus illustrat miraculis Ecclesiam. Pari & vitæ sanctitate, & martyrio, & miraculis eius luxit coniux *S. Christina*. Papa per & literas datas, & Legatum *Petrum Tarensium, clarum miraculis*, laborat schismaticos reducere. Quin ipse *an.* 1161. ea causa peragrat Galliam, vbique magnifice exceptus.

An. MCLXIII. S. Thomas Cantuar. quod facinorosos Clericos tradere nollet Curiæ sæculari; Regis iram incurrit; eum anno 1164. dire persequẽtis; at Papa fouente ipsum. Eoque sanctius, quod iam monachũ induisset, abdicato Episcopatu; vtpote quem intrusus suscepisset ex metu. Sic ipse culpam suam in Conc. Romæ est fassus, statuente, oportere eum manere Episcopum.

Verum ipse monachus se applicat Theologiæ studio, ac Canonum *anno* 1164. Interim per Franciam publica fit Collecta, alendo Papæ: Moriturque *Petrus Lombardus* Magister Sententiarum. Tragœdias, turbasque cæteras Papam inter & Fridericum repete ex Actis Pontificum & Impp. Occid. supra.

Certe *an.* 1168. in perpetuam memoriam defensæ ab Alexandro III. Ecclesiæ construitur in Italia vrbs noua *Alexandria.*

An. MCLXIX. Soldanum Iconij sua mater se Christianam esse diu celauit; demum aperit, ipsumque ad credendum inducit; sed ob Paganos item celantem. Petit illa, vt mortuæ sepulcro imponeret præcelsam pyramidem, & huic crucem. Paret; crucem noctu imponit.

Visam Paganis per audaculum deposituris, hic ascendens ruina perit; iterumque & alter: triduo post conuolat molem deiecturi; at inter fulgura igne diuino multa millia perimuntur. Et ecce Angelus clarissimam crucem figit in apice pyramidis. Conuertuntur plurimi.

An. MCLXX. *S. Dominicus* nascitur, matri ab eo grauidæ præmonstratus in forma cubitali faculę succēdentis orbē. Baptizandi ad frontem stella micare visa est.

Fontem baptismalem eum Rex Philippus III an. 1605. ex Calagora transtulit Vallisoletum filio baptizando.

S. Thomas martyrio affectus monachis eum parentantibus elata manu impertit benedictionem.

Rex etsi *an.* 1172. sese iuramento purgarit, tamen suscipit pœnitentiam pro nece S. Thomæ:

Parricidæ excommunicati, licet iniunctam peragerent pœnitentiam, omnes tamen infeliciter decedunt.

An. MCLXXIII. S. Thomam, miraculis coruscantem, Papa canonizat. At Regem Angliæ odio belloque irremisso suus persequitur filius sic, vt Henricus ad Papam confugere cogeretur, multum pro eo paterne laborantem.

An. MCLXXIV. Henricus Angliæ, auditis S. Thomæ miraculis, tumulum ad nudus pedes, habituque priuato; in ieiunio & oratione biduum persistit; demum capite in tumbæ foramen inserto, virgis cæditur ab Episcopo quin quies; à monachis supra octoginta tres ictus pertulit.

Simul reuocat omnes Angliæ Consuetudines prauas, Iuraque Ecclesiæ restituit.

Mirum auditu! Qua hora dein Missam audijt, eadem alubi Rex Scotiæ hostis eius capitur, & prospera ei cedunt omnia, filius quoque reconciliatur ei.

Anno MCLXXV. Fridericus iam diu obsidens Alexandriam vltima tentat; sed ecce derepente visit S. Petrus albo inuectus equo præire Alexandrinos in hostem; quo pij alacrius cædunt, fundunt, fugant.

Ideo Papa vrbem honorat Episcopatu; suo priuat Papienses, Friderico studentes.

Anno MCLXXVI. Albigenses emergunt; confutati damnantur: item annis 1178. 1179.

An. MCLXXVII. Pax deniq; cōposita est Regnū inter & Sacerdotiū, vt huic cede-

cederet, subesset, pareret illud. Ideo ab excommunicatione absolutus Fridericus, tenet strepam Papæ equum conscensuro, in signum. Sed mox resilit Imperator in tyrannidem quoq; erumpens.

An. MCLXXVIII. *Conc. Lateranense Generale* celebratur. Angliæ & Franciæ Reges in necem Albigensium conspirant: in conuersionem Papa: conuicti iurare nolunt: excommunicati damnantur, Coriphæus eorum Petrus Moranus Tolosæ dicit se Ioannem Euangelistam: sed conuersus publicam virgarum subit pœnitentiam.

Patauij defossæ sub persecutionibus nunc reperiuntur *Reliquiæ* SS. Innocentum, Matthiæ, Lucæ.

An. MCLXXIX. Concil. Lateran. impertit plenariam Indulgentiam militaturis contra Albigenses: Templarij vero inprimis in arma inuadunt sacri primordia belli: passimque Germani Principes damnantes schisma resipiscunt, adque Ecclesiam reuertuntur.

Anno MCLXXX. Papa in Expeditionem Cruciatam IV. excitat Imperium & regna.

An. MCLXXXII. *Almericus* Antiochenus Patriarcha dispersos tota Palæstina eremicolas occidentales, quos eo peregrinatio traxerat, congregat in montem Carmeli, futuri Ordinis auspicia.

Miracula quoq; tam illustria, quam pluria contigerunt per Gallias passim in Sacris Hostijs, ad contestandam veritatem realem Eucharistiæ; quam Albigenses abnegabant.

S. Franciscus nascitur Assisij.

Anno MCLXXXIII. *Henricus Iunior* Rex Angliæ, quod S. Thomæ olim hostilia fecisset, & Patri, & Ecclesiæ bona diripuisset, moriturus secreto prius, dein palam confessus, Mariscallo dat crucem suam Ierosolymam perferendam; laqueo dein collum induit, iubet Episcopos, se trahãt in cinericeum stratum: communicat, obit relicto pœnitentiæ exemplo memorando.

An. MCLXXXVII. Deuictis à Saladino Christianis in Terra S. Papa Gregor. III. encyclicis datis excitat Occidẽtis Principes in Sacrum bellũ quintũ: Prædicatorem Crucis instituit *Petrum Ambiensem* Hispanum, de monte Dei Carmelitam.

An. MCXCI. Cælestinus Pontificatus sui vaticinium diu ante accepit à S. Petro, apparente ipsius procuratori pecunias corrogaturo.

Hugo Castrensis Episc. in peregrinatione ad Limina Apostol. æger decumbens, coram Episcopis & Prælatis publice confitetur enormia. Obmutescentibus cunctis ait: *Scio: nescitis qualem iniungatis pœnitentiam. Iubete, vt secundum voluntatem Dei sim in Purgatorio vsq; ad extremum iudicium: quo vel tunc saluer.* Acquiescunt: Moritur profuse lacrymans çollacrymantibus cunctis.

An. MCXCII. Prope Erfordiam sacerdos ægram inuisens puellam dedit ei *digitorum ablutionem*, quæ fit in Missa post S. Calicis sumtionem. Eo digresso, puella iubet diligentissime operiri poculum, quia, ait, vidi minimam particulam S. Hostiæ ab digitis Presbyteri in eam decidisse. Visaque & ipsa in carnem

versa, & aquam rubere ad instar sanguinis. It fama miraculi: accurrit vicinia Sacerdotum: Archidiaconus perfert rem ad Archiepisc. Moguntiam: Aduolat, supplicatur Deo, ieiunatur: demum & miculæ & aquæ sua redit forma prior.

An. MCXCV. Leopoldus Dux Austriæ, iustæ excommunicationis Papalis contemtor luit: igne infernali crus ei corripitur; quo resecto indoluit quidem pœnitens, paruitq; Papæ; sed cum pede vitam amisit.

ERGO:

1. Dicage; Quæ sincera Fides hoc constitit Aevo XII?
   At Sic Papistis Resstat Romana, Fidesqve:
   Non Sic Rem seruat Luthero-caluinista, Fidemqve.
2. Ivre Svo Proprio Papa, atque Ecclesia gaudent:
   Quis quid Ei Avgvstvs proprio de iure remisit?
3. Anti ne Christvs erat quisquam hoc Rom. in Aeuo?

SÆ-

SÆCVLVM DECIMVMTERTIVM MONASTICVM,

ET CRVCE SIGNATVM.

PONTIFICVM ROMANORVM CONTINVATA SVCCESSIO.

174. INNOCENTIVS III. *Parisijs olim primarius Sacræ Scripturæ Professor, natus annos 37. Cardinalis tanti erat, vt Clemens abdicare se Pontificatu voluisset, si Cardinales eum suffecturos sese addixissent. Diuina Visione præmonstratur eius Papatus: creaturque.* An. Cnati 1199

Excommunicat Philippum Galliæ Regem ob adulterium: Mittit Legatos in Galliam extirpandis Waldensibus. &c. data adiutoribus plenaria Indulgentia: Fauet Ottoni præ Philippo in Imperatorem electo: Reges Galliæ & Franciæ inuitat ad Bellum Sacrum vetatq; cœptas in Gallia domesticas expostillantibus gallicis conciunculas. 1199

Ottonem Saxonem coronat, reiecto Philippo, & Friderico. 1200

Philippum & Othonem reconciliat. 1207

Orbis Imperia, regnaq; regnat continuo. Abrogat Imperium Ottoni: conferq; Friderico Siciliæ Regi. 1210

Dat, vngitque Regem Aragonibus. 1214

In

Anno Christi nati

In Concil. Lateran. damnat Almericum, Albigenses, Ioachim Abbatem. 1215

Moritur, cum sedit An. 18. men. 6. die. 9. 1216

175. HONORIVS III. *creatur canonice.* 1217

Reges & Imperatores frenauit, direxit: Sacros Ordines complures confirmauit: Fridericum II. Imperatorem coronauit: dein & excommunicauit: cum sedisset annos 10. mens. 8. moritur. 1227

176. GREGORIVS IX. *creatur rite.* 1227

Pene centena millia Germanorum contrahit in arma, data encyclica pro bello sacro: sed delusus à Friderico II. in mari morbum simulante, regrediente, excommunicato. 1228

Ordinem B. Mariæ de mercede redemptionis confirmat. 1230

Item Ordinem Monachorum Mercenariorum. Item Seruitarum, seu Seruorum Mariæ. 1231

Reconciliatur Friderico II. 1232

Condormientes har. in Germ. proscribit, & condemnat. 1233

Canonizat S. Dominicum. 1234

Multis præclare peractis per an. 14. me. 4. die. 3. moritur. 1241

Vacat S. Sedes anno solido. 1242

177. COELESTINVS IV. *Sedit dies 17. moritur.*

178. INNOCENTIVS IV. *creatur rite: & Conatur Fridericum conciliare Ecclesiæ, sed molientem ei mortem.* 1242

Parisijs Prædicatores mittit ad barbaros. 1244

Contra Fridericum creat XII. Cardinales donatos rubris pileis, vti sanguinem profusuros. 1245

Cum sedisset ann. 11. men. 5. di. 14. moritur. 1254

179. ALEXANDER IV. *rite creatur.* 1254

Orbis Rector per tyrannos Ezelinum & Manfredum prope ad incitas redigitur: fide interim procedente inter barbaros; sed vacante Imperio ob exauctoratum Fridericum II. Et cum sedisset an. 6. m. 5. d. 5. moritur. 1261

180. VRBANVS IV. *Gallus sutoris filius creatur.* 1261

Restituitur ei Patrimonium S. Petri per Crucesignatos contra Albigenses. 1262

Instituit festum Corporis Christi: cumque sedisset ann. 3. me. 1. di. 4. moritur. 1264

181. CLEMENS IV. *Gallus rite creatur.* 1264

Siciliam & Neapol. dat in feudum Carolo, Sancti Ludouici filio, qui & coronatus vincit Manfredum & occidit. 1266

Prædicit Conradino hosti interitu, cumque sedisset an. 3. m. 9. d. 27. moritur. 1268

Vacat S. Sedes triennio per discordiam Cardinalium.

182. S. GREGORIVS X. *rite creatur.* 1272

Vnionem Græcorum cum Romanis perficit. 1272

Concil. Lugduni celebrat contra Flagell. &c. 1274

Cum sedisset a. 4. m. 4. D. 10. moritur inclytus miraculis, Rex Regum. 1276

183 HA-

183. HADRIANVS V. *rexit & vixit XL. dies.*

184. IOANNES XXI. *Lusitanus rite creatur.*

Cum dominantium Moderator sedisset men. 8. di. 5. moritur.

185. NICOLAVS IV. *creatur rite,*

Cum Monarcha sedisset an. 2. m. 8. di. 22. moritur.

186. MARTINVS IV. *Gallus rite creatur.*

Frenat Imp. & reges, sedens an. 4. me. 1. d. 7. moritur.

187. HONORIVS IV. *Rom. creatur.*

Rexit Ecclesiam & regna An. 2. d. 2. moritur.

188. NICOLAVS IV. *rite creatur.*

Rexit sacra & sæcularia an. 4. m. 1. di. 14 moritur.

Vacat S. Sedes biennio ex Cardinalium dissidio.

189. S. COELESTINVS V. *ex Eremita fit Papa inuitus extractus eremo.*

Se abdicat ipse post m. 2. di. 7. & vixit in custodia vsq; ad an.

190. BONIFACIVS VIII. *rite creatur.*

Conciliat Siciliæ & Aragon. Reges.

Item Angliæ & Franciæ. &c. Festa Apost. Euangelistarum & Doctorum præcipit: Sextum Decretalium euulgat.

Sedit ann. 8. men. 9. di. 19. moritur.

An. Ch. nati

IMPERATORVM Occidentis Acta perstricta.

1276 Vacat Imperium anno toto.

1277 23. OTTO *Henrici filius creatur Aquisgrani contra Philippum Sueuiæ Regem.*

1278 *In eum ducit Philippus Sueuiæ, cum se præterito ipsum Papa confirmasset.*

1281 *Cum Philippo conciliatur per Papã, & imperat, ducitq; filiam Philippi.*

1281 *Occiso Philippo per alium, stabilit iterum ei soli Imperium Papa, Ferreaq; Mediolani, auctâ Romæ coronatur Imp.*

1285 *At mox ingratus vi rapit Mathildis dominia S. Petro donata.*

1285 *Monito, contẽmnẽtiq; Papa abrogat Imperium, & confert id Friderico.*

1287 *Moritur desertus à cunctis & inglorius.*

1288 24. FRIDERICVS *Siciliæ Rex fit Rex Rom.*

1292 *Fidẽ iurat Papæ, feudorũq; fructus se daturum, & eiurat Inuestituras Laicales ab se usurpandas.*

1294 *Coronatur Imp. præstito iuramento fidelitatis ac obedientiæ Papæ præstandæ.*

1294 *Ottone fuso, fugatoq; per Ludouicũ Fridericus init Coloniam.*

1295 *Confirmat data omnia Iura Ecclesiæ.*

1297 *Retardat rem in Oriente dolosus ac perfidus: pessundat Ecclesiæ iura: Excommunicatur.*

1302

1198 1199 1207 1208 1209 1210 1218 1210 1211 1213 1214 1220 1225

Spondens se ducturum in Palæstinã absoluitur ab excom. sed in mari morbum simulans retrocedit cum 4000.

Ideoque excommunicatur: Inde per Italiam oritur factio Guelforum & Gibellinorum.

Cum Sulthano turpiter & iniuriose paciscitur ad decennium: initium rutnæ. Excommunicatur.

Ficte supplex Papæ vere absoluitur; mox dirius vexat Ecclesiam.

Gibellinos adiuuat contra Guelfos, et acuit.

Eius filius Henricus iurat in Comitijs Augustanis, se fore in potestate Papæ, si imperarit.

Ideo cogit eum in carcere mori.

Molitur Papæ necem, cæsis Legatis eiusdem, & carmine ludit in Papam, qui regerit lusum.

Indictum Concil. Generale nititur impedire.

Excommunicatus in Conc. exutus q. Imperio, sæuit.

Filius eius vincitur ad Francofurtum, & Henricus Turingiæ imperat.

Ab notho suo Manfredo in lecto suffocatur.

25. HENRICVS Turingiæ Landgrauius anno 1244. rex designatus, ad Herbipolim capescens Imperium vincit Friderici filium.

Ad Vlmam ictu sagittæ toxicatæ cadit.

26. GVILIELMVS Hollandiæ Comes creatur Rex Rom.

Confirmat Priuilegia Ecclesiastica.

Anno Christi nati

1227

1228

1229

1230

1233

1233

1237

1238

1240

1246

1247

1250

1246

1247

1248

1249

Eliguntur duo Reges Rom. digladiantes.

Castellano tamen demum renunciante.

27. RICHARDVS Rex Cornubiæ in Anglia coronatur Rex Rom.

28. RODVLPHVS, Habspurgensis Comes eligitur Rex Rom. merito reuerentiæ in Ven. Sacramen. Eucharistiæ.

Fortibus gestis inclytus moritur.

ADOLPHVS Nassouius astu Moguntini eligitur Rex Rom.

Iuramentum q. fidelitatis & obedientiæ præstat Papæ.

Ob scelera autem abdicatur suffecto Alberto Austriæ, dum Moguntinus coronaret VVenceslaum II. Boemiæ Regem.

29. ALBERTVS Austriacus abrogato Adolpho eligitur.

Victo & occiso Rodulpho rursus eligitur.

1257

1258

1263

1267

1291

1292

1293

1296

1296

1299

IMPERATORES Orientis.

Alexius suorum cædibus occupatus nequit parere Papæ, eum ad sacrum bellum inuitantis, occiditur à Venetis in prælio.

104. BALDVINVS designatur Imperator primus Latinorum.

Capta Constantinopoli, & tyranno superato creatur Imperator.

Captus à Mysiæ Præfecto membris om-

1199

1199

1204

	An. C. nati
omnibus truncatus, & proiectus moritur.	1205
105. Henricus *frater Balduini Imp. Latinorum contra Græcos.*	1205
Edictum suum hoc; Non esse hæredes immobilium bonorum Ecclesias, iussu Papæ reuocat, restituiq; curat sua Ecclesijs.	1210
Parem cum Episcopo locū in choro sibi vendicans; cedit monente Papa.	1214
Moritur suffecto sibi genero Petro.	1215
106. Petrus, *conuiua Lascari Antiimperatoris, amica omnia præferentus, occiditur.*	1218
107. Robertus *Petri filius succedit.*	1220
Exosus sua culpa Latinis fit & Græcis.	1224
Moriturq;.	1229
108. Balduinus II. *donat Lanceam Dominicam Venetis.*	1235
Item Sertum spineū Christi eisdem.	1247
109. Michael *Palæologus occupat Imperium.*	1259
Multa agit prudenter, fortiter, perficitque cum Papis Vnionem Græcorum & Romanorum.	1260
Moritur: magnaq; confusio sequitur.	1283
110. Andronicus *filius Palæologi succedit.*	1284
A coniuratis seruatur ope B. Virginis.	1295
Iustitia & prudentia eximius fuit.	1299

CONCILIA

GENERALIA Tria. I. Lateranense *anno* 1215. contra Almaricum hæreticum librum Ioachimi, non ipsum Ioachimum: *præsertim*, ait Concilium, *cum ipse omnia scripta nobis assignari mandarit, apostolicæ Sedis iudicio adprobanda, seu corrigenda: & firmiter confitetur, se illam Fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ cunctorum fidelium, disponente Domino, Mater est, & Magistra. &c.*

LVGDVNENSE I. *anno* 1245. contra immanitatem Friderici, qui excommunicatur: contra Saracenos in Palestina decernitur Bellum sacrum: Cōtra Græcos Latinis in Oriente excidium meditantibus: & contra Tartaros effusos in fines Christianorum.

LVGDVNENSE II. 500 Episcoporū *an.* 1274. De Græcis Ecclesiæ conciliandis: de continuando bello sacro: de morum reformatione.

PROVINCIALIA habita sunt perplura.

Dogmata Ecclesiæ in Sæculo XIII. Nouatoribus hodiernis contraria.

Hic quid singula memorem? Vnus omnia & singula asseruit tum *Petrus Lombardus* Magister sententiarum: tum verò luculentissime *Sanctus Thomas Aquinas* Doctor Angelicus Ordinis Prædicatorum.

Similiterq; vniuersus Doctorum chorus & orbis.

DOCTORES, ET Scriptores in Sæculo XIII. Romanæ consoni subditique Ecclesiæ.

Anno Christi nati

Innocentius II. in Italia 1200
Guntherus Monachus Parisiensis hist. 1201
Helinaldus Gallus Monachus historic. 1203
Nicetas Choniates historicus græcus. 1205
Conradus Vrspergensis Abbas Præmonstrat. hist. 1205
Sed qui studiosior fuit Germanis Imperatoribus, quam Romanis.
Honorius Augustodun. Presbyter hist. 1220
S. Antonius de Padua Francisc. homiliarius. 1220
S. Raymundus de Pennaforti Ord. Prædicatorij Theol. & Decretalium collector. 1230
Guilielmus Antisiodorens. Theologus. 1240
Guilielmus Parisiens. Episc. Theologus. 1240
Iacobus à Vitriaco Gallus Card. Homiliarius hist. 1240
Sanctus Edmundus Episc. Cantuariensis. 1240
Innocentius PP. IV. Canonista. 1243
Alexander de Hales Franc. Theolog. 1245
Hugo Cardinal. Ord. Præd. Biblic. 1245
Humbertus Ord. Præd. Theol. & Canon. 1245
Matthæus Parisiensis monachus historic. 1245
Martinus Polonus Monachus hist. fabulator. 1250
Vincentius Belouac. Episc. speculascripsit. 1250
Henricus Card. Gall. Canonista. 1260
Guido Narbon. dein Clemens IV. PP. Iurista & Canonista. 1265
Robertus Sarbona Theolog. Parisiensis. 1265
Thomas Cantipratanus Ord. Præ. Theol. 1265
S. Thomas Aquinas Doctor Angelicus. 1265
S. Bonauentura Francisc. Cardin. Theol. 1265
Petrus Taruntasien. Ord. Prædic. Theol. 1270
Henricus Stero Monachus historicus. 1270
Vdalricus Argent. Ordin. Præd. Theol. 1280
Rupertus de Russia Francisc. Theologus. 1280
Guilelmus Durantes Episcopus Iurista. 1280
Guido Archid. Bononiensis Canonista. 1285
AEgidius Romanus Generalis Augustin. Theol. 1290
Raymundus Lullus Alchimista. 1290
Richardus de media villa Anglus Francisc. Theol. 1290
Henricus Gandauensis Belga Canonist. 1290
Ioan. Parisien. Ord. Præd. Theol. 1295
Dinus Mugellanus Græcus Iurista. 1299

Hæ-

Hæresiarchæ Sæculi XIII. dissoni Papis & Ecclesiæ.

HVMILIATI certam *Religionem profitebantur, Curāq; animarum: cōcionabantur Laici & Confessiones audiebant* licet prorsus analphabeti; sub *annum* 1199. in Gallia.

Innocentius III. eos condemnauit.

Pauperes De Lugduno in Gallijs ortos sub *an.* 1199. fundos non possidebant; nec certi laris vagabantur; mulierculas circunducebant. Damnantur ab Innocent. III.

Almaricus Gallus extitit Parisiis *anno* 1215.

Finxit: 1. Christum tam alijs in rebus quibuscunque inesse, quam in Eucharistia, ac proinde Transubstantiationem nihil esse.

2. Deum locutum in Ouidio, sicut in Augustino.

3. Nec paradisum, nec infernum esse; sed qui haberet notitiam Dei, habere in se paradisum; infernum, qui peccatum haberet.

4. Altaria consecrata, imagines, Sanctorum cultum, esse idololatrica.

5. Nullam fuisse sexuum discretionem ante peccatum Adæ, & tamen propagari potuisse homines, sicut angeli.

6. Deum non videri in se, sed in creaturis, vt lux in aere.

7. Peccatum qualecunque factum in amore non esse peccatum.

8. Idæas in Deo creari, non esse ab æterno.

9. Beatos, & hic Contemplatiuos perdere Esse proprium, & acquirere Esse Idæale diuinum.

10. Omnes creaturas demum redire, conuertique in Deum, & omnia vnum fieri.

11. Legem Patris durasse vsque ad legem Christi; hanc vsq; ad Almaricum: huius legem Sp. Sancti durare ad finem mundi.

Damnatus est in Conc. Lateran. & ab Philippo Rege Galliæ exhumatus ac combustus; multi quoque sequaeium sunt in rogo consumpti.

Condormientes in Germania suborti *an.* 1233. qui ex amore Euāgelij, omnem sexum & ætatem concludebant, vt pro libitu commiscerentur.

Gregorius PP. IX. misit in eos Inquisitorem Ord. Prædicator. & condemnauit.

Imperator Fridericus II. eos pœnis coercuit.

Circumcelliones in Germania pullulantes *an.* 1249. libenter sinebat Fridericus II. quod fingerent Papas esse hæreticos, Episcopos Simoniacos; Magistratus nō à Deo esse, eosque diris infectarentur. &c.

Innocentius IV. misit in eos Inquisitores Dominicanos, atque damnauit.

Raymundus Lullus, sub *annum* 1260. extitit in Lombardia, cuius blasphemias & dæmonolatriam Alexander IV. PP. condemnauit.

Alchimistæ cum eluunt scil.

Ioan. Parmensis in Italia sub an. 1258. blasphema plura euomuit in libro *Aeternis*

terni Euangelij. V.g. Ioachimi doctrinam excellere doctrinam Christi, ac vtriusque Testamenti; Et Euangelium Christi non esse Regni Euangelium. &c.

Damnatur ab Alexandro IV. per Inquisitores Prædic.

Guilielmus De S. Amore Doctor Parisien. sub *an.* 1261. ex odio in Religiosos Mendicantium finxit; Illicitum, omnia relinquere, nisi quis cogatur. *Desiderius Longobardus* addidit, Illicitum, instituere, vel inire Ordinem religiosum, qui non habeat possessiones proprias, saltem in communi. Damnauit eos Alexander IV. Refutauit D. Thomas & Bonauent.

Flagellantes orti in Italia sub annum 1273. per Galliam & Germaniam turmas traxit plurimas, infanda in scelera effusas specie pœnitentiæ pro peccatis hominum. Proscripti à Papa & Regibus, recruduerunt sub annum 1313. Ottocaro eos flamma ferroque persequente.

Apostolici noui, siue *Siluestrini*, orti *an.* 1285. auctoribus Geraldo Parmensi & Dulcino Nouariensi in Italia; dicti & *Fratricelli*, dogmatizabant.

1. Ecclesiæ Rom. autoritatem, à Christo datam defiisse, versam in Meretricem Babyl.

2. Petri Potestatem transisse ad se Apostolicos.

3. Hos, vt perfectissimos iuxta Regulam Christi obedire nulli debere.

4. Licitum transitum ad sese ex quocunque statu; sic vt etiam matrimonia dirimere queant, at à se transitus nefas.

5. Saluari neminem, nisi suæ sortis apostolicæ sit.

6. Ab S. Syluestro neminem Episcorum saluatum, præter Cælestinum V. & Apostolicos suos.

7. Ordines religiosos esse ad damnum fidei.

8. Tactus mutuos, concubitusq; sexus vtriusque esse licitos, vt tentatio refrigescat; nec esse peccatum.

9. Loca consecrata non plus valere ad orandum &c. quam stabulum.

10. Licita periuria & mendacia; *Mens iniurata manet, etsi lingua iuret*, Eorum axioma istud:

Iura, periura; Secretum prodere noli.

Damnati sunt ab Honorio IV. *an.* 1286. & Bonifacio VIII.

S. ORDI-

S. ORDINES RELIGIOSI EXORTI ET CONFIRMATI.

	An. C. nati
Ciſtertienſium ab S. Roberto.	1106
Canonicorum Regularium.	1118
Equitum S. Ioannis Hieroſolymit.	1113
Templariorum.	1119
Præmonſtratenſium.	1143
Militum Teutonicorum.	1144
Plures ſupra vide ac infra in VARIIS.	

Prædicatorum S. Dominici.	1216
Franciſcanorum.	1220
Carmelitarum.	1248
Cruciferorum.	1297
Redemptionis Captiuorum.	1220
Monialium S. Claræ.	1228
Eremitarum S. Auguſtini.	1241
Sylueſtrinorum.	1248
Cæleſtinorum.	1294
Seruitarum B. Mariæ.	

VARIA

Teſtimonia Fidei Hiſtorica in Sæculo XIII.

AN. MCXCVIII. Innocentius III. prius S. Scripturæ Profeſſor Pariſijs; de in Cardinalis annos 37. natus Pōtificatu dignus cenſetur à Cæleſtino ſe abdicare parato, ſi S. Collegium eum ſubrogaſſent. Nam Dei fato debebatur ei: ideo cuidam in quiete viſus eſt matrem ducere in vxorem, & columbam candidam eius humero inſidere.

Philippus Rex Galliæ toto regno extirpat Iudæos fortunis exutos; quod die Paraſceues puerū Chriſtianum exēplo Chriſti crucifixum enecaſſēt. Dimiſsâ Danâ legitimâ recipiens pellicē, à Papa monit° demū excōmunicatur cōtumax. Quia ſimulato morbo deſeruit Palæſtinā & Cruce ſignatos, odiū fit publicū: & Papę hortatu ſuccedit ei rex Hungarię.

Sacerdotem ter apparens S. Petrus iubet *diſſecrata altaria conſecrari*, idque Papæ referri, quo mandat Epiſcopo Hoſtienſi Philippo pellicē reſumente, dicitur dies locuſque diſceptationi, perorant vtrinque coram Legatis Apoſt. & Regibus oratores; viſis pro pellice vincere, ecce è corona hominum procedens *iuuenis, perorat pro Dana* ad ſtuporem; per uincit; recedens comparuit nuſquam. Reſtitutâ legitimâ, pellex moritur.

EX EM-

EXEMPLA PRÆTEREO, & Miracula,

Quæ complures æui huius Scriptores pro tempore contigisse, aut floruisse SANCTOS miraculis illustres plurimos, vere produnt; Hisce enim multa volumina sunt completa vt sectanti solum Publica, etiam horum delectus ex innumeris necessario sit habendus;

Adeo contra Hæreticos & Schismaticos Romano-Catholicæ Fidei Ecclesiam Deus testatam voluit demonstrare.

Atque hoc SOLENNE MEVM toto hoc tenui, teneoque Tractatu.

Deinde

POLITICA ea quædam pauca delibo, non quæ Necessariam, *sed* Illustrem, *ad Fidei Ecclesiæque Demonstrationem, habent* coniunctionem cum Ecclesiastica Potestate.

Deniq; plurima Acta Publica prætermitto, quibus Apostolicæ Sedis Romanæ Primatus Autoritas ac Potestas in Ecclesiasticis iuxta & Politicis orbis Christiani totius luculente asseritur.

Sileo, *quot, quantique Principes transierint ad Monasticen.*

An. MCXCIX. Hucusque Rom. Pontifices per Vicarios omnia Eccles. negotia tractarunt Constantinopoli, Græciaque tota; Nunc Veneti cum exercitu Crucesignatorum, victo occisoque Alexio Imperat. *Balduinum* Flandriæ dederunt *Imperatorem Latinum*, & *Patriarcham Latinum* Maurocenum.

Huic mandat Papa *prohibeat Confirmationis Sacramentum dari à Sacerdotibus*, cum sit Episcopi.

Interdicit *clancularias domi conciunculas* laicorum & fœminarum fieri cœptas è vulgari versione homeliariorum: cum Christus & Apostoli, missique ad hoc solum publice prædicarint.

Armeni cum Rege & Patriarcha redeunt vltro ad Vnitatem Eccl. Romanæ:

Ideoq; Papa mittit Regi *vexillum imagine S. Petri insigne*; qui antea per Moguntinum Archiepiscopum promouerant eam reductionem.

Philippo Sueuo denegat confirmationem Electo à paucul's, & excommunicato; moxque in Ottonem Imp. ducenti.

Celebrari incipiunt S. Dominicus Canonicus in Hispania, & S. Franciscus in Italia.

Abbas Ioachim Florien sis sua in Scripturam Commentaria prophetijs aspergit vsque ad 15. Pontifices futuros; sed ancipitis fidei.

Ordo S. Trinitatis de redemptione captiuorum oritur.

Albigenses circa Tolosam plus mille vrbes infecerant; quorum errores erant 35. infandi.

Edicto proscribuntur & arcentur ab Hispania.

An. MCCI. Dominicæ obseruationem in Anglia per negotiationes pene abolitam restituit Abbas Eustachius, vtpote de cœlo mandatam; & miraculis vindicauit Deus in resistentes eidem.

An. MCCII. Regnum Armeniæ est imme-

immediate sub Papa: qui & Domino Bulgarorum dat iuscoronę regiæ.

Mittit quoque Gladium benedictum Regi Scotiæ cum inscriptione, *Defensoris Fidei.* Rex ille claret miraculis viuens.

Ordo Hospitaliorum S. Spiritus instituitur ab Innocentio Papa; & plurium fit Sanctorum canonizatio.

An. MCCIV. Constantinopolim, excusso Saraceno, recuperant Crucesignati, & Alexius V. Imp. se vnit Ecclesiæ Romanæ; Verum hoc per tyrannum occiso, Balduinus Flandriæ comes creatur à Crucesignatis Imperator Orientis, Latinorũ Ecclesiæ Rom. iunctorum, vt eis Græci vniantur.

Ottocarus Boemiæ Dux titulum regium accipit ab Ottone Imp. & confirmatur à Papa sic rogato.

Item Bulgarorum Ducem vngit in Regem per Legatum Papæ. Aragonum Rex item coronatur Romæ, & *regnum constituit vectigale S. Petro*; fidemque iurat Ecclesiæ Romanæ.

Contra Albigenses mittit Papa Petrum Legatũ cũ XII. Abbatibus Cistere. qui prædicent Crucem & plenariam Indulgentiam ijs, qui nomina darent Sacræ militiæ contra Albigenses.

Cunctis ijs præijt exemplo S. Dominicus, vt posito apparatu prædicarent in Apostolica humilitate ac paupertate.

Neque solum trahebat exemplo; sed multiplici rapiebat miraculo.

1. In disputatione cum peruicacibus *prouocat ad diuinum iudicium*; Suæ fidei confessionem perscribant vtrinq;, flammis injciant; vtrius in exusta permanserit, cum ea Deum stare censendum.

Albigensium injecta, momento absumitur; S. Domini ter injectus liber ter resilijt illæsus. Conuersi multi.

2. Ad Narbonem petenti hæretico tradit scripta quædam Romano-catholicæ fidei capita: ad focum ea versant disputantque hæretici complures.

Placuit demum *Schedam injcere in focum*, ter injecta ter exilijt illæsa.

Condicunt ad silentium facti; sed ad stans miles Catholicus euulgauit.

3. Ab concione abeuntem secutæ nobiles matronæ, poscunt doctrinam suam quo miraculo testetur.

Et ille; Videte Ducem vestrum; Ecce, obscœnè *monstrosum felem* inter se ob ambulare cernunt, & abhorrent; qui tandem per restem campanilem euadens euanescit.

Talibus repleuit Gallias fidei testimonijs.

An. MCCV. Colonienſis Archiep. etsi coronasset Ottonem, ab eo tamen ad Philippum desciuit.

Monitus à Papa contempsit; itaque *Innocentius eum & Episcopatu & Electoratu deijcit*; iussique Canonici surrogant alium Comitem à Seien.

Dux Philippi S. Goarem ad Rhenum impugnans oppositum ab obsessis *crucifixum* telo per brachium traijcit; itque cruor.

Ottonis miles crucifixo ad Herbipolim dum hastili vestem detrahere vellet, forte vulnerat imaginem; manatque cruor.

Ordinem Cruciferorum asserunt à S.

Cleto, Petri discipulo, duxisse originem; cui angelus crucem exhibuerit, qua insignirentur Romam peregrinantes, in memoriam Dominicæ Passionis: dictumque *Ordinem Crucigerorum.*

Sanctus Cyriacus Hierosolym. Episcopus eum auxit sub Iuliano Apostata; confirmauit Alexander III. & Innocentius III. Crucigerorum traduces secum eduxit Albertus Liuonum Episcopus.

Ordinem Eremitarum S. Augustini hoc anno adprobauit Innocentius PP. Secus volunt alij.

Anno MCCIX. *Simon Comes Montisfortius* Dux Crucesignatorum ad Biterras cædit 17000. Albigensium.

Otto Imp. confirmat *Priuilegia Rom. Ecclesiæ* datâ *Bullâ aurea.* Ferreâ Mediolani, aurea Romæ coronatus; Mox ingratus eripit S. Petro donata ab S. Mathilde dominia.

Ad quinquies centena millia Crucesignatorum ducit Montisfortius contra Albigenses. *S. Francisci Ordo* instituitur hoc anno; confirmatur an. 1224. *S. Dominici Ordo* institutus an. 1201. confirmatur an. 1216.

An. MCCX. Ottoni raptori Mathildis patrimonij, monitoq;, sed contemtori, Papa abrogat Imperium; iussique Electores Francofurdi renúnciát Rom. Regem Fridericum, Regem Siciliæ; petuntq; confirmationem à Papa.

Henricus Imp. Orien. publicatũ à se edictum; *Quod Ecclesias nemo possit, debeatque bonorum immobilium instituere hæredes*: iussu Papæ obedienter reuocat; & cogit Satrapas, Ecclesiasticorum bonorum raptores, ad restitutionem.

Montisfortio armis, S. Dominico prædicatione & miraculis vrgente Albigenses, vitæ per XV. dies argenteæ cruces in aere; demum senem cum illustriore cruce distringere visus gladium aduersus Tolosam, cui cæterę cruces opitulabantur. Secutaq; protinus est Papalis excommunicatio in relapsum Comitem Tolosanum, tutorẽ Albigensiũ. Inuita matre filius peregrinationem votiuam obibat ad B. Mariá miraculis claram. Digressum mater impensis precibus Deiparæ commendat. Is capitur, truncatur manibus, & exoculatus dimittitur; perrepratque domum. Mæsta parens orat Deiparam, vt commendatum sibi filium restituat integrum. Ecce oculos recipit momẽto; manus sensim recrescunt.

An. MCCXI. Fridericus Romæ præstat *iuramentum fidelitatis* in Eccl. Rom. dependẽdis fructibus ex feudis Romanis; item de omittenda Larcali Inuestitura. Simul ducit in Germaniam; Ottone interim Apuliam, Calabriam & Neapolitanum regnum occupante.

Contra Albigenses acriter pugnatũ & feliciter. Leuauri palliũ cruce signati potuit flammis absumi; at non crux. Sabbato Sacris operantem Albigenses capiunt, & exsecta lingua dimittũt. Deiparam implorantis ori digitum illa imponit; redditaque lingua in Angelicæ Salutationis recitationem primam resoluitur.

An. MCCXII. Montisfortio percunctante, quousq; tam Cruentum bellum durabit? Respondit S. Dominicus: Dũ exterus Rex ceciderit, cum innumeris hæreticis. Et ecce hoc an. Rex Aragonum

num ducit contra Crucesignatos. *Alfonsus Rex* Hispaniæ occidit prælio ducenta millia Maurorum, præsidio Crucis in acie apparentis. Indictumque est *festum victricis Crucis*.

Rex Angliæ, anno superiore excommunicatus, hoc anno supplex Papæ facessit ab Inuestituris Laicis, restituit bona Ecclesiastica, *coronam deponit in manus Legati Apostolici.* recipitque redditam post V. dies ab excommunicatione absolutus; & dependit S. Petro annuas auri marcas, ex Anglia 700. ex Hibernia quadringentas.

An. MCCXII I. *Fridericus*, præstitis Papæ solennibus, Principum Germaniæ suasu, dato diplomate confirmat priscа, nouaque iura, Donaque Ecclesiæ Romanæ: sicque coronatur Imperator.

Rex Aragonum suas ingentes copias iungit Tolosanis; Montfortius ad oppidum Muretum 10000. peditum disponit; procedit cum 800. equitibus, tres in turmas diuisis, crucem præferente Episcopo Tolosano, precesque congeminante S. Dominico.

Funduntur cum Rege, fuganturque Albigenses: desideratis è grege Crucesignatorum vix duobus.

Montfortij arma benedixerat prius in Missa Episcopus: Comes illacrymans regi cæso & spoliato, redit ad templum, Victoriam referens Deo: equum, & arma distribuens in pauperes.

Rosariis *precibus* ea tribuitur victoria.

Nam cum post tantos tot annorum labores prædicationum, & miraculorum signa, pauci tamen Albigensium errore damnato resipiscerent;

Sanctus Dominicus inter flagra votaque deprecans Deiparam, audijt, eam *Laureolam conuersionis Restituto Suo Filyque Psalterio* ex Deo deberi, ac reseruari.

Proinde in Angelicæ Salutationis prædicationem sedulus incumberet; simul, quæ, qualia prædicaret, aperiens, eum momento reddidit Theodidactum: ipse vero cum socijs omnem interplebem, inprimis ad plerarumque nationum proceres, Rosarium peruulgarat; sicque commendauit miraculis, vt Crucesignatorum esset ferme nemo, qui cum Cruce Christi Filij signo, non gereret, simul & *Matris Dominicæ Symbolum Rosarium*.

De hisce nuper reddidimus orbi, Ecclesiæ ac Ordini Dominicano

B. ALANVM REDIVIVVM:

Quem editione Henninganâ deprauatum reddidit emendatio rem mea Schönvvetteriana; Boni consulas, oro;

Hic Prætereo.

Papa Concilium Generale denunciat Sacris, laicisque Principibus ob hæreses, Terram S. & disciplinæ reformationem.

An. MCCXIV. Papa dat vngitque Regem Aragonũ, his ita supplicãtibus.

Philippus Rex Galliæ post nuptias cũ Blanca Alphonsi Hispaniæ regis congressurus cum Otthone Eximperatore ab 150000. militum instructo, prius orat in proximo templo S. Petri; aitque suis; *Feliciter pugnabimus; Facile enim paucis vincere plurimos, iudicio Ecclesiæ damnatos.* Ottone fuso fugatoque Rex largissimus est in loca sacra. Querentibus de eo proceribus ait: *Ecqui negem Deo tantilla; qui donauit omnia?* Itaque è spolijs *ponit basilicam Deiparæ Victrici.* Archiepiscopum Colonienſem Theodoricum, Ottoni inhærentem excommunicato, Papa exuit Episcopatu; alio surrogato.

An. MCCXV. *Concilium Lateranense Generale* statuit de Baptismo, Pœnitentia, & Eucharistia: adprobauit vocem *Transubstantiatio*; Almerici hæresiarchæ condemnat figmenta; item Albigensium; Montifortio in præmium donat Ducatum Tolosanum; qui, vt Beneficiarius Philippi regis Gallorum, ei præstat iuramentum fidelitatis.

Exercitus 20000. *puerorum*, autore incerto, ducit in Terram S. At in mari à pyratis capti pereunt omnes.

S. Dominicus cum Fulcone Tolosano Episc. adiens Concilium *petit Ordinis sui Confirmationem*: sed eum distulit Papa; quod plures iniissent societatem; vt vt S. Franciscus cum Christi; Carmelitæ quidam; alij sub nomine S. Augustini. Vbi vero didicit Papa secundum quietem ei reuelante Deo, Lateranum lapsabundum ab S. Dominico & sociis sustentari; esse petenti propensior cœpit: Iussoque Tolosam reuerti ad socios, eis diuinitus instinctus dat nomẽ Prædicatorvm, Alius Professor ad pluteum obdormiscens videt *VII. stellas intrare scholam*; & ecce aduenit S. Dominicus cum socijs. Idem Papa durior S. Francisco, ob paupertatem intolerabilem visam, eluditur ab eo isto; *Virgo pauperecula, Regi nupta, dotis secura est.*

Monfortij saluo labaro, sæpe perticam vexilli contigit transfigi telis; præstante id cruce; S. Dominicus sæpe telis instar niuiũ petitus stetit illæsus, protegente Patrona Maria.

An. MCCXVI. Innocentius PP. III. amantissimus decoris domus Dei, plus octo millibus egenis ministrauit ne cessaria; omni Sabbato 12. pauperculis pedes abluebat. Moritur sancte: Succedit ei Honorius III.

Ab hoc *obtinet S. Dominicus Ordinis confirmationem* hoc fine; vt aduersum Albigenses prædicet. Vidit in Sancti Petri Christum Iudicem *tria irarum tela* in tria scelerum capita vibraturum, intercedente Deipara retardatum, sistenteque famulos duos orbem reformaturos. Altero mane ignoti inuicem ruerunt in amplexus S. Dominicus & Franciscus; cui ille; *Stemus simul, & nullus aduersariorum præualebit.*

Alias ibidem comprecanti apparentes S. Petrus baculum, S. Paulus librum præbent, cum mandato; *Vade, prædica hoc enim tibi ministerium à Deo est demandatum.* Leodiensis peregrinatus per loca sacra omnia demum constitit in loco Dominicæ ascensionis, & ait; *Vbique te quæsiui; nusquam inueni, Domine; non datur hinc vltra, ni tu me rapueris post te*, dicto que occidit.

An. MCCXVII. Honorius III. unctatus *Carmelitarum Ordinem* confirma-

firmare, ab apparente Deipara monitus audit: *Non est aduersandum in his, dum iubeo: nec dissimulandum, dum promoueo.* Teutonici *Brussiam* armis edomant; dein *ad Christum perducunt.* Isthuc plurimum templarij conferunt.

An. MCCXIIX. S. Dominicus Bononiam cum tribus suam infert Coloniam; quæ vrbem trahit in pœnitentiam, supplicationes frequentantem. Mortem cuiusque Dominicani campanula cœnobij sua sponte insonans prænunciare diu solebat.

Otto Eximperator obit desertus, inglorius; sed *pœnitens* de sua in Ecclesiam rebellione: petijt æger collum à coquinarijs suis calcari, præbuit Sacerdotibus dorsum diflagellandum, absolutus ab Episcopo Hildeshemensi, Honorio adprobante.

Ordinem B. Mariæ de mercede auspicatur Rex Aragoniæ; habitū dedit B. Raymundus, vestem & cucullam candidam cruce rubra insignitam. Alij rectius id referunt in an. 1223.

An. MCCXX. Fridericus II. data & fide, & confirmatis iurib. Ecclesiæ, coronatus iã imperat. *Ordines* S. Dominici, S. Francisci, Carmelitarumque mirifico cum progressu propagantur.

Capta Damiata ab Cruce signatis, peste magis, quam armis, Columna Cardinalis, bis à Saracenis captus, Romam secum *transtulit Columnam*, ad quã Dom. flagellatione rubuit.

An. MCCXXI. Recrudescente Albigensium hæresi iubet Papa *Sacram militiam de Pœnitentia* prædicari ab Dominicanis S. Dominicus, Clero Romæ otio diffluente, permouit Papam, *Sacri Palatij Magistrum* instituere, qui S. Scripturam Clericis interpretaretur. Sic hodieque perseuerat. Famosæ peccatorum & peccatricum fiunt Romæ conuersiones prædicatione meritoq; Rosarij. Inter ea S. Dominicus, Ordine latissime propagato, concedit fatis.

An. MCCXXII. Conradus Henrici Bauariæ filius Parisijs in Germaniam abiens, visis Prædicatoribus Deum orat, nosse cupiens, quid Instituti id esset: apertoq; libro primum occurrit oculis, *Laudare, Benedicere & Prædicare.* Inde Ordinis amantissimus extitit.

Fridericus II. contra fidem datam violat Iura Ecclesiæ: & subterfugit succurrere Cruce signatis.

At PP. vicesimã Galliarum partem exactam submittit eisdem. *Nascitur Sanctus Thomas Aquinas* maximo orbis bono.

Conuentus Prædicatorum Coloniæ ædificatur ex occasione tali: Petrus Canonicus S. Andreæ, & medicus audit ægrum communicandum percunctanti: Credis hoc esse verum Corpus & sanguinem Christi? respondere, Credo: quærit. Num bene respondit? Affirmante Sacerdote exclamat: Vę mihi! Quomodo tot annis Missas celebraui; putaui species istas esse merum signum veri Corporis Dominici. Ergo in pœnitentiam constituit in Stollano vico templum S. Magdalenæ & Hospitale: quæ ex hoc verterunt in Conuentum Prædicatorum.

An. MCCXXIV. S. Francisci Ordo Minorum confirmatur: Et ipse die S. Crucis exaltatæ, quadragesimam ieiunans meruit vere Stigmatis Christi passi insigniri. Secus ac impostor quidam

in Concil. Oxonienſi deprehenſus eſt præſtigioſe ſtigmata Chriſti in ſuo corpore mentiri: ideoque combuſtus.

Anno MCCXXV. Fridericus II. etſi dolo malo tardaret promiſſam à ſe expeditionem in Terram S. & Eccleſiæ Iura peſſundaret: *hæreticos* tamen *edictis exagitat*, pœniſq; coercet; eorumq; pariter fautores: S. Ludouicus Rex Galliæ Animum eis eripit.

Anno MCCXXVI. Obit Sanctus Franciſcus exhauſto per ſtigmatum cruciatus corpuſculo.

A. MCCXXVII. Toloſæ Prædicatores ſeptem pro fide plexi, capita receperunt, ac in Prędicatorum eccleſiam detulerunt.

Ac ideirco Raymundus Comes Toloſanus hactenus pertinax, eiurata hæreſi, redit in gremium Eccleſiæ, iam perſecutor Albigenſium, S. Ludouico & Blancha cum adiuuantibus anno 1228.

A. MCCXXVIII. Excommunicato Friderico II. inuitatiſque ad Bellum Sacrum Danis, Suecis, Anglis, Gallis, Germanis quieſcit per Italiam *factio Guelforum & Gibellinorum:* orta ſub Rogerio Siciliæ anno 1137.

Epiſcopus Ambienſis, quod Decreto Prædicatorum Pariſijs iſti: *Plura beneficia præterunum, tenere poſſe neminem, ſalua conſcientia ac ſalute*: iſti inquam contradicēs apparuit mortuus Epiſcopo Pariſienſi, ac damnatus.

An. MXXIX. Fridericus ad decennium paciſcitur cum Sulthano, turpiter ſibi, Chriſtianis iniurioſe: geſſitque nihil glorioſe. Nemine Ieroſolymis volente ei, vt excommunicato, coronam imponere poſt Miſſam Paſchalē; ipſe eam ſibi impoſuit ab ara raptam, ſeq; gladio accinxit; & ſic vrbem obiuit. Papa nouam indixit, excitauitq; Expeditionem cruciatam.

An. MCCXXX. Fridericus II. ipſe ſupplex Papæ abſoluitur ab anathemate: ſed continuo exauget factionem Guelfiorum & Gibellinorum: diruiſque diuexat Eccleſiam atheus, Iuraque peſſundat.

Iuliana virgo, Leodij ſeruiens leproſis, ex reuelatione crebra accepit de *feſto Corporis Chriſti inſtituendo:* itemq; aliæ ibidem duæ, ex ſanctitate claræ.

An. MCCXXXI. Gregorius IX. confirmat *Ordinem Monachorum Mercenariorum:* & Ordinem B. Mariæ de mercede redemtionis.

Seruitarum Ordo, ſeu Seruorum B. Mariæ, cœptatur Florentiæ à VII. nobilibus, quibus Deipara cum Angelorum choro apparens in veſte pulla ſic fieri monuit ſub regula S. Auguſtini, tum approbauit Gregorius XIII. an. 1578.

Crux prædicata contra Mauros in Aragonia, eos obterit: Paſſimq; rareſcunt hæretici Albigen. & VValdenſes: Imperatorijs eos opprimentibus pœnis.

An. MCCXXXII. Papa per *S. Iordanum Prædicatorem*, miraculis inclytum ac eloquentia, componit pacem inter Fridericum vrbeſque Lombardiæ: *S. Inquiſitionis officio*, Prædicatoribus paſſim demandato, hæreſes euaneſcunt. *S. Eliſabetha* obit.

An. MCCXXXIII. Barbarę gentes accipiunt legem Chriſtianam per miſſos à Papa Prædicatores, ac Minores.

Sed

Sed & vtrorumque martyres sancti cumulantur, Confessores miraculis illustrantur.

AN. MCCXXXIV. *S. Dominicus*, anno superiore translatus, ob miraculorũ densitatem, canonizatur, *Ludouicus* Rex ab vitæ sanctitate toti Galliæ inclarescit desponsatus.

An. 1235. *S. Elisabetha*, canonizatur, testatò ipsius vita perscripta, & innumeris miraculis attestantibus, transfertur an. 1237. Marpurgum: Quo etiam *Lãcea Domini* Venetis donatur à Balduino II. Im. Latinorum. Fridericus autem turbat Italiam, cum proposito euertendi Papã: simul huic studiosum filium Henricum mori in carcere cogit: vt cui Imperij spes facta fuisset.

An. 1238. Fridericus tandem erupit; cæsis Papæ Legatis ipsi necẽ molitur. Sed

An. 1239. Excommunicatus ita scribit Papæ:

Roma diu titubans, longis erroribus acta,
Corruet; & mundi desinet esse Caput.

Cui Papa *Nititur incassum nauem submergere Petri.*
Fluctuat, at nunquam desinet esse ratis.

Contra Frider. *Fata volunt; stellæq; docent Antiumque volatus;*
Quod Fridericus ego Malleus orbis ero.

Cui Gregorius. *Fata volũt; Scriptura docet; Peccata loquuntur;*
Quod tibi vita breuis, pœna perennis erit.

An. 1240. Indictum à Papa Conc. generale nititur impedire vincẽs Legatos eius prælio nauali, & nexos retentans: quos an. 1243. dimisit.

AN. MCCXLIII. Innocentius IV. tentat Fridericum Ecclesiæ conciliare; sed hic ei molitur necem, turbatque Italiam. *S. Hedvvigis* Ducissa Poloniæ obit, vsis prius S. Virginibus cum quibus abit in cœlos.

A. MCCXLIV. *Ordo Equitum Christi* instituitur in Liuonia, cum signo ensis rubri & crucis in pallio. *Coronam Spineam Christi* dat Balduinus II. Venetis, qua nunc Parisiani gloriantur.

AN. MCC LVI. Innocentius III. indictum *Concilium* celebrat *Lugduni I.* Fridericum excõmunicat, exuit Imperio: contra eũ creat *XII. Cardinales*, quos *pileo rubro* insignit, indicio, quod sanguinem fundere parati sint pro Libertate Ecclesiæ. Hic furere Fridericus, necare Sacerdotes, Missam ipso coram patrare detrectantes, data encyclica Claues ambas Papæ derogare, Parmam obsidere euertendam, ideoq; eius loco condere *Victoriam*: sed ante victoriam triumphabat. Nam Papa contra eum prædicari Crucem curauit; Parmẽses eruptione facta Fridericum castris exuunt, ac profugant, euersa victoriâ *an.* 1241. *S. Ludgardis* Ord. Præd. moritur.

Henricus Turingiæ Landgrauius an. 1244. Rex Romanorum designatus, capessit Imperiũ hoc an. vincitq; Friderici filium ad Francofurtũ. Et Papa hortatur omnes Principes ad eius obedientiam, simul *Authenticas addit ad Decretales.*

Raynoldus Archiepisc. Colon. deiecto Mediolano transmittit *corpora trium Magorum* & SS. Naboris ac Felicis Coloniam.

A. MCCXLVII. Henricus Rex Rõ. ad Vlmã ictus sagitta toxicata extinguitur.

tur: Papa Prædicatores cum officio Inquisitionis mittit in Lotharingiã, Burgundiam. &c. Sancit de hæreticis non sepeliendis in loco sacro: Quia *non conuenit in locis sacris fidelium, tumulari corpora excommunicatorum; vt, quibus viuis Ecclesianon communicauit, nec cõmunicet & mortuis.*

A. MCCXLVIII. *Guilielmus* Comes Hollãdiæ creatur Aquisgrani Rex Ro. contra Fridericum eiusq; filium Conradum, sub Decembre ab *B. Alberto Magno* exceptus in refectorio Conuentus Coloniæ inter florentes arbusculas, arte viuificatas in aquis calidis, quas inter auiculæ fritillantes vernabant. Imperiti magicâ fieri putabant.

Papa *Carmelitarum Regulam*, ab Alberto Patriarcha perscriptam, nũc datam Hugoni & Guilielmo Prædicatoribus mitigandam, confirmat.

An. MCCXLIX. *Guilielmus Rex Rom.* confirmat priuilegia Ecclesiastica, iuratque fidem Papæ: Friderico hęresin Circumcellionum permittente, vt quæ Papam proclamaret vt hæreticum.

Erfordij, Hierotheca seruata argẽtea, fures *S. Hostias corporali inuolutas* in lacunam abijciunt. Quinto post mẽse vnus æger confitetur, & moritur. Cõfessarius cum Magistratu lacunã adit in octaua Epiphaniæ, in lacu non congelato reperit linteolum cum Hostijs siccum: visæque ibi fuerant nocturnæ faces. Archiepisc. Moguntinus cum Clero & plebe defert inde ad B. Mariæ solenni cum processione.

An. MCCL. *S. Ludouicus* exacto quinquennio in terra S. recepit Damiatam, bis prælio vicit; demum peste attrito exercitu recessit, visitata prius religiose ẽdicula Conceptionis Dominicæ, quæ nunc est Laureti.

Fridericus II. velut atheus, vixit: Hi ex mœrore obijsse narrant: at verius, qui produnt eum à Mãfredo suo notho, ore compresso, Tarenti suffocatum.

A. MCCLIV. *Carthusiani* hoc anno primum *renunciant esui carnium* in perpetuum. Qui cum adhæsitarent, num tantæ austeritati esse ferendo possint, medius adstitit grandæuus certam eis spondens perseuerantiam, patrocinante Deipara, si *Horarias ei Preces* quotidie sese persoluturos sponderent. Hodieq; fit vtrumque.

An. MCCLV. Ezelinus Comes in Italia, dire iamdiu tyrãnizauit eripuitq; plurima Papæ: Manfredus, iam tyrannus Siciliæ, cætera Italię Dominia sibi rapit, nudato Papa.

Electores *an.* 1257. Francofurti Regẽ Ro. creant hi Richardum Anglum, illi Alphonsum Castellæ Regem: qui mutuam digladiantur.

Papa Henricum & Edmundum Reges Angliæ euocat ad capessendã regna Siciliæ & Neapoleos: fulminatque in Manfredum & Ezelinum contemtores.

Apud barbaros procul per Dominicanos & Franciscanos fides Christiana proficit; deficit in dies hæresis apud Gallos. &c. S. Ludouicus solus regnat in pace.

An. MCCLIX. Cardinalis per Cruce signatos extinguit Ezelinũ fratremque tyrannos. At *Michael Palæologus*, tutor Lascaris, hunc exoculat, Imperium orien-

Orientis sibi vendicat; Balduinum I. cum Latinis fugat, Constantinopolim inuadit: Latinum imperium in oriente extirpat; Venetis interim & Geneuensibus digladiantibus: *Hæc ianua ad Turcicum Imperium futurum; & ruinam nostram.*

An. MCCLX. Parisijs in eleuatione plerisq; *Puellum in S. Hostia* conspicãtibus, monitus S. Ludouicus adspicere noluit, dicens: *Credo: eoque certius video.* Strumas tactu & crucis signo persanandi gratiam habet. Orator ei Roma attulit licentiam instituendi Pastores: at is ait: *De temporalibus mihi periculosa reddenda est ratio Deo: de Spiritalibus quî potero?* simul abijcit in ignem diploma.

Italiâ perturbatâ totâ, visum est ad *Supplicationes publicas* solennesq; confugere: itaq; vbiq; peregrinantur *processiones Flagellantium.*

Quibus in turbis, sæculo hoc toto, nihil vulgatius fuit tũ *Miraculis*, *tum viris Sanctis Ordinum* S. Dominici, & Francisci, & Carmelitarum.

Ottomannvs nascitur, dum Gibellini seu Manfredani atterũt Guelfos.

An. MCCLXI. Alexandro mortuo Vrbanus IV. turbatum excipit plena omnia, medeturque sedulo per Cruce signatos. Qua occasione Bononiæ exoritur nouus *Ordo militum Mariæ*, dicti *Gaudentes*, quoddomi remanerent.

An. MCCLXII. Manfredi excommunicati tandem à Cruce signatis delentur exercitus; S. Petri Patrimonium Ecclesiæ restituitur. In hisce mores Cleri perdite erant pessundati.

An. MCC. LXIII. Richardus Cornubiæ Rex creatur & Rex Ger. Aquisgrani; cedente Alfonso Castillię, sic suadente Papa.

Ordo Guilielmitarum, & Eremitarum S. Aug. alias a. 1256. adprobati confirmantur. Turca interim per totum Oriẽtem prædas agit, cogitq; ad eas incitas Palæologum; vt supplex Papæ *vnierit Græcos cum Latinis*: at instabiles.

An. MCCLXIV. Vrbanus IV. instituit, seruariq; præcepit *Festũ Corporis Christi.* An. 1266. Occiso Mãfredo per victorem Carolum Siciliæ & Neap. Regem; itemq; Maurorum victore; Serenit s re dijt Italiæ; Papis nil de iure suo tantas inter turbas remittentibus.

An. MCCLXVII. Rodulphus Comes Habspurg. eligitur Rex Rom. ita de SS. Eucharistia meritus olim. In venatione, die pluuio, incidit in Sacerdotẽ, qui SS. Eucharistiã ad ægrotum peregre deferret; equo desiliens ipsum imponit, sequiturq; pedes, & capite nudus SS. Sacramento præeuntem ad vsq; domum ægri, reducemque pariter secuto prædicit Sacerdos: *Honorasti omnium Imperatorẽ, honoraberis Imperio tu, posteriq; tui.*

Papa pro S. Ludouico cum tribus filijs in terram S. ducente, *indicit Decimã*, tota Francia & late circũ pendendam; proq; Iure id Pontificis Max. in terras, in causa Religionis.

An. MCCLXVIII. Conradinus ex cõmunicatus, iunctis Gibellinis, animo excindendi Papam, ducit in Carolũ, qui capit ipsum, enecatq; fuso exercitu. Obitq; Papa: Vacatq; sedes triennio ex Cardinalium dissidio.

A. MCCLXIX. Ad Neapolim aleatore *imaginem Deiparæ* secundum faciem vulnerante, cruor manauit.

An. MCCLXX. S. Ludoui. ad Carthaginẽ dysenteria moritur: eademque pene extinguitur exercitus. *Reliquiarum* obseruãtissimus *Lanceæ Dominicæ ferrum* præfixũ accepit à Balduino II. Amabat Theologos, in primis Robertũ Sorbonẽ; à quo *Sorbona Parisiensis* originem habet, ab S. Ludouico erecta ac fundata.

An. MCCLXXIII. Perfecta vnione Græcorum cũ Ro. Eccle. mandat Papa Electoribus VII. viris vt Rodulphũ coronent Imp. & Aduocatũ Ecclesiæ: sin' se Ecclesiæ, Imperioq; consulturũ. Deliberatione Comitiali ad triduũ variante, demũ renunciatur Imp. Alberti Magni, vt putatur, consilio, qui illius fuerat Cõfessarius, & Electorib. Colo. & Treuir. gratissimus. In Coronatione Aquisgrani proditur, coruscã crucẽ super basilicam fuisse delapsam. Inuitat⁹ sæpius in Italiã pro coronatione distulit; demũ causam edixit: *Læta, bonæq; spei vestigia Imperatorũ semper fuisse video in Italiã ingredientium; at mæsta & infelicia egredientium.* In coronatione cũ sceptrum minus in promtu adesset, tacta cruce ait: *Ecce signũ, in quo redemti sumus; hoc vtamur loco sceptri.*

Montfortius quod filiũ Regis Angliæ Romæ sub Missa occidisset, cũ reste ex collo supplex Papæ subit pœnitentiam, qui eum tetro claudit carcere, dum Principum audierit de eo sententias.

A. 1274. *Conc. Lugdun. II. Generale* 500. Episco. aliorumq; totidem Præsulum ex vtroq; orbe celebrat Gregor. X. de subsidio Syris Christianis submittendo; de Græcis Ecclesiæ restituendis; de reformatione morum. Ad hoc tendens itineri immoritur S. Thomas Aquinas. In hoc S. Bonauentura creatur Cardinalis.

An. MCCLXXIX. Rudolph. Imp. in Comitiis Viẽnensibus data aurea Bulla complexus est & confirmauit Eccles. Rom. omnia Iura, priuilegia, & bona; idque omnium Principum consensu.

Turcici Imperij ominata origo est talis: Etrucales clara die somniauit vti & referebat Ebebuli: *Somniaui splendorem lunæ è tuo sinu prodire, & in meum peruenire; dein ex meo vmbilico enasci arborem, quæ varias regiones inumbraret: ad radices autẽ enasci aquam, quæ vineas hortosq; rigaret.* Cui Ebebules: paulisper meditatus: *Nascetur tibi filius Osmanes: qui victoriam famamque pariet, ac posteri Reges terrarũ erunt. Mea autem filia Osmani nubet. Ex vtroq; arbor.*

A. MCCLXXXII. Carolus Claudus, Caroli Siciliæ filius, post *Siculas Vesperas* an. 1280. nauali in prælio captus, omni spe liberationis desperata, patronã suam *S. Magdalenam* inuocat. Quæ in vigilia suæ festiuitatis apparens ei postulat, vt sui Corporis S. reliquias subleuet, Ordiniq; Prædicatorum isthic monasterũ collocet, ac fundet, centum isthic sustẽtandis. Spẽdet: & ecce ab Diua libere educitur. Eius parẽs Franciscano apparens petit ab eo liberari è purgatorio. Vt factum.

Mortuo Palæologo, facta quoq; *Græcorum cum Romanis Vnio abrupta est*: interq; res inquietas illas ex Turcis *Ottomannica familia* sese erexit.

An. 1285. Carolus Claudus fit Rex Siciliæ. Cuius exercitum Gallorum in Hispaniã ductum, grandium muscarũ versicolorum nimbus aculeis, ceu gladijs, occidunt: præsidio, vt creditur, *S. Felicis & Narcissi*, Gerundæ in Hispanijs patronorum.

Istà

Ista inter plurimi claruere Sancti miraculis ante, postq; fata. Papæ vero conciliandis, coercendisue Principibus ac Regibus plurimum destinabantur.

An. MCCLXXXIX. *Sultanus* inuadens Ptolomaidem dire sæuit: confugis ad templa donat vitã: sed dum resistunt abutẽtis sexui fœmineo, trucidatur. *Sanctimoniales* S. Claræ se mutuo denasatas deformãt; ideoq; mactantur. Papa Nicolaus IV. indicit bellum sacrum in sequẽtem annum. Sed res Orientis fata vrgebant, an peccata.

Carlus opitulãs Guelfis, seu Pontificijs Florentina è repub. tota *eiecit Gibellinos:* qui Vgolinum Guelforum principẽ humana felicitate ebrium, misere, sed iuste, fame necarunt anno superiore.

An. MCCXC. *Ordo Pœnitentium* S. Francisci confirmatur.

An. MCCXCI. Iudæi ab infanticidijs multis passim per annos præteritos infames, proscribuntur tota Anglia in Conc. Londinensi.

In suprema Palæstinæ clade, *Mariana Domus Incarnatione Dominica inclyta, transfertur Angelorum manibus è Nazaretho Syriæ in Darmatiam.* Deipara Tersaclensi Episcopo ægro apparens indicat Domũ esse natalem sui, at Christi conceptione sanctam aram à S. Petro consecratam, effigiem à S. Luca depictam; post sui Assumtionem vertisse in sacellum.

Rodulphus moritur, cum ann. 1289. consensisset coronari à Papa.

An. MCCXCIV. Ion. Duacius Scotus semel sepultus, bis mortuus est, ὀκοσιμος à plerisq; dictus; apoplexia sopitus Coloniæ sepelitur: redditus sibi nequicquam pulsitans ac mugiens elisо capite perijt. In dubium omnia vocantis mors venit in dubium.

Augusta Domus B. Mariæ transfertur ab Angelis è Dalmatia in syluam Picenam Lauretæ matronæ piæ.

An. MCCXCV. In Iulio *Domus Lauretam* transmigratur ob odia duorum fratrum in quorum agro communi stabat.

Adolphus Nassouius astu Moguntini electus Rex Romanorum iuramentum fidelitatis & obedientiæ præstat Papæ. Sed An. 1296. compertis eius flagitijs, Electores ei abrogant imperium; creantq; Albertum Austrię, dum Moguntinus Pragæ inungeret Wenceslaum II.

An. MCCXCVII. *S. Ludouicus* Caroli Claudi Siciliæ filius, Franciscanus, canonizatur: Et Festa Apostolorũ, Euãgelistarum ac Doctorũ sub præcepto indicuntur a Bonifacio VIII. Et *Sextus Decretalium* euulgatur.

An. MCCXCIX. Albertus Adolphum occidit in prælio sex horis pene ancipiti, intra Spiram & VVormatiam: iterumque electus in Francofurdanis Comitijs est.

Cassanus Rex Tartarorum ethnicus vultu deformis ex Christiana prolem accepit deformem, vt parens hanc cum matre, ceu adultera, flammis addiceret. Illa rogat infantem baptizari, seque confessione prius expiari: Et ecce infans baptizatus fit formosissimus. Quo permotus Rex fit Christianus, petitq; Romã Catechistas.

ERGO:

1. Dicage; Quæ sincera FIDES hoc constitit AEVO XIII?
   At SIC PAPISTIS RES stat ROMANA, FIDESQVE:
   Non SIC REM seruat Luthero-caluinista, FIDEMQVE.
2. IVRE SVO stabili Papa, atque Ecclesia gaudent:
   Quis quid Ei AVGVSTVS proprio de iure remisit?
3. ANTI ne CHRISTVS erat quisquam hoc ROM. in Aeuo?

4. *Et sic continuant tria Sæcla sequentia: Quo de Est nec & Hæreticis iam Quæstio.*

FINIO.

Salue.

SCHE-

SCHEMA CHRONOLOGICVM EX BELLARMINO, BARONIO ET BZOVIO.

PONTIFICES ROM.	An.		IMPERATORES.
IESVS CHRISTVS à sæculis in sæcula.	Chr. 1		AVGVSTVS an.57.
S. Petrus Christi Vicarius	34	16	Tiberius an.22.
Sedit Antiochiæ an.7.	39	39	Caius an.3.m.10.
Romæ 25.an.	44	43	Claudius a.13.m.8.
Martyrizatur.	68	57	Nero a.13.m.7.
Linus an.11.	69	70	Galba m.3.d.25.
Cletus an.12.	81	71	Otto m.3.d.5.
Clemens a.9.	93	71	Vitellius m.8.
		72	Vespasianus an.9.m.11.
		81	Titus a.m.2.
		83	Domitianus a.15.m.15.
		99	Nerua a.1.m.4.
II. Ethnico-Christianum			
Anacletus a.9.d.3.	103	100	Traianus a.19.m.6.
Euaristus a.9.m.3.	112	120	Adrianus a.10.m.5.
Alexander a.10.m.5.	121	140	Antoninus a.22.m.8.
Sixtus a.10.m.1.	132	163	M. Aurelius Lu. Verus a.19.

Taleſpho-

Simon Romæ	51	*Conc. Hieroſolym.*
Menander.	44	*Perſecutio Ieroſolym.*
Cerinthus.	66	1. *Perſecutio Neron.*
Ebion.		
Iudaizantes.		
Nicolaitæ		
Gnoſtici		
Apollonius Tyanęus	73	*Excidium Ieroſolymitanum*
	92	2. *Perſecutio Domitiana*
Elaxi.	100	3. *Perſecutio Traiana*
Saturnius Baſilides.		
Chiliaſtæ. Valentinus	143	4. *Perſecutio Anton.*
Carpocrates	164	5. *Perſec. Aurel.*

Apel-

Talesphorus a. 11. m. 9.	142		
Hyginius a. 4.	154	182	*Commodus a. 12. m. 9.*
Pius a. 9. m. 6.	158	195	*Pertinax m. 3.*
Anicetus a. 8. m. 9.	167	195	*Didius Iulianus m. 2.*
Soter a. 5.	175	195	*Seuerus a. 17. m. 8.*
Eleutherius a. 15. d. 23.	179		
Victor a. 4. m. 1.	195		

III. Christiano-Ethnicum

Zephyrinus. a. 78. m. 18.	203	213.	*Antonin. Caracalla a. 6.*
Calistus a. 5. m. 1.	221	220	*Macrinus a. 1. m. 2.*
Vrbanus a. 6. m. 7.	227	220	*Heliogabalus a. 3. m. 9.*
Pontianus a. 5.	233	224	*Alex. Seuerus a. 13.*
Anterus a. 1.	238	237	*Maximianus a. 3.*
Fabianus an. 14.	239	240	*Balbinus a. 1.*
Cornelius a. 2.	254	241	*Gordianus a. 5.*
Lucius a. 2. m. 8.	256	246	*Philippus a. 6.*
Stephanus a. 3. m. 3.	257	253	*Decius a. 1. m. 3.*
Sixtus a. 1.	260	254	*Gallus & Volusianus a. 3.*
Dionysius a. 11. m. 3.	261	257	*Valerian. & Gallienus a. 8.*
Felix. a. 2. m. 5.	273	265	*Gallienus a. 7.*
Eutychianus a. 8. m. 6. d. 4.	275	269	*Claudius a. 3.*
Caius a. 12. m. 4.	284	271	*Aurelianus a. 6.*
Marcellinus a. 8.	296	278	*Tacitus m. 6.*
		278	*Florianus m. 2.*
		278	*Probus a. 5.*
		283	*Carus cum filijs a. 2.*
		284	*Diocletianus & Maximianus an. 10.*

IV. Christianum.

Marcellus a. 5. m. 1.	304	304	*Constãtinus & Gallerius a. 3.*
Eusebius a. 2. m. 7.	309	306	*Constantinus Magnus a. 31.*
Miltiades a. 2. m. 2.	312	337	*Constantinus Iunior a. 4.*
Syluester a. 21. m. 10.	314	337	*Constans a. 13.*
Marcus m. 8.	336	337	*Constantius a. 24.*
Iulius a. 15. m. 5.	337	361	*Iulianus a. 1. m. 9.*
Liberius 15. m. 4.	352	363	*Iouianus m. 7. d. 20.*

Felix

Apelles.	158	*Pascha Celebrandum Dominica an luna* 14.
Tatianus cum Encratitis		
Bardasanes, Florinus		
Seueriani		
Praxeas cum Monarchicis	196	*6. Persecut. Seueri*
& Patropassianis	180	*Sex Britanniæ petit doceri fidem Christianam*
Theodotus cum Melchisedechianis.		
Quartadecimani.		

Caiani Valentinus		
Marcion. Hermogenes		
Montanus. Origenes		
Helchiseitæ. Rebaptizantes	238	*7. Persec. Maximiana*
Nouatianus. Sabellius.		
Paulus Sanosatenus	254	*I. Schisma Nouatiani*
Manes. Anglici.		
Apostolici. Priuatus.		
Hierax.	159	*8. Persec. Deciana*
Nepos Chiliasta	258	*9. Persec. Valeri.*
	272	*10. Persec. Aureliana*
	284	*11. Persec. Diocletiana*

	Donatus, Arius. Photinus.
	Macedonianus. Aetius &
	Eunomius. Appollinarius.
	Vadius Anthropomorphita
	Heluidius. Acatius
	Circumcelliones. Audeus
	Hilarius Anabaptista.
	Semiariani. Eudoxius
	Euchitæ. Enthusiastæ.

Felix II.a.1.m.3.	365	
Damasus a.17.m.3.	367	364 *Valentinianus a.12.*
Siricius a.13.m.1.	385	366 *Gratianus & Valentinianus*
Anastasius a.4.m.1.	398	*Iunior a.17.*
		395 *Honorius a.28.m.5.*

V. Arianum. &c.

		425 *Valentinianus III.a.30.*
Innocentius a.15.m.1.	402	455 *Maximus m.3.*
Zozimus a.1.m.4.	417	455 *Auitus m.10.*
Bonifacius a.4.m.10.	419	457 *Maioranus a.4.*
Cœlestinus a.8.m.5.	424	461 *Seuerus a.5.*
Sixtus III.a.7.m.11.	432	467 *Anthemius a.6.*
Leo Magnus a.20.m.11.	440	473 *Obibrius m.7.*
Hilarius a.6.m.10.	461	474 *Glicerius a.1.*
Simplicius a.15.m.5.	468	475 *Iulius nepos: Momillus, Au-*
Felix III.a.9.	483	*gustulus m.10.*
Gelasius a.4.m.8.	492	REGES GOTHI ITALIÆ
Anastasius II.a.2.	497	476 *Odoacer a.16.*
Symmachus a.15.m.8.	499	493 *Theodoricus a.34.*
		Ex occasu Imperij occid. nata re-

VI. Italo-gothicum, & Monotheliticum.

Hormisda a.9.	514	526 *Athalaricus a.9.*
Ioannes a.2.m.9.	524	534 *Theodatus a.3.*
Felix IV.a.4.m.2.	526	537 *Vitigis a.4.*
Bonifacius II.a.1.d.2.	530	
Ioannes II.a.3.	532	540 *Theobaldus a.1.*
Agapitus a.1.	535	541 *Araricus a.3.*
Syluerius a.3.	537	542 *Totila a.10.*
Vigilius a.15.	540	553 *Theias a.1.Vltimus*
Pelagius a.4.m.10.	555	554 *Narses Exarchus Iustiniani a.17.*
Ioan.III.a.13.	560	LONGOBARDORVM
Benedictus a.4.m.1.	573	Reges in Italia.
Pelagius II.a.11.m.3.	578	568 *Alboinus a.3.m.6.*
Gregorius a.13.m.6.d.9.	590	570 *Celphis a.10.m.5.*
		571 *Duces per an.10.*
		585 *Autaris a.7.*
		591 *Agilulphus a.25.*

			Saccofori. Collyridiani.
Valens a.25.	364		Antidicomarianitæ.
Theodosius a.17.	379		Helpidius. Polemiani.
Arcadius a.13.m.3.	395	325	Conc. Nicænum gener.
		439	12. *Persec. Constantiana*
		362	2. *Schisma Felicis II.*
		361	*Persec. Iuliana* 13.
		366	14. *Persec. Valentis.*
		367	3. *Schisma Vrsicini*
		381	2. *Conc. gener. Constantin* 1.
		390	*Ordo Clericorum regularium S. Aug.*
			Priscillianus. Iouinianus.
Theodosius Iunior an.43.	408		Vigilantius. Pelagius. Nestor. Eu-
Marcianus a.6.m. 6.	451		tyches. Pacificantes. Pet. Gna-
Leo a.18.	457		phæus. Sartiatius, Cœlestius.
Zeno a.18.	474		Timotheani. Acephali.
Basilius a.2.	476		Xanaias Iconoclasta Persa.
Zeno restitutus	478	410	*Arma capta ab Alarico*
Anastasius a.27.		419	4. *Schisma Eulalij*
m.3.	491	452	*Venetiæ conduntur*
		431	3. *Ephes. Conc. gen.* 1.
		492	*Attila atterit Italiam*
		451	4. *Conc. Chalced. gen.*
gna Italię, Frãcię, Hispaniæ, Gal-		427	14. *Persec. VVandali in Afr.*
liæ.		499	5. *Schis. Laurentij*
			Iulius Halicarnassæus
Iustinianus a.38.	527		Agnoitæ.
Iustinus Iunior a.16.			Philoponus Tritheita
m.9.	566		Gaiani seu Phantasiastæ.
Tiberius II. a.5.	582		Iac. Syrus cum Armenis
Mauritius a.17.	587		Samaritani. Monothelitæ.
Phocas a.8.	603		Aphtardocitæ.
			Ordo S. Benedicti.
		530	6. *Schisma Dioscori*
		537	7. *Schisma Vigilij*
		553	5. *Conc. gen. Constant.* 2.
			Benedictini Angliam conuertunt.

VII. Longobardicum,			& Mahumetanum.
Sabinianus m.5.d.19.	605		
Bonifacius II.m.8.d.23.	606		
Bonifacius IV.a.8.m.6.d.13.	607		
Deus dedit a.3.	615	616	*Adalualdus a.10.*
Bonifacius V.a.7.m.10.	618	626	*Ariualdus a.12.*
Honorius a.12.m.5.	626	639	
Seuerinus m.11.	639	654	*Rotaris a.16.*
Ioan.IV.a.1.m.9.	640	660	*Rodoaldus a.5.*
Theodorus a.7.m.5.	641	662	*Aripertus a.2.*
Martinus a.6.m.3.d.12.	649	663	*Gundipertus a.1.*
Eugenius a.6.d.23.	654	673	*Grimoaldus a.9.*
Vitalianus a.14.m.5.	655	673	*Garibaldus m.3.*
Adeodatus a.7.m.2.	669		*Pertharitus a.17.*
Donus a.1.m.5.	676		
Agatho a.4.	678		
Vacat S.Sedes.	682		
Leo II.a.10.d.8.	683		
Benedictus II.a.1.	684		
Ioan.V.a.1.d.11.	685		
Conon.a.11.d.23.	687	699	*Cunibertus Catholicus an.12.*
Sergius a.13.m.8.	688		

VIII. Iconoclasticum,			& Longobardicum.
Ioan.VI.a.3.m.2.	702	703	*Luispertus m.8.*
Ioan.VI.a.2.m.7.	705	704	*Regimpertus.m.3.*
Sisinnius d.20.	708	704	*Aripertus a.11.*
Constantinus a.6.m.1.	708	716	*Aspirandus m.3.*
Gregorius II.a.16.m.8.	715	716	*Luitprandus a.30.*
Greg.III.a.10.m.9.d.12.	731	746	*Hildebrandus m.7.*
Zacharias a.10.m.3.	742	746	*Rachis a.6.*
Stepha.II.d.4.	752	750	*Aistulphus a.6.*
Steph.III.a.5.d.28.	752	757	*Desiderius*, Vltimus
Paulus a.10.m.1.	757		Longob. *a.18.*
Vacat S.Sedes.	758		
Stepha.IV.a.3.m.5.	768		
Hadrianus a.23.m.10.	772		
Leo III.a.20.m.5.	796		

IX. Ger-

		Monothelitæ. Aphtardocitę. Mahumetani. Manichæi.
		Pantheon consecratur
Heraclius a.31.	610	
Constans a.27.	641	
Constantin. Pogonatus a.17.	668	
	670	*Veneti accipiunt Duces.*
	678	*Cometes trimestris, & siccitas triennis.*
	678	*6. Conc. gen. Constantinop 3.*
	680	*7. Conc. gene. Romanum, 1.*
Iustinianus Iunior a.10.	685	
	680	*Pectis dirissimæ.*
Leontius a.3.	694	
Aasimarus a.5.	696	
	689	*Francis prædicat S. Kilianus.*
	690	*Quintisexta Synodus erratica.*

Iustinian. Iunior iterum an.8.	703		*Hic osculatur Papæ pedes palam.*
			Anglia fit S. Petro vectigalis.
Philippicus. a.3.	711	764	*Pipinus fit Rex ab PP. Zach.*
Anastasius a.2.	713	646	*Rachis Rex fit monachus.*
Theodosius a.1.	715	750	*8. Schis. Theophylacti.*
Leo Isaurus Icon. a.24. m.2.	716		
Constanti. Cop. Ico. a.34. m.2.	741	772	*Venetis datus Episc. primus.*
Leo IV. an.5.	776	774	*Carolus Rex Fra. gradus S. Petri osc.*
Constantinus & Irenæ.	786	787	*7. Conc. gen. Nicæn. 2.*
Constantinus solus a.7.	790		Iconoclastæ. Manichæi.
Irena sola a.5.	796		Adelbertus. Mahanes.
			Felix Vrgelitanus Sergiotæ.

IX. Germano-scepticum.			
Stepha. V. m. 7.	816	800	CAROLVS *Mag. a. 14.*
Paschalis a. 7. m. 3. d. 16.	817	814	*Ludouicus Pius. a. 27*
Eugenius II. a. 3. m. 2. d. 20.	824	841	*Lotharius. a. 15.*
Valentinus d. 4.	827		
Greg. IV. a. 16.	828		
Sergius II. a. 3. m. 1.	844		
Leo IV. ann. 8. m. 3. d. 5.	847		
Benedictus II. a. 2. m. 6.	855	856	*Ludouicus Iun. a. 20.*
Nicolaus a. 9. m. 6. d. 20.	858		
Hadrianus II. a. 4. m. 17.	868		
Ioan. VIII. a. 10.	873	876	*Carolus Caluus. a. 2.*
Marinus. a. 1. d. 20.	883	878	*Ludouicus III. a. 1.*
Hadrianus III. a. 1. m. 3. d. 19.	884	881	*Carolus Crassus an. 7.*
Stepha. VI. a. 6.	885		
Formosus. a. 4. m. 6.	891	888	*Arnulphus a. 12.*
Bonifacius VI. d. 15.	895		
Stepha. VII. a. 4.	897		
X. Ferreum & obscurum.			
Ioan. IX. *a. 4.*	901	900	*Ludouicus* IV. *a. 6.*
Benedictus IV. *a. 3.*	905	906	*Conradus a. 7.*
Leo V. *d. 4.*	907		
Christophorus. m. 7.	908		
Sergius III. *a. 2.*	908		
Anastasius IV. *a. 2. m. 2.*	910		
Lando. m. 6.	912	912	*Henricus a. 20.*
Ioan. X. a. 16.	912		
Leo VI. *m. 7.*	928		
Stepha. VIII. *a. 2.*	929		
Ioan. XI. *a. 5.*	931		
Leo VII. *a. 4.*	936	936	*Otto Rex. a. 26.*
Steph. IX. *a. 3. m. 4.*	940		
Marinus II. *a. 3. m. 3. d. 13.*	943		
Agapitus II. *a. 10. m. 3. d. 10.*	946		
Ioan. XII. *a. 9.*	956	962	*Otto idem Imp. a. 12.*
Leo VIII. *a. 1.*	964	973	*Otto II. a. 10.*
Benedict. V. *a. 1.*	965		
Ioan. XIII. *a. 6. m. 11. d. 5.*	966	984	*Otto III. a. 18.*
Bonus m. 3.	972		
Bened. VI. *a. 1. m. 3.*	973		

Ioan.

Nicephorus. a. 10.	802		Michael Balbus. Mœckiani, Astabiles. Claudius Taurin. Godescalcus Gallus. Theopaschitæ iterum.
Mich. Curopalata. a. 2.	812		
Leo Armenius. a. 7.	814		
Mich. Balbus. a. 9.	821		
Theophilus a. 12.	830	824	9. *Schis. Zinzinij.*
Mich. cum Theodora matre a. 25.		831	*Persecuto. Iconocl.*
	842		*Inter Leonem IV. & Benedictum fingitur Papissa.*
		855	10. *Schis. Anastasij*
		848	*Leonina conditur.*
Basilius Macedo. a. 20.	867	869	8. *Conc. gen. Constant. 4.*
Leo VI. a. 25. m. 3.			*Post Carolum Crassum turbat Imp. Germanis alium, alium Italis eligentibus.*
			Nicolaitæ iterum. *In Sæculo lacero, obscuro hæreses nullæ: at schismata fœda.*
	910		*Ordo Cluniacensis.*
Constantinus VIII. a. 49.	912		
Romanus. a. 2.	961		
			12. *Schis. ab a. 964. ad a. 967.*
Nicephorus & Phocas a. 7.	963		
Ioan. Zemisces. a. 6.	970		
Basilius & Constantinus an. 50.	975		

Con-

Ioan. XIV. a. 1.	984		
Ioan. XV. a. 10.	985		
Ioan. XVI. m. 4.	995		
Greg. V. a. 2. m. 8.	996		
Sylvest. II. a. 4. m. 6. di. 12	999		
XI. Schismaticum			
Ioan. XVII. m. 5.	1003	1014	*Henricus. II. a. 11.*
Ioan. XVIII. a. 6.			
Sergius IV. a. 7. m. 8.	1009		
Benedict. VIII. a. 12.	1012	1025	*Conradus II. a. 15.*
Ioan. XIX. a. 10.	1014		
Benedict. IX. a. 11.	1034	1040	*Henricus III. a. 16.*
Greg. VI. à. 3.	1044		
Clemens II. a. 9.	1047		
Damasus II. d. 13. & vacat S. Sedes.	1048		
Leo. IX. a. 5. m. 2. d. 8.	1049		
Victor. II. a. 2. m. 3. d. 13.	1055		
Steph. X. m. 7.	1057	1057	*Henric. IV. a. 50.*
Nicol. II. a. 2. m. 6.	1058		
Alexan. II. a. 11. m. 6. d. 22.	1061		
Greg. VII. a. 22. m. 1. d. 3.	1073		
Victor. III. a. 1.	1086		
Vrban. II. a. 11. m. 4. d. 18.	1087		
Paschal. II. a. 18. m. 5.	1099		
XII. Politico Schismaticum & Cruce signatum.			
Gelasius II. a. 1. d. 4.	1118	1106	*Henricus V. a. 10.*
Callistus II. a. 5. m. 10.	1119	1125	*Lotharius II. a. 14.*
Honorius II. a. 5. m. 1. d. 17.	1125	1139	*Conradus III. a. 3.*
Innocent. II. a. 13. m. 7.	1130	1152	*Fridric. AEnobarbus. a. 37.*
Cœlestinus II. a. 5. m. 13.	1143		
Lucius II. m. 11. d. 14.	1144		
Eugenius II. a. 8. m. 4. d. 13.	1145		
Anastasius. IV. ann. 1. men. 4. dies 14.	1153		
Hadrianus IV. ann. 4. mens. 8. dies 28.	1154		
Alexan. III. a. 22.	1160		

Luci-

		996	13. *Schisma Ioannis.*

		1049	Græci Schismat.
		1058	Berengarius.
			Basilius cum Bogonilis.
		1010	*Ordo Comaldulen. Degenerant Papæ & Principes Laici fiunt Sancti.*
		1034	14. *Schis. Sylvest. & Ioan.*
Constantinus solus a.3.	1026		
Romanus.a.5.	1029		
Michael IV.a.8.	1034		
Michael V.a.1.	1042		
Constant. Monomachus. a.12.	1043		
Theodora Porphyrognita. a.1.m.9.	1055		
Mich. VI.a.1.	1057	1058	15. *Schis. Benedicti.*
Isaacius Connenus,a.8.	1058		
Constantinus Duca.a.7.	1061	1061	16. *Schis. Cadalo.*
Romanus Diogenes.a.4.	1068	1073	17. *Schis. Guiberti.*
Mich. VII.an.6.	1072	1081	*Ordo Vallis umbrosæ.*
Nicephorus Boto.a.3.	1078	1099	18. *Schis. Alberti.*
Alexius Connenus,a.38.	1081		

Ioan. Connenus,a. 24.	1119	Taudemus. Henriciani Petrobrusiani. Petrus Abailardus. Arnaldistæ Pseudoapostolici. Catari seu Patareni. Waldenses.
Manuel Connenus. a.38.	1143	*Ordo Cistertien. à S. Roberto.*
		Ordo Canonicorum Regularium.
		Ordo Equitum Ioannitarum.
		Conc Lateran. I. gen. IIII.
		Ordo Templariorum. 1119.
		Ordo Præmonstratensium.
		Ordo militum Teutonicorum.
		19. *Schis. Pet. Leonis. a. 1130.*

Lucius III. ann. 4. men. 2. dies 28.	1181		
Vrbanus II. ann. 1. men. 10. d. 23.	1186		
Greg. VIII m. 2.	1187		
Clemens III. a. 3. m. 2. d. 26.	1188		
Cælestinus III. a. 6. m. 9. d. 11.	1191	1191	*Henricus VI. a. 8.*
Innocent. III. a. 18. m. 6. d. 9.	1198		

XIII. Monasticum & Crucesignatum			
Honorius III. a. 10. m. 8.	1216	1200	*Philippus a. 9.*
Greg IX. a. 14. m. 5.	1227	1209	*Otto IV. a. 4.*
Cælestinus IV. d. 17. Vacat S. Sedes. a. 2.	1241	1212	*Fridericus II. a. 33.*
Innocent. IV. a. 11. m. 5. d. 14.	1243		
Alexa. IV. a. 6. m. 5.	1254	1245	*Vacat Imperium per an. 28.*
Vrban IV. a. 3. m. 1. d. 4.	1261		
Clemens IV. ann. 3. me. 9. dies 25.	1265		
Vacat S. Sedes. m. 9.			
Greg. X. a. 4. m. 4. d. 10.	1271		
Innoc. V. m. 5.		1273	*Rodalphus a. 20.*
Hadrianus V. d. 19.	1276		
Io. XX. m. 8. d. 8. hic voluit dici XXI.			
Nicolaus III. ann. 2. mens. 8. d. 29.	1277		
Martinus II. a. 4. m. 1.	1281		
Honorius IV. a. 2. d. 14.	1285		
Nicolaus IV. ann. 4. mens. 1. d. 14.	1288		
Cælestinus V. m. 5. d. 7.			
Bonifacius VIII. an. 8. men. 9. d. 18.		1294	*Adolphus. a. 6.*
	1294		
		1299	*Albertus I. a. 10.*

Ale.

		Conc. Later. 2. gen. 1139.
Alexius Connenus a. 2.	1181	20. *Schis.*
Andronicus Connenus. a. 3.	1183	21. *Schis. trium contra Alex.*
Isacius Angelus a. 10.	1186	*Conc. Later. 3 gen.* 1180.
		Ordo Carmelitarum. a. 1180.
		Confirmatur ab Alex.
Alexius Angelus. a. 6.	1195	*Ordo Crucigerorum* 1199.

Balduinus Belga. a. 9.	1200	Petrus Ioannis. Almaricus. Parisi-
Henricus. a. 7.	1209	ens. Albigenses. Guiliel. de S. amore
Petrus paucis m.		Fratricelli. Raymundus Lullus. Fla-
Robertus a. 11.	1216	gellantes.
		Ordo Prædicatorum
		Conc. Later. 4. gen. 1215.
		Ordo Minorum S. Francisci.
Michael Palæologus. a. 33.	1261	*Ordo Redemtionis captiuorum.*
		Ordo Monial. S. Claræ.
		Ordo Eremitarum S. Augustini.
		Ordo Sylvestrinorum.
		Conc. Lugd. 1. gen. a. 1244.
		Albigensium 100000. *vincuntur miraculose ab* 8000. *Cathol.*
		Conc. Lugd. 2. gen. an. 1274.
		Ordo Cælestinorum. a. 1295.
		Ordo Seruitarum. B. Mariæ.
Andronicus. a. 40.	1294	
	1300	*Iubilæum reuocatur ad Centesimum quemque annum ab Bonifacio VIII.*

XIV. Turcicum,			& Scholasticum.		
Benedictus X. m. 8. d. 6.	1303				
Vacat S. Sedes m. 11.		1309	*Henricus VII. a. 5.*		
Clemens V. an. 8. m. 10. d. 16.	1305				
Vacat S. Sedes an. 2.		1315	*Ludouicus V. a. 33.*		
Ioan. XXI. a. 18. m. 3. d. 18.	1316				
Benedict. XII. a. 7. m. 4.	1334			*Andronicus Iunior an. 14.*	1334
Clemens VI. a. 10. m. 7.	1342	1348	*Carolus IV. a. 32.*	*Calo Ioannes. a. 30.*	1348
Innocent. VI. a. 9. m. 8. d. 26.	1352				
Vrbanus V. a. 8. m. 2. d. 23.	1362				
Greg. XII. a. 7. m. 6. d. 5.	1371				
Vrbanus VI. a. 11. m. 6. d. 5.	1378	1380	*VVenceslaus a. 32.*	*Manuel a. 2.*	1378
Bonifacius IX. a. 14. m. 11.	1389			*Andronicus III. a. 39.*	1380

XV. Hæreticoturcicum.					
Innocentius VII. a. 2. d. 21.	1404	1402	*Robertus a. 10.*		
Greg. XII. a. 8. m. 7. d. 5.	1406				
Alexan. V. viuo Gregorio.	1409				
Ioa. XXII. a. 5. d. 15. viuo Gre.	1410				
Martin. III. a. 13. m. 3. d. 10.	1417	1412	*Sigismundus a. 27.*	*Ioan. Palæologus II. a. 28.*	1419
Eugen. IV. a. 15. m. 11. d. 21.	1431				
Nicolaus V. a. 8. d. 19.	1447	1440	*Albertus II. a. 2.*	*Constantinus XI. a. 6.*	1447
Calliſtus III. a. 3. m. 4.	1455	1441	*Fridericus III. a. 54.*	*Vltimus Imp. Orient. Chriſtianus euerſo ereptoque per Turcam Imperio.*	
Pius II. a. 5. m. 11. d. 27.	1458				
Paulus II. a. 6. m. 10 d. 26.	1464				
Sixtus IV. a. 10. d. 4.	1471				
Innoc. VIII. a. 7. m. 10. d. 27.	1484				
Alexand. VI. a. 11. m. 8.	1492				
		1494	*Maximilianus a. 26.*		

XVI. Pantohæreticum, & Pantodidactum.					
Pius III. di. 26.	1503				
Iulius II. a. 9. d. 3.	1503				
Leo X. a. 8. m 8. d. 20.	1513				
Hadrianus VI. a. 1. m. 8. d. 6.	1522	1520	*Carolus V. a. 38.*		
Clemens VII. a. 10. m. 10.	1523				
Paulus III. a. 15. d. 25.	1534				
Iulius III. a. 5. m. 1. d. 16.	1550				
Marcellus II. d. 22.	1555				
Paulus IV. a. 5. M. 2. d. 27.	1555				
Pius IV. a. 5. m. 2. d. 15.	1560	1558	*Ferdinandus a. 6.*		
Pius V. a. 6. m. 3. d. 24.	1566				

Gre-

		Dulciniſtæ.	*Papa Clemens tranſtulit Sedem in Galliam vbi permanſit annis 70.*
1300	*Ottomannus.a.28.*	Beghardi & Beghinæ. Lollardus. Marſilius de Padua, &	*Conc. Vienn. gen.a.1310. in quo deleti Templarij.*
		Ioan. de Ianduno. Ioan. VViclefus.	*22. Schiſ. Nicolai a.1316.*
1328	*Orchanes an.2.*	Humiliati.	*Ordo Equitum Chriſti in Luſitania.1334.*
			Ordo Ieſuatorum.a.1349.
1350	*Sulaimanes: mox Amurathes.a.23.*		*Gregorius XI. reducit Sedem ad Vrbem.*
			Ordo Montis Olueti.
1373	*Baiazetes.a.25.*		*23. Schiſma omnium grauiſſimum Clementis, ann. 1378. vt tres fuerint PP.*
1398	*Ioſue an.4.*		

1402	*Mulſumanes a.2.*	Ioan. Huſs, cum ſectis Orebitis, Thaboritis, Orphanis, Adamitis, ſeu Pichardis. Herman. Riſnich.	*Ordo S. Hieronymi.*
1404	*Moſes a.2.*		*Ordo Scopetinorum.*
1406	*Maometh.a.13.*		*Ordo S. Georgii de Alga.*
			Conc. Conſtantien. gen.a.
1419	*Amorathes Iunior.a.23.*		*25. Schiſ. Clementis.a.1434.*
			26. Schiſ. Felicis.a.1439.
1447	*Muſtapha.a.3.*		*Con. Florent. gen.a.1433.*
			Conſtantinopolis capitur à Turcis a.1452.
1452	*MAVMETVS Imp. I.a.28.*		*Ordo Minimorum S. Franc. de Paula.*
			Iubilæum reuocatur ad annum 25. à Sixto IV.
1480	*Baiazethes a.32.*		*Fraternitas S. Roſarii renouatur a.1460. in Belgio & a.1675. Coloniæ: indeper orbem.*

		Mar. Lutherus. And. Carolſtadius. Huld. Zvvinglius. Anabaptiſtæ. Io. Caluinus. Seruetus. Gaſparus Schvvenckfeldius. Melanchton molliũ. Brentius vbiquitarius. Matthæus Flaccus cum Flaccianis. Libertini. Val.	*Conc. Lateran. gen.a.1511. ad 1512.*
			Ordo Capuccinorum a.1530.
1520	*Solimanus.a.46.*		*Ordo Clericorum S. Pauli. a.1533.*
			Henricus Angliæ deſciſcens a.1535. ſit caput Angl. Eccleſ. Societas IESV a.1540.
			Conc. Trid. gen.a.1545. finitur a.1563.
			Hugonotæ infeſtant Galliam. a.1560.
			Gueſci Caluiniani tumultuantur in Belgio a.1566.
1566	*Solymus Iunior.a.8.*		*Turca in Naupacto vincitur.a.1571.*
			Ordo miniſtrantium infirmis confirmatur. a.1591.

Greg. XIII. a. 12. m. 10. d. 27.	1572	1577	*Rodulphus II. a. 35.*	
Sixtus V. a. 5. m. 4.	1585			
Vrbanus VII. d. 12.	1590			
Greg. XV. m. 10. d. 10.	1590			
Innocent. 9. m. 2.	1591			
Clemens VIII. a. 12. m. 1. d. 3.	1592			
Leo XI. d. 26.	1605	1612	*Matthias a.*	

1574

1574	*Amurates III. a.* 20.	Gentilis. Franc. Dauid Trinitarii. &c.
1595	*Maumethus III. a.* 8.	
1603	*Amatha. a*	

NO-

NOMENCLATVRA

ROMANO-CATHOLICORVM SS. PATRVM, DOCTORVM, AC SCRIPTORVM, QVO in Statu, Loco, & Tempore quique claruerunt,

IRREFRAGABILE

Romano-catholicæ Fidei vniuersalis

TESTIMONIVM.

QVIA *& in Lutherocalvinisticis meis, & in* Historicis *nonnisi Classicos secutus sum: eorum hunc Classem subijcere duxi operæ.*

A	subs. Chri.
Abdus Babylonius Discipulus Domini.	50
Athaiæ Presbytero de Mart. S. Andreæ.	60
Adamus Goddamus in Anglia	1330
Adelmannus Episc. Brixien.	1070
Ado Viennensis Episc. hist.	879
Adrianus VI. Papa, e Belgio	1500
Æneas Gazæus Confessor Afric.	490
Æneas Syluius, dein Papa Pius II.	1450
Ægidius Romanus Gen. Ord. S. Aug.	1290
Aimoinus Monachus Gallus hist.	873
Albertus Krantzius Cano. Ham. hist.	1500
Albertus Magnus Episc. Ord. Præd.	1265
Albinus Alcuinus Anglus Caroli Magni Præc.	780
Albericus Bergomensis Canonista	1340
Alexan. de Hales Francisc. mon.	1245
Alexa. ne Immola Canonista.	1470
Algerus Scholast. Leod. monac. Cluni.	1130
Alphons. Vargas Hispan. Arc. Hispal.	1350
Alphon. Tostat. Hispan. Episc. Abul.	1440
Amalarius Treuirensis Episc.	830
Ambrosius Amsbertus monach.	890
Ambrosius Cameldulensis Abbas	1480
S. Ambros. Mediolan Episc.	374
Ammonius Alexandrin.	226
Amphilochius Episcopus Icopli.	380
Anastasius Bibliothecarius Romæ.	858

Ana-

	An Chr.
Anastasius Nicenus Episcopus.	680
Anastas. Sinaita Epis. Antioch. Syriæ.	544
Andreas Barbatius Siculus Iurista.	1460
Andr. Cæsariensis Episc. in Cappad.	370
Angelomus Monachus Gallus.	850
Angelus de Clauasio Ligur Francisc.	1480
Anselmus Cantuar. Archiepisc.	1081
Ansel. Laudunen. Scholasticus.	1077
Ansel. Lucen. Episcopus.	1077
S. Anthelmus Episc. Scotiæ.	714
Antiochus monachus Homiliarius.	630
S. Antonius Ab. Eremita in Syria.	330
S. Anton. de Padua, Francisc. in Italia.	1220
Anton. Bonfinus histor. non probus.	1499
S. Antonin. Florentin. Arch. Or. Præ.	1445
Anto-Melissa monachus.	750
Apollinarius Laodicenus Episc.	365
Apponius.	812
Arator S. R. Eccl. Subdiac.	540
Arnobius Afer Præceptor Lact.	285
Arnobius Iunior.	445
Arnold. Abb. Carnoten. Bonæ Vallis.	1177
Astesanus Astensis Calista.	1330
S. Athanasius Episc. Alexand.	340
Athenagoras Philos. Christianus.	155
S. Aug. Hippon. Episc. in Africa.	420
Augustinus de Anoona in Italia Mon.	1301
Augu. de Roma Episc. Augustinianus.	1340
S. Auitus Alcimus Episc. Vien.	520
Aur. Prudentius Poeta Christianus.	390
Aur. Cassiodorus senator Rom.	530
Ausonius Poeta Rom.	420

B

Baldus Perusinus Italus Iurista.	139
Baptista Mantuanus Carmelita.	1500
Bapt. Platina histor. Italus.	1470
Barlaamus Episc. Hieracensis Syriæ.	1303
Barth. Pisan. Ord. Præd. Canonista.	1330
S. Basil. Magn. Epis. Cæsar mon. Cappa.	370
Beda Vener. Anglus.	720
Berengosius Abbas.	640
S. Bernardin. Senen. Franciscan.	1440
S. Bernardus Abbas.	1130
Berno Augiensis Alegiensis.	1014
Bertholdus Constantiens. histor.	1077
Bessarion Cardin. Græcus.	1460
Blondus Flauius historicus Italus.	1440
Boetius Seuerinus Senat. & Cons. Ro.	520
S. Bonauentura Cardin. Franciscus.	1265
S. Bonifacius Mog. Archiep. in Germ.	740
S. Bruno Carthus. Institutor.	1088
S. Burchardus Episc. Wormat.	1010

C

Cæsarius Arelatensis Episc.	499
Cerealis Massit. in Africa.	490
Christianus Druthmar. monach. Gall.	850
Chromatius Episc. Aquileien.	320
Claudianus Vienn. Episc.	440
Claudius Scot. Commentator in Scrip.	820
Clemens Alexandr. Presbyter.	204
S. Clemens Papa Rom. S. Petri Discip.	92
Conradus Vrspergen. Ab. iniquus PP.	1215
S Cornelius Papa Rom.	254
Constantinus Magnus Imp.	306
S. Cypr. Carth. Epis. Martyr in Afric.	250
Cyprianus Benetus Ordin. Præd.	1490
S. Cyrillus Alexandrinus Epis.	430
S. Cyrillus Ierosolym. Episco.	365

D

S. Dacius Mediolan. Episc.	560
S. Damasus Papa Romanus.	367
Diadochus Episc. Photices.	390
Didymus Alexandrinus cæcus.	361
Dinus Mugellanus Iurista.	1295
Diadochius Episco. Photices.	390
S. Dionysius Areopag. Episcop. Paris. I.	71
S. Dionys. Alexand. Episc.	250
Dionysius Carthusianus Belga.	1450
Dionysius Exiguus Scytha	525
Dominicus à Soto Dominicanus.	1500

	An Chr.
Dorotheus Archimandrita.	390
Dorotheus Tyrius.	285
Durandus Episc. Melden. Ord. Præd.	1320
E	
EBerardus Archid. Ratisp. hist.	1305
S. Edmundus Cantuar. Epis.	1247
Egisippus Historicus Eccles.	177
Eginhardus Cancell. Caroli Magni.	780
Eregius Episc. Nouiomen.	640
Ennodius Episc. Ticinensis.	503
S. Ephrem Syrus Diac. Edessenus	365
S. Epiph. Salaminæ Cypri Episc.	370
Esatas Abbas homiliarius.	640
Euagrius Scholast. in Græcia.	596
Eucherius Episc. Lugd.	440
Eugippius Abb. African.	510
S. Eulogius Mart. & Episc. Tolet.	850
Euseb. Cæsarien. Episc. at Arian.	326
Eusebius Emesenus.	430
Eutymius Zigabenus monach.	1118
F	
FAustinus Diac. bis Schismat.	367
Faustus Regiensis Episc. in Gall.	480
Fatinus Sandæus Ferrar. Iurist.	1500
Ferrandus Diac. Carth.	504
Finus Hadrian. Ferrar.	1490
Fran. Ferra. Ord. Præd.	1500
Fra. Mayronis Scotus Francisc.	1320
Fran. Petrarcha Florentinus.	1350
Fra. Zabarel. Card. Canonista.	1410
Freculphus mon. & Epis. Lexouien.	830
Frodoardus Abbas Remens.	960
S. Fulbertus Carnot. Episc.	1000
S. Fulgentius Carthag. Epis. Ruspensis.	500
G	
GAbriel Biel Tubingen. Germ.	1490
S. Gaudentius Episc. Brixien. Ita.	390
Gelasius Cizicenus.	495
S. Gelasius Papa Roman.	492
Gennadius Massilien. Episc.	490
Georgius Cedren. hist. Græc.	1070
S. German. Constant. Episc. Græciæ	720
Gilda Sapiens.	495
Glaber Rodulphus monach.	1040
Gofridus Vindocinens. Abbas.	1100
Gottfrid. Viterb. Notar. Conradi III.	1186
Gratianus monach. Ital.	1140
Gregorius Beticus Hisp. & Sebaud.	360
Greg. de Arim. Augustinian.	1350
S. Greg. Nazian. Epis. Theolog.	370
S. Greg. Nyss. Episc. S. Basilij frater.	380
S. Greg. I. Papa Rom.	600
S. Greg. II. Papa Rom.	714
S. Greg. VII. Papa Rom.	1070
S. Greg. Taumaturg. Neocæs. Episc.	233
S. Greg. Turonen. Episc.	596
Greg. Protosycel. Patriarcha Græcus.	1440
Guido Archid. Bononien. Canon.	1283
Guido Carmelitæ Catalanus.	1330
Guido Papa Rom.	1265
Guidmund. Auersanus Episc.	1070
Guilel. Antisiodoren. Episc. Theol.	1240
Guil. Durantes Speculator Episc.	1280
Guil. Neubrugen. hist.	1190
Guil. Okam Anglus Francisc.	1320
Guil. Paris. Epis. Theol.	1240
Guil. Tyrius Archie. Palæst.	1180
Gunther. mon. Paris.	1200
H	
HAdrianus I. Papa Rom.	772
Hadrian. VI. Papa Rom.	1520
Hatligarius Cameracensis Episc.	830
Haymo Halbe stad. Episc.	850
Hector Boetius seu Pintius, Scotus.	1500
Helimandus monach. Gallus hist.	1203
Helmoldus Canon. Butsonien.	1180
Herman, seu Pastor.	50
Herman. Contract. monach. Augien.	1050
Henric. de Gandauo Archid. Torna.	1290
Henric. Harph. Belga Francisc.	1460

Hen-

	An. Chr.
Henricus de Haßia Carthus.	1350
Henric. de Kalteis. Dominic. Germ.	1440
Henric. Ostiensis Card. Gallus.	1260
Henr. Suso Dominican. Germ.	1345
Henr. Vlidonen. hist.	1140
Heruæus Brito Ord. Præd. General.	1320
S. Hieron. Stridonen. mon.	390
Hilar. Arelat. Episc.	458
S. Hil. Pictau. Episc.	355
Hincmar. Rhemensis Episc.	860
Hildebertus Turon. Episc.	1125
S. Hildephonsus Toletan. Episc.	658
Hilduinus Abb. S. Dionysij Gall.	830
S. Hyppolit. Mart. & Episc. Portuens.	220
Honor. Augustodun. Presb. hist.	1220
Hugo de S. Caro Card. Ord. Præd.	1245
Hugo de S. Victore Abbas Gall.	1130
Hugo Etherianus Tuscus.	1170
Humbert. Card. Episc. Syluiæ.	1054
S. Humbertus Dominican. Italiæ.	1245
I	
S. Iacobus Apost. frater Domini.	44
Iac. Philip. Bergom. Augustinian.	1494
Iac. Sanazarius Poeta.	1500
Iac. à Vitriaco Gallus Card.	1240
Iac. de Valentia Episc.	1490
Iac. VVimphelin. Presb. Spiren.	1500
Idacius Clarus Episc. Hispan.	380
Idiota Græcus Spiritualis.	902
S. Ignat. Mart. Episc. Antioch. Syr.	71
Ingulphus Anglus Abbas.	1077
Innocent. III. PP. Rom.	1200
Innoc. IV. Papa Rom.	1243
Innoc. V. Papa Rom.	1270
Ioach. Ab. Floriẽs. cuius quædũ nõ proba.	1195
S. Ioan. Apost. & Euang.	90
Ioan. Andr. Bonon. Iurista.	1330
Ioan. Bachon. Carmelita Theol.	1341
Ioan. Baßolius Minorita Theol.	1460
Ioan. Caßian. Diacon. S. Chrysostomi.	440
S. Ioa. Chrysost. Episc. Constantinop.	398
Ioan. Calderin. Bouon. Iurista.	1340
Ioan. Climacus mon.	560
Ioan. Curopalates hist. græc.	1070
S. Ioan. Damasc.	731
Ioan. Diacon. Rom.	873
B. Ioa. de Capistrano Franciscan.	1445
Ioa. Turrecremata Canonista Or. Præd.	1460
Ioa. Duns Scotus Franciscan.	1300
Ioan. Eckius German.	
Ioan. Gerson Cancell. Paris. Gall.	1420
Ioan. Ierosol. Episc.	390
Ioan. de Immola Iurista.	1430
Ioan. Maxentius mon. Antioch.	520
Ioa. Moscus seu Euiratus.	
Ioa. Paris. Ord. Præd. Theol.	1295
Ion. Picus Mirandula Comes.	1490
Ioa. Roffensis Card. Anglus.	1500
Ioa. Ragusinus Ord. Præd. Theol.	1438
Ioa. Rustrochius mon. Belga.	1350
Ioan. Taulerus Præd. Ord. Germ.	1350
Ioa. Trithem. Abb. Germ.	1500
Ioan. Sarisberien. Episc.	1577
Ioan. Villan. hist. Florent.	1330
Ioa. Zonaras monach. Græc.	1118
Ionas Aurel. Episc.	820
Ionas Hibernus hist. S. Columbani.	630
S. Irenæus Martyr & Episc.	180
Isichius Episc. Hierosol.	600
S. Isidorus Hispal. Episc. Hispa.	630
Isidorus Pelusiotes mon.	482
S. Iudas Apostolus.	40
Iulius Africanus.	222
Iulius Firmicus.	340
S. Iulianus Toletan. Epis.	680
Ianilius Episc. Africanus	545
S. Iuo Carnoten. Episc.	1088
S. Iustin. Mart. & Philos.	150
S. Iustus Orgelitanus Episc.	540
Iuuencus Presb. Poeta Christianus.	330

	An. Chr.
L	
Lactantius Firmianus Afer Lat.	290
Lambert. Schafnaburg. histor.	1077
Landulphus Carthus. Sax.	1330
Lanfrancus Episc. Cantuar.	1059
Laur. Iustinianus Episc. Venet.	1464
L. Leo I. PP. Romanus.	440
S. Leo IX. PP. Rom.	1050
Leo Sapiens Imp. Orient. Græc.	900
Leo Ostiensis Marsicanus Episc.	1101
Leontius Bizantinus monachus.	540
Leont. alius histor. S. Ioan. Eleemosyn.	630
Liberatus Archid. Carthag. Africæ.	560
S. Linus PP. Romanus S. Petri Discip.	70
S. Lucas Euangelista.	40
S. Lucianus Martyr & Presbyter.	420
Lucifer Caralitanus.	350
S. Ludgerus Episc. Monasterien.	812
Luitprandus Diaconus Ticinen.	946
Lupoldus Bamberg. de Iurib. Imperij.	1330
M	
Mvchartus Senior S. Anto. discip.	340
Manuel Caleca Græcus.	1350
M. Ant. Sabellicus Coccius	1500
S. Marcus Euangelista.	45
Marcus Eremitapius	906
Marcellinus Comes	520
Marcellinus Presb. S. Suiberti.	719
Marianus Scotus Monachus Fulden.	1083
S. Martialis Lemouiæ Episc.	80
Martinus Bracarensis Epis. & Abbas.	560
Martinus Polonus mon. Archiep. Ital.	1250
Martinus Nauarrus Canonista.	1540
S. Matthæus Apost. & Euang.	44
Matthæus Parisien. monachus.	1245
S. Maximus Confessor Episc. Taurin.	420
Melito Sardensis Episc.	150
S. Methodius Martyr & Episc. Tyri.	285
Micrologus de Eccles. Obseruat.	1077
Minutius Felix Causidicus Romanus.	206
Monaldus Archiep. Beneuen. Francis.	1320
Moses Barzepha Episc. Syrus.	970
N	
NIcephorus Callista histor. Græcus.	1305
S. Niceph. Constantinop. Episco.	800
Niceph. Gregoras hist. Græcus	1330
Nicetas Choniates hist. Græc.	1205
Nicetas Dauid histor.	888
Nicol. Cabasilas Græcus Theol.	1350
Nico-de Cusa Cardin. Germ.	1450
Nic. Gorram Gallus Ord. Præd.	1350
Nic. de Lyra Ord. S. Francis.	1320
Nicolaus I. PP. Romanus.	858
Nicolaus Abbas Panormitan. S. Bene.	1440
Nithardus filius Caroli Magni.	830
S. Nilus Constantinop. monach.	445
O	
OEcumenius histor.	1080
Olympiodorus histor.	1080
S. Optatus Milenitanus Episc.	365
Oresiesis Abbas.	340
Origen. Adamantius Clem. Alex. Disc.	226
Otto Frisingen. Epis. monach. hist.	1157
P	
PAchomius exmilite monachus Syr.	340
Pacianus Episc. Barchinon. Hisp.	360
Palladius Galata.	390
Paschasius Diaconus Card. Ro.	499
Paschasius Radbertus Abbas Corbein.	820
Paulinus Aquileien. Epis.	780
S. Paulinus Nolanus Episc.	420
S. Paulus Apostolus Gentium omniū.	50
Paulus Burgen. Episc. ex Iudæo.	1430
Paulus Diaconus Aquileiens.	774
Paulus Orosius Presbyter Hisp.	425
Pelagius Aluarus Hisp. Francis.	1325
S. Petrus Apost. & Papa Rom.	57
Petrus Aureol. Archiep. Aquita. Frāc.	1317
Petrus Bertrandus Cardinalis.	1330
Petr. ab Alliaco Cardin.	1410

	An. Chr.
Pet. Bleſen. Archidiac. Bathoien.	1177
Petr. Cluniacen. Abbas.	1130
Pet. Chryſologus Epiſc. Rauennas.	442
Pet. Comeſtor. hiſt. Scholaſticæ autor.	1150
Pet. Damiani mon. S. Benedict.	1060
Petrus Petrarcha Card.	1320
Pet. Diaconus.	503
Pet. Lombard. Epiſc. Pariſien. Gall.	1145
Pet. Paludanus Burgundus Ord. Prad.	1330
Pet. Tarentaſien. Card. Ord. Prad.	1270
Philo Carpath. ab Epiph. Epiſ. ordinat.	374
Philaſtrius Epiſcopus Brixiæ Ital.	380
Photius Conſtantinop. Epiſ. hæreticus.	858
S. Polycarpus Martyr & Epiſ. Aſiæ.	71
Ponttus Diaconus S. Cypriani.	250
Primaſius Epiſc. Africanus	545
S. Prochor. vnus è 7. Diaconis Act. 6.	40
Prochus Conſtantinop. Epiſc.	430
Procopius Gazæus Sophiſta.	560
S. Proſper Aquitanus, Epiſc. Rhegien.	460
Prudentius Poeta Chriſtianus.	390
R	
Rabanus Maurus Epiſc. Mog.	835
Radulphus Flauianus monachus.	910
Raym. Lullus ipſe Cath. at ſcripta hær.	1290
S. Raym. de Pennaforti Ord. Prad. Ita.	1230
Remigius Antiſcodoren. monach.	890
Reghino Abbas Prumien.	908
Richardus Armachan. Archiep. Syriæ.	1350
Rich. de mediamilla Franciſc.	1290
Rich. Victorin. Scotus monach.	1130
Robertus Holkot Anglus Ord. Prad.	1350
Robertus Sorbonæ Pariſ. Doctor.	1265
Rogerius de Houeden hiſtor.	1190
Ruffinus presbyter Aquileienſis.	390
Rupertus àRuſſia Franciſc. Theo.	1280
Rupertus Tuitien. Abbas.	1119
S	
Salonius Epiſc. S. Eucherij filius.	470
Saluianus Epiſc. Melitenſis,	460
Samuel Marochia, ex Iudæo Chriſtian.	1090
Sedulius Presbyter Scotus.	430
Serapion Epiſcopus Thmueos.	340
Seuerianus Gabalen. Epiſc. Græc.	398
Seuerus Sulpitius S. Paulino amiciſſim.	420
Sidonius Apollinaris nobilis.	440
Sigebertus monach. Gemblac. hiſt.	1100
Simon de Caſſia Auguſtinian. Hernic.	1340
S. Simeon Metaphraſtes.	850
S. Simeon Stilites in Syr.	457
Sifridus Presbyter Miſnen. Hiſt.	1305
S. Sixtus II. PP. Romanus.	260
Sixt. III. Papa Rom.	442
Socrates Nouatianus, hiſt.	440
S. Sophronius Epiſc. Hieroſol.	630
Sozomenus Nouatianus, hiſt.	440
Stephanus Eduenſ. Epiſc.	950
Strabus Fuldenſis monach.	840
Syluester Prieras Ord. Prad. Canon.	1460
Syneſius Ptolomaidis Epiſc.	420
T	
Tatianus S. Iuſtini auditor.	170
Tertull. at denig. Marcionita.	203
Theodoretus Epiſc. Cyriæ in Syria.	430
Theodorus Presbyt. monach.	460
Theodor. Balſamon Antioch. Epiſcop.	1190
Theodorus Studita monach.	820
Theodulphus Aurel. Epiſc.	835
Theophylactus Archiep. Bulgarorum.	1070
Theophilus Alexandrin. Epiſc.	390
S. Theophilus Antioch. Epiſc.	171
Theorianus Græcus.	1150
S. Thom. Aquinas Doctor Angel. Ital.	1265
Thom. Cantiprat. Epiſ. Prad. Ord.	1265
Thom. de Argentina Auguſtinianus.	1350
Thomas de Kempis Belga.	1460
Thomas Morus nobilis Anglus.	1510
Thom. Caietanus.	
Thom. Waldenſis Anglus Carmelita.	1420
Titus Boſtrenus Epiſc.	505

V	An.Chr.
VDalric.de Argent. Or. Præ. The.	1280
Venantius Fortunat. Epiſ. Pict.	570
Victor Africanus Epiſ.	530
Victor Capuanus Epiſ.	540
Victor Vticenſis Epiſc.	490
Victorin. Pictabienen. Epiſc. & Mart.	270
Victorinus Afer.	350
Vigilius Martyr.	495
Vincent. Belouacen. Epiſc. Ord. Præd.	1250
S. Vincent. Ferrer. Valent. Ord. Præd.	1410
Vincentius Lirinen. monach.	440
Vſuardus monach. Galliæ.	812
VValfridus Strabo Abbas Augiæ.	849
VVitichindus mon. Corbeien.	946
VVilh. Malmesberien. mon. Angl.	1130
Z	
ZAcharias Chryſopol. Epiſc. Græc.	1101
S. Zeno Veronen. Epiſc. & Mart.	260

INDEX ALPHABETICVS HÆRESIARCHARUM potiſſimorum.

Acephali in Græcia an. 482.	513	Circumcelliones Afric. 340. Gall.	1249
Adelbertus Gallus.	745	Claudius Taurinenſis Gall.	800
Actius Græcus.	359	Clemens Scotus.	740
Agnoitæ Ægyptij.	540	Collyridiani Græc.	373
Albigenſes Galli.	1178	Confeſſioniſtæ Scoti. 779. Germani.	1530
Amalaricus Gallus.	1200		
Anabaptiſtæ Afric. olim. & Germ.	1530	Docitæ Græc.	191
Antidicomaranitæ Arab. & Græ.	873	Donatiſtæ Afric. 331	313
Angelici & Apoſtolici Græ.	200	Dulciniſtæ Ital.	1310
Aphtardocitæ.	450		
Apollinaris Syrus & Græ.	349	Ebion Syrius.	73
Apoſtolici iterum Gall.	1140	Encratitæ ſeu Aquarij.	180
Apoſtolici Sylueſtrini, Fraticelli.	1282	Eudo Gall.	1140
Aquarij Latini.	257	Eutyches Græc.	441
Arius Græc.	330		
Arnoldiſtæ Rom. Ital.	1145	Flacciani Saxon.	1540
Audæus in Syria.	341	Flagellantes Ital. Germ.	1273
Baſilides in Syr. & Græ.	50	Gaianiſtæ Græc.	513
Berengarius Ital.	1004	Gaſpar Schwenckfeldius Germ.	1550
Beghardi & Beghinæ Gall.	1320	Gildebertus Gall.	1146
Bongomiles Gall.	1118	Græci Schiſmatici.	378
		Guiliemus de S. Amore Gall.	1261
Caiani Ægyptij.	120		
Carpocras Græc.	120	Helchefaitæ Græc.	103
Cherinthus Græc. Aſiæ.	40	Heluidius Ital.	303
Cerdon Syrus.		Hieracitæ Ægypt.	288

	An Chr.
Henriciani Germ.	1047
Huldericus Zvvinglius Heluet.	1530
Humiliati Ital & Gall. 1199.	1260
Iconoclastæ Græc.	710
Inæstuosi.	1065
Ioan. de Ianduno Gall.	1330
Ioan. Parmensis Ital.	1258
Ioan. Huß Boem.	1420
Ioan. Caluinus Gall.	1530
Ioan. VVielefus Angli.	1350
Iouinianus Mediolan. Ital.	382
Libertini Belgæ.	1540
Lollardus Gall.	1303
Macedonius Græc.	351
Manes Persa	277
Marcionitæ Græc.	230
Marcus Magus.	175
Maumethus Arabs.	630
Menander Samarit.	74
Messaliani Græc.	361
Michael Balbus Imp. Orient.	820
Mœchiani Græc.	808
Monarchici Ital.	196
Montanistæ Græc. Ital.	173
Monothelitæ Græc.	540
Nepos Ægypt.	264
Nestorius Græc.	429
Nicolaitæ Palæst. 35. Iterum.	910
Nouatiani Afric. Ital.	253
Ophitæ Ægyp.	120
Orgenistæ Græc.	230

Pacificantes Græc.	450
Paulus Samosatenus Syrus.	264
Pelagiani Sicul.	416
Petrus Gnafæus Græc.	471
Petrus Abailardus Gal.	1140
Petrobrusiani Gall.	1126
Priscillianistæ Hispan.	381
Radulphus Gall.	1146
Raymundus Lullus.	1260
Sabellius Ægypt.	260
Samaritani.	640
Saturninus Syr.	120
Sethiani Syr.	120
Sergiotæ Græc.	820
Seuerus Græc.	513
Simon Magus Palæst.	42
Symmachiani.	203
Tanchelinus Belga.	1126
Tatianus Assyrius.	174
Theopaschitæ Græc. 479. &	869
Tertullianus.	201
Trinitarij Transylu.	1550
Tritheitæ Græc.	480
Valentinus Ægypt.	130
Valentinus Gentilis.	1540
Vigilantius.	395
Waldenses Gall.	1110
Xenaias Persa.	485

Carmi-

Carmine qui cœpi, faciam quoque Carmine finem.
Gratia Trinuno, Gloria ſitque Deo.
Adque hanc me poſthac adiuuet Illa. Faue.

F

I N I

S.



R. P. F.

JOH. ANDREÆ

COPPENSTEINNII

Mandalensis Ordinis Prædicatorum Theologi

SECVLARIS INDICIS ROMANO CATHOLICI CONTINUATIO,

SIVE

CONTROVERSIARVM EPITOME

ex illustrissimo Cardinali

BELLARMINO.

Tomus Tertius.

Continens præter demonstrationem Historicam Continuatæ fidei,

PARALIPOMENA,

Quæstionum Luthero Caluinistarum ex recensitis Seculorum præfatarum,

Item

Castigationem Apologiæ Caluino-Catecheticæ,

Aduersus

JACOBVM LAVRENTIVM Verbi Ministrum Amstelredamensem APOLOGISTAM.

Permissu superiorum.

MOGVNTIÆ,

Impensis JOH. THEOBALDI SCHÖNWETTERI.

ANNO M. DC. XXVI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ELENCHVS SÆCVLORVM ET QVÆSTIONVM HVIVS OPERIS.

SÆCVLVM XIV. SCHOLASTICVM.

PONTIFICVM ROMANORVM CONTINVATA SVCCESSIO. fol. 1.

IMPERATORVM ROMANORVM ACTA POTIORA IN SÆCVLO XIV. fol. 4.

Hæresiarchæ Papis dissoni in Sæculo XIV. fol. 6.
Doctrina Fidei Nouatoribus contraria in Sæculo XIV. fol. 7.
Varia Fidei Romano Catholicæ Testimonia Sæculi XIV. fol. 9.

QVÆSTIO I.

Quæ in meis Luthero-Caluiniſticis ſcholaſticè pertractata, confirmantur hiſtoricè per ſuperius enarrata? fol. 29.

QVÆSTIO II.

An S. Petrus Romæ ſederit, obieritque Sanc. Pontifex ibidem? fol. 30.

QVÆSTIO III.

Primatus Papæ qui hiſtoricè demonſtretur? fol. 32.

QVÆSTIO IV.

An Papa iudicio humano ſubiacuerit vnquam? f. 33.

QVÆSTIO V.

An Papæ iudicium in rebus Fidei fuerit aliquando falſum, ſitq; Fallibile? fol. 34.

QVÆSTIO VI.

An Papa habeat Juriſdictionem Temporalem directè Jure Diuino? fol. 40.

QVÆSTIO VII.

An Papa habeat Juriſdictionem Temporalem indirectè Jure Diuino? fol. 41.

EXEM-

EXEMPLA POTESTATIS ECCLESIASTICÆ in Politicam.

f. 43.

QVÆSTIO IIX.

An Papa Rom. Imperium transtulerit à Græcis ad Germanos? fol. 44.

QVÆSTIO IX.

An Papa Roman. Imperium transtulerit à Francis ad Saxones? fol. 49.

QVÆSTIO X.

Quando, & à quo Septem viri Electores sint Instituti? fol. 50.

QVÆSTIO XI.

An Imperator, Rex, & Princeps quilibet sæcularis habeat summum Jus Ecclesiasticum in suo Principatu? f. 51.

QVÆSTIO XII.

De Conciliorum Generalium Adprobatione, seu Reprobatione, ac Modo, Qualia testatur Historia? fol. 56.

QVÆSTIO XIII.

Papæ, Conciliorum, & Ecclesiæ respectus mutuus ecqualis fuit? *fol. 60.*

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPENDIX

SIVE CONTINVATIO INDICIS SÆCVLARIS R.P.F. IOAN. ANDREÆ COPPENSTEINII Ordinis Prædicatorum Theologi.

SÆCVLVM XIV. SCHOLASTICVM.

PONTIFICVM ROMANORVM CONTINVATA SVCCESSIO.

ANNO 1300.

BONIFACIVS VIII. celebrat Iubilęum datis plen. indulgentiis, curatisq; infirmis. Siciliam interdicto subiicit, Friderico Aragonum excommunicato: abusum sæuiendi in mortuos abrogat: Hermannũ de hæresi conuictũ exhumari, comburique curat. Principes ad expeditionem in terram S. euocat; impedireque conatum Philippum Pulcrum Galliæ rebellem Papæ excommunicat: Carolum Valesium Flandriæ Comitem euocat contra Fridericum in Italiam ducentem, donatque decimis Galliæ *Anno* 1302. Siciliæ pacem confirmat: & officium inquisitionis commendat Dominicanis.

Anno 1304. Ab excommunicato Philippo per proditionem captus liberatur, & obit: annoq; post 33. incorruptus inuenitur: & *an.* 1312. in Conc. Viennensi innocẽs pronunciatur. Sepultum sibi digitos erosisse mentiuntur Centuriatores. Sedit ann. 8. Men. 9. d. 19. Rector Regum.

S. BENEDICTVS XI. ex Dominicano creatus *anno* 1303. sedit menses 8. di. 17. claruit multis miraculis, præsertim post mortem. Vide infra.

CLEMENS V. Vasco *Anno* 1305. creatus omine infausto Lũguduni inauguratur, solicitus pro terra sancta.

Anno 1306. Andronicum Græcorum Imp. excommunicat, incitatque in ipsum Rasciæ Regem.

Anno 1308. De templariis inquisitionem committit Episcopis: Inquisituram Dominicanis. Combustum Lateranum instaurari curat.

Anno 1309. Venetos ob occupatam Ferrariam excommunicat: Regem Si-

ciliæ creat Robertum. Indulgentias plenas impertis ducentibus in Terram S.

Anno 1310. Solicitatus à varijs Principibus indicit Concilium in causa Templariorum. *Anno* 1313. Sancit de F. Corporis Christi celebrando. obit præscripto ei eandi Pontifices ritu. Sedit An.8. M.10. D.16. Lites regnorum multas terminauit.

IOANNES XXII. creatur *anno* 1316. Cæsaraugustam & Tholosam facit Metropolitanas. *Anno* 1317. Gibellinos & Guelfos conciliare studet. Friderico & Ludouico Bauaro diem condicit ad cognoscendam causam. Reformat collapsam disciplinam ecclesiasticam. Proscribit Fratricellos hæreticos. S. Fridericum Episc. Tolosanum canonizat. Clemens est in Lud. Bauarum rebellem. *Anno* 1319. & contra Waldenses agit.

Anno 1320. Fridericum inaugurare Imperatorem differt. *An.* 1321. eum euocat contra Ludouicum: Fratricellos condemnat: itemque Ludouicum *Anno* 1323. & 1324.

Anno 1325. Prædicantes Saracenis absque licentia excommunicat. *Anno* 1326. Romanos ab Ludouico abstrahere, aceum ingressu vrbis arcere conatur. *Anno* 1327. Reiecto illo dat licentiam creandi alium, designatque diem electionis. *Anno* 1328. Ortas lites inter Regem Aragoniæ componit, accipitq; iuramentum fidelitatis. *Anno* 1330. In Lithuaniam mittit fidei ministros. *Anno* 1331. Mouet controuersiam de visione animarum à corpore separatarum, cui FF. Prædicatores se opponunt. Nihil tamen de ea definit. *Anno* 1332. Mittit Fratres Minores in Armeniam. Postulata Ludouici reiicit.

Anno 1334. Opinionem suam de animabus dimittit, ac eam antemortem declarat edita constitutione literarũ ac Iuris vtriusque peritissimus. Cardinalem communicaturi è manibus disparuit S. Hostia; quæsita diu reperitur in plica casulæ. Obit cum sedisset an. 18. mens. 3. D. 28.

Episcopus in itinere Auinionem versus nocte mortis illius audit: *Papa non est: Ecce iste est.* Visis Cardinalibus conclaue intrantibus, illum non conspicit; Cistertiensem omnium minimum adit absentem; dicit, Eris Papa. Introductus sum in stabulum sordidũ, in quo alba arca vacua: Hæc tu es, illud Ecclesia: implete bene actis, & illam expurges ab simoniis, &c. Regum, regnorumq; causas decidit.

BENEDICTVS XII. creatus *anno* 1334. Ferrariam dat in feudum: homagium accipit à Rege Siciliæ: sua scripta de animarum visione iubet examinari.

Anno 1336. cunctanter agit in causa Ludouici.

Anno 1337. Boemiæ Regem excommunicat.

Anno 1338. Roberto Bauaro Rosam mittit, & pacem cum Ludouico optat. Moritur *anno* 1342. omnibus vitiis infectus. Sedit ann. 6. mens. 4. D. 6. Rex Regum.

CLEMENS VI. creatus *anno* 1342. iubilæum à centesimo ad quinquagesimum reduxit, ista visione monitus; perso-

persona apparuit ei duas præferens claues, quæ ait: Aperi ostium, & mitte ignem quo calefiat, ac illuminetur orbis. Postridie celebrat de Domina, vt si quid iubeat Deus, iterum appareat; Sin, phantasma esse se iudicaturum. Apparet iterum, idemque iubet. Vnde Cardinales suadent Iubilæum celebrandum. Decimationem reddituum ecclesiasticorum concedit Regi Castellæ in bellum contra Mauros.

Anno 1343. Ludouicum declarat hæreticum, priuatq; Imperio.

Anno 1346. Episc. Moguntinum submouet, instituitq; alium.

Anno 1350. Iubilæum celebrat. Moritur *anno* 1352. Sedit ann. 10. Mens. 7. Plurima disponens in temporalibus circa regna varia & Imperium.

INNOCENTIVS VI. creatus *anno* 1352. instituit *anno* 1354 festum Lanceæ & Clauorum Domini. *Anno* 1355. Carolum IV. Romam venire permittit, datis mandatis certis. *Anno* 1362. moritur. Sedit an. 9. Mens. 8. D. 26.

VRBANVS V. creatus *anno* 1362. Auinione recedit Romam *anno* 1367. Agnos Dei transmittit. *Anno* 1370. moritur, missis in Orientē ac Septentrionem ad euangelizandum: S. Thomæ corpus restituit Dominicanis. Sedit annos 8. mens. 1. D. 17. Regnaque authoritate, consilioq; attemperauit.

GREGORIVS XI. creatus *anno* 1370. Raymundi Lulli opera damnat, legiq; vetat anno 1372. vatia Regum ac Principum dissidia componit. *Anno* 1373. Pro Lituanis conuertendis sollicitus. *Anno* 1374. Walachis & Armenis mittit FF. Prædicatores, vt eos à schismate reducant. *Anno* 1376. sub conditionibus assensit eligi in Regem Roman. Wenceslaum. Pauperes de Lugduno hæret. extinguit. *Anno* 1377. scribit Oxonium de opprimendo Wiclefo, Romamq; mittendo. Moritur *anno* 1378. Sedit an. 7. M. 2. D. 26. Supremus regnorum inspector ac moderator.

VRBANVS VI. *anno* 1378. vnanimiter electus colitur orbe toto Christiano vt legitimus Papa, &c. vide infra *in variis*. Sæuissimas inter turbas schismaticorum Antipapæ studentium, Regni Imperijq; moderator, ac dissidentium mediator extitit; dirasq; in se initas conspirationes diuinitus euasit. Diem obijt *anno* 1389. Sedit annos 11. menses 6. D. 8.

BONIFACIVS IX. successit *anno* 1389. canonicè electus: inq; similibus, ceu prædecessor, turbis rexit orbem & Ecclesiam, singularumq; penè curam Ecclesiarum, nationum, ac regnorum fideliter habuit & iuxta fortiter. Mortuus est *anno* 1403. Sedit ann. 14. mens. 11.

IMPERATORVM ROMANORVM ACTA POTIORA IN SÆCVLO XIV.

ALBERTVS Austriacus Rex Roman. designatus à Bonifacio VIII. & excommunicatus *anno* 1300. Occiditur *anno* 1307. occisorumq; infelix exitus. Regnauit annos 8. M. 9. D. 5.

HENRICVS VII. Comes Lucelburgensis contra Philippum Regem Galliæ eligitur in Regem Romanorum *anno* 1307. *Anno* 1308. Romam vocatus Austriam occupare cogitat: Acclamatus Imper. pergit in Italiam. *Anno* 1309. à Guelphis & Gabellinis excipitur; turbatq; Italiam contra ius iurandum. *Anno* 1312. Inaugurandus Romam petit resistentibus Guelphis: edit professionem fidei, & iuramentum fidelitatis. Sed inunctus agit dolose, Româq; digressus omnia euastat. *Anno* 1313. Papa in eum pronunciat sententiam priuationis & decapitationis. Moritur morte naturali, non veneno, Imperauit an. 3. mens. 8. D. 6.

FRIDERICVS Austriacus Rex Roman. *anno* 1314. vsurpatq; sibi Siciliam. *Ann.* 1320. ob bellum contra Guelphos excommunicatur. *Anno* 1325. Robertum Siciliæ, & Carolum necare nititur. *Anno* 1323. Iuramentum præstat fidelitatis. *Anno* 1327. moritur. Regnauit ann. 15. mens. 11. D. 27.

Sub LVDOVICO BAVARO decertatur pro Imperio annis ipsis 34.

CAROLVS IV. Imperator Regis Boemiæ filius eligitur *anno* 1346. approbatur electio à Papa. *Anno* 1347. promittit obedientiam Papæ, & priuilegia Ecclesiæ confirmat.

Anno 1348. Vendit ius suum Papæ, quod habuit in Auinionem, Coronatur Aquisgrani.

Anno 1349. à rebellibus: *anno* 1350. à veneno periclitatur. *Anno* 1355. Mediolani coronatur: init Romam permissu Papæ. Coronatur Imperator: Præstatq; iuramentum fidelitatis: simul Romanis mandat, vt quieti obediant Papæ.

Anno 1360. Vniuersitatem Pragæ instituit.

Anno 1361. nascitur Wenceslaus siniſtro cum prodigio recusatq; expeditionem Ierosolymitanam.

Anno 1365. Bullam auream edit.

Anno 1368. Iura Ecclesiæ confirmat.

Anno 1376. Wenceslaum sesquiennem eligi in Regem Roman. curat, simul in Imperatorem designari ab Electoribus. Sed à Papa monetur ne ad coronationem filij properet ante consensum Sedis Apostolicæ.

Anno

Anno 1377. Insurgentes aduersus libertatem ecclesiasticam compescit.

Anno 1378. morituri ad filium monita pia. Mortui vidua init ordinem Minoritarum. Imperauit annis 23. Mens. 10. D. 20.

VVENCESLAVS succedit Patri Carolo IV. *anno* 1378. multis & magnis à puero vitijs obnoxius atque indulgens, Magni magna noxa patris: Initia Imperij eius feruebant pro Ecclesia; cætera perdebantur ignauia. Imperauit ann. 22. vsque ad eius Abdicationem. Cui Electores, approbante Papa, substituerunt ROBERTVM Bauarum.

Concilium Generale

VIennense sub Clemente V. anno 1308. contra Templarios. Prouincialia fuerunt plurima.

Doctores ac Scriptores illustriores Consoni Papis in Sæculo XIV.

IOann. Duns Scotus subtilissimus obijt *ann.* 1300.

Augustinus Triumphus Anconitanus Augustinensis obijt *anno* 1328. Theologus.

Barlaam Episc. Græcus Epistolator, *an.* 1303.

Siffridus Historicus Presbyter Misnensis, *an.* 1307.

Nicephorus Callistus Græcus, historicus. *an.* 1307.

Eberhardus Archidiacon. Ratisbon. Chronographus.

Petrus Aureolus ex Minorita Archiepiscopus Aquensis Theologus, *anno* 1317.

Antonius Andreæ Aragonius Minorita Theologus, *an.* 1317.

Durandus Gallus Dominican. Theologus, *an.* 1320.

Heruæus Natalis Brito Dominicanus Theologus, *an.* 1320.

Franciscus Mayron Franciscanus Scotus Theologus, *an.* 1320.

Guil. Okam Anglus Minorita Theolog. *an.* 1320.

Monaldus Dalmata ex Minorita Archiepisc. Beneuenti Canonista & Theol. *an.* 1320.

Nicol. Lyranus ex Iudæo Minorita Biblicus, *an.* 1320.

Pelagius Aluarus Hispanus ex Minorita Episcopus Syluensis Theolog. *an.* 1320.

Nicephorus Gregoras historicus Græcus, *an.* 1330.

Petr. Paludanus Dominicanus Burgundus Theol. & Patriarcha Hierosol. *an.* 1330.

Ioann. Villanus historicus Florentinus, *an.* 1330.

Guido Carmelita Generalis, Catalanus, *an.* 1330.

Astesanus Astensis Casista, *anno* 1330.

Adam Goddam Theologus Anglus, *an.* 1330.

Landulphus Carthusianus Saxo Biblicus, *an.* 1330.

Ioan. Andreæ Bonon. Iureconsultus, *an.* 1330.

Barthol. Pisanus Dominican. Theol. *an.* 1335.

Ioan. de Baccone Anglus Carmelita Prouincialis Th. *an.* 1340.

Simon de Cassia, Hernicus Augustinensis hist. *an.* 1340.

Henricus Suso Germanus Dominicanus Pius, *an.* 1340.

Robertus Holkot Anglus Dominican. Biblicus, *an.* 1340.

Tho. Argentina. Germanus Augustinen. Generalis Theol. *an.* 1350.

Nic. Cabasilas Græcus Archiepisc. Thessal. Theol. *an.* 1350.

Greg. Ariminen. Augustinen. Theol. *an.* 1350.

Rich. Armachanus Archiep. Theol. *anno* 1350. Sed errorum Græcorum plenus.

Franc. Petrarcha Florentinus Archid. Poeta, Orator, &c. *an.* 1350.

Alphons. Vargas Hispanus Archiep. Hispalen. Theol. *an.* 1350.

Ioan. Taulerus Germ. Dominicanus Concionator, *an.* 1350.

Henr. de Hassia Carthus. Theolog. *an.* 1380.

Ioann. Rusbrochius Belga Religiosus, *an.* 1380.

Baldus Vbaldus Italus Bartoli auditor Iurista. *an.* 1390.

Doctrina Fidei Nouatoribus contraria in Sæculo XIV.

DE *Missa, Ritibus, &c.* Radulphus, Pachymeres, &c. Reor me operam lusurum, si huc vel ad potiores Fidei Romano-Catholicæ articulos accensuerim Scriptores testes luculentissimos: adeo sole clarius LIQVET.

Hæresiarchæ Papis dissoni in Sæculo XIV.

BEGVARDI & BEGVINÆ orti sub initium huius æui, damnantur in Conc. Gen. Viennensi *anno* 1311. sub Clemente V. PP. Dogmatizabant ista: I. *Summa hîc perfectio acquiri potest, par Christi, sed non supra.* II. *Ante, non post acquisitam ieiunandum, & mortificationi instandum: mortificatum posse corpori concedere quiduis.* III. *Sic perfecti non subsunt vlli legi: quia vbi spiritus, ibi libertas.* IV. *Summa beatitudo vitæ haberi hic potest, qualis in cœlis.* V. *Intellectualis natura est in se beata.* VI. *Se ad virtutem exercere est imperfecti: perfecta anima à se licentiat virtutes.* VII *Osculum mulieris est mort. pec. at actus venereus nullum.* VIII. *Eucharistia in eleuatione non est adoranda; quia contemplatio perfecti est dignior, quam illius veneratio.*

PETRVS IOANNIS eodem *anno* 1311. locoque damnatur, qui finxit, I. *Quod anima Christi non essentialiter informarit corpus.* II. *Christo adhuc viuenti latus apertum lanceâ.* III. *Baptismum communiter adultis, non paruulis esse remedium ad salutem.* IV. *Conferre eg. adultis solis gratias.*

FRATERCVLI siue FRATRICELLI *sub annum* 1303. orti nocturnas canebant laudes; his finitis per tenebras promiscua Venus exercebatur: fœtus ita conceptus iactabatur per manus; in cuius manibus extinguebatur, is Pontifex Max. censebatur. Alium exurebant, cineres in vino propinabant

bant neophytis. Papa Bonifacius VIII per Æmiliam & Liguriam inquisitos proscripsit, etiam exhumatos combussit. *Anno* 1327. Ioannes XXII. eos excommunicat; & *anno* 1321. hisce iunctos quosdam religiosos, ab excommunicato Imp. inuitatos, vt docerent *contra opulentiam Papæ & Ecclesiasticorum: non sic Christum, Petrum, Apostolos dites egisse: Imperatorem ex vi electionis accipere ius in imperium; nihil habere à Papa.*

Ea in cacozylia GVILIELMVS OCKAM Anglus, diffamat Papam, vt hæreticum & schismaticum, nec Censuras eius metuendas: confugiensque ad Imperatorem ait: *Tu me tuere gladio; Ego Te verbis ac scriptis contra Papam tuebor.* Factus igitur patronus est Paupertatem ostentantium; tunc Ioan. XXII. sanciuit, *Quid de Vsu consumtibilium dominio sentiendum*; idq; *anno* 1322.

DVLCINVS & vxor Margreta, in Lombardia hæresin Veneris promiscuæ vulgant *anno* 1307. In eos Papa mittit Inquisitores, & Crucem prædicari iubet, datis indulgentijs: Ferro tamen nequibant exscindi omnes, Tridentinis montibus clausi.

LOLHARDVS *an.* 1307. multa cum multis vulgabat infanda; per Inquisitores in Cremsensi Ducatu combustus: Ortus ab Dulcino finxit, *Missam, Baptismum, extremã vnctionẽ nil prodesse: Luciferum cum suis cœlo restituendũ: Angelos vero damnandos. Deiparam post partum non permansisse Virginem: Corpus Christi in Eucharistia esse Deum fictitium: Matrimonium esse iuratum meretricium: Deum nec scire, nec punire peccata mundi.* Promiscuæ Veneri vacabant: Festa negabant, & ieiunia, sanctarũq; merita, ac preces: ac mori, quam ab his conuerti, malebant. Autor extitit Beguardorum: Coloniæ flammis traditus perijt, Germaniamque reliquit taminatam.

ARMENI, iam diu schismatici, in tales hæreses deerrarunt. I. *Spreto Papa, suo Catholico parebant.* II. *Protoplastas in innocentia perstitisse, & absque matrimonio.* III. *Sacramenta non conferre gratiam.* IV. *Non esse verum baptisma in Romana Ecclesia; ideoque rebaptizabant.* V. *Cum baptismo dandam Eucharistiam.* VI. *Sine Chrismate baptismum esse nullum.* VII. *Peccatum originale non contrahi, nec eo eluendo dari baptismum.* VIII. *Beatos ante extr. iudicium esse nullos; nec eos visuros essentiam Dei, sed Claritatem.* IX. *Mendacem esse Deum, quod Cain à nemine occidendum dixerit; & seipse trucidarit.* X. *Spiritum sanctũ procedere à Patre solo.* XI. *Eucharistiam in fermentato faciendã.* XII. *In ea non esse verum corpus & sanguinẽ, & nil prodesse.* XIII. *Calicem consecrationis non miscendum aqua.* XIV. *Pœnas inferni esse temporarias; Christumq; damnatos omnes eduxisse.* XV. *Matrimonium non esse Sacramentum.* XVI. *Infidelium paruulos non baptizatos cum parentibus dari in orcum: Fidelium, in paradisum.* XVII. *Omnes ante Christum damnatos periisse.* XVIII. *Homines fuisse impeccabiles, si tentatio abfuisset, & huic, non libero arbitrio, adscribendum peccatum.* XIX. *Peccata quædam esse irremissibilia.* XX. *Non esse Purgatorium.* XXI. *Omnes in sexu virili resurrecturos.* XXII. *Pascha cum agno Iudaice celebrabant, &c.*

B. Bartholomæus Paruus Dominicanus,

canus, à Papa missus in Armeniam, eos plerosq; conuertit, obiitq; *an.* 1318.

MARSILIVS PATAVINVS & IOANN. IANDVNVS inualescunt, dum Ludouicus Bauarus contra Ioannem XXII. pro Imperio dimicat. Asserebant, I. *Christum, Papam Ecclesiasticos Imperatori subiectos esse.* II. *Ab Imperatore Papam institut, destituiq; posse.* III. *Papæ in illum ius esse nullum.* IV. *Nullam toti Ecclesiæ esse vim coactiuam in peccantes.* V. *B. Petrum non plus accepisse cæteris.* VI. *Parem esse Iurisdictionem cunctis Ecclesiasticis.* VII. *Papæ nullum esse dominiū in temporalibus.* VIII. *Potestatem Imperatoriam à Deo solo immediate esse.* IX. *Papam & Ecclesiasticos ab Imperatore potestatem accipere.* X. *Censuras in Ludouicum latas esse vanas.* XI. *Abdicatum imperio à Papa manere Imperatorem.* XII. *Ioannem XXII. esse hæreticum, quod Fratricellos excommunicasset.*

FLAGELLANTES orti in Italia *anno* 1340. ab Presbyteri pellice, congregarunt sese ad decem millia nudipedes, pannosi, eleemosynis largi. Pellex & Sacerdos comburuntur.

Anno 1349. Ex Vngaria se effundunt in Germaniam latevagi, cruce signati à tergo & fronte; bis in die semel noctu se diflagellabant: qui 33. dies continuasset, putabatur omnia scelera eluisse, non admittebant egenos, iniuriarum memores, nusquam bis prandebant: iunxere se ijs in Flandria Lollardi, Beguardi, &c. & sceleratissimi quique flentes, cantantes, misericordia vociferantes. Dogmatizabant, I. *Flagellis, non Confessione peccata piari.* II. *Ita se martyrizari: Aquæ benedictæ nil inesse plus quam non benedictæ: Baptismum aquæ expirasse, sanguinis incepisse: Christianum fieri suo effuso sanguine; secus saluari neminem: Euangelium iam cessasse: peierare licitum, &c.*

Papa concedit decimas omnium bonorum Ecclesiæ per Boëmiam & Lutzenburgensem terram Carolo IV. ijs extirpandis, *anno* 1351.

WICLEFVS Anglus, artium magister ac rhetor, plurium hæresium autor, dogmatizauit, I. *Impanationem, cum accidentibus in subiecto Eucharistia.* II. *Præsentiam Corporis Christi in hac negauit.* III. *In peccato existentem non conferre Sacramentum.* IV. *Christum non ordinasse Missam.* V. *Deum obedire diabolo.* VI. *Contrito nil opus confiteri.* VII. *Papa præscitus caret potestate à Deo.* VIII. *Post Vrbanum VI. cessasse Papas.* IX. *Ecclesiasticos habere possessiones, esse contra scripturam.* X. *Nullum excommunicandum, nisi à Deo excommunicatus sciatur.* XI. *Appellatio Clerici ad regem est iusta.* XII. *Ob excommunicationem non prædicans, est proditor Christi.* XIII. *Prædicare licet absque Episcopi aut Papæ licentia.* XIV. *Existens in peccato mort. nullus est Episcopus, Princeps, &c.* XV. *Subditos posse corrigere suos Dominos peccantes.* XVI. *Decimas esse eleemosynas; negandas clero peccāti.* XVII. *Bona Ecclesiis licite tolli à Principibus.* XVIII. *Speciales orationes vni applicatas non plus valere, ac communes.* XIX. *Autores Ordinum peccarunt.* XX. *Ordines ingressi inhabiles sunt ad mandata Dei.* XXI. *Non sunt de Christiana religione.* XXII. *Debent labore manuum victitare, non mendicitate.* XXIII. *Dans eis eleemosynam est excommunicatus.*

Varia

Varia Fidei Romano Catholicæ Testimonia Sæculi XIV.

Anno M.CCC. Bonifacii VII. b. Adolphi *Regis Rom.* 9. Papa solenne Natalitiorum Domini Romæ celebrauit; idemq; per encyclicam orbi communicauit, hostibus Ecclesiæ excommunicatis: ac tantus orbis isthuc confluxus fuit Indulgentijs plenarijs consequendis, vt aliquandiu quot dieb. circiter ducenta millia aduenarum numerarentur. Fuitq; miraculi loco; quo plus hominum, eo & alimoniorum plus redundare. Neque paucos contigit ad Limina Apostolorum ab varijs consanatos languoribus, aut insessore cacodæmone, liberatos ad sua reuerti lætiores.

Clerico per quietem visa cum Puello Deipara dicere: *Omnibus miserans Dominus, indulsit Dominus:* percunctanti, Num & mihi; ipsa, *Viuis & mortuis:* instanti, Num & mihi? illa, *Omnibus, atq; tibi.*

Hermannus Pongilupus Ferrariensis hæreticus, quod duos hæreticos sepelisset, ac adorasset vt Diuos, Corpusq; Christi, Deum, & Ecclesiam blasphemasset; diu sepultus exhumatur ab Inquisitoribus Dominicanis, & exuritur.

Gulielma hæretica Mediolani se Presbyteram gerens nocturna sacra actitabat cum Venere promiscua, dicens: *Adunamini, lumine sopito, & quæ natura ordinauit, facite.* Mercator suam è lecto se surripere solitam secutus clam, cœtũ inijt, ipsam prehendens inijt, annulum detraxit: scelerisq; deprehendit. Quas notarat in conuiuium vocauit; maritis suggessit, vela potis detraherent, & ecce tonsura clericali rasas compererunt simul ac hæreseos. Vulgatum nefas Inquisitores oppresserunt, ac Papa Bonifacius.

Nuceriam incolæ Saraceni perturbant; quod his conuertendis duplex telonium Princeps imposuisset. Horum vni Christianus mutuam dedit pecuniam; demum neganti testẽ inuocat Crucifixum. Is statuæ dum saxum in faciem intorquet, quod capite annuisset; ecce illa sanguine manabat.

Ottomannvs obscurus apud Turcas dominatum auspicatur: nam ante 500. annos Asiam inuaserant; sed sub Tetrarchis egerunt hactenus, vno sub Rege nunquam, nisi sub Solymano, tempore Bullionij.

Papa in Concilio Romano indicit Clericis per orbem decumationẽ redditum in bellum sacrum, ad quod omnes inuitat Principes; Sed Philippus Rex Galliæ id retardare nititur.

Deiparæ natalis Domus Lauretana, quamuis ruinosa reparaturam respicit humanam. Crucifixi imago cum Ædicula translata, sæpius est in speciale exportata sacellum; sed diuinitus semper isthuc restituta. Ipsa Natali nocte per decennium ferè conspexit Eremita lumen cœlo demissum Ædi imminere; durauitq; annua ad vsq; tempora Pauli III. visa fuit etiam flamma anno 1577.

B. Angela Senensis mortua reuixit oratione fratris; ac voluntariâ pœnitentiâ pœnas expleuit purgatorij.

B. Agnes Politiana claruit mira vitæ sanctitate ac miraculis.

Anno M. CCCI. Bonifacius PP. ortã inter Episcopos & Religiosos controuersiam, An his liceret administrare Sacramenta; definiuit secundum Religiosos, *Licere: Quot, quantosq; Sanctos genuerint Ecclesiæ S. Ordines Religiosi; & ij quot, quantisq; miraculis complerint orbem vndique; memorare non est: Perinde nec, quot, quantaq; Regum ac Principum regna, dissidiaq; composuerint, & sub ecclesiasticis Censuris coercuerint Pontifices Romani.*

Anno M. CCCII. Alberto Austriaco Moguntinum & Palatinum debellante, Bingæ in Cœnobio S. Ruperti quidam pictæ Deiparæ cristallos è corona eruebat; continuoq; *imago sudore*; mox etiam *cruore & lacte* manabat, cum è pectore cristallum euulsisset; socio cum nequicquam increpante. Is dum puluere in foramen ingesto sistere fluorem nequisset, in Nahum præterfluentem amens incurrit, ac perijt. Albertus miraculo attonitus posuit ibidem Deiparæ sacellum; donis magnis datis in monasterij reparationem. Sacerdos, qui eodem die jsthic Diuinis fuerat operatus, linteo lac & sanguinem collegit; hodieq; asseruatur.

An. M. CCCIII. *Benedictus XI.* Papa ex Dominicano creatus, *matrem reliquerat pannosam*, lotione Dominicanorum sibi quærentem victum. Romanæ eam matronæ pretiosis indutam sistunt Papæ; at se nosse eam neganti, Abducta, suisq; reddita panniculis redit; Et vero, aiebat Papa, hæc est mater mea carissima: amplexataq; honorabat. Gratia facti valuit apud Principes, vt ei plurimas mitterent gratulatorias.

Rebus magnis ac multis pro Ecclesia gestis, Perusij toxicatas ficus comedens, obijt; cum sedisset menses octo, dies 17. Sanctitatem viri miracula post mortem prodiderunt; adeo multæ sunt consanationes factæ, & dæmonum ex obsessis expulsiones.

Anno M. CCCV. Inter dissidium Cardinalium in electione Papæ Philippus Rex Galliæ efficit, vt in Burdegalensem Episcopum consentirent, quem Clementem V. nominarunt: atque ea occasione *Sedem Rom. contigit in Gallias transferri*; vbi ad 70. annos seruiuit.

B Ioachimus Senensis Ord. Seruorum B. Mariæ epilepticũ patientiæ nequicquam admonens, orat Deum in se morbum transferat, & exorat. In Purificationis solennib. cereum tenens accensum, hoc in aêre hærente corruit: Alias ad mensam stratus mappam cum dapibus detraxit, nec tamen effusum, tractumve quicquam fuit. Exorauit Deum, morbo illi morbum adderet alium, scatere corpus ei vermibus cœpit: monitus & pro sua precaretur sanitate Deum, qui pluribus eam restituisset, noluit dicens: *Cum infirmor, tunc potens sum.* obijt in Paraseue dum caneretur: *& inclinato capite emisit spiritum.*

Ann. M. CCCVI. Parisijs ante Pascha datam in pignus vestem reddit fœminæ Iudæus; si *S. Hostiam*, in communione exceptam, ad sese adferret. Etsi ægrè, assentit illa, affert. Iudæus eam in bullientem injcit; sed mox in speciosissimum versam puellum super aquas stantem amens forcipe verberat diu, puello ictus declinante. Interueniunt liberi cum matre; hi in plateam excurrentes referunt vicinis; hi rem visam Episco-

piscopo: qui S. Hostiam cum processione defert in S. Ioannis. Recutitus pertinax dum educitur ad rogum, Talmudium poscit, quod illæsum à flammis sefore crederet: sed datus cum ipso vertitur in cinerem.

S. Nicolaus Tolentinus Ord. S. Augustini, iubetur per quietem ab apparente anima pro se, suiq; similibus sacrificare. Excusanti se, quod vt hebdomadarius summum Sacrum mutare sibi nō liceat; illa, vide, ait, quid quantis neges? viditq; innumeras ignis purgantis animas supplices sibi: quibus addicit. Priori suo indicat; qui alium ei substituit hebdomadarium. Octiduo euoluto, sacrisq; rite patratis defunctorū, rediens anima cum innumeris liberatis peramplas ei gratias egit. Idem plurimis ante, postq; mortem claruit miraculis causa nationum.

Similis in Ordin. Prædicatorum B. Ioan. Aurelianensis ex Episcopo Parisiensi Dominicanus. Item B. Ioanna Vrbeuetana, Dominicana, sanctitate inclita.

An. M. CCCVII. *Philippus Rex Galliæ accusauit Templarios* Pictauij apud Clementem V. ex indicio duorum sceleratorum Templariorum, facta eis spe veniæ. Dimissi tamen, mox repetitis flagitijs, dispereunt. Rex omnes totâ Galliâ, vnâ feriâ sextâ, extinxit: Magistrum eorum cum 59. equitibus Lutetiæ ad palos totidem viuos exussit, se innocuos vociferantes. Ab alijs Regibus ac Principibus idem fieri per literas expetijt. Rex Aragoniæ perfugos in arces munitas expugnauit. Papa demandauit executionem Moguntino Archiep. Synodum idcirco Moguntiæ celebranti: in quam Hugo Comes cum XX. fratribus ingressus, in signum innocentiæ viuos carbones ferebant in palijs vel vstulatis.

Albertus Rex Rom. occiditur ad Schaffhusam ab Ioanne fratruele.

Philippus Rex *petit à Papa coronam Imperij*, Electoresq; compelli ad electionē sui: At Cardinales omnia præuertunt apud Electores, qui Henricum Comitem Lutzelburgensem creant, coronantq; Coloniæ.

S. Petronij memoria & cultus renouatur, quod ex eius puteo bibentes, continuò à febri tunc grassante, sanarentur.

An. M. CCCVIII. Rursus instante Philippo, Papa omnibus edicit Episcopis, vt *in Templariorum scelera* inquirant, deferantq; ad Concilium Gen. Viennense. Erant ea talia: *Nouitij Deum blasphemare: Christum, Deiparam, Sanctos abnegare: Crucifixum conspuere, calcare; pseudoprophetam vocare, nec passum esse Redemptorem: Caput cincinnatum adorare, &c. iubebantur: In Missis verba Consecrationis omittebant: auersa Venere se permiscebant, &c.* Ergo per totam Europam misit Papa Cardinales Inquisitores; confirmauitque insuper Dominicanis officium Inquisitionis.

Regnum quòque *Boëmiæ*, cæso Wenceslao regni dilapidatore, transfertur ad Germanos.

Vngaros ad Carolum in Regem suscipiendum, Papa compellit anathematis comminatione.

Henricus VII. Rex Roman. dictus, iam coronandus iurat fidem Romanæ Ecclesiæ.

S. Clara virgo sanctitate & miraculis inclita coruscat: Item *S. Augustinus Teranus* Augustinianus. *Ordinem Eremitarum S. Pauli* confirmat Clemens V.

An. M. CCCIX. Scotis præuia confessione & S. Synaxi munitis, Deiq; & Sanctorum inuocatione, victoria datur contra Anglos, desideratis ex his 50. millibus; ex ijs solum duobus equitibus.

D. Seberti, Angliæ Regis, 700. annis sepulti, brachium reperitur integrum & inconsumtum.

S. Elisabetha Aragonum Regis filia mirifica sanctitate coruscat.

An. M. CCCX. *S. Humilitas* ex matrimonio cœnobium iniit, cum mariti consensu, euasitq; miraculis & sanctitate inclita.

Item *S. Alexius Falconerius* ex 110. annis vitæ consumsit 77. in ordine seruorum Mariæ. Obijt, vt vixit, sanctè, imponente ei sertum odoratissimũ Christo Seruatore in specie puelli prius, quam animam redderet inter hæc verba: *Nunc dimitte seruum tuum Domine, &c.*

An. M. CCCXI. In Concilio Generali Viennensi *scelera immania Templariorum examinantur*, demonstrantur, damnantur, vindicantur ferro & flammis. Resipuerunt 62. fassi omnia. Quidam pauci eis patrocinantur, passosq; iniuriam censent: Sed Concilij, orbisq; consensus reclamat. Ingens opum vis fuit eis ad atheismum clauis.

Anno M. CCCXII. *Concilium Viennense* decernit, Ordinem Templariorum extirpandum: Et Bonifacium VIII. Papam contra accusationem Philippi Pulcri, Regis Galliæ, declarat innocentem: acta tamen eius in Regem, regnumq; Angliæ rescindit Clemens V. Papa.

Demandatâ Archiepiscopo Moguntino executione sententiæ in Templarios, Hugo Templarius cum vigintiarmatis ingressus isthic Capitulum, eam retardauit; ac impetrauit parci viris quidem; at ordinem extingui oportuit.

Henricvs VII. Imperator Romam petit inaugurandus: post cruentam in Vrbe seditionem Guelphos inter & Gibellinos, fidei edit professionem, ac *Iuramentum fidelitatis solenne* pro Ecclesiæ Romanæ defensione. Sed inunctus continuò posita simulatione se hostem Ecclesiæ declarat; Cardinales nec ad mensam adhibuit; omnia ferro flammisq; miscuit Italiâ totâ; Guelphos persequitur toto nisu; Papa eum nequicquam placare conante.

Ferdinandvs Rex Castellæ duos nobiles de cæde commissa suspectos, non conuictos testibus, dat rogo. Hi ducti se innocentes vociferantes citant Regem ad diem ab eo triceſimum in Dei iudicium. Et eo ipso repertus est in lecto repente mortuus. Vnde ei nomen est, *Ferdinandus in ius citatus.*

Raymundus Lullus multarum hæresium reus peragitur, ac damnatur à Papa.

Anno M. CCCXIII. Clemens V. Papa, quia *Festum Corporis Christi* nondum vniuersè celebrabatur, id solenne ac vniuersale esse debere sanciuit in Concilio Viennensi. Idem *rescindit sententiam* priuationis omnium Dominorum,

rum, & decollationis latam ac promulgatam ab Henrico Imp. in Robertum Regem Siciliæ.

Qualia subinde meis inspergo, duntaxat in exemplum, è multis rara documento, Papam esse supra omnem sæculi potestatem, atque Potentes quoscunque; quoad sæcularis Potestas aut prodest, aut obest Ecclesiæ Bono spiritali.

HENRICVS VII. ex Lucelburgensi Comite Imperator, in procinctu contra Robertum ex febri acuta, & dysenteria concessit in fata: pedes in præterfluente refrigerans, sensit sub genu pustulam antracem acutissimi doloris: accessit stranguria scissæ vesicæ, & pleuresis; quæ etiam attulere mortem. *Ab Fr. Bernardo, Confessario suo, venenum ei cum Sacra Hostia porrectum, calumnia est* malignantis in eum monachi. Liquet multis: 1. Medici corpore defuncti inspecto, apertoque nec vel indicium veneni fuisse testati sunt. 2. Clemens V. Papa ex iudicio & testimonio Principum absoluit Bernardum à suspicione. 3. Item Ioannes Rex Boëmiæ, filius Henrici; & nepos eius Carolus IV. Imperator. Balduinus Archiepiscopus Treuirens. aliique Episcopi, &c. dictis, & instrumentis datis sunt innocentiam testati. 4. Historicique præcipui aut negant, aut dubitant de veritate facti.

Illud: *Idcirco Prædicatores sinistra Sacram Hostiam sub Missa tenere & sumere*: Figmentum est: 1. Nam id moris tenuit S. Ordo inde ab initio. 2. Datumque est ei ab Papa; in monumentum triumphale ab Dominicanis Berengarianæ hæreseos: 3. Et subest mysterium: Quod in cœlis Beati habeant delectationes in dextera Dei meras, puras, perennes: at viatoribus satis est, degustare delectationes in sinistra Dei reconditas.

Papa Vicarium Imperij constituit Robertum Siciliæ Regem: & canonizat S. Cœlestinum Papam, multis inclitum miraculis.

In Hispania apud Guadalupenses *Statua B. Mariæ*, ante 600. annos à S. Gregorio data S. Leandro Episcopo Hispalensi; defossaq; ibi ab fugientibus Saracenos; demum sic est reperta. Boarius perditam vaccam per syluas quærens, reperit mortuam; iamq; dimidiatam ei pellem detraxerat, cum ecce reuiuiscit illa: territus conspicit illustrem Deiparam, iubentem vt Episcopus ibidem defossam requirat iconem: in signum veritatis, ait, heri tui filius iam mortuus, te reuelationem referente, vitam recipiet. Dictumque factum. Reperta multis & consanationibus, & suscitatis mortuis sit celeberrima; & factis ad eam peregrinationibus frequentata.

Clarent quoq; vitæ sanctitate insigni *S. Boson, & Petrus Fauerius Carthusiani.*

ANNO M. CCCXIV. Clemente V. mortuo dissidium inter Cardinales distulit electionem.

Itemque mortuo Henrico VII. Imp. Colonienſis & Palatinus Electores ad Imperiū suffragati sunt *Friderico Austriæ*; At Treuirensis, Moguntinus, Boëmus, Brandeburgicus & Saxo elegerunt *Ludouicum Bauarum:* continuoque simul diploma suæ electionis futuro Papæ conscripserunt; eò, quod *Sedi Apostolicæ ius esset peruetus in cognoscenda electione facta:*

factam: Eligendi vero ius in VII. viros contulit Eadem, testibus historicis & orthodoxis, & sectarijs plurimis.

B. Iacobus Venetus Dominicanus claret vitæ sanctitate ac miraculis: Itemq; *Albertus Brixienſis.*

Ann. M. CCCXIX. *Ludouicus* Rex Siciliæ, & Iacobus Balearici profitentur monasticen in Ordine S. Franciſci. Idem Ordo, Carthusianus, & Dominicanus complurium miraculis colluſtrauit Eccleſiam: Itemque ſequentibus annis.

An. M. CCCXXII. Beguardis latè ſpargentibus; *Chriſtum & Apoſtolos nullius rei dominium, ſeu in particulari, ſeu in communi habuiſſe:* Narbonæ Archiepiſcopus, & Inquiſitor Dominicanus vnũ prehenſum damnant hæreſios in pleno Concilio: Lector Minorita eum defenſans pronunciatur hæreticus, nî palinodiam caneret; ſed appellans ad Papam, interim nexus tenetur. Iuſſus Minoritarum Ordo ſuam promere ſententiam, affirmat idem cum Lectore ſuo F. Berengario. At Papa definit, *Vſum rerum à Dominio diſcernendum eſſe.* Gibellinos ea definitio feriebat, conantes exuere bonis Eccleſiaſticos. Quos idcirco reprobat, damnatq; Ioannes XXII. PP.

Idem tradit Carolo Regi Galliæ, *Clericos coniugatos vindicandos*, ceu laicos: Sancit, ne ſponſalia de futuro diſſoluantur, niſi per ingreſſum in religionẽ: Et ne ſacris initientur, qui ſunt in matrimonio rato, nondum conſummato. Secus facientes inhabilitat ad actum & Ordinis & Matrimonij, iubetq; profiteri Monaſticen.

S. Thomam Aquinatem canonizat; vt qui tot miracula patraſſet, quod articulos conſcripſiſſet; præter vitæ ſanctitatem: ceu Papa reſpondit depoſcenti miracula Epiſcopo?

An. M. CCCXXIII. Ioannes XXII. *excommunicat Ludouicum*, Imperialia omnia vſurpantem; oppugnantem Guelfos ſeu Pontificios, propugnantem Gibellinos. At Papam inſtigarunt Rex Gallus Siculus Imperij Vicarius, & Fridericus. Hic cum Ludouico præliatur, vincitur, captusque tenetur cum fratre Henrico: Leopoldus frater ſuas reducens in Sueuiam copias confugit ad Gallum.

Paupertinus Ockam, Ludouico ſtudens, in Papam inſurgit calumnioſius; & *Fraterculi* propugnant pertinacius hæreſim; *Chriſtum & Apoſtolos nihil habuiſſe proprium; ne dominium in Vſu rerum conſumptibilium:* Ob quam Maſſiliæ quatuor Minoritæ ſunt combuſti per Inquiſitores.

Regem Angliæ Edouardum, bona Templariorum cedentem Epiſcopis, coërcet Papa.

An. M. CCCXXIV. Excommunicatus Ludouicus appellat ad Concilium: nimium tunc ſentiebant quidã, Concilium eſſe ſupra Papam. Arguitq; Papam, diſſimulare ad hæreſin Fratricellorum, prodentium Confeſſiones: coniuti ad extinctionem Luminaris minoris, quod eſt Poteſtas Imperatoris, ipſa Electione confirmati; non pòſt confirmandi à Papa: ſicq; turbare totam Eccleſiam, &c. aliaque talia plura ab Fratricellis compoſita, & Beguardis: Quos condemnat Papa.

An. M. CCCXXV. Papa Carolum Galliæ

Galliæ ad Imperium euehere cogitat; & conuenta pacta Ludouici cum Friderico & Leopoldo, renunciantibus Imperio, &c. rescindit.

Condemnat, atque comburit Postillas Ioannis Strinckij Bituricensis Minoritæ, ex quibus depromebant 22. hæreses nouas ij, qui se de *Tertio Ordine S. Francisci* dictitabant, deq; *Sexto statu Ecclesiastico*, vt veros Euangelicæ paupertatis professores. Ijdem iactabant se SPIRITVALES, & plus cæteris fructificare inter Græcos, Saracenos, Tartaros; Idcirco Papa dicit anathema in prædicantes non Missos.

F. F. Prædicatoribus autem dictis *Societas peregrinantium inter Gentes*, dat Vicarium Generalem; ne latè sparsi inter infideles obeundo carerent Superiore certo: & vero mirificum animarum lucrum faciebant Ecclesiæ, innumeris inclyti passim miraculis.

S. Angelus, vt putatur, specie peregrinantis Compostellam, tradidit F. Petro de Aluma Dominicano, captam cũ *brachio sinistro & manu S. Ioannis Baptistæ*, & nusquam porro comparuit. Delatas Perpinnianum ad Conuentum Episcopus igne probauit incombustas reliquias esse veras, multis celebres insuper miraculis.

S. Elzearius Comes Ariani obit.

ANN. M. CCCXXVI. Crucigris, Papæ rebellibus, & Poloniam euastantibus, Lituanus captam *monialem* violaturus ab ea rogatur, prius in corpore suo disceret artem Inuulnerabilitatis. Ergo cerâ oleo permistâ collum inungens prębet ictui ceruicem; qua delectâ stuprum euasit.

Ex Iudæo pseudochristianus *pictã B. V. imaginem* pugione percutit; ijtq; cruor. Facinus innotuit; latuit autor. Deipara fabro apparens iubet duellum cum Iudæo; permittit magistratus; prostratus reus fatetur scelus: perit suspensus.

AN. M. CCCXXVII. Dum Ludouicus in Comitijs Trident. se obstringit ad asserendã Imperio Italiam, quo diademate potiretur, hæreses sub eo inualescunt: inprimis *Patauini & Ianduni*, qui Pontificiam Potestatem in Imperio imminuebant. Patet supra in Hæresiarchis.

Pseudo Episcopus Aretinus coronat Imperatorem Ludouicum Mediolani: simul petentem à Papa Romæ coronari. At iam eum cum Marsilio Paduano & Ianduno anathematizat. Reddit synopsin argumentorum Bzouius §. *VIII. pro Iurisdictione Ecclesiastica supra Politicam; non contra*; idq; contra Cunerium Parisiensem, Politicosq; hodiernos.

Aretinus ex febri periclitans, insontem Papam, reum Ludouicum pronunciat pœnitens, obitq; diem. Papa Vrbe arcet Ludouicum; indicit Electoribus diem eligendi alterius Imperatoris.

Franc. Asculanus diuinatoriæ Astrologiæ deditus de pluribus hæresibus conuincitur, comburitur.

S. Rochus Narbonensis obit sanctè.

AN. M. CCCXXVIII. Ludouicus Vrbem ingressus, inter cædes, & acclamationes, festiuè à suis excipitur; coronatur à duobus Episcopis; inq; Papam impune calumniæ iactantur, cum Ludouicus Depositionis sententiã in eum euulgaret, & Petrum Corbarium crearet

ret

ret Antipapam: qui & ipsum renunciat Imperatorem, & 7. Cardinales creat. Sed Romani expelluntvrbe Ludouicum; Columnio prius ei palam reclamante, ac Bullam excommunicationis in eum proclamante: Papâ vero per Monitorias excitante Christianos ad preces & supplicationes, tantis rerum perturbationibus auertendis.

Andronicus Imp. Orient. Thessalonicam adeptus, in ea visit sepulcrum S. Demetrij Martyris; oratq; opem, plæsi pedis incurabili vulnere; quod vt oleo, ex *reliquiis* exsudato, perunxit, momento conualuit, vt cicatrix appareret.

Obit diem *Matthias Archiep. Mog.* ex Benedictino factus, ægro rebantur medici efficere continentiam: venustissima ad eum virgo admittitur à camerarijs. Hanc Princeps territus humaniter dimittit; acerbè arguit & autores, & adiutores: ad illustre exemplum *clericalis Continentiæ*, quam præ vita seruare maluit.

Andronicus ex morbo iacebat pro depositoiamq; spiritum redditurus ait: *da aquam Mariæ*; ex gynicæo Imperatricis astans nobilis, ait, hodie Byzantio è fonte attulit mihi famulus. Eam vt sorbuit, reuixit, & *Gloria tibi DEVS*, dixit, simulq; reualuit. Sic Dauid, 2. *Reg.* 23. suspirabat aquam Bethlemitanam.

Ita *Fons ad Nicopolim Palæstinæ*, Christi contactu puelli sacer; est Saracenis, quin & brutis sæpe saluti, ac veneratioui; teste Sozomen. & Cedreno. Sic & *arbor Persica Hermopoli*, sub qua Dominus requieuisse fertur, vim medicam præstat. Item *Fons pueri IESV in AEgypto*, sanitatem multis, & balsamo fertilitatē confert: ad quem, Deiparæ monitu, Leo Thrax Imper. templum parthenicum posuit. Nicephorum librum de miraculis per eum factis compleuit, dictus vulgo *Fons aureus*: hodieq; extat, at sola diruti rudera templi.

An. M. CCCXXIX. Petrus Corbarius Ludouici Antipapa anathematizat Papam: mox captus resipiscit subditus Ioanni XXII. & recipitur in gratiam. Deseritur à multis Ludouicus; pertinaces rursum excommunicantur; eorumque principes in vindictam diuinam alij aliter dispereunt.

Papa recipit annuum censum à Regibus Corsicæ, Sardiniæ, Siciliæ, Aragoniæ, Angliæ, Scotiæ, Daciæ, &c.

Cracone in Wandalia Iudæi effracto templo *V. Sacramentum* abstulerunt, *S. Hostias* dispunxerunt, diffregerunt, dispersserunt per vias. Clerus sacrilegio comperto, vt & autorem comperirent, ieiunium precesque indicit: Episcopo suspecti fiunt Iudæi: ad quæstionem rapti produnt reos.

Ibidem Christiana ex Iudæa inuitata ab Iudæa domum, negabat. Cui illa: Adultera es; ideo desciuisti à Synagoga. Hæc, mentiris, ait: Vidi venditam ab Christiana *S. Hostiam* ab Iudæis compungi, ac cruentari: territaq; miraculo credidi. Venditrix à Iudice vocata fatetur; pernegant Iudæi vel in ipsa pyra, ac pereunt. Periclitantes Christiana & venditrix de vita, petunt moram, ieiunant, orant, perquirunt in synagoga; reperiunt vitro peploq; tectam ac cruentam S. Hostiam. Clerus honorificè acceptæ sacellum struit; quod cum vrbe deflagrauit anno 1503. ex fulmine.

In

In Gallijs ortam ab Dynastis querelam aduersus Clerum, *quod penè omnis Iurisdictio à Regijs tribunalibus ad Episcopos & Clerum sit delapsa*; Rex anno superiore decidit pro Clero; iterumq; & hoc anno: imitati Philippum & cæteri Principes perinde statuerunt pro Iure prisco Ecclesiarum.

Anno M. CCCXXX. Fridericus Imper. Austriacus extinguit aut veneno cuiusdam nobilissæ; aut ægritudine in carcere contracta: cuius Imperatrix non destitit ieiunijs, precibus, ac fletu instare apud Deum; donec in libertatem asseruisset Imperatorem.

Papa Ioannes offert Regi Boëmiæ conditiones, quibuscum permaneat in statu Imperator: scilicet Antipapam deponat: Ab appellatione ad Concilium decedat: Obiecta, factaq; in Papam reuocet: Agnoscat peccatum & anathema: Papæ se ad gratiam submittat. Boëmus huc se fore sequestrum spondet. Nicolaus Antipapa errorem suum detestatur, & deprecatur à Papa veniam; & absoluitur. At Michael Cæsenas, qui Generalis Minoritarum fuit, pertinax iteratò excommunicatur.

Controuersia in Oriente coorta, *de die Paschali*, deciditur, celebrandum Dominicâ post plenilunium, quod æquinoctium sequitur. At Imperator dissimulauit exequi definitionem, turbis cauendis.

Felicius *Gregorius XIII.* Papa restituit Calendarium. Cumq; ea super reformatione corrixarentur duo in sæua bruma sub nuce, alter rectã esse pernegans aiebat; tam id verum est, quam possibile nucem hanc hoc puncto iuglandes producere. Et ecce pene ipsa in voce tres nuces in arbore natæ arguunt hominem pertinaciæ. Eæ nuces hodieq; asseruantur inter Vaticana cymelia.

Anno M. CCCXXXI. Ioannes XXII. sensit vt doctor; *Animas à corpore separatas visione diuinæ essentiæ nõ frui, vsque ad extremum iudicij diem*: Idemq; Minoritæ tenebant disputando, non asserendo definitè. At FF. Prædicatores contradicebant; vt suum in hos odium Ludouicus verteret in fauorem, dicens: *Dominicanus Ordo est Veritatis, quam intrepide ac liberè contra errones, quantumuis potentes, aduerso pectore tuetur.* Mentitur Caluinus, Papam docuisse, Animas esse mortales ad vsq; diem resurrectionis: Neque ei se Cardinales opposuisse.

An. M. CCCXXXII. Controuersia cum Græcis schismaticis versatur Ecclesiæ reconciliandis; de Cœlibatu cleri, de Processione Spiritus sancti.

Venetijs coorta sæua tempestate senex cymbarius despondet per vndas transportare tres viros inclytos id poscentes; qui se nautamq; ipsi transmittunt, ostenduntq; nauim dæmonum plenam se in altum demergentium; vnde tanta extitit tempestas, vt Venias ea subuertendas triumviri dicerent, nî ipsorum ope seruatæ essent. Petenti naulum dat primus annulum, iubetque eo indice dicere senatui, *Tutelares suos S. Marcum, Nicolaum, & Georgium* vrbem seruasse. Dictoque hoc disparuerunt. Ille paruit mandato, retulitq; iussa. Senatus Populusque Ven. solennes circa templa gratias ritè peregerunt.

Censum annuum pendent Papæ regna complura.

ANNO M.CCCXXXIII. *Carthusianus* vitâ perfunctus tantis claret miraculis, vt longè ad eum fierent ægrorum confluxus: vnde & in summis festiuitatib. summa erat Carthusiæ inquietudo. Ergo Prior mandat Fratri, in virtute S. Obedientiæ, quam viuus sanctè coluerat, vt eandem nunc quoque obseruet; ac desistat edere miracula; monasticæ gratiâ quietis. Dictoq; paruit Sanctus.

ANNO M.CCCXXXIV. Obit Ioannes XXII. Papa Iuris vtriusque iuxta peritissimus & obseruantissimus propugnator.

B. Bergomius multis illustrans miraculis Ecclesiam Ordinemque Prædicatorum.

AN. M.CCCXXXV. Benedictus XII. Papa studet recõciliando Ludouico; & anathematizat *Fratricellorum hæreses* quinque & quinquaginta; quæ adhuc Cardinalis refutarat.

AN. M.CCCXXXVI. Ludouicus ad æqua omnia se offert Papæ, ac submittit; nihil dum tamẽ decernenti; purganti autem Ioannem XXII. ab hæresis calumnia de visione animarum; quam ei irrogabant Fratricelli.

S. Elisabetha Regina Lusitaniæ, obit miraculis illustris.

AN. M. CCCXXXVII. Papa Regem Boëmiæ excommunicat, inuasorẽm bonorum Ecclesiasticorum: Et Ludouicum iusta offerentem neque dum exaudit.

Idem attentauit, instinctu quorundã Dominicanorum, mitigare paupertatem, ac disciplinæ originariæ seueritatem Ordinis Prædicatorum. Sed fortiter ei precibus ad DEVM, ac ipsum; & rationibus est restitum.

In bello ciuili Mediolanensi visus, equo insidens. S. Ambrosius, flagello percutere rebelles; vt ex his ceciderint bis mille viri. Dies victoriæ annua celebrari festiuitate instituitur.

AN. M. CCCXXXVIII. Germanis Antistitib. pro Ludouico in gratiam recipiendo Papa lætus obaudit, studetq; ei reconciliando, missâ Roberto fratri eius *Rosâ aureâ*. At Ludouicus sæuius in eum insurgit, creato in Germania Antipapa nouo. Benedictus XII. igitur renouat contra eum Sententias Ioannis XXII. Ipse autem in clericos, Papæ obsequentes, mouet persecutionem; Dominicanos aliquos passim vrbib⁹ eijcit, Francofurti, Worm. Spiræ, per Wittenbergensem Comitatum.

S. Hostia ab Iudæis Pulkæ ad Patauium compuncta, cruoreque manans ab conterritis eijcitur in plateas: ab Christianis religiosè leuatur; consultus Papa decernit; qui sese non conuerterint, in eos magistratus statuat.

Totâ Germaniâ *Iudæi* in necẽ Christianorum cõspirant, dum Principes intestino bello digladiantur. Interim illi innumeros penè venenis tollunt, plures *S. Hostias* sacrilegè contemerant: Luunt vndiq; vinculis, & flammis.

Acriter inter Doctores, & Ludouicianos agitatur quæstio: *An Imperium sit immediatè à DEO; & non à Papa*: Dantes Poeta Florentinus finxit; *quod à solo DEO*. Eius succentor Guilelm. Okam Ludouico eam opinionem instillauit: confirmauit multis Ludouicus in Decreto contra Processus Ioannis XXII.

Plures-

Pluresque eam secuti sunt; Nauarrus etiam, Pius II. Cusanus Cardinalis, &c. Vide apud Heruardum in anno 1338. §. 47. 50. 51. 52. 62. Lupoldus verò Bambergensis Episcopus argumenta ad Decretum euulgandum potissima congessit.

Papa excommunicat Petrum Trinacriæ Regem, quòd Siciliam inuasisset: arguitque Eduardum Angliæ Regem, quod titulum Vicarij Imperij accepisset à Ludouico.

Anno M.CCCXXXIX. Pluribus retro sæculis actũ sæpius est cum Græcis pro vnione Orientalis Ecclesiæ cum Romana: idemque & hoc anno tentatum, datis vltrò vtrinque conditionibus his, & acceptis: vt Orientales Papæ Romani in Sacris meminissent: Appellationes Romam factas non impedirent: Roman. Ecclesiam caput agnoscerent. Inde disputatum est *de Processione Sancti Spiritus*, & Michaël Imper. acerbè habuit Græciam multis eam oneribus premendo, vt compellerentur ad vnionem redire.

An. M.CCCXL. Flagellantivm hæresis ortũ capit in Italia, ab pellice Sacerdotis, qui eam docuit idola colere, libidinari, & hypocriticè scelera occulere. Ambo damnati pereũt flammis. Ad decem millia flagellantium vagabantur per Italiam, eleemosynis largi, nudipedes, ac pannosi.

Duo Dominicani in Orientalem missi Indiam à Papa, clari miraculis, vixerũt: Apud Batauos autem sanctitate emicuit *S. Gertrudis* virgo, Christi stigmatis insignita, sanguine manantibus vixit, cœlosq; petiuit.

An. M.CCCXLI Hæresiarchę Petri Ioannis sectarij reuiuiscunt in Boëmia fingentes, I. *Babyloniam meretricem esse Romanam Ecclesiam, esse carnalem, & synagogam sathanæ.* II. *Papam esse Antichristum.* III. *Animam rationalem non esse formam corporis humani.* IV. *Apostolos prædicasse Euangelium iuxta sensum Literalem, nõ Spiritalem: Clerum dirè execrabantur.* Et talia in plateis è scamnis proclamabãt. Illis F. Ioannes Suenckfeldius, Inquisitor Apostolicus, obsistens Pragæ ab conductis in eum sicarijs trucidatur exclamans: Pro fide lætus occidor: in signum cappa hæc nigra nunquam à tineis corrumpetur. Neque factum secus.

Didymotychi in Græcia suspectans vxorem nobilis de adulterio iussit ferro candente tacto se purgaret. Sibi conscia delicti occulti confitetur Episcopo: Hic absolutam iubet securè ignitum ferrum ter circa vmbonem ferre. Fert illæsa: depositumque in cathedram isthic ligneam vrendo penetrat, vt decideret. Eam *purgationem vulgarem* sacri Canones prohibuerunt postea, ob rationes D. Thomæ 2. 2. quæst. 95. a. 8. ad tertium.

S. Iuo Iureconsultus, pauperum Aduocatus, Britto natione, cœlos promeruit, adscriptus Diuis.

Anno M. CCCXLII. Clemens VI. Papa *Annum Iubilæum* reduxit à centesimo ad Quinquagesimum diuino admonitu. Nam visus sibi per quietem videre Senem cum binis clauibus iubentem: *Aperi ostium, & mitte ignem, quo calefiat ac illuminetur totus mundus.* Postridie celebrans Missam de Domina orat, vt, si

esset diuina monitio, eadem sibi iteraretur. Et iterata est: relataq; Collegio Cardinalium. Idem excommunicat Archiepisc. Moguntinum, cæterosque Ludouico inhærentes.

Genuenses, ope ac *patrocinio S. Barnabæ*, miraculosam auferunt victoriam à Mauritano tyranno. Gratias agunt Deo solemni supplicatione, in qua Dux Boccanegrius facem V. Sacramento prætulit.

Vratislauia tota hauritur flammis, in pœnam cæsi Inquisitoris, & pulsi Episcopi Nankeri. Visus est Angelus candentes carbones in vrbem supernè dispergere.

An. M. CCCXLIII *Episcopus Lincolnienſis* syluam colonis eripuit, & sæpè clausit in viuarium damarum. Mortuus apparens in ea habitu venatorio iubet suis Canonicis dici, vt restituant ablatum saltum; ideoque se istic iustè puniri.

Nobilis Iuuenis in partibus Borealibus vidit in segete virum rufum exerere caput, & altum excrescere; simul ac repto freno equum intra segetem trahere. Vidit hic *formosam Dominam* quasi fisso capiti cerebrum extraheret ipsi. Sic dimissus furere cæpit: ab rustica ei catenato seruitur toto quinquennio, inuisibiliter ei præsente rufo illo. Demum ad S. Ioannem de Beuerlaco diuinitus restituitur; iterum visâ Dominâ sibi reddere cerebrum. Ducens puellam rusticam fit ex ea pater XV. filiorum; & hac defuncta Sacerdos: Dumq; *S. Hostiam* eleuaret, rufus ille ait: iam; quam me, habes meliorem tuo custodem.

An. M. CCCXLIV. Clemens VI. excommunicato Ludouicò cum assectis, Treuirensi & Colonienſi diœcesibus dat licentiam vesci toto anno *lacticiniis, ouis, butyro*; Non Moguntinæ; quod huius Archiepiscopus adhæreret Ludouico. Illis vero; quod multos misissent contra Turcas, ita postulante Papa, danteq; indulgentias.

Humbertus Viennensis Delphinus illiberis Philippum Galliarum instituit successorem; confirmatq; Papa ea conditione, vt senior natu successor agnominaretur *Delphinus*. Ex hoc Humbertus profitetur Monasticen in Ordine Prædicatorum.

Edouardus Rex Angliæ elapsam fortè cruralem fasciam Reginæ leuans à proceribus cum risu audit, fore vt propediem tali cingulo summus haberetur honos. Rex ergo instituit *Ordinem Garterorum*, id est, fascigerorum; optauit militibus equestrib. patronum *S. Georgium*, annuumq; diem statuit ab Diuinis patrandis solennem. In eum summi quique Principes nomina dederunt.

In Anglia quinquennis puella molendinariæ assistens rotæ in aquam prolabitur. Eiulante genitrice circumstantes opem inuocant S. Albani Martyris; Ecce, extracta mortua continuò reuiuiscit.

An. M. CCCXLV. Ludouico & Ludouicianis excommunicatis *mandat Papa Electoribus*, vt in conditis Comitijs *alium eligant Imperatorem*, quam Papa dein confirmare posset.

Diuersorum Ordinum religiosi diem clauserunt vltimum hoc anno, qui vitæ sanctitatem à miraculis habuerunt illustriorem: vt *Sanc.ia* Regina Clarissa, *B.*

Pere-

Peregrinus Seruita Foroliuiensis: *B. Gerardus* Minorita; *B. Alogothus* Minorita; *B. Iacobus Gerius* Camaldulensis: *B. Gerichinus* Cistertiensis.

An. M. CCCXLVI. Papa in locum abdicati Archiep. Moguntini Henrici Virnbergij substituit Gerlacum Nassouium: effecit *Carolum IV.* filium Ioannis Regis Boëmiæ, Marchionem Morauiæ eligi; Sedi Apostolicæ omnia promittenti, quę rebelles quidam Imperatores infregerant: sicque Electionem confirmat.

Angli Cresciacensi victoria contra Philippum Galliæ insolentiores, in direptione Taruannæ etiam templum despoliare instituerant: prius tamen vni *coronam Deiparæ*, in edito stantis pegmate, deiecturo arcus rumpitur, dissiliensq; plures lædit circumstantes. Id in pœnam accipientes à templo abstiterunt: & religiosa dein *cum supplicatione* dona obtulerunt Deiparæ placandæ.

Interim Germania scinditur, pars Ludouico, Carolo pars adhærens: Italiam illo inuasuro, hoc propugnaturo, dictoque der Pfaffen Keyser.

Apud Cracouiam è templo quidam suffurati ferculum cum *S. Hostia*, rati esse aureum deprehenderunt cupreum & inauratum: ergo abiecto in cænosam paludem fugiunt. At viso dein radiare locum multa luce, repertum V. Sacramentum Episcopus cum Clero retulerunt, vnde fuerat ablatum. Rex Casimirus dein augustum ibi templum Corpori Christi posuit.

Beatus Venturinus Bergamas Dominicanus magnis multisq; inclytus miraculis vixit.

Anno M. CCCXLVII. *S. Iuonem* canonizat Papa, vitæ approbans historiam, quam hic reddit Bzouius.

Ludouicus ex præbiti à Maultaschia veneni suspicione obijt quasi subitaneâ; cumque antea coram cruce in templo solenniter caneretur *Media vita, &c.* & *Deus laudem meam ne tac.* tunc derepente çantatum vbique est *Te Deum laudamus*, etiam coram Carolo IV. summisq; proceribus Imperij. Papa lætus offert excommunicatis omnibus absolutionem hac conditione, vt iurarent: 1. *Se credere, quod non spectet ad Imperatorem, Deponere Papam, aliumq; creare: & oppositum esse hæreticum.* 2. *Nulli deinceps vt Imperatori, se velle obedire, nisi prius foret per Ecclesiam approbatus.* Atque protinus Carolus IV. præstitit iuramentum fidelitatis Ecclesiæ Romanæ eiusque priuilegia confirmat.

Henricus Exepiscopus Mogunt. ausus fuit Ludouico successorem Edouardum Angliæ nominare; hoc renuente Fridericum Misnensem Marchionem: & hoc tergiuersante Guntherũ Schuartzenburgensem, quem & coronauit fauentibus Palatino, Brandeburgico, & Bauaris. Ideo citatus est ad Papam, vt responderet de articulis fidei.

Semestri ante Ludouicum obierat Wilh. Occam hæreticus tam pestilens libris editis; vt, cum à nonnullis defensaretur, Ioannes Papa cogitarit de extinguendo Ordine, nî S. Francisci merita obstitissent.

An. M. CCCXLVIII. *Immanis, & incognita pestis orbe toto* peruagatur, sic vt vix sepeliendis extinctis homines sufficerent, vrbes ac vici exhaurirentur,

desertaque starent omnia: pueri iubilando plerique decedebant. Iudæi aquas infecisse credebantur; vulgo cædebantur sine numero, & impunè; vt nec Principes essent plebi resistendo. In sola Bauaria 12000. mactata produntur. Papa datis indulgentijs orbem ad preces inuitabat, fundendas ad certos in die pulsus campanarum.

Inter hæc *Guntherus Schuartzenburgicus* ducens contra Carolum, obsidet Francofurtum; quo ibi mortuo exercitus transit ad Carolum, cæterique rebelles ei reconciliantur; mox Aquisgrani coronatur.

Brenno Episcop. Osnaburgensis ingruentẽ tota ditione *vim glirium* auertit per stipem ordinariè dandam egenis. Gotfridus Episcopus eam abrogat; redeuntq; glires obscœni, cũctis infesti.

S. Bernardus Senensis, autor *Ordinis Montis Oliueti*, miraculis celebris, concedit in fata. Itemq; *B. Syluester* Camaldulensis: *B. Bartholomæus* Senen. Seruita B. Mariæ: *B. Israël* frater S. Brigidæ: omnes miraculis clari.

An. M. CCCL. Clemens VI. celebrat *primum Quinquagesimarium Iubilæum*, excommunicatione lata in futuros impedimento peregrinis Romipetis: per horum liberalitatem ditata plebs Rom. insolentior tumultuatur imperij impatiens.

Lancea, qua Christi latus apertum, est Romæ, missa Innocentio VIII. à Baiazete, vt captiuum fratrem dimitteret: exceptaque fuit solenni cum Processione. Parisijs quæ est, quæq; alia Pragæ; eæ sunt vel ex aliquo clauorũ Christi factæ, aut ex rasura: nam Romanę deest cuspis.

S. Bertrandus Patriarcha Aquileiensis pro defensione iurium ecclesiasticorum occiditur, claretq; miraculis.

Obit *S. Matthias* S. Brigittæ præceptor in Suecia. Monitus ab eo miles vt ex vita meliore speraret bene, contemptor obit: inq; sepulcro clamans *væ, væ, ardeo*, aperto sepulcro non repetitur.

Anno M. CCCLI. Sæuiente epidimia noctu fit vox ad cocum Dominicanum Lubecæ: para cibum pro 36. è Conuentu abituris, & duobus aduenis. Miratus surgit, in hospitalem introspiciens domum tot cernit velatis millibus assidere. Ratus quod erat, redit ad stratum: vbi tot mortui fuerant, visum aperit.

Wirtenbergæ incendij accusatus, *ferro candente* probat innocentiam procul diu gestato absq; læsione. Abiectum strator platearum post circumactum annum forte tangit; vritur; fassus plectitur.

B. Elzearius canonizatur, vitæ ipsius historiâ ritè contestatâ perillustri ab miraculis, &c.

An. M. CCCLII. *VVicleſiani* in Anglia germinant; damnantur in Concilio Constantiensi. Item ex his *Lamperiani*. In Aragonia extiterunt fingentes, *Christi sanguinem in Passione effusum, non esse adorandum latreusi; quod non sit coniunctus Diuinitati.* Conuincuntur ab Inquisitore Apostolico Dominicano.

Ann. M. CCCLIV. Innocentius VI. Instituit annuum festum Lanceæ Dominicæ & Clauorum, per Germaniam ac Boemiam, datis indulgentijs certis: Carolo IV. sic Imperium auspicatius reddere studente.

Mino-

Minoritæ Auinione duo, plures alubi exusti; quod dogmatizarent *de Proprio, & Paupertate Christi & Apostolorum, contra definitionem Ioannis XXII.* vt iniquam: vt qui non potuerit reuocare Constitutionem Nicolai III. *Exijt, qui seminat, &c.* Et quod Papa non possit quacunque de causa delere Ordinem Minoritarum.

Anno M. CCCLV. Papa Carolo IV. ferreâ Mediolani coronato, licentiam facit ineundi Romam; interim Senenses Legislatores ei necem moliuntur; quam euadens, init Vrbem, *iuramenta ante coronationem solennia renouat,* edito diplomate; & coronatur Imperator, monetq; Romanos seuerè ne porro tumultuentur in Papam.

Thaulerus Dominicanus Concionator tam mirificus, vt in concione eius de gaudijs cœlestibus plures dederit in ecstasin: spiritu prophetiæ pollebat: Wiclefi hæreses prædixit. Obijt hoc anno.

Carolvs Imp. iuuat Papam in restitutione bonorum Ecclesiæ Rom. In Papam vero *Petrarcha*, vt Gibellinus, fuit iniquior, accusatus ab eo magiæ: sed sese ritè purgante.

In Anglia spolijs *Statuæ Marianæ* velut ouans luit adhuc in templo, comminuto eius cerebro per crucis ex alto delapsæ fragmen. Bononiæ *Aleator* ob iacturam *blasphemans Deiparam*, membris oculoq; captus ruit, & occidit. Florentiæ tres menses *non pluerat*: vrbs ducit in supplicationem *Statuam Deiparæ* Prunetanam, impetratque pluuiam septiduanam.

An. M. CCCLVI. Carolvs IV. in Comiijs Nurimbergensibus, ex vrbe reuersus Bvllam Avream omnium Procerum consensu rogauit. Quæ apud Auentinum hæreticos malè habet, calumniantes, quasi Imperator Maiestatẽ Imperij prodiderit, Pontificio ac Sacerdotio eam subijciendo. At Monarchia ecclesiastica Corporis Politici quasi Anima semper extitit in omni lege, & Naturæ, & Gentium, & Mosaica, & Christiana: Carolusq; Episcopis se vsq; stipatum voluit, consilij magis & conscientiæ, quam magnificentiæ causa: Et Cleri locis pluribus institutor ac fundator esse studuit.

Ioannes Rex Galliæ econtra, Bonorum ecclesiasticorum inuasor, cladibus ac prælijs ab Anglo sæpius atteritur: ac Papæ admonitiones flocci pendit. In pœnam, captiuus Anglo factus, precibus Papæ eliberabatur.

Sanctionem edidit Carolus IV. *pro libertate Ecclesiastica, priscisq; priuilegiis:* quem Papa absoluit à solutione Denarij S. Petri in ditione Vratislauiensi.

Anno M. CCCLVII. Papæ feliciter cessit Bonorum Ecclesiasticorum recuperatio; vt quam fecerit auspicatam *canonizatione S. Leopoldi*, Marchionis Austriæ, ante 212. annos defuncti. *Ordo Iesuatorum* instituitur.

Anno M. CCCLIX. *Bertholdus Korbachius* Spiræ damnatur ad rogum, quod doceret: I. *Christum in Passione de salute sua dubitasse.* II. *B. Mariæ maledixisse in cruce ob nimium cruciatum.*

III. *Maledixisse terræ, sanguinem suum haurienti.* IV. *Posse hominem proficere ad tantam perfectionem, vt nec orare, nec ieiunare necesse habeat.* V. *Laicum illuminatum posse docendo sic proficere, vt et plus credendum, quam Sacræ Scripturæ, aut Doctoribus.*

VI. *Ho-*

VI. *Hominem in cibo communi deuotum posse tantam percipere gratiam, quantam in Eucharistia.*

Eystadij *Reliquiæ S. VValburgis* exsudant liquorem salubrem: Similiter *S. VVunibaldi* translatæ, in pago Heydenheim.

B. Euphemia Dominicana sanctitate, miraculisq; coruscat, ex Regum Poloniæ stirpe nata.

Anno M. CCCLX. Carolus instituit *Vniuersitatem Pragæ*; & Episcopum curat à Papa creari Archiepiscopum. At Viennensem Archiepiscopum mouet gradu, criminum conuictum, Papa.

Nato Carolo IV. *VVenceslaus* perminxit baptisterium: bimulus coronandus in aram deiecit aluum: *omen, Sacra olim profanaturum.*

An. M. CCCLXII. *S. Brigita Sueca* proprium instituit Ordinem, Regulâ ex ore Christi dictantis acceptâ. Multis & luxit miraculis, ac mirandè vixit; & à Bonifacio Nono inter Diuos relata colitur.

An. M. CCCLXIV. *Petrus Rex Castellæ* aduersus Henricum fratrem, Ducem exercitus Aragonici, eductâ classe, sed per tempestatem disiecta, seruatur in supremo vitæ periculo *per Votum.* Votiq; reus vicinum Deiparæ templum in solo adit indusio, resti collum implicitus.

Carolvs IV. Imp. iterum datâ *Bullâ Aureâ* confirmauit Ecclesiæ Rom. priuilegia vniuersa, Iuraq;, regna, & de S. Petri patrimonio amissa, recuperaturum sese eidem iurauit, ac defensurum: Consentientibus Bullæq; subscribentibus Principibus Imperij.

An. M. CCCLXV. *B. Henricus Soso Sueuus* Dominicanus & vitæ sanctitate, & miraculis clarus, clarior euadit patientiâ iniuriarum ac calumniarum, sic vt plerique fratres Prædicatores ab eo alienarentur. Obit hoc anno. Idemque *B. Albertus* Germanus Dominicanus; & *B. Berchtoldus* Niger Franciscanus.

An. M. CCCLXVI. *Sedem Pontificiam*, ex Vrbe in Galliam Auinionem translatam, retulit Romam Vrbanus V. suadente & applaudente Petrarcha, & Deo Franciscanum sic iubente.

Ann. M. CCCLXVII. Papa misit Palæologo Imper. Orient. Græco tres *Agnos Dei cereos benedictos* pro magno munere; eiusq; virtutes carmine simul ad eum dato expressit: Vt, Fulgura depellit, aconita fugat, & omne malignū; Frangit tentationes, Vndarum mortisq; pericula, & flammarum: In partu felicitat: Et ea ex Agni meritis Christi.

An. M. CCCLXIX. *Palæologus*, metuens Amurathem, demum Romam contendēs cum Græcis *fidem Rom. Ecclesiæ*, propalam profitetur, seq; subiectum vnit Ecclesiæ, ad quod hactenus omnes Papæ adlaborarant. Prius occurrit Papæ. Viterbij, equum freno ducit, ac descendenti stratoris officium præstat.

Bruxellis Archisynagogus coemit ab raptore XVI. *S. Hostias*: cum symnistis compungit. Cruore manantes territus dat Christianæ occultandas, emitque silentium ære magno. At ea attulit ad parochum omnes: Iudæi vero ignitis forcipibus discerpti pereunt.

Ciues Colonienses decreto nitebantur, Clerum adigere ad pendendam taxam de vinis ad Rhenum euectis, alijsque emen-

emendis, violantes *Immunitatem Ecclesiasticam.* Clerus renitens, Papa ciues interdicto subijciente, totus ex vrbe emigrat: Vrbs vero per annum ac dimidium sic viduata Sacris, abrogat decretum, repetitq; Clerum.

Anno M.CCCLXX. Papa Vrbanus V. restituit S. Thomæ corpus Ordini Prædicatorum, transfertq; ex Fossa noua Cistertiensium Neapolim: Regina Siciliæ id sibi clam moliente surripere. Idem magnificam edit Sanctionem de eiusdem Doctrina. Simul idem Papa mortuus canonizatur. Vixit, adq; cælites transijt *S. Catharina Senensis* vitæ sanctimoniâ, miraculisq; inclyta. Item *F. Elias Gallus* qui 86. annos in S. Magdalenæ antro exegit: ambo Ordinis Prædicatorum.

An. M. CCCLXXI. Lituani gẽtiles diripientes Monasterium Montis Calui in Polonia; inter prædas latè actas auehebant partem S. Crucis inclusam auro: ad fines Poloniæ equi hominesq; figuntur immobiles & concidunt mortui. Russus nobilis captiuus cum S. Cruce remittitur; progrediq; valent.

S. Brigida Romę per reuelationem iubetur dicere Papæ, referat Sedem Romam, Auinione relicta, Dux Vrsinus insinuat. Omittit Papa Greg. XI. Iterata reuelatione iubetur hanc scribere, & lectam Papæ chartam minutim discerpere; addito, nî parueri t, sic patrimonium S. Petri fore discerpendum. Negligente Papâ vrbes Italiæ desciscunt omnes, armis ante vrbis portas pictis & inscriptis Libertas.

Anno M. CCCLXXII. *Raymundi Lulli* errores circiter quingenti in Hispania resuscitati damnantur à Gregorio XI. De quo inter Hæresiarchas suprà. A multis inter Diuos colitur profanè.

Anno M. CCCLXXIII. *S. Andreas* Carmelita, Episcopus Fesidanus, multis inclytus miraculis & sanctitate coruscans vixit: Item *S. Brigitta* Sueciæ Regina: & ambo solenniter canonizantur.

An. M. CCCLXXIV. Papa Gregorius XI. datis Encyclicis insinuat Principibus orbis S. Sedem Apost. sese Romam Auinione restituturum: moxque graues per Italiam motus sunt consecuti, cum plurium ab Sede Apostolica vrbium defectione.

In Belgio *Alex. Spiering.* Consiliarius Burg. & Flandriæ Ducis, ab insonte plectendo citatur ad iudicium Dei die post octauo: eo ludens pilâ ait: hæc octaua est, quid mali accidit mihi? Ipsa in voce ex morbo cohorrescens extinguitur.

Maniaca passio, dicta *S. Ioannis chorea* in Belgio latè vulgatur, vix arctè vincula liquibant à saltatione cohiberi: fessi collapsique crepare medij putabantur, adeo in visceribus discruciabãtur: multi quoq; obsessi ab dæmone visebantur. Quidam recitato symbolo curabantur. Senas vastante peste inguinaria S. Catharina Senensis solo iussu multos persanauit.

An. M. CCCLXXV. *S. Antonius Pauonus* Inquisitor post Missam à XII. hæreticis occiditur, claret miraculis.

S. Catharina Senensis varia spiritu prophetico prædicens insignitur Stigmatis Christi crucifixi, cui adeo familiaris quasi vixit.

Anno M. CCCLXXVI. Carolvs IV. impetrat à Papa certis conditionibus, pro Ecclesia militantibus, vt liceat filium Wenceslaum eligi in Regē Roman. proq; electo concorditer, petit eum à Papa consecrari, ac quōdam coronari in Imperatorem: sed difficilem se præbens Papa tardauit, ob Bacchanalem Wenceslai vitam.

S. Catharina Senensis autor Papę fit Sedis Romam referendæ.

In *VVicleſum*, eiusq; sequaces per Angliam inquirit Papa, mandatque Oxoniensi Vniuersitati, vt resistat hæresibus.

Anno M. CCCLXXVIII. Vrbanus VI. vnanimiter electus, & coronatus, ab Cardinalibus insinuatur Principibus orbis, proq; legitimo agnoscitur. Quia autem declarat se non relaturum Sedem in Galliam, vitiaq; Cardinalium castigaturum; Galli Cardinales desciscunt, eliguntq; Gallum Clementem VII. Antipapam. At hoc cum schismaticis excommunicato, alios ille substituit Cardinales, turbas nequicquam mouentibus Spinello Comite, & Ioanna Siciliæ Regina.

B. Petrus Olai Cistertiensis in Ostrogothia in oratione stans secum constituit nolle scribere S. Brigittæ reuelationes, tum indignum se ratum, tum metuens illusionum Satanæ. Et ecce improuiso ei colapho impacto corruit mortui similis. In cellam inter manus deportatus è templo, sub noctis medium sibi redditus pœnam repulsæ inspirationis agnouit, se scriptioni addicens protinus restituitur sanitati, etiam capitis ablatis doloribus, quos à pueritia pertulerat. Itaque in famulitium S. Reginæ se dedit eius æmulus sanctitatis & obseruator, atque in plurimis cooperator existit, ac reuelationum fidelis conscriptor, Regulæq; Ordinis ab ea instituti. Carolvs IV. obit diem: Succedit Wenceslavs Rex Romanorum.

Anno M. CCCLXXIX. Aquilanus Episcopus Schismaticus in processione statuit circumferre statuam Antipapæ glorioſe; atignominioſe Vrbani icunculam asino impositam. Et ecce sub initium sudum cœlum protinus atrescit; conglobatiq; dæmones tonant, fulgurant, fulminant, imbreque effuso plures euertunt: sola Vrbani statua intacta perstat & sicca.

Otto Brunsuicensis Ioannæ Neapolitanæ maritus redit ex eo in gratiam Papæ.

Anno M. CCCLXXX. Apud Leodium Sacerdos sub *Eleuatione Sacræ Hostiæ* viso ædituum auertere vultum, ratus quod erat, peractis Diuinis eum exorcisat; dæmonque ex eo fatetur se iuuisse ad Antipapæ intrusionem. Quo multi Principes Galliæ permoti, sese schismate abdicarunt.

Anno M. CCCLXXXI. Bellum rusticum in Anglia sæuijt in sacrum Clerum; fructus id fuit Wiclefistarum. Ex his erat *Hugo Aubriottus* Burgundus; is Clero studiosisque Parisijs infestus, ab eis de immanibus flagitijs conuincitur; ac vincitur. Plebs effracto carcere eum consalutat Regem. Periisset; ni fugisset. Hinc hodieque hære-

hæretici ab eo quicunque dicuntur *Hugonotti* per Franciam.

S. Catharina Sueca, S. Brigittæ filia, sanctè obit multis coruſca miraculis: canonizatur anno 1392.

Anno M. CCCLXXXIII. *Imago Crucifixi* ab alcatore Moguntiæ vulnerata cruore manauit.

Ingentibus quoque miraculis clarescit *Imago Deiparæ*, in Polonia ad Claramontem.

S. Dominici Caluaria dum extracta Lypsanothecæ argenteæ includitur, patente sepulcro stella supra astitit semper lucidissima; plurimaq; facta sunt miracula.

Anno M. CCCLXXXV. Inter ingentia orbe pene toto dissidia ac prælia schismaticorum, *Viclef* paratus in S. Thomam Cantuarien. concionari, repentina paralysi dirè distortus moritur.

Persecutio in Iudæos, de fontibus toxicatis suspectos, cœpit Magdeburgi; indeque per Germaniam totam vulgabatur.

Anno M. CCCLXXXVI. Dux *Lituaniæ*, factus Rex Poloniæ simul & Christianus, illam huic coniungit: &

Anno M. CCCLXXXVII. Christo adiungit eandem iam conuersam.

Anno M. CCCLXXXIX. Vrbanvs VI. instituit *Iubilæum* 33. quoquo anno celebrari, in memoriam annorum vitalium Christi: simul Festum *Visitationis B. Mariæ* constituit annuum ac solenne; & moritur.

S. Edeldreda Regina & virgo magnis & multis illustrat miraculis Ecclesiam.

Anno M. CCCXC. Digladiantibus per Europam Schismaticis pro Antipapa contra Ecclesiam; dissidijsque intestinis Oriente distracto *Amurathes* regnum Turcarum amplificat ac roborat: *Baiazethes* vero *anno* 1391. inuocatus ab factiosis Orientis primus transfretat in solum Orient. Imperij, hodieque tenet: Wenceslao ignauiâ luxuriâq; colliquescente: at *Viris Sanctis* per diuersos Religionum Ordines Ecclesiam miraculis & sanctimonia vitæ illustrantibus.

Anno M. CCCXCVI. In Wiclefistas per Angliam exercita sunt iudicia. Cantuariensi Archiepiscopo iubente quendam, vt S. Eucharistiam adoraret: quo dicente: *Dignior est aranea honore*; ecce continuò grandis delapsa aranea, in os blasphemi se penetrans, eum enecabat.

Osualdus nobilis in Tirolensi Comitatu, poscebat sibi maiorem dari Hostiam Sacram: quam accipienti terra ad genua dum dehiscceret, aræ manum iniecit miser, qua adinstar ceræ cedente, impressis manus vestigijs, is pœnitens seruatus est.

Anno M. CCCXCIX. Iudæi Posnaniæ surreptas è Prędicatorum Ecclesia tres Sacras Hostias dispunxerunt, dum sanguine manarent. Re prodita, S. Hostias templo collocato honorat Rex Ladislaus; & Deus innumeris penè miraculis; quæ Bzouius ex MS. C. reddit prolixè.

ANNO M.CCCC. Germaniæ Proceres Electores, Consilio Papæ Bonifacij IX. exauctorato Wenceslao inerte acignauo, Robertum Bauariæ Ducem elegerunt: qui data fide pro defensione Ecclesiæ Romanæ, Romam accersitur turbis componendis.

Episcopus Kijouiensis ab Iuone ibidem Principe, magnam S. Crucis partem accepit dono, Cracouiam perlaturus. Verum vt Lublinum peruenit, equi figuntur immobiles: Cruce è curru deposita, cursu feruntur incito; illa reposita rursus immobiles figuntur. Ex quo cognoscit decreto Dei relinquendam ibidem: idq; in templo Prædicatorum. Episcopus sub concione particulam inde sibi dum præcidere conatur, ferrum in eiusdem manum retorquetur: supplicatur Christo crucifixo; resilitq; è vulnere ferrum, simul persanato. Exinde plurimis coruscauit miraculis, & magno procul accursu peregrinantium frequentatur vsq; in præsentem diem.

***

Et sic continuant duo Sæcla sequentia: De quo Est nec & Hæreticis iam Quæstio. FINIO. SALVE.

COPPEN-

COPPENSTEINII

PARALIPOMENA QVÆSTIONVM LVTHERO-CALVINISTICARVM,

Exrecensitis Sæculorum præfatarum

ACTIS.

LECTOR: Quia reddo apud Bellarm. testata; non ipse testata facio: idcirco testes citare supersedeo.

QVÆSTIO I.

Quæ in meis Luthero-Caluinisticis scholasticè pertractata, confirmantur historicè per superius enarrata?

PLERAQVE ferè potiora, quæ sunt Facti: Quæ autem Fidei, quæq; Iuris Romano-Catholica, velut Theorica; sunt, quam hisce in Historicis, plura in Luthero-Caluinisticis. Vtrisque tamen communia huc ista accenseo: exempli memoriæq; causâ.

EX THEOMACHIA. Quæst. I. &c. S. Scripturæ libri quot, qui sint Canonici? Quæst. V. &c. Traditiones quæ, quales, quatenus ortæ? De Christi Deitate, ac Humanitate. Quæst. LXXIII. &c. De Sanctorum beatitate, Cultu, Reliquijs, Imaginibus, Templis, Festis, Vsuque peregrinationum ac rerum benedictarum, ac Purgatorio, &c. manifeste omni retrò testatur Historia.

EX ECCLESIOMACHIA. Quæst. III. &c. De Regimine Ecclesiæ. Quæst. VIII. &c. de S. Pontifice: eiusdem vtraq; Potestate. Quæst. XXVI. &c. de Conciliorum Autore, Præside, Forma, Conditionibus, & authoritate. Quæst. XXXIII. De Ecclesiæ Veritate, Visibilitate, ac Notis. Quæst. XLI. De Clericorum à Laicis discrimine, Electione, Ordinatione, inter sese Differentia, eorum Cœlibatu, Temporalium vsufructu, & Exemptione. Quæst. LII. De

Monachorum institutio, Votis, Habitu, ac Tonsura, &c. Quæst. LXX. De Laici Magistratus institutio, Potestate, ac Officio. Quæ singula testis nostra etiam producit Historica Demonstratio.

Ex Mysteriomachia: Quæst. I. &c. De Sacramentorum Caussis, Numero, Effectu, Ministris, ac Vsu continuo, &c. tum Omnium, tum Singulorum septem, nec plurium, nec pauciorum. Qualia euidenter docet testis temporum ac gestorum historia.

Ex Charitomachia: Omnis Romano-Catholica doctrina de Gratia amissa, reparata, eiusque vsu ad Iustificationem ac glorificationem, inde ab origine nominis Christiani repetita, & hucusque sancte custodita, per S. Patrum Consensum luculentè demonstratur. Porro istis Luthero-Caluinisticis, ex hisce Historicis, pauca quædam Ecclesiastico-politica vt subijciam, Res, Vsus, Ratioq; postulare videntur.

QVÆSTIO II.

An S. Petrus Romæ sederit, obieritq; S. Pontifex ibidem?

Affirmatio docetur in Luthero-Caluinisticis meis *part. 2. q. 8.*

Obiicivnt Velinus, Caluinus, Illyricus multa historica, apud Bellarm. *lib. 2. c. 5. de Pontific.*

I. Autores, affirmantes Petrum venisse Romam, dissentiunt in tempore, quando venerit: Orosius ait, initio regni Claudij: S. Hieronymus, secundo anno Claudij: Fasciculus temporum 4. anno. Passionale 13. anno Claudij.

II. In Petri successoribus mira varietas: Nam Tert. & Hier. ponunt post eum Clementem: Optatus, Augustinus Linum, Clementem: Irenæus, Euseb. Epiph. Hiero, ponunt Linum, Cletum seu Anacletum, Clementem: Et ij ex Cleto & Anacleto faciunt vnum. Quæ discordia indicium est falsitatis.

Respon. Ad I. Sæpe constat de rei substantia; at non de circumstantia: *Ita* constat de Christi morte in cruce; at controuertitur de tempore: Nam Tertull. Lactantius, &c. volunt ætatis anno 30. Ignatius, Euseb. anno 33. Onuphrius, &c. anno 34. Irenæus vult annũ ferè 50. attigisse. De die ac mense mortis maior est diuersitas opinãtium. *Item*, de annis Regum Persarum, Samuelis, Saulis, &c. Orbis conditi; non tamen de regibus ac Re dubitatur. Ita Petrum Romæ fuisse, historia constat: quando, variat. 2. *Deinde:* Inter autores bonos non est discordia: Fasciculus, & Passionale sequuntur Marianum Scotum, sibi ipsi in hoc alubi contrarium; ideoque contemnuntur.

Ad II. Esto, discordetur quis successerit Petro; non tam dubitatur, quin aliquis successerit. *Sicut* Quis fuerit maritus Estheræ; fuisse tamen aliquem constat. 2. *Deinde:* Istud constat à Petro ante passionem suam designatum Clementem; ita *Tert. Hier. Ruff. Clemens l. 7. Const. c. 37. Anacletus epist. 1 &c.* at Clementem sublato Petro, sedere noluisse, dum viuerent Linus & Cletus, Petri adiutores. Vnde primus à Petro fuit Linus: Ita Epiphanius, Qui autem ponunt Clementem, ij loquuntur de Designatione Petri, non de Facto Lini; qui in certamine humilitatis à Clemente se vinci permisit. Lino successit Cletus; huic Anacletus: ita *Iren. Euseb. Epiphan. Hier.*

Hier. Canon Missæ, Ignatius; Ecclesia quoque singulis separata celebrat festa.

II. Obiectio eorundem: Petrus non potuit venire Romam ante 18. annos à passione Christi: nam eo facto est Concilium Hierosolymitanum, ait Hieron. cui aderat Petrus. Et Paulus post tres annos à conuersione venit in Iudæam videre Petrum, *Gal.* 1. & annis 14. post ijt ad Concilium Hierosol. *Galat.* 2. 2. *Deinde:* Petrus fuit 5. annis in Iudæa, 7. Antiochiæ, multis peragrauit Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bythiniam: interea fluxerint 18. anni. 3. Adhæc; Petrus 3. non 2. anno Claudij venisset Romam, si ante annum 18. isthuc appulisset. Quia 3. anno liberatus est è vinculis Ierosolymis, *Actor.* 12. Et Dominus mandarat, ne ante 12. annum Ierosolymis recederent, ait Eusebius ex Thrasea: qui 12. annus incidit in tertium Claudij. 4. *Demum:* Si Petrus sedisset 25. annis, obijsset sub Vespasiano: at hic mitissimus nullos affecit martyrio. Ergo vita Petri Romæ est fabula.

Respond. 1. Esto, non sederit 25. annis Romæ; Ergon' Romæ nunquam fuisset? Sequela hæc nulla est. Attamen sedit isthic 25. annis. Et primum annis 5. in Iudæa moratum Paulus conuenit anno 3. conuersionis suæ. Neque sunt iussi Apostoli omnes persistere Ierosolymis ipsos 12. annos; nam, *Act.* 8. 9. 10. Petrus anno 5. post Christi passionem obiuit Samariam, Liddam, Ioppen, Cæsaream ante, quam nexus fieret: dein abijt in Syriam, & consedit Antiochiæ: Ex hac obijt vicinas prouincias; ac rediens Ierosolymam vinculatur, *Actor.* 12. moxq; ereptus ijt Romam anno 2. Claudij, qui fuit duodecimus Christi passi. Annis Romæ 7. exactis pulsus redijt Ierosolymam, *Act.* 18. 9. anno Claudij, Christi passi 18. Hic verus annorum calculus est, periodusq; Petri. Falliturq; Onuphrius *in annot. in Platinam*, Petrum non sedisse Antiochiæ antequam iret Romam; sed postquam Româ venisset ad Concilium Ierosolymitanum. Nam hoc pugnat omni scriptorum antiquitati; pugnat traditioni de festo Cathedræ Antiochenæ, &c. Vide *Bellarm. l. 2. c. 5. de Pontif.*

III. Obiect. Paulus ad Romanos c. vlt. iubet multos salutari; siletq; Petri: Ergo Romæ non erat.

Respond. 1. Scripsit ad Ephesios, nec tamen salutauit Ioannem: nec Iacobum scribens ad Hebræos Ierosolymis. 2. Deinde: tunc Petrus redierat ex vrbe in Syriam.

IV. Obiect. Romæ Iudæi aiunt Paulo, Act. vlt. *Notum est nobis de secta hac, quia vbique ei contradicitur: rogamus autem audire, quæ sentis.* Ergo Petrus non fuerat ibi.

Respon. 1. Iam ante Paulus scripsit ad Romanos Christianos, quam eo veniret: at hoc conuerterat Petrus: & Claudio viuente reuerterant Romam plures è Iudæis antè pulsis iam Christianis. 2. Et nondum conuersi rogabant audire Paulum aduenam, quæ sentiret; non tamen negant, quod Petrum non audissent.

V. Obiect. Paulus scripsit ex vrbe ad Galatas, Ephesios, Colossenses, Philipp. Hebræos, Timot. 2. & Philemonem: nusquam tamen meminit Petri.

Respond. Negatiua argumentatio ab autoritate nil concludit. Ita nil meminit Matthæus circumcisionis, Marcus præsentationis, Lucas stellæ nouæ, Ioannes Natiuitatis ex Virgine: Ergone falsa dicentur? Absit.

Sat

Sat est, alios de iis meminisse. Ita & de Petro.

VI. OBIECT. Col. vlt. *Hi soli sunt Adiutores mei in Euangelio. 2. Tim. 4. Nemo mihi astitit; sed omnes me dereliquerunt.* Ergo Petrus aberat.

RESPON. Colos. loquitur de domesticis suis adiutoribus; non de Christianis cæteris. Vt 2. Tim. 4. *Lucas est mecum solus.* Dein, apud Cæsarem, qui iuuare eum posset, aderat illi nemo. Nec Petrus eum iuuare quibat, inuisus ipse Cæsari.

QVÆST. III.

Primatus Papæ qui historicè demonstretur?

PRimatum Petri esse ab Institutore Christo collatum; Et Petro ALIQVEM succedere, esse de Iure Diuino: Romanum vero Episcopum ei succedere, esse de fide, euidenterque è Scriptura deduci, licet expresse in ea scriptum non sit; docui *in Luthero-Caluinisticis, part. 2. q. 9. inq. Antichristo. parte 2.* Idemq; porro docet historia facti.

I. CONCILIA. Anno 325. Nicænum Can. VI. *Mos perduret in Ægypto, vel Lybia & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est.* Conc. Chalced. ait: *talis consuetudo est:* scilicet, Quia Rom. Episcopus ante Concilii definitionem, ita consueuit permittere Alexandrino regimen Ægypti, &c. Ita Concilium Generale II. Constantinopolitanum, epistola ad Damasum, anno 381. Vbi fatentur Orientales se fuisse, esseq; membra Rom. Ecclesiæ. Item Concil. Generale III. Ephesinum, anno 431. Vbi causam Ioannis Patriarchæ reseruant Cælestino *Vniuersalis Ecclesiæ Pontifici.* Sic & Chalcedonense anno 456. Item, Concilium Generale Constantinopolitanum in causa Anitrimi anno 553. Item Concil. Generale Constantinop. VII. sub annum 1199. Lugdunense Generale sub Gregorio X. &c.

II. EPISTOLÆ PONTIFICVM Rom. asserunt Primatum Romanum sub tribus sæculis primis; quæ Caluinus & Magdeburgenses vt pura adprobant. vt Clemens epist. 1. Anacletus 3. Euaristus ep. 1. Alexander ep. 1. Pius ep. 1. & 2. Anicetus 1. Victor. 1. Zephyrinus ep. 1. Calixtus ep. 2. Lucius 1. Marcellus 1. Eusebius ep. 3. Melchides 1. Marius ep. 1. In horum epistolas errores irrepsisse fingunt Sectarii. 2. Sic & Papæ ab anno 600. vsq; huc: Sed hoscce asserunt Sectarii fuisse Antichristos. 3. Sic & Papæ Sancti miraculisq; clari in Epistolis suis: Sed eos ambitiosos & arrogantiores fuisse calumniantur aduersarii.

III. S. PATRVM vniuersalis Consensus testatur eundem: Quibus Lutheri-Caluinistæ solum opponunt; sed sycophanticè, S. Cyprianum, Hieronymum, & Bernardum. At ex hisce ipsos refellit *Bellarm. cap. 16.*

IV. ORIGO & Antiquitas Primatus Romani euincit idem. Liquet in meis *Luthero-Caluinisticis, par. 2. q. 11.*

V. AVTORITAS PAPÆ, quam alios in Episcopos orbe toto, quouis sæculo exercuit, in eorum Institutione, Depositione, Restitutione, *Bellar. c. 18.* Item, in Legibus Condendis, Interpretandis,

tandis, Dispensandis, inque Censuris. Item in Vicarijs suis ac Legatis per orbem vniuersum cum Potestate mittendis, in summis quibusq; negotijs ac causis. Item in Appellationibus ex orbe toto nunquam non ritè factis ad Pontificem Romanum, & summum omnium in terris, vltimumq; Iudicem. Horum ac talium locupletissima testis est nostra Historica Romano-Catholicæ Fidei Demonstratio.

Obiciunt Luthero-Caluinistæ plusçula.

I. Concilium VI Generale Chalcedonense decreuit, cuiusque nationis Primatem esse omnium in eadem vltimum Iudicem.

II. Cyprianum omnes Romam Appellationes ex Africa sustulisse.

III. Damasus Papa fatetur, si Concilium prouinciale iudicaret, sibi non competere, vt iudicet.

IV. Concilium Mileuitanum statuit idem.

V. In causa Donatistarum, ait August. epist. 162. contra Cæcilianum iudicasse Papam, iussu Imperatoris; Dein & Arelatensem Episcopum iussu Imperatoris: tertio ab Imperatore ipso.

VI. Papæ Zozimus, Bonifacius, Cælestinus voluerunt Africanis ius Appellationis Romam probare ex Conc. Nycæno; in quo tres ij Canones reperti non sunt.

Respond. Ad I. Ægrè docebitur, eo tempore fuisse Primates nationum. 2. Nicolaus I. epist. ad Michaëlem Imp. docet alium nullum significari voce *Primas*, quam Romanum; penes quem erat, estque vltimum iudicium. 3. Demum Canon Chalcedonens. non agit de iure Appellationum; sed de primo iudicio Episcopi Constantinopolitani per Orientem; à quo tamen datur Appellatio Romam.

Ad II. S. Cyprianus ægre tulit manifeste conuictos appellare Romam; Non autem sustulit appellationes: quin dilaudat necessarias factu Romam.

Ad III. Ea epistola affingitur S. Damaso. Deinde: Non conuenit Papam iterum iudicare, si Concilium rectè iudicauit; sed iudicium confirmare potest.

Ad IV. Statuit de Presbyterorum, &c. appellationibus ab Ordinario, non de Episcoporum: quos Concil. Sardicense, pene idem cum illo, voluit posse Romam appellare. Id patet ex S. Augustin. epitt. 162. qui illi interfuit Concilio.

Ad V. Donatistæ causam eam detulerant ad Imperatorem: hic Papam iussit iudicare: & vero hic benè; illi malè, ait Augustinus. Papa vero permisit secum assidere ab Imperatore assignatos, vt satisfieret Donatistis. Et tamen post Papam iterum iudicare permisit Arelatensem, & Imperatores, ex indulgentia, non ex Iure: quo Donatistis ora obstruerentur.

Ad VI. Is Canon non est ab Africanis Episcopis repertus in Nycænis Canonibus: quia plures tales in eodem non referuntur ab Rufino, qui tamen à Conc. Sardicensi recitantur, vti statuti in Nycæno etsi non missi ab Nycæno ad Africanos. *Bell. l. 2. cap. 25.*

QVÆST. IV.

An Papa iudicio humano subiacuerit vnquam?

Non subiacere docuimus aliunde *in Luthero-Caluinista p. 2. q. 12.* Docent idem Concilia. Suessianum: *Prima Sedes à nemine iudicatur.* Romanum

anno 280. *Neque ab Augusto, neque ab Regibus, neque ab omni Clero, neque à populo iudicabitur Prima Sedes.* Dioscoro Episc. Alex. auso in Ephesina II. Synodo anno 449. iudicare Leonem I. tota Ecclesia exhorrescens hoc scelus, eum condemnauit, anno 451. dicens: *Aliorum hominum causas DEVS voluit per homines terminari: sed Sedis istius Præsulem suo, sine quæstione, reseruauit arbitrio.* Quia, ait Concilium Roman. sub Adriano II. anno 896. act. 7. Rom. *Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus; De eo verò quenquam iudicasse non legimus.* Quid, quod nec Clerici queant ab Imperatore, aut Regibus iudicari?

OBIICIVNT multa: In his & ista.

I. Christiani Imperatores sæpe iudicarunt ac deposuerunt Papas. Nam Constantius deportauit Liberium anno 355. Iustinianus anno 538. Syluerium: Theodoricus Rex Ioannem I. anno 526. carcere clausit. Otto I. Imperator deposuit anno 963. Ioannem XII. eique surrogauit Leonem VIII. Henricus III. deposuit Gregorium VI. & Clementem II. iussit ordinari, &c.

II. Papæ seipsos fatentur Imperatoribus subiectos. Vt Gregorius apud Gratianum *Can. si quis. 2. quæst. 2.* Hadrianus I. concessit Carolo Magno ius eligendi Papam, & ordinandi Sedem Apostolicam. *dist. 63. can. Hadrianus.* Item Leo VIII. Ottoni. *1. dist. 63. can. In Synodo.* Item Leo IV. petit iudices ab Ludouico Imp. seque pariturum promittit.

RESPON. AD I. Iure, an iniuria? Quali si manus caput à ceruice recidat. Nam 1. Liberium iniustè pulsum constat supra ann. 355. ex S. Athanasio. 2. De Syluerio an. 538. 3. De Ioanne I. anno 526. ex S. Gregorio. 4. Constantius & Theodoricus erant Ariani, Iustinianus fuit Eutychianista; qui pari iure Papas deposuerunt, quo ethnici occiderunt. 5. Ioannem XII. deterrimum pius Otto I. bono zelo deposuit; sed non secundum scientiam iuris Ecclesiastici, quam ignorabat, & qua vetabatur. Vide anno 963. 6. Henricus III. anno 1046. persuasit Gregorio sponte cederet, vt simoniacè Sedem ingressus: quo cedente electus est Clemens. Sic Otto Frising. l. 6. c. 32. Et ad Concilium inuitatus ab Imperatore cui præsideret ipse sui Iudex, compunctus veniam erratorum petijt, seq; abdicauit.

AD II. Gregorius prouocat ad iudicium Dei, adq; iuramentum, *ante Confessionem B. Petri mecum iustè decernet; quatenus ibi vnus ex nobis sententiam suscipiat suam.* Hadrianus, & Leo concesserunt Imperatori solum vt CONFIRMARET factam Electionem Papæ defensiuè: Ac temporalem principatum ordinaret ad quietem contra factiosos, ob crebra schismata, ob infestos Longobardos & Græcos; Quibus cessantibus causis duo ea priuilegia sunt reuocata. LEO IV. subiecit se Imperatoris iudicio Discretionis, non Coactionis: *2. q. 7. can. Non si incomp.*

QVÆST. V.

An Papæ iudicium in rebus Fidei fuerit aliquando falsum, sitq; Fallibile?

THeologica reddidimus *in Luthero. Caluinist. par. 2. q. 14. & 15.* Ecce nunc Historica.

I. Non posse falli in Fide, Christi infallibilis Vicarium in terris Papam, testati sunt Papæ sanctissimi; vt quibus inpri-

inprimis esse nota debuit suæ Sedis authoritas ac priuilegium. Vt S. Lucius I. Papa & Martyr epistol. 1. ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ, sub annum 256. S. Felix I. Epistola ad Benignum sub annum 273. S. Leo I. sermo. 3. de assumptione ad Pontificatum, sub annum 449. S. Agatho sub annum 683. epistola ad Constantinum Imperatorem, quæ in Synodo sexta act. 4. lecta est, & approbata. S. Nicolaus I. epistola ad Michaëlem Imperatorem sub annum 861. Leo IX. epistola ad Petrum Antiochenum sub annum 1053. Innocentius III. epistola ad Episcop. Arelatensem, sub annum 1206.

II. Huc eodem conspirat Consensus Sanctorum Patrum ac Scriptorum ex S. Scripturæ testimonijs, apud Bellarm. *lib. 4. c. 3.*

III. Duplex accedit Experientia. *Prior:* Omnes Sedes Patriarchales desciuerunt aliquando à fide, sic, vt hæretici in ijs sederint; exceptâ Romanâ solâ. Nam in *Constantinopolitana* sederunt Macedonius anno 342. Nestorius anno 429. Sergius, &c. In *Alexandrina* Gregorius, & Lucius Ariani. Dioscorus Eutychianus, Cyrus Monothelita, &c. In *Antiochena* Paulus Samosatenus, Petrus Gnaphæus Eutychianus, Macharius Monothelita, &c. In *Hierosolymitana* Ioannes Origenista, Eutychius, Irenæus, Hilarius Ariani, &c. In *Romana* hæresis nulla sumsit exordiū.

Altera Experientia: Papa solus sine Concilio plures hæreses damnauit, vt Pelagij, Priscilliani, Iouiniani, Vigilantij, &c. quos ob solius damnationem orbis totius pro hæreticis agnouit.

IV. Graues sese tulerunt occasiones transferendæ Sedis Româ; sed noluit eam ab Vrbe vnquam separari Deus; qui eam isthic figi iussit translatam Antiochiâ: vt asserit S. Marcellus Papa & Martyr *in epistola ad Antiochenos*; & S. Ambrosius *orat. de tradendis ecclesijs*, ait, Christum voluisse vt Romæ moreretur Petrus, dicentem fugienti *Venio Romam iterum crucifigi*, scilicet in Te, vt Sedem firmes morte. Similia & S. Leo serm. 1. de Natali Apostolorum.

Et hæc cum sint Narrata Pontificum historica; non autem Decreta, ideo non sunt de fide.

Obiicivnt Errores Pontificios Luthero Caluinistæ.

I. *Petrus* bis in fide erranit, Christum negando, *Matth. 26.* & cogendo Gentiles Iudaizare.

Dico: Cum negauit, nondum Papa fuit; factus enim est post resurrectionem Christi, *Ioann. vlt. Pasce oues meas.* Deinore, non corde negauit; perdiditque Confessionem fidei, non Fidem. Istud de gentilibus, error erat Conuersationis, non Prædicationis, vt ait Tertull. *l. de præscript.* Vnde Matth. 23. *Quæ dicunt*, in Cathedra docendo, *facite; quæ faciunt, nolite facere.*

II. *Linus* ridiculus est; *ne mulier, nisi capite linteis operto, templum ingrederetur.*

Dico: Ast addidit, *propter Angelos*, vt 1. Cor. 11.

III. *Anacletus* struxit & ornauit Memoriam S. Petri.

At dignus erat; cui & Constantinus extruxit basilicam, ac ditauit.

IV. *Telesphorus* Quadragesimam instituit, Missas cumulat, & ritus earum: Clericorum sanctitatem nimium effert supra plebeiam.

AT hæc centuriatoribus diſplicent, quia diſcrepant à regula Lutheri: qui idcirco hæreticus fuit.

V. *Victor* arguitur docuiſſe Chriſtum purum hominem.

AT principem huius hæreſios Theodotum Victor excommunicauit.

VI. *Zephyrinus* Montanizat agnoſcendo prophetias Montani, teſte Tertulliano.

AT Tertullianus fuit Montaniſta, iactans ſentire ſecum Papam: ſicut Artemon ſparſit ſtare ſecũ Victorem. Quod autem Montano reddiderit pacem; is error fuit circa perſonam, non fidem.

VII. *Vrbanus* inſtituit Confirmationem poſt Baptiſmum.

AT mentitur iniquitas ſibi: nam ante Vrbanum meminit Confirmationis Tertullianus.

VIII. *Pontianus* ſcripſit, Sacerdotes ore proprio conficere Corpus Domini, præbereque plebi, ac ſacrificari.

AT dicunt contra Scripturam, Patres, & omnem retro Antiquitatem.

IX. *Cornelius* docuit, in Calice ſolam aquam offerri: ideo Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. ad Cornelium multa diſſerit contra errorem eundem.

AT ea epiſtola eſt ad Cęcilium Africanum Epiſc. Et non dicit ita docuiſſe Cornelium.

X. *Marcellinus* ſacrificauit idolis.

AT nec docuit contra fidem, nec hæreticus fuit; ſed lapſus perſonæ ex metu, non Papæ: Lapſus actu externo, non interno: Et mox ſe ipſe abdicauit Papatu.

XI. *Liberius* fuit Arianus.

AT 1. vſque ad exilium ſuum fuit acerrimus Romano Catholicæ fidei propugnator: vt multi magni teſtantur: Itemq; & poſt exilium ſuum, nolens recipere Macedonianos, niſi eiurata hæreſi: Itemq; & poſt mortem habitus eſt in fide integer: etſi ſubſcripſit contra S. Athanaſium; Et, cum hæreticis communicauit; non tamen directe Fidem negauit. Quia perſecutores Athanaſij Mores prætexebant, non Fidem: Et ij ſeſe Catholicos fingebant. Arguitur tamen ab S. Hieronymo hæreſios interpretatiuè, non expreſsè.

XII *Felix II* fuit Arianus, & Arianis communicauit.

AT communicans nondum erat Papa: cumq; Papa eſſet, in perſecutione in Arianos martyrio conſummauit. Hiſtoria hæc eſt: 1. Liberio in exilium deportato, *anno* 355. Romanus Clerus iurauit, ſe eo viuo alium non admiſſuros. 2. Interim operâ Acacij & Arianorum Felix Romanus Diaconus ſufficitur; qui cum ijs ob hoc beneficium communicauit; ſed pſeudopapa, cum quo tunc nemo Romanorum communicabat. 3. Biennio poſt contigit lapſus Liberij: tunc Clerus Romanus abrogato Liberio Felicem agnouit, vt Catholicum, & ex tunc verum Papam: Qui etiam Conſtantium Imp. Vrſacium ac Valentem Arianos fortiter excommunicabat. 4. Idcirco in vrbem reuerſo Liberio Felix ab Arianis eiectus eſt, breuique poſt mortuus pro vera fide, vt Martyr, & atauus S. Gregorij; coliturque in Sanctis. 5. Tunc Liberius iterum ſe reconciliauit Clero vere Catholicus, rexitq; vſq; ad mortem.

XIII. *Leo*, Felicis ſucceſſor, fuit Arianus, objq; vt Arius.

AT Damaſus ſucceſſit Felici II. eſtq; is Leo

is Leo fictus: Forsan inde, quod Liberius vt Leo sæuierit.

XIV. *Siricius* Coniugium vocauit pollutionem, ait Caluinus.

At mentitur; nam loquitur Siricius de fornicatoribus, qui post pœnitentiam reuertuntur ad priorem fornicationem.

XV. *Innocentius I.* negauit velatam lapsam recipi ad pœnitentiam, nisi mortuo complice. 2. Arianorum baptismum esse ratum, scripsit; sed non conferre Spiritum Sanctum: quasi efficacia baptismi penderet à bonitate ministri. 3. Qui duxit viduam, eum fieri Sacerdotem non debere; quod est Iudaizare.

At scribit de ea non recipienda, quæ noluit resipiscere nisi mortuo complice. 2. Loquitur de hæreticis baptizatis per hæreticos, qui Sacramentum vere suscipiunt; non autem Rem Sacramenti, seu gratiam iustificantem. 3. Argumentatur à simili, aut à maiori: si in lege veteri tenebantur: magis in Noua tenebuntur, &c.

XVI. *Cælestinus* fuit Nestorianus, vt ait Laurent. Valla.

At mentitur apertè: nam Nestorianos damnauit, teste Prospero.

XVII. *Leo I.* docuit non peccare mulierem, si nubat alteri viro, putans priorem viuere, at nunquam rediturum. Sique primus reuersus eum nolit, posse alterum retinere.

At scripsit epist. 79. putans priorem mortuum, ducensq; alterum, non peccat: Putans non rediturum, ducensque alterum, verè peccat.

XVIII. *Gelasius* docuit Impanationem in Eucharistia: Et non posse absque sacrilegio vnam sumi partem synaxios absque altera: Aut igitur ille errauit: aut hodie errant Pontificij.

At liber de vita Gelasij est Gennadij ad Gelasium: Aut est Gelasij Cæsariensis. *Deinde:* In canone eo dist. 2. apud Gratianum loquitur de Sacrificante; non de laico Synaxin agente.

XIX. *Anastasius II.* sine Concilio Ecclesiæ communicauit cum Photino. 2. Voluit occultè reuocare Acacium, damnatum à Felice & Gelasio. 3. Approbauit baptismata & ordines collatos ab Acacio hær.

At Acacius obijt tempore Felicis, anno 488. à quo tertius erat Anastasius, qui anno 519. iussit eius nomen è Dyptichis eradi. *Dein*, licet Papæ sine Concilio statuere, & agere, & absoluere excommunicatum. De baptizatis, ordinatisq; per hæreticos dictum supra.

XX. *Vigilius* anathematizauit confitentes in Christo naturas duas.

At damnauit viuente Syluerio verò Papa, cum is nondum erat Papa verus, nec hæreticus animo, sed scripto factoque nefario. Nam Anthemio per S. Agapetum Papam deposito ab Episcopatu, Imperatrix orauit eum restitui: nolente Syluerio successore Agapeti, Vigilius addixit se restituturum eum, si ad Papatum promoueretur. Promouetur pulso per Belisarium Syluerio in exiliũ. Vnde vt Antipapa errauit Vigilius in facto ex cupiditate. Romæ Romanos metuens catholicè vixit, egit, docuit, sensit: & scripto ad Imperatricem se hæreticum simulauit. Mortuo Syluerio se contra Imperatricem obiecit pro fide, contraque Anthemium: quocirca & in exilio obijt sanctus.

XXI. *S. Gregorius I.* permisit Presbyteris conferre Confirmationem, quod Episcoporum est tantum, vt docet Durandus & Adrianus.

At ordinariè est id Episcoporum:

extraordinariè etiam inferiorum: Ac permisit hisce per absentiam Episcoporum.

XXII. *Bonifacius V.* docuit, Christum à solo peccato originali nos redemisse.

At non *à solo* ait, sed *principaliter* ab eo communi orbis peccato; nam non omnes habent actualia.

XXIII. *Honorius I.* fuit Monothelita, adprobans doctrinam Sergij hæresiarchæ, iussitque nõ dici debere, Christum duas habere voluntates, aut Operationes. 2. In Synodo VI. damnatur vt hæreticus, exustis eius epistolis, actibusq; cassatis. 3. Item in Synodo VII. 4. Item in VIII. 5. Item in epistola Agathonis ad Constantinum Imp. 6. In epistola Leonis II. 7. Item varij Scriptores Græci ac Latini idem de ipso testantur.

At nullus est in eius epistolis error: nam Rem confitetur, esse duas in Christo naturas & operationes; solum Nomina vetat nouata: Hocq; prudenter: Quia tunc nihil dum erat de ijs auditũ in Ecclesia, neq; definitum: metuensq; schisma grande nitebatur contendentes desuper conciliare; neq; vnam docuit solam, nisi humanam; neque duas contrarias; neq; duas conformes sibi negauit vnquam.

Ad II. Inter eos, qui in Synodo VI. damnantur, nomẽ Honorij est ab æmulis Romanæ Ecclesiæ insertum, teste Athanasio; pro more Græcorum, qui III. IV. V. & VII. Synodos similiter deprauarunt. Et S. Agatho scribit, nullum suorum Prædecessorum vnquã errasse: per quem fuisse Petrum locutum fatetur concilium VI. approbatq; epistolam Agathonis. Esto: Errarit in hoc Concilium VI. (quod tamen non do:) fuisset error facti, non fidei, &c.

Ad III. Synodus VII. secuta est sextam aut corruptam, aut lapsam.

Ad IV. Adrianus ait ab Orientalibus damnatum Honorium: at non ab Occidentalibus.

Ad V. Agatho nusquam eum damnauit.

Ad VI. Epistola Leonis est deprauata, vti & VI. Synodus.

Ad VII. Plures, & grauiores scriptores testantur pro Honorio.

XXIV. *S. Martinus I.* docuit Nouatianismũ, Non dandam esse veniam lapsis post ordinationem Presbyteris & Diaconis.

At vult grauiter lapsos deponi à gradu suo: resipiscentes donari veniâ; non tamen restitui ad ministeria.

XXV. *Gregorius III.* iussit reordinari, quos Romanus Papa non ordinasset. Item vxorem ad reddendum debitum morbo impedita, virum posse ducere aliam.

At vtrumq; mendacium. Nam iussit ordinari ordinatos ab non veris Episcopis. *Dein:* Gregorius loquitur de impotentia perpetua, aut naturali: Lutherani vero docent illud etiam de morbo temporali.

XXVI. *Nicolaus I.* docuit, Baptismum in solo nomine Christi collatum, & non cum expressa S. Trinitate, esse ratum: etiam contradicente Euangelio, Pontificumque Decretis.

At vt Doctor priuatam opinionem tradit, non definijt vt Papa. Nam ea S. Ambrosij etiam opinio falsa est; at non hæretica. Nec enim definitum est implicita, an explicita esse debeat trium Personarum nominatio.

XXVII. *Stephanus VI.* &

XXVIII. *Sergius III.* irritarunt Acta Formosi antecessoris, ordinatosque ab eo iusserunt reordinari: quasi Sacramenta penderent à bonitate

nitate ministrorum. Ideo *Ioannes IX.* irritauit acta Stephani VI. approbans acta Formosi. Postea iterum Sergius III. acta Ioannis irritauit, & adprobauit Formosi.

Dico: Stephanus VI. & Sergius errarunt, sed in quæstione facti, non iuris: & malo exemplo, non doctrina. Historia est talis. Formosus à Cardinalatu & Episcopatu depositus per Ioan. VIII. cessit Vrbe, iurans se nunquam ad eam aut Episcopatum rediturum. Mortuo Ioanne Martinus II. absoluit eum ab incauto iuramento, ac restituit in integrum: Nec diu post creatus Papa Formosus sedit annis quinque. Stephanus VI. succedens mortuo negat in Concilio, fuisse eum Papam legitimum, actaque eius irritat, ordinatos ab eo cogit reordinari. Papæ tres succedentes decernunt, Formosum fuisse verum Pontificem; irritantq; iudicium Stephani. Demum Sergius III. stetit pro Stephano. Qua in tragœdia quæstio erat; An Formosus fuerit Papa legitimus? Fuit, inquam: erraruntq; Stephanus & Sergius. Qui error erat facti personalis; non iuris, aut doctrinæ.

XXIX. *Ioannes XIII.* instituit baptizari campanas.

At solum benedictæ dedicantur cultui diuino, sicut templa, aræ, calices.

XXX. *Syluester II.* fuit necromanticus, & in templo crucis Ierosolymæ ab diabolo discerptus.

At eius sepulcrum hodieq; est in Laterano: & anno quinto post mortē Sergius IV. posuit ei epitaphium, vt Sancto: Et nemo Scriptorum fabulā attestatur; multi vero sanctitatem vitæ ipsius. Fuit Geometer insignis, & indoctissimo sæculo Mathematicus vulgo magus habebatur.

XXXI. *Gregorius VII.* fuit hominum deterrimus magus, hæreticus, &c. Benno Cardinalis testatur, 1. Quod per vim militarem inuaserit Papatum. 2. Henricum IV. insontem excommunicarit. 3. Berengerianus fuerit. 4. Simoniacus, magus, adulter, homicida.

At 1. Benno fuit eius iuratus hostis, Cardinalis Antipapæ; & solus talia prodit; cæteri Scriptores omnes contraria. Et Benno moriens iniuriam suam testatus est: & suam Papa innocentiam canonico iuramento purgauit. Vide Bellarm. *lib. 4. de Pontif. c. 13.*

XXXII. *Alexander III.* vetuit sub excommunicatione, Ne vllus rescindat testamenta coram tribus facta testibus.

At contrarium praxis tenet orbis Christiani. Talem tamē Canonem tulit, sed suis solum subditis in temporalibus. Sic Canonistę *in c. cum esses, de testam.* Aut is solum de legatis pijs est intelligendus.

XXXIII. *Cælestinus III.* docuit hanc hæresin: Si alter coniugum fiat hæreticus, licere alteri inire aliud matrimonium. Et contrarium decreuit Innocentius III. ac Tridentinum.

At neuter decreuit; solū suam quisq; sententiam edixit, vt Doctor. Qualia plura sunt in Decretalibus.

XXXIV. *Innocentius III.* docuit, Legem veterem nondum esse planè abrogatam.

At docet in Deuteronomio multa tradi, quæ *Figuratè* pertineant ad Nouum Testamentum. Quod liquet.

XXXV. *Nicolaus IV.* definit, Christum verbo & exemplo docuisse perfectam Paupertatem, in abdicatione & rerum, & dominij; idq; in communi, & particulari: ac talem esse meritoriam. *Ioannes XXII.* vero docet, hoc esse hæreticum.

At

AT 1. Ioannes dicit, in rebus vsu consumtibilibus non posse Vsum separari à Dominio: Nicolaus ait posse: vt, panis vsum habent religiosi ad vescendum; non dominium ad alienandum. 2. Nicolaus ait, Talem esse meritoriam: negat Ioannes; definit neuter. 3. Christum docuisse verbo & exemplo perfectam paupertatem aliquando; aliquando minus rigidam, asserit Nicolaus; negat Ioannes: Neque tamen pugnant. Quia Christus paupertatem in communi minus rigidam semper docuit, & tenuit: at rigidam in Particulari etiam quandoq; & tenuit, & docuit.

XXXVI. *Ioannes XXII.* docuit, Animas Beatorum non visuras Deum ante resurrectionem. Huc Melanch. & Caluinus accumulant mendacia.

AT in Ecclesia nondum erat id definitum, quando ita sensit: Dumq; definitionem molitur, moritur. Pridie mortis vero opinionem reuocauit: & declarauit, se nunquam statuisse secum Definire. Mendacia Caluini sunt: Gersonem perdere, quod Ioannes negarit immortalitatem animarum: Et nullum Cardinalium ei contradixisse: Et idcirco Regem Galliæ suis interdixisse communionem Ioannis: Eaque causa Papam abiurasse errorem.

XXXVII. *Ioannes XXIII.* negauit vitam futuram, & carnis resurrectionem.

AT is tunc inter tres Papas incertos fuit vnus, id est, non Papa. Deinde non potuit in Concilio conuinci, quod ita sentiret, aut docuisset.

XXXVIII. *Benedictus XIII.* in Concilio Constantiensi damnatus est hæresios.

AT & hic fuit vnus è tribus incertis, id est, non Papa.

XXXIX. *Eugenius IV.* in Concilio Basilienſi est Papatu deiectus ob hæresin.

AT idem Concilium Lausanæ continuatum declarauit eum insontem, prioraque acta cassauit, re melius comperta.

XL. *Innocentius VIII.* Nortuegis permisit, vt sine vino celebrarent.

AT 1. desuper non edidit decretum. 2. Permisit solum in altera specie consecrarent; quod in Nortuegia vinum protinus acescat. 3. Si errasset, facto, non dogmate errasset. 4. Non habuissent tunc vinum ad Missam; cum habeant nunc ad Cœnam? Atq; ista pleraque corraserunt Centuriatores Magdenburgenses.

QVÆST. VI.

An Papa habeat Iurisdictionem Temporalem directe Iure Diuino?

I. NON Orbis totius: Quia non Infidelium, qui iuste regna tenent, estq; parendum ijs. Dicitur tamen Monarcha orbis; sed spiritualis in Christianos.

II. Non Orbis Christiani: Quia id è Sacra Scriptura constare deberet, aut Traditione Apostolica: at neutrum. 2. *Deinde*, Christus non eripit mortalia, qui regna dat cælestia. 3. *Tum*, si Papa sit totius orbis; Episcopi forent singularum ciuitatum: at non hoc: Ergo nec illud. 4. *Demum*, ipsi Papæ fatentur sæpius idem, apud *Bellarm. l. 5. de Pont. c. 3.*

III. Non vllius loci. 1. Quia Christus in terris homo degens, noluit vllius loci directum habere dominium: At Christi Vicarius est Papa: Ergo. Nam Chri-

Christi, quà Dei, regnum est æternum; Ergo non temporale: Quà Hominis, *regnum meum non est de hoc mundo:* Ioan. 18. Non hæreditario: quia iam tum, Ierem. 22. *non erat de semine eius vir, qui sederet super solium Dauid*, cessante successione. 2. Non ex Electione; quia, hanc fugit, *Ioan. 6.* 3. Non Iure belli: nam solum cum diabolo bellans acquisiuit regnum spiritale in cordibus per fidem. 4 Non Donatione: nam *Regnum meum non est hinc*, vt cæterorum regum. Idcirco nunquam exercuit temporale Dominium, qui *venit ministrare:* Eiecit negotiantes templo vt Sacerdos, non vt Rex. Ergo regnum Christi fuit spirituale tantum, quod æternat solum soli DEO.

I. OBIICIVNT, Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

AT spiritalis sola, aiunt S. Patres.

II. OBIICIVNT Luc. 22. *Ecce duo gladii hic.*

AT vterque spiritalis, sed huius, vno; istius alio modo sit vsus.

III. OBIIC. Omnes lites, iuxta Spirituales & Temporales, ad Papam pertinent de iure. *Can. Quicunque & Can. Quacunque, 11. q. 1.*

AT Theodosius ita ex pietate, non ex debito, detulit Ecclesiæ; nec soli Papæ, sed omnibus Episcopis. Estque iam per alios Canones abrogatus 15 Canon.

IV. OBIIC. Vacante Imperio Papa succedit, donec alius sit electus. *cap. licet: De foro competenti, & Con. Viem.*

AT succedit solum in autoritate terminandi lites, quæ à solo Imperatore iudicari solent; quæque moram non ferunt: non in omnibus alijs. Idque quia causæ, quæ non queunt per sæculares definiri, deuoluuntur ad Spirituales Iudices. Atq; hæc Nos inter & Luthero-Caluinistas nil controuertuntur: solum Orthodoxi disputant.

QVÆST. VII.

An Papa habeat Iurisdictionem Temporalem indirectè Iure Diuino?

LVTHERANI pariterque CALVINIANI negant duo: I. Papam vt Papam, vllo iure habere vllam potestatem Temporalem: aut posse imperare sæculatibus Dynastis; minus priuare regnis, aut dominio.

II. Nec Papæ, nec Episcopis licuisse dominium temporale acceptare Dono, vel vsu: quod Ius Diuinum prohibeat vni vtrumque Gladium committi: adeo hæc vna sit notarum Antichristi. Ita *Magd. Cent. 1. l. 2. c. 4. & cent. 8. 9. 10. 11. c. 10. Caluinus Inst. 4. c. 11. §. 8. 9. &c. Petrus Martyr in Rom. 13. Brentius in Proleg. contra Soto, &c.*

III. POLITICI posteriores dant Religioni & Ecclesiæ, vt seruæ; primas vero Politiæ, vt Dominæ. Sic Machiauellistæ, &c.

AVTOR. Cum Politiæ finis sit Pax temporalis; Ecclesiarchiæ, salus æterna; istam huic subordinari, ac subseruire, velut Animæ corpus, Theologiæ Philosophiam, necesse est; siue coniunctæ, seu disiunctæ teneantur. Neque tamen Spiritalis iurisdictio se miscet Temporali, aut contrà; nisi quando inferior abierit à fine superioris, huicque derogarit: tunc superiorem iure suo, ac vi etiam, in subiectam vti politiam oportet.

I. Hinc Papæ, vt Papæ, ordinarium

ac proprium non est, *seculares Principes* ponere, aut deponere: extraordinariè tamen potest transferre, mutare, dare regna, &c. vt Supremus Princeps Spiritalis, ad Finem consequendum salutis.

II. Par est ratio *in Legibus* rogandis, aut abrogandis politicis. Vbi hæc regula obtinet: *Si Imperatoriæ & Pontificiæ leges inueniantur contrariæ, in re animas concernente; tunc Imperatoria abrogatur per Pontificiam: At contrariæ in re ciuili, animas non attinente; tunc seruanda est vtraque, hæc in foro Ecclesiastico, illa in ciuili.*

III. Par ratio constat *in iudiciis exercendis*; de politicis negotijs iudicat Politicus ordinariè; Ecclesiasticus incidenter; quatenus Finis spiritalis necessitas postulat. Ista sic docentur, I. Ratione. II. Exemplis.

I. RATIO. Potestas ciuilis subest spiritali, vt vnius Reipublicæ Christianæ partes, in ordine ad vnum finem vltimum: Ergo Spiritalis potest eatenus imperare Ciuili. 1. Quia lib. 1. Ethic. c. 1. *Ita Facultates* subordinantur, sicuti Finis: at Politiæ temporaria felicitas subordinatur æternæ: Ergo & Potestates pariter. 2. Quia Ecclesiastici & Laici vnam constituunt Ecclesiam, nō duas Respublicas. Vnde Roman. 11. *Omnes vnum Corpus sumus*: etsi, 1. Corinth 12. *in corpore plura sint membra*, sed connexione inuicem dependentia, in ordine ad Vnum Summum & Vltimum bonum. Sique huic aduersetur regendi modus politicus: hunc mutare Princeps tenetur; sin', cogetur pro iure Ecclesiæ, & felicitatis æternæ; etsi vel cum detrimento politiæ: vt caueatur damnum Ecclesiarchiæ.

II. RATIO. Perfecta Respublica debet esse sufficiens sibi in ordine ad suum Finem: Ergo & habere debet omnem Potestatem ist huc necessariam. At Ecclesiarchia est perfecta; Ergo habet, vt Superior, Potestatem in Inferiorem, fini suo consequendo. Hinc *Ecce duo gladij hic*, vna in manu Petri, Spiritalis & Sæcularis: & *Satis est*. Non respondit Dominus, *Nimis est*, ait S. Bernardus lib. 4. de Consid. Quem *eo in libro*, ait Caluinus, Inst. 4. c. 11. §. 10. *ita loqui, vt Veritas ipsa loqui videatur.*

III. RATIO. Christianis non licet Regem infidelem, aut hæreticum tolerare, si contra Finem vltimum, eos peruertere moliatur. At iudicare de hæresi aut infidelitate est Papæ proprium: Ergo & de Rege ipso seruando, aut mouendo. 2. Ideo, *Deuteronom.* 17. vetantur fideles eligere Regem, qui non sit de fratribus suis: Par autem est, Eligere infidelem, & Non deponere infidelem; si possit. 3. Hinc, 1 *Corinth.* 6. iussi fideles constituere iudicem causarum suarum fidelem; ne apud infidelem litigare cogerentur. 4. *Dein*, Cum Ius Diuinum, & humanum pugnant; fideles Diuinum sequi tenentur, vt est Ius Religionis: at humani iuris est hunc, aut illum habere Regem. Ergo. 5. Coniux fidelis liber est ab obligatione comparis infidelis conuerti nolentis, 1. *Corinth.* 7. Ita subditus fidelis ab infideli Rege.

IV. RATIO. Recipiuntur Reges ex infidelitate ad Fidem cum expresso, vel tacito pacto, vt se subijciant Ecclesiæ,

siæ, Fidemque tueantur: Ergo desciscentes possunt ab ea iudicari, ac deponi aduersantes Fidei.

V. RATIO. *Pasce oues:* id est, omnem habeto potestatem tuendi oues; scilicet, Lupos arcendi, Arietes coërcendi, Oues seruandi. At hæc potestas Papæ est.

EXEMPLA POTESTATIS ECCLESIASTICÆ in Politicam.

I. Ozias Rex, 2. *Paralipom.* 26. Sacerdotium vsurpans sibi, ab Pontifice est & vrbe, & regno motus, vti à Deo lepra percussus, cuius iudicium est Pontificis, *Leuitic.* 13.

II. Athalia tyranna, 2. *Paralipom.* 23. fouit cultum Baal: Pontifex eam interfici iussit: const tuitque Ioiada Regem.

III. Theodosium S. Ambrosius excommunicauit, exclusitque Ecclesiâ, ob cædem Thessalonicensem: præceptoque coëgit ferre Legem; ne lata sententia mortis, aut confiscationis intra XXX. dies executioni mandaretur.

IV. S. Gregorius I. ita scribit pro monasterio S. Medardi: *Si quis Regum, Iudicum, &c. Apostolicæ nostræ præceptionis Decreta violauerit, &c. honore suo priuetur.*

V. Gregorius II. Leonem Iconomachum multauit imperio Occidentali.

VI. Zacharias Francorum Chitdericum deposuit, deditque regnum Pipino; quod sub illo corrueret religio.

VII. Leo III. transtulit Imperium à Græcis ad Germanos; eò quod Occidentali Imperio nõ opitularentur. Atq; ex eo tempore solenne est, ab Imperatore præstari Papæ iuramentum fidelitatis; & à Papa confirmari Imperatorẽ; licet absolutè necessarium non sit.

INSTANT Sectarij dupliciter. I. Centuriatores negant iure translationem factam: aiuntque esse præcipuum ex miraculis Antichristi. II. Alij, vt Marsilius de Padua, aiunt, iure factũ; at Populum fuisse translationis autorem, non Papam.

DICO Ad I. Iure facta translatio est: 1. Quia id orbis vniuersus agnouit; nec vllus Regum tentauit vnquam præcedere Imperatorem. 2. Deus adprobauit eam multis victorijs, ac stabiliuit. 3. Imperatores Græci iure factam confessi sunt: & Irene Carolo Magno nupsisset; nî Eunichi impedissent. Eiusque successor Nicephorus Carolo per Legatos est gratulatus imperium; itemque Persa. Emanuel Imp. offerens Alexandro III. auxilium contra Fridericum petiit restitui Græcis Imperium Occidentis.

Ad II. Populus Rom. nunquam habuit potestatem creandi Imperatorem; nam Imperatores primi successerãt hæreditariò: alij ab exercitu acclamabantur: Neutrum erat Carolo. 2. Dein translato Byzantium imperio Romani amiserunt ius electionis, si quod habuissent. Atq; huc ruit omnis historicorum consensus.

VIII. Gregorius V. sanciuit electionem Imperatorũ fieri per Septemviros: nimirũ, quia Papa hisce, & Imperatore superior est. Ita Pelagius Aluarus Gre-

gorio pene coæuus, vt erret Onuphrius eam sanctionem Gregorio X. adscribens.

IX. Gregorius VII. deposuit Henricum VII. Imperatorem, aliumq; eligi iussit. Quin idem malleus rebellium Regum dici rectè potest.

Quæ contraria suppetunt exempla Politicæ potestatis in Papas, Episcopos, Clericosq; districtæ; illa professam ac damnatam tyrannidem posteritati relinquunt.

QVÆST. VIII.

An Papa Rom. Imperium transtulerit à Græcis ad Germanos?

NEgat Matthias Flaceus Illyricus: de quo infra.

Affirmant cæteri omnes, & orbis vniuersus. Demonstratq; perfecta Titulorum inductio, quibus regna adeuntur, ac tenentur: qui sex sunt: 1. *Ius belli.* 2. *Beneficium Dei.* 3. *Hæreditaria successio.* 4. *Electio populi.* 5. *Donatio Principis.* 6. *Decretum Papæ.* Atqui prioribus quinque modis non est facta Translatio. Ergo sexto tantum.

I. NON IVRE BELLI.

Quia Carolus Magnus nunquam gessit bellum contra Romanos; sed eis semper amicus fuit & socius: nec ipse Romanus erat. Quin Longobardos expugnauit, expulitq; Italiâ ab eis liberatâ, sibiq; redditâ deuotâ. Hoc autem, subiugare sibi prouinciam aliquam Romanam, non constituit Imperatorem Romanum: Nam & Hispania, Gallia, Anglia Romanæ fuerunt prouinciæ; neque tamen idcirco Reges eorum sunt facti Imperatores Romani. 2. Quia non acquisiuit Imperium ante Leonem Papam: nam nullo rescripto, vel seipse vocauit Imperatorem, aut quisquam Scriptorum: nec post Leonem acquisiuit eum titulū, vllo teste: Ergo ab Leone accepit, aut ab alio; at alium historiæ non produnt: Ergo recte numerant Imperij eius annum primum ab Coronatione Leonina.

INSTAT Illyricus, I. Iulius Cæsar per Germanorum cohortes initium habuit victoriæ suæ contra Cn. Pompeium; postquâ constitutum est Imperium; teste Floro.

II. Post Iulium, sub Arminio duce *Germani duas Aquilas, caso exercitu, Romanis abstulerunt, & adhuc retinent.* Ergo Iure Belli habent Imperium.

III. Deus transfert iure belli regna, non sacrificiorum: teste Daniele c. 2. 4. Nemrotho, Ninâ, &c.

DICO Ad I. Eæ cohortes tres erant Italorum, ait *Cæs. l. 3. belli ciuilis, & Appianus*: nullos enim Germanos tunc habuit. Et esto, habuerit; non ideo Germanis, sed Cæsari acquisitum est Imperium.

Ad II. Si Imperium Germanicum cœpit sub Iulio; Ergo non post eum ereptis duabus Aquilis. 2. Ereptæ sunt non bello iusto, sed rebellione Germanorum, vt prodit Oros. l. 6. seu scelere perfidiæ, vt ait Velleius, l. 2. nam improuiso sunt Germani adorti Romanos, nō acie aperta teste Floro l. 4. 3. Parthi, Afri, Persæ rapuerunt aquilas sæpius: Ergo & ijs deberetur Imperium.

Ad III. Itan' Deus transfert iure belli regna aliqua; Ergo ne omnia? at iure diuino, nullo belli, translatum est regnum

regnum Hebræorum à Iudicibus ad Reges, à Saule ad Dauidem, 1. *Reg.* 9. ab Ioram, 4. *Reg.* 9. & Iehu vnctione prophetica. Ab Roma Constantinopolim sine bello, sola voluntate Imperatoris: à Merouingis Francorum ad Carolingos autoritate Papæ, non vi gladij. 2. Nemroth, Ninus, Semiramis, Nabuchus, Cyrus, Alexander, Iulius, &c. non iustè inuaserunt regna aliena, etsi, Deo sic iustè permittente, ea vi raperent, *sola regni cupiditate; quod, quid aliud, quam grande latrocinium est?* ait S. Aug. 4. ciu. c. 6. Sic vero peccata vindicat Deus, vti turq; iniusta cupiditate spontanea iustè.

II. *NON BENEFICIO DIVINO immediatè.*

Nimirum sicut Iudæis dedit *in Sacris* Deus immediatè Aaronem, Christianis Petrum: ita *in Politicis* Moysen, Iosuen, Othoniclem, Gedeonem, Saulem, &c. At non sic immediatè datum Carolo Magno Imperium constat vniuersos inter Historicos, Papas, Imperatores, & orbem: nec proferri in contrarium potest quicquam.

INSTAT Illyricus solus: Deus solus dicit, *Mea sunt omnia: Ego transfero regna de gente in gentem*: Ergo non Papa. II. Per visionem iussit Deus regnum dari Carolo: ait *Vincen. in speculo l.* 24. *c.* 4. cum Copronymus egeret auxilio.

DICO Ad I. Deus dat solus regna; sed immediatè per alios; iam immediatè: quia *Non est potestas, nisi à DEO.* Proinde translatio à Græcis ad Germanos à Deo facta est; sed mediante Papa.

Ad II. Mentitur Illyricus: Per quietem monitus est, non vt daret ei regnũ; sed vt adiutorem assumeret belli. 2. Ea visio non meretur fidem ab authore in fabulosis multo. 3. Quid obstat, à Deo id esse indicatum Copronymo, (si vera esset visio) quod postea est factum à Papa? Sic enim & Nabuchus didicit regnum suum ad Persas, Medos, Græcos ac Romanos transiturum; nec tamen idcirco iussus fuit eis dare regnum.

III. *NON IVRE HAEREDITARIO.*

1. Quia constat Pipinum Caroli patrem, ex Magistro aulæ dictum esse factum q; Regem Francorum ab Papis & Zacharia, & Stephano: neque vnquam fuisse Imperatorem. 2. Post mortem Pipini Carolum à Papa Adriano creatum esse Patricium Romanum, qui est primus ab Imperatore.

INSTAT Illyricus: I. Odoacer Herulus, Theodoricus Gothus, Clodouæus Francus, fuerunt Germani, & Imperatores: Ergo eorum imperium hæreditario iure deuolutum est ad Carolum; nam Leo Bessicanus Græcus Imperator dedit Imperium Odoacri.

II. Odoacer est ab Romanis militibus electus in Monarcham, ex quorum Ducibus vnus erat.

III. Blondus ait, Romanos, Augustuli æmulos, vocarunt Odoacrem, crearuntque Imperatorem contra Augustulum, & summis honoribus affecerunt.

IV. *Augustulus Odoacri renunciauit Imperium, abiecitque purpuram, vt sibi vitam is largiretur.*

V. Secunda translatio Imperij facta est à Zenone, qui cum Senatus Imperialis consensu adoptauit sibi Theodoricum Gothum Germanum, eiq; Occid. Imperium est largitus dono. Vnde, Theodoricus Symmacho Papæ imperauit, & citatum iudicauit. Deinde, Regis & Imperatoris vocabula pro ijsdem promiscuè vsurpantur.

VI. Tertia communicatio Imperij Germa-

n's facta est ab Anastasio Imper. ex consensu Principum, Clodouæo Francorum Regi primo Christiano: atq; ab hoc ad Carolum peruenit, sine auctoritate Papæ.

Dico Ad I. Leone defuncto Rex Italiæ factus est Odoacris sub Zenone, teste Cassiodoro, Beda, &c. & Illyrico *Cent. 5 cap. vlt col. vlt.* Et Zeno nil tulit grauius quam iacturam Italiæ, tantum abest donatum Odoacri Imperium: ideoque misit Theodoricum Gothum cum exercitu, vt Tyrannum expelleret.

Ad II. Odoacer non habuit alios milites, nisi barbaros, Attilæ reliquias, qui eum consalutarunt Regem, deletis ad Ticinum Romanis.

Ad III. Blondus l. 2. Dec. 1. testatur post Augustulum à Romanis nullum creatum Imperatorem, sed exrinctum in eo Rom. Imperium Occidentis: Italiam in regnum versam.

Ad IV. At reclamant vni Illyrico omnes historici Italiæ; ac Germaniæ: apud *Bell. lib. 1. de Transl. Imp. c. 9.* Esto tamen: at Odoacer fuit Herulus. Carolus Magnus vero Francus; vnde eis nulla esse hæreditaria successio potuit, licet vtriq; fuerint Germani.

Ad V. Quæ cognata successio potuit esse inter Gothum, & Francum? 2. Theodorici successores Iustinianus expulit Italia, regnumq; Theodorici extinxit. 3. Nullus historicus prodidit, Theodoricum fuisse vnquam Imperatorem; nec ipsum se talem scripsisse. 4. Delatas ad eum querelas de Symmacho reiecit ad Synodum Episcoporum, quam voluit à Papa congregari. Demum tamen in Ioannem Papam exercuit tyrannidem, vt liquet suprà. 5. Ante Augusti tempora nomen regium fuit præ imperatorio: at post, constitutâ Monarchiâ, Imperatore nil augustius fuit.

Ad VI. Quos Illyricus pro se citat autores, iidem contrarium affirmant. Patriciatus est Clodouæo datus, seu Consulatus; cuius solum titulum tulit, non gessit officium: nec titulum vsurpauit quisquam posterorum. Deinde, Clodouæum inter & Carolum anni 300. circiter interceserunt: ecquæ igitur successio hæreditaria vel fingi poterit? Quo impudentius negatur, ad Carolum sine autoritate Papæ peruenisse Imperium.

IV. *NON ELECTIONE Populi Romani.*

Quia Carolus Magn. nihil accepit à Sen. P. Q. Romano ipso Illyrico teste.

Producit tamen autores sex, qui produnt, Sen. P. Q. R. autoritate eum accepisse Imperium: non Papæ; vt Sigeb. Blon. Leop. Æneam, Vincentium, Onuphrium.

At nos his 6. opponimus triginta antiquos nouis. Nam ex istis sex sunt, Sigebertus est 300. annis Carolo posterior, reliqui 500. aut 600. annis, aut septingentis, eoque amplius.

2. Neque ij sex ab cæteris ac vero sunt alieni. Nam *Sigebertus* ac *Vinc. Beluac.* nil tribuit Populo in translatione Imperij, præter acclamationem; sine Plebiscito, aut Senatusconsulto: placuit solum cunctis, quod vnus eorum S. Pontifex fecerat. Et hoc idem affirmat *Blondus*; qui errat in Plebiscito refutatus à cæteris. *Lupoldus* solum recitat verba Vincen-

Vincentij; & asserit factam à Leone tralationem; & negat esse apud Populum Romanum esse imperij, ex quo translatio facta est Constantinopolim; inde ad Germanos. *Æneas* in abbreu. Blondi libr. 1. Dec. 2. ait à Leone coronatum Carolum, ipseq; Papa fuit. Quo ad *Onuphrium*: cum vetustissimi historici in tralatione Imperij nullā fecerint mentionem Plebisciti, aut Sen. Cons. vnde Onuphrius post 800. annos fere didicit factam ex S. P. Q. R. suffragijs: Præsertim cum solenne fuerit priscis etiam Romanis, Imperatores ab exercitu acclamari, ait Hiero. *epistol.* 85. solumque tres ab Senatu Roman. creatos, Neruam, Maximum, Tacitum, hosque idcirco dictos *Senatorios Imperatores* per cauillum.

V. *NON DONATIONE GRAECORVM.*

1. Quia prisci, nouique historici testantur, perlatâ ad Græcos coronatione Caroli, eos grauissimè tulisse. 2. Euidens est Græcos Imperatores deniq; vel inuitos agnouisse Imperium Caroli; sed non prius, quam id ei Papa contulisset.

Quo impudentius mentitur Illyricus, nullo autore, multo ante coronationē Carolo fuisse collatū Imperium à Græcis; qui diu post nec vel agnoscere eum voluerunt pro Imperatore Occid.

Nam ad eum à Græcis factæ Legationes sunt istæ: *Anno* 798. pro restitutione captiuorum: *Anno* 802. pro pace inter Græcos & Francos impetranda, cum iam *Anno* 801. fuisset coronatus Imperator. Item *Anno* 803. Nicephorus misit Legatos pro pace: *Anno* 812. Nicephori vltimo Michaël Imperator primus è Græcis ei gratulatus Imperium est: antea Græcorum nullus. Prōinde Carolus suos annos XII. Imperij non numerauit à Consensu Græcorum; sed à Coronatione sui Papali.

VI. *SED APOSTOLICA PAPAE AVTORITATE.*

Et vero hæc est, non Regia, aut Imperatoria; sed Eminentissima Potestas: quæ 1. omnium Christianorum est Pastoritia ac Paterna: 2. Ipsisq; Imperatoribus ac Regibus superior. Quocirca & Imperia, ac Regna transferre potest.

I. PRIVS demostrauimus in nostris Luthero-Caluinisticis parte 2. inque Antichristiano, & Genealogia: idque Scholasticè; hic porro historicè ita liquet.

I. Ipse Carolus Magnus sæpius professus est, Sedem Romanam Apostolic. tenere Primatum Ecclesiarum; vt in priuilegio Bremensis Ecclesiæ: apud *Kranz. l. 1. Metrop. c. 7. Item libr. 1. de cultu imag. c. 6. &c.*

II. OTTO è Saxonibus Imperator I. apud Luithprandum l. 6. c. 9.

III. Item Imperatores Ecclesiæ Romanæ persecutores: vt *Henricus IV.* epistolâ ad Principes Imperij, apud Vrsperg. in Chron. anni 1106. *Henricus V.* ibidem anno 1110. & an. 1117. & an. 1122. *Fridericus I.* acerrimus Alexandri III. hostis, apud Radeuicum l. 2. c. 76. Itemq; idē in epist. ad Principes Imperij, apud Rade-

Radeuicum lib. 2. c. 16. & 56. *Philippus*, contra Ottonem IV. creatus, vt se audijt excommunicatũ, petijt humiliter ab Legato absolutioné cum professione summi Primatus Romani. *Fridericus II.* perhorruit ad Papalẽ excommunicationem, vt summi Pastoris Ecclesiastici. *Ludouicus IV.* etsi stylo ferroq; Ioannem XXII. oppugnarit, tremebundus tamẽ expauit ad Primatus Romani fulmen. De quibus supra in Demonstratione hist. suis locis.

Ac vero similiter & ante Caroli Magni tempora Primatum Romanum & veriti & reueriti sunt Imperatores: vt apud Latinos Valentinianus III. epist. ad Theod. sium: Apud Græcos Iustinianus epist. ad Ioannem Papam II.

II. ALTERVM demonstrauimus quæstione præcedente. Summa est, vt ait S. Greg. l 2. epist. 61. *Terrestre regnum Cœlesti regno famuletur*, (sicut corpus animæ) Lupis arcendis; Hircis coercẽdis; & Ouibus pascendis: iuxta pactũ, quo & Principes recepti sunt in Christianismũ; & Imperia ac regna tum cõferuntur, tũ confirmantur: Quo *reddantur Deo, quæ sunt Dei, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris*; terraq; cœlo subiecta pareat ad frugem, Sacrisque Profana ad felicitatem qua Temporalem mediatè, quà Æternam ac Spiritalem vltimatè, consequendam.

INSTAT Illyricus. 1. Papæ sua propria Iura negant esse eum Dominũ Temporalium posse. 2. Sicut ipse Christus negat suum regnum esse de hoc mundo. 3. Prohibetque Apostolos Dominari: sed minimos esse iubet, ac ministrare. 4. Ceu vt Petrus vult Presbyteros politicis obtemperare.

DICO 1. Esto id Iura velint; non sequitur tamen, Papam nõ posse regna dare, aut transferre. Nam hoc fit Ecclesiasticâ Potestate, non Politicâ. *Deinde*, Eadem iura constituunt Papas *Pastores animarum saluandarum*: Huic fini quam diu Temporalia seruiunt, militans Deo Papa non debet se negotijs sæcularibus immiscere; at cum aduersantur, obedire debet Deo potius; quam hominibus, & pascere, tueriq; oues, proq; his animã ponere contra lupos. 2. Idq; sicut Christus: qui tametsi fugit regnare; regnare tamen in hoc mundo potuisset; Vimq; suam exercuit bis flagellãdo negotiatores in templo; & in horto satellitium prosternendo. 3. Apostolis vetuit Dominari, scilic. *sicut reges gentium* superbè. Superbiam vetuit, non Potestatem. Sicut ipse *venit ministrare*; & tamen profitetur, *Mihi data est omnis Potestas &c.* 4. Petrus vero iubet Presbyteris iubesse gregem; *Pascite, qui in vobis est, Gregem prouidentes, &c. neque vt Dominantes in Cleris; sed vt forma facti gregis*, velut Laicorum Duces ac Magistri; & tamen Serui Seruorum.

II. INSTAT. Gratianus talium collector, nil meminit Translationis.

DICO. Quia egit collectorem Decretorum, non Historiarum: ideoque Lutherani eius Decretale, vt nimium studiosi Papis, exusserunt.

III. INSTAT. Leo VIII. in recognitione priuilegiorum ad Ottonem I. silet de Translatione Caroli.

DICO. Neq; isthic de hac agebatur: sed renouabat Ottoni I. *ius Nominandi*, non *Eligendi*, Papam & Antistites; quod Carolo Magno concessum fuerat. In quo Adriani I. secutus exemplum est, concedentis Carolo Ius & Nominandi, & Patriciatus.

Quo

Quo impudentius affingit Illyricus Gratiano *in Dist.63.* Datam Carolo Potestatem omnem Imp. Constantinopolitani: Imperiumq; in ipsos Papas: Papamq; iuramento subiectum Regi; ac profiteri Papas se Imperatoris esse mancipia.

IV. INSTAT. Leo misit Claues Carolo, & submisit se.

DICO: Papis solenne fuit, & est; clauiculæ inclusas aureæ reliquias, aut rasuram cathenarum pro honorario mittere Principibus; non tamen eo sese ijsdem submittere. Ita *S. Greg. l.6. epist. 23. & lib.7. epist.126. &c.*

V. INSTAT. Carolus venit Romam, vt Leonem iudicaret.

DICO: Non vt iudicaret eum, sed vindicaret de iniuria Romanorum; reliquitque Papam suo ipsius iudicio proprio; qui vltroneo sese iuramento purgauit coram populo. Et ei Carolus humillime sese submisit, omnia ei summa deferendo. Similibus Mendacijs infarsit librum Illyricus; quæ futilia refutat *Bellarm. l.1. de Translation. Imper. c.1.2.3. 13. &c.*

QVÆST. IX.

An Papa Roman. Imperium transtulerit à Francis ad Saxones?

I. IN Gente, lineaque domus Francicæ in Imperium Germanicum est talis

Anno Christi	Svccessio Carolina:
800.	*Carolus* coronatur Romæ ab Leone III.
815.	*Ludouicus* Caroli filius coronatur Remis à Stephano IV.
822.	*Lotharius* filius coronatur Romæ à Paschali.
844.	*Ludouicus II.* Lotharij filius coronatur Romæ à Sergio II.
874.	*Carolus Caluus*, Lotharij patruus, Ludouici I. filius, coronatur Romæ ab Ioanne VIII.
877.	*Ludouicus Balbus*, Calui filius, coronatur Romæ ab Ioan. VIII. anno 878.
896.	*Arnulphus* Carolomanni filius, coronatur Romæ ab Formoso: vltimus Imperator Carolinus.
900.	*Ludouicus III.* Arnulphi filius, successit Rex, sub Stephano VII. non coronatus Imperator.
903.	*Chunradus*, Arnulphi nepos, non coronatus. Vltimusq; sanguis Carolini; Rex & non Imperator. Huic successit *Henricus Auceps I.* ex matre Franca, & Patre Saxone oriundus. Huic suus filius Otto successit creatus anno 962. & coronatus Imperator.

II. Papa Ioannes XII. non transtulit Imperium à Francis in Saxonē Henricum I. Quia hic nec vnctionem, nec coronationem, nec Imperatoris titulū vnquam admittere voluit; fuitq; Custos potius Imperij, quam Imperator. Ita æquæuus eius *Vitikindus l.1. Saxonicorum gestorum, Vrspergensis in Chron. anno* 920. *&c.* Vnde sequentes Imperatores Chunradi & Henrici non numerant sua nomina ab isto seu Chunrado, seu Henrico Aucupe: etiam Ludouicus Bauarus se numerauit Quartum, eo quod *Ludouicus*, Arnulphi filius, nec coronatus,

nec Imperator fuit, dictus *Ignauus*. Atq; tres illi vt à Principibus electi fuerint ad regnum, non tamen à Pontifice vncti fuerunt, aut coronati ad Imperium: vt non fuerint Imperatores, nisi fortè designati.

III. Otto I. Henrici Aucupis filius coronatur Imperator à Ioanne XII. anno 962. Ita *Luithprandus* eius æqualis, *lib. 6. de gestis Europæ, c. 6. Reghino, Marianus*, ac posteri.

I. Instat Illyricus. Cardinales scripserunt ad Ottonem & crearunt eum Imperatorem; non Autoritate Papæ factam translationem testantur Nauclerus & Cuspinianus.

At vtrumque fingit Illyricus. Nam post coronatum Imper. scripserunt ad eum duo Cardinales alia de causa: Et Cuspin. in vita Ottonis ait, *Otto Imperium ab agnatione Caroli Magni ablatum, recuperauit Pontificis Maximi autoritate*. Similiter & Nauclerus ait.

II. Instat. Cardinales literis ad Ottonem accusarunt Ioannem XII. vt eum deposuerit.

At Luithprandus ait Papam ad Ottonem scripsisse, creasseque Imperatorem. Neq; hic illum deposuit vnquam; sed Synodo eum permisit, rogatum vt eidem adesset. Accusatum verò ea iniustè iudicauit, contemnens eius excommunicationem, tanquam Episcopi mali, ligare idcirco aut soluere impotentis.

III. Infert Illyricus: Imperium esse à Francis ad Germanos translatum in electione Conradi aut Henrici.

At hi tantum in Reges fuerunt electi, ac Cæsares designati, volente Papa: ita omnes historici, præter Nauclerum nouitium. Qui tamen Ottonem I. à Papa coronatum agnoscit Imperatorem.

IV. Infert Illyricus, Imperium Roman. à Francis ad Saxones transisse voluntaria cessione Regum Gallicorum.

At solus id dixit, & finxit; & historicis, quos citat, affinxit. Adeo verum est contrarium, Gallos inter & Francos vtrosque Occid. & Orient. magnam de Imperio fuisse concertationem.

QVÆST. X.

Quando, & à quo Septemviri Electores sint Instituti?

I. Electores VII. sunt ante Gregorium X. Papã, & Fridericum II. Imp. designati. 1. Sic testatur Martinus Polonus, Innocentij IV. Pœnitentiarius, qui vixit ante obitum Friderici II. teste Onuphrio. Sic & S. Thom. Aquinas, qui vixit ante Fridericũ II. & obijt ante Conc. Lugdunense, ann. 1274. Sic & B. Augustinus Triumphus; qui obijt anno 1328. vixit annis 85. & egit annum septimum, quo obijt Fridericus II. anno 1250. Sic & Henricus Hostien. Cardin. qui floruit anno 1240 ante obitum Friderici II. annis 10. ante Conc. Lugdun. annis 34. celebratum à Gregorio X. &c.

Ergo errat Auentinus l. 5. Annaliũ Boiorum dicens: *Ego illos post fata Friderici II. institutos, & à Gregorio X. confirmatos compertum habeo.* Errat Onuphrius *lib. de Comitiis* secutus Auentinum: Qui fingunt eam Institutionem in Conc. Lugdun. factam. Argumenta eorum duo grauia resoluit *Bellarm. lib. 3. de Translat. Imp. c. 2.* Quæ tamen, cum Institutionem eam à Papa factam profiteantur; nostræ causę proficiunt, officiunt nihil.

II. Se-

II. Septemviri sunt instituti à Gregorio Papa V. Non ab Ottone III. Imperatore, vt fingit Illyricus: Ita historici plurimi, post Innocentium III. omni exceptione maiore, vt fatetur Illyricus. Carolus Magnus instituit, vt electio Imperatoris esset penes certos Principes; sic tamen, vt Imperium maneret suis posteris hæreditarium: At Gregorius V. tempore Ottonis III. exclusa hæreditaria successione, instituit Septemviralem Electionem. Id quod contra se fatetur Illyricus *Cent.* 10. *c.* 10. *col.* 546. Sic & Concilium Viennens. in Clementina: & Electorum instrumentum ad Nicolaum Papam III. Vana igitur sunt mendacia Illyriciana apud *Bellarm. l.* 3. *c.* 4.

QVÆST. XI.

An Imperator, Rex, & Princeps quilibet sæcularis habeat summum Ius Ecclesiasticum in suo Principatu?

CVm triplex sit Potestas Ecclesiastica: 1. *Ordinis*, ad Sacramenta conficienda & ministranda. 2. *Iurisdictionis interioris*, ad regendos Fideles in foro conscientiæ, ligando, soluendo. 3. *Iurisdictionis exterioris*, in conuocandis synodis, ac regendis; condendo leges, audiendo causas, conferendo beneficia, cõstituendo Ministros Ecclesiæ, excommunicando delinquentes, definiendo fidei quæstiones: Duas priores non pertinere ad sæculares certum est: tertia controuertitur ab Luthero-Caluinistis. Hic status est. Vide tamen etiam mea *Luthero-Caluinistica parte* 2. *quæstione* 42. & 44.

LVTHERANI & CALVINIANI communiter *in Cursu Theologico Scharpii, sect.* 43. *q.* 3. Ita decidunt: 1. Bellarminus concludit, Reges habere primum locum inter Christianos: at Ecclesiasticis esse inferiores. 2. Alij volunt, Magistratum debere Rempubl. tantum ciuiliter curare. 3. Alij, debere quæstiones Fidei definire, Ministros ponere, & deponere. 4. Nos errare omnes asserimus, & dicimus; Magistratui curam Religionis incumbere: quia huius Custos & Defensor est. SVADET nouem argumentulis, prorsus puerilibus. Liquet inspicienti, referre piget: patebuntq; è subiectis.

AVTOR, *ex Becani Manuali l.* 5. *c.* 19. Magistratus quicunque politicus non habet Ecclesiasticam Potestatem Iurisdictionis exterioris vllo Iure: 1. *Naturali*: 2. *Diuino Veteri*; 3. *aut Nouo*; 4. *Ciuili seu Canonico*; 5. *Consensu Doctorum*; 6. *Titulo præscriptionis*. 7. *Nec secundum principia Luthero-Caluiniana*. Ibimus per singula.

I. *NON IVRE NATVRALI.*

Quia ex natura rei in se distincta sunt Temporaria ab Æternis; Terrestria ab Cœlestibus; Corporalia à Spiritalibus; Inferiora à Superioribus; Status Politicus ab Ecclesiastico; Vnde & distincta tribunalia esse necesse est, distinctosque Rectores; & non necesse, vt qui vni præest, præsit & alteri. Sed duplici Potestati, scilicet Politicæ, & Ecclesiasticæ, Finis est item duplex, itemque Media diuersa; Causæ etiam Efficientes Statuum, ac Dignitatum; adeo, vt inter ea esse nulla

possit Naturalis connexio: Vt vel in Christo vna fuerit sine altera actu. Coniungi tamen Iure Diuino, vel Humano possunt. Patet in meis *Luthero-Caluin. p.2.q.21.*

II. NON IVRE VETERIS TESTAMENTI.

I. Quia hoc triplex est, 1. Moralium, quæ continentur in Decalogo. 2. Ceremonialium, de Sacrificijs, de Sacramentis, de Instrumentis, de Obseruantijs legalibus. 3. Iudicialium de forma administrandi Iustitiam erga proximũ, quoad Principes, Populum proprium, Externum, & Domesticos. *Moralia* continentur in Decalogo; suntq; iuris naturalis; neque sunt à Christo abrogata, sed melius explicata: *Cætera* sunt extra Decalogum; suntq; Iuris positiui, & à Christo abrogata. *Luc.16.16. Gal.3.24. Heb.7.12.18.*

Atqui vero in iure Morali seu Decalogo non est, vt quisque Princeps in suo principatu sit etiam Rex Sacrorum, habens potestatẽ Ecclesiasticam. Cætera autem sunt antiquata: Ergo nullo Iure vetere Magistratus Politicus est quoq; Ecclesiasticus.

II. Nunquam fuit in Vet. Testam. concessa Regibus Ducibusve Hierarchia. 1. Quia Ius Regium ibi extat duplex: 1. Diuinum, *Deut.17.14. Eum constitues, quem Deus elegerit ex numero fratrum tuorum, &c. Deuteronomium accipiet à Sacerdotibus leget, vt discat Timere Deum, & custodire verba, & Ceremonias eius, &c.* 2. Vsurpatum seu Tyrannicum. *1. Reg. 8.10.* De quo Luc. 22. *Reges gentium Dominantur eorum; Vos autem NON SIC.* Hinc ægrè tulit Samuel petitionem populi. *1.Reg.8.4.* quod tyrannicum esset, ait *D.Th.1.2.q.105.art.1.* & fatetur Caluinus *Inst.4.c.vlt.§.26.*

Atqui vero in neutro Regibus assignatur Ecclesiarchia; in Diuino solum Custodia obseruatiua, & defensiua.

2. Reges V. Test. fatenturipsi, non habere sese Ecclesiarchiam. Iosaphat 1. Paral 9.11. *Amarias Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad DEVM pertinent, præsidebit. Porro Zabadias Dux super eaopera erit, quæ ad Regis officium pertinent.*

3. Hierarchiam is habet à DEO, qui in rebus ad Legem Diuinam pertinentibus, constitutus est supremus Iudex, cui obedire necesse est: At is est Pontifex, non Rex Politicus: *Deutero.17.8.* Idq; sub pœna mortis. Ita & *Aggæi 2.12. Malach.2.7. Num. 27.21. Leu.10.8. 2.Paral 26.18.*

INSTANT. I. Iosaphat Rex, *2.Paral.19.8.* constituit Leuitas & Sacerdotes: Ergo habuit Hierarchiam.

II. Qui tollit abusus Ecclesiasticos, habet potestatem Ecclesiasticam: at 2. *Reg. 5.6.* id spectabat ad Danidem. Et reprehenduntur Reges, quod excelsa non sustulerit.

III. Deducens Arcam ad constitutum locum, & ei præcessit, est Primarcha sacer; at is Dauid Rex erat: *1.Par 13.12.*

IV. Ædificans, dedicansq; templum, est Primarcha Ecclesiæ; at is Salomon erat Rex, *1.Paral.28.6. & 2.Paral.6.10.*

V. Deponens Pontificem, surrogansque alium, est Ecclesiarcha: At Salomon, *3 Reg.2.27.* deposuit Abiathar, suffecitq; Sadoc.

VI. Eruens librum Legis è tenebris, Religionemq; restituens; is est Ecclesiarcha: At is erat Rex Iosias, *4 Reg.22.23.*

VII. Ezechias Rex confregit æneum Serpentem:

pentem: 4. *Regum* 18. 4. Ergo Hierarcha fuit.

VIII. Tituli dantur Regibus Hierarchici: 1. *Filii Altissimi*: 2. *Dii*: 3. *Vncti Domini*: 4. *In Solio Dei sedentes*: 5. *Famuli Dei*: 6. *Angeli Dei*: 7. *Facti iuxta cor Dei*: 8. *Lumina Israelis*: 9. *Nutritii Ecclesiæ.*

DICO Ad I. Tria ibi: 1. Constituit Sacerdotes & Principes: 2. Vt hi essent Iudices controuersiarum, quæ in Populo oriri solent: 3. Illi in ijs essent, quæ sunt ad Deum. Nec Constituere, est creare Sacerdotes; sed ex consecratis certos delegit, qui per ciuitates docerent populum: 2. *Par.* 17. 7. Ergo à rege non fiebat 1. *Electio*: 2. non *Consecratio*: sed *Applicatio* ad vsum.

Ad II. *Aliud* est, Decernere iudicio, qui sint Abusus in religione: Et hoc est Ecclesiasticum. *Aliud* Tollere abusus: & hoc est cuiusuis, & Principis, aut inferioris. Ita Ecclesia iudicat de Sacris; Politia exequitur iudicata: In hoc negligens, iuste à Deo reprehenditur.

Ad III. Arcam 1. ædificare: 2. Deducere vel præcedere: 3. Portare vel Tangere; hæc differunt. Eam ædificare fuit Bezelielis & Ooliæ, *Exod* 31. Deducere ac præire, fuit Regis & totius Israelis: Tangere & portare fuit solius Sacerdotij; ob Sanctum inclusum ei. *Numer.* 4. Vnde Oza tangens eam, morte luit. 2. *Reg* 6. Cum autem omnis Israel cum Dauide, & Salomone, 3. *Regum* 8. arcam præcesserint; cur igitur Sacrum Primatum habebunt minus, quam Reges?

Ad IV. Ædificare templa cuiusuis est ab ære potentis: Dedicare item cuiusuis sic, vti Israelitæ dicuntur, *Exod.* 35. dedicasse byssum, coccum, pelles, metalla, &c. id est, *Obtulisse*: sic & Salomon: Alij nõ idcirco erant Hierarchæ: Ergo neq; hic. Ecce tria horum genera: 1. Sacerdotes portabant Arcam, & sacrificabant: 2. Salomon orabat offerens donum Deo: 3. Populus interfuit, actisq; Deo gratijs lætatus est. Hierarchia in his fuit apud Sacerdotium: non apud orantem & offerentem.

Ad V. 1. Salomon deponendo Pontificem non est vsus Potestate Regia, sed PROPHETICA: neq; ordinariâ viâ, sed peculiari instinctu Dei, 3. *Reg.* 2 27. *Vt impleretur sermo Domini, &c.* propter peccata filiorum Heli, 1. *Regum* 2. 31. 2. Sit vsus Potestate Regia sola; (quod nõ est) tunc eâ fuisset abusus; sicut Saul contra Sacerdotes, Abimelech contra 70. fratres, Athalia, &c. Non enim quilibet reus à quolibet iudice puniri potest, sed tantum à competente. At Reges nullam habuerunt potestatem in Sacerdotes: 1. *Reg.* 22. 16. *Noluerunt serui regis extendere manus suas in Sacerdotes, &c.* Ethnicus Doëg irruit.

Ad VI. Helcias Pontifex reperit librum; misitq; Regi vt eum prælegi plebi curaret, ac eam restitueret. Vnde iustè præcepit Pontifici & Sacerdotibus secundi ordinis, vt ejcerẽt idola; id est, eos officij sui monuit. Iussitq; Pascha celebrari; quod prius mandarat DEVS.

Ad VII. 1. Serpens æneus, bono prius vsui erectus, *Num.* 21. 8. vertit tandem in abusum idololatriæ: 4. *Reg.* 18. 4. Talem sic notorium tollere, Regiæ potestatis erat. 2. Fecitq; id Autoritate Diuina; nam id cuique etiam priuato mandatum est; *Deuter.* 7. 5. *Aras eorum subuertite, confringite statuas, lucosq; succidite, &*

te, & sculptilia combuite: Quia populus sanctus es Domino Deo tuo.

Ad VIII. Tituli ijdem sunt communes quoq; alijs non Regibus: adeo non inferri potest inde, eorundem idcirco esse & Hierarchiam. Nam Apostolis & Episcopis sunt pares, aut illustriores tituli in S. Scriptura.

III. *NON IVRE NOVI TESTAMENTI.*

Christus noluit esse penes Reges, sed Apostolos, Hierarchiam; in qua sunt ista: 1. Regere Ecclesiam; 2. Synodos cogere; 3. His præsidere; 4. Controuersias Fidei finire; 5. Leges condere; 6. Contumaces excommunicare, & punire; 7. Ministros Ecclesiæ dare, & remouere, &c. Hæc talia singula scholasticè docui in meis *Luthero-Caluinisticis parte 2.* Docetq; eadem mea *Demonstratio historica* passim in omni pagina ferè.

1. Petro, eiusque successoribus dictum est, Ioan. 21. *Pasce oues meas. Tibi dabo Claues.* Luc. 22. *Confirma fratres tuos. Claues* aperiendi baptizandis; soluendi peccata; Ligandi præceptis ac pœnis.

2. Apostoli testantur: Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerso Gregi; in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, Regere Ecclesiam DEI.* Ephes. 2. *Superædificati super Fundamentũ Apostolorum & Prophetarum, ipso Summo Angulari Lapide CHRISTO IESV.* Non super fundamentum Regum, &c. Et tamen perfecta est structura, omissis Regibus ac Principibus. Sicut Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam, &c.* vbi tria: 1. Ædificatio Ecclesiæ; 2. Opus Ministerij: 3. Consummatio Sanctorum, seu vita æterna. At in ijs nulla fit mentio Principum.

3. Praxis Apostolorum fuit consona Doctrinæ: Nam illi, *Act.* 20. rexerunt Ecclesiam: Synodum, *Act.* 15. celebrarunt Ierosolymis; eique Præsederunt: sententiam dixerunt: Legem condiderunt de idolothytis: Incœstuosum, 1. *Corinth.* 5. excommunicauit Paulus: Accusationem aduersus Presbyteros admisit Episcopus, 1. Timoth. c. 5. Ananiam, *Act or.* 5. & Saphyram puniuit Petrus. Nihil hic Principes sæcul.

Scripturas obtendunt Luthero Caluinistæ: sed inconuenientes, solutuq; faciles.

IV. *NON IVRE CIVILI AVT CANONICO.*

I. Quia CANONES multi obstant: Dist. 10. can. 7. *Libenter accipitis, 1. quod Lex Christi Sacerdotali vos* (Imperatores) *subijcit Potestati; 2. Atque istis tribunalibus subdit. Dedit enim & nobis Potestatem; 3. Dedit & Principatum multò perfectiorem principatibus vestris.* Similes plures aggessit P. Becanus in Manuali lib. 5. c. 19. quæst. 4.

II. IVS CIVILE: In Authentica, Constit. 123. *Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habento Ciuiles Magistratus cum ea disceptatione; sed religiosissimi Episcopi secundum sacros Canones finem imponunto.*

V. *NON CONSENSV PATRVM AVT DOCTORVM.*

Nam reclamant S. Patres, Ignatius ad Phila-

Philadelph. Hosius, Ambrosius, Athanasius, &c. Item Reges & Imperatores. Valentinianus solicitatus cogeret Concilium, ait: *Mihi, qui vnus è numero laicorum sum, non licet eiusmodi negotiis me interponere. Sacerdotes & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, conueniant, vbi ipsis liberum fuerit.* Baron. to. 4. anno 364. Theodosius Iunior in epistola ad Synodum Ephesinã similia. Sic & Basilius Imp. in Synodo VIII. in causa Photij. Sic & *Constantinus Magnus*, ait Aug. epist. 165. *non est ausus de causa Episcopi iudicare.*

VI. *NON TITVLO PRAESCRIPTIONIS.*

Nam in Abusibus vi, aut fraude inuectis, non datur præscriptio. Cæteroquin Rex Achaz, 4. *Reg.* 16. præscripsisset in idololatria: Hæretici in hæresi, &c. Siq; præscriptione sit certandum iam, ea stabit pro nobis vt prioribus, ac potioribus.

VII. *NON IVXTA PRINCIPIA LVTHERO-CALVINIANA.*

I. Nam ea singulatim refutauimus in *Luthero-Caluinisticis parte 2. quæst.* 2. de Monarchico Regimine: *quæstio.* 11. 12. 20. 21. de ortu Pontificatus: *quæst.* 26. de indictione Conciliorum: *quæst.* 42. *&c.* de Electione & Ordinatione, &c. Cleri. &c.

II. Fatentur Luthero-Caluinistæ, Ad Primatum Ecclesiæ pertinere actus Iurisdictionis Exterioris. 2. Deinde aiunt Episcopos immediatè à DEO habere Iurisdictionis exterioris Potestatem: mediatè verò à populo, aut Magistratu: Itemque esse æqualem Episcopis, alijsq; Ministris.

At Nos contrà docuimus, Iurisdictionis interioris Potestatem, & Exterioris, immediatè à Papa: Mediatè verò à DEO conferri, *Bellarm. l. 4. de Pontif. c. 24. & 25 ad quartum.* Deinde, Episcopos in Exteriore Iurisdictione esse supra Sacerdotes. De vtroque in *Luthero-Caluinist. par. 2. quæst.* 20. 42. 43. 44. 46. Quapropter

OFFICIVM PRINCIPIS SAECVLARIS circa Religionem est:

I. Non ita Politiam instituere, vt curam omnem Ecclesiæ abijciat: iuxta illud Donatistarum: *Quid Imperatori cum Ecclesia?* 1. Quia hoc repugnat Scripturæ; & Exemplis Dauidis, Ezechiæ, Iosaphat, Asæ, Iosiæ, &c. 2. Item, Constantini Magni, Theodosij, &c. 3. Idcirco iustè reprehensi sunt Ieroboam, Achab, Achas, Amon, &c. 4 RATIO: Quia Principes, à DEO Honorem consecuti, tenentur vicissim reddere Honorem DEO præcipuum, &c.

II. Principes non debent in suis Dominijs admittere Religionis libertatem; si possint obstare. 1. Quia Christus voluit vnam esse Ecclesiam, ouile, Pastoremque vnum. 2. Voluit suos attendere à falsis Prophetis: at in multiplici religione est necessarium alios esse falsos. 3. Voluit Ecclesiam esse perpetuam: at omne regnum in se diuisum perpetuare nequit. Quare, Ro. 16. *Rogo, obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam didicistis, faciunt; & declinate ab illis.* 1. Cor. 1. *Nõ sint in vobis*

nobis schismata, &c. Quia, August. epist. 66. *Quæ est peior mors animæ, quam libertas erroris?*

III. Principum est Ecclesiam ac Religionem defendere, vt ministri & executores, non vt Domini & Iudices. Ita Imperatores, Reges, Principes ab origine sui nominis Christiani in iuramento fidei suo professi sunt, ac re ipsa præstiterunt in Germania, Hispania, Francia, Anglia, Polonia, Hungaria, Saxonia, Dani i, &c. Quia, ait S. Ambrosius epist. 32. *Quid est honorificentius quam vt Imperator dicatur Filius Ecclesiæ? Imperator enim bonus est intra Ecclesiam, non supra.* Vnde Theodoricus Rex Italiæ ad Ioannem Papam. *Sum quidem Iudex Palatinus: sed vester non desinam esse discipulus. Nam tunc ista rectè gerimus; si à vestris regulis minimè discedamus.*

QVÆST. XII.

De Conciliorum Generalium Adprobatione, seu Reprobatione, ac Modo, Qualia testatur Historia?

DE hisce Theologicè & strictim in nostris *Luthero-Caluinisticis, part. 2.* Porro historicè.

I. Conciliorum origo ac institutio planè Diuina est: & non instinctu naturali solum inuenta, vt Pighio placuit. 1. Quia in Vet. Testam. instituit Deus quæstiones de Religione ad Sacerdotes deferri, ac decidi ab eisdem sub vnius Pontificis summi directione & autoritate: Neq; celebrius ferè est aliud, atq; Synedria Iudæorum.

2. In Nouo Testamento iussit Dominus, Matth. 18. *Dic Ecclesiæ.* Et *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ibidemq; subiunxit promissum: *Vbi fuerint duo vel tres congregati in Nomine meo, illic ego in medio illorum sum.*

3. Apostoli Spiritu Sancto pleni eiusdem instinctu Concilium celebrarunt, Actor. 15. vnde dicunt: *Visum est Spiritui Sancto, & Nobis, &c.*

4. Ita ex Matth. 18. demonstrata esse Concilia docet Concilium Chalcedonense epist. ad Leonem: & Synodus VI. act. 17. & Cælestinus epist. ad Concil. Ephes. & Concil. Toletanum III.

5. Certum est Conciliorum vsum ab Traditione Apostolica descendere: at Apost. Traditiones dicere esse inuenta merè humana Audax fore, Temerariũ, ac fortè erroneum contra ista: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem.* Et, *Spiritus Sanctus suggeret vobis omnia; & ducet vos in omnem veritatem.*

II. Concilia Generalia Approbata sunt XVIII.

I. NYCÆNVM est celebratum anno 327. vsq; ad 330. Syluestri Papæ 15. Constantini 20. per 318. Episcopos; de die Paschatis, & de Diuinitate Christi, contra Arium.

II. CONSANTINOPOLITANVM anno 383. sub Damaso, & Theodosio seniore, Imp. cum Episcopis 150. contra hæresim Macedonianã, negantem Spiritus Sancti Diuinitatem.

III. EPHESINVM I. anno 431. sub Cælestino I. & Theodosio Iuniore Imperat. cum Episcopis 200. contra Nestorium, pro Vnitate Personæ in Christo; & non duarum.

IV. CHALCEDONENSE anno 454. sub Leone I. & Martiano Augusto, contra Eu-

tra Eutychetem & Dioſcorũ, pro Dualitate Naturarum in Chriſto.

V. CONSTANTINOPOLITANVM II. anno 553. ſub Vigilio Papa, & Iuſtiniano Seniore Imp. cum Epiſcopis 165. Ei Papa nec per ſe, nec per Legatos interfuit; per libellum tamen confirmauit eam, contra Origeniſtas.

VI. CONSTANTINOPOLITANVM III. anno 685. ſub Agathone Papa, qui per Legatos ei præſedit; cum Epiſcopis 289. contra Monothelitas.

VII. NYCÆNVM II. anno 786. ſub Hadriano Papa, & Irena Imperat. cum Epiſcopis 350. contra Iconoclaſtas.

VIII. CONSTANTINOPOLITANVM IV. anno 870. ſub Hadriano II. Papa, & Baſilio Imp. cum Epiſcopis 383. contra Photium pro S. Ignatio.

IX. LATERANENSE I. anno 1123. ſub Calixto II. & Henrico V. Imp. cum Epiſcopis 900. contra Saracenos, pro recuperanda Terra Sancta.

X. LATERANENSE II. anno 1139. ſub Innocentio II. & Lothario Imper. cum Epiſcopis 1000. contra Antipapas, proque Iure Cleri.

XI. LATERANENSE III. an. 1180. ſub Alexandro III. Papa, & Friderico I. Imp. cum Epiſcopis 300. pro reformatione Eccleſiæ, & contra Waldenſes.

XII. LATERANENSE IV. an. 1215. ſub Innocentio III. Papa, & Friderico II. Imper. cum Epiſcopis 673. cum alijs 615. Patribus, contra varias hæreſes, & pro Terræ Sanctæ recuperatione.

XIII. LVGDVNENSE I. anno 1245. ſub Innocentio IV. Papa, & Friderico II. Imp. contra hunc ipſum Imperatorem, proq; Terra Sancta.

XIV. LVGDVNENSE II. ann. 1274. cum Patribus ferè mille, ex quibus Epiſcopi 500. ſub Gregorio X. Papa, & Rodulpho Imp. contra errorem Græcorum.

XV. VIENNENSE, anno 1311. ſub Clemente V. Papa, & Henrico VII. Imp. cum Epiſcopis 300. contra varias hæreſes.

XVI. FLORENTINVM, ann. 1439. ſub Eugenio IV. & Alberto Imp. cum Patribus 141. contra errores Græcorum.

XVII. LATERANENSE V. anno 1512. cœptum, finitum anno 1517. ſub Leone X. Papa, & Maximiliano Imp. cum Patribus 114. contra Schiſmata, proq; alijs negotijs Eccleſiæ.

XVIII. TRIDENTINVM, cœptum anno 1545. finitum anno 1563. ſub Papa Paulo III. Iulio III. & Pio V. & Carolo V. Imp. & Ferdinando Imper. contra Lutheranos & Caluinianos.

Græci recipiunt tantum prima Septem; *Lutherani* prima ſex: *Trinitarij* nullum agnoſcunt.

III. Concilia Generalia Reprobata ſunt VIII.

I. *Antiochenum II.* anno 345. contra Athanaſium.

II. *Mediolanenſe*, anno 354. cum Epiſcopis 300. ſub Conſtantio in quo Fides Catholica eſt obliquè damnata.

III. *Ariminenſe* anno 363. Epiſcoporum 600. in quo vox ὁμοούσιος eſt ſublata.

IV. *Epheſinum II.* anno 449. in quo ex factione Dioſcori occiſus eſt S. Flauianus Epiſc. Conſtantinopol. confirmata Eutychiana hæreſis.

V. *Constantinopolitanum* anno 730. sub Leone Isauro contra S. Imagines.

VI. *Constantinopolitanum* an. 755. sub Coprony mo, Episcoporum 338. item contra S. Imagines.

VII. *Pisanum* an. 1409. contra Iulium II. Papam.

VIII. *VVittembergense* an. 1536. Prædicantium Lutheranorum 300. præside Luthero: quod ipsi Generale vocant.

IV. Concilia Generalia partim Approbata, partim Reprobata sunt VII.

I. SARDICENSE anno 351. Episcorum 376. sub Iulio I. Papa, & Constantio Imper. in quo 300. Episcopi fidem Catholicam confirmarunt: Ariani vero scripserunt Arianam.

II. SYRMIENSE an. 356. sub Liberio Papa, & Constantio Imp. In quo Confessio græcè conscripta adprobatur: at latinè scripta blasphema est, & reprobata.

III. QVINTISEXTVM an. 690. dictum & Trullanum, quod ad V. & VI. Concilium Canones addidit reprobos.

IV. FRANCOFORDIANVM an. 794. sub Adriano I. & Carolo M. Probatur definiens, Christum non esse Filium Dei Adoptiuum: Reprobatur, vbi ex errore damnat VII. Concilium Generale.

V. CONSTANTIENSE, Episcoporum plus 300. cœptum an. 1414. finitum an. 1418. sub Martino V. Papa, & Sigismundo Imperatore: Reprobatur in Concilio Florentino & Lateranensi vltimo, definiens; Concilium esse supra Papam: Cætera approbatur à Martino V.

VI. BASILEENSE an. 1433. cæptum, finitum an. 1449. in quo Nicolao V. cessit tam Concilium, quam Felix V. Papa, ab Concilio in schismate creatus. Huius nil probatur, nisi Acta de Beneficijs.

VII. PISANVM an. 1409. deposuit Gregorium XII. & Benedictum XIII. ac elegit Alexandrum V. Conuenit ad tollendum schisma, & non sustulit, sed auxit: estq; nec approbatum, nec reprobatum manifeste.

V. Indicens ac cogens Concilia Generalia ordinariè fuit Papa: cum huius permissu, aut rogatu etiam Imperatores aliquando ea congregarunt. Vide mea *Luthero-Caluniistica p. 2. q. 26.*

VI. Præsidere legitimis Concilijs solius Papæ semper fuit, idq; per se, aut per Legatos. Imperatoris erat nunquam. 1. *In Nycæno* primi subscripserunt Legati Papales, Hosius, Vitus, Vincent. & post Episcopos Constantinus Imp. Male igitur vult Brentius præsedisse Imperatorem: Eustathium Magdeburgenses, & Lutherus: Caluinus Athanasium. 2. *In Constantinopolitano I.* Papa non interfuit, neque per se, neque per Legatos; itaque Nectarius Constantinopolit. Episcop. præsedit, non Imperator: ita postea sic approbante Damaso. 3. *In Ephesino I.* Legati Papæ præsederunt, patet ex epistola Imperatoris ad Conc. Ephesinum, mittentis Comitem, suo loco, sed ne se misceret quæstionibus ecclesiasticis. 4. *In Chalcedonensi*, sessioni primæ interfuit Martianus Imper. non præfuit, ipso teste in orat. ad Synodum; idq; ad Confirmandam fidem, non ad Explicandam vt Episcopus, seu iudicandam:

Præse-

Præsederunt autem Legati Apostolici Leonis. 5. *In Constantinopolitano II.* præsedit, loco Papæ, Eutychius Patriarcha. 6. *In Constantinopolitano III.* Legati Agathonis præsederunt, primique subscripserunt; Imperator Constantinus sedit primo loco à latere laicorum: vti alias consuetū: Pariterq; & in cęteris.

VII. Conciliorum ERRORES enumerant Luthero-Caluinistæ triplices: 1. *Illegitimorum* ac Reprobatorum: sed ob eosdem & à nobis reprobatorum. 2. *Errores fictos legitimorum:* nam quæ ipsi non probant ab eis errata censentur: vt quod Chalcedonense prohibet monachas violare votum continentiæ: altaria non erigi sine reliquiis, &c. 3. *Errores legitimorum*, qui veri esse videntur, id est, nostræ, ipsorumque fidei aduersari: In hosce disquiramus.

OBIICIVNT Luthero-Caluinistæ, I. Concilium 400. Prophetarum errauit, 3. *Reg.* 22.

II. Conc. Iudæorum sub Caipha errauit damnando Iesum. *Ioan.* 9. & 11.

III. In Conc. Apostolorum, *Act.* 15. ait Lutherus, Iacobus mutauit sententiam Petri dicentis, non cogendas gentes ad legalia: at Iacobum secuta Synodus iussit abstineri à suffocatis, &c.

IV. In Neocæsarienſi; approbato per Leonem IV. prohibentur secundæ nuptiæ.

V. In Nycæno Sacerdotes prohibentur se castrare, & vxorari. Item iubentur rebaptizari Pauliani: damnaturq; militia.

VI. Arelatense II. vetat vxoratum assumi ad Sacerdotium; nisi promiserit conuersionem; quasi coniugium sit status damnabilis.

VII. In Syrmiensi damnata est hæresis Photini, & Arij confirmata.

VII. In Laodiceno dicitur, Bigamos secundum indulgentiam communicari; vt qui alioquin communicandi non sint. Similes quisquilias omitto plures.

DICO Ad I. Illi erant pseudoprophetæ: Dein, Concilia esse debent Sacerdotum, non Prophetarum.

Ad II. Concilia Iudæorum non potuerunt errare ante Christi aduentum; at post aduētum potuerant; vt prædixit *Isai.* 6. *Dan.* 9. Item errauit de facto, nō de iure. Itē errauit in mente sua, nō in re ac sententia: quia vere expediebat vnū mori.

Ad III. Iacobus acquieuit sententiæ Petri, etsi ante definitionē diuersa sentiret. Sic autem definitum est, vt Ecclesia è Gentibus & Iudæis facilius coalesceret; sicq; dein est obseruatum non ob Legem veterem; sed ob sanctionem Apostolicam.

Ad IV. Prohibetur duas haberi simul vxores: & solennitas nuptialis in secundis nuptijs.

Ad V. Displicet hæreticis Cœlibatus. Pauliani negabant Trinitatē; quod Christum purum esse hominem fingerent. Quidam autem ex zelo fidei profitendæ in persecutionibus abijciebant cingulum militare; ac dein resumentes illud fidem negasse videbantur: idcirco Christiani vetebantur TVNC assumere militiam.

Ad VI. Sacris initiatum monogamum oportuit abstinere vxore, ex mutuo consensu ante inaugurationem facto: atque talium etiam interesse Sacris nolebant Manichæi, qui esum earnium, & vsum nuptiarum per se immunda ac mala esse credebant. *Conuersio* autem dicitur continentia ab vxore.

Ad VII. Concilium fuit diuisum; 300. Episcoporum Occidentalium decreta confirmauit Leo IV. at 70. Orientalium, vt Arianorum, damnauit.

VIII. Vetatur ibi solennitas secundarum nuptiarum; item bigamis negabant quidam rigidè communionem; illos ibi corrigit Concilium.

QVÆST. XIII.

Papæ, Conciliorum, & Ecclesiæ respectus mutuus ecqualis fuit?

I. CONCILIA Generalia possunt errare, 1. vel ante Confirmationem eorum à Papa factam. 2. Vel si definiant dissentientibus Legatis Apostolicis. 3. Aut consentientibus; sed Instructionem Papæ non sequentibus. Sic errauit Ephesinum II. & Constantinopolitanũ tempore Nicolai I. Papæ. Idcirco & reprobata sunt: nam esse legitima nequeunt, quæ suo cum Capite pugnant.

4. Aut consentientibus Concilio Legatis; sed nullam habentibus à Papa Instructionem. 1. Quia Concilia non habent vltimũ iudicium; cum Papæ semper fuerit ea vel adprobare, vel reprobare. 2. Infallibilitas autem ac firmitas nascitur ex consensione Corporis cum Capite. Vnde iudicatur errasse Conc. Basiliense statuendo, Concilium esse supra Papam. 3. Neq; absolutè censetur Generale, aut Absolutum, cui abest Caput, Capitisq; consensus.

II. Sed interest ab ouo repetere quæstionem: *Sitne Concilium supra Papam?*

1. Sub annum 1510. in schismate Gregorij XII. & Benedicti XIII. aucto etiam per Concilium Gen. Pisanum, digressi Pisas Cardinales tractare cœperũt; An, vel inuitis Papis, liceret sibi Concilium Gen. conuocare, & Papas deponere?

2. Sub annum 1416. Ioanne XXIII. clam à Concil. Constantiensi digresso, istud tractauit; An possit Papam iudicare, & deponere?

3. Sub annum 1433. studente Eugenio IV. dissoluere Conc. Basileense; hoc tractauit: An tenerentur Patres obedire Papæ; an hic illis? præsertim viso, quod in Constantiensi Conc. Gregorius XII. & Ioan. XXIII. se abdicassent, & depositus esset Benedictus XIII. metuentes renouari schisma; ideo senserunt multi, Concilium esse supra Papam. Sed remoturi schisma, grauius pepererunt, creando Felicem V. Papam: qui dein errore cognito, se ipse abdicauit.

4. Sub annum 1439 eandem quæstionem non sat expresse videtur definisse Conc. Florentin.

5. Sub ann. 1512. Conc. Lateranense vltimum eam expresse decidit: sed id nonnullis non videtur verè Generale fuisse:

Idcirco quæstio eadem hodieq; remanet inter Orthodoxos. At potior est sententia; *Papam esse supra Concilium Generale*: apud *Bellarm. l. 2. de Conc. c. 17. 18.* & mea *Luthero Caluinistica p. 2. q. 32.*

INSTANT I. Marcellinus est in Concil. Sinsuessano damnatus, & depositus. II. Post Melchiadis sententiam iudicauit Episcopus Arelatensis. 3. Liberium deposuit, & restituit Imperator. 4. S. Leonis epistola est in Concilio Chalcedonensi examinata. 5. Christus dixit: *Dic Ecclesiæ*; non Papæ: Ergo hic illi deferre debet, vti Membrum, quod minus est Corpore. 6. Conc. Constantiense definijt; Conc. Generale habere à Christo immediatam autoritatẽ, cui parendum. 7. Conc. Basileense definiuit, Concilium esse supra Papam.

DICO Ad I. Marcellinus fuit iustè accusatus de Actu infidelitatis: deq; Infideli

deli declarat Concilium eum esse extra Ecclesiam. Et is se prius ipse damnarat, & abdicarat.

Ad II. Ita est; permisitque Donatistis Imperator importunis, spe eorum resipiscentiæ.

Ad III. Arianus id tyrannicè fecit.

Ad IV. Misit Leo epistolam instructoriam; non vltimæ sententiæ definitiuam.

Ad V. Ecclesia est Cœtus fidelium Cum, non Sine, Capite. Neq; tunc Petrus erat Pontifex, cum id ei dicebatur. Est autem membrum minus corpore, quoad molem, non quoad dignitatem, & potestatem; quibus cor & caput præstant; Spiritus sancti Assistentia & Papa.

Ad VI. Definijr, non habere absolutè maiorem; sed in casu schismatis, cum nescitur verus Papa. Dein, id definiens tertia solum pars erat Concilij, non totum: & contra illos fauentes Ioanni, statuerunt cæteri fauentes Gregorio, & Benedicto. Et Martinus V. non confirmauit illud decretum tertiæ partis. Et in schismate Concilium potest definire, quis sit verus Papa.

Ad VII. Id legitimè fuit inchoatum; at non legitimè finitum. Et Nicolaus V. solum confirmauit Acta de Beneficijs, & Censuris: illud de Concilio supra Papam is non adprobauit; & successores reprobarunt.

III. Ecclesia non potest deficere. Vide *Luthero-Caluinistica p. 2. q. 37.*

Instant. Conc. Basil. Generale deposuit Eugenium, vt hæreticum, cum sequacibus, substituto Felice V. Dein finito Concilio Eugenius restituit sine electione: Ergo tunc visibilis Ecclesia non fuit vera, aut erauit.

II. Sub annum DC. Papa est apertè mutatus in Antichristum, cum à Phoca dici Caput Episcoporum cœpit; accepitq; Pantheon Romæ; & incepit Inuocationem Sanctorum.

Dico Ad I. Id initio fuit legitimum, vt cui per Legatum præsederit Papa: at postea deponens Eugenium, erat Conciliabulum, non Concilium: vnde Eugenius permansit Papa. 2. *Dein*, eodem tempore Florentino Concil. Generali præsidebat Papa Eugenius, in quo erant Latini, Græciq; Patres pene innumeri. 3. *Demum*, & Deus iudicauit, peste pleroscq; Episcopos Basileæ extinguendo.

Ad II. At post Phocam est celebratum Concil. Gen. Constantinopol. III. quod Luthero-Caluinistæ maximi faciunt, vtq; Sanctum recipiunt. 2. *Dein*, ante Phocam annis ferè 100. Iustinianus Imp. vocauit Papam *Caput Ecclesiarum*; Anteq; hunc, Concil. Chalcedonense. 3. Adhæc, Antichristus pugnabit contra omnes Deos: *Dan.* 11. Ergo. Pantheon aperiens Papa omnibus Sanctis colendis, non est Antichristus. 4. Sanctorum tamen cultus & Inuocatio longè fuit antè celebratissima.

QVÆST. XIV.

Ecquid Iuris ac Moris fuit antiqui circa STATVS Sacros?

DE hoc plurima paucis in meis *Luthero-Caluinisticis par. 2. q. 41. 42. &c.*

I. Ivs Ordinandi Pastores nunquam pertinuit ad Populum; sed ad Episcopos solos: teste S. Scriptura in meo *Antichristo p. 2. q. 13.* Ita Canon Apostolorum: & Concil. Nicænum I. can. 4. Carthaginense II. can. 12. &c. Sic & S. Patrum perpetuus Consensus, negans licitum Presbyteris ordinare Episco-

pos aut Prèsbyteros; quanto minus licuit Laicis? Neq; exemplum proferri potest ex vlla retrò memoria. Quocirca, cum *Ecclesia sit*, ait S. Cyprianus lib. 4. epist. 9. *Plebs Episcopo adunata, & Pastori suo Grex adhærens:* veram Ecclesiam non habent, qui veros Episcopos & Pastores non habent; vbi Luthero-Caluinistæ.

INSTANT ex Caluino Inst. 4. c. 3. §. 4. Ecclesiâ constitutâ non nisi Pastores à Pastoribus ordinandos esse. Cum autem collapsa reformatur, tunc solere Deum excitare viros Dei ad idem munus.

DICO. Constituta semel à Christo Ecclesia collabi nequit: nam *portæ inferi non prævalebunt* fundatæ supra Petram: nil igitur eget nouis Apostolis.

II. IVS ELIGENDI Pastores non est penes Populum vllo iure: Fuit tamen olim ex cõniuentia Pontificũ: 1. At hanc vetuit Conc. Laodicenum I. can. 1. Nycenum II. can. 3. Constantinopolitanũ IV. can. 28. 2. Ita nec vel sciente populo creauit Indis S. Frumentium S. Athanasius: Epiphanius Paulinianum Presbyterum cuidã monasterio: S. Gregorius Anglis S. Augustinum; Germanis S. Bonifacium, &c. 3. Enimvero sic factitatum Apostolicis temporibus: Deinde cæptus sensim populus adhiberi testis de moribus ac vita eligendi; vtq; electus eo gratior esset plebi. Hæc permissio demum vergebat in ius suffragij, diu toleratum, cum multiplici cõfusione; hoc ei ius ademtum est, relicto testimonio de moribus. Vnde hodieq; Ordinationes fiunt publicè in templis.

INSTANT. S. Cypr. l. 1. epist. 4. *Plebs ipsa habet potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi.* Sic & Conc. Nycænum: alijq; Patres.

II. Illyricus ait: Mos & ius populi in eligendis ministris sacris duravit vsq; ad annum 1250. ex eo desijt.

DICO Ad I. S. Cyprianus subdit: *Quod videmus de diua Autoritate descendere, vt Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus ac idoneus publico iudicio & testimonio probetur.* Docetq; exemplis Eleazari, *Num* 20. Matthiæ, *Act.* 1. VII. Diaconorum, *Act.* 6. At exempla non faciunt rem esse Iuris Diuini; sed præcepta Dei. *Deinde*: Ista Patrum & Nicæni loca docent, duo: 1. Populo fuisse morem testandi de moribus: 2. Morem, non Ius Diuinum, etiam Eligendi: irrepsisseq; in hunc ex illo.

Ad II. Falsum fingit. Nam solos Canonicos elegisse, &c. testatur Alexander III. Papa ante 400. annos, & Concilium Generale VII. ante 700. Septimũ ante 800. Martinus Papa ante 900. annos. Conc. Laodicenum ante 1200. annos, &c. vetuerunt ne electionem vsurparet populus; sed testationem solã. Episcoporum electio ad Papam pertinet Iure Diuino; ad Clerum, Positiuo. De Numero & Officijs Sacrorum Ordinum in meis Luthero-Caluinisticis part. 2.

III. COELIBATVS est Iure Apostolico additus S. Ordinibus; non Diuino: Est proinde dispensabilis. Dein, Concilia eum sanxierunt antiquissima, ac Pontifices, vt S. Clemens can. 27. &c.

INSTANT I. Nicæno Conc. ferente legem Cœlibatus, Paphnutius postulauit, liceret iam vxoratis vti vxoribus: eiq; assensit Concilium.

II. Papis contrarium sancierunt Concilia Gangrense, Synodus VI. Carthaginense V. &c.

III. Epistola S. Vdalrici ad Nicolaum Papam prodit. S. Gregorium I. Cœlibatum indixisse; deinde

deinde in piscina sua 6000. capitum infantium reperta: ideoq; legem eum reuocasse.

DICO Ad I. S. Greg. l. 6. epist. 31. ait, *Sozomenus multa mentitur*: itemq; & Socrates; qui fabulam eam ferunt. 2. Pugnat ea cum Epiphanio & Hieronymo, qui asserunt in Oriente & Ægypto illicitum Sacerdotibus & Diaconis vti vxoribus. 3. Idem Conc. Nicenum can. 3. prohibet Episcopis, Presbyt. Diaconis, ne fœminæ cohabitent, nisi matri, sorori, amitæ. 4. Nullus veterum scripsit, quod illi duo.

Ad II. Gangrense damnat fingentes matrimonio abstinendum, vt malo ex se. Canones Synodi VI. non sunt adprobati. Carthaginense vetuit eis vxorum vsum, teste Aug. lib. de adulterinis, c. 20. qui interfuit Concilio.

Ad III. Eadem epistola dicit, Papam esse Summum Caput omnium; quod negant Sectarij. Item Papam debere Clerum cogere, ne ducant vxores. 3. Tempora discordant: nam S. Vdalricus creatus est Episcopus anno 903. & Nicolaus Papa obijt anno 867. ficta igitur est epistola.

IV. De MONASTICES origine vide in meis *Luthero-Caluinisticis p. 3. q. 53. &c.*

Atque hæc potiora ferè sunt capita, quæ Nouatores mouerunt non mouenda, ex historia Ecclesiastica: Similia quidem plura inijciunt passim ex historijs repetita; sed ea licet æstimare ex præmissis.

* * *

DEO, Deiparæ, Diuisq; Cœlitibus Gloria.

F

I N I

S.

Epitome
Controuersiarū
P. I. And. Coppēstein.

E
186

Th
4984